Digitized by Google

21

77-5-16

Digitized by Google

DEN
№ 9458

Digitized by Google

Digitized by Google

A. R. P. M.

F. THOMÆ DE LEMOS

PANOPLIA GRATIAE

SEV

De rationalis Creaturæ in finem ſupernaturalem gratuita Divina ſuaui-potente ordinatione, ductu, medijs, liberoque progreſſu.

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ

AB AVTHORE IN IV. TOMOS DISTRIBVTAE

TOMVS QVARTVS

De Præuenientis Gratiæ, Divina efficacia qua DEVS operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate.

Es de la Librería del Col. de los verdes de Alcalá



Es de la Biblioteca del muy ilustre Colegio de SANTA CATALINA Mártyr de los Verdes de la Universidad de Alcalá.
CAJON NUM.

LEODII,
Ex officina Claudij Landas Impreſſoris [illegible]

M.DC.LXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
TRACTATVVM ET CAPITVM
Quæ in hoc quarto Libro continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De ſupernaturalitate actuum Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum infuſarum. pag. 1

CAP. I. PROPONVNTVR *Recentiorum argumenta, quibus oſtendere nituntur actus virtutum infuſarum non eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales,* pag. 2

II. *Statuitur actus hujuſmodi virtutum infuſarum etiam quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturales.* p. 3

III. *Eadem veritas, nimirum actus fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum infuſarum etiam quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturales probatur, tum ex D. Thoma, tum rationibus aliundè petitis.* p. 5

IV. *Argumenta contraria diluuntur.* p. 7

TRACTATVS SECVNDVS.

De neceſſitate Gratiæ divinæ in ordine ad obſervantiam divinorum mandatorum, & evitanda peccata. pag. 9

CAP. I. DIVINA *omnia mandata ſupernaturalia, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum poſſibilia homini eſſe abſolutè, atque ſimpliciter.* p. 9

II. *Poſſibilitas ſervandi omnia mandata divina homini per gratiam conceditur.* p. 13

III. *Neceſſariam eſſe gratiam juſtificantem ut poſſit homo pro hoc ſtatu ſervare omnia divina præcepta.* p. 15

IV. *Non poteſt homo etiam juſtificatus omnia venialia peccata vitare.* p. 17

V. *Eſto per eximium gratiæ adjutorium poſſit homo in natura lapſa omnia peccata tam mortalia quam venialia evitare, attamen poſt Chriſtum ſola beatiſſima Virgo hanc perfectionem conſecuta eſt.* p. 18

VI. *Nullum præceptum ſupernaturale potuit homo ſine gratia etiam in natura integra ſervare quoad ſubſtantiam actus.* p. 21

VII. *Quod præceptum confitendi fidem exteriùs ſeu præcepta ſuſcipiendi ſacramenta, aut mortem pro confeſſione illa fidei ſuſtinere abſque gratiæ auxilio homo non poſſit.* p. 24

VIII. *Homo abſque gratia ſolis ſuis naturæ viribus relictus non poteſt aliquando contra ſupernaturalia præcepta non peccare.* p. 27

IX. *Non poſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſine gratia omnia mandata naturalia collectivè per totam vitam ſervare, aut omninò non peccare mortaliter, demonſtratur ex S. Scriptura ſummorum Pontificum decretis & Conciliorum definitionibus.* p. 29

X. *Hominem lapſum non poſſe abſque gratiæ auxilio ſervare omnia collectivè, probatur ex SS. Patribus, & quadam evaſiones præcluduntur.* p. 33

XI. *Non poſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ abſque gratiæ auxilio omnia mandata collectivè obſervare rationibus demonſtratur.* p. 35

XII. *In quo hujuſmodi impotentia ad ſervanda omnia mandata collectivè ſita ſit & unde proveniat, oſtenditur.* p. 37

XIII. *Quomodo ſe habeant Recentiores quidam in aſſerendo quod abſque Dei gratia non poſſit*

Digitized by Google

possit homo lapsus divina omnia implere mandata. p.40

XIV. *Contraria argumenta, quibus probari videtur posse hominem in natura lapsa sine Dei gratia omnia servare mandata, proponuntur, ac dissolvuntur.* p.42

XV. *Argumenta duo proponuntur ad ostendendum quod possit homo lapsus suis viribus omnia mandata collectivè servare & diluuntur.* p.45

XVI. *Alia tandem diluuntur argumenta.* p.47

XVII. *Aliqua sunt in particulari divina mandata naturalia quæ homo sine auxilio gratiæ servare non potest.* p.50

XVIII. *Diluuntur argumenta contraria in præcedenti capite opposita.* p.52

TRACTATVS TERTIVS.

De necessitate Gratiæ ad vincendas tentationes. pag.55

CAP.I. *QVINAM dixerint posse hominem lapsum sine gratiæ auxilio gravi ac vehementi tentationi resistere.* p.55

II. *Alia pro prædicta sententia asserente posse hominem gravi tentationi resistere absque auxilio gratiæ argumenta proponuntur.* p.58

III. *Explicatur prædicta sententia & quibuscum conveniat aperitur.* p.60

IV. *Levibus tentationibus potest homo resistere sed non gravioribus, vel omnibus vel pluribus diuturnioribus.* p.63

V. *Cuilibet gravi & vehementi tentationi in particulari nequit resistere homo sine gratiæ auxilio.* p.65

VI. *Non posse hominem sine gratia auxilio vehementem tentationem in particulari superare probatur ex S. Augustino & aliis Patribus.* p.68

VII. *Rationibus ostenditur non posse hominem sine gratiæ auxilio quamlibet gravem tentationem superare.* p.70

VIII. *Quod recentiorum sententia statuat hominem lapsum sine gratia meritoriè vincere tentationes.* p.72

IX. *Argumenta opposita diluuntur quæ ex S. P. Augustino opponebantur.* p.74

X. *Aperitur magis mens S. P. Augustini respondendo aliis testimoniis quæ ex ipso perperam inducuntur.* p.77

XI. *Aliis argumentis satisfit.* p.78

XII. *Respondetur aliis argumentis objectis in capite secundo hujus tractatus.* p.81

XIII. *Tandem aliis argumentis supra adductis satisfit & ostenditur hominem justificatum etiam auxilio gratiæ ad rectè operandum & tentationes superandas.* p.84

TRACTATVS QVARTVS.

De gratia in Ordine ad credendum prout ad salutem oportet. pag.86

CAP.I. *POSSE hominem assentiri certò solis suis viribus omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis Recentiores defendunt, & fundant.* p.86

II. *Aliis argumentis prædictam assertionem tuentur, & fulciunt Recentiores ostendere conantes ex D. Augustino eam verè Catholicam esse & nihil commune habere cum errore Pelagianorum vel Semipelagianorum.* p.88

III. *Non posse hominem certò assentiri, solis viribus naturalibus, omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt.* p.89

IV. *Non posse hominem sine gratia auxilio assentiri omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, probatur ex S. P. Augustino,* p.93

V. *Non posse hominem absque auxilio gratiæ assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia ab eo revelata sunt, ex SS. Fulgentio & Prospero demonstratur.* p.96

VI. *Non posse hominem solis viribus suis assentiri omnibus revelatis, tanquam revelatis, & quia revelata sunt, ex S. Thoma & rationibus ostenditur.* p.98

VII. *Quædam evasiones præcluduntur.* p.101

VIII. *Aliis argumentis respondetur desumptis ex Conciliis, Arausicano 2. & Tridentino, & ex testimoniis S. Thomæ.* p.104

IX. *Aliis argumentis ex aliis authoribus petitis respondetur.* p.107

X. *Argumentis factis ex rationibus respondetur.* p.109

XI. *Vltimò respondetur testimoniis quæ sine fundamento aliquo ex S. P. Augustino postea*

Digitized by Google

postea inducta sunt. p.113

XII. *Aliis testimoniis ex S. P. Augustino inductis respondetur.* p.115

XIII. *Necessarium esse habitum fidei infusæ, ut certò, facilè, & discretè quis assentiatur Catholicis veritatibus ostenditur præsertim ex Scoto, inter proponendum argumenta contraria.* p.116

XIV. *Necessarium esse habitum fidei infusæ, ut certò, faciliter & discretè quispiam res fidei credat, ampliùs probatur, potissimè ex D. Thoma.* p.119

XV. *Rationibus probatur habitum fidei infusæ necessarium esse ad certò, facilè, & discretè assentiendum rebus fidei.* p.121

XVI. *Non esse ponendam acquisitam fidem, ut necessariam ad fidem infusam.* p.123

XVII. *Argumētis in oppositū respondetur.* p.127

TRACTATVS QVINTVS.

De viribus humanæ naturæ in ordine ad desiderandam & petendam gratiam.

p.129

CAP. I. NON *posse hominem solis naturæ viribus optare auxilium gratiæ.* p.129

II. *Non posse hominem solis naturæ viribus petere auxilium gratiæ.* p.131

TRACTATVS SEXTVS.

De dispositionibus ad gratiam habendam requisitis.

p.134

CAP. I. NON *posse hominem se solo se disponere, etiam remotè ad habendū auxilium gratiæ.* p.134

II. *Quinam dixerint quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certa lege dat auxilia gratiæ.* p.136

III. *Quomodo alij Recentiores defendunt, quod facienti quod in se est Deus ex certa lege gratiam tribuat.* p.138

IV. *Quæ tandem exposuerint prafati Recentiores in defensionem supradictæ propositionis,* facienti quod in se, &c. p.141

V. *Expugnatur prædicta sententia.* p.143

VI. *Expugnatur prædicta sententia asserens quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus ex certa lege det gratiam, ex Conciliis & Patribus imò & verbis ipsis Molinæ.* p.145

VII. *Ex aliis ejusdem P. Molinæ verbis, doctrina præcedentis capituli confirmatur, & rejicitur sententia asserens, quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus ex certa lege det gratiam.* p.148

VIII. *Ex S. P. Augustino ostenditur, quod si sic facienti quod in se est naturæ viribus datur certa lege gratia, illa sit naturæ debita.* p.150

IX. *Ex SS. Prospero, & Fulgentio concluditur in illo actu facientis hominis quod in se est solis naturæ viribus, cui dicitur gratia ex certa lege dari, illius gratiæ meritum consistere.* p.154

X. *Quod S. Chrysostomus contrarium non doceat.* p.156

XI. *Rationes ostendunt ex doctrina Recentiorum inferri, non nisi ex merito dari certa lege gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.* p.157

XII. *Si facienti quod in se est solis naturæ viribus, ex certa lege detur gratia, sequitur gratiam ex merito dari, & hoc rationibus demonstratur.* p.159

XIII. *Dari primam gratiam propter bona opera naturæ viribus facta ex Recentiori doctrina infertur.* p.162

XIV. *Apertiùs monstratur prædictum authorem tenere dari gratiam propter bona opera naturæ viribus effecta.* p.165

XV. *Non excusatur prædicta sententia ex eo quod constituat etiam aliquando dari gratiam non facienti quod in se est.* p.167

XVI. *Non excusatur illa sententia dicendo gratiam illam dari sic facienti quod in se est ex Christi Domini merito.* p.169

XVII. *Idem ampliùs explicatur.* p.170

XVIII. *Quod non datur certâ lege gratia facienti homini quod in se est tanquam removenti prohibens.* p.172

XIX. *Minus juvant quæ in defensionem illius propositionis* facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certa lege dat gratiam *alij cumularunt.* p.174

XX. *Non excusant supradictam propositionem* facienti quod in se est, *& quæ tandem*

Digitized by Google

in ejus defensionem adduxerunt ejus defensores. p.177

XXI. *Non excusat quod illam propositionem sustineant ut hac viâ salvent hominem in sua potestate suam habere salutem.* p.181

XXII. *Non asserere S.P. August. in locis quæ inducuntur quod Deus gratiam det ex certa lege facienti quod in se est ex solis viribus suis.* p.184

XXIII. *Nullo modo docuisse Sanctum Thomam quod gratia ex certa lege detur facienti ex sola facultate naturæ quod in se est.* p.188

XXIV. *Amplius declaratur S. Thomam nullatenus asseruisse quod facienti quod in se est ex sola naturæ facultate Deus ex certa lege det gratiam.* p.190

XXV. *Non asseruisse Scholasticos Doctores inductos dari certa lege gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.* p.193

XXVI. *Alios Scholasticos Doctores id non asserere demonstratur.* p.196

XXVII. *Alios Authores pro oppositâ sententia adductos id minus asserere monstratur.* p.200

XXVIII. *Varia ex Leonardo Lessio opponuntur, & à nobis diluuntur.* pagina 201

TRACTATVS SEPTIMVS.

De gratia præveniente, excitante & adjuvante. p.210

CAP.I. *VID senserint Recentiores de hujusmodi gratiâ.* p.210

II. *Gratiam prævenientem non esse Deum pro ut anima intimè assistentem, sed aliquid creatum.* p.211

III. *Gratiam prævenientem non esse Deum prout anima assistentem sed aliquid creatum rationibus ostenditur.* pag.213

IV. *Gratiam primam prævenientem non esse actiones nostri intellectus & voluntatis secundum quod procedunt à Deo immediatè.* pag.217

V. *Gratiam actualem prævenientem non esse qualitatem in anima receptam.* pag.218

VI. *Solvuntur argumenta.* pag.221

VII. *Quid sit gratia præveniens.* pag.222

VIII. *Non dari prævenientem gratiam quoties homo solis naturæ viribus expendit quæ credenda proponuntur.* p.226

IX. *In prædicta Recentiorum sententia non dari auxilium gratiæ prævenientis ad simpliciter sed ad melius.* p.228

X. *Internam vocationem sive ad fidem sive ad pœnitentiam per gratiam prævenientem non pendere à libero hominis arbitrio.* p.231

XI. *Gratiam excitantem non solùm esse sanctam cogitationem vel motum indeliberatum voluntatis cui se Deus inserat.* p.234

XII. *Idem magis explicatur ostendendo quid sit excitare seu excitatio & satisfit argumentis.* p.236

XIII. *Gratiam prævenientem non solùm moraliter excitare ostenditur.* p.237

XIV. *Idem amplius ostenditur.* p.241

XV. *Quisnam sit proprius effectus gratiæ excitantis quatenus excitans est.* p.243

XVI. *Quâ ratione gratia excitans à sufficienti distinguatur vel sit eadem cum illa ostenditur.* p.245

XVII. *Non pertinere solùm ad gratiam prævenientem gratiam excitantem, sed verè adjuvantem etiam esse prævenientem.* p.246

XVIII. *Gratiam adjuvantem prævenientem esse amplius demonstratur.* p.249

XIX. *Adjuvantem gratiam esse prævenientem expressè Concilium Tridentinum tradit.* p.252

XX. *Gratiam adjuvantem ut distinctam ab excitante esse prævenientem ex actis Concilij Tridentini fit manifestum.* pag.254

XXI. *Ex necessitate dicendum est excitantem & adjuvantem gratiam esse prævenientem.* p.257

XXII. *Quomodo gratia excitans & adjuvans inter se adinvicem distinguantur.* p.260

Digitized by Google

TRACTATVS OCTAVVS.

De gratiâ operante & cooperante.

pag.263

CAP.I. GRATIAM adjuvantem dividi per operantem & cooperantem. pag. 263

II. *Quæ sit gratia operans & in quo ejus ratio consistat.* p.266

III. *Proprius effectus gratiæ operantis explicatur.* p. 267

IV. *Cujusdam Doctoris sententia circa effectum gratiæ operantis explicatur.* p.273

V. *Quorumdam Discipulorum Divi Thomæ sententia circa effectum gratiæ operantis explicatur.* p.274

VI. *Vera gratiæ cooperantis ratio consistit in hoc quod simul natura tantùm cum arbitrio concurrat.* p.276

VII. *Tota negatur ratio gratiæ cooperantis, si ponatur cooperari postquam arbitrium aliqua ratione priùs natura incepit suum consensum.* p.278

VIII. *Gratia cooperans confirmat voluntatem, & eam perducit ad actum quo finem volitum perficiat.* p.281

IX. *Cooperans gratia est subsequens respectu bonæ voluntatis jam bonæ effectæ per operantem gratiam, sed est præveniens respectu actus ad quem ordinatur.* pagina 284

X. *Gratia actualis operans & cooperans in quo consistant explicatur.* p.286

EX SECVNDA PARTE.

TRACTATVS PRIMVS.

De necessitate actualis auxilij divinæ gratiæ.

pag.1

CAP.I. HABENTES Fidei, Spei, aut Charitatis habitus indigent divino actuali auxilio ad efficiendum actus illis habitibus proportionatos pag.1

II. *Quod habentes Fidei, Spei, aut Charitatis habitum divino auxilio actuali indigeant, ad efficiendos actus illis habitibus proportionatos ampliùs demonstratur tum authoritate, tum rationibus præsertim ex D. Augustino.* p.3

III. *Hoc divinum auxilium quo indigent justi ad operandum bene ex habitibus infusis, est simul excitans, & adjuvans.* p.6

IV. *Justos indigere gratia actuali cooperante ad bene operandum ex habitibus ostenditur & contraria argumenta dissolvuntur.* p.8

TRACTATVS SECVNDVS.

De divisione auxiliorum divinæ gratiæ.

pag.12

CAP.I. AVXILIVM sufficiens dividunt Recentiores in efficax, & inefficax ab effectu. p.12

II. *Divisionem auxilij gratiæ in gratiam congruam & incongruam esse divisionem gratiæ in efficacem & inefficacem ab effectu secundum Recentiores.* p.13

III. *Asserunt Recentiores divisionem gratiæ in congruam, & incongruam quam vocant fieri à libero arbitrio sicut à causa per se* p.16

IV. *Secundum Recentiores divisionem gratiæ in congruam, & incongruam esse divisionem ipsius in efficacem, vel inefficacem factam ab arbitrio sicut à causa directa.* p.17

Digitized by Google

V. *Quod gratia sit efficax non pendet à libero arbitrio etiam in genere solius causæ materialis.* p.20
VI. *Non posse defendi quod dividatur auxilium sufficiens in efficax, & inefficax ab effectu seu cooperatione liberi arbitrij.* pag.23
VII. *Divisio auxilij sufficientis in efficax & inefficax ab effectu amplius confutatur ex patribus præsertim Divo Augustino & Sancto Prospero.* p.26
VIII. *Actuale gratiæ auxilium rectè dividi in efficax, & sufficiens.* p.29
IX. *Divisio actualis auxilij in efficax, & sufficiens amplius explicatur.* p.31
X. *Divisionem actualis auxilij in efficax, & sufficiens sumendam esse ex parte ipsorum auxiliorum prout à Deo veniunt independenter ab humana voluntate.* pagina 34

TRACTATVS TERTIVS.

De auxilio sufficienti. pag.36

CAP.I. VIBVS *modis accipi soleat auxilium sufficiens.* p.36
II. *Prædictum auxilium quod contra efficax distinguitur congruenter vocari solet sufficiens.* p.38
III. *Quomodo auxilio sufficienti revera competat quod verè sufficiens sit antè humanæ voluntatis consensum.* p.40
IV. *Quomodo sit intelligendum quod homo benè operaretur auxilio sufficienti si vellet.* pag.42
V. *Solvuntur argumenta in contrarium objecta.* pag.45
VI. *Non ex defectu auxilij, sed ex defectu hominis provenit quod habens auxilium sufficiens non habeat efficax.* p.50
VII. *Auxilium sufficiens respectu alicujus actus semper est efficax.* p.56
VIII. *Qui dicant auxilium sufficiens omnibus in universum dari cum fundamentis illorum.* p.58
IX *Auxilia naturalis ordinis Deum authorem naturæ cognoscere, omnibus dantur, dataque semper fuerunt.* p.61
X. *Auxilium gratiæ sufficiens non omnibus datur imò si omnibus negaretur nulla esset injustitia.* p.63
XI. *Quibus detur auxilium gratiæ quo possint ea facere quæ pertinent ad salutem.* p.65
XII. *Infidelibus omnibus non dari supernaturale sufficiens gratiæ adjutorium.* p.68
XIII. *Non infidelibus dari supernaturale sufficiens gratiæ adjutorium ex S.Prospero & rationibus manifestatur.* p.72
XIV. *Infidelibus omnibus non tribui supernaturale sufficiens gratiæ adjutorium ex D. Thoma demonstratur.* p.74
XV. *Rationibus ostenditur non dari infidelibus omnibus aliquod auxilium supernaturale gratiæ.* p.76
XVI. *Excæcatis & obduratis omnibus non est necesse dicere quod detur auxilium supernaturale intrinsecum quo possint converti.* pag.81
XVII. *Solvuntur argumenta ex divinis litteris à principio opposita.* p.84
XVIII. *Alia diluuntur argumenta ex Sacris Conciliis objecta.* p.88
XIX. *Solvuntur argumenta desumpta tum ex* cap. firmiter de summ. Trinitate & fide Catholica *tum ex Sanctis Patribus* pag.89
XX. *Solvuntur argumenta à rationibus petita.* pag.91

TRACTATVS QVARTVS.

De auxilio divinæ gratiæ efficaci. pag.100

CAP.I. NON *admittere authores cum quibus agimus, nisi sola voce aliquod divinæ gratiæ auxilium efficax.* pagina 100
II *Prædictos authores aliquod gratiæ efficax auxilium nisi voce tenus non admittere amplius demonstratur.* p.103
III. *Non admittere prædictos authores aliquod auxilium gratiæ efficax ipsimet ostendunt cum dicunt Deum nostram expectare voluntatem.* p 306
IV. *Deum non expectare nostram voluntatem posita gratia excitante amplius ostenditur.* pag.108
V. *Nullum admittere prafatos authores efficax auxilium ostendit alia ipsorum assertio, quod nempè ut aliquis habeat rationem dati*

Digitized by Google

dati Christo à Patre ab humana voluntate dependeat. p.109

VI. *Se non admittere auxilium gratiæ efficax hi ipsi authores ostendunt, dum dicunt eum æquali auxilio gratiæ prævenientis unum de facto converti, alterum non converti.* p.110

VII. *Ad argumenta contraria respondetur.* pagina 113

VIII. *Eandem gratiæ efficaciam recentiores negant, dum asserunt, quod in duobus posito æquali auxilio gratiæ potest alter intentiùs operari.* p.115

IX. *Non posse arbitrium intentiùs operari quam sit mensura auxilij efficacis gratiæ prævenientis amplius demonstratur.* p.117

X. *Tandem ostenditur hos authores gratiæ efficaciam tollere asserendo Deum operari quia voluntas humana operatur simulque confutantur cujusdam recentioris Thomistæ specialia de hac re dicta.* p.120

XI. *Vera efficacia auxilij prævenientis gratiæ proponitur, & declaratur, tum quoad quid nominis tum quoad quid rei.* p.122

XII. *Eadem vera efficacia auxilij prævenientis gratiæ amplius declaratur.* p.127

XIII. *Adhuc magis declaratur propria ratio auxilij efficacis gratiæ secundùm quod ex Deo efficax venit.* p.130

XIV. *Statuitur Conclusio explicans efficaciam auxilij gratiæ secundum quod ex Deo provenit, & multis sacræ sciptura testimoniis probatur.* p.133

XV. *Conclusio probatur specialiter explicando illud Apostoli testimonium* Deus est qui operatur in nobis velle &c. p.137

XVI. *Eadem vera gratiæ efficacia ex Deo proveniens qua liberum movet arbitrium ex aliis scriptura sacra testimoniis comprobatur.* p.140

XVII. *Exponitur locus Apostoli ad* Romanos cap.9. non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis *& ipso efficacia gratiæ divinæ prævenientis demonstratur.* pag.142

XVIII. *Exponitur illud Ioan. testimonium capite* 6. nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum *& eo gratiæ divinæ efficacia demonstratur.* p.144

XIX. *Ex summis Pontificibus eadem prævenientis gratiæ efficacia comprobatur.* p.147

XX. *Ex Sacris Conciliis eadem prævenientis gratiæ divinæ efficacia probatur.* p.151

XXI. *Ex Sacro Concilio Tridentino specialiter efficacia prævenientis gratiæ manifestatur & comprobatur.* p.154

XXII. *Amplius ejusdem Concilij Tridentini mens de efficacia gratiæ prævenientis explicando quinque propositiones ex eo deductas & per adversarios in contrarium adductas.* p.156

XXIII. *Vera intelligentia ejusdem S. Concilij Tridentini* cap.5.sess.6.*traditur & declaratur respondendo objectionibus ex eo contra efficaciam gratiæ deductis.* p.158

XXIV. *Eadem vera intelligentia S. Concilij Tridentini in* Regulis fidei *proponitur & falsa refutatur respondendo objectionibus ex eis per adversarios malè deductis.* p.160

XXV. *Prævenientis gratiæ divinæ efficacia ex Sancto Patre Augusti. ostenditur.* p.175

XXVI. *Quadam ex S.P. Augusti. opponuntur & explicantur.* p.178

XXVII. *Alia ex Sancto Patre Augustino opposita testimonia adducuntur & in legitimo sensu explicantur.* p.180

XXVIII. *Nonnulla alia objectiones ex eodem S.P. Augusti. proponuntur ac dissoluntur.* pag.184

XXIX. *Objectiones ex Sanctis Patribus adducuntur ac diluuntur.* p.189

XXX. *Prædeterminantis gratiæ vera efficacia ex S. Thoma manifestè ostenditur.* p.193

XXXI. *Solvuntur quæ ex S. Thoma opponunt recentiores contra efficacem divinam prædeterminationem.* p.197

XXXII. *Alia objecta ex S. Thoma testimonia contra efficacem Dei prædeterminationem diluuntur.* p.199

XXXIII. *Ex Scholasticis authoribus efficacia divinæ prædeterminantis gratiæ ostenditur.* p.203

XXXIV. *Diluuntur objectiones petita ex authoritate Scholasticorum Doctorum & ostenditur eos nihil contra efficacem Dei prædeterminationem dixisse.* p.206

XXXV. *Aliæ solvuntur objectiones, ex Scholasticis Doctoribus oppositæ.* p.209

XXXVI. *Rationibus efficacis gratiæ efficiens prædeterminatio monstratur.* p.211

XXXVII. *Rationes ex scriptura, & patribus pro absoluta efficacia gratiæ divinæ.* p.212

XXXVIII. *Argumenta contraria solvuntur.* p.217

XXXIX. *Idem argumentum ratione dissolvitur.* p.219

Digitized by Google

Index Tractatuum & Capitum.

TRACTATVS VLTIMVS.

De magno perseverantiæ dono. pag.223

CAP. I. PRIMVS homo ad simpliciter perseverandum in bono indiguit supernaturali Dei auxilio superaddito virtutibus infusis. p.223

II. Idem ampliùs explicatur ostendendo auxilium gratiæ ad perseverandum non esse habitum gratiæ, & alios habitus infusos, sed esse speciale auxilium illis superadditum. p.225

III. In statu naturæ lapsæ multo magis indiget homo ut de facto perseveret auxilio efficaci Dei quod ipsum faciat perseverare. p.227

IV. Explicatur ampliùs horum authorum sententia. p.229

V. Opinio Molinæ & aliorũ tertium à præcitatis auxilium confingentiũ affertur. p.232

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

DE GRATIA PRÆVENIENTE, QVA DEVS OPERATVR IN NOBIS Velle, & perficere pro bona voluntate.

QVIA finis, etsi sit primus in intentione, iuxtà quem modum habet rationem causæ, posterior tamen est in executione, qua ratione inter effectus computatur & in his operibus, quæ pro gratia, veraque libertate arbitrij elaborare instituimus, non alius fuit finis, quam prævenientis gratiæ potentem, suavemque virtutem, qua Deus sibi liberum subdit arbitrium in ipso verè agendo, verèque efficiendo vt ipsum liberè faciat, exponere, defendere, ac prædicare: Deoque adjuvante pro modulo nostro tres priores Libros complevimus, quibus principia, potissimè in duobus prioribus, statuimus, quæ ad ostensionem efficaciæ prævenientis gratiæ conducere videbantur; iam eadem efficacia, vt speramus, præventi ad desideratum, fœlicemque nostræ nauigationis portum applicuimus, finemque ipsum, à quo in his sustinendis laboribus permòti sumus, manibus ipsis tenemus atque efficaciam prævenientis gratiæ in hoc quarto, & vltimo, sicut omnium præcedentium fructum, & effectum colligere properamus. Donet Dominus, vt quàm desideratè, tàm securè, & fructuosè consequamur, & ità nos gratia sua dirigat, atque promoveat, vt eam, & veritate, & claritate omnibus proponere valeamus.

PARS PRIMA.

DE GRATIA QVOAD EIVS ESSENTIAM, DIVISIONES ET EFFECTVS.

TRACTATVS PRIMVS.

DE SVPERNATVRALITATE ACTVVM Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum infusarum.

PRIMA omnium primò venit discutienda quæstio, an actus virtutum infusarum Fidei, Spei, Charitatis, ac pœnitentiæ, atque cæterarum omnium quæ infusæ sunt, sint quoad substantiam supernaturales, & non solùm quantum ad modum, vel solùm quoad modum supernaturales sint, quoad substantiam autem naturales. Cuius clara resolutio, atque notitia valdè necessaria est pro materiis

Digitized by Google

quas tractamus, multúmque interest sic, vel sic loqui: quia ex falsa intelligentia quæstionis hujus plurima, illaque gravissima cognoscuntur oriri inconvenientia. Qui enim sibi persuadent esse naturales quoad substantiam, & tantùm supernaturales quoad modum, hinc consequenter affirmant totam substantiam actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ cum tota sua specifica ratione, certitudine, firmitate, & cæteris quæ specificam rationem illorum actuum constituunt: posse sola facultate naturæ haberi. Qui autem asserunt esse actus illos supernaturales quoad substantiam, id omninò negant, & negandum esse insistunt. In qua recta vel non recta illatione seu conclusione apparere incipit gravitas quæstionis hujus, & necessaria illius pro veritate determinatio.

CAPVT I.

Proponuntur Recentiorum argumenta, quibus ostendere nituntur actus virtutum infusarum non esse quoad substantiam supernaturales.

1 QVi contendunt prædictos actus esse tantùm quoad modum supernaturales, non quoad substantiam actus, his ducuntur fundamentis. Primò quia ita sentire videtur S. Thomas in multis suæ doctrinæ locis notissimus est ille in 2. 2. *q.* 171. *art.* 2. *ad* 3. ubi sic habet. *Ad tertium dicendum quod omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquod quod est supra naturam humanam. Quod quidem potest esse dupliciter: uno modo quantùm ad substantiam actus, sicut miracula facere, & cognoscere occulta & incerta divinæ sapientiæ, & ad hos actus non datur homini donum gratiæ habitualis. Alio modo est aliquid supra naturam humanam quantùm ad modum actus, non autem quantùm ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum, & cognoscere eam in speculo Creaturarum, & ad hoc datur donum gratiæ habituale.* Idem docet *quæst* 24. *de veritate art.* 14. *in corpore* dicens. *Est autem duplex bonum: quoddam quod est humanæ naturæ proportionatum: quoddam verò quod excedit humanæ naturæ facultatem, & hæc duo bona (si de actibus loquamur) non differunt secundum substantiam actus, sed secundum modum agendi.* Quod confirmans *solut. ad* 1. *&* 2. *illius art.* ait, quod nullum præceptum est homini impossibile ad servandum, quia in substantiam actus potest ex facultate liberi arbitrij, & in modum potest ex dono gratiæ.

2 Præterea in 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 6. ita respondet, & argumentum oppositum solvit. *Contritio est à solo Deo quantùm ad formam qua informatur; sed quantùm ad substantiam actus est à libero arbitrio & à Deo, qui operatur in omnibus operibus naturæ & voluntatis.* In duobus prioribus testimoniis quasi in terminis (ut verba sonant) asserere videtur actus virtutum infusarum esse supernaturales solùm quoad modum, non quoad substantiam actus, & in hoc postremo specialiter id de contritione, qui actus est pœnitentiæ infusæ, tradit, dum non aliter arbitratur Deum concurrere cum voluntate humana ad eliciendam contritionem quoad substantiam actus quam concurrat cum agentibus naturalibus ad opera naturalia, ad quæ certum est in S. Thomæ sententia solùm Deum concurrere concursu generali ordinis naturalis. Sentit ergo substantiam contritionis naturalem esse, postquam à sola facultate naturæ cum generali Dei concursu potest haberi. Nec hîc multiplicamus alia S. Thomæ testimonia, quæ pari modo de contritione videntur procedere; quia infrà, cum in speciali de contritione agendum erit utrum solis naturæ viribus elici possit, commodiùs opponentur, & in vera intelligentia explicabuntur.

3 Secundò id suadere conantur ex antiquioribus S. Thomæ discipulis quibus dicunt hanc sententiam fuisse communem, sed magis in particulari illam tribuunt Cajetano 1. 2. *quæst.* 109. *in comm. art.* 3. cujus ibi verba sunt. *Secundum hoc ergo dicendum quod responsio data ad tertium in litera extenditur ad omnia præcepta virtutum Theologalium ita quod etiam credere, sperare, diligere Deum, confiteri ipsum Iesum Christum potest homo per sua naturalia quantùm ad substantiam operum adimplere & non in quantum implentur ex spe, fide & charitate, & quod hoc sit verum ex eo convincere possumus quod Gentilis edoctus fidem nolens esse Christianus, potest credere totam fidem esse veram, ut Ecclesia tenet. Constat enim quod talis nulla supernaturalis gratia adjutus crederet.* Quibus planè positam sententiam expressè tenere videtur. Idem dicit 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 2. *ad* 3. Ad horum evidentiam inquit, potest homo naturæ viribus Deum diligere quoad substantiam actus, sed non meritoriè.

4 Tertiò inducunt pro hac sententia omnes illos Authores, tum ex S. Thomæ discipulis, tum ex scholasticis aliis qui supra inducti sunt pro dilectione Dei naturali, quæ prætendebatur sub illorum authoritate & tutela tutè soli homini posse ascribi, qui omnes generali doctrina videntur asserere, non solùm dilectionem Dei super omnia, sed quemlibet alium actum virtutis infusæ quoad substantiam actus non excedere naturæ facultatem, sed naturalem esse, & à sola naturali facultate elici posse, qui propterea hic iterum repetendi non sunt.

5 Quartò hoc in doctrina Conciliorum fundare laborans potissimè Arausicano 2. & Tridentino, quæ non simpliciter diffiniunt esse necessariam gratiam ad credendum, sperandum, diligendum, & pœnitendum, sed illa verba addunt (*sicut oportet*) quasi ad substantiam credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi non statuant gratiam necessariam; sed tantum quoad modum, quem explicant illa verba (*sicut oportet.*) Alias si hoc Concilia non intenderent, sed sentirent ad substantiam illorum operum necessariam esse gratiam, simpliciter diffinissent gratiam esse necessariam ad credendum, sperandum, diligendum, & pœnitendum: nec illa alia verba nunc relata opponerentur.

6 Quintò & ultimò id sibi suadent ad leniendam difficultatem quæ est in concordia libertatis cum gratia: si namque potest homo solis naturæ viribus substantiam illorum operum, utpote quæ in substantia naturalia sunt, exercere, libertas arbitrij satis patet, & gratiæ necessitas congruè statuitur, si ponatur necessaria quoad modum illorum operum, quomodo supernaturales ex tali gratia reddantur, & fieri prout expedit ad salutem. Similiter id asserunt ut ostendere clariùs possint nos minimè certos reddi, quod in gratia simus experiendo in nobis similes actus, quia putare possumus eos solùm quoad substantiam operum quam experimur in nobis esse, non autem quantùm ad modum quem minimè experiri valemus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Statuitur actus hujusmodi virtutum infusarum etiam quoad substantiam esse supernaturales.

7 CIrca quæstionis hujus titulum, illud sicut manifestum præsupponatur scholasticos Doctores quando hanc quæstionem tractant, illum appellare actum supernaturalem quoad substantiam, qui secundùm suam essentiam, & primam ac specificam rationem talis est, ut ipsamet entitas substantia & essentia actus non possit esse homini connaturalis, nec ab eo fieri per arbitrij facultatem cum solo Dei concursu generali naturæ debito qualis est in omnium sententia clara Dei visio. Actum verò supernaturalem quoad modum tantùm illum vocant cujus entitas & specifica ratio naturalis est, fierique proindè potest ab arbitrij saltem non læsi facultate cum solo Dei generali concursu; afficitur autem modo aliquo naturam superantem, cum quo proindè modò à sola arbitrij naturali facultate & concursu generali effici nequit. v. g. Cæci illuminatio supernaturalis dicitur non in entitate; nam visus qui restituitur naturalis est, sed in modo, quia per nullam naturalem causam visus semel amissus restitui potest. Itaque substantia in hac materia & causa sumitur pro formalissima ac specifica ratione actus non pro aliquo materiali ipsius. Communiter enim apud Aristotelem, & Philosophos substantia accipitur pro rei essentia & ratione specifica, quod modò supponimus.

8 Quo præhabito fundamento ad quæstionem respondendum est, certissimèque tenendum actus omnes virtutum infusarum, nempè fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ, & aliarum (quamvis potissimè de fide, spe, charitate, & pœnitentia serio procedat & principaliter & propter eas præsentem quæstionem inseramus, quia illarum actus magis ad nostrum pertinent institutum) supernaturales esse quoad substantiam actus, id est quoad formalem essentiam, & specificam rationem suam, ita quod nulla ratione à sola arbitrij facultate cum solo Dei generali concursu effici possunt actus tales in sua formali essentia & specifica ratione. Procedit conclusio universaliter de facultate naturæ, sive corruptæ, sive in suis naturalibus integræ. Itaut sensus sit, actus virtutum infusarum, nimirum fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ ita in substantia sua ac formali & specifica ratione supernaturales esse, ut omnem superent naturæ facultatem, etiam in sua integritate naturali existentis, nec ab illa haberi possint. Vnde assentiri certò omnibus revelatis quatenus revelata sunt, ea firmiter sperare, Deum objectum beatificum sùper omnia diligere, propter ipsum summè dilectum conteri cum proposito emendæ & spe veniæ, nec à facultate arbitrij, etiam in suis naturalibus integri, qualibet etiam proposita suasione, ostensione, & manifestatione, à quocumque etiam à Deo tantùm ostendente, & qualibet per intellectum propositæ objecti representatione, haberi non possunt; quia in sua specifica ratione superant omnem talem facultatem naturæ.

9 Et quidem de actu fidei, & spei id ostendere difficilè non erit; at de actu dilectionis Dei super omnia dubitabit fortè aliquis. Cum enim dictum sit supra potissimè hominem in puris naturalibus integris Deum super omnia diligere posse, apparet illum actum non excedere naturæ integræ facultatem, & ex consequenti homini esse connaturalem, nec esse supernaturalem quantùm ad substantiam. Ad hoc dicendum, diligere Deum super omnia cognitum in speculo creaturarum, seu per rationis lumen, ut nimirum author naturæ est non excedere naturæ integræ facultatem (ut ex S. Thoma dictum est supra) sed ab illa elici posse, quia ille actus in substantia & ratione specifica sua non supernaturalis sed naturalis est. Verum hic actus non est primarius actus virtutis infusæ charitatis; actus enim primus hujus infusæ virtutis est Deum super omnia diligere ut objectum est beatificum, qui naturam integram excedit, nec ab illa effici potest, sed verè supernaturalis est in substantia sua. Dixi, hunc esse primarium virtutis charitatis actum, quia ipsamet infusa charitas in hoc statu naturæ corruptæ etiam secundariò habet Deum Authorem naturæ super omnia diligere, quia præhabet eminenter id quod in naturæ integra poterat haberi per naturam, vel per habitum charitatis acquisitæ respectu Dei Authoris naturæ, ut superiùs manet expositum.

Hinc deducitur graviùs errasse Authorem con- 10
cordiæ dicendo, posse in hoc statu solam naturæ facultatem sine auxilio gratiæ cum solo generali Dei concursu Deum cognitum seu propositum per fidem super omnia diligere, quam asserendo ipsum ut naturæ Authorem propositum per rationis lumen sic posse super omnia diligere. Et ratio est: quia istum secundum actum dilectionis naturalis Dei Authoris naturæ solùm prohibet haberi pro isto statu naturæ corruptio, debilitas, & infirmitas; quia natura in suis naturalibus integra eum posset habere; cum ille in substantia sit naturalis, & naturæ in sua integritate connaturalis. Cæterum ille primus duplici ex capite naturæ pro isto statu sine gratia existenti repugnat. Primò ratione prædicta, nimirum ob corruptionem & naturæ debilitatem. Secundò, quia in sua substantia & specifica ratione tendit in Deum secundum quod objectum beatificum est; ut sic enim per fidem cognoscitur atque proponitur Deus. Vnde in sua specie & essentia est supernaturalis excedens omnem facultatem naturæ, etiam in suis naturalibus integræ.

Similiter de actu pœnitentiæ certum debet esse, 11
quod si homo conditus in puris naturalibus mortaliter peccasset, non posset conteri sine gratiæ infusione, & sine contritione elicita ab habitu pœnitentiæ infusæ, quæ simul cum infusione gratiæ haberetur. Vnde talis contritio esset etiam supernaturalis quoad substantiam excedentem omnem naturæ facultatem, quod etiam modo supponimus.

Consultò etiam & quæstionis titulum, & con- 12
clusionem statuimus de actibus moralium virtutum infusarum, & potissimè fidei, spei, charitatis & pœnitentiæ, non autem illam posuimus sub illa majori generalitate, quod omnis actus ad quem auxilium gratiæ sit simpliciter necessarium, sit quoad substantiam supernaturalis, sicut ab aliquibus ventilatur & diffinitur, ad excludendum illos actus difficiles & egregios virtutum moralium acquisitarum, quos homo sine auxilio gratiæ in statu naturæ lapsæ nequit efficere, qui tamen supernaturales quoad substantiam non sunt cum à natura integra in naturalibus suis sine gratia effici potuissent.

Sic ergo explicata conclusio non aliundè venit 13
probanda adversus authorem illius concordiæ & eos, qui eum in hac parte defendere procurarunt, quam ex verbis & doctrina alterius illius familiæ, qui ab ipsis pro magno æstimatur. Is enim *lib.* 3.

Digitized by Google

Suorum opusculorum cap. 2. hanc tractans quæstionem, postquam ex oppositò oppositorum fuerat antiquos Theologos plures sensisse, illos actus esse solùm supernaturales quoad modum non quoad substantiam; quæstionem resolvens ita habet. (Referam enim omnia ejus verba ut appareat quid ipse de hac sententia sentiat, ut vel sic qui illum sequuntur à sententia quam graviter ipse refutat recedant, nec tanta contentione eam defendant.)

14 *Recentiores verò Theologi* (ait) *præsertim hi, qui Conciliorum diffinitionibus & Patrum testimoniis, eorumque rationibus expendendis attentiùs insudarunt, hos actus, ad quos gratia Dei simpliciter necessaria est, supernaturales in substantia & entitate eorum esse docuerunt. Quorum sententia communiter jam recepta est, quia est magis consentanea doctrinæ Conciliorum & Patrum. Nam contraria opinio multum tribuit libertati & naturæ viribus; vixque explicare potest cur ad hos actus sit gratia simpliciter necessaria, vel quis sit ille modus, qui in hujusmodi actibus postulatur, propter quem gratia est necessaria simpliciter. Item est magis consentanea hæc doctrina scripturæ docenti hominem à Deo esse creatum ad finem omninò supernaturalem, quem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, & ad eum assequendum, & cum debita proportione obtinendum magna & pretiosa nobis dona dedisse, adeò ut per ea divinæ efficiamur consortes naturæ, quæ omnia significant talia dona esse in sua entitate & substantia supernaturalia: Et ejusdem ordinis sine dubio sunt virtutes illæ quæ dicuntur per se infusæ præsertim tres illæ, de quibus Paulus dicit, nunc autem manent tria hæc fides, spes, charitas, quas nobis à Spiritu sancto infundi docuit Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. Cum ergo & media sint fini proportionata, & operationes divinæ, quæ in nobis & à nobis fiunt, debeant esse proportionatæ divinæ naturæ in nobis participatæ, cumque actus ejusdem naturæ sint cum virtutibus à quibus manant, fit etiam hos actus divini ordinis esse, atque in sua entitate & substantia supernaturales.*

15 Prosequitur & dicit. *Hanc ergo sententiam in tota hac disputatione supponemus, tum quod eam esse veriorem censeamus, tum etiam ne videamur gratiam Dei aliqua ex parte in ordine naturæ redigere ut Physicam prædeterminationem ad hos actus necessariam non esse defendamus; hæc enim veritas nullo modo ex illa falsitate pendet. Nec verum est libertatem arbitrij facilius aut melius cum divina gratia concordari, si actus ij solùm quoad modum supernaturales sunt, quia vel ille modus nihil est in actu, quod à nobis liberè fiat, & hoc non est concordare gratiam cum libertate, sed omninò gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere. Vel ille modus aliquid est supernaturale, ad quod liberè faciendum gratia nobis est necessaria, & sic eadem oritur difficultas quomodo in eo faciendo libertas, & gratia consentiant. Nec enim Concilia, cum addunt illam particulam, sicut oportet accidentalem modum horum actuum indicant, sed essentialem rationem, & proprietatem convenientem ipsis ex vi supernaturalis objecti & principij, ut est in fide Christiana v. g. inviti formaliter in prima veritate, eique maxima certitudine adhærere, & sic de cæteris actibus. Addunt igitur illam particulam Concilia ut hos actus separent ab aliis actibus imperfectis quos solet homo circa eadem materialia objecta exercere, ut cum assensu humano & imperfecto credimus aliquam fidei veritatem non ex divino sed ex humano testimonio. Qui actus imperfectus propter similitudinem, quam habet cum supernaturali fide, (& idem est de spe & amore) solet interdum fides quo ad substantiam appellari, & hoc sensu aperitur aliquando scriptum ab Authoribus Catholicis, posse hominem naturalibus viribus elicere actum fidei quoad substantiam, qui vel loquantur juxta sensum prioris sententiæ, & sic licet falsam sequantur opinionem, non tamen errant in doctrina fidei; vel certè in prædicta significatione utuntur illa voce, quoad substantiam scilicet, ut significat communem rationem & convenientiam actus, non ut dicit propriam & essentialem rationem specificam. Imò hoc loco censeo explicandum supradictum locum D. Thomæ, quia in aliis locis in quibus ex professo tradit doctrinam de his actibus, & virtutibus infusis apertè sentit hæc omnia esse dona per se & essentialiter supernaturalia ut* 1. 2. *quæst.* 63. *art.* 3. & 4. & 2. 2. *quæst.* 6. & 24.

In quibus omnibus, exceptis duobus, satis rectè 16
loquitur, & efficaciter quam statuimus conclusionem probat, nimirum illos actus supernaturales esse quoad substantiam & formalem ac specificam rationem suam, totamque excedere facultatem naturæ, à qua proindè sine gratia effici nequeunt (ut statim ex ipsius verbis expendemus) sed priùs illa duo quæ non placent discutiamus. Primum est, quod solum falsam reputat sententiam oppositam, nec aliquid contra fidem continere. Si enim sentiat nihil continere, quod expressè sit contra fidem nec diffitebimur. Si autem intelligat nihil in illa sententia contineri, ex quo non deducatur aliquid contra fidei veritatem, in hac qualificatione ab eo dissentimus. Mitius enim ipse, ne damnaret suos quos videbat mordicus illi sententiæ adhærere, illam in censura notavit. Cum re vera sic intellecta ut ab illis traditur non parvam mereatur, quia ut etiam hic Author expressit, illa multum tribuit libertati & naturæ viribus minùs conformiter ad diffinitiones Conciliorum. Attendat autem & ipse ad hæc sua priora verba, & consideret si illa ostendunt talem sententiam aliquid re ipsa saltem virtualiter includere quod secundariò minus fidei cohæreat. In materia enim ista multum tribuere arbitrij viribus non conformiter ad Conciliorum diffinitiones non potest esse in fide tutum. Illud enim multum, seu excessus ille malè viribus arbitrij ascriptus non conformiter ad diffinitiones Conciliorum perniciosam continet falsitatem aliquo modo contra Dei gratiam militantem, & ad Pelagianos accedentem: quantò enim plus justo viribus arbitrij hominis lapsi tribuitur, tantò injustè divinæ gratiæ derogatur.

Præterea alia verba quæ apposuit id clariùs 17
ostendunt, cum dixit & quidem rectè *quod illa sententia vix explicare potest, cur ad hos actus sit gratia simpliciter necessaria, vel quis sit ille modus qui in his actibus postulatur.* Sententia autem quæ vix salvare potest gratiam esse simpliciter necessariam quasi reipsa gratiam negat. Vndè saltem virtualiter aliquo modo contra Catholicam veritatem defenditur. Deindè rectè etiam dixit, quod si ille modus non ponatur effici liberè à nobis, hoc est omninò gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere; sed illa sententia (ut infrà convincemus cum in particulari de illo modo disputabimus secundum suos Authores, & eorum expressa verba) asserit illum modum non effici liberè à nobis, sed à Deo immediatè in actum nostrum illa supernaturalitate, seu modo illo influente: ergo illa omninò gratiam evertit, & doctrinam Conciliorum eludit. Attendat ergo si contra fidem procedit.

Secundum, quod etiam meritò displicet, illud 18
est quod interponit non esse necessarium asserere prædictos actus supernaturales esse quoad substantiam ad non defendendam prædeterminationem: quia, ut ait, illa veritas ex hac falsitate non pendet. In quo & falsissimè sententiam de prædeterminatione falsam appellat cum illa sit certissima veritas ut ex dictis 3. *nostro lib.* satis liquet, & ex inducendis

Digitized by Google

inducendis infrà in hoc quarto pleniùs efficaciusque comprobabitur, & consequenter non loquitur. Hæc enim quam sustinet veritatem de supernaturalitate illorum actuum quoad substantiam essentialiter ex illa alia veritate de constituenda prædeterminatione seu vera præveniente efficacia ex Deo independenter ab humana libertate dependet, ita ut cum illa excitatione morali objectiva & metaphorica stare non possit.

19 Quod sic aperitur atque monstratur: illi actus sunt supernaturales quoad substantiam & specificam rationem suam: ergo in sua substantia & specifica ratione facultatem naturæ excedunt, nec à sola arbitrij facultate elici possunt. Consequentia hæc hujus Authoris est expressa sententia, ut relatum est: ergo etiam si facultas arbitrij moraliter excitetur, suadeatur, invitetur, & objectivè ex parte finis metaphoricè moveatur, non poterit facultate naturæ suæ illos actus quoad substantiam & speciem elicere. Probatur: quia objectiva illa propositio, seu moralis & metaphorica excitatio, cum se teneat ex parte suadentis, invitantis & proponentis objectum tantùm, nullas majores vires dat voluntati quam antea ipsa voluntas haberet, ut ipsum enim nomen sonat, illam invitat ut sua naturali facultate ipsa concurrat; sicut qui alterum invitat, vel ei objectum representat, vires illius voluntati non dat ad id agendum: undè si aliàs illas non haberet, nec per talem suasionem, invitationem, seu objectivam tantùm motionem vires ei tribueret, quod est satis notum: ergo sicut voluntas humana ante illam moralem invitationem, & objectivam propositionem non potest substantiam & speciem illorum actuum efficere (ut ille author concedit) ita post excitationem illam tantum moraliter invitantem & objectum proponentem, substantiam & speciem illorum actuum non poterit efficere: frustrà ergo sic excitaretur & moraliter tantum invitaretur objectivè ad eliciendum actum, quem nisi verè & propriè adjuvetur per veram virtutem, quæ ipsi supernaturaliter tribuatur, efficere nequit. Vt ergo frustranea non sit illa moralis excitatio, & semper sine effectu: necesse est præter illam fateri veram adjuvantem prævenientem gratiam dantem vires voluntati, illam verè adjuvantem per veram supernaturalem virtutem, ut semper Sancti Patres & Concilia, potissimè Tridentinum, docuerunt. Hæc autem vera præveniens adjuvans gratia supra moraliter excitantem est illa prædeterminans gratia præveniens ut *lib.* 3. hos Authores aliquando confessos fuisse ostendimus, & in *lib. hoc* 4. copiosiùs probaturi sumus. Igitur nihil est aliud, illos actus, de quibus agimus, esse supernaturales in substantia & specie sua, quam non posse à sola arbitrij facultate elici, nisi ipsum arbitrium veras vires supernaturales, veramque virtutem præter moralem excitationem ex vero adjutorij genere recipiat, quibus verè & efficaciter adjuvetur, seu prædeterminetur ad substantiam supernaturalem illorum actuum efficiendam.

20 Quod advertens ille primus Author concordiæ, consideransque doctrinæ consequutionem consequenter locutus est, & sicut verum adjutorium prævenientis gratiæ veras dans voluntati vires negavit, & solam illam objectivam representationem admisit; ita ad hunc finem media proportionata ipse ordinavit, & facultatem arbitrij posse elicere substantiam & speciem illorum actuum præmisit in prioribus disputationibus, ut his præmissis fundamentis postea consequenter illam tantum objectivam & moralem defenderet excitationem. Inter omnes enim hujus sententiæ defensores (quod non semel vel diximus vel dicemus) nullus ita consequenter ac ille Author concordiæ loquutus est. Qui cum à principio hanc proposuisset doctrinam, ita omnia fundamenta, & principia jecit, & ita omnia media ad illum prædictum finem proportionata ordinavit, ut quicumque postea aliquid de principiis seu mediis ab eo propositis immutaverit: eo ipso non consequenter procedere convincatur.

Plurima alia inducere poteramus ad ostenden- 21
dum hunc Authorem, qui nobiscum substantiam illorum actuum dicit esse supernaturalem, minùs postea consequenter loqui negando verum prædeterminans auxilium gratiæ, & solum illud moraliter invitans admittendo, sed ratio facta, quia ad id sufficiens est, sufficiat: quia infrà hoc opere passim de istis sermo redibit, ubi alia erunt inducenda quæ clariorem reddent doctrinam, & nunc ad principalem quæstionem, quam modo tractamus, & quam rectè ille Author probavit, ut diximus, revertamur.

CAPVT III.

Eadem veritas, nimirum actus fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum infusarum etiam quoad substantiam esse supernaturales probatur, tum ex D. Thoma, tum rationibus aliundè petitis.

EX rationibus, quas prædictus Author effecit, 22
& quasi tangendo proposuit pro hac veritate suadenda, quod actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ sint supernaturales quoad substantiam & speciem eorum, unam vel aliam placet acuratiùs & explicatiùs proponere, atque fundare; talis autem illa fuit, quod si actus hi solum quoad modum supernaturales sunt, ita quod ille modus nihil sit in actu, quod à nobis liberè fiat, hoc non est concordare gratiam cum libertate, sed omninò gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere. Quæ ratio sine dubio magni ponderis est, & efficaciter doctrinam suorum evertit, rectissiméque qualificat quod gratiam Dei evertat, & doctrinam Conciliorum eludat: cum illorum doctrina non conditionaliter, sed absolutè constituat illum supernaturalem modum nihil esse, quod liberè à nobis fiat, sed à solo Deo immediatè procedat. Sic enim illorum sententia expressis verbis proponere, repetere, & confirmare, solus ille ignorare poterit, qui ad eorum libros non attenderit. In primis ipsi duas causas partiales constituunt, Deum sua gratia & arbitrium sua facultate ad actum concurrentes, sicut sunt duo simul portantes lapidem, quem unus solus portare non potest. Quis autem non videat, quando omnia alia deessent, ex hoc solum ipsorum fundamento convinci Deum per gratiam immediatè illum modum supernaturalem actui tribuere, ita quod ille modus supernaturalis à libero arbitrio liberè non fit; sicut nec vis, quæ procedit ab uno trahentium lapidem, liberè ab alio fit.

Cui si addamus, quæ ab illis expressè affirman- 23
tur, multoties illationibus non indigebimus, cum verba ipsa id apertè testentur. Dicunt enim expressè idque frequenter: actum qui fit ab illa, quam gratiam nominant, quod liber sit, procedere à libero arbitrio, & non à gratia; quod autem supernaturalis sit, procedere à gratia & non à libero arbitrio. Quid clariùs dicere potuerunt ut profiterentur expressè illum modum supernatu-

Digitized by Google

talem liberè ab arbitrio non fieri? Videatur Author concordiæ in *ipsa quæst.* 14. *disp.* 40. §. *possumus confirmare vers. pono ejusmodi consensus* & *disput.* 41. §. *dixi toties* ubi id iterum expressis verbis confirmat. Idipsum clariùs exponit *quæst.* 23. *art.* 4. & 5. *disput.* 1. *membr.* 6. §. *quando audis ad finem illius* idem habet *membro* 7. §. *præterea etiam in fine illius.* Idem dicit *membro* 10. §. *post hanc* & §. *unde quando* & §. *quod enim.* In quibus omnibus, sicut in fundamentali doctrina perseverat, quod influxus arbitrij vt est ab arbitrio est arbitrij determinatio, seu cooperatio, vt sic autem non est supernaturalis; sed hoc habet à Deo immediatè, sicut causa partiali concurrente cum illo arbitrij influxu, vt ille supernaturalis efficiatur. Hæc est ipsius & omnium eorum perpetua & fundamentalis doctrina: ergo per prædictum Authorem convincuntur, quod gratiam Dei omninò evertant, & doctrinam Conciliorum eludant.

Confirmatur. Nam ut relatus Author rectè
24 etiam proposuit: vix explicare possunt ij Authores, quis sit ille modus qui in hujusmodi actibus à Deo immediatè producitur; Vel enim est pertinens ad speciem essentialem illorum actuum, vel est aliquod adventitium & essentiæ accidentarium? Non possunt dicere primum, qui à sola facultate liberi arbitrij sine gratia contendunt elici totam substantiam & speciem actionis: erit ergo aliquid superadditum accidentale. Tunc inquirendum est quid sit hoc accidentale quod additur: Ipsi dicunt non esse aliud quam supernaturalitatem, qua ille actus efficitur supernaturalis & ordinis supernaturalis. Sed quam impossibilis sit ista positio ex eo constat primo, quod in uno & eodem actu voluntatis totam actus substantiam & speciem, ut procedit à voluntate naturalem esse dicunt; vt autem à Deo immediatè per gratiam influente in illam actionem, asserunt quasi superveſtiri seu dealbari illa supernaturalitate, & sic compositionem per accidens in illo actu voluntatis constituunt, multò majorem quam ex pariete & albedine unum per accidens fiat. Quæ per accidens compositio simplici actui fidei, & charitatis, seu pœnitentiæ vel alterius voluntatis actui repugnat.

Secundo: ille modus supernaturalis ideo neces-
25 sarius est in actibus illis, ut actus illi attingere possint objecta supernaturalia, & ut sint ejusdem ordinis cum objectis illis: nec enim ad aliud potest poni ut necessarius modus ille supernaturalis supra speciem & substantiam actus; sed ad hoc nullo modo necessarius ponitur, vel potest poni: ergo non erit necessarius simpliciter, sed tantùm ad faciliùs admittitur re ipsa, quod est negare gratiam necessariam esse simpliciter, sed solum ad faciliùs, ut olim Pelagius contendebat. Probatur minor. Nam hi Authores dicunt posse hominem solis naturæ viribus sine gratia certò assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, & hunc dicunt esse actum quoad substantiam & specificam rationem ejus, & idem asserunt de spe, charitate, & pœnitentia: sed assentiri omnibus revelatis sub illa formalitate expressa, quatenus revelata sunt, & quia à Deo sunt revelata, est attingere objectum supernaturale, nam revelata mysteria, ut substant divinæ revelationi, supernaturale objectum sunt; Similiter mysteriis fidei certò assentiri, quia à Deo sunt revelata, est illis assentiri quia primæ veritati innituntur: ergo ille assensus expresè attingit objectum supernaturale, cum attingat rationem sub qua fidei, quæ patentissimè est supernaturalis: ergo ad illud objectum supernaturale attingendum non est simpliciter necessarius ille modus supernaturalis, cum sine illo attingatur, sed necessarius erit ad faciliùs; & sic gratia necessaria ad illos actus negatur: ut benè ille Author exposuit, & vix explicari potest quis sit ille modus ut etiam rectè docuit.

Præterea aliam tetigit rationem sub illis aliis verbis dicens, quod etiam vix explicari potest, cur 26
ad hos actus sit gratia simpliciter necessaria, quod verissimè fuisse propositum, præterquam quod ratio modò facta id satis probat, hæc alia quam conjungimus magis elucidat: si gentilis v. g. lumine rationis ductus, & absque omni gratiæ auxilio potest omnia mandata legis naturæ quoad substantiam operum, & illorum specificam rationem efficere atque implere, Deum Authorem naturæ super omnia diligendo, quam etiam dicunt dilectionem quoad substantiam & speciem operis (ut visum est supra:) ergo ad id gratia simplicier illi necessaria non est. Antecedens debet admitti ab his Authoribus, qui facultati naturæ tribuunt quoad substantiam operum quidquid à gratia cum illo modo quem statuunt fieri potest. Consequentia autem manifesta est, quod nimirum ad talem operum speciem seu substantiam gratia simpliciter necessaria non sit, cum sine illa fiant illi actus quoad substantiam & speciem suam. Tunc rursus: gentilis ille sic omnia mandata legis implendo quoad substantiam operum, proculdubio ad vitam ingredietur, juxta illud Christi Domini *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Nec enim à gentili, qui nihil de fide audivit, Deus aliquid aliud postulat, vel aliud præcipit, quam quod legis naturalis, in qua est, omnia mandata servet. Si autem per observationem illorum mandatorum ad vitam potest intrare, unum è duobus Deus illi debet concedere, vel ipsum immediatè ad vitam æternam admittendo, vel si hoc sine fide & gratia fieri nequit, quod ex merito illius observationis mandatorum ei fidem & gratiam necessariam ad vitæ ingressum tribuat. Vtrumque autem est Pelagianum: quia primum non dicit gratiam esse necessariam ad vitæ æternæ ingressum: secundum autem illam apertè sub priori naturæ meritò constituit. Rectè ergo dicitur, quod qui ponunt hominem posse naturæ viribus sine gratia efficere mandata & actus fidei spei & charitatis, ac pœnitentiæ quantum ad substantiam & speciem operum, & à fortiori alia legis naturalis præcepta, etiam quoad speciem & substantiam operum, vix explicare possunt cur ad hos actus sit necessaria simpliciter gratia, cum tantum eam reipsa (si voces attendant) ad faciliùs dicant necessariam; cum sine ea effici dicunt quod non nisi per illam credimus efficiendum, naturæ viribus tribuendo id quod majus, vel nobilius nec ipsa gratia efficere potest, ut potissimè in exemplo illo de assentiri revelatis quia revelata à Deo sunt, modò fuit declaratum. Quid enim majus fides ei dare potest, si illud sibi natura sola hominis potest tribuere?

Accedit, quod (ut supra diximus *lib.* 1. & 2. &
infra dicturi sumus.) Tota illa (quam isti Authores 27
vocant excitantem & cooperantem gratiam) est solum objectiva motio, idest ex parte intellectus proponentis objectum tantùm se tenens. Vnde ad revelationem doctrinæ tantùm pertinet, nec limites legis atque doctrinæ purè interiùs ostendentis excedit, quod ex propriis eorum verbis convinci *cit.* 2. *lib. in fine* diffinitum est. Quare etiam ille modus supernaturalis, qui in actu per eam poni dicitur, non recedit à commendatione legis atque doctrinæ, & à pura ostensione & revelatione objecti, nec est vera gratia ex parte voluntatis se tenens, aut vires aliquas ei tribuens, aut ipsam adjuvans, & sic sola voluntas naturalibus viribus suis posita illa revelatione, & objectiva finis vel boni propositione, &

ostensione

Digitized by Google

ostensione actum merè naturalem efficiet; per quod tota vera Christi gratia enervatur.

28 Sed jam quam efficaciter S. Thomas illam reprobet sententiam, quæ prædictos actus asserit supernaturales solùm quantùm ad modum, & quam apertè ipse doceat eos quoad substantiam supernaturales esse (quod rectè citatus ille author etiam advertit) nunc breviter est declarandum. Id ergo primò S. Thomas in generali docet 1. 2. *q.* 63 *art.* 4. in quo pro certò diffinit habitus virtutum moralium infusarum, & acquisitarum, & similiter actus ab utrisque elicitos diversæ speciei esse, diversæ formalis rationis, diversæ substantiæ atque essentiæ, quod & ibi duplici ratione manifestat. Primò, quia diversa habent principia, nimirum naturalem rationem & infusionem divinam; diversa etiam formalia objecta, ut potè per temperantiam acquisitam in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur, ne noceat valetudini corporis, aut rationis usum impediat: per infusam autem secundùm legem divinam corpus in servitutem redigitur per abstinentiam cibi & potus. Secunda per hoc quod per acquisitas benè se habent homines in ordine ad res humanas, per infusas verò benè se habent in ordine ad hoc quod sint cives sanctorum & domestici Dei. Distinguuntur ergo, secundùm apertam S. Doctoris sententiam, actus acquisitarum & infusarum virtutum in substantia. Quod autem species, atque substantiæ actuum virtutum infusarum sint supernaturales excedentes naturæ facultatem, nec ab ea causari possint ibi clariùs docet, & in *art.* 3. in quibus supponit illos habitus immediatè à Deo infundi, & operari in nobis secundum altiorem regularem divinam supra omnem rationem & facultatem naturæ, itaut nec ratio, nec naturæ facultas ad substantiam & speciem formalem illorum valeat attingere. Majorique ratione *in art.* 3. expressius asserit, virtutum theologicarum habitus supernaturales esse, ex quo etiam concluditur, quod earum actus & in sua substantia & specie formali supernaturales sint.

29 Clariùs autem id in particulari de actu fidei manifestat 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. docens, *quod homo assentiendo his quæ sunt fidei, elevatur supra naturam suam; unde oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interiùs movente, quod est Deus.* Affirmans Pelagianum esse, ponere, quod sine tali principio supernaturali, nempè Deo movente hominem per gratiam possit ipsa facultate naturæ suæ assentiri his, quæ fidei sunt. Et *solut. ad tertium* inquit, *quod credere quidem in voluntate consistit; sed oportet quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam ad hoc quod elevetur in ea quæ sunt supra naturam.* Ecce semel & iterum exprimit assentiri his quæ fidei sunt, esse supra naturam hominis; ergo ille actus in sua substantia, & specie formali supernaturalis est, esse enim supra hominis naturam, & esse supernaturale, idem omnino est. Rursus asserit esse Pelagianum, quod possit homo sola sua facultate sine gratia Dei intus moventis cor ad assentiendum his, quæ fidei sunt, illis assentiri; vel illum actum in sua substantia & specifica ratione habere; non ergo ille actus est naturalis, quo ad substantiam & speciem suam; aliàs si ab homine saltem in sua natura integra posset haberi, non esset supra naturam hominis.

30 De actu verò spei etiam consequenter loquendo id apertè docet 2. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *&* 2. In primo namque determinat, quod actus spei immediatè attingit ipsum Deum, cujus innititur auxilio. Igitur in substantia & specifica sua ratione actus spei est inniti divino auxilio; & per ipsum attingere Deum immediatè in se ipso; ergo est ille actus in substantia & ratione sua specifica supernaturalis, essentialiter auxilium gratiæ involvens, quod supra naturam hominis est. In articulo verò secundò ait objectum formale actus spei esse beatitudinem æternam, quam ex divino auxilio, cui innititur, sperat se consequuturum, qui actum spei habet; cum ergo objectum formale illius actus sit omnino supernaturale, & ipse actus in substantia sua atque specifica ratione divinum gratiæ auxilium involvat, cui innititur ad consequutionem illius objecti, fit manifestum ex utroque capite esse actum in sua substantia & ratione specifica supernaturalem, nec ratione aliqua talem actus speciem, atque formam à sola hominis facultate haberi posse.

De actu Charitatis id ipsum affirmat manifestè, 31
tum 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3. *ad primum* ubi ait, *quod Charitas diligit Deum secundum quod est objectum Beatitudinis, & secundum quod homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo.* In quo eam distinguit à natura quæ (si nempè in sua integritate sit) Deum super omnia diligit, prout principium & finis naturalis boni. Et *art.* 4. *solut. ad* 3. inquit, *quod præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus, secundum quod ex charitate impletur.* Quibus planè docet, quod non potest homo soliùs naturæ viribus diligere Deum ut objectum beatitudinis, seu ex charitate, etiam quoad substantiam & speciem actus. Cum substantia & species illius actus dilectionis Dei ex charitate proveniens sit, ipse charitatis habitus à quo fit, & objectum in quod tendit supernaturalia sint. Idem postea habet 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 2. Vbi charitatem affirmat excedere naturæ facultatem, nec posse esse alicui naturalem, vel per potentias naturales acquisitam. Et licet ibi expresè de habitu charitatis sermonem faciat, non dubium quin ex hoc ipso idem de actu charitatis concludatur; cum ejusdem speciei sit cum habitu à quo procedit. Qua ratione etiam ipse actus charitatis in sua substantia, & specifica ratione erit excedens omnem naturæ facultatem, & supernaturalis sicut & habitus ipse. Tandem de pœnitentiæ actu qui contritio est, idem omnino asserit 3. *part. quæst.* 85. *per totam*, & *quæst.* 86. etiam ferè per totam, prout apertiùs in disputatione sequenti, quæ specialiter de contritione procedit, dicendum erit.

CAPVT IV.

Argumenta contraria diluuntur.

QVibus de mente & sententia S. Thomæ pro- 32
positis & explicatis, facillimum erit ad ea quæ siniſtrè ex ipso intelliguntur, & contra ejus apertam mentem opponuntur, satisfacere, & illa in vera intelligentia & consonantia, cum his quæ modo ex ipso inducta sunt, exponere, & explicare. Vnde ad primum testimonium in oppositum *capite* 1. relatum, nimirum ex 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 2. *ad* 3. quamvis sufficienter sit dictum tertio nostro *lib. part.* 2. *tract* 2. quia verò ibi ad hunc locum remisimus plenìorem illius interpretationem. Dicendum S. Thomam ibi non loqui de actu imperato à charitate, sicut ibi monstratum est; sed loqui de dilectione Dei abstrahendo ab ea, quæ est Dei auctoris naturæ, & auctoris gratiæ; sicut etiam ibi præmisimus. Licet enim utraque ista expositio à discipulis S. Thomæ aliquibus assignetur, minùs tamen contextui & litteræ illius articuli, si inspiciatur,

Digitized by Google

tur, convenire potest. Dicendum est ergo sermonem ibi expressum fieri de dilectione Dei auctoris & finis naturalis boni. Quod enim de ista loquatur satis littera manifestat illis verbis (*sicut diligere Deum, & cognoscere eum in speculo creaturarum*) quæ est cognitio & dilectio Dei auctoris naturæ, quam propterea dilectionem dicit, & optimè in substantia & specifica ratione esse naturalem, possequè à natura integra in suis naturalibus haberi, ut præmiserat 1.2.*q.*109.*art.*3. Hæc autem dilectio Dei non est actus charitatis infusæ, etiam quoad substantiam, & specificam rationem operis; sed à tali substantia & specifica ratione actus charitatis infusæ specie distinguitur, ut ipse S. Thomas in locis modò inductis clariùs dixit; potissimè in illa quæstione 109. *ex* 1. 2. *art.* 3. *ad* 1. & *art.* 4. *ad* 3. quæ verba relata sunt, & hujus claritatem, & veritatem, ac consonantiam S. Thomæ ostendunt. Vnde manet ratum & firmum actus virtutum infusarum, & Theologalium, potissimè fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ, quoad substantiam & essentiam specificam substantialem supernaturales esse, & non solum quantum admodum.

33 Ad secundum testimonium, quod ex *q.*24.*de verit.* objiciebatur *in art.* 14. plenius dictum est in *nostro* 3. *lib.* ubi ex contextu probavimus illud procedere de actibus moralibus, tam egregiis & improportionatis naturæ corruptæ per se solum sumptæ absque omni auxilio gratiæ, quam de facilibus & naturæ etiam corruptæ proportionatis, qui frequenter in homine justo, à charitate imperantur; ut patet, quia exemplum ponit ibi S. Thomas in fortitudine; quos propterea actus rectissimè vocat cum à charitate imperantur, naturales quoad substantiam & specificam rationem eorum, & solum supernaturales quoad modum, quem à charitate imperante participant, per ordinem ad finem ipsius charitatis, qui supernaturalis est.

34 Ad tertium testimonium quod petebatur ex 4. *sent. dist.*17. *q.*2. *art.*1. *glossa* 1. *ad* 6. responsum est etiam 3. *nostro lib.* quod in illis verbis tantum S. Thomas intendit, quod contritio quoad formam est à Charitate, secundùm nempe quod consideratus post ipsum habitum charitatis permanenter existentem in anima inesse habitus charitatis: quoad substantiam autem & specificam rationem suam est à Deo per infusionem gratiæ in ratione auxilij moventis. Vt perpetuò ipse exposuit 1. 2. *q.*113. *art.*8. & 3. *part. q.*85. & 86. quorum plura testimonia inducentur infra disputatione sequenti, quæ specialiter de contritione tractat: Et hanc Dei operationem moventem ad substantiam & speciem contritionis appellavit, operationem Dei, qui operatur in omnibus operibus naturæ & voluntatis, proportionabiliter tamen in operibus naturæ naturali concursu: In operibus voluntatis naturalis ordinis & facilibus, naturali concursu liberè concurrente: In operibus autem voluntatis supernaturalibus, qualis est substantia & essentia contritionis, auxilio supernaturali proportionato. In omnibus, inquam, istis Deus operatur, sed non eodem concursu, vel eodem modo, unde S. Thomas non dixit contritionem quoad substantiam esse à Deo, secundùm videlicet, quod operatur in operibus naturæ, sed esse à Deo, qui operatur in omnibus operibus naturæ, & voluntatis proportionabili modo proposito.

35 Ad inductum testimonium ex Cardinali Cajet. ex comment. ad 1. 2. *q.*109. *art.*3. satis apertè dictum est supra *nostro* 3. *lib.* Vbi verba illius ex aliis patentissimis in 2.2.*q.*6.*art* 1. exposita in veritate & in sententia illius sunt. Quæ expositio & vera intelligentia ibi videatur, nec hic repetendam putamus: Cum potissimè agendo in specie an possit homo solis naturæ viribus assentiri omnibus revelatis quatenus revelatis, & quia à Deo revelata sunt; qui est proprius locus & materia propria, de qua Cajetanus inductus agit; iterum omnia erunt accuratius examinanda, & discutienda magis.

Ad auctoritatem scholasticorum tertio principali argumento objectum, qui communiter concedunt 36
omnem illum actum posse peccatorem naturæ viribus efficere quoad substantiam actus, quem justus ex gratia efficit, & supra *lib. nostro* 3. abunde responsum est, atque vera illorum intelligentia tradita: & nunc iterum clariori modo repetendam putamus, propterea quod ex illo communi proloquio sinistrè intellecto multæ falsitates deducuntur.

Dicendum est ergo, cum communiter scholastici dicunt, posse peccatorem sine gratia efficere omnem 37
illum actum quoad substantiam, quem justus facit ex gratia: per illa verba (quoad substantiam actus) nunquam intellexisse, nec intelligere potuisse, nec sensisse, posse peccatorem sine gratiæ auxilio facere substantiam, essentiam seu rationem specificam illius actus, quem justus facit ex gratia, si enim sic sensissent, sicut eos sensisse ille auctor concordiæ, & qui illius defendunt doctrinam, eis attribuunt: Proculdubio perversa illorum esset sententia: nec ab erroribus Pelagianorum multum aliena: & sic eos falsò hæretici hujus temporis Calvinistæ intellexerunt: Quos errantes in hac imputatione & falsa intelligentia sequi, non debuerunt hi auctores cum quibus ista tractamus: contendendo scholasticos illum pravum sensum intendere, quem nullo modo senserunt: in alio ergo sensu valde alieno loquuntur in illo communi proloquio, qui talis est; quod omnem actum quem ex gratia efficit justus, potest peccator sine aliquo gratiæ auxilio efficere quoad solam actus substantiam, idest quoad imperfectam quandam rationem actus, quæ circa idem objectum materiale versetur, qui sit similis in subjecto, & materialitate cum alio effecto à gratia, & in generica ratione cum illo conveniat, istos enim imperfectos actus, qui circa idem materiale objectum utcunque habentur, intellexerunt: Cum dicant posse hominem peccatorem sine gratia efficere quoad substantiam actum illum, quem ex gratia efficit homo. Qui autem sunt isti imperfecti actus similes aliis in substantia, supra expositum est: v. g. assentiri assensu fallibili humano, quia nempe homo vult, alicui articulo fidei sicut facit hæreticus comparatione articuli quem non negat. Qui in substantia materiali & in objecto materiali fidei est similis actui veræ fidei; diligere Deum propter aliquem respectum humanum, vel velleitate ipsum diligere; sperare vanè & imperfectè se consequuturum æternam vitam; quæ est vana hæreticorum fiducia; dolere de peccato propter infirmitatem ex peccato relictam, vel dolere de uno peccato non de alio, vel habere velleitatem non actum absolutum doloris; & similes alios imperfectissimos actus in specie sua, qui apparent iidem in substantia, & essentia cum aliis virtutum infusarum; sed revera iidem non sunt, sed illis similes propter identitatē materialem ejusdē objecti.

Illud autem addendum simile objectionem Til- 38
manum attribuisse Ecclesiæ, sive Ecclesiasticis Doctoribus; cui respondet, Cardinalis Bellarminus *lib.*5, *de gratia & liber. arb. cap.* 13. dicens, quod non debent Ecclesiæ tribui singulorum somnia. Certè Concilium Tridentinum, inquit, (cujus vox Ecclesiæ catholicæ vox est) disertis verbis tradit *in* 6. *sess. can.*3. hominem non posse sine Dei auxilio credere,

Digitized by Google

credere, sperare, aut diligere sicut oportet, per quæ verba manifestè intendit Concilium in illa diffinitione tradere, non posse sine gratia hominem credere, sperare & diligere quoad essentialem substantiam eorum actuum. Quia sic habere illos actus quoad eorum specificam rationem atque substantiam, est credere, provt ad salutem oportet. Et oppositum dicit esse aliquorum somnia.

39 Ad quartum argumentum petitum ex illis verbis Conciliorum, *prout ad salutem oportet*, optimè citatus Franciscus Suarez respondet *ubi supra*, per illa verba non intellexisse Concilia, aliquem accidentalem modum supernaturalem superadditum essentiæ substantiali, & specificæ rationi illorum actuum (ut male argumentum prætendit, & qui *in illo* fundantur) sed per illa verba, intellexisse substantiam, essentiam, & rationem specificam supernaturalem illorum, quæ sine auxilio gratiæ haberi non potest, ut Concilia diffiniunt. Ideo autem illa verba à Conciliis adhibita sunt, ne negarent posse hominem sine gratiæ auxilio habere imperfectos illos actus, circa objecta illa materialiter sumpta, qui expositi sunt: qui cum imperfectissimi sint, nec fiant prout ad salutem oportet, possunt in peccatoribus sine auxilio gratiæ inveniri.

40 Quod autem ista sententia mens Conciliorum sit, patet. Primo ex nunc relatis ex Cardinali Bellarmino. Secundo ex inductis ex Francisco Suarez: qui in hac parte efficacius, contra alios proferunt testimonium. Patet tertiò, quia Concilium Arausicanum cum dicit, non posse hominem operari propter Deum sine auxilio gratiæ, non apponit illam particulam (*prout ad salutem oportet*) sciens quod illud verbum, *propter Deum*, eam includit, & quod idem est unum, ac aliud.

41 Similiter cum dicit *in Canone 7. neminem sine auxilio gratia posse Evangelicæ prædicationi consentire*, etiam non adhibet illam particulam, *prout oportet*, sciens idem esse sic consentire, ac prout oportet. Igitur operari prout oportet juxta mentem Conciliorum est facere actum cum omnibus suis debitis circunstantiis, ut probatum est. Imò hoc verbo utitur Apostolus cum inquit. *Orare sicut oportet nescimus*, ideſt, ut communis est explicatio, nescimus orare ex nobis petendo id quod debitè petendum est. Quod in alio loco scripturæ explicatur, *petitis & non accipitis eò quod malè petatis*: si malè petere, id est non petere quod petendum est, & cum debitis circunstantiis, opponit scriptura huic, quod est petere prout oportet, constat quod petere prout ad salutem oportet erit petere quod, & quando petendum est, & cum omnibus debitis circunstantiis.

Imò Aristoteles etiam in hoc sensu accipit vet- 42
bum, *prout oportet*, cum ait quod liberalis dat prout oportet, prodigus verò non: sensus enim est manifestus, quod prodigus dat, sed non cum debitis circunstantis; liberalis autem dat cum circunstantiis debitis, & sic dat prout oportet.

Ad quintum & ultimum dicendum, per illam 43
sententiam qua substantia illorum actuum naturalis ponitur, & solum modus, qui vix explicari potest quid sit supernaturalis nullo modo tolli difficultatem quæ est in concilianda libertate arbitrij cum gratia; sed adversus eam nimis superbe extolli & gratiam esse simpliciter necessariam ad similes actus negari, ut satis ostensum est. Hoc enim prætextu defendendi arbitrij libertatem multi, & præsentibus, & præteritis temporibus, à gratia exciderunt ipsam vel apertè, vel magis occultè negantes, & libertatem nostram non defendentes sed præcipitantes; ut ex Sanctis Doctoribus qui primitùs adversus superbos elatores arbitrij & gratiæ Dei infectatores egerunt, manifestè didicimus. Ad confirmationem de certitudine gratiæ, quam prætendit nos habere, si dicamus illos actus effici non posse sine gratia, supra abundè responsum est id nulla ratione deduci propter rationem superiùs discussam & examinatam.

TRACTATVS II.

DE NECESSITATE GRATIÆ DIVINÆ in ordine ad observantiam divinorum mandatorum, & evitanda peccata.

CAPVT PRIMVM.

Divina omnia mandata supernaturalia, & quoad substantiam, & quoad modum possibilia homini esse absolutè, atque simpliciter.

44 QVAMVIS ad nostrum institutum, quo quid homo lapsus sine auxilio gratiæ, & quid cum illo efficere possit, intendimus aperire, & necessitatem divinæ gratiæ ad divina mandata implenda omnibus prædicare; quæstio ista non agitanda, ut potè, quæ adversùs Lutheranos, & Calvinistas efficacissimè per Concilia & Doctores patefacta est, sed potiùs præsupponenda videretur, sicut Catholica Veritas, qua illorum hæreticorum blasphema insania retunditur contendentium non posse hominem pro hoc statu divinam legem, nec divina implere mandata, placuit tamen eam sub brevitate proponere, ut magis ordinatè, quam intendimus, doctrina procedat. Indubitata ergo Catholica veritas dicendorum fundamentum præmittatur, videlicet omnia divina mandata, nedum naturalia, sed supernaturalia, non solùm quoad substantiam eorum, sed etiam quoad modum qui ex charitate habetur, absolutè acque simpliciter homini, etiam post primi parentis ruinam, possibilia esse, eaque omnia simpliciter & absolutè posse ipsum

Digitized by Google

ſum ſervare & adimplere. Per quid autem illa facere, & adimplere poſſit ſequenti capite oſtẽdetur. Nunc quod illa ſint non ipſi impoſſibilia, ut cæcitas Lutheranorum, & Calviniſtarum contendit, ſed abſolutè poſſibilia, ut Catholica Veritas docet, tantùm manifeſtamus: quam aperta divinæ ſcripturæ teſtimonia paſſim tradunt, Pontifices ſummi, & Concilia diffiniunt, Sanctorum Patrum una ſententia tenet, perpetuò Eccleſiæ traditio proponit, omniumque fidelium communis conſenſus amplectitur, veræ Theologiæ rationes, imò omnis philoſophia moralis ſuadet.

45 Plurima ſunt ſcripturæ teſtimonia quæ illam prædicant, itaut ferè pagina nulla in divinis litteris ſit, in qua non aliqua ratione veritas iſta habeatur, ut in fine hujus convincemus, ſed urgentiora & clariora conjunxit Iodocus Coccius Canonicus Iuliacenſis in laborioſiſſimo illo opere ſuo, quod Theſaurum Catholicum prænotavit *tomo 2. lib. 3. de Iuſtificatione art. 2.* quæ hic inſerenda priùs videntur.

Geneſ. 6. habetur. *Noë vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit:* Iuſtum autem hominem eſſe atque perfectum niſi omnia divina mandata ſervet omninò impoſſibile eſt: illa ergo Noë omnia ſervavit. Item Geneſ. 17. dixit Dominus Abrahæ, *ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.* Poterat ergo ſic coram Deo cum perfectione Abraham ambulare. Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere; quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare Mare, & illud ad nos uſque deferre: ut poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Quibus verbis nihil aliud Dominus intendit, niſi excuſationem vanam de impoſſibilitate adimpletionis præceptorum excludere, ne videlicet homines prætendant impoſſibile ſibi eſſe omnia divina mandata implere, ſicut impoſſibile reputant in Cœlum conſcendere. De cujus abundantiori explicatione ſequenti capite erit dicendum.

Ioſuë 11. *Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſuë, & ille univerſa complevit; non prætériit de univerſis mandatis, nec unum quidem verbum, quod juſſerat Dominus Moyſi lib. 3. Regum 14. Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea & ſequutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo. 3. Regum 15. Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cũctis diebus vitæ ſuæ excepto ſermone Vriæ Hethæi.* 4. Regum 23. de Ioſia dicitur: *ſimilis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua juxta omnem legem Moyſi.* 2. Paralip. 15. *Cor Aſa erat perfectum cunctis diebus ejus.* Perfectum autem eſſe cor ſine omnium divinorum præceptorum obſervantia eſſe non poteſt. Iob. 1. *Vir erat in Terra Hus, nomine Iob, & erat Vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Et adhuc: *retinens innocentiam,* & rurſus *in omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis.* Pſalm. 118. *In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me à mandatis tuis.* Et iterum: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.* Ac rurſus: *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua; quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Quod ſicut Deus promiſit ita & implevit per gratiam faciens ut homines ejus divina ſervarent mandata.

Matth. 1. *Ioſeph autem Vir ejus cum eſſet juſtus,* 46
&c. Matth. 11. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Non ergo ſolùm poſſibilis lex Chriſti eſt nobis divina imponens mandata, ſed ſuavis & levis. Lucæ 1. *Zacharias & Eliſabet erant juſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Lucæ 2. *Simeon homo juſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Ioan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* In hac autem dilectione ſicut in effectu continetur dilectio quæ illius eſt cauſa in utraque autem omnis lex & præcepta ut dictum fuit ſupra. Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Ioan. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Et iterum *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Actum 13. *Inveni David filium Ieſſe Virum ſecundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas.* Galat. 5. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Poſſibilem autem eſſe homini hujuſmodi dilectionem ſuperiùs monſtratum eſt. Et iterum ad Philip. cap. 4. *Omnia poſſum,* inquit, *in eo, qui me confortat.*

Tandem quoties ſcriptura ſacra à primo ſui libro 47
uſque ad ultimum aliquos viros juſtos aſſeruit, quod longum eſſet referre, toties hanc veritatem reipſa prædicavit: juſtus enim (quod jam diximus & nullus etiam protervus poteſt negare) nullus eſt qui omnia divina mandata non ſervat: quia qui in uno deliquerit, factus eſt omnium reus. Si ergo reus non juſtus eſt, quot juſtos ſcriptura canonizavit, tot pro hac veritate efficacia teſtimonia protulit. Illorum enim exemplis, non ſolum poſſe homines omnia divina mandata ſervare, eis eſſe poſſibilia docuit, verum ea de facto plures ſervaſſe mirabiliter confirmavit.

Eandem veritatem ad confundendam hæreticorum inſaniam Sixtus III. *tract. de malis doctoribus & operibus fidei* ſub his verbis expoſuit: *Conveniat ſanè Deo aliquid impoſſibile præcepiſſe, ſi vel homini convenit: ſi enim humana conditio iniquum putat contra poſſibilitatem cuiquam aliquid imperare, quæ perverſitas eſt hoc ſentire de Deo, quod nec mortalium quidam natura ſuſcipiat.* 48

Accedit ad idem ſacrorum Conciliorum autho- 49
ritas. Arauſicanum enim ſecundum *can. 25.* ita diffinit: *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere;* Et Oecumenicum Tridentinum *ſeſſ. 6. decreto de juſtificatione cap. 11.* inquit: *Nemo debet temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quæ poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve,* & *can. 18. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtructo eſſe ad obſervandum impoſſibilia: anathema ſit.*

Quod Sanctorum Patrum una ſententia idem 50
ſemper docuerit, ſolus ille qui eos non legeret, poterit inficiari. Clemens Alexandrinus *lib. 4. ſtrom. capite 8.* ait: *Quin etiam præcepta ſunt ejuſmodi, ut à nobis poſſint fieri vel non fieri.* Athanaſius *libro de*

Digitized by Google

de virginitate in fine: Diligentibus Deum (inquit) *præcepta Dei non sunt gravia.* Basilius Magnus *in regulis brevioribus resp.* 176. *Sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus ac justus est, nisi etiam facultatem qua id faceremus fuisset largitus.* Et *homil. in illud Moysis attende tibi ipsi*, ait: *Impium est asserere præcepta Spiritus sancti impossibilia esse observatum.* Chrysostomus *super psalm.* 101. *Dei præcepta oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare: difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere.* Et *hom.* 18. *in Matth. Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta, quæ certè & utilia nobis sunt, & valdè facilia.* Et *hom.* 8. *de pœnitentia. Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia; multi enim ipsa superant præcepta.* Nyssenus *quæst.* 5. *Perspicuum est quod qui est & senex, & impotens potest ejus legem servare.* Et postea concludit: *Vides quod nihil est constitutum, quod sit grave, & quod à nobis non possit fieri* S. Hieronymus *ad cap.* 5. *Matth.* in explicatione illius, *diligite inimicos vestros: multi præcepta Dei imbecillitate sua non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur; sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta. &c.* Et *lib.* 3. *adversus Pelagianos capite* 1. *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.* S. P. Augustinus *lib. de nat. & gra. cap.* 43 ait: *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quæ possis, & petere quod non possis.* Ex quo hæc eadem verba sumpsit Tridentinum Concilium suprà relatum. Idem habet *cap.* 69. dicens: *Valde bona sunt præcepta, si legitimè his utamur; eò quippe ipsò, quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et *serm.* 191. *de tempore* inquit: *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Et *tract. in psal.* 56. *Non imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret ut hoc ab homine fieret.* S. Leo Papa *serm.* 5. *de Epiphania* loquens de labore, quo divina mandata servantur, ait: *Hic autem labor dilectissimi piis filiis, & bonis servis non solùm nec asper nec onerosus, sed etiam suavis & levis est.* Quod ibi ex illo Christi Domini probat: *jugum meum suave est, & onus meum leve.* Et postea; *Nihil dilectissimi arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium & obedientia moliit imperium.* S. Thomas etiam ubique docet posse hominem omnia divina mandata servare, sed per gratiam, 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. *q.* 24. *de verit. art.* 12. Vbi errorem fuisse Manichæorum affirmat, quod homo non potest non peccare, & ex consequenti quod non potest divina mandata servare.

51 Quod tandem sit perpetua traditio, ac communis omnium fidelium consensus, & quæ dicta sunt persuadent, & voces omnium secularium attestantur, qui potissimè cum adjutorio Dei omnia præcepta servare, & salvari confitentur & orationibus suis quibus incessantes id à Deo petunt satis publicant. Theologica ratio id ipsum demonstrat; homo potest gloriam mereri; sed non illam meretur nisi per observantiam mandatorum secundum illud Matth. 19. *cap. si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ergo per observantiam mandatorum, gloriam potest mereri: ergo illa observantia mandatorum est illi possibilis: si enim impossibilis esset, esset & impossibile mereri gloriam, quod fidei contradicit.

Philosophia etiam moralis tota docet legem naturalem per lumen rationis homini propositam posse ab ipso homine impleri; quia non potest percipere, quod rationis lumen aliquid homini faciendum præcipiat, quod ei sit simpliciter impossibile. Verum est ipsam moralem philosophiam per se solam non attingere modum per quem possunt & debent impleri rationis præcepta, nec judicare quibus viribus debeant servari, facilè enim putat solis naturæ viribus, in quocumque statu homo sit, possibilia esse, in quo, ut dicemus, fallitur. Non autem in eo quod doceat possibilia esse homini legis naturalis mandata. 52

Insuper legis madata omnia (ut infrà dicemus) possunt ab homine servari per gratiam: ergo simpliciter, & absolutè homini possibilia sunt: quia (ut Sancti Doctores ex communi veróque axiomate docere consueverunt) *quod per amicos possumus, per nos ipsos possumus.* Imò quod & Pelagius etiam confessus est relatus à S. P. Augustino *libro de natura & gratia cap.* 10. Asserere quod potest homo aliquid efficere explicando simul per quid illud facere possit nihil est aliud quam non solum consentire quod possit verum etiam quo modo, vel qualiter possit ostendere. 53

Tandem per adjutorium gratiæ esse possibilia homini omnia divina mandata, ut diximus, nec protervus potest negare; cum omnia sint Deo possibilia quæ manifestâ non involvunt implicationē: nulla autem potest fingi in hoc quod Deus faciat hominem omnia servare præcepta si autem cum gratiæ auxilio ea potest servare, absolutè & simpliciter potest; quia nullus adjuvatur ad id quod sibi est impossibile. Adjuvari enim non potest nisi qui aliquid sponte conatur, ut S. Augustinus *docet lib.* 2. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 5. quod & per se manifestissimum est. Sicut ergo est infactibile, quod aliquis spontè, seu liberè conetur ad impossibile, ita infactibile est, quod Deus adjuvet ad impossibile. Ex eo ergo quod Deus adjuvat ad servanda mandata, absolutè & simpliciter possibilia homini monstrantur, unde absolutè & simpliciter illi sunt possibilia, sicut dictum est. 54

Argumenta, quæ ab adversariis in contrarium possunt opponi, illa sunt, quæ à SS. Doctoribus inductis sunt tacta: ex eo enim quod solis viribus naturæ consideratis eis apparent impossibilia divina mandata servare, ideo inferunt (sed quam sinistrè) illa esse homini impossibilia, cum ex adjutorio Dei, ut *seq. capite* aperietur, illa faciliter possit implere. 55

Secundo potest opponi ex inclinatione inferioris appetitus corrupti ex originali peccatō; quia homo inclinatur ad ea eligenda quæ sunt secundùm carnalem sensum delectabilia, & ex consequenti peccata; cui inclinationi impossibile est contrarium operari, aut divina mandata servare. Quod & videtur Apostolus tradere cum Rom. *cap.* 7. ait. *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Et rursus. *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Vbi denotatur quod quasi invitus trahitur homo in peccatum. Quod si sic, non poterit divina mandata servare. Ad hoc dicendum, appetitum inferiorem non effectivè & efficaciter, sed objectivè tantùm movere animam, cui & ipsa ratio potest resistere saltem per auxilium gratiæ, quo proinde poterit ipsum superare, & divina omnia Dei mandata implere. Illud autem Apostolicum testimonium nulla ratione docet invitum trahi animum ad consensum ab appetitu sensi- 56

Digitized by Google

tivo. De cujus testimonij vera intelligentia videndus est S.P. Augustinus *lib.* 83. *quæstionum q.* 66. ubi illud exponit de homine peccatore, seu sub peccato constituto; sed *lib.* 3. *contra Iulianum cap.* 26. multo melius intelligit, & interpretatur dictum fuisse ab Apostolo in persona sua, & aliorum existentium in gratia. Quam etiam interpretationem ut magis textui & intentioni Apostoli conformem prosequitur S. Thomas ad illum locum, licet primam aliqua ratione sustineat. Dico, aliqua ratione, quia, ut ipse tandem ibi concludit, subjuncta illa alia verba ab Apostolo, *nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, non possunt intelligi nisi extortè de homine peccatum habente. Sed & illud addendum, Pelagium, ne illo testimonio premeretur, illud explicasse de homine peccatore; sic enim S. Hieronymus refert expresè *lib.* 2. *contra Pelagianos statim post principium*; cui S. Hieronymus contradicens dicit Apostolum in persona sua & aliorum existentium in gratia fuisse loquutum.

57 Sed dices; si illa secunda explicatio Pelagij est, quomodo eam S. Augustinus citatus & S. Thomas etiam defendunt. Ad hoc respondendum Pelagianam esse explicationem, quod solùm de peccatore intelligatur, nec possit homini in gratia constituto convenire, de quo à S. Hieronymo damnatur Pelagius: at S. P. Augustinus, & Thomas numquam docuerunt tantùm de peccatore posse, seu debere intelligi; imò totum oppositum potentissimè asseruerunt, secundam expositionem multo magis acceptantes sicut fecit S. Augustinus contra Iulianum, & S. Thomas super Paulum. Prosequendo ergo hanc intelligentiam, quod nempè sermonem faciat Apostolus de persona sua & aliorum existentium in gratia, illorum verborum verus & legitimus sensus est, quod homo sub gratia constitutus dicitur Carnalis, juxta illud Rom. 7. *cap.* (*Ego autem Carnalis sum*) non quia carni consentiat, in his videlicet ad quæ caro instigat, hoc enim proprium est hominis sub peccato constituti; sed ex eo quod à carne & concupiscentiis ejus repugnatur, secundum illud ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum*; hoc enim modo intelligitur esse carnalis superior pars hominis etiam sub gratia constituti. Quia verò ista impugnatio concupiscentiæ ex peccato primi hominis derivata est, & quantùm ad agonem in homine justo perseverat, non ut peccatum, sed ut effectus ex peccato originali derelictus, ut Concilium docet Tridentinum, ideo Apostolus illa verba adhibuit, *venundatus sub peccato*, primi parentis scilicet; quia, ut dictum est, illa rebellio carnis ad spiritum, pertinet ad fomitem, cujus corruptio ex primi hominis peccato derivatur.

58 Deinde, ut Apostolus declaret qualiter homo sub gratia est supradicto modo venundatus sub peccato, idest, sub concupiscentia proveniente ex primo peccato, ut servus illius, ait: *Quod enim operor, non intelligo.* Idest, quod operor, non intelligo esse operandum; cum enim homo sub gratia constitutus non secundùm mentem consentit, sed solùm secundùm passionem appetitus sensitivi concupiscit, tunc quod operatur sic concupiscendo, non intelligit esse operandum: non intelligit, inquam, quia ante deliberationem intellectus insurgit talis modus concupiscentiæ præveniendo rationis judicium; vel, & propriùs, non intelligit per rationem esse operandum.

59 Magis autem exponens Apostolus modum concupiscentiæ repugnantem spiritui, sub quo ut servus venundatus spiritus tenetur modo prædicto per rebellionem carnis, subjunxit verba in argumento objecta dicens: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Cujus sensus est; non enim quod volo absolutè & efficaciter per voluntatem id ago per appetitum sensitivum, sed quod per voluntatem etiam absolutè, & efficaciter odi malum id facio per concupiscentiam appetitus propter rebellionem appetitus sensitivi ad spiritum: homo enim sub gratia constitutus vult quidem absolutè & efficaciter mentem suam à pravis concupiscentiis conservare; sed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiscentiæ insurgentes in appetitu sensitivo. Quod adhuc magis, ac magis exponit Apostolus subjungendo: *nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* sensus est, si quod nolo per voluntatem, illud facio per inferiorem appetitum insurgentem contra voluntatem, jam non ego operor illud nimirum per meam voluntatem, & libertatem; sed quod habitat in me peccatum, id est concupiscentia, quæ ex peccato derelicta in me est, & sic sum venundatus ut servus sub peccato, idest, sub concupiscentia proveniente ex peccato; quod ut dicendum est, rectè dicitur de homine constituto sub gratia. Quod enim concupiscit malum secundùm appetitum sensitivum ad carnem pertinentem non procedit ex ratione, & voluntate; sed ex inclinatione fomitis; illud autem homo dicitur operari quod per rationem operatur: quia homo est id quod est secundùm rationem. Vnde motus concupiscentiæ, qui non sunt à ratione, sed à fomite, non operatur homo, sed fomes peccati, sub quo ut servus venundatus tenetur homo, fomes hîc peccatum vocatur; non quod in se verè peccatum sit, sed quia ex peccato procedit, & ad peccatum inclinat. Ecce quam injustè ex ipso testimonio prætendant contentiosi, non posse hominem non peccare; seu non posse divina mandata servare, cum potius totum oppositum ex ipso deducatur; quia procedit de homine justo, & sub gratia constituto servante per voluntatem suam ex gratia omnia divina mandata, & nolente efficaciter malum, concupiscente tamen per appetitum sensitivum malum contra voluntatem, quæ illi per gratiam resistit, & resistendo legem observat, & divina mandata implet secundum illud, *resistite concupiscentiis vestris.*

Sed opponit Lutherus, dum vivimus semper con- 60
cupiscimus, ut ex citato constat testimonio Pauli; ergo semper facimus contra illud præceptum, *Non concupisces*, & sic non possumus omnia præcepta servare. Ad hoc respondetur primo quod illud præceptum fortè non præcipit quod omnino non concupiscamus sed ne concupiscentiis consentiamus; juxta illud Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis*, non igitur prohibet ne sit in nobis concupiscentia, sed ne regnet in nobis per consensum voluntatis quo ei obediamus. Quæ videtur solutio S.P. Augustini *libro* 1. *de nupt. & concupiscen. cap.* 23. & Gregorij 21. *moral. cap.* 3. Secundò respondetur, quod etiam nobis præcipiatur, in illo mandato, quod nullo modo concupiscamus; rectè præcipitur, quia id possemus in integra natura, in qua nos Deus condidit, & per peccatum nostrum hanc impotentiam incurrimus. Rursus in hoc statu etiam per auxilium divinæ gratiæ possumus nullo modo concupiscere, quia per illam, potest homo omnia peccata venialia evitare; si ergo potest omni motui concupiscentiæ hoc modo resistere, potest non concupiscere, & illud mandatum potest servare? Quod autem de facto omnia non vitemus, sed leviter concupiscamus, solùm probat, quod nullus de facto, excepta Beatissima Virgine,

illud

Digitized by Google

illud præceptum omni ex parte perfectè impleverit in hac vita, quod est concedendum; sed ex hoc non sequitur, quod qui sic perfectè non implent, mortaliter peccent, ut insaniunt hæretici: quia illa maxima perfectio, quæ est nullo modo alicui concupiscentiæ leviter consentire, sub peccato mortali non præcipitur, sed sub veniali, & sic concluditur quod de facto justus aliquando venialiter peccet, & venialiter contra illud præceptum delinquat, quod concedimus.

61 Potest objici tertiò & ultimò: (ut alia omittantur argumenta) inter divina præcepta primum seu maximum est illud de dilectione Dei, quo tenemur Deum ex tota anima, & ex toto corde diligere; sed hoc præceptum non potest homo in hac vita implere: ergo non potest homo in hac vita omnia divina mandata servare: igitur illa sunt homini pro hac vita simpliciter impossibilia. Major manifesta est, ut abundè supra ostensum fuit. Minor autem probatur ex S. P. Augustino *libro de perfectione justitiæ cap.* 8. dicente. *Quod in plenitudine charitatis patriæ præceptum illud implebitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; nam cum aliquid est adhuc carnalis concupiscentiæ, quod continendo frænetur; non omninò ex tota anima diligitur Deus.* Cum ergo præceptum illud jubeat, ut Deus ex tota anima diligatur, & in hac vita (testante Augustino) non possit Deus ex tota anima diligi; nec poterit illud præceptum in hac vita impleri, & ex consequenti nec poterit homo omnia divina mandata servare. Ad hoc respondetur, quod hoc præceptum plenè, & perfectè solùm impletur in patria, & hoc dicit S. P. Augustinus *citato loco*, secundùm quod S. Thomas exponit 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. In via autem impletur quidem per Dei gratiam, sed non ita plenè, atque perfectè; tunc enim aliquod præceptum plenè, & perfectè impletur, cum pervenitur ad finem quem intendit præcipiens. Sicut si Dux exercitus præcipiat militibus ut pugnent; ille perfectè implet præceptum qui pugnando hostem vincit, quod Dux intendit, ille autem implet sed imperfectè, cujus pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra disciplinam militarem agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, ut homo sibi totaliter ac actualiter uniatur, quod fiet in patria, & sic ibi plenè & perfectè implebitur; cum homo ex toto corde, & ex tota anima semper actualiter Deum amabit: sed in via impletur, non cum perfectione tanta; cum videlicet homo habitualiter totum cor ad Deum dirigit, ita scilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat; hæc enim est perfectio viæ. Vnde hæc perfectio viæ in hac vita ab omnibus per gratiam impletur.

62 Dices: homini præcipitur in illo mandato illa maxima perfectio; Ergo si illum homo in via habere non potest; non potest illud præceptum implere, & sic illud illi est impossibile; & ex consequenti omnia divina præcepta impossibilia homini sunt. Primum antecedens est S. P. Augustini *cit. lib. de perfect. justitiæ*, & adducitur à S. Thoma 2.2. *q.*44. *cit. art.* 6. *ad* 3. sic enim dicit S. P. & Doctor, *Cur non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?*

63 Ad hoc respondendum quod duplex perfectio importatur in illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. alia, quod semper Deum actualiter diligat; alia, quod ita Deum ex toto corde diligat, ut non solùm omnia mortalia evitet, sed etiam omnia venialia. Huc usque argumentum de prima perfectione procedit, quam dicimus propriam esse patriæ, & de qua respondemus, quod eam nullus purus viator habuit, sed nec haberi potest, saltem secundum communes leges gratiæ (ut Dei extraordinariam potentiam non includamus) & ista non præcipitur homini, ut illam in hac vita habeat, cum prædicto modo sibi impossibilis sit, benè tamen ea homini præcipitur, ut finis ad quem semper aspiciat, & quem benè operando in patria consequetur.

Secunda alia perfectio licèt de facto eam nullus 64
Sanctus habuerit, una exclusa Sanctissima Virgine Deipara, (ut infra dicetur) tamen eam potest habere homo per gratiæ specialissimum auxilium, ut etiam explicabitur; & de hac potissimè videtur loqui S. Augustinus *cit. loco*, cum dicit, quod illam perfectionem habebimus in patria.

De prima perfectione S. Thomas loquitur 2. 2. 65
*q.*44. *art.*4. & 6. & respondet quod non præcipitur ut illam in vita mortali habeamus; sed quòd præcipitur ut finis ad quem in vita semper inspicere habeamus. Vnde si hunc finem attendimus, quantum ad hoc illi præcepto satisfacimus. De secunda perfectione (ut dictum est) S. P. Augustinus videtur procedere *cit. loco*, quæ justè præcipitur, ut eam in hac vita habeamus; quia per Dei gratiam haberi potest; quod si de facto à Sanctis non habetur, ex eorum culpa saltem originali ortum habuit, ut illam de facto non habeant: & sic conceditur quod de facto non servant illud præceptum quantum ad illam perfectionem, sed non sequitur quod mortaliter peccent in non servando tale præceptum, quia nec talis perfectio sub mortali peccato præcipitur; sed sub veniali, ut dictum est. Igitur ut concludam, tria in illo præcepto dilectionis Dei super omnia præcipiuntur. Primum & substantiale, ut nihil admittatur dilectioni Dei contrarium, & quantùm ad hoc illud præceptum Sancti implent. Secundum, ut nihil leve præter Dei dilectionem admittant, per quod perfectio illius mandati præcipitur: quæ licèt de facto non impleatur à justis, non tamen mortaliter mandatum transgrediuntur, sed venialiter tantùm, sicut illa perfectio sub veniali præcipitur. Tertium & supremum, est actualis semper conjunctio cum Deo per amorem, & ista non præcipitur, ut in hac vita habeatur, sed ut finis ad quem Sancti operando aspiciant: Vnde quamvis illam in hac vita non habeant, nec habere possint, nullo modo ex hac parte illud transgrediuntur mandatum.

CAPVT II.

Possibilitas servandi omnia mandata divina homini per gratiam conceditur.

SIcut Catholica veritas in præcedenti capite ex- 66
posita docet, divina mandata impossibilia homini non esse, sed omnia illa posse simpliciter & absolutè hominem servare: ita eadem catholica veritas tenet hanc possibilitatem servandi omnia præcepta divina, non nisi per gratiam inesse homini in natura lapsa. Vnde eò ipso quo fatemur mandata divina hominibus etiam pro hoc statu naturæ corruptæ possibilia esse: Eo ipso confitemur hanc possibilitatem per gratiam haberi; etiamsi id expressè in propositione non apponatur: Est enim semper implicitè id in illa contentum; unde cum explicatur semper expressè gratia adhibetur. Quod & considerans S. P. Augustinus illam pro his ma-

Digitized by Google

teriis perpetuò memoriæ commendandam regulam neceſſariam ſtatuit 2. *libro ad Bonif. cap.* 10. ſic dicens. *Quæ cum ita ſint, nihil in ſcripturis ſanctis homini à Deo video juberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratiæ demonſtrandum.* Vt enim alibi exponit, *ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus. Sicut per prophetam Ezechielem apertiſſimè dicit*, quid enim apertiùs quam ubi dicit, *Ego faciam ut faciatis* ? quæ duo Sanctiſſimi Patris documenta, vel potiùs unum magis ac magis explicatum, ſi ut par eſt ab omnibus piè reverenterque ſuſpicerentur, ſatis ſufficerent ad totam hanc, quam in his operibus noſtris laborioſis deffendimus doctrinam, inconcuſsè tenendam & prædicandam. Proindè ſicut ſuperioribus teſtimoniis ſcripturarum ſanctarum & ſanctorum Patrum probavimus poſſe hominem divina omnia ſervare mandata, ſic etiam nunc de gratia Dei, ſine qua ea omnia ſervare non poteſt, quæ ſint divina teſtimonia videamus: ne aliquis relata omnia divina teſtimonia Sanctorum Conciliorum & Patrum, & quæcumque alia, quæ ſine dubitatione ſunt plurima in deffenſione poteſtatis liberi arbitrij ſic errando ſuſcipiat: ut ad divinorum obſervantiam mandatorum illam per ſe ſolam ſufficere contendat, & gratiæ Dei per quam hæc habetur poſſibilitas, locus non relinquatur, & audeat miſer homo, quando divina ſervat mandata in ſeipſo & non in Domino, ex cujus gratia illa ſervat, inaniter & fallaciter gloriari: quamvis nec multum neceſſe ſit alia adhibere, quia in allatis, licet aliqua non exprimant gratiam, ſed abſolutè pronuntient, poſſe hominem divina præcepta ſervare: alia tamen eam exponunt, & qualiter alia ſint intelligenda, etiam ipſa divina ſcriptura in relatis teſtimoniis non tacuit, quale eſt illud, quod ex propheta *Ezechiele* 36. Inductum eſt, quodque eſt in hac materia inſigne, & à Sanctis Patribus frequentatum. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Nunquid ad aliud dat nobis Dominus ſpiritum ſuum, vel ad aliud aufert à nobis cor lapideum, & dat nobis cor carneum, niſi ut faciat ut in præceptis ejus ambulemus, & judicia ejus cuſtodiamus, & divina ejus mandata compleamus ? Igitur per Dei ſpiritum, & per ejus gratiam datur nobis facultas ad divina mandata ſervanda. Simile fuit aliud etiam ex Apoſtolo ſuperiùs inductum, *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Quando autem alia deeſſent, hæc ad cauſam, quam tractamus ſufficerent, ſed plura ſunt, quæ hanc docent veritatem, ex quibus pauca proponemus.

67 Et quia primum allatum fuit divinum teſtimonium *Gen.* 6. de Noë, quod fuerit vir juſtus, atque perfectus ambulans coram Deo, in obſervatione videlicet divinorum præceptorum, attendamus quomodo ipſa ſcriptura divina in eodem capite explicaverit, quod per gratiam juſtus fuerit, & in divinis mandatis coram Deo ambulaverit: ſic enim ibi dicitur. *Noë verò invenit gratiam coram Domino*, & ut ſignificaret quod ex hoc fonte gratiæ inventæ, non ex prioribus operibus datæ ſecundum illud, *inventus ſum à non quærentibus me*, procedebat, quod Noë juſtus eſſet & perfectus ambulans in obſervatione divinorum mandatorum, priùs omnium hæc verba propoſuit, & ſtatim ſubdit illa alia. *Noë vir juſtus ac perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit*: Ex divina ergo gratia id apertè ſcriptura teſtante Noë juſtus fuit, & divina mandata ſervavit.

Similiter, quia ſecundum teſtimonium allatum 68
fuit ex *Gen.* 17. Vbi Dominus dixit Abraham: *Ambula coram me, & eſto perfectus*: Eadem Scriptura non ſiluit illam Abrahæ perfectionem, qua Deo obedivit, non ex ipſo, ſed ex Deo illi fuiſſe collatam. Poſtquam enim in *cap.* 12. *Geneſ.* narrat Scriptura qualiter Deus præcepit Abraham, ut exiret de terra ſua: & continuò ſubjungit illius obedientiam, dicens, *egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus*: Ne quis putaret quod illa obedientia, & obſervatio divini præcepti ex ipſo, ſicut ex ipſo ortum habuit, & non ex Deo donante, in *cap.* 15. *ſequenti* id Spiritus ſanctus expoſuit dicens; *Dixitque ad eum* (ſcilicet Deus) *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.* Ecce Abraham exivit Domino præcipiente: ſed Dominus ipſe, qui præcipiebat ut exiret, fecit ut præcepto Dei obediret & egrederetur.

Tertium teſtimonium inducebatur ex illo Deut. 69
30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, &c. non ſupra te eſt.* Quod mandatum ibi ſcriptura exponit per hæc verba. *Revertetur enim Dominus ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis ſicut gaviſus eſt in patribus tuis; ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus, & ceremonias, quæ in hac lege conſcripta ſunt, & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et immediatè ſubdit; *mandatum hoc quod ego præcipio hodie non ſupra te eſt*: Videamus ergo an hoc mandatum, de quo iſta narrantur, & quod homini poſſibile per illa verba proponitur; ex homine ipſo, vel ex Deo poſſit haberi: & id nobis, nedum alibi, in multis locis eadem ſcriptura ſignificet, ſicut revera declarat, ſed in illo eodem etiam id clariùs exponat ? Præmiſerat enim in *eodem cap.* verbis antecedentibus: *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut poſſis vivere.* Ecce de eodem primo, & maximo divino mandato dilectionis Dei in toto corde, & in tota anima, quod in virtute omnia continet divina illa præcepta, quæ in lege præcipiebantur illi populo: de quo dixerat, quod non ſupra ipſum erat, nec procul ab eo: ſimul in eodem capite docet illius obſervantiam donum Dei eſſe, orando Deum, ut ipſe circuncidat illius populi cor ad ſuum Deum ex toto corde, & ex tota anima diligendum. Non ergo erat illud mandatum ſupra illum populum, quantum ad cognitionem, nec erat neceſſe ire in cœlum ad cognoſcendum illud. Rurſus non erat ſupra eos, ideſt ſupra eorum vires cum divino adjutorio, ut illud implerent: quia tamen cognoſcebat Moyſes, quod erat ſupra ſolas & puras vires eorum, ut illud adimplerent: ideò ſuppliciter pro eis Dominum deprecatur, ut circumcidat cor eorum gratiæ ſuæ auxilio, ut ſic Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima valerent diligere.

Quartum teſtimonium fuit inductum ex *Ioſuë* 11. 70
ubi dicitur quod *Ioſuë fecit omnia quæcumque præceperat Dominus*: ſed ne quis putaret quod ex ſolis viribus ſuis illa divina omnia mandata ſervaret, præmiſerat eadem ſcriptura in 1. *cap.* verba hæc. *Et factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Ioſuë filium Num miniſtrum Moyſi, & diceret ei, &c. Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum, non dimittam, nec derelinquam te: Confortare igitur, & eſto robuſtus valdè, ut cuſtodias & facias omnem legem, &c.* Ecce ad faciendam omnem legem, ſicut Ioſuë illam implevit, promittit Dominus quod erit cum illo ipſum adjuvans, & quod non dimittet eum nec derelinquet. Sicut ergo ſcriptura

Digitized by Google

ptura docet ipsum omnem legem Domini implevisse, ita asserit ex divino adjutorio eam servasse.

71 Testimonia alia, quæ de David, Iosia, Asa, Iob, testantur eos Deo placuisse, ejus fecisse voluntatem, divinaque illius mandata servasse, in eisdem libris, quibus ipsa commemorant, manifestè docent omnia illa virtutum opera atque divina mandata ideò bene impleviſſe, quia ex Dei adjutorio, ad illa servanda muniebantur. Quod eadem facilitate, qua superiora ostendere, & probare de facili possemus, sed ob brevitatem aliis inspicienda remittimus, & sic constat quam indubitatam veritatem contineat documentum illud, quod ex S. P. Augustino, à principio hujus præmissum est, quod videlicet, nihil ex Scriptura à Deo homini jubetur, quod in eadem non inveniatur à Deo vel datum, vel ab ipso postulatum primum propter probandam arbitrij voluntatem, secundum propter astruendam gratiæ necessitatem.

72 In eadem conformitate Pontifices summi, sacra Concilia, & Sancti Patres loquuntur, docentes posse hominem omnia divina servare mandata, sed per gratiam Dei. Innocentius primus utraque epistola, altera ad Concilium Carthaginense, altera ad Milevitanam, ad longum hanc determinat veritatem contra Pelagium atque Cœlestium, cujus proindè particularia verba non ponimus, quia notissima sunt, & per totum contentum utriusque epistolæ nihil aliud diffinit. Et in epistola ad Iulianum sic ait; *summa virtutis est vicisse gloriam carnis, & magna est Christi gratia nobilitatem moribus superasse.* Mores ergo rectos habere, vel divina mandata servare, per quæ Mores componuntur, magnæ est gratiæ non solius naturæ. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ, Leo Magnus, & alij Summi Pontifices, qui Pelagianos damnarunt, contendentes posse hominem sine gratia divina servare mandata: pro certo semper docuerunt posse illum cum gratia omnia divina præcepta implere: in tantum ut etiam per gratiam docuerit Gelasius posse hominem nedum omnia divina mandata servare, sed omnia venialia vitare, & ad illam maximam perfectionem pervenire, in qua nullis prorsus fragilitatis humanæ, pulsetur illecebris: licet doceat, hucusque de facto sanctis aliquibus id non fuisse concessum, sic enim ait: *sin verò quisquam, non possibilitate facultatis humanæ, sed per divinam gratiam hoc asserat in hac vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit, (nam dono Dei cuncta sunt possibilia) talia confidenter opinari, & sperare fideliter. Sed utrum aliqui tales extiterint, qui usque ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent, sicut nunquam evidenter asseritur.* Celebris est illa Cœlestini epistola citata, in qua inter alia plurima divina mandata diffinit, ex divina gratia posse impleri, confirmans in hoc determinationem Concilij Carthaginensis *in 5. Capitulo* constitutam quorum verba, quia eadem sunt sequenti cap. commodiùs referentur.

73 Concilia etiam omnia Affricana, & cum Arausicano 2. & universali Tridentino pro certo docent posse hominem ex divina gratia omnia Dei servare mandata: ita ut hæc possibilitas non nisi per gratiam habeatur: sic enim Arausicanum docet *can. 25. hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vbi nomine eorum, quæ ad salutem pertinent, divina intelligit mandata, cum de illis dixit, quod non solùm possunt, sed ex gratiæ auxilio illa debent homines adimplere: Vbi enim debitum servandi constituit; ibi præcepta sine dubio nominat. Oecumenicum etiam Tridentinum *sess. 6. de justificat.* cujus verba præcedenti capite inducta sunt, postquam prohibuit ne aliquis illa temeraria & damnata voce uteretur, dicendo, divina mandata esse homini impossibilia, ostendens à quo possibilitas illa servandi præcepta habeatur; apertè docuit oriri ex gratia in illis verbis, *& adjuvat ut possis.*

Denique omnes Sancti Patres, præcipuè illi, 74
qui Pelagianos expugnarunt, clariùs docent, & millies repetunt, omnia divina mandata per gratiam Dei posse impleri; esseque simpliciter gratiam necessariam ad illa implenda atque servanda: Parique ratione qui Lutheranos & Calvinistas expugnant; in hac catholica veritate contra illos persistunt: quod ex Dei gratia possibilia sunt homini omnia divina mandata, & quod per gratiæ auxilium omnia alia homo potest adimplere. Hæc in re tam nota illorum non sunt adhibenda testimonia, quæ plurima sunt, & omnibus pervia. Quis enim ignorat Pelagium inter alios errores hunc habuisse; posse hominem naturæ viribus sine auxilio gratiæ omnia servare divina mandata, & de hoc à Sanctis Patribus Hieronymo, Augustino, Prospero, & Fulgentio fuisse convictum: imò à summis Pontificibus & sacris Conciliis damnatum, quem etiam errorem seu hæresim manifestam tenuit Rabbi Moyses relatus ab Eymerico in directorio Inquisitorum *parte secunda quæst. quarta numero decimo*, sub his verbis idem asserit, (scilicet Rabbi, Moyses) *hominem per seipsum absque Dei auxilio omnia peccata posse vitare; quod etiam in terminis constituebat Pelagius, & Pelagiani omnes.*

Ratio autem convincens est. Certum est enim 75
secundùm fidem, divina omnia mandata homini etiam pro hoc statu naturæ corruptæ impossibilia non esse, sed omnia illa posse hominem servare; sed etiam secundum fidem ea omnia non potest homo in statu naturæ corruptæ solis suis viribus, & sine omni auxilio gratiæ servare: ergo secundum fidem ea omnia potest servare ex gratia. Major *præcedenti capite* de fide est probata contra Lutheranos & Calvinistas. Minor sequenti capite ex fide ostendetur contra Pelagianos. Conclusio autem præter quam ex utraque evidenter concluditur: etiam quæ modo in hoc capite dicta sunt, sicut expresè de fide diffinita testantur. Vnde non solùm ut conclusio sequitur in ratione facta; sed absque illatione per se ad fidem spectat. Omnes ergo tres propositiones in discursu ordinatæ per se & immediatè de fide sunt, & expresè de fide diffinitæ.

CAPVT III.

Necessariam esse gratiam justificantem ut possit homo pro hoc statu servare omnia divina præcepta.

ANtequam quæstionem decidamus, ejus titu- 76
lum oportet explicare, quid nempè intelligamus per observantiam omnium mandatorum, ad quam esse necessariam justificationis gratiam præmisimus. Dupliciter enim loqui possumus de hac mandatorum observatione. Vno modo quatenus implicitè & virtualiter continetur in uno singulari voluntatis actu qui est dilectio Dei super omnia (de quo latè in superioribus actum est) alio modo prout observatio mandatorum non dicit unum singularem

Digitized by Google

gularem actum; sed est formalis & actualis impletio omnium mandatorum per plures actus, adimplendo expresse sigillatim omnia mandata; & unum quodque per proprium & singularem actum, circa cujusque propriam materiam & objectum: videlicet unum colere Deum, non jurare, non occidere &c. Primo modo non agimus modò de observantia mandatorum virtualiter in illo dilectionis Dei actu contenta seu prohibita, quia copiosè de illo singulari actu, & omnibus ipsum concernentibus, vel in illo virtualiter habitis dictum fuit supra requiri ad illum gratiam justificantem; ad istum sensum, quod in nullo instanti temporis actus ille habeatur, & gratia justificans non sit in habente actum illum; licet prioritate naturæ seu rationis ille actus eliciatur ab ipsa infusione gratiæ justificantis, non quatenus præintelligitur in ratione formæ justificantis, sed secundum quod in illo priori habet rationem divinæ actualis motionis moventis cor ad illum actum per quem ad gratiam justificantem, quatenus justificans est, homo disponitur.

77 De secunda ergo acceptione, seu de observatione mandatorum secundo modo capta & modò exposita (de qua & nunc tractamus) asserimus necessariam esse ad illam justificationis gratiam, quatenus forma justificans est. Itaque non solum sufficit quod in nullo instanti temporis divina illa mandata serventur, & justificatio non sit, sicut de dilectione Dei est dictum; sed amplius requiritur, quod præsupponatur anima grata per gratiam justificantem in esse formæ justificantis, & voluntas actuata per charitatem, secundum quod charitas est forma reddens voluntatem charam. Probatur, quia observantia omnium mandatorum in hac significatione & acceptione importat collectionem plurium actuum, qui pro tota vita, vel saltem pro longo tempore fiunt ab homine, secundum quod pro tali tempore occurrunt divina præcepta servanda, & uno tempore materia unius præcepti occurrit, in alio alia, & sic de singulis; ergo necessaria est justificans gratia in ratione formali gratiæ justificantis, patet consequentia, quia observatio omnium mandatorum effectus est gratiæ justificantis; quia omnia divina mandata servare procedit à voluntate recta & conversa in ultimum finem habitualiter, ut docet S. Thomas tum alibi, tum *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. Ibi enim ex eo probat non posse hominem sine gratia, omnia divina servare mandata, quia anima hominis per peccatum aversa est ab ultimo fine, & inclinata in bonum commutabile, unde aliquando operatur conformiter ad illum finem, quia facilè est eligere id ad quod voluntas est inclinata sicut in finem; esse autem voluntatem inclinatam & conversam in Deum ultimum finem, potissimè permanentem, & per longum tempus, quo omnia debet servare mandata, proprium est charitatis & gratiæ justificantis, quatenus justificans est; igitur observatio omnium mandatorum effectus est gratiæ justificantis quatenus justificans est; & sic debet illam præsupponere. Maxima ergo differentia est inter dilectionem Dei super omnia, quatenus unus est singularis actus, & dilectionem Dei secundum quod per plures actus diffunditur, quibus omnia divina observantur mandata. Nam prima dilectio Dei super omnia est dispositio ad gratiam justificantem secundum quod justificans est. Vnde secundum quod dispositio est ad illam justificantem gratiam, ut justificans est, ipsam debet antecedere, nec ab illa prout justificans est elicitur; sed ab illa quatenus habet rationem actualis Dei motionis, sicut ex S. Thoma probatum fuit supra *ex prima 2. quæst. 113. art. 8. signanter*, at observatio omnium mandatorum expressa & formalis, quæ per plures actus fit, non est dispositio ad justificantem gratiam ut sic; sed est proprius effectus illius, ut facile constat ex divinis litteris, quæ observantiam mandatorum tribuunt charitati, sicut ab illa procedentem.

Præterea hoc expresse S. Thomas affirmat 1. 2. 78
quæst. 109. *art.* 4. dicens, quod in statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia divina mandata sine gratia sanante; gratia autem sanans est gratia justificans; ergo docet quod sine gratia justificante non potest omnia implere divina mandata. Sed dices, etiam in *præcedenti art.* 3. docuit eisdem omnino verbis, quod in natura corrupta non potest homo diligere Deum super omnia sine gratia sanante, & tamen (ut modò & supra dictum est) non intellexit quod præsupponatur gratia sanans ut formaliter sanans est, sed sufficit quod sit initiative sanans in illo priori, quo infusio gratiæ habet rationem divinæ actualis motionis: ergo similiter sic poterit explicari in illo *art.* 4. ubi eadem adhibet verba, & sic ex illo non deducitur requiri seu præsupponi ad observantiam omnium mandatorum gratiam justificantem quatenus justificans est. Ad hoc dicendum prout supra, in utroque articulo eadem verba haberi, quæ & relata sunt, nempè requiri gratiam sanantem, & ad diligendum Deum super omnia, & ad servandum omnia mandata divina; cæterum juxta propriam naturam illius unius actus dilectionis Dei super omnia, vel aliorum plurium qui requiruntur ad omnia divina mandata servanda, necesse est quod aliter, & aliter sumat gratiam sanantem; in primo illo actu sufficere initiativè tantum, in omnibus autem aliis completivè, ut gratia justificans est. Quod ut diximus, ex eodem S. Thoma satis apertè colligitur in illa *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. id ipsum clariùs apponit *eadem* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8. vbi sic habet. *In statu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino à peccato* (scilicet mortali de hoc enim sermonem facit) *abstineat.*

Deinde veritas ita efficaciter comprobatur ex 79
Concilio Milevit. *can.* 5. approbato & confirmato à Cœlestino primo, *in sua decretali ad Episcopos Galliæ*, ubi sic habetur. *Si quis dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tanquam, si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur; ubi non ait, sine me nihil difficilius potestis facere; sed ait, sine me nihil potestis facere.* Docet certè Concilium gratiam justificationis nobis dari, nobisque necessariam simpliciter esse, ut divina mandata servare possimus. Igitur docet quod qui illa servat, hoc habet ex gratia justificante, ita quod ex illa sicut ex causa iste procedat effectus: & ideo expresse loquitur de gratia justificante; & docet quod ad hoc nobis datur, idest, ad istum finem & effectum producendum, ut divina videlicet possimus servare mandata: ad quem effectum & finem asserit esse simpliciter necessaria. Non ergo per aliud quodlibet gratiæ auxilium sine gratia justificante potest homo divina implere mandata.

Tandem per impletionem omnium divinorum 80
mandatorum homo est efficaciter aversus à bono commutabili, & efficaciter conversus in Deum incommutabile bonum ut est manifestum, nihil enim aliud est omnia servare mandata divina, quàm Deo in omnibus placere, & illi adhærere, ac unum spiritum cum illo per charitatem effici: cum inter illa

mandata

Digitized by Google

mandata unum sit, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua* &c. Sed sine gratia justificante non potest homo efficaciter esse sic aversus à bono commutabili, & conversus in Deum incommutabile bonum: ergo ad divina omnia mandata servanda necessaria est gratia justificans. Minor constat, quia per quodcumque aliud divinum auxilium sine justificante gratia homo non avertitur efficaciter à creatura, nec efficaciter convertitur in Deum; cum adhuc per illud spiritus sanctus hominem non inhabitet; sed ut plurimum ipsum disponat, & præparet, seu moveat ad justitiam & justificationem; ergo adhuc homo sub peccato manet conversus ad creaturam, & aversus à Deo; igitur ut efficaciter à creatura aversus sit, & efficaciter in Deum conversus (quod requiritur ut homo servet omnia divina mandata) necesse est quod præsupponatur sub gratia justificante constitutus.

81 Dubitabit fortè aliquis an saltem de potentia Dei absoluta possit homo omnia implere præcepta divina per aliud auxilium à gratia justificante? Ad quod dicendum (sicut supra *lib.3.* de dilectione Dei dictum est) posse quidem Deum per actuale auxilium sine habituali gratia justificante efficere ut servet homo omnia mandata divina. At illud actuale auxilium ex necessitate debere esse ejusdem speciei cum gratia justificante, & charitate nec sufficere aliud quodlibet, sicut de lumine gloriæ actuali dici solet. Probatur, quia hîc non apparet contradictionis implicatio, ut id divinæ potentiæ denegetur. Quia semper in omni actu, qui venit exercendus circa cujusque observantiam præcepti, poterit Deus hominis voluntatem movere, ipsumque adjuvare ut illud implear. Quod autem esse debeat ejusdem speciei cum gratia justificante, & charitate patet, quia ille homo sic omnia servando justus erit, & amicus Dei. Ergo in gratia, & charitate saltem actuali reponetur: igitur gratia in facientem hominem justum, saltem actualem, debet habere homo talis, qui sic ex adjutorio Dei omnia observat mandata divina.

CAPUT IV.

Non potest homo etiam justificatus omnia venialia peccata vitare.

82 QVæret etiam quis ulteriùs, an per divinum gratiæ auxilium aliquod, sivè sit justificans gratia sivè donum confirmationis in gratia sive quodlibet aliud quod Deus possit homini tribuere, possit ipse homo omnia etiam venialia evitare, & in tali statu reponi, aut collocari, ut nec minimam patiatur perturbationem, etiam ex inferiori appetitu procedentem?

Supponendum est primò pro hujus declaratione talem statum, in quo possent evitari peccata venialia, omnemque perturbationem non pati, etiam ex inferiori appetitu; proprium fuisse originalis justitiæ. Hæc indubitata veritas est, quæ supponenda est ex superiùs dictis 1. *libro & 3. in fine*, cùm de peccato originali actum fuit, & de defectibus ex ipso causatis per privationem originalis justitiæ quæ perfectè subdebat appetitum rationi & corpus animæ; in quo proindè omnia poterat vitare peccata etiam venialia, ita quod poterat omnino esse absque ullo prorsus peccato quam docet S. P. Augustinus *lib. de natura & grat. cap.43.* ubi postquam Pelagij retulit verba hæc. *Quod Deus, tam bonus, quam justus talem hominem fecerit qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset.* Ita respondet. *Quis enim eum nescit sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt.* Quibus concedit hominem integrum justitia originali potuisse omni carere peccato si voluisset. Non tamen hominem post primi parentis illam primam ruinam. Et *cap.51.* postquam etiam Pelagij induxit verba contendentis posse hominem omni carere peccato etiam veniali subdit. *Si enim iste, qui hunc librum scripsit de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata, & salua condita est, utcunque acceptaretur hoc dictum (quamvis inseparabilem habere possibilitatem ideſt, ut ita dicam inamissibilem non debuit illa natura dici, qua vitiari potuit)* Et *cap.49.* præmiserat: *sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest velit nolit habet ambulandi possibilitatem, confractis verò, & si velit non habet.* Quibus, & aliis plurimis locis docet S.P. & D. Augustinus hominem in natura integra per justitiam originalem potuisse si vellet omni prorsus carere peccato etiam veniali; hoc enim includitur in illa quæstione quæ adversus Pelagium tractabatur, an homo possit si velit omni carere peccato. Idem S. Thomas affirmat 1. 2. *quæst.109 artic. 4. & 8. in corpore*, & *quæst. 24. de veritat art.12.*

83 Supponendum secundò quod in statu naturæ lapsæ soli Pelagiani posuerunt posse hominem omnia vitare peccata etiam venialia si vellet, & ad talem perfectionem posse pervenire, ut nullam prorsus sentiret perturbationem ex inferiori appetitu exortam. Ita Sancti PP. & Pontifices summi de illis retulerunt: S. enim Hieronymus *Epist. ad Ctesiphontem* dicit Pelagium convenire cum Manichæis in hoc, quod dicebat hominem posse esse sine peccato, & cum Priscilianistis, & cum Iloviniano, & cum Origene, omnes enim isti id asseruerunt. Vndè verba S. Hieronymi referentis Origenem sunt. *Vis adhuc, & alium nosse tui erroris principem? Doctrina ejus Origenis ranuſculus est; in eo enim Psalmo ubi scriptum est, (ut de cæteris taceam) insuper, & usque ad noctem erudierunt me renes mei, asserit virum sanctum, de quorum videlicet & tu numero es, cum ad virtutum venerit summitatem, nec in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec vitiorum cogitatione aliqua titillari.* Et 1. libro adversus Pelagianos statim in principio ait. *Dic mihi Critobule, verum ne est, quod à te scriptum audio, posse hominem sine peccato esse si velit; & facilia Dei præcepta?* Et respondet Pelagius, cujus personam repræsentabat Critobulus; *verum, Atticè.* Et statim S. Hieronymus, qui & ibi per Atticum opponebat. *Duo enim à te proposita sunt: unum posse hominem esse sine peccato si velit; alterum, facilia Dei esse præcepta.* Vtrumque ergo contendebat Pelagius, sed ratione & fundamento diverso, præcepta dicebat esse facilia, eaque posse hominem implere de facili, de quo sequenti capite erit agendum; posse autem hominem esse sine peccato etiam veniali si velit affirmabat; posse quidem hominem si velit, & ad id possibilitatem habere, non facilè: unde considerabat nullum forsan unquam de facto omni caruisse peccato de quo statim agemus. Vnde iterum *eodem 1. lib.* refert S. Hieronymus Pelagium ita dicentem. *Ego hoc assero, qui potest uno die se abstinere à peccato, posse & altero qui duobus, posse & tribus; qui tribus, posse & triginta, atque hoc ordine posse, & trecentis, & tribus millibus, & quandiucunque se voluerit abstinere* S. etiam P. Augustinus idem de Pelagio refert *lib.2. de peccat. merit. & remiss. c.3. & sequentibus,*

Digitized by Google

ubi asserit eum sic opponere. Quod si volumus non peccamus; & quod non præciperet Deus homini quod esset humanæ voluntati impossibile. Quibus verbis, ut ibi S. Doctor exponit, intelligebat Pelagius, quod si volumus omne peccatum etiam veniale vitare possumus; quia nimirum ad id habemus possibilitatem. Copiosiùs autem, & expressiùs *lib. de nat. & grat. à cap. 7. usque ad 51. inclusivè*, ubi ait longam mentem, & sententiam relatis propriis verbis Pelagij ad invicem collatis exponit, ipsumque sensisse asserit posse hominem in natura lapsa esse sine omni peccato etiam levi si velit ubi & illud notandum, quod licet in illo *cap. 7. & aliis seqq.* inducat Pelagium dicentem se de possibilitate tantum sermonem facere, non de eo quod factum est; id est tantum asserere posse hominem sine omni peccato esse si velit, non tamen de facto aliquem sine omni peccato esse; licet inquam, hoc in illis capitulis intueamur; tamen si omnia alia inspiciamus, inveniemus Pelagium ipsum, etiam ad quæstionem de facto descendisse, atque expressè affirmasse plures de facto fuisse sine omni peccato. Hoc enim ipsius aperta verba declarant relata à S. Augustino in *illo libro cap. 36.* ubi plures commemorat, quos non modò non peccasse tradit scriptura, sed justè piéque vixisse, ut Abel, Enoch. Melchisedech. Et *cap. 37. & 38.* hoc expressè de Abel nititur probare, quod nullum omnino peccatum habuerit: alias si habuisset, id scriptura narrasset sicut de Adam, Eva, & Cain publicavit. Et in *cap. 41.* illud Apostoli, *omnes in Adam peccaverunt*, de illis dicit intelligendum, qui tunc erant, hoc est de Iudæis, & gentibus non de aliis, quos justos scriptura commemorat, undè in *cap. 42.* sic relatus Pelagius concluſit; *Sed esto consentiam, quia omnes peccatores fuisse testatur* (scilicet scriptura) *dicit enim quid fuerint, non quod aliud esse non potuerint. Quamobrem etsi omnes homines peccatores possent probari; diffinitioni tamen nostræ nequaquam id obesset; qui non tam id quod homines sint, quam quid possent esse defendimus.*

84 Ex quibus duo certa sunt posuisse in hac quæstione Pelagium; primum posse homines esse sine peccato omni si velint; & de facto aliquos sine omni peccato fuisse quod etiam testimonio scripturæ, de Zacharia & Elizabeth, qui erant coram Deo sine quærela probare nitebatur; secundum, quod dato nullus de facto probaretur esse sine peccato, potuisse tamen quemlibet sine peccato esse si voluisset, & hoc ultimum ipsum principaliter intendisse. Idem pari ratione tenuit Celestius relatus ab eodem S. P. Augustino *lib. de perfectione justitiæ cap. 7.* Qui etiam non ita audebat asserere esse de facto homines sine peccato sed esse posse sine illo ut ibi S. Doctor Augustinus advertit.

85 Posuerunt etiam, & potissimè Pelagius posse hominem esse sine peccato absque omni auxilio gratiæ justificantis, vel alteriùs adjutorij veræ gratiæ solùm per facultatem & possibilitatem naturæ. Quamvis enim aliquando dixerit id posse hominem habere per gratiam, ut sine ullo prorsus peccato sit, tamen postea explicavit se nomine gratiæ intelligere naturæ facultatem & possibilitatem quam gratis à Deo accepit: & de hoc ex propriis verbis ipsum convincit S. P. Augustinus *citato loco de natura, & grat. cap. 51.* in quo refert sic Pelagium concluſisse, & seipsum explicasse, cùm priùs dixerat posse esse hominem sine peccato per Deum sive per gratiam. *Ipsa, inquit, non peccandi possibilitas, non tam in arbitrij potestate, quàm in natura necessitate est, quidquid in natura necessitate est positum ad naturæ pertinere non dubitatur authorem utique Deum: quomodo ergo inquit absque Dei gratia dici existimetur, quod ad Deum propriè pertinere monstratur?* Ita dicebat & se exponebat Pelagius, undè adversus ipsum subdit S. P. Augustinus. *Expressa est sententia qua latebat: non est quemadmodum possit abscondi ideo Dei gratia tributa non peccandi possibilitatem, quia ejus natura Deus author est; cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.* Idem docet S. Hieronymus *Epist. ad Ctesiphontem, & Dialogis contra Pelagianos.* Hæc autem Pelagij sententia, quod sine gratiæ auxilio posset homo omni carere peccato manifestè hæretica est, à Concilio Milevitano damnata, à Gelasio, à S. P. Augustino & Hieronymo *ubi supra*, & contra expressa scripturæ testimonia, quæ modò omittuntur.

His ergo tribus, quæ Pelagius protulit, omis- 86
sis, quod potest homo esse si velit sine omni peccato, quod est primum, & quod aliqui tales de facto fuerint, quod est secundum, & quod hoc possunt, seu potuerunt per solam naturæ facultatem, seu possibilitatem, quod est tertium. An id possit cum auxilio gratiæ explicandum est modò.

CAPVT V.

Esto per eximium gratia adjutorium possit homo in natura lapsa omnia peccata, tam mortalia, quam venialia evitare, attamen post Christum sola Beatissima Virgo hanc perfectionem consecuta est.

Dicendum ergo est primò asserere, posse homi- 87
nem in natura lapsa per eximium adjutorium gratiæ vitare omnia in universum peccata, tam mortalia, quam venialia, ita quod possit per eam omni peccato carere, catholicè dicitur. Probatur ex S. Hieronymo *lib. 2. contra Pelagianos* ita dicente. *Si ergo & apud Deum possibile, homini, si velit, donare impeccantiam non ipsius merito, sed sua clementia, & apud homines nequaquam possibile liberi arbitrij potestate quod nutu donantis accipitur.* Et S. P. Augustinus expressiùs *lib. 2. de pecca. merit. & remiss. cap. 6.* hanc tractans quæstionem ita eam diffinit. *Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine pecato non est eis continuò incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Et post pauca. *Vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita: confitebor posse per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium: ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est ad Dei dona pertinere non ambigens: nec tantum ut sit, verumetiam ut bonum sit, id est ad facienda mandata Domini convertatur, atque ita Dei gratia non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adjuvet etiam ut possit fieri quod ostenderit.* Et loquitur de possibilitate vitandi omnia peccata etiam venialia. Et *lib. de natura & grat. cap. 49.* Ex eo quod multi vel omnes volunt esse sine peccato concludit id impossibile non esse, sed per gratiam Dei. In *cap.* etiam 42. postquam retulit Pelagium dicentem quidem non esse an de facto fuerint aliqui sine peccato, sed de possibilitate an saltim possint esse, subjunxit, quod in hac quæstione quæ de possibilitate est, adversum eum certare non oportet. *Nam*, inquit, *nec illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, vel sint vel esse possint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem Dei. Ipsa est enim verissima, plenissima*

Digitized by Google

nissima, perfectissimaque justitia, quoniam id quod voluntate hominis adjuta per Dei gratiam fieri posse, confiteor, & defendo, quando, vel ubi, vel in quo fiat minimum certare non debeo. Similiter *lib. de perfectione justitiæ* contra Celestinum *cap. 2. Respondemus*, inquit *vitari posse peccatum*, (& loquitur in communi etiam de veniali) *si vitiata natura sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et *cap. 7. Nos respondemus*, ait, *nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum, quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum, sed tantummodò esse posse respondit, quod neque nos negamus. Quando autem posit, & per quem posit hoc queritur*; quibus constat S. P. Augustinum docere posse hominem per veram Christi gratiam omni carere peccato etiam veniali; licet id de facto dicat alicui sancto non contigisse præter Beatissimam Virginem quam alibi ab hac generalitate Doctrinæ excepit, ut infrà dicemus. Idem *epist. 95.* ad Innocentium *propè finem illius.* Imò Gelasius Pontifex summus *epist. 6.* inter decretales suas ita hanc veritatem confirmat, *sin verò quisque non possibilitate facultatis naturæ, sed per divinam gratiam hoc asserit in hac vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit*; (*nam dono Dei cuncta possibilia sunt*) *talia confidenter opinari, & sperare fideliter; sed utrùm aliqui tales extiterint, &c.*

88 Ratio autem pro hac veritate manifesta est. Certum est namque hominem in statu Innocentiæ per donum originalis justitiæ potuisse omni carere peccato etiam veniali, ut dictum & probatum est supra; sed potest Deus aliquem adjuvando ei dare donum illud originalis justitiæ; quis enim dicat hoc facere non posse Deum; ergo poterit per specialissimum auxilium gratiæ quis nunc vitare peccata etiam venialia. Nec S. Thomas id negat 1.2. *quod in hoc statu per gratiam potest homo abstinere ab omni peccato mortali non autem ab omni veniali*, quia loquitur id non posse per gratiam justificantem, de qua ibi loquebatur. Non autem negat extraordinariè per specialissimum privilegium gratiæ id Deum posse efficere.

89 Dicendum secundò post Christum Dominum qui peccatum non fecit, imò peccare nullo modo potuit (ut dictum fuit 2. *nostro libro in fine*) de facto beatissima Dei Genitrix Virgo perfectionem consequuta est, ut in hac mortali vita omnia etiam venialia peccata vitaret, ita quod nullum commisit, nec aliqua inferioris appetitus perturbatione mota est. Vndè illa sola hoc singularissimo privilegio dotata fuit. Hoc in primis docuit S. P. Augustinus *lib. de natura & grat. cap. 36. excepta*, inquit, *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur habere volo quæstionem* ubi præter Beatissimã Virginem Dei param omnes alios asserit peccata aliqua habuisse venialia. Vndè, & S. Thomas merito dixit excessisse Chrysostomum, qui motum aliquem inanis gloriæ in purissima Virgine admittere videbatur sed efficacius hoc Sacrum Tridentinum Concilium tradit *sess. 6. de justif. can. 23.* cum hæc verba habet. *Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse &c. aut è contra posse in tota vita peccata etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia Anathema sit.* Vbi doctrinam S. Thomæ in fine præcedentis conclusionis adductam mirificè confirmat; S. enim Doctor de lege gratiæ loquebatur secluso hoc speciali privilegio ut littera sonat.

90 Dicendum tertiò de nullo alio sanctorum cum fundamento possumus id affirmare, quod videlicet tali donatus fuerit privilegio, ut nunquam de facto venialiter deliquerit; imò multò magis conforme est scripturæ sacræ, summis Pontificibus, Conciliis, & Patribus, eos de facto peccata aliqua venialia habuisse. Vndè quod de Ioanne Baptista aliqui dicunt nullum habuisse veniale peccatum, forsan temerarium est. Ita S. Hieronymus *libris illis tribus contra Pelagianos.* S. P. Augustinus *citato nunc loco de natura & gratia cap. 36. & lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7.* inquit: *Si autem quod secundo loco posuerum quæratur utrum sit* (homo scilicet sine omni peccato) *esse non credo, magis enim credo scripturæ dicenti, non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens &c.* Id ipsum habet *lib. de perfectione justitiæ in fine* dicens: *quisquis autem dicit post acceptam remissionem peccatorum, ita quenquam hominem rectè vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omninò peccatum contradicit Apostolo Ioanni, qui ait, si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non enim habuimus, sed habemus.* Et ibi rejicit acutam explicationem qua quis poterat locum illum explicare, dicendo sumi ibi peccatum pro concupiscentia quæ est in carne, quæ peccatum dici solet aliquando, etiamsi voluntas ei nunquam consentiat. Idem habet *epistola 95.* Idem docet S. Hieron. *lib. illis tribus contra Pelagianos.* Gelasius Pontifex summus *in decretali citata.* Concilium Milevitanum *can. 6. 7. & 8.*

Hoc autem auxilium in perfectissima habituali 91
gratia consistit, & in perpetua, ac continua assistentia Dei, qua Beatissimam Virginem ab omni peccato veniali præservavit, ut habet S. Thomas *quæst. 24. de verit. art. 9. & 3. par. quæst. 27. art. 4.* Vnum solùm solvendum est argumentum, quod ex divinis literis Pelagius, Celestiusque sumebant: ex illo 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ejus in eo manet, & non potest peccare.* Vbi de justo dicitur quod peccare non potest. Ne autem quis ex falsa intelligentia hujus loci fallatur, certum est non asserere Apostolum Ioannem, justum esse impeccabilem, vel potentiam ad peccandum non habere, quia hoc manifestè veritati repugnat, & eidem Ioanni dicenti, *si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vndè prædictum testimonium quadruplicem, & veram habet intelligentiam: primam qui natus est ex Deo peccare non potest, id est peccare non debet. Hanc adhibet S. P. Augustinus *lib. de nat. & gratia cap. 14.* Secundam cum fuerit justus in illa perfecta, & consummata gratia peccare non potest, quia erit impeccabilis, hanc tradit idem S. P. Augustinus *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7.* Tertiam qui ex Deo est peccare non potest, nempè secundùm quod ex Deo est per gratiam: peccabilitas enim seu defectibilitas, seu potentia ad peccandum non provenit ex gratia, sed aliundè ex defectibilitate arbitrij, quatenus ipsum ex nihilo factum est; ex hoc provenit peccabilitas, & non ex Deo, & illius gratia. Ita exponit idem S. P. Augustinus, *citato lib. de peccat. merit. & remiss.* Quartam ut intelligatur dictum in sensu composito: id est incompossibile simul est, ut quis sit natus ex Deo per gratiam, & simul peccet, quia illa duo incompossibilia sunt simul: sic exponitur à S. P. Augustino *tract. 5. in epistola Ioan.* & à S. Hieronymo *lib. 1. adversùs Pelagianos.* De quibus veris interpretationibus copiosè magis diximus *lib. nostro 1.* tractantes materiam de sensu diviso, atque composito. Illud etiam addendum hoc argumentum nihil prorsùs Pelagio, vel Celestio favere. Illi enim sine auxilio gratiæ hanc maximam perfectionem evitandi omnia peccata

Digitized by Google

venialia homini tribuebant. At testimonium de hominibus justis & sanctis, & in gratia constitutis procedit.

92 Ad alia argumenta desumpta ex sacris litteris, in quibus homines passim justi, & sine querela canonizantur facilè respondetur ex Sanctorum Patrum doctrina, quod cum hac justitia, & gratia bene compatiuntur venialia aliqua peccata quæ habebant, de quibus scriptura nullam facit mentionem, cum minima sint, & parva in illis locis, in quibus illos justos appellat; sed ex aliis constat eos illa habuisse, ut est illud, *si dixerimus, &c.* & alia similia, quæ omittuntur.

93 Sed tunc major surgit difficultas an secundùm catholicam veritatem id sit asserendum aliquos videlicet sanctorum excepto Christo Domino & Beatissima Virgine matre ejus, peccata venialia aliqua habuisse. Et prima facie alicui fortè ita videbitur propter Canones Concilij Milevitani citati, & propter locum nunc allatum ex S. P. Augustino in quo dicit quod contradicit Apostolo qui id asserit. Nihilominus non id de fide tenendum est: hoc enim expressè docet S. P. Augustinus *citato libro de perfectione justitiæ in fine*, ubi sententiam aliquorum, qui dicunt aliquos vixisse sine peccato, vel non consentiendo, vel quia Deus id non imputat, non audet reprehendere. Reprehenderet autem sine dubio si contra fidem eam esse cognosceret. Similiter *lib. de natura & gratia cap.* 47. dicit. *Neque illud nimis curo utrum fuerint hic aliqui, vel sint vel esse possint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerunt, vel habeant, vel habituri sint charitatem*; si autem de fide id esset, sine dubio, de hoc, & ipse curaret. Et *epist.* 95. clariùs asserit *in fine illius*, quod qui diceret per veram Dei gratiam aliquos, vel aliquem fuisse in hac vita sine peccato scilicet veniali, quod quamvis falleretur non tamen diabolica esset impietas, sed error esset humanus. Et quod magis est, Gelasius *in citata 6. decretali ad finem illius* ait, *sed utrum aliqui tales extiterint, qui usque ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent* (scilicet ut sine omni essent peccato.) *Sicut nusquam evidenter sic nos facilè vel firmare, vel impugnare non convenit*, si non convenit de facili impugnare: non ergo id asserere contra fidem est.

94 Concordia inductorum testimoniorum tradi videtur à Concilio Tridentino *sess. 6. can.* 23. relato: quod videlicet priora, quæ videntur ex Concilio Milevitano, & S. P. Augustino probare id esse de fide, sic intelligantur; ut de fide sit justificatum hominem secundùm communem legem gratiæ peccata venialia omnia vitare non posse, & quod oppositum Apostolo & Concilio Milevitano contradicat, imò Tridentino ubi supra: posteriora autem probent non esse de fide quod, alicui Deus ex speciali privilegio id non concesserit, quia fides non negat quod id Deus ex specialissimo privilegio facere potest, vel aliquando fecerit, & sic concordantur SS. PP. testimonia. Semper tamen est asserendum multò veriùs, & securiùs, & scripturæ sacræ conformiùs, quod tale privilegium aliis SS. à Beatissima Virgine concessum non fuerit, ut præd. SS. PP. docent signanter S. P. Augustinus *ubi supra* Gelasius *inducto testimonio.*

95 Advertendum similiter ideò S. P. Augustinum asseruisse in aliquibus ex locis de ista quæstione non multum fuisse solicitum: nec multùm curasse, quia ut dictum est ad fidem non pertinere videbat, & quia cum illa divinæ gratiæ auxilium præsupponatur, non multùm ad ipsum attinebat quid circa illam diceretur, qui tantùm intendebat contra Pelagianos disputare, qui tale divinæ gratiæ adjutorium negabant, & sine illo contendebant posse hominem omni peccato etiam veniali carere si vellet. Quomodo verò cum hac veritate quod non potest justificatus homo omnia vitare venialia peccata collectivè stet libertas, qua venialiter peccat, sibique tale veniale peccatum imputetur; explicant Sancti Thomæ expositores ad 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8. ubi Sanctus Thomas est videndus, & 24. *quæst. de veritate art.* 12. & S. P. Augustinus, tùm alibi, tum potissimè brevi illo libro de perfectione justitiæ contra Celestium, ubi hanc solvit difficultatem priùs à Celestio oppositam, & ad præsens ex utroque Doctore Sancto breviter dicimus, quod licet omnia collectivè evitare non possit, quia tamen divisivè potest vitare, ita quod nullum est signatum, quod non possit repellere, & quando peccat in aliquo singulari, & signo peccat, ideò & tunc liberè peccat, & sibi imputatur. Respondetur secundò quod ideò sibi imputatur, quia quod omnia simul collectivè evitare nequeat ex priori sua culpa est contractum, scilicet ex primi Parentis peccato: poterat enim si stare vellet in statu, quo eum condiderat Deus omnia simul peccata venialia evitare: unde si modò non potest, potuit, & ex culpa sua hanc impossibilitatem incurrit, quæ propterea ipsi justè imputatur. Hanc secundam solutionem semel, & iterum S. P. Augustinus adhibet argumento præfato Celestij, ex quo illam S. Thom. allatis locis desumpsit, quæ magistralis debet esse in his materiis, & ad multa debet adaptari, ut in processu hujus libri palam fiet, ubi magis, ac magis explicabitur, & quam vera, & necessaria sit convincetur: nunc ea tetigisse sat fuerit.

96 Sed & modum explicare qualiter non possit homo etiam in gratia constitutus omnia simul collectivè venialia peccata cavere; possit autem singula divisivè, non erit difficilè, si quæ S. Thomas *utroque cit. nunc loco* attendantur; hujus enim impossibilitatis collectivè sumptæ, & possibilitatis captæ divisivæ; ratio est ex S. Thoma deducta. Quia habet homo in statu naturæ corruptæ, etiamsi sanus sit quoad animam per gratiam, corruptionem appetitus sensitivi, cujus motus singulos potest ratio exprimere: non autem potest omnes cavere: quia dum uni resistit, alter, & alter frequenter insurgit, & ratio non potest esse semper ita actualiter pervigil, ut alteri leviter non cedat; & sic possibilitas vitandi singula signata, seu divisivè stat cum impossibilitate vitandi omnia in confuso, seu quod dici solet, collectivè. Et quia peccatum habet rationem peccati, & voluntaris per hoc, quod uni, vel alteri in singulari, & signato, seu divisè voluntas consentit; ideò liber est in consentiendo cum de facto venialiter peccat, eique tale peccatum imputatur. Et optimè cohæret hæc libertas, & possibilitas vitandi singula determinatè, cum impossibilitate vitandi omnia simul collectivè. Qui hanc rationem pleniùs videre desiderat, legat illum *art.* 12. *quæst.* 24. *de verit.* & notet quod licet primò, & principaliter de homine in solis naturæ viribus procedat, etiam militat de homine in gratia constituto, ut S. Thom. exponit signanter 1. 2. *citato nunc loco*, & constat ex Apostolo *allato testimonio ad Rom.* 7. & superiùs explicato. Itaque sicut communiter dicitur nullam esse hanc illationem: iste equus non est necessarius ad equitandum vel iste, vel iste; ergo non est necessarius equus ad equitandum, quia defectus est à negatione determinatæ ad negationem confusæ, unde nec ex opposito tenet consequentia, equus est necessarius ad equitandum, ergo iste, vel iste, cum veritate enim ista quod nec iste equus est necessarius ad equitandum, vel quicumque alius in singulari signatus

Digitized by Google

ſignatus ſtat optimè veritas alia, quod aliquis equus vagè, ſeu in confuſo ad equitandum neceſſarius eſt. Ita eodem prorsùs modo nec iſta illatio tenet: iſtud veniale peccatum non poteſt non evitare, & iſtud: ergo omne veniale peccatum non poteſt non evitare, quia eodem modo procedit à negatione alicujus determinatè ſumpti ad negationem alicujus confuſi: Vnde nec oppoſitum tenet conſequentis ſi dicamus, non poteſt vitare omne veniale peccatum, ergo non poteſt hoc, & illud, & ſic de ſingulis: quia cum hac veritate quod iſtud in ſingulari peccatum veniale poſſit evitare, & iſtud, & iſtud quodcumque ſignatum, ſtat hæc veritas alia, quod omne non poſſit ſimul vitare, ſed quod infallibiliter in aliquo deficiet.

97 Diſputare ſolent aliqui an hæc impoſſibilitas ſit phyſica an moralis, qua nequit homo etiam in gratia conſtitutus omnia reprimere peccata venialia; nec ſatis clarè loquuntur. Vnde nos clariùs ſub brevitate quæſtionem iſtam reſolvendam putamus, dicendo primò talem eſſe hanc impotentiam ſeu impoſſibilitatem, ut infallibile ſit, ſeu ſit neceſſe ex ſuppoſitione, quod venialiter homo peccet: unde non poteſt dici impoſſibilitas moralis in hoc ſenſu, quo dicere ſolemus id eſſe impoſſibile moraliter, quod regulariter fieri nequit: licet aliquando rarò fieri poſſit, ſeu rarò eveniat. Non, inquam, in hoc ſenſu dici poteſt impoſſibilitas moralis. Dicendum ſecundò nec illa eſt impoſſibilitas phyſica ad hunc ſenſum, quod oriatur ex phyſica & pura natura voluntatis, erat enim natura integra ante peccatum, in qua tamen impoſſibilitas illa non erat; eſſet tamen, ſi ex phyſica natura voluntatis conſequeretur. Et præterea, quia ſi dicatur impotentia phyſica, timendum eſt, ne aliqua impoſſibilitas in voluntate relinquatur ad liberè peccato veniali conſentiendum. Dicendum tertiò & ultimò quod hæc impoſſibilitas eſt, & dicitur moralis, ex eo quod ex peccato primi parentis, quod fuit malum morale, orta eſt, ex eo enim quod illud malum morale læſit arbitrium, ſeu potentiam voluntatis, infirma facta eſt, ut non poſſit omnia mala venialia vitare, ſicut cum erat ſana, potens erat.

98 Fortè alicui videbitur poſſe ex dictis concludi: quod licitè homo hunc actum habere poſſit; nolo omnia peccata venialia collectivè evitare, cum enim illa omnia evitare ſit impoſſibile: licitum autem ſit nolle rem impoſſibilem: licitum erit illum actum habere. Ad hoc dicendum, nullo modo eſſe licitum actum illum, ſed venialiter peccare qui illum habet; tum quia generali ratione ille eſt ſatis otioſus, & impertinens, nec homine juſto dignus; tum in particulari, quia eſt de malo objecto: non evitare enim omnia peccata venialia collectivè malum eſt, quia eſt in aliquo, ut dictum eſt, deficere: quod quis dubitat eſſe malum? Ex malo etiam procedit, nempe ex originali peccato, quod hanc infirmitatem & miſeriam cauſavit. Tum quia tenetur homo, quantùm de ſe eſt, velle omnia illa collectivè vitare, & in nullo deficere. Tum denique quia per talem actum homo impedimentum poneret Deo, qui per auxilium gratiæ ſuæ poteſt illum ab omni peccato veniali ſervare; ut dictum eſt. Potiùs ergo debet homo dolere, quod ex culpa primi parentis & ſua ad hanc impoſſibilitatem venit, ut non poſſit omnia peccata venialia vitare: imitatus Apoſtolum qui illam deplorabat, cum dicebat *Rom.7. Infelix homo quis me liberabit à corpore mortis hujus? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Itaque ſicut mortaliter peccaret, qui exiſtens in peccato hunc haberet actum, nolo omnia divina præcepta obligantia ſub mortali ſervare; quia ſcio illa me ex infirmitate mea ſervare non poſſe, & idem dico de homine in puris naturalibus; ſi hunc haberet actum abſolutum, nolo per longum tempus omnia præcepta naturalia ſervare, quia meis viribus ea omnia implere non poſſum; abſque dubio mortaliter peccaret, quidquid aliquis S. Thomæ diſcipulus ad 1. 2. *quæſt.* 109. dicat. Et ratio eſt, quia tenentur omnes habere affectum bonum ad nunquam peccandum, & dolere quod ad has miſerias ſint redacti; quod per ſe peccata omnia vitare non poſſint: à Deoque petere ut poſſint, & non habere actum circa malum objectum: quale eſt illud nunc expoſitum. Aliud eſſet, ſi hunc actum homo haberet: nolo ſolis meis viribus naturalibus, quibus ſcio omnia peccata evitare non poſſe, illa evitare. Ipſe enim actus potiùs cum veritate humilitatem continet, ſicut oppoſitus: (Volo omnia ex ſolis meis viribus adimplere) falſitatem & præſumptionem.

CAPVT VI.

Nullum præceptum ſupernaturale potuit homo ſine gratia, etiam in natura integra ſervare quoad ſubſtantiam actus.

QVia, quid homo efficere poſſit cum auxilio 99
gratiæ circa obſervantiam divinorum præceptorum dictum eſt ſupra; quid ſine illa in obſervantia eorum facere non poſſit, oportet explicare. Circa cujus reſolutionem præmittendum eſt: ſermonem non eſſe de divinis præceptis diviſivè. Vtrum enim aliquod vel aliqua in particulari ſint, quæ homo efficere non poſſit per ſolas ſui arbitrij vires, infrà commodiùs exponemus: nunc de omnium collectione tractamus.

Præmittendum ſecundò juxta quæſiti titulum, 100
nec quæſtionem verſari de obſervantia mandatorum quoad illum modum, qui ex charitate habetur, qui eſt: præcepta ſervare propter Deum ex charitate, ut objectum eſt beatificum dilectum ſuper omnia, ſeu illa meritoriè obſervare. Vtrumque enim inſeparabiliter charitati conjungitur, vel unum ſequitur ex alio: qui modus trahitur à S. Thoma 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 3. & 4. Manifeſtum eſt enim quod nedum homo in natura lapſa, verùm nec in natura ſana & integra poterat ſine gratia omnia ſervare divina mandata. Imò nec aliquod illorum cum iſto modo poterat implere, ut idem S. Thomas declarat *eadem* 1. 2. *quæſt. citata, articulis inductis.* Quod adeò eſt manifeſtum ut probatione non egeat. Quomodo enim id quod ſupra totam naturam eſt, ſola natura attingere poſſet? Aliquid enim facere propter Deum ſummè dilectum, ut objectum beatificum ſupra totam naturam eſt, cum ſit eſſentialiter ſupernaturale. Vnde manifeſta implicatio eſt ponere id poſſe hominem ſolis ſuis viribus obtinere, quia jam homo haberet & non haberet charitatem. Non haberet, quia ſupponitur in pura natura: haberet, quia attingeret proprium illius formale objectum, quod à ſola charitate poteſt attingi.

Præmittendum tertiò divina mandata in duplici 101
eſſe differentia, quædam enim ſunt naturalia, quædam ſupernaturalia, etiam quoad ſubſtantiam, ideſt quoad eorum primam & ſpecificam rationem, ut dictum eſt ſupra.

Præmittendum quartò nihil aliud eſſe, poſſe ho- 102
minem in natura lapſa omnia divina præcepta ſervare,

Digitized by Google

vare, quam posse non peccare, quia nihil est aliud non peccare, quam divina mandata non transgredi; sicut per oppositum idem omnino est peccare, quod transgredi divina mandata, idem ergo est quærere, an possit homo lapsus sine gratia omnia servare divina mandata, & quærere an possit sine gratia non peccare.

103 Quintò præmittendum, Pelagium asseruisse, posse hominem in natura lapsa facilè sine gratia omnia divina mandata servare si velit, & ad id vires competenter habere, duo enim dicebat, teste S. Hieronymo *in primo libro contra Pelagianos, à principio*, primum, posse hominem sine gratia facile omnia divina præcepta servare si velit; secundum, posse sine gratia omni carere peccato, etiam veniali, licet non ita facilè, ut dictum est supra, & quia de hac secunda quæstione breviter egimus, nunc de illa, qua homini tribuit ex solâ natura nedum possibilitatem, sed facilitatem ad omnia servanda præcepta, agamus.

104 Tandem præmittendum, Pelagium potuisse hominem lapsum sola naturæ facultate sine gratia posse implere omnia divina mandata tam naturalia, quam supernaturalia quoad substantiam & primam specificam rationem illorum, contendebat enim substantiam talem seu specificam rationem esse naturalem, undè naturæ viribus dicebat posse impleri, sed nec solùm posuit ea omnia posse hominem lapsum sine gratia servare quoad eorum substantiam, verum etiam quoad meritum, & quoad omnem modum necessarium ad salutem. Hoc secundum constat ex Concilio Milevitano contra ipsum celebrato, *ex canone* enim *tertio* liquet Pelagium admisisse gratiam justificantem ut necessariam simpliciter ad solam remissionem peccatorum, quod in illo capite damnatur, licet hanc justificantem gratiam ex priori tribueret merito naturæ, ut patet ex S. P. Augustini *Epistola* 106. Quod agentes supra de contritione satis aperuimus. Et *ex can.* 5. constat eandem gratiam justificationis posuisse Pelagium non necessarium simpliciter, sed tantum ad facilius esse requisitam ad implenda omnia divina mandata, quod pariter canon ille damnat, ergo non admisit Pelagius gratiam justificantem esse simpliciter necessariam ad implenda divina mandata secundum quod implentur in ordine ad salutem, vel cum modo ad salutem necessario, sed ipsorum perfecta impletio, & cum merito, seu cum modo omni ad salutem pertinente posuit haberi simpliciter & absolutè posse per solam naturam. Si enim aliquem modum vel aliquam rationem meriti intellexisset, non posse hominem per solam naturam habere in observantia mandatorum non negaret gratiam esse ad id simpliciter necessariam, sicut negavit.

105 His suppositis. Dicendum est primò nullum præceptum supernaturale potest homo etiam in natura integra servare sine gratia etiam quoad substantiam actus, idest, quoad primam & specificam rationem illius. Veritas ista abundè superiùs manet probata, cum definitum fuit actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, & cæterarum virtutum infusarum, supernaturales esse, etiam quoad substantiam actus, seu quoad primam & specificam rationem eorum; non ergo poterit homo per sola sua naturalia ea servare, etiam quoad talem actus substantiam. Consequentia manifesta est; quia actum in substantia supernaturalem elicere non potest homo per sola sua naturalia; cum ille actus in sua substantia excedat facultatem naturæ, nec potentia possit habere actum se excedentem quia inter potentiam & actum debet esse proportio, itaut sint ejusdem ordinis. Repugnat ergo quod potentia merè naturalis actum in substantia supernaturalem eliciat; ergo repugnat quod substantiam supernaturalem eliciat; ergo repugnat quod substantiam supernaturalem, illorum actuum, qui præcipiuntur, habeat; ergo repugnat quod illa præcepta servet quoad substantiam eorum, hæc ratio cum sequentibus non solum procedit de homine lapso, sed etiam de homine in sua integritate, sine gratia tamen. Amplius; præceptum fidei jubet, ut habeamus fidem supernaturalem & actum supernaturalem fidei, nam jubet quod assentiamur rebus à Deo revelatis quia revelata sunt. Hic autem actus in sua substantia est de objecto formali supernaturali; ergo est supernaturalis in sua substantia, sed istum actum non potest homo habere solis naturæ viribus, ut infra commodiùs probabimus; ergo substantiam actus fidei non potest viribus naturæ solius habere. Confirmatur quia præceptum fidei obligat unumquemque ut sit verè fidelis, sed nemo potest esse verè fidelis ex fide divina, nisi ex dono Dei; ergo præceptum fidei non potest impleri nisi ex dono Dei. Et idem dicendum de præcepto spei, quod substantia, & prima seu specifica ratio illius supernaturalis est, nec haberi potest naturæ solius viribus.

106 Non solùm autem non potest homo solis viribus suis habere substantiam prædictam actus fidei, qua nempè certo assentiatur omnibus revelatis quatenus revelata sunt, sed nec potest habere hunc actum volo habere fidem, vel illam affectuosè desiderare sine gratiæ auxilio solis viribus suis; itaque etiam substantiam hujus actus, qui non ita perfectus est, sicut est ille quo de facto jam credit, non potest homo habere solis suis viribus; ut expressè definitur in Concilio Arausicano 2. *can.* 5. sub his verbis. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, ideſt, per inspirationem spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur* &c. Si ergo hunc actum in substantia habere nequit homo sine gratia, multo minus illum alium habere potest quoad substantiam, qui nobilior multo est.

107 Sed video Thomistas aliquos hic asserere aliquid quod minus intelligitur, sic enim dicunt. *Cum substantia actus fidei, spei, & charitatis infusè sit supernaturalis, necessario requiritur modus supernaturalis ad observationem præceptorum earumdem virtutum circa objecta supernaturalia fidei, spei, & charitatis, & non sufficit sola substantia eorum actuum, sed requiritur ultra supernaturale auxilium.* Qui enim ita conclusionem statuunt, præter substantiam actus fidei, spei, & charitatis, quibus præcepta de illis actibus tradita implentur, requirunt, ut illa præcepta impleantur, modum alium provenientem ex supernaturali auxilio, hoc enim expressè affirmant: nisi sic intelligantur, quod non sufficit ad impletionem illorum mandatorum; substantia in communi vel in genere similis nempè propriæ substantiæ eorum; sed requiritur auxilium supernaturale quod det modum ex parte potentiæ ad efficiendum propriam substantiam illorum actuum implendo illa divina præcepta hoc modo quoad substantiam, forte enim hoc intelligunt; quod si sic est, verum est quod dicunt. Si autem aliud intelligant; certè minus intelligi potest. Primo quia ipsi concedunt substantiam illorum actuum esse supernaturalem, ad eamque necessarium esse supernaturale auxilium, ut dictum est; ergo non requiritur alius præterea modus

Digitized by Google

dus supernaturalis, qui ab auxilio divino tribuatur. Patet consequentia; quia auxilium supernaturale dat substantiam actus supernaturalem, nec insuper modum alium tribuit. Quod est manifestum in actu fidei, substantia enim hujus actus, & ejus prima ac specifica ratio est assentiri certò omnibus revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Hæc certè est substantia, & prima ac specifica ratio actus fidei; hæc autem substantia supernaturalis est ut est probatum. Et hanc supernaturalem substantiam tribuit auxilium supernaturale, quo Deus movet ad credendum. Præter hanc autem substantiam actus fidei, non apparet alius superadditus modus tributus ab auxilio supernaturali, quo modo præceptum fidei servetur; quia posita substantia prædicta actus fidei ex auxilio supernaturali, & excludendo alium quemlibet imaginabilem modum, servaret homo & impleret fidei præceptum. Quod præceptum nihil aliud jubet, quam illam substantiam actus fidei nunc explicatam. Qui enim certò crederet omnibus revelatis, quia à Deo revelata sunt, profecto impleret præceptum fidei; & tamen ille actus est substantia, & prima ac specifica ratio actus fidei sine alio modo quocumque: igitur præceptum fidei sicut & spei (ut modo relinquamus charitatem, de qua statim dicetur) impletur per hoc quod illum actum habeat homo quoad substantiam seu primam, & specificam rationem eorum omnibus aliis circumscriptis modis.

108 Præterea; ille modus, qui dicitur tribui à supernaturali auxilio supra substantiam actus fidei & spei, vel est modus charitatis quæ est forma illarum virtutum, quo nempè illa præcepta fidei & spei, ex charitate implentur, videlicet propter Deum objectum beatificum summè dilectum, vel est modus aliquis proprius illarum virtutum fidei & spei? Neutrum dici potest; ergo nullus talis modus est necessarius, ut ab auxilio divino tribuatur supra substantiam actuum illarum virtutum adhoc quod illa præcepta impleantur. Major constat, quia non est imaginabilis alius modus præter illum, qui illarum virtutum sit proprius, vel illum qui à charitate tribuitur. Minor autem quoad primam partem patet, quia alias sine charitate non posset quis implere præceptum fidei, si ut impleatur, non sufficit substantia actus fidei, sed requiritur modus ille charitatis, quod tamen dici non potest, ita enim præceptum fidei servatur sine charitate, sicut alia omnia præcepta, ut habetur ex S. Thoma 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. Pro secunda parte minor illa probatur. Nam ut S. Thomas docet *eadem* 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. modus virtutis in quatuor consistit, primò ut quis operetur sciens, secundò ut operetur ex electione, tertiò ut operetur firmiter & immobiliter, & ista tria constituit *in corpore illius articuli.* In *solut.* verò *ad* 3. quartum modum constituit nempè operari delectabiliter; sed de nullo istorum potest intelligi prædicta doctrina: ergo. Quod enim aliquis credat sciens, non erit ille modus qui dicitur necessarius supra substantiam actus fidei; quia hic præsupponitur in credente: similiter quod ex electione credat, non erit modus qui postulatur ut necessarius; quia uterque ut generalis præsupponitur. Unde certum est auctorem illius sententiæ de neutro fuisse loquutum. Tertius autem modus propriè pertinet ad habitum, habitus enim est proprium, ut ex illo quis firmiter & immobiliter operetur; si autem iste modus esset necessarius, ut quis impleret præceptum fidei, caderet sub præcepto operari ex habitu; quod S. Thomas negat. *cit. art. solut. ad* 1. similiter quartus modus, qui est delectabiliter credere, secundum quod sequitur ex habitu talis delectatio sub præcepto non cadit ratione eadem, ut idem S. D. habet *relato art. solut. ad* 3. ergo nullus prorsus modus invenitur, qui supra substantiam actus fidei habeatur ex supernaturali auxilio sicut necessarius, ut præceptum fidei, seu spei impleatur.

Dicet fortè quis supradictam sententiam non solùm pro fide & spe, sed etiam pro charitate infusa asseruisse necessarium esse modum supra substantiam actus, sed pro charitate necessarium est id asserere; ergo nec illa sententia reprobanda est. Respondetur, quod si solùm id de charitate affirmaret, nec impugnaretur: pro ea autem parte, qua id etiam de fide, spe, & aliis virtutibus affirmat, sustineri non debet, ut probatum est. Sed & circa charitatis præceptum, quod datur de illius actu advertendum, quod sine dubio hoc est proprium hujus virtutis, ut sub præcepto cadat non solùm diligere Deum, sed ipsum diligere ex toto corde, sive super omnia, prout superiùs dictum est, id enim scriptura ipsa tradidit, cum sic proposuit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Vbi totalitas quædam præcipitur, qui enim ex toto corde diligit, super omnia diligit. Id etiam expressè S. Thomas docet 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. & 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 4. & alibi frequenter; & est Scholasticorum communis sententia supponenda, non modo probanda. At utrum illud (*ex toto corde, vel super omnia*) sit verè, & propriè dicendus modus charitatis, ita quod verè etiam dicatur, quod in hac virtute cadit sub præcepto non solum substantia dilectionis Dei; sed etiam ille modus, an verò illud *super omnia, vel ex toto corde* sit dicendum pertinere ad substantiam actus charitatis non sine fundamento dubitatur. Quod enim sit verè modus, & verba significare videntur, & S. Thomas habet expressè 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. & 2. 2. *quæst* 44. *art.* 4. quod autem modus non sit, sed ipsamet substantia actus charitatis, videtur manifestum; quia prima & specifica ratio actus charitatis est Deum super omnia diligere, ita quod non possumus intelligere specificam rationem actus charitatis sine illa totalitate dilectionis; ergo non est modus. Sed ipsissima substantia & specifica ratio actus charitatis. 109

Ad hoc dicendum, probare rationem hoc ultimo loco constitutam non esse modum extrinsecum & adventitium supra substantiam actus charitatis; nec unquam S. Thomam appellasse illum, sic modum extrinsecum, sed esse modum intrinsecum actus charitatis, vel clarius esse modum complentem essentiam, & specificam rationem, seu substantiam actus charitatis, & in hoc sensu illum nominasse modum S. D. imò se sic accepisse, cum modum nominavit, exposuit 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 4. Respondens ad primum; *quod sub præcepto quod datur de actu alicujus virtutis, non cadit modus, quem habet ille actus ex alia superiori virtute; cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propria virtutis, & talis modus significatur cum dicitur, ex toto corde.* Ecce pertinet ille modus ad rationem propriam actus virtutis charitatis: ergo pertinet ad specificam rationem ejus, ergo pertinet ad substantiam actus illius virtutis. Et in corpore articuli id ex professo probavit, quod videlicet propria substantia, propria essentia, seu propria & specifica ratio actus charitatis consistat in illa totalitate, qua Deus diligendus est ut finis ultimus, & ex consequenti omnia propter ipsum, & sic super omnia ex toto corde sit diligendus. Igitur si illud (ex toto corde vel super omnia) modus dicendus sit; sic dicatur, ut intrinsece sit constituens substantiam & essentiam actus charitatis; unde sicut præceptum 110

illud

Digitized by Google

illud datur de actu charitatis, quia præcepta dantur de actibus virtutis, ita sub præcepto cadit illa totalitas; seu modus ille, qui intrinsecè constituit actum charitatis in specifica ratione actus charitatis: qui tamen modus quia extrinsecus est, substantiæ & specificæ rationi actuum aliarum virtutum, puta fidei, spei, & cæteratum; ideo non cadit sub præcepto, quo actus aliarum virtutum præcipiuntur. Ex qua etiam generali doctrina constat, quod ad hoc, quod præceptum fidei, vel spei, impleatur, præter substantiam, seu primam ac specificam rationem actus fidei vel spei, non est necessarius alius quilibet modus, qui à supernaturali auxilio tribuatur.

111 Ex dictis concluditur quod cum S. Thomas 1.2. *quæst.* 109. *art.* 4. docet potuisse hominem in natura integra sine gratiæ auxilio omnia præcepta servare quoad substantiam actus, inter illa non includit supernaturalia præcepta; sed omnia tantum naturalia præcepta, & illi homini sine gratia proportionata. Et ratio est manifesta quæ modo formata est. Quia substantia præceptorum supernaturalium, de quibus supernaturalia præcepta imponuntur, est supernaturalis; ergo excludit totam capacitatem solius naturæ etiam integræ; ergo nequit homo quantumvis sanus sine auxilio supernaturali gratiæ illa efficere. Quod satis S. Thomas in 1. & 2. *art.* præmiserat, quod illud quod est supra naturam, nimirum supernaturale, natura quamvis sana habere per se solam non potest.

CAPVT VII.

Quod præceptum confitendi fidem exteriùs, seu præcepta suscipiendi Sacramenta, aut mortem pro confessione illa fidei sustinere absque gratiæ auxilio homo non possit.

112 DIximus nullum supernaturale præceptum impleri posse etiam quoad substantiam actus sine auxilio gratiæ, ut includamus præceptum confitendi fidem exteriùs, & præceptum seu præcepta suscipiendi sacramenta quæ impleri non possunt sine auxilio gratiæ, ut contra aliquos ex Thomistis alij discipuli S. Thomæ rectissimè sentiunt. Itaque non potest Hæreticus sine auxilio supernaturali confiteri mysterium Trinitatis, quod non negat, adimplendo præceptum de confessione Dei sine auxilio Dei supernaturali, & multo minus poterit mortem sustinere pro illa confessione ut magister Soto arbitratus est 1. *de nat. & gratia capite* 8. Probatur, quia Hæreticus mysterium Trinitatis quod non negat, non credit secundùm quod à Deo est revelatum, nec quia à Deo revelatum est, ut est manifestum. Quia secundum hanc rationem non potest credere sine fide, solùm ergo illud credit præcisè quia vult, quod S. Thomas expressè docet 2.2. Ergo cum illud exteriùs confitetur, solum confitetur id quod credit, ergo illud confitetur quia vult, quia nec aliter potest confiteri illud mysterium, quam sicut illud credit; ergo non adimplet præceptum de confitenda fide etiam quoad substantiam actus, patet consequentia, quia hoc præceptum in sua substantia jubet confiteri catholicam fidem, ergo jubet confiteri veritatem revelatam secundum quod à Deo revelata est, & quia à Deo est revelata; quia in hoc solum catholica fides consistit. Cum ergo hæreticus non confiteatur illam veritatem ut revelatam, & quia revelata est, non implet illud præceptum etiam quoad substantiam actus.

113 Confirmatur; Quia præceptum confessionis fidei sequitur ad præceptum receptionis fidei, quia fidem receptam ex præcepto confiteri tenetur cum oportuerit; sed qui illud mysterium Trinitatis reciperet assentiendo, negando alia, nullo modo fidem Christianam reciperet, ergo qui illud confitetur negando alia, nullo modo fidei præceptum de confitenda fide observat; sed confitetur id quod sibi placet, & quia sibi placet, non minus ac si confiteretur antipodes esse, quos non vidit, sed aliis dicentibus, quia vult credit, & confitetur. Præterea præceptum de confitenda fide in sua substantia obligat ad totam fidem defendendam, & circa omnem articulum, de quo quis interrogetur: ita quod qui unum articulum fidei confitetur, debet esse paratus omnem, si de omni interrogaretur, confiteri ratione omnino eadem, sicut enim fidei omnia credit, ita & confessio fidei omnia tenetur confiteri; sed hæreticus non est paratus omnem articulum fidei confiteri, si de omni in particulari interrogaretur; imò est paratus quosdam negare; ergo cum merè materialiter aliquem ex sola propria voluntate, quia nempè præcisè vult, confitetur, nulla ratione præceptum confessionis fidei implet, quoad substantiam illius præcepti.

114 In super præcepta non dantur nisi de actibus virtutum pertinentibus ad salutem; ergo præceptum supernaturale confessionis fidei non datur nisi de confessione fidei, quæ sit actus virtutis pertinens ad salutem; sed confessio, qua hæreticus mysterium Trinitatis confitetur, non est actus virtutis, nec pertinet ad salutem; ergo de illa confessione præceptum supernaturale non datur; ergo hæreticus sic confitens non implet præceptum confessionis fidei. Minor manifesta est; quia illa confessio sic facta ab hæretico, nec est actus elicitus ab habitu fidei, nec est actus fidei, ideſt, de objecto formali fidei; ergo nullo modo est actus virtutis. Primum patet, quia in hæretico non est habitus fidei à quo elevatur. Secundum constat, quia objectum formale fidei est revelatum, ut revelatum, & quia revelatum, de quo objecto actus ille non est, ut manet explicatum. Legatur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 1. & 2. & erit manifestum confessionem fidei esse actum elicitum à fide, quæ hæretico repugnat, & de tali confessione elicita à fide imponi præceptum confitendi tempore necessitatis illam fidem, quæ in corde concipitur; unde sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est propriè fidei actus; ita etiam exterior confessio. Imò id Paulus asseruit ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Vbi ad confessionem fidei præsupponit cordis credulitatem, quæ in hæretico non est. Tandem præceptum confitendi exteriùs fidem habetur ex illo Christi Domini Matth. 10. *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Cum ergo hæreticus in illa confessione non confiteatur Christum, quin potius in corde negat, quomodo dicitur implere præceptum confessionis fidei sine aliquo supernaturali auxilio?

115 Inquiret quis forsan, an hæreticus ille teneatur præcepto confessionis fidei, & quidem ex dictis apparet quod non, quia fidem non habet, quam proinde confiteri non tenetur, verum dicendum, quod eo ipso quod baptizatus est, obligatur ad fidem servandam, & illam tempore necessitatis confitendam, unde si postea ex malitia sua fidem negat hæreticus, agens contra primum præceptum, non propterea excusatur à secundo præcepto, nec ei propria malitia obligationem tollit præcepti, sed tempore necessitatis peccaret contra tale præceptum,

Digitized by Google

ceptum, fidem non exteriùs confitendo ſicut tenetur.

Quod ſi arguas, quia non poteſt illud præceptum ſervare, ut dictum eſt. Reſpondetur, quod ipſi imputetur, quia hanc impotentiâ ex propria iniquitate invenerit. Dices, quidquid faciat ille peccabit, ſi habet tale præceptum; ſi enim tempore quo obligat, non confitetur exteriùs fidem, frangit tale præceptum; ſi viribus ſuis eam confiteatur; etiam præceptum non implet, ut diximus, ergo etiam peccat, quia non implere præceptum tempore quo currit, quomodocumque illud non impleat peccatum eſt; unde dabitur in iſto caſu perplexitas, quæ non videtur admittenda.

116 Reſpondetur inconveniens eſſe dari perplexitatem per ſe, ſeu ſecundum ſe; at præſupoſita malitia hominis non eſt inconveniens, quod perplexitas detur, ut S. Thomas cum communi ſententia tenet, & ſic præſuppoſita propria malitia hæretici, qua fidem negat, *inconveniens non eſt dari illam perplexitatem*, ita ut quidquid faciat peccet, quam tamen poteſt evitare, ſe ad fidem convertendo & credendo, ac veram fidem confitendo.

117 *An verò poſſit hæreticus ſolis ſuis viribus mortem ſubire pro confeſſione illius articuli fidei quem non negat, video aliquos aſſerentes*, ſed minus hæc illorum ſententia placet. Quia mori pro defendenda veritate, quocunque motivo illam credat, actus eſt bonus imò egregius, valdeque difficilis; undè juxta ſuperiùs reſoluta, homo infirmus ſine auxilio gratiæ eum habere nequit; ſi enim opera aliqua moralia bona non ita difficilia nequit efficere, multo minus actum iſtum ſupremæ difficultatis. Item, quia ut dicemus, gravem tentationem ſuperare nequit homo ſine gratiæ auxilio, ergo multo minus hanc poterit, quæ graviſſima tentatio eſt; in qua propria vita traditur pro defenſione veritatis, quocumque motivo credatur, nec amplius de hoc eſt modo dicendum; quia infra ex profeſſo tractabimus; an pro defendenda lege naturæ poſſit quis ſolis naturæ viribus mortem ſubire.

118 Sed contra videtur eſſe quod docet S. P. Auguſtinus *ſerm. 50. de verbis Domini*, Quod hæretici aliquando non ſolùm patiantur pro ſuis erroribus, ſed etiam pro aliquibus operibus bonis, vel pro defendenda veritate, quam non negant; de quibus alibi dicit, quod licet id ad meritum eis non proſit; prodeſt tamen ut tolerabilius ſubeant judicium, ad hoc dicendum non docere S. P. & D. Auguſtinum, illos tunc mori ex ſolis naturæ viribus; ſed ſupponere quod contra Pelagianos docuit *libro de natura & gratia cap. 69. quod admonemur in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Difficilia ergo opera bona ſine adjutorio gratiæ, quod propterea petere debemus, efficere non poſſumus, nihil autem difficilius ac terribilius quam mortem ſubire, pro veritate defendenda, ergo ſine adjutorio gratiæ id homo facere nequit ſecundum Auguſtini ſententiam hoc ipſum à fortiori confirmat, quod S. Thomas habet 2.2. *queſt. 136. art. 3. ad 2.* ubi dicit *quod quidam gentilium leguntur multa mala toleraſſe ne patriam proderent, aut aliquid aliud inhoneſtum committerent; qua mala licet ſuſtinuerint ſine gratia juſtificante, non tamen abſque auxilio gratiæ Dei.* Si ergo mala ardua, & difficilia perpeti propter bonum rationis, non potuerunt gentiles abſque adjutorio gratiæ Dei, ut S. Thomas expreſsè affirmat, quanto minus poterunt hæretici pro defendenda veritate in ſe ipſa ſupernaturali, & à Deo revelata propriam vitam exponere cum omnium difficilium & terribilium terribiliſſimum mors ſit? Manifeſtum eſt ergo ex utriuſque S. Doctoris ſententia non poſſe hæreticum ſolis ſuis viribus mortem ſuſtinere pro defendendo myſterio Trinitatis, quod non negat; ſed ad id propter ſupremam operis boni difficultatem indigere adjutorio divino.

Nec illud argumentum aliquid valet, poteſt pertinaciter pro ſuo errore mori ſine adjutorio Dei: ergo poterit abſque eodem adjutorio mori pro bono rationis, vel pro prædicta veritate defendenda, quia malum ex nobis poſſumus, bonum autem difficile & arduum non niſi ex Deo. Sed de hoc argumento infrà plura dicentur, & clariùs ſolvetur; modò enim ſolùm ſolutio tangitur. Ad locum vero S. P. Auguſtini dicendum: quod vel ibi ſupponit, eos aliquo juvari auxilio divino ad illud opus arduum, & difficile efficiendum, vel, quod eſt veriſimiliùs aſſerere, quod ex aliquo motivo inanis gloriæ id efficiunt, propter quod tolerabiliùs puniuntur, quam ſi illud non operarentur, ſed ex malitia alicujus efficerent. 119

Simili ratione dicendum eſt, non poſſe hominem ſine gratiæ auxilio implere præceptum ſuſceptionis baptiſmi & confeſſionis. Imò nullum præceptum ſacramentorum ſine tali gratiæ auxilio impleri poterit, quamvis aliquis S. Thomæ diſcipulus oppoſitum dicat, hoc motus argumento, quod poteſt baptizari homo peccans mortaliter in ſuſceptione Sacramenti, & tunc implet præceptum baptiſmi; ſed ad illam actionem, cum ſit peccatum, Deus ſpeciali auxilio gratiæ non concurrit; ergo ſine tali gratiæ auxilio implet præceptum illud baptiſmi. Antecedens eſt notum, quia poteſt quis accedere ad ſacramentum baptiſmi fictus, volens recipere ſacramentum, ſed nolens relinquere peccatum: in quo caſu mortaliter peccat recipiendo ſic ſacramentum rurſus implet præceptum de ſuſceptione baptiſmi, quantum ad ſubſtantiam operis; quia verum, & non iterabile ſuſcipit ſacramentum; ergo implet præceptum illius, alias illud iterum implere teneretur. 120

Sed nihil obſtat hoc argumentum prædictæ veritati, quæ non obſcura videtur tradi à Concilio Arauſicano 2. *can. 5.* præcedenti capite relato, dum diffinit. *Ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non haberi, niſi ex dono Dei*; ſed qui accedit ad baptiſmum, etiam cum obice peccati mortalis, ut adimpleat præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum, habere debet credulitatis affectum, ex quo peruenit ad regenerationem baptiſmatis; ergo non poteſt ſic accedere, & ſic ſacramentum illud ſuſcipere abſque gratiæ auxilio, minor conſtat, quia qui implet præceptum ſuſceptionis baptiſmi, debet habere intentionem ſuſcipiendi illud & intrandi in Eccleſiam medio illo; ergo debet habere credulitatis affectum, nam talis intentio eſt circa aliquid ſupernaturale, & efficax eſt cum ad opus de facto moveat, & ad realem baptiſmi ſuſceptionem, ergo eſt ille credulitatis affectus, quem Concilium poſtulat ad baptiſmi ſuſceptionem & quem ſine auxilio gratiæ docet haberi non poſſe. 121

Præterea qui ſuſcipit baptiſmum, & præceptum illius implet ſi fuerit adultus debet eſſe voluntarius circa ipſum ſacramentum & inſtitutionem, ac effectum illius, habereque intentionem ad veritatem ſacramenti. Hæc autem ſine gratiæ auxilio haberi nequit, ergo nec ſine illo poteſt præceptum illius implere. 122

Ad fundamentum autem oppoſitum facile reſpondetur quod Deus ſpeciali auxilio gratiæ concurrit cum ſuſcipiente baptiſmum, & ponente obicem 123

Digitized by Google

peccati mortalis, nam in illa susceptione baptismi, & adimpletione præcepti illius consideranda est substantia illius actus, quæ bona est, & ad quam Deus concurrit & deformitas seu malitia ponentis obicem, ad quam Deus non movet nec illam aliqua ratione causat imò omnes profecto tenentur asserere quod in confectione, vel susceptione sacramenti quæ fit cum peccato, Deus speciali auxilio concurrat ad illam actionem secundùm quod bona est, & non quatenus peccaminosa, ut patet in eo, qui consecrat in peccato mortali. Ad consecrationem enim illam Deus concurrit, quatenus consecratio est, nullo modo ad peccatum consecrantis quia talis consecratio cum suo effectu principaliter Deo tribuitur, ut causæ principali supernaturaliter operanti, & moventi consecrantem ad sic consecrandum.

124 Dices potest aliquis per vim, & metum baptismum suscipere ut pote si ei mors intimetur, nisi baptizetur, in quo casu verè sacramentum suscipit, & illius Characterem ut diffinitur *in capite majores de baptismo, & illius effectu*, & tunc implet præceptum susceptionis illius, & tamen tunc non videtur auxilio gratiæ illud suscipere, quia id facit, ut mortem effugiat, naturale autem est propositis duobus malis minus eligere, ergo ut mortem effugiat, quod reputat supremum malum naturaliter poterit baptismum velle suscipere.

125 Respondetur, quod etiam tunc speciali auxilio movetur ad susceptionem baptismi, nec id poterit naturæ viribus, quia velle ipsum etiam tunc suscipere, ut aliorum sacramentorum januam, & ita velle se esse Christianum, & ad Ecclesiam pertinere, sine auxilio gratiæ haberi non potest; illa enim baptismi susceptio est absolutè voluntaria; licet secundum quid admixtum habet involuntarium; undè nec solius viribus naturæ eam potest habere homo; tunc autem solum homo propositis duobus incommodis potest minus naturaliter eligere, cum utrumque naturale est, & viribus naturæ proportionatum, non quando illud quod minus reputatur, est supernaturale excedens propterea naturæ vires, ut alibi explicatum est. Quod si Deus illi tale auxilium non præstet potius mortem subibit sicut propter errores alios pertinaciter multi mortem sustinent, & tunc ei reputabitur facilius esse mori, quam Religionem per baptismi susceptionem mutare.

126 Adhuc instabis, quia potest dormiens baptizari, qui verum quoad caracterem recipiat baptismum, ita quod non amplius tenetur baptizari; ergo sic suscipiendo implebit præceptum. Illud enim habebat ante illam susceptionē & post illam non habet: ergo illud implevit, sic suscipiendo, & tamen tunc sine speciali auxilio Dei, illud suscipit. Nec enim apparet, quod gratiæ auxilium habeat sic dormiens baptizatus. Ad hoc dicendum ex *cap. majores de baptismo*, quod si ille cum erat in vigilia baptismo contradicebat (censetur autem contradicere, non solum actu explicito, sed etiam per continua opera infidelitatis quæ exercet absque aliquo actu volendi baptismum) tunc baptismus collatus in dormiendo, non tenet, nec aliquo modo præcepto illius satisfecit. Si autem, cum erat in vigilia, propositum habuit baptizandi, & dormiens baptizatus est, verè recipit baptismi sacramentum, & implevit præceptum, quo baptizari tenebatur, sed illud propositum baptizandi sine speciali auxilio gratiæ haberi non potuit propter rationes allatas à principio. Cōsulto diximus, sine gratiæ auxilio, quia ad impletionem illius præcepti non requiritur gratia justificans, ut verè, & communiter tenetur. Quod si tandem admittatur, quod talis homo, nec positivè repugnet, aut explicitè, vel virtualiter, & implicitè, nec etiam aliquo actu, vel præsenti, vel antecedenti baptismum vellet recipere, sed in omnibus se habeat respectu illius merè negativè ita quod nec illam vellet, nec illi obicem ponat, tunc dicendum est illum verè recipere caracterem baptismi, vereque baptizatum manere in quo casu, sicut ipse actum non habuit, ita nec ab auxilio gratiæ motus dici potest, sed qui cum baptizari voluit, & de facto baptizavit divino auxilio ad id motus dici debet.

De præcepto autem sumendi mirabile sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum certum videtur, quod 127
nequit impleri nisi habeat justificantem gratiam, vel post probationem illam putet se habere ita quod ad minus requiritur contritio cognita, ut illud impleatur præceptum. Vndè qui in Paschate in mortali reciperet Eucharistiam licet satisfaceret Ecclesiæ præcepto de sumenda Eucharistia tali tempore; & propterea excommunicationem latam contra non communicantes non incurreret; tamen divinum præceptum de sumenda Eucharistia nullo modo impleret. Probatur; quia hoc mirabile sacramentum ex propria natura est sacramentum vivorum. Ergo præceptum quod de illo datur obligat ad sumendum illud cum vita gratiæ, vel re ipsa, vel saltem existimata. Patet consequentia, quia præceptum datur de sacramento ut sumatur conformiter ad naturam propriam illius; ergo si ex sua natura est sacramentum vivorum obligat, ut à vivente sumatur modo prædicto. Item cum sit specialis cibus, supponit virum specialiter per gratiam saltem existimatam, & cognitam, & sic obligat, ut accedens ad ipsum vitam talem spiritualem modo prædicto habeat.

Nec est verū, quod sumens divinam Eucharistiam 128
in mortali peccet solùm contra Religionem, qua quis tenetur digne facere, quæ pertinent ad cultum Dei, non autem contra speciale præceptum Eucharistiæ quæ specialiter hanc dignitatem postulat; dicendum est enim quod peccat contra speciale præceptum hujus sacramenti quo tenetur, Apostolo testante, se ipsum homo probare & sic de illo panè edere, & calice bibere. In aliis verò sacramentis, quæ indignè suscipiuntur, est peccatum illud contra Religionem, quæ generaliter obligat, ut dignè tractentur, & fiant illa, quæ ad divinum cultum spectant: reputo autem non peccare duplici peccato, qui indignè sumit Eucharistiam, altero contra Religionem generali, altero speciali contra Eucharistiam; sed uno tantum gravissimo contra sacrosanctam Eucharistiam & ratio est quia quando est aliquod præceptum generale de multis datum, si ob particularem rationem de uno specialiter proponatur, qui illud trāsgreditur unum solum peccat peccato non duplici, quia illud generale jam continetur in illo particulari, nec ponit in numero cum illo; sed de hoc in propria materia tractatur. Modo ut nostram resolvamus, dicimus ad hoc Eminentissimum Sacramentum sumendum, & implendum ejus speciale præceptum necessariam esse justificantem gratiam modo explicato; id est saltem existimatam nec sufficere auxilium aliud gratiæ divinæ, sicut sufficit pro implendis præceptis particularibus aliorum sacramentorum. Dixi particularibus, quia indignè illa sumens semper peccat contra generale præceptum Religionis modo prædicto.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Homo abſque gratia ſolis ſuis naturæ viribus relictus non poteſt aliquando contra ſupernaturalia præcepta non peccare.

129 CVm dictum ſit ſupra non potuiſſe hominem etiam in natura integra implere præcepta, vel præceptum aliquod ſupernaturale quoad ſubſtantiã actus, inquirendum eſt modo: An poſſit ſine gratia ſaltem non peccare contra tale ſupernaturale præceptum. Movetur quæſtio propter Cajet. qui in *Comm. ad* 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. aſſerit quod licet non poſſit homo in natura integra ſine gratia implere præceptum aliquod ſupernaturale, potuit tamen ſine illa non peccare contra præcepta ſupernaturalia, & ita interpretatur concluſionem S. Thomæ *in illo art.* 4. cum dicit potuiſſe hominem in natura integra ſervare omnia præcepta legis quoad ſubſtantiã actus, quod nempe procedat de omnibus mandatis etiam ſupernaturalibus ad hunc ſenſum, quod licet poſitivè ea implere non potuit ſine gratia, potuit tamen ſine illa non peccare contra ipſam. Fundamentum Cajetani eſt, quia impletio præceptorum ſupernaturalium de neceſſitate claudit donum ſupernaturale in habente quo ſit potens adimplere: Ad hoc autem quod aliquis non peccet contra ſupernaturalia præcepta non requiritur donum ſupernaturale, ſed ſufficit non ponere obicem in nulloque reniti divinæ motioni, ſed paratum ſe exhibere ad operandum opera ſupernaturalia, ſi Deus dederit divinum ſupernaturale auxilium, & hoc poterat homo in ſtatu naturæ integræ, unde poterat non peccare contra naturalia præcepta.

130 Confirmatur & explicatur. Nam optimè ſtat hominem evitare peccatum contra præcepta ſupernaturalia ſine adimpletione illorum. Ergo potuit in natura integra homo illud primum facere ſine hoc ſecundo. Probatur antecedens, quia ſi Deus prorſus denegaret homini omne ſupernaturale auxilium, tunc non peccaret contra præcepta ſupernaturalia, quia nec illa eſſent ſupernaturalia præcepta, & tamen ea non impleret ratione facta, quia nempe non eſſent talia ſupernaturalia præcepta, ut ea homo adimplere poſſet. Similiter quia etiamſi haberet homo auxilium ſupernaturale, ſi tamen haberet ignorantiam invincibilem ſupernaturalium præceptorum in hoc caſu, licet eſſent ſupernaturalia præcepta, excuſaretur tamen homo ab illorum impletione: ergo non peccaret contra illa, & tamen ea non impleret. Deindè homo in ſtatu naturæ integræ potuit non mori in corpore: ergo potuit non mori in anima: antecedens patet, & conſequentia probatur, quia mors corporis pendebat à morte animæ: ergo ſi in illo ſtatu potuit evitare mortem corporis, potuit etiam in eodem evitare mortem animæ. Ergo potuit omne peccatum evitare etiam contra præcepta ſupernaturalia.

131 Nihilominus dicendum eſt primò hominem in ſtatu illo naturæ integræ non potuiſſe ſine gratia non peccare contra ſupernaturalia præcepta; ſed ſolis ſuis viribus relictus infallibile fuiſſe, quod contra illa peccaret. Probatur primò ex S. Thoma 1. 2. *queſt.* 109. *art.* 4. Vbi pro eodem ſumit poſſe ſervare hominem divina mandata, & poſſe non peccare, cum nihil aliud ſit peccare, quam tranſgredi mandata divina; ſed homo in ſtatu naturæ integræ ſine gratia non potuit ſervare, ſeu adimplere divina mandata: ergo non potuit non illa tranſgredi, ſeu peccare contra illa: major manifeſta ſententia S. Thomæ eſt in *illo articulo* 4. Minor admittitur à Cajetano *ubi ſupra*. Ergo concluſio tenet. Vnde quod in primis adverterim, ſuppoſito quod Cajetanus aſſeruit non poſſe hominem in natura integra ſine gratia ſupernaturalia mandata implere non potuit concluſionem S. Thomæ exponere de ſupernaturalibus mandatis, ſed conformiter ad mentem S. Thomæ debuit aſſerere, quod ſicut non potuit homo ille implere ſupernaturalia mandata, ita non potuit non peccare contra illam ſi gratiam non habebat.

Deindè S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *ad* 2. 132
expreſsè ſic habet: *ſunt etiam quædam peccata mortalia, quæ homo ſine gratia nullo modo poteſt vitare, quæ ſcilicet directè opponuntur virtutibus theologicis, &c.* Præterea probatur ex S.P. Auguſtino in *Enchiridion cap.* 106. & 107. dicente quod primus homo eguit divino auxilio, ut poſſet non peccare, & in rectitudine, in qua conditus erat permanere: ergo ſine illo divino auxilio non permaneret in illa rectitudine, ſed peccaret, imò ſine illo non poſſet non peccare; ſed hoc non dicit S. P. reſpectu præceptorum naturalium, certum eſt enim, quod reſpectu eorum non indigebat divino adjutorio, ſed ſuis integris viribus ea ſervare poterat, ut S. Thomas docet 1. 2. *quæſt.* 109 *art.* 4. Ergo neceſſariò id intelligit S.D. reſpectu præceptorum ſupernaturalium, reſpectu quorum docet, quod non poterat homo ille non peccare, ſi non haberet divinum gratiæ adjutorium.

Præterea quod magis eſt in Concilio 2. Arauſi- 133
cano *can.* 19. ſic diffinitur *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Vnde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Id eſt nullo modo poterat ſe continere ſine gratia contra præcepta ſupernaturalia non peccando, nam in ordine ad naturalia (ut dictum eſt) in illa integritate ſuis naturalibus viribus continere ſe poterat.

Ratio etiam id perſuadet, quoniam præceptum 134
ſupernaturale v.g. fidei (& idem eſt prorſus de præcepto ſpei, & charitatis) obligat ad actum aliquem poſitiuum ſupernaturalem habendum; ita ut ſi de facto non habeatur fiat præcepti tranſgreſſio, ſed ex ſolis naturæ viribus etiam integris nemo poteſt talem actum elicere: ergo neceſſarium fuit homini etiam in natura integra ſupernaturale auxilium ad eliciendum actum illum, alias præceptum illud tranſgrediretur, minor manifeſta eſt, multotieſque in ſuperioribus explicata, atque probata; actus enim fidei, & cæterarum virtutum Theologicarum, etiam quoad ſubſtantiam, eſt ſupernaturalis: ergo ſubſtantia illorum actuum, qui præcipiuntur, non poteſt impleri ſine ſupernaturali auxilio. Major verò etiam conſtans eſt; quia præceptum fidei, & cæterarum virtutum Theologicarum eſt affirmatiuum, non negatiuum: ergo requirit actum poſitiuum ad ſui impletionem. Patet conſequentia, quia in hoc diſtinguuntur affirmativa præcepta à negativis, quod ſicut affirmativa obligant non pro ſemper, ſed tempore neceſſitatis, ita obligant ad habendum actum poſitiuum, qui præcipitur. Negativa verò præcepta ſicut obligant pro ſemper, ita implentur per hoc, quod homo merè negativè ſe habeat circa materiam talem. Itaque præceptum fidei non ſolum jubet negationem actus contrarij, ſicut hoc negativum præceptum, non occides, & ſimilia negativa; ſed jubet fieri poſitivum actum credendi: ergo ſine tali poſitivo actu verè tranſgreditur homo fidei præceptum. Præterea præceptum ſupernaturale

Digitized by Google

quando obligat ad actum supernaturalem : ergo tunc non implere præceptum per actum supernaturalem, erit transgredi præceptum, & peccare.

135 Dicendum secundò, si homo in natura integra non haberet adjutorium supernaturale, quo posset implere supernaturalia præcepta, & ipsa non transgredi, aut contra illa non peccare, non sibi imputaretur, quod illa non impleret ipsa transgrediendo, sed sicut inconveniens est ponere, quod ipsa non impleret ea transgrediendo, & non ei imputaretur peccatum; ita inconveniens est ponere, quod non haberet adjutorium supernaturale, quo ea posset implere. Hæc conclusio aperta Doctrina S. P. Augustini est *libro de correct. & gratia cap.* 11. ubi agens expresè de adjutorio, quo primus homo potuit perseverare, si vellet, ita dicit : *Si autem hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, cum primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet : non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur.* Hanc ergo rationem S. P. & D. ad nostrum propositum applicemus; si hoc supernaturale adjutorium, quo poterat homo, cum primùm factus est, ideſt in natura integra servare supernaturalia mandata, illi defuisset, quoniam non talis ejus natura facta erat, ut sine supernaturali adjutorio posset supernaturalia præcepta implere ipsa non transgrediendo, non utique sua culpa cecidisset. Adjutorium quippe defuisset sine quo servare illa supernaturalia præcepta non posset, & ex alia parte non sua culpa illo careret. Qui autem non habet, posse aliquid operari, nec propter suam aliquam culpam tale posse ei denegatum est, non peccat non sic operando id quod operari non potest. In natura autem lapsa alia ratio est; quia licet aliquibus tale adjutorium, quo possent bene operari, denegetur, quia tamen ob priorem suam culpam denegatur, eis ad culpam imputatur, si non bene operantur, ut infrà commodiùs erit convincendum juxta hanc S. P. Doctrinam, & apertam sententiam. In qua etiam pro certo supponit, quod *libro* 2. tetigimus, aliquibus videlicet modò negari auxilium, quo possent bene operari, seu quod sufficiens solet appellare, de quo etiam inferiùs tractaturi sumus ex professo.

136 Dicendum tertiò absolutè, & simpliciter homo in statu naturæ integræ poterat vitare omnia in universum peccata etiam contra supernaturalia præcepta, poteratque absolutè, ac simpliciter omnia divina mandata etiam supernaturalia implere. Hoc in primis S. P. Augustinus docet *relato nunc loco*, ubi probat potuisse hominem in illo statu permanere, & perseverare in justitia, & sanctitate, quam à Deo acceperat, si tamen vellet : ergo potuit omne in universum peccatum vitare etiam contra supernaturalia præcepta. Consequentia manifesta est, quia si non posset omne evitare peccatum, non poterat in bono perseverare, cum perseverare omne in universum excludit peccatum. Idem docet S. Præceptor *c.* 12. *ejusdem libri*, dicens, quod primus homo in Paradiso poterat non peccare, sicut non mori. Idem docet 14. *de Civit. cap.* 10. & *lib.* 22. *cap.* 30. Author Hypognost. *lib.* 3. *non longè à principio*. Idem S. Thomas docet 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. Magister in 2. *dist.* 24. S. Bonaventura *in eodem* 2. *eadem dist. q.* 2. & Doctores alij, & ratio est, quia homo in statu naturæ integræ habuit supernaturale auxilium, quo potuit in bono perseverare. Ergo habuit supernaturale auxilium, quo potuit omne peccatum evitare, etiam quod est contra supernaturalia præcepta : ergo potuit omnia supernaturalia præcepta implere ex tali supernaturali auxilio, quod habebat, ut posset ea implere semper, si vellet.

Ad argumenta à principio, dicendum illam di- 137
stinctionem Cajetani de observatione præcepti supernaturalis positiva, & de vitatione peccati contra ipsum, qua tenet, posse hominem in natura integra hoc secundum sine adjutorio gratiæ, non verò illud primum : minus subsistere, ut in secunda conclusione ostensum est. Primò quia præceptum supernaturale, fidei videlicet, cum sit affirmatiuum obligat ad habendum actum positivum, unde si non habeatur talis positivus actus, frangit præceptum, & peccat homo quomodolibet se merè negativè habeat, vel non ponat obicem; quia præceptum non præcipit hanc negationem, nec quod bene homo operetur circa omnia naturalia per quod non ponit obicem gratiæ : non, inquam, hoc præcipit, sed præcipit, quod eliciat positivè actum credendi, qui in substantia est supernaturalis. Vnde si istum actum positivè non habeat, quando currit præceptum ipsum, verè transgreditur, & contra ipsum peccat. Et sic idem est profectò servare tale præceptum, & non peccare contra illud. Similiter idem est illud non servare, cum obligat, & ipsum transgredi, sive contra ipsum peccare, ut ex S. Thoma à principio dictum est.

Secundò, quia si illa distinctio Cajetani subsiste- 138
ret, æquè licebit colligere ex illa, quod etiam modo in natura lapsa possit vitare solis suis viribus peccata aliqua contra præcepta supernaturalia, licet non possit illa implere; quia posset quando supernaturale aliquod præceptum instaret habere se merè negativè circa illud, quia posset operari aliquod bonum naturale per quod non poneret obicem gratiæ : hoc autem nullus concedere potest. Verum est hanc rationem non convincere, quia poterat Cajetanus respondere illum talem, cum in peccato sit per hoc ipsum impedimentum, & obicem gratiæ ponere, non autem illum alium in natura integra. Vnde persistendum est in prima responsione, quæ firma est.

Ad secundum, seu ad confirmationem primi, di- 139
cendum aliud esse non peccare contra supernaturalia præcepta, & aliud evitare peccatum, quod opponitur præcepto supernaturali, quando illud obligat; primum enim est negatiuum, non peccare videlicet contra præceptum. Vnde verificatur in utroque illo casu; si enim homo esset conditus in puris naturalibus, cui nulla proindè essent imposita supernaturalia præcepta : verè de illo diceretur, quod non peccat contra supernaturalia præcepta, quia propositio est negativa, quæ ad sui veritatem non requirit, quod extrema sint, aut supponant, ut dici solet à Dialecticis similiter in secundo casu infidelis, qui nihil audivit de fide, & habet circa illam ignorantiam invincibilem etiam non peccat contra fidem, quia ei non currit præceptum fidei. Cæterum evitare peccatum quod est contra supernaturale præceptum v. g. fidei, cum præceptum illud obligat, non dicit, quid negativum, sed positiuum actum exposulat, quem si non habeat, tunc homo transgreditur, verè illud præceptum, & contra ipsum peccat. Quod peccatum, ut ei imputetur, oportet, quod habeat homo auxilium supernaturale, sine quo illud præceptum implere non potest, ut ex S. P. Augustino ostensum fuit.

Ad tertium dicendum, quod primus homo fuit 140
conditus in justitia originali, & simul in gratia supernaturali. Ita quod ablata gratia per peccatum, ablata fuit & originalis justitia, & connexionem adinvicem dicebant in primo homine justitia originalis & gratia. Iustitia autem originalis gratiæ conjuncta

Digitized by Google

junctа primò animam subdebat Deo, secundò inferiorem appetitum rationi, tertiò corpus animæ. Hoc supposito ad argumentum dicendum, quod per justitiam originalē poterat homo ille primus non mori corporaliter; ita quod durāte originali justitia debebat gratia permanere; ut gratiâ autē permaneret, nullum debebat esse peccatum contra aliquod præceptū supernaturale: unde de primo ad ultimum, etiam immortalitas corporis dependebat, ex eo quod nullum peccatum committeret homo, & sic id quod necessarium erat, ut homo non peccaret, erat necessarium ex consequenti, ut homo immortalitatem corporis retineret. Erat autem necessarium adjutorium supernaturale, ut homo non peccaret contra præceptum supernaturale, quod illi homini impositum fuerat, fidei videlicet: ergo idem supernaturale auxilium erat necessarium, ut ille homo immortalitatem corporis retineret.

CAPVT IX.

Non posse hominem in statu naturæ lapsæ sine gratia omnia mandata naturalia collectivè per totam vitam servare, aut omnino non peccare mortaliter, demonstratur ex S. Scriptura, Summorum Pontificum decretis, & Conciliorum diffinitionibus.

141 NVnc de mandatis legis naturæ, quæ tam in veteri, quam in nova lege communiter præcipiuntur, & in decalogo continentur, oportet videre, an ea omnia possit homo lapsus suis naturæ viribus adimplere, tam collectivè, quam divisivè: ubi primo de illis collectivè, postea de divisivè acceptis sermonem faciemus.

Pro cujus elucidatione illud primò est observandum, sermonem procedere de impletione omnium mandatorum, quoad substantiam actus, nam quod sine gratia non possint impleri, quoad illum modum, qui ex charitate habetur summa inter omnes Catholicos convenientia est. Secundò sermonem esse de homine in natura lapsa sine gratia, quia certum est, quod homo in natura integra potuit omnia præcepta legis collectivè servare alioquin ille non potuisset non peccare, cum nihil aliud sit peccare, quam transgredi divina mandata; sicut ergo communis, & certa est Theologorum sententia, potuisse illum hominem non peccare: Ita certum est potuisse omnia divina mandata collectivè servare, ut perpetuò docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. *quæst.* 24. *de verit. art.* 14. 1. *part. quæst.* 95. *art.* 3. Scolastici *in* 2. *dist.* 24. *&* 26. cum Magist. sent. ibi est expressa S. P. Augustini *Dialogo ad Orosium*, super Gen. *cap.* 32. 14. *de civit. cap.* 10. & 17. *serm.* 43. *de verbis Domini lib.* 2. *de pecc. merit. & remiss. cap.* 21. *de corr. & gratia cap.* 12. Author Hipognost. *lib.* 3. *statim post principium.* S. Prosper 2. *de vita contemplativa cap.* 18. & *contra collat. cap.* 27. Probatur ex illo Eccles. 15. *Ab initio fecit Deus hominem rectum*: rectus autem non esset, si non posset omne peccatum vitare, & omnia divina mandata implere, imò nec ei posset peccatum imputari si non poterat non peccare, cum talis impotentia ex priori ejus culpa non veniret. Vt ergo ei justè peccatum imputaretur talis in illo statu esse debebat, ut omnia peccata euitare, & omnia mandata divina posset implere.

142 Tertiò notandum per illud verbum, collectivè, non intelligi, quod simul pro aliquo instanti, vel durātione temporis omnia impleantur, quia impossibilis esset quæstio, cum præcepta omnia non possint simul occurrere; sed sensus est, an possit istud, & istud, & omne vitare, ita quod possit in nullo deficere: quod clarius explicatur dicendo, quod possit abstinere ab omni peccato mortali, & omne mortale evitare; seu clarius, quod possit non peccare mortaliter: hoc enim est posse omnia mandata collectivè implere, in nullo videlicet deficiendo.

De homine ergo in natura lapsa notum est potuisse Pelagium, posse ipsum solis suis viribus absque omni auxilio gratiæ omnia implere divina mandata, non modo difficiliter, sed quod magis est facilè; imò in hoc magna ex parte ejus hæresim sitam esse. Sancti Doctores, qui contra eum causam istam tractarunt, semper docuerunt. Tria namque ipse asserebat. Primum posse hominem pro hoc statu sine aliquo auxilio gratiæ omnia divina mandata sub lætali obligantia facilè implere collectivè. Secundum posse etiam, licet majori cum difficultate, ab omni abstinere peccato, etiam veniali si veller. Tertium de facto aliquos sanctos ab omni peccato etiam levi, seu veniali abstinuisse & quia de his duobus postremis sufficienter dictum est supra, de primo tangente omnia divina mandata sub lætali obligantia dicendum est modo. Et ante omnia explicandum accuratiùs, quomodo ille constituebat posse hominem lapsum sine aliquo gratiæ auxilio omnia implere divina mandata. Igitur posuit posse hominem talem omnia divina præcepta tam naturalia, quam supernaturalia sibi proposita ex solis suis viribus simpliciter, & absolutè implere, & quidem facilè, licet adhuc faciliùs per gratiam. Posuit secundò omnia illa nedum divisivè, sed & collectivè implere posse. Posuit tertiò ea omnia non solùm quoad substantiam actus, verum etiam, quoad omnem illum modum qui est necessarius, ut meritoriè observentur, posse hominem absque omni gratiæ auxilio observare sicut in superioribus manifestatum relinquimus. 143

Quod diligentius est considerandum, Scholastici 144
enim aliqui, qui dicunt posse hominem omnia divina mandata implere sine gratia, nullo modo loquuntur de supernaturalibus præceptis, sed solum naturalibus: rursus non dicunt ea servare posse cum omni modo necessario ad salutem, sed solum quoad substantiam eorum; in quibus duobus, quæ potissima sunt à Pelagio distinguuntur. Referuntur autem pro tali sententia Durandi in 2. *dist.* 28. *quæst.* 3. *&* 4. Scotus *ibidem quæst.* 1. Abulensis *Matth.* 19. S. Bonaventura *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 3. Immò illam S. Thomæ aseribunt in *eodem* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 3. quidquid autem sit de Durando, Scotus in hac parte satis obscurè loquitur primò namque videtur asserere, quod non solùm pro brevi tempore, sed semper possit evitare homo omne peccatum collectivè ita quod potest non peccare: & ex consequenti, quod omnia divina mandata collectivè possit implere; cum nihil aliud sit peccare, quam divina mandata transgredi; sed in fine illius quæstionis de gentilibus dicit, quod sine gratia non servarunt legem naturæ ubi videtur asserere, quod lex naturæ, & illius naturalia præcepta sine gratia observari non possunt, per quod videtur se in priori dicto explicare. Abulensis autem *cit. loco* non loquitur de homine lapso sed de homine in puris naturalibus, cum asserit posse hominem sine gratia omnia divina mandata naturalia implere. Imò loquendo de homine lapso expresè dicit, non posse illum absque gratiæ auxilio omnia divina præcepta servare collectivè: Multò minus S. Bonaventura dicit posse hominem lapsum sine gratiæ auxilio implere divina præcepta, quia *loco inducto* expresè tenet opus esse

Digitized by Google

gratia gratis data ad implenda omnia præcepta quoad ſubſtantiam, & gratia gratum faciente ad implendum illa quoad modum charitatis.

145 Et cum multo minori apparentia imò contra expreſſam litteram S. Thomæ tribuitur in allegato teſtimonio ex 2. *diſt.* 28. quod ſentiat poſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ om nia divina mandata implere ſine aliquo auxilio gratiæ: Cum littera totum oppoſitum ſonet; In qua planè duo hab entur; primum, non eſſe neceſſarium aliquem habitum vel gratiæ gratum facientis, vel gratiæ gratis datæ ad ſervanda omnia divina præcepta quoad ſubſtanſtiam actus: ſecundum eſſe neceſſariam gratiam, id eſt divinam voluntatem gratis nobis omnia bona dantem ad eadem præcepta ſervanda quoad actus ſubſtantiam. Quod ut omnibus liquidò conſtet, & nullus in poſterum poſſit. S. Thomæ ſupradictam ſententiam tribuere, viſum fuit omnia ejus verba referre. *Dicendum eſt ergo,* (inquit) *quod præcepta legis quantum ad id quod directè ſub præcepto cadit, poteſt aliquis implere per liberum arbitrium ſine gratia gratis data vel gratum faciente: Si tamen gratia accipiatur pro aliquo habitu infuſo, ſed quantum ad intentionem legiſlatoris ſine gratia impleri non poſſunt; quia donum charitatis non ineſt nobis ex nobis, ſed à Deo infuſum: ſed ſi gratia pro divina voluntate gratis in nobis omnia bona cauſante accipiatur: tunc dicendum quod neutro modo homo ſine gratia præcepta implere poteſt; & ideo Pelagius erravit, qui ſimpliciter impleri præcepta legis poſſe ſine gratia poſuit.* Hæc S. Thomas quibus redditur manifeſtum quod ad præcepta ſervanda quantum ad illum modum qui ex charitate habetur, quem intelligit per obſervantiam mandatorum quantum ad intentionem legiſlatoris: (Hoc enim intendit, ut ex charitate, & meritoriè omnia ſervantur) requirit infuſam charitatem & gratiam. Ad ſervanda autem illa omnia quoad ſolam actus ſubſtantiam quam obſervationem exponit per illa verba; *quantum ad id quod directè ſub præcepto cadit* (cadit enim directè ſub præcepto ſubſtantia actus, qui expreſsè præcipitur) dicit non eſſe neceſſarium habitum aliquem etiam gratiæ gratis datæ, eſſe tamen neceſſariam divinam gratiam, id eſt, divinam voluntatem gratis nobis omnia bona concedentem & de hoc errare Pelagium convincit, quia ipſe omnem gratiam negavit tam habitualem quam actuale auxilium ejus pro ſervatione mandatorum eſſe neceſſariam. Igitur manifeſtum eſt requirere S. Thomam *ibi* auxilium actuale gratiæ contra Pelagium ut omnia poſſint divina mandata implere quoad ſubſtantiam actus. Quomodo ergo S. Thomæ tribui poteſt, quod ſine omni auxilio gratiæ ex ſolis naturæ viribus dicat in illo loco poſſe hominem ſervare omnia divina præcepta collectivè quoad ſubſtantiam actus?

146 De ſpeciali autem præcepto dilectionis Dei ſuper omnia, quod ibi per auxilium gratiæ dicit impleri quoad ſubſtantiam ſinè gratia gratum faciente, & charitate, quod habet *ſolut. ad ſecundum.* Iam ſupra dixiſſe recordor quantum ad hoc mutaſſe S. Doctorem ſententiam 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. 2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 4. & 3. *contra gent. cap.* 151. quibus locis & alijs multis apertè dicit illud divinum dilectionis præceptum Dei ſuper omnia non impleri niſi ex charitate, & gratia, virtutibus infuſis.

147 Ex dictis illud conſequitur; Scholaſticos antiquos, potiſſimè S. Thomam & S. Bonaventuram, imò Scotum (quamvis hic magis obſcurè loquatur) nullo modo ſenſiſſe, aut ſentire potuiſſe poſſe hominem in natura lapſa ſine gratia aliqua per modum auxilij actualis omnia divina mandata ſervare, etiam quoad ſubſtantiam actus; imò moderni voce quidem id nullo modo homini ſine aliquo auxilio gratiæ concedunt; an verò ex eorum fundamentis perpetuaque doctrina id eos aſſerere convincatur, infra erit oſtendendum. Vnde antiqui Scholaſtici in omnibus Pelagio adverſantur. Primò, quia præcepta ſupernaturalia non dicunt impleri poſſe ſine gratia, ut ille aſſeruit. Secundò, quia nec dixerunt poſſe illam impleri cum omni illo modo qui eſt neceſſarius ad ſalutem, qualis eſt ſine dubio ille qui à charitate tribuitur, quod etiam ille contentiosè defendit. Tertiò, quia nec affirmarunt poſſe omnia ſervari etiam quoad ſubſtantiam actus collectivè abſque omni gratiæ adjutorio, quod denique ille poſuit.

Dixerim, Scholaſticos antiquos, uno excepto 148
Durando, qui planè ita ſenſit, ſed illius in hac parte ſententia ab Henrico Pelagiana vocatur, ab alijs temeraria, & minus fidei conſona, ab alijs. Inſuper erronea ex eo quod Concilia & Patres infra inducendi ſine ulla exceptione affirmant, non poſſe peccatorem ſine ſupernaturali auxilio perſeverare abſque peccato, potiſſimè per totam vitam. Caietanus etiam 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 8. aliquid dicit in hac parte, quod minus placet, ſed nec placere poteſt, ait enim, quod regulariter & ut in plurimum non poteſt homo peccator diu vivere ſine novo peccato mortali: per accidens autem poteſt id evenire in aliquo caſu. Ponit exemplum in eo qui fecit diligentiam, quam putavit ſufficientem ad reſurgendum à peccato, & tamen revera ſufficiens non fuit; talis (inquit) poteſt dici eſſe ſine peccato & ſimiliter aliqui dicunt, quod ſi puer educaretur cautiſſimè inter viros optimos, remotis omnibus occaſionibus peccati, poſſet diu vivere ſine peccato abſque gratia. Hæc Caietani ſententia etiam, licet non habeat illam gravitatem, quam ſententia Durandi habet: eſt tamen nimis falſa, & merito communiter ab omnibus rejicitur. Primò quia, ut dicemus, Concilia & Patres ſine ulla exceptione affirmant: non poſſe peccatorem ſine ſupernaturali auxilio diù vivere ſine peccato, etiam ſi ſit ſolum ſub originali conſtitutus: ergo ab hac regula nullus eſt excipiendus.

Deinde Concilium Tridentinum *Can.* 22. diffinit 149
hominem iuſtificatum non poſſe juſtè vivere, & perſeverare in juſtitia ſine ſpeciali auxilio: multò ergo minùs homo peccator poterit ſine auxilio gratiæ diu permanere, quin mortaliter peccet: In nullo ergo caſu id eſt admittendum. Verum eſt quod Canon Concilij loquitur de perſeverare uſque in finem: non de diu perſeverare, quod dixerim contra aliquos, qui intelligunt Canonem illum diffinire juſtificatum non poſſe diu perſeverare ſine ſpeciali Dei auxilio. Verum etiam ex eo efficax ſumitur argumentum ad noſtrum propoſitum; quia, ſi homo juſtificatus non poteſt perſeverare ſemper in accepta juſtitia ſine ſpeciali Dei auxilio, peccator non poterit non ſolùm ſemper: ſed nec diu ſine Dei auxilio ſtare quin peccet, quia privatio gratiæ, & propenſio in peccatum facit quod diù non ſtet ſine peccato. Præterea quia S. Thomas ubique ſignanter 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 8. dicit hominem non poſſe diu eſſe ſine peccato, ſi gratiam non habeat: ergo qui aliquem caſum excipit; contra ipſum id admittit potiſſimè quia ratio S. Thomæ oſtendit quod in nullo caſu id poſſit evenire.

Tandem, quia caſus quem adhibet Caietanus 150
frequens eſt: multoties enim putant homines ſe ſufficientem feciſſe diligentiam: quæ tamen ſufficiens non fuit; undè ſi in hoc caſu poſſent homines diù eſſe ſine peccato, frequenter id eveniret: quod minùs dici poteſt. Quamvis ergo puer ſic, ut ponitur;

Digitized by Google

ponitur; bene nutriatur, nihilominus diu permanere non posset; quin vel peccaret, vel justificaretur; conformiter ad illa quæ S. Thomas docet de puero perveniente ad rationis usum. Dicendum secundò non posse dari hominem adultum cum solo originali, quantumvis nutriatur inter viros probos & rectos, sed licet daretur, adhuc quod diximus verum habet, quod diu sine peccato non posset subsistere. Et ad exemplum adhibitum à Caietano respondetur, quod ratio S. Thomæ etiam militat in illo casu: quia revera homo in peccato non habet cor firmatum in Deo; licet putet se habere. Vnde sine dubio est conversus ad bonum commutabile, & cum se obtulerint aliqua illi conversioni pravæ proportionata, illa de facili eliget; nisi contra multùm nitatur ex auxilio gratiæ, quidquid ipse ex falsa existimatione judicet: non enim pronitas in peccatum, & impossibilitas non peccandi attendenda est penes id quod homo falsè existimat: sed penes ipsam pravam affectionem, & habitualem inclinationem in malum.

151 His præmissis dicendum est primò. Non potest homo lapsus sine gratia omnia naturalia mandata collectivè per totam vitam vitare etiam quoad substantiam actus: seu quod idem est, non potest sine gratia per totam vitam non peccare mortaliter: sed infallibile est quod aliquando deficiat, & mortaliter peccet. Hanc veritatem contra Pelagium & ejus sequaces scriptura sancta sæpissimè tradit, Summi Pontifices diffinierunt, Concilia sacra determinarunt, Sancti Patres docuerunt, & veræ Theologicæ rationes probant. Scriptura namque divina in omnibus locis, quæ sine dubio sunt plurima, quibus docet nos petere debere divinum gratiæ auxilium ad ea facienda quæ nobis præcipiuntur: manifestè tradit sine tali auxilio gratiæ ea minimè ex nobis solis implere posse; aliàs adjutorium ad id non peteretur, quia nemo ab alio petit quod in sua habet potestate. Testimonia plura scripturæ divinæ hoc attestantia inducit S. P. Augustinus *lib. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 5. & libro de natura & gratia cap. 16.* quæ ibi videantur. Et quia multa ex illis de observatione aliquorum mandatorum in particulari procedunt, ità ut ad præceptum conversionis in Deum indigeamus gratia divina, ad præceptum castitatis similiter; ad præceptum custodiendi linguam eodem modo & sic de similibus, infra erit disputandum, an aliqua, vel aliquod sit divinæ legis naturale præceptum, quod homo sine gratia servare non possit: nunc de observatione omnium collectivè per totam vitam quæstionem tractamus: eamque in genere probamus ex illo Eccles. 15. *Si volueris mandata servare conservabunt te.* Et Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis & faciatis.* Quid enim aliud ibi dicit, quam Deus in nobis efficere ut impleamus mandata, quæ nobis præcepta sunt. Cum Deus in Evangelio dixit, *si vis ad vitam egredi, serva mandata*: & rursus orare nos jubet, *ne nos inducas vel inferas in tentationem*, quid docet nisi petendum esse à Deo; ut det quod jubet; & sicut nobis præcipit divina servare mandata, hoc ipsum in nobis dono gratiæ efficiat, ut illa servare valeamus? Procul dubio sicut omnes Sancti Patres semper intellexerunt hoc patentissimè nos docet Dominica oratio, frustra enim rogantes Deum dicimus, *ne nos inferas in tentationem*, id est, ne nos inferre deserendo permittas, si hoc in nostra *sic* positum est voluntate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere.

152 Præterea, cum Apostolus docet, *quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed quod omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Quid aliud dicit, quam sufficientiam & possibilitatem ad omnia divina mandata servanda non ex nobis, sed ex Deo provenire, cum multò facilius sit cogitare ea quæ pertinent ad salutem, de quibus procedit illud Apostolicum testimonium, quam operando mandata omnia implere: quod multò magis sine dubio pertinet ad salutem? An cogitare non possumus attinentia ad salutem ex nobis sine gratia quod apertissimè illud Apostoli testimonium pronunciatum testatur, & ex nobis sine gratia poterimus nedum cogitare, sed omnia divina mandata implere atque servare.

Deinde cum Christus Dominus nobis pronuntiat, *sine me nihil potestis facere.* Quod dictum esse de fructu qui in observatione mandatorum præcipitur, Concilium Milevitanum exponit *Can. 5.* quid aliud docet, quam impossibilitatem nostram sine gratia divina ad omnia servanda mandata, *non potestis*, inquit, *sine me aliquid facere*; id est, potentiam non habetis sine me ad servanda mandata clarius proponit. Apostolus sufficientiam negat, Christus possibilitatem. Vbi ergo sufficientia, ubi possibilitas, ex nobis quasi ex nobis sine Christo ad omnia implenda divina mandata? 153

Insuper cum Apostolus ad *Romanos* 8. dicat. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne ut justificatio legis impleretur in nobis: qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum.* Quid clarius asserere potuit quam id quod prædicamus? Ecce manifestè dicit impossibile fuisse homines per legem justificari, impossibile pari ratione pronuntians per naturam, vel per legem, vel per utrumque simul homines omnia divina servare mandata, per quorum observationem homines sine dubio justificarentur secundum illud Christi, *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* 154

Addamus & illud à Rege Propheta dictum, *Prævaricatores reputavi*, vel (ut alia habet translatio) *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ.* Si omnes verè prævaricatores nominantur omnes legem transgressi sunt. *Vbi enim non est lex nec prævaricatio*, ait Apostolus ad *Rom. 4.* omnes ergo divina mandata legem transgrediendo prævaricati sunt: omnes, inquam, qui sub lege scripta erant, sive sub lege naturali ex vi illarum prævaricatores legis sive scriptæ sive naturalis effecti sunt, non obediendo divinis mandatis; sed illa transgrediendo, quomodo per naturalem legem poterat hæc auferri prævaricatio; cum Apostolus de lege scripta, quæ superaddebat naturali, etiam dicat: *Lex ergo subintravit ut abundaret delictum.* Et iterum. *Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* Nulla ergo lex vel naturalis, vel scripta poterat vivificare; nulla præstare poterat, ut divina implerentur mandata, per quæ vivificatio fit; nulla poterat efficere, ut divina mandata servarentur. Imò utrumque secundùm magis & minus ideo subintravit, ut abundaret delictum, cum utraque addidit prævaricationis augmenta, tradendo præceptorum cognitionem; nec dando possibilitatem ad eorum impletionem. 155

Quod si dicas hoc ultimum testimonium tantùm asserere, quod omnes prævaricatores fuerunt de facto: non autem quod non potuerint rectè vivere, & divina mandata servare, si voluissent, sicut etiam 2. *Reg. 8.* & 2. *Paralip. 6.* habetur; *Non est homo qui non peccet.* Sed non dicitur quod non possit non peccare. Ad hoc dicendum cum S. Hieronymo contra Pelagianos *lib. 2.* quod sicut non fuit homo qui sine gratia habent ad non peccandum. Fortè aliquis conabitur hæc testimonia explicare de peccato 156

Digitized by Google

cato originali cum omnes dicuntur prævaricatores. non de actualibus, sed contra est quia S. P. Augustinus *Epist.* 89. illud dicit intelligendum de actualibus mortalibus, quæ prævaricationes vocantur. Illud autem, *non est homo qui non peccet*, tripliciter exponitur, vel de originali, vel de venialibus quæ peccata sunt licet prævaricationes non dicantur, vel meliùs de homine sine gratia; nullus enim est qui non peccet mortaliter prævaricando, ut dictum est, propter impossibilitatem quam habet omnis homo sine gratia ad non peccandum, quam scriptura divina locis inductis clarius exposuit. Et insuper Hierem. 10. *Scio Domine, quia non est hominis via ejus: nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.* Et Threnorum 1. *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Et Eccles. 27. *Si non in timore Domini tenueris te constanter citò subvertetur domus tua.* Vbi instabilitas in bono, & proclivitas in malum sine gratia apertè traditur.

157 Pontifices etiam summi, hanc impossibilitatem ad omnia servanda mandata sine gratia in homine lapso semper docuerunt. Innocentius I. *Epist.* 31. *ad Concilium Carthaginense tomo 1. Epist. decret. part. 2. fol.* 93. & 97. semel & iterum habet *quod nos pares ad resistendum erroribus non liberum arbitrium, sed Dei solum*, inquit, *facere potest auxilium*, & *Epistola alia ad Concilium Milevitanum*, ait. *Negantes auxilium Dei inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est Diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vita perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat.* Notandum est verbum, necesse est, si namque sine gratia necesse est succumbat peccatis: ergo sine illa non poterit non peccare, nec omnia servare mandata. Et post pauca. *Quæ cum ita sint, cumque in omnibus divinis paginis voluntati libera non nisi adjutorium legamus esse nectendum, tanquam nihil posse cœlestibus præsidijs destitutam: quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter (ut asseritis) defendentes sibimet (imò quod est dignius dolore communi) plurimis Pelagius Celestiusque persuadent?* Expendenda verba sunt hujus magni Pontificis Pelagianæ hæresis destructoris; qui quod ex divinis litteris induximus, mirabiliter confirmat, cum ait in omnibus divinis paginis doceri, semper liberæ voluntati annecti divinum adjutorium, sicut omninò necessarium ad omnia implenda mandata, sine quo proinde subjungit, nihil posse humanam libertatem sine gratia ad illa servanda, miraturque quod hanc possibilitatem observationis divinorum præceptorum soli naturæ humanæ quidam pertinaciter defendant.

158 Celestinus etiam *Epist. ad Episcop. Gallia* diffinit. *Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* In his videlicet quæ pertinent ad salutem sicut sunt divina impleta mandata. Non ergo illa sine gratia implere valemus, hoc diffiniente Pontifice Summo. Omitto explicationem horum priorum verborum, in quibus non sufficere piam cogitationem ex Deo habitam, quam solam ex parte gratiæ prævenientis his temporibus contentione magna videmus; ut necessariam defendi: sed requiri supra illam adjuvantem gratiam clarissimè constat, quia de hoc infra hoc libro copiosè tractabimus. Omitto etiam ob brevitatem Leonem Magnum, Gelasium, & Pontifices alios, qui decretalibus suis semper hanc possibilitatem ad servanda omnia mandata homini in natura lapsa sine gratia denegarunt.

Concilia sacra eadem conformitate hanc possibilitatem homini soli negantes, & divinæ gratiæ tribuentes, hoc ipsum suis Canonibus expresserunt. Et primò Patres Concilij Carthaginensis *Epistola ad Innocentium*, (habetur 1. *tomo Epist. decret. part. 2. fol.* 90.) sic Pontifici Summo scribunt. *Isti autem asserunt (sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt cognovimus) in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominem instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* Ecce referunt dixisse Pelagianos, posse hominem legem naturalem servare, & ejus mandata implere sola facultate naturæ, & negare non esse ad id Dei gratiam, qua Christiani sumus, necessariam. Hanc damnantes doctrinam subdiderunt. *Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam, & Dei mandata, complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam; non attendentes quod scriptum est: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.*

Concilium deinde Milevitanum in *Can.* 3. 4. & 5. clarius hanc veritatem diffinit dum in tertio determinat gratiam in qua per Iesum Christum justificamur, non solùm ad remissionem valere peccatorum, quæ jam commissa sunt, sed etiam verum adjutorium esse ut non committantur. Et in quarto exponit prædictam gratiam non solùm revelare & aperire intelligentiam mandatorum ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; verum etiam per illam nobis præstari; ut quod faciendum cognoverimus etiam diligamus atque faciamus. In quinto denique clarius manifestat eandem justificationis gratiam non dari tantùm ad facilius implendam legem, sed etiam esse necessariam ad simpliciter implenda divina mandata; & oppositum sub perpetuo anathemate damnat. 159

Idem diffinitur in Arausi. 2. *Can.* 25. illis verbis *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante quæ ad salutem pertinent, possint & debeant si fideliter laborare voluerint adimplere.* Vbi etiam baptizatus docet auxilio gratiæ indigere ad divina mandata implenda. Et iterum. *Ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus; & post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Igitur ut possimus adimplere divina mandata quæ potissimè Domino placent: necessarium est divinum adjutorium nec sine illo ea implere valemus. Idem diffinit Sacrum Conc. Trid. *sess. 6. de justificatione can. 2.* dum docet *divinam gratiam per Iesum Christum non dari ut facilius homo justè vivere & vitam æternam promereri possit.* Necessaria est ergo gratia ut divina mandata, quibus justè vivimus, & vitam æternam promeremur, servare possimus sine qua ea servare non valemus. Et in *cap. 11. ejusdem sessionis* postquam præmiserat Dei præcepta homini justificato ad observandum impossibilia non esse: hujus reddens rationem subdit. *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Ecce quædam jussa & præcepta facere potest homo, quæ autem illa sint infra proponetur: quædam autem alia præcepta per se solum facere non potest homo, unde petere debet adjutorium quo possit: & Deus adjuvat ut possit. Quod potissimè verum habet de adimpletione omnium simul præceptorum. 160

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

Hominem lapsum non posse absque gratiæ auxilio servare omnia collectivè, probatur ex SS. Patribus, & quadam evasiones præcluduntur.

162 INnumera ferè sunt Sanctorum Patrum testimonia illorum potissimè qui Pelagianam hæresim debellarunt; qui hanc uno consensu defendunt veritatem; à quorum copiosa citatione vacamus, sub brevitate loca referendo, ubi ea quis faciliter legat. Ex Patribus Chrysostomus ad illud Matth. *Soluite & adducite mihi.* Basilius *homil. de lib. arb.* Cyrillus in *Ioan. cap.* 45. ubi ait *impossibile esse homini bene vivere, & peccata effugere sine Dei gratia.* S. Ambrosius ad *Rom.* 7. super illa verba, *velle adjacet mihi.* S. Hyeronimus *epist. ad Ctesiphontem*, & *in libris tribus seu Dialogis contra Pelagianos* frequenter, ubi ponit exemplum de remitente contra impetum fluminis, qui non potest non trahi quò non vult, sicut Chrisostomus citato nunc loco ad idem explicandum utitur exemplo navis clavo destitutæ; quam necesse est à tempestate deduci quò tempestas impellit. S. Gregorius *homil.* 11. & 15. *super Ezech.* & *lib.* 7. *moral. cap.* 13. & *lib.* 2. *cap.* 12. Sed in hac tradenda & defendenda veritate S. Pater Augustinus est totus, docens non posse hominem omnia naturalia præcepta sine gratia implere, ut patet *in libro* 63. *quæstionum quæst.* 53. ubi expresè negat præcepta decalogi posse servari solis naturæ viribus. *Epist.* 89. & 90. 105. 106. & 200. id clarius confirmat contra Pelagianos *lib.* 2. *de pecc. merit. & remiss.* ferè per totum, *lib. de nat. & grat. cap.* 59. *libro de Spiritu & littera* ferè per totum, & potissimè *libro de perfectione justitiæ etiam per totum.* S. Prosper, Hilarius, Fulgentius *in suis opusculis* quæ contra Pelagianos scripserunt. S. enim Prosper sic habet contra Collat. cap. 23. *Iam non voluntatem boni sed etiam possibilitatem libero ascribit arbitrio. Tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo justitia reposcatur, quia possint hæc sine Dei donis de natura proferre bonis. Imperantur autem ista homini ut ex ipso præcepto Dei, quo ei hoc quod accepit indicitur, agnoscat, id se suo vitio perdidisse & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendam quod debet, idoneus non est, sed à littera occidente confugiat ad Spiritum vivificantem; & facultatem quam antea non invenit in natura quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia Domini si non facit, justa est pœna peccati.*

163 Hoc ipsum tandem S. Hieronymus *lib.* 2. *adversus Pelagianos* mirificè sub his verbis ex divina scriptura probat. *Apostoli audiunt, sic non potuistis una hora vigilare mecum? non dixit noluistis, sed non potuistis. Apostoli una hora vigilare non possunt, somno, mœrore & carnis fragilitate superati, & tu potes longo tempore omnia peccata superare. Marcus Evangelista scribit de Domino, & non poterat ibi ne unam quidem facere virtutem, nisi paucis ægrotantibus manus imponens, sanavit eos, & admirabatur propter incredulitatem illorum. Dominus dicitur non potuisse in Nazareth ne ullam quidem facere virtutem, & infidelitatis aliena stupore retinetur, & vos potestis omne quod vultis?* Multa similia ibi ex divinis litteris inducit S. Hieronymus testimonia, ut probet non posse hominem sine gratia diu omnia servare mandata. Et iterum *eodem* 2. *libro* post quam multa apposuit scripturæ testimonia ut probaret non facilia esse divina mandata; sed adeo difficilia ut sine gratia ea homo non possit implere: post multa sic habet *Verberanti maxillam alteram jubemur opponere: tollenti tunicam etiam pallium concedendum est: angarianti se mille passibus duobus millibus colla præbenda sunt, petenti te da, & volentem à te recipere mutuum ne averseris. Si duos nummulos habuero & alium poposcerit; aut dabo ipsi, & mihi mendicandum erit: aut si non dedero transgressor legis inveniar. Illud autem quod dicitur: diligite inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, forsitan in vestro cœtu invenitur, apud nos rara avis est, qui peccata simpliciter confitentur merentur humilitate clementiam Salvatoris. Quodque sequitur, cavete ne justitiam, hoc est eleemosinam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, nescio quis possit implere?* Et multis similibus ex scriptura commemoratis, quibus magnam difficultatem, imò impossibilitatem observationis eorum sine Dei gratia ostenderat, tandem ita concludit. *Cumque posuisset* (scilicet Dominus) *qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus: ob facilitatem præceptorum intulit, & qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, crux Christi facilis est. Nudum post Christum ire ludus est, jocus est, & ubi præmia quæ difficultate separata quæruntur, &c.* Et clarius eodem secundo Libro. *Dixerunt Apostoli, & quis potest salvus esse? Audiunt à Domino quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum sunt; ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, certè ea esse possibilia ex eo ostenditur quod apud Deum possibilia sunt. Sit ergo & apud Deum possibile homini, si velit donare impeccantiam, non ipsius meritò, sed sua clementia; & apud homines nequaquam possibile liberi arbitrij potestate quod nutu donantis accipitur. Et tandem ibi verba* Christi Domini referens, sic dicit. *Non possum* (ait) *ego facere à memetipso aliquid, sed sicut audio, ita judico. Arriani objiciunt calumniam: sed respondet Ecclesia, ex persona hominis, hæc dicit qui assumptus est: tu è contra loqueris; possum sine peccato esse, si voluero. Ille nihil potest ex se facere, ut hominis indicet veritatem, tu potes omnia peccata vitare, ut adhuc in corpore constitutus Antitheon esse te doceas.* Plurima ibi similia videnda sunt quibus hanc perpetuò ex scriptura divina confirmat doctrinam, non posse hominem longo tempore omnia evitare peccata.

164 Sanctus Thomas vbique in doctrina sua id docet & apertissimè convincit. In 2. *sent. dist.* 28. *uti supra quæst.* 24. *de verit. art.* 14. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. & 109. *artic.* 4. 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 4. & 5. Consentiunt Scholastici *citato loco in* 2. *dist.* 28. & alij alijs locis & tractatibus, qui ab alijs referuntur. Constat tum ex divinis litteris, tum ex Summorum Pontificum decretis, tum ex Conciliorum diffinitionibus, tum denique ex communi Sanctorum Patrum sententia non posse hominem lapsum sine gratiæ auxilio solis viribus suis omnia divina præcepta naturalia servare collectivè, ita quod in nullo deficiat: sed necesse esse ipsum defecturum.

Quia tamen nulla tam clara veritas est, quæ à minus intelligentibus vel se aut alios excusantibus non vertatur in dubium; sunt aliqui qui ita supra inducta testimonia exponunt, ut contendant non efficaciter concludere esse rem per Ecclesiam diffinitam, non posse hominem lapsum sine gratia omnia divina præcepta naturalia servare collectivè. Adhibentes tres explicationes, quarum una pejor est alia nullaque excusat aut excusare potest quin veritas ista, sicut præmissimus, determinata per Ecclesiam habeatur: ita ut ad minus error sit in fide

Digitized by Google

fide id velle negare. Quod ut liquido constet illorum expositiones proponentur, ut omnis Theologus videat, quam apertè contra supradictas definitiones procedant.

166 Prima expositio est, Concilia, summos Pontifices, & Patres allatos nomine auxilij gratiæ, cum illud dicunt necessarium, ut omnia divina mandata servare possimus, tantùm intelligere auxilium generale, quia ut prætendunt, tantum illud negabat Pelagius; contra quem prædicta jura loquuntur; sed expositio ista apertè contra supra inducta testimonia procedit ita ut mirum sit, quod ab aliquo adhibeatur. Primò quia; falsissimè dicit tantùm negasse Pelagium auxilium generale; cum potissimè quæstio cum illo fuerit de vero & proprio gratiæ adjutorio, quod semper negavit; ut est manifestum ex prædictis testimoniis, & ex omnibus libris quibus S. P. Augustinus illum expugnat; potissimè ex toto libro de gratia Christi ubi sole clarius ista monstrantur. Secundò quia potiùs Pelagius admisit nomine gratiæ possibilitatem naturæ communem bonis & malis, quam dedisse Deum omnibus in creatione fatebatur; & hanc esse gratiam necessariam simul cum lege atque doctrina etiam bonis & malis communem contendebat; admittens etiam in ultimo suæ perfidiæ statu revelationes interiores, ut ex Concilio Milevitano modo citato liquet, & ex dictis & resolutis de mente ipsius *in 1. nostro libro à principio*; Vndè nunquam de istis quæ non negavit, cum illo quæstio fuit; sed de verò gratiæ adjutorio, quod semper ingratus blasphemavit. Vndè ista explicatio nihil aliud est quam aperta diffinitionum prædictarum enervatio, litteræque manifesta negatio.

167 Dicunt secundò prædictas Ecclesiæ diffinitiones, & determinationes solum procedere de observatione omnium præceptorum naturalium, & supernaturalium, non autem de observatione mandatorum naturalium tantùm; ita quod intendant contra Pelagium diffinire, non posse hominem lapsum sine gratia implere omnia divina mandata tam naturalia, quam supernaturalia, non autem quod non possit merè naturalia præcepta sine gratia servare. Verùm, & ista expositio, etiam est expressa contra prædictas summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum determinationes; nam primò inter errores Pelagij expressè, & clarè ponitur in Epistola Concilij Carthaginensis ad Innocentium primum (quæ est 90. inter Epistolas S. P. Augustini, & inter Epistolas Innocentij *primo tomo Epist. decret.* habetur immediatè post 30. *Epist.* Innocentij posse homines servare legem naturalem, & scriptam sine Dei gratia, & de hoc damnatus fuit in illo Concilio à prædictis Patribus, quod & confirmavit Innocentius, ut patet ex Epistola responsoria ad prædictum Concilium, quæ est 31. inter Epistolas Innocentij; fuit ergo damnatus, quia dicebat posse hominem sine gratia omnia divina mandata legis naturalis implere verba Epistolæ illius Concilij sunt. *Isti autem asserunt (sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt cognovimus) in eo gratiam Dei deputandam quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* Ecce manifestum est hæresim fuisse Pelagij, hoc apertè testante Concilio, posse hominem legem naturalem, seu scriptam, sine gratia implere, servando legis naturalis, seu scriptæ divina mandata. Vndè contra hanc Pelagij positionem ita ibi Patres Concilij determinant. *Sed quid aliud agunt cum hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt Spiritus Dei persuadere, non cessant ad operandam, perficiendamque justitiam & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes, quod scriptum est, Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Quam justitiam diffinit non posse hominem sine gratia implere nisi naturalem, quam immediatè præmiserat? Quæ mandata determinat servare non posse hominem sine gratia, nisi mandata legis naturæ, vel scriptæ; quæ ex Pelagio sine gratia posse hominem priùs retulerat? Igitur manifestum est hanc fuisse hæresim Pelagij.

Præterea hoc erit satis conspicuum, si finis pro- 168
pter quem damnatus Pelagius fuit, attendatur, & ratio consideretur, ob quam fuit anathematizatus, quia dixit posse hominem sine gratia omnia divina mandata implere. Concilia enim allata, & Sancti Patres non in naturalitatem, vel supernaturalitatem præceptorum referunt necessitatem auxilij gratiæ, sed in defectibilitatem, & infirmitatem liberi arbitrij contractam per peccatum, quod ex omnibus locis, & testimoniis Conciliorum, & decretis summorum Pontificum, ac perpetua doctrina sanctorum, qui hanc causam contra Pelagianos tractarunt, est evidentissimum, ut signanter patet ex una, & altera Epistola Innocentij ad Carthaginense, & Milevitanum Concilia rescriptis, & ex illa Cœlestini ad Episcopos Galliæ. Itaque Concilia, Pontifices, & Patres constituunt differentiam inter hominem in natura lapsa, & in natura integra, quantum ad necessitatem auxilij gratiæ ad divina implenda mandata, attestantia hominem in natura integra potuisse sine auxilio gratiæ illa servare, non verò hominem in natura lapsa. Hoc antecedens apertissimum est in Conciliis, & Patribus; ergo loquuntur apertè de observatione mandatorum naturalium, si enim de supernaturalium præceptorum impletione loquerentur, nullam talem inter utrumque statum poterant ponere differentiam, quia manifestum est utrumque hominem, & lapsum, & integrum non potuisse præcepta implere supernaturalia sine auxilio gratiæ. Manifestum est ergo, quod etiam hæc expositio contra Concilia, summos Pontifices, & Patres procedit.

Vndè alij tertiam adhibent explicationem dicen- 169
tes testimonia citata intelligenda esse de observatione mandatorum collectivè sumptorum, non quoad substantiam actuum eorum, sed quoad meritum; ita quod intendant diffinire non posse hominem meritoriè omnia divina præcepta servare, etiam naturalia sine gratia, non autem, quod ea servare non possint omnia quoad solam actus substantiam. At ista expositio, non minus, quam præcedentes contra inducta testimonia apertè procedit, & diffinitiones summ. Pont. & Conciliorum enervat, ac doctrinam sanctorum Patrum penitus eludit. Primò quia si de impletione meritoria loquerentur, non dicerent hominem non posse omnia divina mandata servare, sed assererent, quod nullum prorsus servare posset sine gratia est enim manifestum, & notum, quod non solum non potest homo implere omnia divina mandata collectivè sumpta meritoriè sine gratia; sed nullum prorsus, etiam minimum sic meritoriè sine gratia implere potest. Cum ergo inducta testimonia doceant non posse hominem lapsum sine gratia omnia in universum implere divina mandata, benè tamen aliqua magis facilia, manifestè convincitur ea non loqui de observatione meritoria.

Deindè ratio proximè facta pro confutatione 170
præcedentis explicationis eodem prorsus modo & hanc penitus confundit. Etenim Concilia, & inducti Patres apertam statuunt differentiam inter hominem in natura lapsa, & in natura integra, quantum

Digitized by Google

tum ad possibilitatem observationis omnium mandatorum, ut ostensum est. Sed si loquerentur de observatione meritoria mandatorum, nullam assignare possent inter utrumque differentiam, quantum ad mandatorum adimpletionem, ergo non loquuntur, imò nec loqui possunt de meritoria eorum observatione. Minor est manifesta, quia constans est, quod nemo homo sive in natura lapsa, sive integra poterat sine Dei gratia meritoriè implere mandata. Quo modo ergo statuendo differentiam inter utrumque hominem in utroque statu, quoad præceptorum impletionem potuerunt Pontifices summi, Sacra Concilia sanctique Patres, alteri eam tribuere, alteri eam denegare?

171 Præterea si Concilia, & Patres in inductis locis, vel parua attentione inspiciantur, liquido constabit, hanc impossibilitatem servandi omnia mandata, quam docent inesse homini lapso sine supernaturali Dei gratia, ex eo eam illi tribuere, quia læsum attenuatum, & infirmatum manet, in eo liberum arbitrium; ita quod ad difficilia opera bona vires non habeat, nisi per gratiam adjuvetur. Cum autem difficillimum sit, imò impossibile, per totam vitam servare hominem omnia divina mandata, ita quod in nullo deficiat, sed se in bono perpetuo contineat, sine Dei gratia; ideo docuerunt esse impossibile hominem talem ob sui debilitatem, & infirmitatem mandata omnia sine gratia servare; imò, non solùm non potest homo lapsus ob prædictam infirmitatem, & debilitatem, nisi per gratiam Dei adjuvetur, omnia simul collectivè mandata servare per vitam totam; sed nec potest aliqua difficilia, potissimè ubi gravis, & vehemens instat tentatio, servare etiam quoad substantiam operis, quod idem Pontifices summi, Sacra Concilia, & Patres tradunt, & docent, ut explicaturi sumus paulò inferiùs. Igitur non propter rationem meriti tantum negant homini lapso hanc possibilitatem servandi omnia divina mandata; verum etiam propter difficultatem operum, quoad substantiam eorum respectu hominis infirmi, & potissimè propter impossibilitatem, quia homo lapsus, & infirmus per totam vitam non habet, ut se rectè semper vivendo in bono conservet sine Dei gratia.

172 Diximus, quod non tantum propter rationem meriti, quæ homini sine gratia repugnat sed iterum propter difficultatem magnam operum, & temporis continuationem, docent Concilia, & Patres non posse hominem lapsum sine gratia omnia divina mandata servare, quia non est dubium, quod si homo illa omnia posset ex se servare, ea meritoriè ex se servare posset, quod est maximè advertendum. Cujus manifesta ratio est, quia inter omnia mandata quæ ponitur, posse ex se solo homo servare, primum & maximum est illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Igitur si omnia collectivè potest ex se solo sine Dei gratia servare; ergo potest, & hoc primum, & maximum servare sine gratia. Hoc autem est impossibile, quia sine gratia, & charitate à Deo infusa homo non potest servare præceptum dilectionis Dei ex toto corde, sive quod idem est, super omnia, etiam loquendo de hoc primo, & maximo mandato, quoad substantiam actus, qui præcipitur: substantia enim actus, qui præcipitur, est dilectio, cum illo intrinseco suo modo, nempè ex toto corde, sive super omnia, ut abundè supra probatum est. Hæc ratio semper adhibetur à S. P. Augustino in omnibus libris contra Pelagianos, propter illam namque potissimè convincit, non posse hominem lapsum sine Dei gratia omnia implere divina mandata, & ut omnia omittamus ejus egregia testimonia, solum unum videtur inducendum ex *Epist.* 89. ubi sic habet *Illud verò, quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda; etiam si Dei gratia, & spiritus sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt à gratia Dei pœnitus alieni sunt, qui ignorantes Dei justitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti; plenitudo quippè legis non est nisi charitas. Et utique charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ex eo ergo probat S. P. & Doctor non posse hominem sine gratia omnia implere divina mandata, quia si illa impleret, servaret plenè legem; plenè autem lex servari non potest sine charitate, cum plenitudo legis sit charitas, seu dilectio, & hæc charitas non nisi per spiritum sanctum potest dari nobis.

Eandem rationem etiam S. Thomas apponit 1. 2. 173
quæst. 100. *art.* 10. *ad* 2. Cum enim in primo argumento opposuisset, quod modus charitatis cadat sub præcepto ita arguens. *Dicitur enim Matth.* 19. *si vis ad vitam ingredi serva mandata; ex quo videtur quod observatio mandatorum sufficiat ad introducendum ad vitam; sed opera bona non sufficiunt ad introducendum in vitam, nisi ex charitate fiant; dicitur enim* 1. *ad Corint.* 13. *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Huic argumento (postquam in corpore determinaverat, quod actus charitatis secundum quod est quidam actus, per se cadit sub præcepto cum illo modo sibi intrinseco, qui est diligere Deum ex toto corde, sive super omnia) ita respondit. *Ad primum ergo dicendum, quod Dominus non dixit, si vis ad vitam ingredi serva unum mandatum, sed serva omnia mandata; inter quæ etiam continetur mandatum de dilectione Dei, & proximi.* Quod scilicet sine charitate impleri non potest, & sic in eo quod dicitur serva omnia mandata, includitur, ut mandatum dilectionis Dei, super omnia servetur, quod tamen sine gratia, & charitate servari non potest.

Vt ergo cum confutatione hujus tertiæ exposi- 174
tionis concludamus, dato, & nullo modo concesso quod omnia possent divina mandata servari, quoad substantiam actuum eorum sine gratia, & merito, adhuc ea omnia collectivè homo lapsus implere non posset propter infirmitatem suam, & operum magnam difficultatem, sicut posset homo in natura integra. At cum hoc superadditur esse impossibile, quod omnia possit lapsus homo servare sine gratia, charitate, & ex consequenti sine merito vitæ æternæ secundum allegatum Domini testimonium, *si vis ad vitam ingredi serva mandata*, adjuncta S. Thomæ explicatione præmissa.

CAPVT XI.

Non posse hominem in statu naturæ lapsæ absque gratiæ auxilio omnia mandata collectivè observare rationibus demonstratur.

OPortet jam veritatem in utroque capite immediatè præcedenti ex scripturæ sacræ testimoniis, summorum Pontificum decretis, Conciliorum diffinitionibus, & concordi Sanctorum Patrum Doctrina stabilitam; veris rationibus Theologicis comprobare. Quarum illa sit prima, quæ modo con- 175

Digitized by Google

ſtructa eſt. Impletio omnium mandat orum naturalium collectivè includit illud primum, & ſupremum morale præceptum dilectionis Dei ſuper omnia; ſed hoc præceptum ſine gratia, & charitate impleri non poteſt; ergo impletio o mnium mandatorum ſine gratia non poteſt fieri; major ad fidem pertinet, quæ docet inter præcepta moralia illud dilectionis Dei ſuper omnia eſſe primum & maximum mandatum. Hoc enim Chriſtus D ominus teſtatus eſt, reſpondens interroganti, quod eſſet primum mandatum in lege. Minorem etiam ex fide eſſe contra P elagianos ex dictis ſupra relinquitur comprobatum, ergo, & concluſio etiam ſpectat ad fidem, & ut talis eſt contra eoſdem Pelagianos tenenda, & defendenda.

176 Deindè ſicut Pelagius ex err ore errorem deducens, ex eo quod liberum hominis arbitrium ſine peccato originali integrum in ſua natura conſtituit, ſicut fuerat ante peccatum, deduxit ipſum ſine gratiæ auxilio poſſe omnia divina præcepta ſervare ſive in lege naturæ, ſive in ſcripta, ſive in lege gratiæ; ita catholica veritas ex veritate veritatem inferens, ex eo quod liberum hominis arbitrium per primi hominis culpam læſum, infirmum, & viribus extenuatum cõfitetur per peccatum originale, quod unicuique ante baptiſmum ineſt proprium, & omnibus cõmune, ita ex hac Catholica veritate aliam infert, quod videlicet omnia divina mandata ſimul in nulla lege valeat ſervare ſicut poterat ante originale peccatum ob infirmitatem & attenuatjonem ſuam. Ex hoc ergo principio de fide, quod in homine ſit læſum arbitrium per originale peccatum, evidenter concluditur non poſſe ipſum omnia divina mandata ſervare ſine gratia. Vndè etiam ex hac parte quando expreſsè diffinitiones aliæ non eſſent, de errore convinceretur opinio, quæ aſſerit poſſe hominem omnia implere divina mandata ſolis naturæ viribus ſine gratia.

177 Aperit autem S. Thomas *quæſt. 224. de ver. art. 12. in corp.* modum impoſſibilitatis hujus oſtendendo quare non poteſt homo implere omnia mandata divina ſine gratia, ſic dicens. *Habenti habitum jam eſt in ejus electione finis determinatus. Vnde quandocumque aliquid occurrit, ut conveniens illi fini, ſtatim eligitur, niſi ex aliqua attentiori, & majori deliberatione impediatur. Homo autem, qui eſt in peccato mortali,* (eſt autem in natura lapſa omnis qui eſt ſine gratia in mortali peccato) *habitualiter peccato inhæret; quamvis enim non ſemper habeat habitum vitij; quia ex uno actu luxuria habitus non generatur voluntas tamen peccantis derelicto incommutabili bono, bono commutabili quaſi fini adhæſit; & hujuſmodi adhæſionis vis, & inclinatio in ea manet quouſque iterato bono incommutabili quaſi fini inhæreat, & ideo quando homini ſic diſpoſito occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti electioni conveniat, repentè fertur in illud per electionem, niſi multa deliberatione ſeipſum cohibeat. Nec tamen per hoc quod ſic repentè illud eligit, à peccato mortali excuſatur, quod aliqua deliberatione indiget quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale, qua perpenditur id quod eligitur eſſe peccatum mortale, & contra Deum; iſta autem deliberatio non ſufficit ad retrahendum eum, qui eſt in peccato mortali. Non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo, in quod inclinatur, niſi inquantum illud ſibi proponitur, ut malum. Ille autem, qui jam bonum incommutabile repudiavit pro commutabili bono, non jam exiſtimat, ut malum à bono incommutabili averti; in quo ratio peccati mortalis perficitur; undè non retrahitur à peccando per hoc ipſum, quod advertit aliquid eſſe peccatum mortale; ſed oportet ulteriùs in conſideratione procedere, quouſque perveniatur ad aliquid, quod non poſſit non eſtimare malum; ſicut eſt miſeria, vel aliquid hujuſmodi. Vndè antequam tanta deliberatio fiat, quanta requiritur in homine ſic diſpoſito ad vitandum peccatum mortale, præcedit conſenſus in peccatum mortale. Et ideo ſuppoſita adhæſione liberi arbitrij ad peccatum mortale, ſive ad finem indebitum, non eſt in poteſtate ejus, quod vitet omnia peccata mortalia, quamvis unum quodque poſſit vitare, ſi contra nitatur. Quia etſi hoc, vel illud vitaverit adhibendo tantam deliberationem, quanta requiritur, non tamen poteſt facere quin aliquando ante tantam deliberationem proveniat conſenſus in peccatum mortale, cum impoſſibile ſit hominem ſemper, vel diu in tanta vigilantia eſſe, quanta ad hoc requiritur, propter multa in quibus mens hominis occupatur. Ab hac autem diſpoſitione non removetur niſi per gratiam, per quam ſolam efficitur, ut mens humana bono incommutabili per charitatem, tanquam fini adhæreat.* Idem in ſubſtantia docet 1. 2. *quæſt. 109. art. 3.* & 4. *cont. gentes cap. 106.* Hæc omnia S. Thomæ verba ideo relata ſunt, quia mirabiliter in illis explicat impoſſibilitatem evitandi ſemper, vel diu omnia peccata mortalia, & cum hoc ſimul declarat, quomodo conſentiens peccato cuilibet mortaliter peccet, etiamſi omnia evitare non poſſit; nec nos clarius id poſſumus explicare, ſed ſolum commendare, ut ab omnibus hæc S. Thomæ verba memoriæ commendentur, quia per illa plurimæ, quæ ſolent in hac materia miſceri difficultates, & intricationes ſolvuntur. In cujus proindè doctrina ſemper inſiſtemus in ſequentibus quæſtionibus, quibus paſſim de imputatione peccatorum tractabimus eandem omnino doctrinam ſub æquivalentibus verbis, ſed brevioribus tradit 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. ſed quæ inducta ſunt modo placuit referre, quia clariora ſunt, & copioſius omnem denudant difficultatem materiæ hujus.

Ex quibus etiam conſtat quid dicendum ſit ad 178
quæſtionem modo propoſitam. Dicendum eſt namque non poſſe hominem in natura lapſa ſine gratia diu vel per longum tempus omnia peccata mortalia evitare, vel quod idem eſt, omnia divina præcepta implere, etiam naturalia, & etiam quoad ſolam actus ſubſtantiam, ſed infallibile erit quod in illo longo tempore aliquod tranſgrediatur mandatum, & mortaliter peccet; veritas hæc expreſsè traditur à S. Thoma relatis verbis, in illis videlicet, *Cum impoſſibile ſit hominem ſemper vel diu in tanta vigilantia eſſe* &c. idem 1. 2. confirmat *quæſt. 109. art. 8.* in illis aliis poſitis in fine corporis. *Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundùm conſequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.*

Advertendum tamen non in eodem gradu certi- 179
tudinis hanc veritatem eſſe, ac præcedentem quæ de tota hominis vita procedit; illam enim reputamus adeo veram, ut oppoſita ſit errori Palagij, ſicut monſtratum eſt; qui enim ſic per totam vitam ſuam omnia impleret divina mandata charitatem haberet, & gratiam, & gloriam mereretur, quod ſolis tribuere viribus, Pelagianum eſt dogma perverſum. At hoc non currit in veritate, quam modò tradimus quia admiſſo, per longum tempus poſſet homo omnia vitare mortalia, & omnia adimplere divina mandata, quæ tunc occurrunt, id non ſequeretur, quia toto illo longo tempore poterit eſſe, quod non omnia mandata occurrant ſervanda, & potiſſimè, quod illud primum, & magnam de dilectione Dei ſe non offerat obligans ſub præcepto. Vndè illud magnum Pelagianum inconveniens vitaretur. Eſt tamen veritas iſta ita certa, ut oppoſita ſit, pluſquam falſa, periculoſa, & temeraria, & quæ

videtur

Digitized by Google

videtur aliqua ratione dogma Pelagianum redolere. De falsitate, & temeritatè convincitur, quia communiter à Theologis veritas ista defenditur. Est periculosa quia poterit illo longo tempore occurrere illud primum, & magnum mandatum dilectionis, undè periculo se exponit defendendo, quod illud ex naturæ viribus servet, & ob hanc rationem redolet Pelagianum errorem, & etiam quia naturæ lapsæ, & infirmæ magnas vires tribuit ac si non tam lethaliter infirma esset. Igitur ad omnia ista fugienda indubitanter tenenda est veritas in conclusione exposita, quam prædicta doctrina S. Thomæ manifestè probat. Impossibile est enim, cum hominis voluntas efficaciter adhæret bono commutabili tanquam fini; quod diù sit quin operetur conformiter ad illam determinationem, quam habet ad illum finem, nisi fortiter repugnet per deliberationem in oppositum, quam fortitudinem ex se non habebit voluntas, sed ex Deo. Sicut enim in repentinis cognoscitur habitus, quia facile est conformiter ad habitum operari, & ita communiter homines operantur, & pauci sunt, qui contra nitantur, & qui sic contra nituntur, maximo labore id faciunt, & si una, vel altera vice id faciant, tandem secundum habitualem propensionem feruntur. Secundò quia homines, qui sunt à natura, vel passione inclinati in hoc, vel illud regulariter sic operantur secundùm talem inclinationem; unde, & S. Thomas docet, quod hac ratione Astrologi regulariter vera prænuntiant, quia regulare est homines operari secundum inclinationem passionis cognitam ab Astrologis, ita ut contrarium faciens rectè sapiens dicatur juxta illud, *sapiens dominabitur Astris*, & quia pauci sapientes sunt, & virtuosi, pauci sunt, qui non sequantur impetum suæ inclinationis; Et quamvis aliquando magno labore, & studio se abstineant, tamen quod multo tempore sint in tali pugna, & non vincantur, non nisi ex dono Dei, & auxilio ejus haberi potest.

180 Deindè homo in hoc statu sine gratia, est lethaliter infirmus; sed homo infirmus, quamvis possit per aliquod spatium ambulare, non tamen per longius: ergo quamvis homo in hoc statu sine gratia possit unum, vel alterum servare naturale mandatum, non tamen omnia quæ occurrunt longo tempore. Quomodo autem exemplum teneat & in quo simile sit statim explicabimus. Præterea homo in puris naturalibus, (ut dictum est supra) propter imbecillitatem naturæ, non posset per longum tempus perseverare in observantia præceptorum naturalium solis viribus suis; ergo multo minus id potest homo lapsus, & sub peccato constitutus. Consequentia est manifesta, quia multò magis debilis est iste viribus suis ob peccatum sub quo tenetur, ut servus.

181 Dicendum est secundò per breve tempus poterit homo sine gratia aliqua mandata naturalia illo brevi tempore occurrentia servare, dummodo pro tempore illo non occurrat mandatum dilectionis Dei super omnia, vel contritionis, & dummodo nulla insurgat illo brevi tempore gravis, & vehemens tentatio. Cum hac triplici limitatione conclusionem intelligo; si enim aliquod ex his tribus enumeratis illo brevi tempore intervenerit, non poterit mandata occurrentia pro illo tempore servare, nec poterit non liberè peccato succumbere. Quod pro brevi tempore possit mandata implere, communiter, & verè defenditur, & ex relatis, nunc ex D. Thoma fit notum, solùm enim homini pro hoc statu sine gratia negat semper, vel diù posse non peccare, & omnia mandata servare: ergo pro brevi tempore poterit: cum sic arbitrium liberum, licet infirmum, tamen extinctum non sit; videretur autem extinctum, si vel nullum posset servare mandatum, vel pro brevi tempore non posset stare, quin peccet, quia non videtur ex necessitate & non libertate in peccatum trahi; Quod ex S. Hieronymo S. Thomas docet *quæst. 24. de verit. art. 12. in primo argumento, sed contra* dicens, quod libertati arbitrij præjudicaret, si homo peccatum vitare non posset in contrarium conando; ponere autem quod circa nullum præceptum servandum possit conari, vel quod pro brevi tempore circa facilia præcepta occurrentia conari non possit; ut potè circa honorandos Parentes, circa missam audiendo, eleemosinam dando, &c. etiam libertati arbitrij multum certè derogaret. Cum autem ejus libertati derogandum nullo modo sit, nec est asserendum non posse hominem pro brevi tempore facilia mandata tunc occurrentia servare. Quod autem illa duplex limitatio apponenda sit, ut conclusio sit vera quoad præceptum dilectionis Dei, & contritionis, patet ex superius diffinitis, quibus copiosè probatum est neutrum præceptum solis naturæ viribus hominem posse implere. Quantum verò ad secundam limitationem de gravi, & urgente tentatione infra probabimus.

CAPVT XII.

In quo hujusmodi impotentia ad servanda omnia mandata collectivè, sita sit, & unde proveniat, ostenditur.

CIrca primam, & secundam conclusionem, quibus dictum est non posse hominem semper, per totam videlicet vitam, vel longo tempore omnia divina mandata naturalia servare, tota difficultas consistit in explicanda ista impotentia, seu impossibilitate, ad sic omnia naturalia mandata servanda. Pro quo si verba inducta S. Thomæ considerentur, apparebit hanc impossibilitatem arbitrij non esse Mathematicam, vel Physicam; Primò quia eadem Physica possibilitas, seù potentia, & eædem vires Physicæ manent in homine lapso, & in homine integro; at in homine integro Physica possibilitas, seu Physicæ vires erant ad omnia mandata servanda, ut dictum est; ergo eadem Physica potentia cum eisdem viribus Physicis nunc manet in homine pro hoc statu. Cujus ratio est, quia vires voluntatis, & intellectus non sunt aliquid superadditum his potentijs ultra entitates eorum, sed sunt ipsæmet realitates potentiarum, sicut vires caloris ad calefaciendum, non sunt aliquid præter ipsam entitatem caloris; sed entitas voluntatis, vel intellectus non est imminuta per peccatum; imò nec minui potuit, cum non sint qualitates intensibiles, & remissibiles, sed in indivisibili consistant: ergo eadem Physica, & entitativa possibilitas cum eisdem viribus Physicis manet in homine lapso, quæ fuit in homine integro. Secundò quia potentia liberi arbitrij Physicè considerata ordinem dicit ad omnia præcepta naturalia. Tertiò quia si hæc Physica potentia in arbitrio negaretur ad servanda naturalia præcepta, videretur ab eo naturalis libertas auferri circa illorum observationem, vel transgressionem, ut S. Thomas asserit *quæst. 24. de verit. artic. 12. solut. ad 1.* quæ postea erit examinanda. Quartò quia inducta verba S. Thomæ id clariùs docent, dum hanc omnem impossibilitatem reducit in hoc, quod arbitrium non potest ita in omnibus esse pervigil, nec ita totis viribus potentiam, &

181

Digitized by Google

possibilitatem physicam ad id habet. Quintò quia ipsum videtur S. P. Augustinus docere *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 3.* cum dicit contra Pelagianos, qui opponebant, *quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati*; sic S. P. August. respondet; *Sed hoc non vident quod ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam verè dici voluit, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; Quasi clarius dicat, verum est quod si nolumus non peccamus, sed ad nolendum peccatum opus est aliquando magnis, & totis viribus voluntatis, quas sine Dei auxilio non adhibemus propter infirmitatem nostram. Verum est quod non præcipit Deus, quod est humanæ voluntati impossibile, physicè videlicet, ita quod nullæ vires sint in voluntate, ut etiam si velit, & conetur vitare peccatum non possit, est enim possibile physicè voluntati peccatum vitare, si tamen ipsa magnis, & totis viribus ad id conetur, ut prævidit Deus nos ob infirmitatem nostram & inclinationem habitualem in peccatum non adhibituros magnas illas, & totas vires quæ aliquando requiruntur ad peccatum vitandum.

183 Præterea quia semper S. P. Augustinus hanc impossibilitatem vocat difficultatem, addens simul quod ex illa non potest homo se solo peccatum vitare, ut patet *lib. de nat. & grat. cap. 67.* & alibi sæpè docens quod ignorantia, & difficultas bene operandi sunt pœna præcedentis peccati. Vbi simul illam vocat difficultatem, & impossibilitatem ad ostendendum non esse mathematicam, metaphysicam, seu physicam impossibilitatem, sed moralem, quæ ortum habet ex magna illa difficultate, quæ voluntas habet malitiam, irascibilis infirmitatem, & concupiscibilis concupiscentiam. Quibus præsuppositis fieri non potest, ut semper resistat homo, nisi gratia divina iuvetur non ergo hæc impossibilitas vitandi omnia peccata, & servandi mandata omnia, est physica, seu metaphysica. Igitur est impossibilitas quædam moralis. Dicitur autem moralis primo, quia ex morali infirmitate consequitur. Secundò quia attenditur penes omnes circumstantias morales quæ homini occurrunt per totam vitam; vel tempore longiori, sed non est moralis impossibilitas in hoc sensu quod impossibilè moraliter dicimus adeo difficile, quod rarissimè contingat; Non, inquam, sic est impossibile moraliter vitare hominem omnia mortalia peccata, & implere mandata omnia, quia numquam evenit, nec rarissime, quod per totam vitam, vel longo tempore sine gratia illa omnia adimpleat. Sed in hoc sensu dicimus hanc esse impossibilitatem moralem, quod attentis omnibus circumstantijs, & occasionibus, & considerata infirma hominis natura per peccatum quatenus subest innumeris occasionibus exterioribus, & tentationibus interioribus, tum Dæmonis, tùm appetitus sensitivi: & quatenùs implicatur plurimis necessitatibus corporalibus quibus fatigatur, & lassatur, impossibile est, quod semper vel longo tempore magnis, & totis viribus conetur ad omnia implenda divina mandata, sed omnibus illis suppositis necesse erit quòd aliquando velit peccato consentire, & ita infallibile erit quod aliquando deficiat, & succumbat, ut præceptum transgrediatur, vel ut verbis S. Thomæ utamur *cit. quæst. 24. art. 12. in fine corp.* Ideò non potest homo pro hoc statu sine gratia diu stare quin mortaliter peccet, quia non contingit hominem esse habitualiter dispositum ad peccandum, quin occurrat sibi repente aliquod operandum in quo ex inclinatione mali habitus labitur in consensum peccati mortalis, cum non sit possibilè hominem diù esse vigilem, ad hoc quod sufficientem adhibeat solicitudinem ad vitandum peccatum mortale.

Itaque Physicam potentiam, & libertatem, ac 184
facultatem liberam habet homo lapsus sine gratia ad peccandum, & non peccandum, & quando peccat, liberè peccat; per deliberationem enim cognoscit illud esse peccatum, & ex passione, seu inclinatione in illud magna sua libertate fertur. Sed ad peccandum habet liberam facultatem sufficientem propensam, sive potentem, ad non peccandum autem habet liberam facultatem, sed infirmam, & insufficientem, & impotentem modo prædicto, nisi adjuvetur à gratia, quæ ipsam adjuvet, & faciat eam magnis, & totis viribus conari contra peccatum, ut S. Thomas exposuit in verbis superius inductis *ex quæst. 24. de verit.* quod etiam S. P. Augustinus docuit *de corr. & grat. cap. 11.* dicens. *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Nihil est, inquam, ideſt nihil potest: vel insufficiens est; hoc enim per illa verba intelligit S. D. quia illa opposuit contra alia quibus dixerat, arbitrium ad malum sufficiens esse, ad bonum autem nihil esse, ideſt, insufficiens esse.

Advertendum tamen, quod illud quod supra di- 185
ximus de peccatis venialibus, quod videlicet unum quodlibet in particulari & determinatè potest homo evitare, non tamen omne, quia vagè & inconfuso in aliquo deficiet, non potest in omnibus applicari, parique ratione teneri in peccatis mortalibus seu in adimpletione diviniorum mandatorum: ita ut similiter dicamus, posse hominem unum quodlibet in particulari sine gratia evitare, & quodcunque divinum præceptum determinatè & in singulari implere, non tamen omnia, quia vagè seu in confuso in aliquo deficiet. Et ratio est, quia nullum in particulari veniale peccatum est, quòd homo vitare non possit: at aliqua in particulari sunt divina mandata, quæ implere homo solis suis viribus nequit; ut est illud primum & maximum de dilectione Dei super omnia: & illud aliud de contritione, tempore quò obligant, ut dictum est supra: item illud de perpetua continentia, ut infra exponemus, & denique quodcunque signatum in particulari, quod notabilem contineat difficultatem: vel gravis aut vehemens tentatio urgeat: hæc enim omnia in particulari atque signata, nec eorum aliquod præceptum poterit homo solis suis viribus efficere, sed verè dicimus, quod hoc in singulari, vel illud efficere nequeat. Ex duplici ergo capite nequit homo sine gratia omnia servare divina mandata. Primò ex illa generali ratione, quæ etiam militat in venialibus, quia in aliquo vage & in confuso sumpto, necesse est, quòd deficiat. Secundò quia in singulari aliqua sunt divina præcepta nunc videlicet enumerata, quæ ea signando, nequit homo solis viribus suis adimplere.

Sed contra hanc resolutionem impossibilitatis 186
moralis, non Physicæ, opponi potest, quia Concilia & Patres ut visum est supra, docent absolutè esse impossibile, quod homo ille non peccet; quod autem est impossibile solùm moraliter, & possibile physicè, non est absolutè impossibile: ergo non loquuntur de impossibilitate morali: sed de physica, quæ absolutè est impossibilitas. Deinde impossibilitas moralis est magna & ingens difficultas: sed non erat ita duræ mentis Pelagius, ut negaret hanc, quàm omnes experiuntur magnam difficultatem, & sic nec videtur negasse hanc impossibilitatem

Digitized by Google

tem moralem. Præterea Concilia & Patres docent per gratiam posse hominem vitare omnia mortalia, hoc autem quam sit difficile moraliter omnibus compertum est; ergo cum dicunt esse impossibile sine gratia mortalia vitare, per illud impossibile non intelligunt magnam difficultatem, seu impossibilitatem moralem, sed Physicam.

187 Ad primum horum dicendum duplicem esse moralem impossibilitatem, ortam ex ingenti difficultate. Prima talis est, ut moraliter seu regulariter non possit aliud evenire propter magnam difficultatem, licet rarissimè aliud contingere possit: & ista non potest dici absolutè impossibilitas; nec est impossibilitas simpliciter. Alia est moralis impossibilitas, quæ attenditur attentis omnibus moralibus circunstantiis & occasionibus, quibus subest liberum hominis arbitrium pro hoc statu sine gratia; sed tanta est ex suprema & insuperabili difficultate, quod fieri non potest, ut aliquando oppositum eveniat: & ista est & dicitur absolutè & simpliciter impossibilitas. Modo Concilia & sancti, & nos vestigiis illorum inhærendo, non de prima (ut argumentum probat) impossibilitate morali loquimur; quia illa absolutè non est impossibilitas; sed de hac secunda loquuntur, & loquimur, quæ absolutè & simpliciter impossibilitas est. Itaque non solum impossibilitas Physica est absolutè impossibilitas; sed omnis alia quæcunque illa sit, cujus oppositum nunquam potest aliter evenire: imò ex eo Physica impossibilitas est absolutè impossibilitas, quia nunquam aliud evenire potest; ergo quæcunque alia impossibilitas, licet Physica non sit, sed moralis; in qua nunquam aliud potest evenire attentis omnibus circunstantiis, illa erit absolutè impossibilitas; nec Sancti Patres, & Concilia vim faciunt quod sit Physica impossibilitas. Imò hoc, ut probatum est, intendere nequeunt.

188 Ad secundum dicendum, hanc moralem impossibilitatem oriri ex suprema & invincibili difficultate, ut ex S. P. Augustino & Thoma dictum est. Quod autem dicitur non fuisse ita mentis inopem Pelagium, ut hanc negaret, quam omnes experimur; dicendum hanc penitus negasse, dum asserit expressè, quod facilè poterat homo omnia servare mandata, ut ex S. Hieronymo & S.P. Augustino relatum est, qui ita referunt illum asseruisse facilè nos posse mandata servare. Cum autem posuerit facilè, non admisit hanc magnam difficultatem; vel si illam cognovit, asseruit quod tanta erat liberi arbitrij facultas & incolumitas, quod illam quam homines experiuntur magnam difficultatem, facilè vincere poterat, si vellet undè S. Hieronymus sic de illo dicit *libro 1. adversus Pelagianos. Tu è diverso asseris posse hominem esse sine peccato, & ut hoc verum dixisse videaris, statim adjungis, & Dei mandata facilè custodire si velit; quæ aut rarus, aut nullus implevit. Si enim facilia sunt, debent à pluribus custodiri; sin autem, ut concedamus tibi, rarus quisquam ea implere potest; manifestum est esse difficilè quod rarum est.* Et *libro 2.* paululum post principium. *Et ubi est illud quod temerè protulisti? facilia Dei esse mandata; & ea facilè posse compleri, dicente scriptura, vir in dolore laborat sibi* &c. Vbi plurimis scripturæ testimoniis difficultatem observationis mandatorum probat. Ac *eodem 2. libro* ante medium, *vis audire facilitatem præceptorum Dei; audi quod dicitur, quam arcta via & angusta est, quæ ducit ad vitam & pauci sunt qui inveniunt eam. Non dixit qui gradiuntur per eam. Hoc enim difficillimum est, sed qui inveniunt eam, pauci enim inveniunt, & multi pauciores ingrediuntur per eam.* Ex quibus apertissimè constat nedum impossibilitatem moralem in observatione mandatorum negasse Pelagium: nedum magnam difficultatem quæ rarò vincitur, sed expressè facilitatem in illorum observatione soli libero arbitrio concessisse. Ad tertium respondetur per gratiam licet cum difficultate, posse tamen hominem omnia servare mandata: at sine illa tantam esse difficultatem, ut sit impossibilitas moralis talis ac tanta, ut fieri non possit etiam rarò, ut de facto per longum tempus ille homo observet.

Hanc igitur jam expositam impossibilitatem 189
adimplendi omnia mandata divina, & omne in universum peccatum evitandi quibusdam oppositis exemplis, solent doctores explicare, ut facilè ista doctrina reddatur; sed antequam illa adhibeantur, quæ commoda satis apparent ad hanc exponendam doctrinam; unum quod minus aptum videtur est removendum; illud videlicet quod tam pro impossibilitate vitandi omnia venialia quam mortalia ab aliquibus intromittitur de fractione virgularum; quarum quamlibet per se & seorsum sumptam frangere potest homo, non tamen omnes simul collectas in unum, hoc enim non videtur satis accommodatum, quia nec omnia peccata venialia, nec omnia divina mandata simul in eodem tempore se offerunt adimplenda, sicut simul tempore virgæ in unum collectæ fractioni exponuntur; si enim sic esset teneret exemplum in peccatis venialibus vitandis; sed non in mortalibus, quia, ut dictum est, aliquod maximè difficile & per magnam tentationem non potest homo vitare sine auxilio gratiæ. Vndè hoc prætermisso, alia aptiora sunt reducenda. Inter quæ illud est pulchrum, quod S. Hieronymus adhibet *in primo libro seu dialogo contra Pelagianos in medio libri illius* sub his verbis: *Quæso ut patienter audias non enim de adversario victoriam, sed contra mendacium quærimus veritatem Deus possibiles dedit humano ingenio omnes artes, quippè quas plurimi didicerunt, ut taceam de iis quas Græci* Βαναύσους *vocant; nos ad opera manuum pertinentes possumus dicere; v.g. Grammaticam, Rethoricam, Philosophiæ tria genera, Physicam, Æthicam, Logicam; Geometriam quoque, Astronomiam, Astrologiam, Arithmeticam, Musicam, quæ & ipse partes Philosophiæ sunt. Medicinam etiam, quæ in tria dividitur,* δόγμα, μέθοδον, ἐμπειρίαν. *Iuris quoque, & legum scientiam. Quis nostrum, quamvis sit ingeniosus poterit omnia comprehendere, cum eloquentissimus Orator de Rethorica & juris scientia disputans dixerit: Pauci unum possunt, utrumque nemo.*

Secundum exemplum à plurimis desumitur & 190
Aristotele 2. *de cœlo cap.* 12. tractans enim Philosophus ibi quæstionem hanc, & videns quam difficiliter homines in officio virtutis contineantur propter repugnantiam partis sensitivæ, & quam difficilè sequantur rationem rectam, docet non esse cuique difficile singulas rectas operationes exercere, adeo tamen esse difficile nunquam rectæ rationi contradicere, aut per longum tempus semper bene agere, ut illud dixerit impossibile esse evenire; hoc ad id explicandum utens exemplo, & dicens. *Rectè agere multa aut sæpè, difficile est, ut talos centies mille projicere, impossibilè est, sed unum, vel duos facilius est.* quibus ostendit ex multiplicatione eorum, quorum singula facilè evenire possunt certo quodam modo, tantam oriri difficultatem, ut simul omnia eodem modo eveniant, quod impossibilè erit sic omnia eodem modo evenire. Sicut facilè est unius vel alterius tali jactu reddere signum tale determinatum; at quo pluries tali projicerentur simul, aut unus & idem sæpius, difficilius erit semper idem monstrare. Quod si millies jaciantur simul,

aut

Digitized by Google

aut unus millenarius, impossibilè omnino erit, ut experientia comprobatur, quod idem semper ab omnibus signum monstretur. Quod inducit Philosophus exemplum ad ostendendum quod agere multa rectè aut sæpiùs, non minus difficilè est, seu impossibilè, quam talos centies millies projicere, id est, quam mille talos simul projectos signum veneris seu eum, quod signum septenarium numerum significabat, semper ostendere.

191 Tertium exemplum solet communiter adhiberi de homine infirmo, sicut in fine præcedentis capitis ostensum est; constat namque posse infirmum aliquos passus ambulare; sed multò plures non poterit ob infirmitatem; ita homo lapsus & infirmus poterit unum vel alterum facilè mandatum implere, sed omnia implere non poterit.

192 Hoc exemplum, cum tamen à doctissimis tradatur, & potissimè à S. Thoma 1. 2. q. 109. *art.* 2. impugnari solet à recentioribus quibusdam Theologis sicut minus aptum, asserentibus latissimum esse discrimen inter hominem lapsum sine gratia, & hominem infirmum corporaliter, quia, ut aiunt, homo infirmus corporaliter, quo diutius operando laborat, eo imbecillior redditur ad operandum, tantóque tempore persistere poterit in ambulando, ut tandem omnino viribus deficiat; nec aliquo modo possit ulteriùs progredi. At verò homo in natura lapsa tantùm abest, quod ex observatione aliquorum mandatorum imbecillior reddatur ad servandum deinceps alia, ut in dies ad ipsum robustior fiat ratione habituum seu dispositionum, qui generantur ex studiosis operibus, quibus servantur mandata.

193 Sed inanis est & ridicula hæc impugnatio ad excludendum ab hac materia & causa prædictum exemplum; licet enim non teneat in eo quod oppugnatio prætendit (nec enim in omnibus exemplum tenere debet) non est tamen dubitandum, quin satis accommodum sit. Adducitur enim ad ostendendum, quod sicut ægrotus corporaliter non potest omnia rectè agere, nec per longum tempus seu spatium ambulare, ita etiam in natura lapsa & infirma considerata sua fragilitate, molestia, tentationibus, atque aliis ærumnis & calamitatibus, ac vitæ humanæ tentationibus, & insuper attenta difficultate, quæ in cupiditatibus superandis, & mandatis implendis, vincendisque tentationibus, cernitur; fieri non potest quin aliquando sua libertate homo succumbat, & mandatum transgrediatur, occurrente hac vel illa occasione & difficultate in impletione hujus vel alterius præcepti, atque ex consequenti peccet.

194 Sed & illud timendum, ne qui hoc exemplum impugnant, ideo illud non admittant, quia hominem lapsum post primi hominis peccatum, ut potè verè infirmum & extenuatum viribus; infirmo incorporalibus comparat cum illum ipsi non viribus naturalibus infirmum magis constituant, quam esset, si in puris naturalibus conditus esset; in quo constat nullam suis naturalibus viribus infirmitatem infore, sicut abundè satis in superioribus, & potissimè *primo libro* ostensum fuit. Quod si sic est, & ob hanc causam prædictum exemplum impugnat, eis in faciem resistendum est; & exemplum tanto efficaciùs defendendum, quanto veritas docet hominem lapsum verè viribus naturalibus esse extenuatum: & certè non minimam supradicti timoris suspicionem generat, videre quod à solis illis, qui integrum, & non læsum admittunt arbitrium in viribus naturalibus, hoc exemplum cœpit priùs his temporibus impugnari, quod de infirmitate procedit naturali relata, seu comparata ad infirmitatem arbitrij post primi parentis peccatum.

CAPVT XIII.

Quomodo se habeant recentiores quidam in asserendo quod absque Dei gratia non possit homo lapsus divina omnia implere mandata.

VT tandem cum ista materia de collectione omnium mandatorum naturalium concludamus quoad eorum impletionem, meritò illud, quis dubitabit, an authores ij cum quibus disputamus, affirment, posse hominem solis voluntatis suæ viribus implere modo omnia divina mandata collectivè, sive per longum tempus, sive quod majus est, per totam suam vitam. Ad quod ita diximus respondendum, quod si solam vocem attendamus, planè docent non posse hominem sine gratia omnia servare divina mandata collectivè; hoc appertis verbis ipsi tradunt; quia considerant aliud asserere apertè, esse convenire cum antiquorum sententia damnata, ut ex dictis comprobatur; si verò rem ipsam, substantiam doctrinæ, principia, & dicta eorum attendamus, & modum, quo necessariam gratiam exponunt ad observationem mandatorum, planè convincitur eos asserere solius voluntatis suæ viribus omnia collectivè, nedum per longum tempus, sed per totam vitam posse implere mandata; cujus ratio est, quia (ut non semel exposuimus, & copiosius, & efficacius probandum erit infra) ipsi nomine gratiæ, quam necessariam dicunt ad omnia præcepta servanda, solum intelligunt aliquid interius, quod tamen non recedit officio & munere à lege atque doctrina, quam & Semipelagiani apertissimè admiserunt imò & Pelagius ipse (ut visum fuit primo libro à principio) in tertio statu suæ perfidiæ, qui proinde convicti sunt, nullam veram Christi gratiam admisisse, sed aliquid ad normam legis atque doctrinæ, ut signanter S. Prosper *Epistola ad Rufinum*, & *prosa de ingratis*, & *contra collatorem* explanat; sed posuisse voluntatem solis suis viribus posita illa revelatione, & excitante revelante tantum, atque docente omnia servare divina præcepta. Cum ergo idem prorsus nomine gratiæ modo intelligant authores, cum quibus ista tractamus, idem omnino de illorum doctrina ferendum judicium est: nimirum eos, absque aliqua Christi gratia, quæ infirmitatem nostræ voluntatis adjuvet, per solas internas revelationes, & excitationes non recedentes à lege atque doctrina statuere, posse hominem omnia divina servare mandata collectivè & per totam vitam; omnia, inquam, nedum naturalia, sed supernaturalia. Illa namque revelatio, & excitatio tantum moraliter, finaliter, seu metaphoricè tantum alliciens, suadens, atque invitans solum objectivè movet: (quod etiam ipsi expressè se declarantes, exponunt) manifestum est autem, quod moraliter tantum allicere, finaliter invitare, & metaphoricè movere, & objectivè suadere, à commendatione legis atque doctrinæ non recedit. Quia omnia illa potest exterior lex atque doctrina efficere. Vnde illa interior excitatio officio & munere à lege & doctrina minimè recedit. Similiter manifestum est & indubitatum objectivam motionem ad intellectum pertinere, & ad legem atque doctrinam. Considerentur in particulari quæ in fine secundi libri de hoc puncto discussa sunt: & erit apertum quod dicimus; ubi etiam nihil juvare illam, quam dicunt cooperantem gratiam, quominus verum sit quod asserimus ipsos nomine gratiæ, 195

quam

Digitized by Google

quam multis nominibus, & circumloquutionibus versant, nihil aliud admittere nisi aliquid non recedens à commendatione legis atque doctrinæ, nec aliam eos admittere veram Christi Domini gratiam: fuit denudatum & ostensum.

196 Nec est mirùm quod his temporibus multi fallantur, putantes eos veram Christi Domini gratiam admittere, cum eos audiunt multis loquutionibus gratiam commendare, atque protestari se veram gratiam constituere ad salutem, & ad omnia servanda mandata, esse necessariam; cùm idem omnino voce proferens Pelagius de gratia, fecerit aliquando prima fronte. S. P. Augustinum dubitare an ipse veram admitteret gratiam: sed re attentius à S. Doctore examinata atque perspecta, inventum est atque convictum ipsum solo nomine, non veritate & re gratiam commendasse. Inducta sunt in primo libro à principio inter denudandam mentem Pelagij testimonia plura, de cujus tergiversationibus in se occultando, plenus est totus liber S. Augustini *de gratia Christi*, in quo contra illum illud protulit consideratione dignum, quod frustra voce hac dicebat Pelagius, *Cùm res à nobis* (inquit S. D.) *non sola verba quærantur.* Et contra Iulianum Pelagij discipulum, qui eadem æquivocationes solo nomine, ut latitaret, prætendebat, quas à suo magistro didicerat, alibi dicit, *sic sententiam temperasti, ut & tua & nostra possit voce defendi.* Quòd adversus illum protulit in hac eadem materia, quam tractamus; dixerat namque ille, quòd sine gratia poterat homo servare mandata: nec expresè dixerat omnia, ut à suis intelligeretur dictum fuisse de omnibus; à Catholicis autem appareret prolatum tantum esse de aliquibus; & sub hac æquivocatione lateret sensus perversus, incautosque falleret. Eandem æquivocationem, qua aliud verbis, aliud re & veritate ponebatur, hæreditarunt Cassianus & Faustus, ut sæpissimè S. Prosper exponit, signanter *prosa de ingratis*, ubi sic metro eos describit.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & sola damnatos plectere voce,
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis
Intima viperei foveantur viscera sensus.

Nec vitio dandum, si hæc sæpe repetamus, quia in aperiendis his antiquissimis cavillationibus: tota substantia doctrinæ consistit, quam denudare intendimus, quia denudare hanc illorum sententiam, superare est: ut priùs S. Hieronymus *in epist. ad Ctesiphontem* exposuit.

197 Prætendere quis forsan poterit, minus bene ad rem, de qua agimus, ista induci, quia primùm allatum testimonium S. P. Augustini contra Pelagium, procedit in particulari de peccato originali, quod ille solis verbis admittebat, de quo modò non tractamus: Vnde æquivocatio in illa peculiari materia à Pelagio admissa nostro non accommodatur proposito; secundùm autem sancti Doctoris testimonium de observatione quidem procedit mandatorum: sed nec nostro videtur servire posse instituto, cum Iulianus sine distributione æquivocando dicebat posse hominem sine gratia divina servare mandata: At hi authores expresè dicunt hominem sine gratia non posse omnia divina implere mandata: unde non rectè illud testimonium adducitur. Tertium etiam allatum ex S. Prospero minùs accommodatur, quia etiam ipse illis versibus de peccato originali sermonem faciebat, non de observatione mandatorum.

198 Ad hæc tamen dicendum rectè inducta esse illa testimonia, ideo enim inducuntur, vt notum sit omni tempore, qui gratiam Dei impugnarunt, æquivocationibus uti: quibus aliud ore, aliud protestabantur re ipsa, sive in materia peccati originalis, sive in confitenda gratia, sive in tradenda doctrina de præceptorum observatione. Vt autem aliqua in singulari inducamus, quibus subdolè gratiam nominabant, qua dicebant hominem posse non solùm omnia divina mandata facile servare, sed etiam omni prorsùs carere peccato: cùm tamen nullam veram gratiam admitterent. Legatur S. P. August. *lib. de nat. & gratia cap.* 10. qui sic de Pelagio refert. *Sed objicit sibi* (scilicet Pelagius) *quasi ab alio dictum, & ait: potest quidem esse* (homo nempe sine peccato) *sed per gratiam Dei inquies. Deinde velut respondendo subjungit. Ago humanitati tuæ gratias, quod assertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modò non oppugnare, aut confiteri solùm contentus non es, verùm etiam non refugis comprobare. Nam dicere potes quidem, sed per illud aut illud, quid illud est, quam non solùm consentire quod possit esse, verùm etiam quomodo, vel qualiter possit ostendere.* Et post pauca inquit rursùs S. P. Augustinus. *His dictis iterùm sibi objicit*; nempe Pelagius, *sed tu, inquies, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere. Deinde respondet. Egone abnuo, qui rem confitendo, confitear necesse est, & per quod res effici potest.* Et tandem alia verba Pelagij sic concludentis apponit sanctissimus Doctor. *Dicit ergo*, nempe Pelagius, *sive per gratiam, sive per adjutorium sive per misericordiam, & quidquid illud est, per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam confitetur.* Post quæ Pelagius repetita verba, ita subdit, *cap.* 11. S. Augustinus. *Fateor dilectioni vestræ, cum ista legerem, lætitia repentè perfusus sum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam, homo justificari potest: hoc enim in disputationibus talium maximè detestor & horreo. Sed pergens legere cætera: primò ex datis similitudinibus cœpi habere suspectum.* Et pergens S. Doctor per capita plurima libri illius usque ad 51. ex multis alijs Pelagij verbis apertè concludit atque convincit, ipsum nomine gratiæ solam possibilitatem intelligere naturæ gratis omnibus à Deo collatam, ita concludens in *illo cap.* 51. *Expressa est sententia, quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi. Ideò Dei gratia tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus natura Deus author est; cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.*

Fateor etiam & ego cum similiter in libris au- 199
thorum horum lego, non posse hominem sine Dei gratia, omnia implere divina mandata (de hoc enim speciales quæstiones tractant, & modo prædicto determinant) lætitia etiam repentè perfusus sum; quod Dei gratiam non negent saltim ad implenda omnia divina mandata, per quam solam homo justificari potest; hanc enim in illis apertè & verè pronuntiatam desideramus; sed pergens omnia eorum dicta & scripta legere, deprehendi hoc ipsos nomine gratiæ semper astruere, quòd quædam magistra sit mentis suadens atque docens, invitans & alliciens voluntatem ad omnia divina servãda mandata, vt voluntas sit allecta atque suasa possibilitate sola naturæ suæ illa possit si voluerit, omnia implere atque servare. Vnde expressa illorum sententia est, quæ latebat, & pluribus nunc etiam latet; nec est quemadmodum possit abscondi: ideo enim asserunt non posse hominem sine gratia omnia servare divina mandata, quia potest voluntatis possibilitas ea implere excitata objectivè, allecta moraliter, & finaliter tantùm mota ad normam legis atque doctrinæ. Quam revelationem interiorem, & ex illa consequutam excitationem objectivè tantùm moventem nec Pelagius negavit in tertio statu perfidiæ suæ, ut primo libro dedimus explanatum. Hoc autem

Digitized by Google

tem est dicere sufficere voluntatis possibilitatem cum interiori doctrina ad omnia divina servanda mandata.

200 Pari ratione aliud perpendamus S. Prosperi testimonium, ut multa ex illo omittamus: ex epistola ad Rufinum, in qua postquá priores retulisset & Pelagianos, qui apertiùs totam justitiam hominis, quæ potissimè in observatione mandatorum consistit, ex possibilitate contendebant esse naturæ: de Semipelagianis ita subdit. *Damnatum* (hunc scilicet) *à Catholicis sensum, & multis postea hæretica fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perseverandum in bono necessariam homini Dei gratiam profiterentur, sed in hac professione quomodo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit. Intellectum est enim, saluberrimèque perspectum hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perquè terrores extrinsecùs judicio ejus ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quæsierit inveniat, si petierit recipiat, si pulsaverit introeat &c.* Admittebant Cassianus & Faustus, de quibus ista S. Prosper affirmat, excitantem illam gratiam moraliter, seu ad normam legis atque doctrinæ, & cooperantem quam dicebant: ut est apertissimum ex opusculis eorum, & tamen relata verba de illis dicit S. Prosper. Cùm ergo authores cum quibus agimus solam eandem gratiam moraliter seu per normam legis, atque doctrinæ allicientem tantum admittant; & eandem cooperantem eodem modo quo illi admittebant, convincuntur & ipsi solam gratiam dicere esse arbitrij magistram, non effectivam bonæ voluntatis ad omnia implenda divina mandata, & ad bene operandum habendamque justitiam: ac proinde non asserere hominem implere posse divina omnia mandata per veram gratiam, sed per naturæ possibilitatem, edoctam & instructam à gratia sicut à magistra. Sed de hac, quàm nomine gratiæ plurimis vocibus ubique publicant, copiosior erit habendus sermo in sequentibus.

CAPVT XIV.

Contraria argumenta, quibus probari videtur posse hominem in natura lapsa sine Dei gratia omnia servare mandata, proponuntur, ac dissolvuntur.

201 NOn pauca sunt argumenta, quæ contra supra dictam veritatem opponi solent, ad suadendum posse hominem in natura lapsa sine Dei gratia omne evitare peccatum, si vellet, & omnia divina servare mandata: quorum potissima relata & soluta sunt à S. P. Augustino *lib. contra Pelag.* sicut enim illa ipsi excogitaverunt, & multo studio invenerunt ad impugnandam Christi Domini gratiam, & extollendum inaniter liberum hominis arbitrium: ita & Sanctissimus Doctor excellentissimo illo ingenio suo, mirabiliquè doctrina ea soluit, & nulla esse ad impugnandam Dei gratiam ostendit. Similiter & S. Thomas undecim apponit argumenta, & soluit *quæst. 24. de verit. art. 12.* quæ ibi videantur, & ex illis efficaciora constituit *1. 2. quæst. 109. articulo 8.* quæ etiam ibi legenda sunt, & notanda sed & ab alijs his temporibus alia quasi pro magno opponuntur, quæ revera alia non sunt; sed eadem quæ à SS. Augustino & Thoma oppositæ sunt & solutæ, quæ propterea à S. Thomæ discipulis referuntur ad *1. 2. quæst. & art. modo citatis.* Ex quibus urgentiora, & quæ majorem videntur habere apparentiam, strictiùs à nobis apponentur: ut ex illorum manifesta solutione clarioti supradicta veritas reddatur, magisque confirmetur.

Igitur est primum argumentum ex S. Hieronymo *in epist. ad Damas.* referturque à S. Thoma 24. 202
quæst. de verit. art. 12. in 1. argum. sed contra. Nos dicimus (inquit Hieronymus) *hominem semper peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrij*; ergo dicere quod homo in statu peccati non possit vitare peccatum, est contra hoc dictum S. Hieronymi: *quod semper potest non peccare*; ergo non est confiteri libertatem arbitrij cùm ipso, sed illam negare. Ad hoc respondet S. Thomas *cit. loco, Quod libertati arbitrij præjudicaret, si peccatum vitare non posset in contrarium conando: non autem præjudicat libertati, si homo facere non potest ut sit in continua solicitudine resistendi peccato: homine autem circa hoc non solicito, pertrahit illum habitus inclinatio in id quod est habitui conveniens.* Hæc S. Thomas quibus exponit modum impossibilitatis hujus, quod est non posse hominem non peccare sine gratia, quàm in corpore illius articuli clariùs exposuerat, dicens esse contra libertatem arbitrij, si non haberet potentiam, qua posset conari ad vitandum peccatum: & hanc solam potentiam confessus est Hieronymus, ut confiteretur arbitrij libertatem: non autem negavit aliam impotentiam arbitrij, qua non potest homo semper esse solicitus ad conandum, quæ inest homini ex primo peccato, & ex culpa sua, quæ vocatur alijs verbis suprema difficultas, & talis quod non stat illam vincere hominem sine gratia, unde cùm ex priori culpa descendit, ei merito imputatur; potissimè, quia cum peccat ex inclinatione habitus promptè & liberè vult peccare; ut erit explicandum & jam supra expositum est.

Secundum argumentum est. Si homo sine gratia non potest vitare omne peccatum, nec implere 203
omne mandatum: ergo necesse est quod aliquod transgrediatur præceptum, & in aliquo mortaliter deficiat. Consequentia manifesta est; ergo in illo præcepto in quo necesse est deficiat, necessarium est illius peccatum: ergo peccatum tale ei liberum non erit: ergo nec erit peccatum, vel simul erit peccatum & non peccatum: peccatum, quia id in quæstione supponitur: non peccatum, quia liberum non est. Hoc argumentum sub his terminis opponitur à S. Thoma *quæst. 24. de verit. art. 12. in 10. argum. sed contra. Quod est necessarium non est voluntarium: si ergo necessarium sit peccare eum, qui est in peccato, peccatum non est voluntarium, quod est falsum* & *1. 2. quæst. 109. art. 8.* Idem primo loco opponit sub hac forma. *Nullus peccat in eo quod vitare non potest, ut Augustinus dicit libro de duobus animabus, & de libero arbitrio; si ergo homo existens in peccato mortali non possit vitare peccatum, videtur quod peccando non peccet, quod est inconveniens.* Hoc ipsum argumentum construxit primus S. P. Augustinus *lib. 3. de liber. arb. cap. 18.* ab ipsoque refertur *libro de nat. & grat. cap. 67.* sibi à Pelagio propositum sub his verbis. *Quacumque ista causa est voluntatis: si non potest ei resisti, sine peccato ei cedit: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Et post pauca: *Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo potest? peccatur autem, caveri igitur potest.* Argumentum idem sibi oppositum à Iuliano & alijs sui erroris consortibus refert idem S.P. Augustinus *lib. 1. ad Bonif.* sub his verbis. *Dicunt, inquit, illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id est toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis*

Digitized by Google

hominis peccato id est Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. & cap. 18. ejusdem libri iterum Iulianum introducit sic objicientem. *Hominem, inquit, Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum, vel in bonum invitum aliquem cogi; sed propria voluntate aut bonum facere aut malum.* Hoc igitur argumentum omnino idem sub diversis vocibus objectum ideo retulimus, ut constet primò à quibus oppositum fuerit & de cujus officina veniat formatum, & qui fuerint qui illo convicti sunt ad detrahendum divinæ gratiæ quod malè libero hominis attribuebant arbitrio: qui non alij fuere quàm Pelagiani inimici gratiæ Christi: & liberi arbitrij non defensores, sed præcipitatores: ergo solutionum à SS. Patribus datam attendamus.

204 Ad hoc ergo secundum argumentum; & ad id quod primo in illo objiciebatur, dicendum, quod non peccare determinatè in hoc vel illo genere peccati, nec peccare vage seu in confuso, vel indeterminatè, est absolutè & simpliciter homini necessarium ex impotentia physica quam homo habet ad non peccandum, ut superiùs ostensum est: nec enim hominis natura ex se physicè est necessario determinata ad aliquando peccandum. Dicendum secundò ex suppositione prioris peccati sive originalis, sive actualis, sive utriusque simul, & ex suppositione carentiæ gratiæ, est necesse quod vage seu in confuso homo peccet, & aliquando præceptum transgrediatur, ita ut non possit simul collectivè omnia implere mandata, & cum hac impossibilitate ex suppositione ad omnia collectivè servanda mandata: stat optimè libertas respectu cujusque mandati quod in particulari transgreditur homo: & sic semper liberè peccat, quoties mandatum prætermittit. Itaque respectu diversorum & est necessarium, & est liberum. Necessarium ex suppositione respectu totius collectionis præceptorum, liberum verò comparatione cujuscunque in particulari. Nec hoc potest alicui ingerere difficultatem, quia omnes id fateri tenentur: nam damnati non possunt non peccare: quia ex suppositione illius status, necesse est quod peccent vage, seu in confuso, licet in particulari isti vel illi actus peccatorum sint illis liberi. Similiter (ut clarius adhibeamus exemplum) necesse est quod homo aliquos habeat actus morales in genere sive in confuso, ita quod non potest non aliquos morales actus habere: & cum hac necessitate in communi sive in genere liber est homo in quocunque morali opere: quia de ratione moralis actus in particulari exerciti libertas est. Et hujus ulteriùs ratio videtur, quia tam in nostro casu, quam in inductis exemplis illa necessitas in communi videtur pertinere ad specificationem, quia ex suppositione quodammodo determinatur voluntas ad aliquid in communi agendum, cum qua optimè stat libertas in exercitio cujuscunque actus, & respectu cujuslibet particularis objecti. Dixi, videtur pertinere, quia nec illa est propriè necessitas quoad specificationem, nec alia est propriè libertas, quoad exercitium, cùm etiam respectu objecti in particulari sit libertas quoad illius specificationem, sed utraque ad illam necessitatem & libertatem reducitur: & per illam commodè explicatur.

205 Sed dices, nunquid poterit concedi peccatum homini esse necessarium? Ad hoc dicendum, simpliciter & absolute ac sine distinctione id concedendum non esse: quia sonat quod peccatum, quod non nisi in particulari, & determinate committitur, necessarium sit, quod dici non potest. Cum addito autem, dicendo peccatum vagè seu indeterminatè est homini necessarium ex suppositione status peccati in quo est, potest admitti.

Ad idem argumentum S. Thomas ubi supra *solut.* 206 *ad* 10. *in arg. sed contra*, respondet dicens, *quod secundum Augustinum aliquid potest esse necessarium, & tamen voluntarium. Necessario enim voluntas miseriam abhorret: & hoc propter naturalem inclinationem cui assimilatur inclinatio habitus.* In qua solutione supponit S. D. quæ in corpore & in solutionibus aliorum argumentorum determinarat. Vnde non sentit, quod sicut abhorrere miseriam est absolutè homini necessarium quoad specificationem propter naturalem inclinationem voluntatis, quæ miseriam velle non potest; licet abhorrere quoad actum & in exercitio sit liberum, ità sit in præsenti: sed quod illi determinationi omnino necessariæ quoad determinationem abhorrendi miseriam, similis est hæc necessitas ex suppositione inclinationis pravi habitus, ut etiam in hac solutione clariùs expressit.

Ad idem argumentum prout illud 1. 2. *qu.* 109. 207 *art.* 8. opponit, ibi sub hac forma respondet. *Ad primum dicendum, quod homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam, ut dictum est; & tamen quia ex ejus defectu est quod homo se ad gratiam habendam non præparet, propter hoc à peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest.* Vbi duo simul respondet. Primùm quod ad rationem peccati, ut liberè fiat, & homini imputetur, sufficit quod singula vitare possit: quia non peccat nec habet rationem voluntarij homo nisi in singulis: unde si in singulis, quæ potest vitare, habet tantùm voluntarij rationem, meritò cum in aliquo singulari deficit, ei peccatum imputatur. Dicit secundò quod etiam homini imputatur quod vitare peccatum non possit in genere, vel quod non possit collectivè omnia servare mandata: ex eo quod licet id non possit sine gratia, tamen ex defectu & culpa sua est, quod non disponatur ad gratiam, qua omne peccatum vitare poterat. Quod alijs verbis dicitur, quod si nunc non potest, potuit, & sua culpa ne posset se impedivit. Vnde quod non possit omne peccatum vitare, sibi imputatur. Quomodo autem ex culpa & defectu hominis sit quod se non disponat ad gratiam, explicat S. Thomas 3. *contra gent.* dicens quod *gratia nemini denegatur, nisi ei qui impedimentum ponit: qui autem est in statu peccati, eo ipso impedimentum gratiæ ponit: nec potest, dum est in tali statu non ponere gratiæ impedimentum, sive illud peccatum sit actuale solum, sive originale & actuale simul.* Addendum, ponere hominem etiam impedimentum divinis inspirationibus quibus misericorditer Deus hominis animam pulsat. Sed de hac materia & imputatione peccati plura infra dicturi sumus: nunc utraque solutione S. Thomæ simus contenti.

Ad idem argumentum prout objiciebatur olim à 208 Pelagio sancto Doctori Augustino ex 3. *ejus libro* pro libero arbitrio, quòd & supra formatum est, ipse sanctissimus P. respondet *libro de natura & gratia cap.* 67. vbi illud refert sibi objectum, & responsio talis est. *Potest ergo ei causæ, quæcunque illa sit, resisti? potest planè: nam in hoc adjutorium postulamus dicentes, ne nos inferas in tentationem: quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri sed opitulante illo qui non potest falli.* Et post pauca. *Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest.* Itaque potest peccato resisti, potest peccatum caveri, sed per gratiam, non sine illa. Hæc est S. Augustini doctrina, hæc S. Thomæ præfata sententia, hæc Conciliorum & Summorum Pontificum allata doctrina.

Digitized by Google

Dicit secundò quod quædam facta per ignorantiam imputantur: & quædam etiam ex necessitate facta improbantur, quod ibi ex sacris litteris probat. Tertiò docet quod ideo hæc ignorantia, qua homo ignorat quid facere debeat, & difficultas seu impotentia, qua nequit facere quod debet, ideo homini imputantur, quia ex priori hominis culpa proveniunt, sunt enim pœnæ prioris peccati saltem originalis. Vndè illa verba adhibet. *Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Est clariùs dicere quod non essent peccata, nec justè homini imputarentur facta per ignorantiam, vel impotentiam, si illa ignorantia & impotentia ex natura hominis in sua prima conditione consequerentur, & non provenirent ut pœnæ culpæ prioris. Quare hoc ipsum magis exponens addidit. *Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, qua violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti noluit; cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit; & qui rectè facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. Nam sunt revera omni peccanti anima duo ista pœnalia ignorantia & difficultas.* Ex hac S. D. Doctrina suam desumpsit S. Thomas *loco nunc cit.* cum dixit, *quod homo non possit sine gratia vitare peccatum, ex illius defectu est: qui se non disponit ad gratiam, sed ei per peccatum impedimentum ponit, cum talis impotentia ex priori peccato sicut illius justissima pœna descendat.* Et nos ex utroque doctore sancto eam colligimus, per quam evidenter argumentum diluitur, quod homini imputatur quod faciat malum, licet non possit sine gratia facere bonum, quia quod malum faciat, & non possit facere bonum ex priori illius culpa oritur, undè utrumque sibi imputatur.

209 Ad idem argumentum sub verbis inductis per Iulianum oppositum idem S.D. respondet *cit. libro 1. ad bonif. cap. 2.* sub his verbis. *Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum: sed illa qua in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, si vos filius liberaverit, verè liberi eritis; utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.* Et in cap. 3. subdit. *Non itaque sicut dicunt nos quidem dicere, & iste audet insuper scribere: omnes in peccatum veluti inviti carnis sua necessitate coguntur: sed si jam in ea ætate sunt, ut propria mentis utantur arbitrio; & in peccato sua voluntate retinentur; & à peccato in peccatum sua voluntate precipitantur. Neque enim agit in eis, etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum cum voluntate committant; vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis vel utroque malo, & cæcitatis & infirmitatis, sed hac voluntas quia libera est in malis, quia dilectatur in malis, ideo libera in bonis non est; quia liberata non est.* Quam doctrinam S. Thomas relatis supra ex *illa quæst. 24. art. 12. in corp.* verbis clarius exposuit, dicens, quod qui ex habitu peccati peccat, habet sufficientem deliberationem, qua indicat peccatum esse quod committit; non habet tamen tantam, quanta requiritur, ut pravam inclinationem vincat, & retrahatur à peccato, nisi ad id adjuvetur à divina gratia. Et sic libertatem sufficientissimam ad peccandum in homine constituit; ad resistendum autem peccato libertatem, sed ex sua priori culpa insufficientem. Ad aliud tandem objectum ex eodem Iuliano in alio loco citato ita respondet S. P. Augustinus. *Ad hæc respondemus homines esse opus Dei, in quantum homines sunt; sed sub Diabolo esse in quantum peccatores sunt.* Et post pauca. *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum in vitam aliquem cogi: sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum.* Igitur hoc argumentum, quod si peccatum vitare non potest homo sine gratia, nec omnia implere divina mandata, peccatum erit necessarium, non liberum nec peccatum: multipliciter olim à Pelagianis invenitur oppositum: & multipliciter etiam ac efficaciter per Doctores sanctos tritum & commune. Vnde non est quod amplius infestet Catholicos, vel illorum torqueat ingenia, si attendant & perpendant sanctorum validissimas & efficacissimas solutiones. Hac enim ratione illorum ad plenum verba retulimus.

Dubitabit merito aliquis an supposito quod homo in natura lapsa, non potest sine gratia omnia mandata collectivè servare, peccet non illa collectivè servando contra præceptum quod habeat servandi omnia collectivè? Ad quod dicendum est primo, nullum tale præceptum esse de collectivè servandis præceptis omnibus, quod sit distinctum præceptum ab aliis particularibus, quæ circa singulas materias versantur. Vnde homo non servans omnia collectivè, peccat in illa materia illius præcepti quod transgreditur; non autem peccat contra aliquod quod sit præceptum speciale servandi omnia collectivè. Imò dicendum nec tale præceptum habuisse hominem, conditum in natura integra. 210

Dicendum secundò non ideo non esse illud præceptum speciale de collectivè servandis mandatis omnibus distinctum ab aliis particularibus, quia illa omnia non potest homo servare collectivè sine gratia. Qui enim hanc rationem assignant, dicentes ideo tale præceptum non esse, quia illud homo servare non potest; alias Deus præciperet impossibile, quod est blasphemum & hæreticum: non advertunt non hac ratione negandum esse illud præceptum de collectione omnium distinctum ab aliis, quia ut illud præceptum iustissimum esset, sufficeret quod posset homo omnia collectivè servare per gratiam, juxta illud quod per amicos possumus, per nos possumus. Vnde satis est, quod illud præceptum esset possibile per gratiam, licet non per naturam; & insuper, quia alias præceptum dilectionis Dei super omnia, & contritionis, ac continuæ continentiæ; similiter omnia præcepta supernaturalia non possent homini imponi, cum nullum illorum in particulari possit homo per se solum sine gratia implere. Vnde S. Thomas *2.2. quæst. 2. art. 5. ad primum*, dicit quod si in potestate hominis dicatur esse aliquid excluso auxilio gratiæ, *sic ad multa tenetur homo ad qua non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulis fidei, sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ.* Qui ergo supradictam rationem assignant ad negandum præceptum illud præterquam quod non causam reddunt pro causa, & præterquam quod id dicunt adversus doctrinam modo ex S. Thoma relatam, quæ communis est, & esse debet inter Scholasticos, cum ex Sanctis Patribus & Conciliis superiùs inductis, habeatur, per rationem modo inductam de falsitate convincuntur. Ideo ergo non est tale præceptum, quia per particularia 211

Digitized by Google

cularia mandata circa proprias & particulares materias sufficientissimè homo ordinatur ad benè operandum, justitiamque habendam; nec fuit necesse illud addere generale præceptum; potissimè quia qui in aliqua materia cujuscumque præcepti in particulari deficit, eo ipso mandata non servat, nec punietur, quia non servavit omnia collectivè, sed quia hoc vel illud in particulari transgressus est. Dicendum tertio quod licet non habeat homo hoc speciale præceptum, servandi omnia mandata collectivè distinctum à particularibus mandatis, habet nihilominus speciale quoddam præceptum convertendi se in Deum; vel diligendi ipsum super omnia, in quo omnia collectivè virtualiter includuntur; quod potissimè hominem obligat, cum primò pervenit ad rationis usum. Quod propterea licet formaliter seu explicitè unum speciale mandatum sit, virtute tamen est multiplex, & omnia continet collectivè.

CAPVT XV.

Argumenta duo proponuntur ad ostendendum quod possit homo lapsus suis viribus omnia mandata collectivè servare, & diluuntur.

212 ALiud tertium argumentum potest formari contra traditam in superioribus doctrinam in favorem illius quæ contendit posse hominem collectivè sine gratia omnia servare mandata quantum ad solam actus substantiam. Quod & tale est. Si homo omnia collectivè implere non posset divina mandata sine gratia, sequeretur quod teneretur homo post peccatum statim pœnitere de peccato tali; itaut peccaret si hoc non efficeret, consequens falsum est; ergo sequela vera probatur. Quia ille non potest implere omnia alia præcepta quandiu est in peccato; ergo est constitutus in periculo peccandi transgrediendo præceptum aliud: sed se constituere in tali periculo est peccatum mortale, ergo tenetur homo cavere periculum illud quod non fit nisi pœniteat statim: igitur tenetur statim pœnitere.

213 Ad hoc argumentum quidam cum Cajetano respondent S. Thomam in 2. *dist.* 28. *art.* 1. cum esset juvenis sensisse posse hominem solis naturæ viribus omnia peccata vitare, quia id in illo art. videtur haberi expresse, at hanc sententiam postea mutasse in 2. *scripto sent. lib.* 2. eandem materiam tractando, & sic dicunt habuisse prius sententiam Durandi, sed illam postea retractasse. Quo supposito, asserunt juxta illam priorem S. Thomæ mentem argumentū non currere: cum possit homo sine gratiæ auxilio omnia peccata evitare, & ita non pœnitendo non se exponit manifesto periculo; sed juxta sententiam posteriorem S. Thomæ adhuc dicunt non esse certum de mente illius an teneatur homo post peccatum statim pœnitere. Sed ut jam supra notavimus, S. Thomas nec juvenis in *illo* 2. *sent.* tenuit posse hominem per se solum sine aliquo auxilio gratiæ omne vitare peccatum, quia in illo primo tantum docet posse hominem in peccato existentem vitare omne peccatum, & diu sine gratia aliqua habituali, sive ille habitus sit gratia justificans, sive habitus gratiæ gratis datæ, non autem dicit quod absque omni auxilio gratiæ diu omne possit vitare peccatum, ut sensit Durandus, undè nunquam sententiæ, quam postea Durandus habuit, D. Thomas adhæsit. Et quod ista ejus mens sit in illo *art.* 1. *quæst.* 28. 2. *sent.* patet manifestè ex ultimis verbis corporis articuli, quibus postquam determinarat posse hominem sine gratia omne peccatum diu vitare, ita concludit. *Peccatum autem committendum potest homo vitare etiam sine gratia, quantumcunque in peccato mortali existat, si tamen gratia intelligatur aliquis habitus infusus, & non ipsa divina voluntas per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur.* Quæ verba adeo sunt manifesta & ita clarè ostendunt solum negare S. D. habitum gratiæ ut necessarium ad diu omne peccatum vitandum, non autem auxilium actuale gratiæ quo divina voluntas nos movet ad bonum efficiendum, & vitandum malum; ut mirum sit quod ad illa non advertant, quicumque ei similem sententiam attribuunt. Idem clarius expressit *art.* 2. *quæst. illius etiam ad finem corp.* Id ipsum adhuc manifestius expressit *art.* 3. *in corp.* & potissimè *solut. ad* 1. & 2. Et eandem sententiam expressius & limatius statuit in illo 2. *rescripto sent.* & quæstionibus de veritate, & signanter 1. 2. q. 109. ferè per totam.

Hoc igitur de mente D. Thomæ constito quod 214
nunquam admisit posse hominem diu sine auxilio gratiæ omne vitare peccatum, ex illius mente quidam ad argumentum respondendum putarunt, quod in casu posito in argumento ille homo tenetur pœnitere ratione periculi, sicut argumentum probat, non tamen novo præcepto distincto ab eo, quo tenetur vitare peccatum sequens, sicut qui tenetur recipere Eucharistiam, consequenter tenetur confiteri peccata, quod si non confiteatur, non alio peccato peccat, quam contra illud præceptum quo dignè tenetur Eucharistiam recipere. Cæterum non videtur nobis hæc responsio ad mentem S. Thomæ, nec veritati conformis, nec exemplum ad propositum induci. Quia ex communi certaque doctrina S. Thomæ & scholasticorum, qui se exponit periculo morali alicujus peccati, eo ipso peccat, licet non peccato distincto ab eo, cujus periculo sese exponit, in tantum quod licet postea peccatum illud non committat, cujus manifesto periculo se exposuit; peccavit tamen eo ipso quod se illo periculo commisit. Cum ergo homo per peccatum, & perseverantiam in illo sese exponat periculo manifesto, imò certissimo committendi aliud peccatum, si per longum tempus pœnitere differat, licet non peccet peccato distincto ab eo, cujus periculo se exponit; peccat tamen mortaliter tali periculo se committendo. Exemplum autem de Eucharistia ad propositum non est; quia præceptum confitendi tunc solum est in ordine ad dignè recipiendam Eucharistiam, undè solum peccat peccato indignè sumptionis; qui sine confessione cum peccato ad illam accedit; at in casu præceptum est distinctum non se exponendi periculo peccandi mortaliter; undè etiam si de facto non peccet quis, tamen ex eo solum, quod se periculo exposuit, contra illud præceptum peccavit fateor non esse duplex peccatum exponere se periculo fornicationis, & fornicari; sed unum & idem contra præceptum, quod fornicationem prohibet, quod simul prohibet se exponere periculo fornicandi: ita ut etiam fornicatione non sequuta, peccaverit contra illud præceptum, se fornicationis periculo exponendo, si manifestum periculum fuit. Et quantum ad hoc idem dico, si quis se exponeret periculo manifesto cum peccato sumendo Eucharistiam, quod licet de facto illam non sumat, peccaret contra præceptum dignè sumendi Eucharistiam propter periculum quo se exposuit indignè illam sumendi.

Alij S. Thomæ discipuli ut magister Soto & Ca- 215
no, hîc *relect. de pœnitentia part.* 4. ille in 4. *dist.* 17. *art.* 6. *quæst.* 2. & *quæst.* 19. *art.* 4. asserunt quod cum præceptum pœnitendi sit affirmativum, & ex con-

Digitized by Google

ſequenti ſolum obliget pro loco & tempore, non tenetur homo ſtatim pœnitere immediatè poſt peccatum. Et ad argumentum reſpondent, negantes conſequentiam: quia non conſtat homini per quod tempus poſſit ex propriis viribus perſeverare ſine novo peccato; ac ſubinde ſicut non conſtat ſibi tempus ſeu inſtans determinatum, in quo ſit in periculo peccandi, ita nec eſt aliquod inſtans ſeu determinatum tempus, in quo pœnitere teneatur. Iſta ſolutio unum continet verum, & aliud valde difficile: verum quidem eſt non teneri peccatorem ſtatim pœnitere poſt peccatum, ita quod ſi ſtatim non pœnitet, peccat. In hoc quidem veriſſima horum magiſtrorum ſententia eſt, imò communis eſt, ſed ſecundum valde difficile. Etenim licet non conſtet homini inſtans vel tempus determinatum, quo non poſſit proprijs viribus evitare peccatum: vel exponendi ſe periculo peccandi alio peccato: ac ſubinde non ſibi conſtet tempus determinatum, vel inſtans in quo pœnitere teneatur, quod ſolùm illorum authorum ratio probat: conſtat tamen homini certò quod per longum tempus ſine pœnitentia ſe exponit certiſſimo periculo committendi novum peccatum; ergo qui per longum tempus exiſtit in peccato ſine pœnitentia, verè eſt in periculo peccandi: & cum verè illud cognoſcat, peccabit, ſi per illud longum tempus non pœniteat propter certitudinem talis periculi. Verum eſt quod ſicut per longum tempus niſi pœniteat, hoc vel illud peccatum vage committeret, non autem committeret aliquod in ſpecie & determinatum, ita illud exponere ſe periculo illi non pœnitendo, non reducitur ad aliquod particulare & determinatum peccatum: ſed ad peccatum ut ſic, quod ſive unum ſive aliud committetur. Poterit etiam non pœnitere per longum tempus, & exponere ſe periculo peccandi, reduci ad tranſgreſſionem præcepti dilectionis Dei ſuper omnia: ſeu convertendi ſe in Deum, ſi mortale fuerit, quòd illo longo tempore tale occurrat præceptum, quod ſine pœnitentia implere non poteſt. Itaque licet præceptum pœnitentiæ ſit affirmativum, & non obliget propterea niſi pro loco & tempore, quatenùs affirmativum eſt; includit tamen ratione aliqua præceptum hoc negativum, videlicet ne tantùm differas pœnitentiam, quòd ex defectu ejus te manifeſto periculo exponas aliud committēdi mortale peccatum. Vnde cum per longum tempus ſe tali periculo exponat, ut dictum eſt intra illud longum tempus obligat præceptum pœnitendi.

216 Nec valet reſpondere cum alijs, qui excuſare nituntur hominem à tali præcepto pœnitendi; ſi dicant, quod intra illud longum tempus non tenetur pœnitere, quia poteſt intra illud non peccare ex divino auxilio, etiam ſi non pœniteat: quia divinum illud auxilium quibus datur, ex miſericordia datur, & quibus negatur, juſto iudicio negatur propter præcedens peccatum, ut ex S. P. Auguſtino, S. Thomas docet *2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 1.* Vnde non propterea excuſatur homo à præcepto pœnitendi intra illud tempus: quia neſcit an Deus illi juſto judicio negabit auxilium, quo negato, infalliblliter peccabit, unde ſemper homo non pœnitendo per longum tempus, ſe manifeſto exponit periculo peccandi ſi non pœniteat. Potiſſimè quia tenetur ad ſuum ſtatum peccati & periculum attendere, illudquè evitare, & non ſe excuſare ex eo quòd poterit illi Deus dare etiam ſine pœnitentia actuale auxilium ad peccatum illo tempore evitandum. Imò qui ſic ſe putaret excuſandum & non pœniteret, eo ipſo mereretur ut Deus ei ſuum negaret auxilium actuale ad ſic evitandum peccatum: unde etiam ex hac parte ſe exponeret periculo manifeſto non recipiendi divinum actuale auxilium, & ex conſequenti manifeſto periculo, ulterius peccandi.

Eſt quartum argumentum. Homo poteſt vitare 217
quodvis peccatum in particulari; & in ſingulari quodcunque ſervare mandatum; ergo poteſt omnia vitare peccata, & omnia ſervare mandata. Conſequentia probatur. Poteſt vitare hoc peccatum dignatum, & hoc in particulari ſervare mandatum, & hoc, & illud, & ſic de ſingulis: quia nullum in particulari eſt, quod evitare non poſſit implendo quodcunque ſignatum præceptum, ergo poteſt omnia ſimul collectivè vitare peccata: & omnia ſimul collectivè ſervare mandata. Patet conſequentia, quia ſi poteſt omnia diſtributivè, & copulativè non ſimul, ſed ſucceſſivè unum poſt aliud vitare peccatum, & implere præceptum: profectò omnia collectivè poterit peccata vitare, & implere præcepta. Et ratio eſt, quia qui ex dono gratiæ omnia evitat peccata, & omnia ſervat divina mandata collectivè: non aliter ea ſervat collectivè quam ſervando ſingula diſtributivè ſeu copulativè ſucceſſivè, unum poſt aliud ſervando, & in nullo deficiendo. Et ratio iterum eſt, quia propria natura ſeu peccatorum quæ vitantur; ſeu præceptorum quæ implentur collectivè, hæc eſt, quod non ſimul pro eodem tempore vitentur vel impleantur omnia, quia nec ſimul ſe offerunt: ſed quod ſucceſſivè oblata peccata in diverſis temporibus evitentur, & præcepta ſucceſſivè ſerventur: unde qui ſucceſſivè omnia ſic ſervat, collectivè ſervat. Primum autem antecedens, quod nullum ſit in particulari peccatum quod vitare non poſſit homo, ſervando præceptum quod tunc occurrit: probatur; quia ſi daretur aliquod peccatum in particulari, quod vitare non poſſet homo, illud non eſſet peccatum; quia intantum eſt peccatum, in quantum vitari poteſt. Confirmatur. Qui poteſt diviſivè ſervare omnia mandata poteſt collectivè ſervare illa ſed homo poteſt diviſivè: ergo & collectivè. Major probatur, quia qui ſervat omnia diviſivè, in nullo deficit. Si enim in aliquo deficeret, jam non ſervaret omnia diviſivè: qui autem in nullo deficit, omnia collectivè implet, & collectionem omnium habet; ergo qui poteſt ſervare omnia diviſivè, poteſt omnia ſervare collectivè.

Ad hoc dicendum, primum antecedens verum 218
non eſſe, quia ut infra dicturi ſumus, aliquod præceptum in particulari eſt, vel aliqua ſunt, quæ ſine auxilio gratiæ ſervare non poteſt homo: ut præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, contritionis, perpetuæ caſtitatis: ſed admiſſo & non conceſſo antecedenti, quod nullum in particulari eſſet, quod non poſſet homo ſolis ſuis viribus implere, & oppoſitum peccatum vitare, conſequentia nulla eſt: quia ſi ponamus eſſe octo præcepta, poteſt homo ſine gratia ſervare primum, ſecundum, & tertium præceptum, & ſic de alijs, ſumendo quodlibet per ſe, & hoc dicimus diviſivè, non tamen prout dicit ordinem ad alia, id eſt, non poteſt primum, ſecundum, & tertium ſimul cum alijs quod dicimus collectivè propter rationes factas. Vnde in hac conſequentia poteſt hoc & illud præceptum ſervare homo ſine gratia diviſivè, & ſic de ſingulis diviſivè ſumptis ergo poteſt omnia ſervare collectivè, ita quod in nullo deficiat, eſt arguere à diſtributiva determinata ad diſtributivam confuſam, quæ nulla conſequentia eſt; cum à determinata non teneat illatio ad confuſam, ut ſi dicas; iſte equus non requiritur ad equitandū, nec iſte, nec iſte, & ſic de ſingulis, quia nullus determinatus equus requiritur, ergo non requiritur aliquis vage & in confuſo ſumptus,

nulla

Digitized by Google

nulla est consequentia ob prædictum defectum; quia fit transitus à determinata ad confusam. Et ut exemplum in omnibus teneat, construamus utrobique argumentum negativè sub distributione dicendo. Nec datur hoc præceptum in particulari quod homo non possit non servare, nec istud, nec istud, & sic de singulis: ergo non datur aliquod vage seu in confuso, sive istud sit, sive aliud, quod non possit non servare, nulla est illatio sicut nec ista: nec hic equus datur in particulari, quod sit requisitus ad equitandum, nec hic, nec hic, & sic de singulis ergo non est requisitus alius equus vagè seu in confuso, nulla planè illatio est.

219 Ad confirmationem neganda est major: & ad probationem dicendum eum qui de facto servat omnia mandata divisivè, servare etiam de facto omnia collectivè, ut argumentum probat: sed inde non sequitur eum qui potest servare omnia divisivè, posse servare omnia collectivè: quia etiam in hac consequentia procedit argumentum à determinata ad confusam, ut in præcedenti illatione dictum est: quod sic manifestatur: nam eo ipso quo supponimus hominem servare seu servasse omnia mandata, ita quod in nullo defecit, supponimus omnia determinatè servasse; imo supponimus totam collectionem mandatorum distinctè & determinatè esse servatam: quod enim in re ad extra ponitur in actu, necesse est esse quid determinatum, & non potest esse quid vagum seu confusum, non enim datur à parte rei singulare vagum. Hoc autem in potentia locum non habet, antequam intelligatur reducta ad actum, quia talis potentia de se indifferens est, ut determinari possit per illos modos divisivè & collectivè, & determinatè & vagè; potest namque potentia dicere ordinem ad aliquid determinatè sumptum, & etiam ad aliquid vage & in confuso acceptum, quia potest dicere ordinem ad singulare determinatum, & ad singulare vagum. Vnde in prædicto argumento antecedens, quod de actu procedit, semper sonat quid determinatum sive in illo ponatur terminus divisivè, sive terminus collectivè: at in consequentia, quæ procedit de potentia non reducta ad actum, terminus divisivè determinatè supponit: terminus autem collectivè vage seu confusè, & sic fit transitus à determinata ad confusam, vel dicatur, nec multum distat ab hoc modo dicendi; quod qui ponitur divisivè servasse in actu omnia mandata, reipsa ponitur collectivè ipsa servasse, & omnium collectionem impleviſſe: Vnde licet verbis dicatur divisivè ut distinctum à collectivè, cum sermo sit de actuali mandatorum impletione; re tamen ipsa illud divisivè est collectivè; quia collectio omnium mandatorum nullo alio modo de facto impletur; at cum sermo sit de potentia non reducta ad actum. Divisivè non est idem quod collectivè; sicut non est idem singulare determinatum & singulare vagum seu confusum: & sic loquendo de actuali impletione conceditur servata esse omnia mandata tam divisivè quàm collectivè; non autem loquendo de potentia servandi mandata non reducta ad actum ratione facta. Est hujus accommodatissimum exemplum in potentia divina quæ potest producere unum Angelum in quolibet instanti divisivè non verò collectivè: quia si collectivè posset, cum instantia sint infinita, essent infiniti Angeli creati, quod repugnat; in quo exemplo, sicut dictum est, alia ratio est de creatione Angelorum actuali, & alia de potentia ad illos creandum. Si enim ponamus Deum in quolibet instanti divisivè de facto unum Angelum creasse, tunc convincitur id etiam fecisse in quolibet instanti collectivè ratione superiùs facta: sed sicut ultimum repugnat, ita & illud primum; At in potentia creandi Angelos illos non reducta ad actum, proculdubio omnes concedere debent esse in Deo potentiam creandi Angelum in quolibet instanti divisivè: & negare tenentur potentiam creandi Angelum in quolibet instanti collectivè. Quia sicut repugnat Angelum de facto creare in quolibet instanti collectivè, ita repugnat potentia ad creandos illos Angelos in quolibet instanti collectivè: quia nec infinitum in actu est dabile, nec potentia ad producendum infinitum in actu.

Et per hoc respondetur ad aliud, quod solet fieri 220
argumentum: quod possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens; sed homo sine gratia potest omnia servare mandata divisivè: ergo quod ponatur in actu quod omnia de facto servet: nullum erit inconveniens.

Ad hoc argumentum & quomodo intelligi de- 221
beat axioma illud possibili posito in esse, nullum sequitur inconveniens: me dixisse tertio libro recordor, vbi tres veras expositiones adhibui: & modò quarta, quæ ad nostrum propositum deservit, est illud debere intelligi, quando ponitur in esse solo modo quo possibile est: non illo alio quo est impossibile: modò solùm est possibile quod homo sine gratia omnia servet mandata divisivè non collectivè; non ergo potest poni in esse nisi solum divisivè & non collectivè: at si ponatur in esse quod omnia servet mandata in actu, non solum ponitur in esse divisivè verum etiam collectivè, ut dictum est: ergo inconveniens est quod sic ponatur in esse. Vnde etiam arguendo ab illo possibili ad positionem in esse, argumentum procedit à distributiva ad collectivam, quod est reipsa arguere à parte ad totum: collectio enim mandatorum omnium totum quod est respectu omnium eorum divisivè sumptorum ut in exemplo de Dei potentia visum est.

CAPVT XVI.

Alia tandem diluuntur argumenta.

QVintum argumentum, quod in hac materia & 222
causa quibusdam apparet conveniens, ita ab ipsis formari solet contra illud quod dictum est, quod nec per longum tempus potest homo omnia servare mandata: si potentia servandi omnia præcepta non est infinitum tempus cathegorematicè, nec sincathegorematicè; sed est prorsus terminata, ergo debet terminari ad maximum quod sic, vel ad minimum quod non, sicut terminantur omnes potentiæ finitæ: & sic debet dari maximum tempus in quod potest, & minimum in quod non potest omnia servare divina præcepta. Si datur maximum, ponamus quod accesserit homo ad instans terminativum illius, & tunc offeratur ei occasio peccandi, iste non poterit in ulteriori tempore non peccare: quia ex suppositione jam accessit ad maximum tempus in quod poterat; ergo necessario peccabit in hoc particulari tempore, quodcumque illud sit: ergo nec liberè peccabit, quod repugnat, si dicatur dari tempus minimum, in quod non potest. Obstat primò, quia in physicis potentiæ non terminantur per minimum quod non, sed per maximum quod sic. Secundò quia idem etiam sequitur inconveniens; quod nimirum deveniendum sit ad aliquod tempus in quo necessariò & sine libertate peccat peccato aliquo, seu actione aliqua in singulari, ita quod non possit non efficere illam. Probatur, quia etiamsi detur minimum quod non, ponamus quod homo accesserit sine peccato usque ad instans initiativum verbi gratia

Digitized by Google

gratia milleſimæ partis horæ, quæ milleſima pars intercedit inter illud inſtans initiativum, & inſtans temporis minimi quod non; tunc etiam ſequitur quod in illa milleſima parte neceſſariò ille homo peccabit, nam in moralibus pro eodem reputatur tempus imperceptibile & inſtans: illud autem tempus inter illa duo nunc ſignata inſtantia procul dubio imperceptibile eſt: & tamen in illo non poterit non peccare, unde neceſſariò & ſine libertate peccabit, quod ut dictum eſt, manifeſtè repugnat. Præterea in parviſſimo illo tempore etiam morale eſt, vel quod tentationes ei non offerantur peccandi, vel quod per ſomnum vel defectum deliberationis ſit homo & ſic non peccabit. Et certè contendere quod neceſſariò ſe debeant illo modiciſſimo tempore occaſiones offerre peccandi, non videtur poſſe admitti.

223 Aliter explicatur & confirmatur hoc argumentum. Si homo ſolis ſuis viribus naturalibus non poſſit cum ſolo generali Dei concurſu ſe continere ab omni peccato mortali, ſequeretur concedendum eſſe vel quod datur tantum tempus, in quo toto homo non poſſit ſe continere; & in quocumque minore poſſit, vel quod datur ſeu dari poteſt tantum tempus, in quo toto poſſet homo ſe continere, & in quocumque majori non poſſet, v.g. ſumamus aliquod longum tempus vt viginti vel triginta annorum, in quo inter omnes planè conſtet non poſſe aliquem ſine gratiæ auxilio non peccare: tunc enim interrogare quis poterit utrũ ablato uno die ab illo tempore poſſit in reſiduo perſeverare ſine peccato, vel non poſſit, ſi dicatur non poſſe, iterum interrogabit, utrum ablato uno altero die in reliquo poſſit; & ita conſequenter, quouſque vel conſumatur totum tempus ſignatum, vel deveniendum eſt ad tam parvum tempus, & tunc ut ablata ab eo tandem certa aliqua hora in reliquo perſeverare poſſit ſine mortali peccato; & tunc inſtabit arguens, ſi auferatur dimidium illius horæ, vel poteſt perſeverare ſine mortali peccato, vel non poteſt, & ſivè reſpondeatur poſſe, ſivè non poſſe planè, vel dividendo dimidiam illam horam per partes proportionales, & addendo eas illi tempori à quo ablata fuit: vel dividẽdo per partes proportionales alteram dimidiam horam quæ ablata non fuit; ſucceſſivéque auferendo partes illas proportionales à tempore, tandem deveniendum erit, vel ad tantum tempus in quo non poſſit, & in quocumque minori poſſit; vel ad tantum in quo poſſit, & in quocumque majori non poſſit: ergo datur tempus in quo non poſſit non peccare homo: ergo in illo tempore neceſſariò peccabit, ergo non liberè; & ſic nec peccatum erit, quod manifeſtam involuit contradictionẽ, cum ſupponatur peccare, & non liberè peccare.

224 Ad hoc argumentum quidam Theologi reſpondent, ut Vega. de *Iuſtificatione quæſt.* 13. Magiſter Medina ſuper 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 4. quod quando dicimus ſine auxilio gratiæ non poſſe hominem ſervare omnia naturalia præcepta, neque cavere peccata omnia, intelligitur de potentia morali, non verò de phyſica, aut logica. Vnde licet veniatur ad tempus ſeu inſtans in quo eſt moraliter impoſſibile non labi; quia tamen poteſt phyſicè non labi, adhuc lapſus verè erit peccatum. Iſta ſolutio duo admittit; primum concedit argumento deveniendum eſſe, vel ad maximum tempus quod ſic, vel ad minimum quod non, in quo evitari peccatum moraliter non poteſt. Secundum aſſerit adhuc tunc verè liberè peccare hominem, quia illa impoſſibilitas eſt tantùm moralis non phyſica & quia potentiam liberam phyſicam retinet tunc homo, qua poteſt non peccare, ideo liberè peccat, & ei peccatum imputatur. Cæterum iſta ſolutio licet aſſeratur graviſſimorum eſſe Doctorum tamen non ſatisfacit. Vel enim intelligit eſſe impoſſibile moraliter tunc non peccare hominem, poſſibile verò phyſicè ad iſtum ſenſum, quod eſt valde difficilè, licet poſſit aliquando rarò evenire quod illud peccatum vitet, vel in hoc ſenſu quod fieri non poteſt, ut aliquando tale evitetur peccatum, ſicut ſuperiùs expoſita eſt moralis hæc impoſſibilitas; ſi primo modo intelligant, Caietani ſententiam ſupra à nobis rejectam tenent, quæ proinde ſtare nõn poteſt, cum ſancti Patres & Concilia abſolutè dicant eſſe impoſſibile hominem ſine gratia omne vitare peccatum, at iſta ſententia ait quod aliquando licet rarò poſſibile eſt quod omnia evitet; unde minus conformiter ad Concilia & Patres hoc poteſt defendi. Si autem in ſecundo ſenſu procedant, tunc idem redit argumentum, quomodo nempe tunc in tali tempore homo liberè peccat, cum in illo non poſſit aliqua ratione fieri quod non peccet, ſed ſit infallibile illum peccaturum ſive ex impoſſibilitate phyſica, ſeu morali, quæcumque enim ponatur dummodo fieri non poſſit ratione aliqua quod non peccet apparet peccatum non eſſe tunc tẽporis in illius libera poteſtate, & ex conſequenti peccatum non poſſe illi imputari.

225 Aliorum Doctorum ſententia eſt concedentium etiam propoſito argumento, ſicut de priori ſolutione diximus, deveniendum eſſe ad aliquod determinatum tempus ſeu inſtans, in quo ex ſuppoſitione quod homo careat de facto divinæ gratiæ adjutorio, fieri non poteſt quod non peccet, ſed quod neceſſariò peccabit: cæterum illa neceſſitas quia eſt ex ſuppoſitione prioris culpæ qua homo incurrit illam impotentiam, propterea ei imputatur peccatum, quia ut aiunt, neceſſitas ex ſuppoſitione non tollit libertatem. Sed contra hanc multa ſolent opponi argumenta ab alijs qui illam non probant, de cujus tamen veritate nos infra dubio ſequenti plenius dicturi ſumus, illam tractantes in particulari quæſtionem an cuicumque gravi & vehementi tentationi poſſit reſiſtere homo ſine gratia pro illo inſtanti vel tempore quo urget; pro nunc illam minus idoneam judicamus ad ſatisfaciendum argumento propoſito: arbitramur enim quidquid ſit, an graviſſimæ tentationi pro inſtanti quo urget, non poſſit reſiſtere homo ſine Dei adjutorio, in quo caſu adhuc ſecundum omnes ſic ſentientes ſalvandum eſt quod homo liberè peccet, vereque ei imputetur peccatum, ut exponemus inferius, tamen quod neceſſariò deveniendum ſit, poſtquam homo per aliquod tempus abſtinuit à peccato, ad aliquod determinatum tempus, ſive maximum quod ſic, ſive minimum quod non, in quo ratione præciſa temporis illius fieri non poſſit ut homo non peccet, ſivè pro illo tempore magna & gravis, ſivè parva & leviſſima ſit tentatio, vel quod ex neceſſitate dicendum ſit in illo ſignato tempore graviſſimam & fortiſſimam debere inſurgere tentationem, cui ſine gratia reſiſtere non poſſit homo, non arbitramur eſſe dicendum.

226 Hoc mihi perſuadeo; quia ut in argumento objiciebatur, morale eſt quod in illo parviſſimo tempore ſignato vel tentationes non occurrant, vel per indeliberationem ſeu ſomnum homo detineatur, in quo caſu non peccabit, nec niſi voluntariè dici poteſt, quod ex neceſſitate in illo parvo tempore graviores debent occurrere tentationes, vel neceſſariò homo erit vigilans ſeu deliberans. Reſpondendum eſt ergo, quod quando dictum fuit non poſſe per longum tempus hominem ſine gratia omnia ſervare mandata, ſeu non peccare; hoc ideo fuit dictum quia impoſſibile eſt attentis omnibus occaſionibus,

tentatio

Digitized by Google

tentationibus, & naturæ infirmitate, quod in aliqua illius temporis parte indeterminatè homo non velit sua sponte & libertate peccato consentire occurrente hac, vel illa occasione, tentatione, vel difficultate contra hoc, vel illud præceptum; cum tamen sit verum, quod qui ad illud longum tempus, & fragilitatem arbitrij, ac occasiones in illo occurrentes velit attendere, simul etiam judicabit cæteris paribus non plus esse difficultatis seu impossibilitatis in medio aut in fine illius temporis, quam in principio, tanquam liberum ac potentem hominem esse; cæteris, inquam, paribus ad non peccandum, ad quamcumque partem dati temporis homo pervenerit sine peccato, quã liber & potens erat in principio. Diximus cæteris paribus; quia pro qualitate, frequentia & magnitudine occasionum ac difficultatum quæ sæpius uno tempore quam alio, & uni quam alteri occurrunt, attentisque aliis circumstantiis concurrentibus constitui potest tempus non solum in quo nisi admodum difficilè & raro peccatum homo possit evadere, sed etiam illud in quo omnino fieri non possit, quin aliquis pro sua libertate peccet, itaque quod iterum dicam, non ex ratione precisè temporis longioris, vel alicujus determinatæ partis illius hæc impossibilitas consurgit, sed ex multitudine, frequentia, & gravitate occasionum, quæ non nisi longiori tempore occurrere solent, si namque daretur, vel dari posset longius tempus in quo paucæ & leves essent occasiones, posset homo à peccato per illud tempus se abstinere & per oppositum si daretur tempus breve in quo multæ gravesque tentationes opprimerent, fieri non posset quod in illo homo non sua libertate alicui succumberet. Quia verò morale & regulare est, quod frequentia & multitudo gravissimarum occasionum & tentationum non in brevi sed in longiori tempore occurrant ideo dictum est per longum tempus non posse hominem sine adjuvante gratia abstinere se quin sua libertate alicui consentiat, ut à principio hujus expositum est.

227 Non ergo deveniendum est ad aliquod determinatum instans vel tempus in quo qui prius existit sine peccato infallibile sit quod peccet hac præcisa ratione, quia prius sine peccato fuit, sed signandum est tantum temporis, in quo ob frequentiam & similitudinem occasionum & tentationum fieri non possit, ut vagè seu in confuso seu indeterminatè non peccet in hac vel illa temporis parte, sicut etiam supra de mandatis dictum est, quod hoc vel illud indeterminatè franget; nec est signabile aliquod in singulari facilè quod infallibiliter frangat. Vnde prorsus hoc calculatorum argumentum de signatis partibus temporis nullam majorem ingerit difficultatem, quam illa alia de possibilitate servandi mandata divisivè non collectivè. Cum autem hanc posteriorem omnes solvant, ut visum fuit suprà, non est cur illam primam, quam modo tractamus non similiter diluant, utentes semper illa distinctione de confusa & determinata, & applicando supradicta illa tria exposita exempla, quæ illam notam reddunt de artibus & scientiis, quarum singulas potest homo habere, non omnes collectivè de infirmo, qui aliquos passus divisivè non omnes collectivè facere de talibus qui una vel altera vice possunt una facie apparere; at verò multoties & simul quod ex eadem parte appareant est impossibile, addendo etiam quartum de equis requisitis ad equitandum, sicut enim non datur aliquis qui sit necessarius ad equitandum nec aliqua scientia vel ars, quæ ex necessitate debeat ab homine addisci, nec aliquis singularis passus quem infirmus non possit, nec aliqua talorum projectio, quæ ex necessitate hac figura debeat apparere; sed in omnibus his exemplis aliquid indeterminatum necessarium est, vel quod eveniat, vel saltem quod evenire possit, similiter ut quintum sit exemplum necesse est quod aliquod indeterminatè præceptum homo sine gratia transgrediatur, non verò aliquod signatum, ita in aliqua determinata parte majoris temporis necesse erit quod homo peccator sine gratia sua velit libertate peccare, nec fieri poterit quin in aliqua indeterminatè non peccet sive hac, sive illa non verò erit necessarium devenire ad aliquam signatam, sive per maximum quod sic, sive per minimum quod non; in qua sit verum dicere, hanc potest transigere sine peccato, & majorem non poterit, vel hanc non poterit & quamcumque minorem poterit sine peccato trãsire.

228 Illud exemplum de talis projectis, & alia quælibet de omnibus aliis effectibus fortuitis huic proposito sunt satis accommodata; sicut enim fortuiti eventus, quod semel vel pluries eveniant, hoc aut illo modo; non habet ex virtute suarum causarum determinatarum ad certum & præfinitum tempus, ita quod in hoc certo & determinato tempore aliter, sed indeterminatè in tempore hoc vel illo sic vel sic succedunt, ita & effectus liberi cum singuli à libero hominis pendeant arbitrio, ita ab eo liberè fiunt, quod ob illius infirmitatem necessarium sit quod sine certa temporis determinatione aliquo deficiant, sive hoc sive illo tempore, sive in hac vel illa occasione, nec id omne collectione longa temporis efficere valeat, quod in qualibet determinata parte illius potest. Vtrumque certè est de ratione liberi arbitrij infirmi, & quod ob infirmitatem aliquando deficiat, sive hoc sive illo tempore, si longum tempus fuerit, & quod ob sui libertatem non detur certum tempus in quo infallibiliter deficiat, sed tunc eveniet atque continget, quando ipsum liberum arbitrium liberè voluerit succumbere.

229 Et per hoc patet ad argumenta alia quæ multiplicari solent, utpotè cum objicitur, quod non solùm præcepta naturalia divisivè sumpta sed collectivè sunt proportionata libero hominis arbitrio, cum intra ordinem naturæ omnia collectivè contineantur. Respondetur enim primò esse proportionata libero arbitrio in natura integra, non in natura lapsa sicut dictum est suprà ex Sancto Thoma 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3. de dilectione Dei naturali super omnia, quæ naturæ in sua integritate proportionata erat, non in natura lapsa; quia ob sui infirmitatem ab hoc implendo supremo mandato deficit, quod tamen clauditur in collectione omnium naturalium. Sicut ergo illud maximum & supremum dilectionis Dei præceptum nequit homo infirmus sine gratia implere, ita nequit omnia naturalia divina mandata collectivè servare. Secundò respondetur quod alia etiam ratione non potest longo tempore omnia tunc occurrentia divina mandata collectivè servare, etiamsi per totum illud tempus non occurreret illud maximum & primum mandatum dilectionis Dei super omnia (nam si illud occurrat in brevi tempore neutiquam id valet implere) quia videlicet per longum tempus omnia servare, & bene semper operari, & magnis uti viribus semperque contra habitum inclinantem in malum contra passiones & tentationes conari, & totis viribus uti superat facultatem infirmi hominis ut dictum est. Dicatur tertiò probare argumentum omnia naturalia divina mandata collectivè sumpta esse quidem proportionata respectu potentiæ liberi arbitrij mathematicè, logicè, metaphysicè, seu physicè sumptæ; non verò potentiæ liberi arbitrij moraliter consideratæ; id est ut subest infirmitati suæ, & innumeris occasionibus exterioribus, & tentationibus

Digitized by Google

nibus interioribus dæmonis, & appetitus sensitivi; & quatenus implicatur plurimis necessitatibus corporalibus, ut probatum & explicatum fuit.

230 Ad aliud quod solet opponi quod ex sententia quam diximus, sequatur quod homo possit certò cognoscere se esse in gratia, quia poterit experiri in se quod non offenderit Deum in transgressione alicujus præcepti; quod sanè potest cognoscere manifestè in seipso. Respondetur negando id aliqua ratione sequi, non enim primò potest homo esse certus si quando præcepta servavit, habuit rectam intentionem etiam in illo opere bono sicut supradictum est, ad simile argumentum, quod de dilectione Dei super omnia, quam homo ut objiciebatur poterat certò cognoscere se habere; sed contra ipse homo certò scit se per longum tempus omnia servasse divina mandata naturalia; ergo certò etiam scit se habuisse rectam intentionem, quia certò scit se illa non potuisse servare nisi ex gratia, quod si ex gratia scit servasse illa scit rectam intensionem ex eadem gratia habuisse. Ad hoc dicendum quod nisi illo longo tempore præceptum dilectionis Dei super omnia, vel contritionis obligaverit, alia divina præcepta naturalia potuit homo ex aliquo divinæ gratiæ auxilio servare, licet non ex gratia justificante; unde nec certò cognoscere potest se esse in gratia, sicut qui habet attritionem cum spe veniæ scit se eam non habere nisi ex divino auxilio non tamen scit se esse in gratia sed habuisse illam intentionem rectam respectu illius actus, non autem ita rectam ut justificatus sit, sic in præsenti. Secundò dicendum quod nec potest homo semper esse certus quod recordetur omnium quæ per multum tempus operatus est, & consequenter nec poterit certò judicare sine dubitatione aliqua se non commisisse aliquod peccatum per longum tempus. Tertiò & melius respondetur, quod per illud longum tempus non potest homo esse certus quod non peccaverit peccato aliquo omissionis; hoc enim difficillimum est cognoscere, nec hujus potest haberi certitudo, cum non in actu positivo sed negatione illius consistat.

Alia faciliora si quæ sunt argumenta sufficienter à tractatoribus aliis solvuntur *ad* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. & 8. unde nec repetenda videntur.

CAPUT XVII.

Aliqua sunt in particulari divina mandata naturalia, quæ homo sine auxilio gratiæ servare non potest.

231 COnstito non posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ omnia divina mandata naturalia collectivè adimplere, superest examinare an aliqua in particulari sint, quæ idem homo nisi auxilio gratiæ adjuvetur servare non possit; & quidem apparet quod nullum sit in singulari divinum mandatum naturale quod homo lapsus viribus suis implere non valeat. Primò quia hujus materiæ tractatores communiter dicunt posse hominem in natura lapsa sine auxilio gratiæ vitare singula mandata, non omnia collectivè; ergo nullum est in singulari quod homo talis vitare non possit.

232 Secundò quod magis urget, Sanctus Thomas ubique hanc per tractans materiam expressè affirmat posse hominem sine gratia singula vitare peccata, nec aliquod excludit, ut patet in sententiis in 2. *dist.* 28. *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. & 8. 3. *contra gent. cap.* 60. imò *citato art.* 12. *ex quæstionibus disputatis*, manifestè docet posse hominem sine gratia illud præceptum de dilectione Dei implere quoad substantiam actus; quod si illud potest, cum sit primum & supremum manifestum est quod nullum erit, quod quoad eandem actus substantiam implere non possit. Tractat enim ibi S. Thomas quæstionem, utrum liberum arbitrium sine gratia in statu peccati mortalis evitare mortale peccatum possit & 16. loco ad probandum quod non tale proponit argumentum. *Præceptum de diligendo Deum est affirmativum, & ita obligat ad hoc quod observetur pro loco & tempore, & ita quod si non observetur, peccat homo mortaliter, sed præceptum Charitatis non potest aliquis sine gratia observare, quia ut dicitur* Rom. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis; ergo sine gratia homo non potest facere quin peccet mortaliter.* Quod argumentum, ut constat, in speciali de observatione præcepti dilectionis Dei procedit & ad illud ita respondet. *Ad* 16. *dicendum quod præceptum dupliciter observatur; uno modo sic quod observatum est meritum gloriæ, & sic nullus potest sine gratia prædictum præceptum nec alia observare. Alio modo sic quod observatum faciat vitare pœnam; & sic sine gratia gratum faciente observari potest. Primo modo observatur quando substantia actus impletur cum modo convenienti, quem Charitas ponit, & sic etiam præceptum prædictum de dilectione non tam est præceptum quam finis præcepti & forma aliorum præceptorum. Secundò modo observatur sola substantia actus adimpleta, quod contingit omnino in eo, qui non habet habitum charitatis; potest enim & injustus justa agere secundum Philosophum in secundo Ethicorum.*

Tertiò idem Sanctus Thomas *citato art.* 12. *ad finem corporis* ita concludit: *Patet ergo ex dictis quod nec liberum arbitrium tollimus, cum dicimus quodlibet peccatum singulariter liberum arbitrium posse vitare, vel facere, nec iterum tollimus necessitatem gratiæ cum dicimus hominem in peccato mortali existentem gratia destitutum omnia peccata mortalia non posse vitare.* Igitur manifestum est quod singula possit vitare, & ex consequenti singula mandata servare sine gratia; ergo nullum erit in singulari, quod vitare non possit; nullumque in singulari præceptum; quod non possit observare; imò nullum esse in singulari quod vitare non possit peccatum, mandatumque servare sine gratia; asserit dicendum esse ad servandam arbitrij libertatem. Idem docet 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. & 8. dicens posse singula vitare peccata, singulaque præcepta servare, nulla alicujus præcepti in particulari observandi, vel vitandi exceptione facta.

Nihilominus certissimè tenendum est aliqua esse 233
divina mandata naturalia in singulari materia, quæ homo in natura lapsa sine auxilio gratiæ solis viribus suis etiam divisivè servare non potest: hoc asserendum est contra authores cum quibus ista tractamus, qui dicunt posse hominem implere quodvis præceptum, & vitare quodvis peccatum contra legem, naturæ non solùm potentia physica, sed morali; ita ut nullum in singulari possit occurrere, hîc & nunc præceptum naturale, quod non possit homo lapsus sine aliquo auxilio gratiæ implere. Consultò diximus sine auxilio gratiæ, & non diximus sine gratia justificante, ut universalis doctrina sit simul complectens mandata illa naturalia, qua sine justificante gratia impleri nequeunt, & etiam illa, quæ cum solo auxilio gratiæ secluſa illa gratia justificante possunt servari: quæ autem illa sint, quæ vel justificantem gratiam ad sui observationem requirunt, vel solùm auxilium gratiæ extra justificationis gratiam, explanandum erit inferiùs. Ve autem

Digitized by Google

autem omnia simul comprehendamus divina præcepta, quæ in singulari sine aliquo gratiæ auxilio sive illud sit gratia justificans, sive non, impleri solis naturæ viribus non possunt ab homine lapso: ut omnes faciliter ea cognoscere possint, ea hic duximus referenda; primum est præceptum dilectionis Dei authoris naturæ super omnia. Secundum simile est huic, conteri de peccatis ut sunt offensa Dei authoris naturæ. Tertium præceptum perpetua continentia. Quartum quodcumque singulare præceptum in quacumque singulari materia valde difficili. Quintum, cum gravis & vehemens urget tentatio, in quacumque singulari materia sit, ita quod vehementem occasionem & tentationem iræ refrænare non poterit homo sine aliquo auxilio gratiæ, vehementem urgentem avaritiam, & sic de singulis difficilibus materiis, vehementibusque occasionibus, & tentationibus dicendum. Et quidem de superandis gravibus vehementibusque tentationibus sequenti capite expresse id probaturi sumus. Nunc de aliis id exponamus.

234 Et primò de præcepto dilectionis Dei super omnia plusquam abundè supra probatum est. Similiter de præcepto contritionis etiam copiosè in superioribus, id reliquimus comprobatum, ubi etiam diximus ad utriusque observationem necessariam esse infusionem gratiæ justificantis, de præceptò continentiæ habetur expressè Sap. 8. *scio quod nemo potest esse continens nisi Deus dederit.* Hoc testimonium adeò est evidens, ut dicant authores cum quibus agimus, aliqua esse præcepta, quale est hoc, quorum materia est adeò frequens ac difficilis, ut non possit homo diu perseverare in observatione talis materiæ, aut talium præceptorum; cum quo tamen subjiciunt, quod materia quorumlibet præceptorum, prout in particulari occurrit quodlibet præceptum per se sumptum semper & in omni eventu observari potest, & vitari peccatum contra illud. Contra quod aliqui opponunt quod præceptum omne & materia quælibet nunquam occurrit nisi in particulari: unde si quodlibet præceptum, prout occurrit semper & in omni eventu potest observari, & vitari peccatum contra illud, sequitur quod possit homo semper & in omni eventu continens esse. Si autem semper potest esse continens, non indigebit ad id divinæ gratiæ auxilio: quod militat apertè contra Scripturæ sanctæ inductum testimonium. Vnde his qui sic opponunt, videntur illa duo, quæ ab his authoribus asseruntur sibi adinvicem contrariari; dum ex una parte admittunt propter allatum testimonium, quod aliquorum præceptorum materia adeò est frequens & difficilis, ut non possit homo diu perseverare sine gratia in observatione eorum, & ex alia dicunt posse sine gratia quodcumque præceptum in singulari semper, & in omni eventu servari.

235 Verum possent ad hoc, ut crediderim, respondere nullam esse contrarietatem, omniaque concordare per supra appositam illam distinctionem de observantia præceptorum divisè, non collectivè; dicentes primum dictum illorum intelligi collectivè, cum dicunt non posse diu hominem perseverare sine gratiæ auxilio in observatione illius præcepti, cujus materia frequens est & difficilis, quin aliquando sive una sive altera vice labatur: licet nullum instans sit signatum in quo divisivè non possit semper & in omni eventu illud implere: & forsan hoc sic ipsi intelligunt. Vnde illa verba addiderunt, nullum est præceptum per se sumptum, quod vitari in omni eventu non possit. Illud enim verbum, per se sumptum, hoc denotare videtur, quod divisivè servari possit, non collectivè simul. Quod si sic intelligant, fateri oportet quod supra dictum sapientiæ testimonium salvant: illud namque hoc docet, quod nemo potest esse per totam vitam continens, quod est collectivè per totam vitam continentiam servare, nisi Deus dederit, an vero possit divisivè eam servare: ita tamen quod aliquando deficiat, prædictum testimonium non habet, sed aliunde hoc adversùs ipsos probandum est.

Quæret aliquis utrum hoc præceptum perpe- 236
tuæ continentiæ possit per aliud auxilium sine justificante gratia impleri? Ad quod dicendum videtur per totam vitam id servare esse proprium gratiæ justificantis. Et ratio est, quia materia est adeò frequens, adeoque difficilis, ut si homo non sit in gratia, sed in peccato infallibiliter aliquando ruit, hac enim ratione S. Thomas *quæst. 24. de veritate art. 12. in fine corp.* dicit non posse hominem sine gratia justificante servare omnia mandata, quia sine illa non potest esse pervigil ad semper conandum contra habitum, & pravam inclinationem. Sed hæc prava inclinatio potissimè in materia castitatis semper infestat. Vnde sine gratia justificante non poterit homo aliquando non labi in tali continua difficili, & gravi materia.

Quod autem generalitet nullum in singulari 237
præceptum, quod sit difficile, possit homo lapsus solis suis viribus sine aliquo gratiæ auxilio implere, probatur primò ex S. P. Augustino *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 3.* dicente. *Quod ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis: quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, &c.* Vbi gratiam requirit ad superanda nonnulla, difficilia videlicet, quia sermo est de nonnullis in singulari adimplendis præceptis: igitur aliqua sunt singularia, ut potè difficilia: quæ servare non potest homo sine gratiæ auxilio. Quod clariùs exposuit *libro de natura & gratia cap. 69.* dicens. *Hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Igitur petere debemus adjutorium gratiæ ad facienda difficilia. Quod si ea naturæ viribus implere possemus, nec adjutorium ad ea implenda peteremus. Præterea author Hypognost. ex verbis & doctrina Augustini explicans quæ sunt illa quæ homo lapsus solis suis viribus sine auxilio gratiæ possit efficere; ita ait *libro 3. cap. 4. Esse fatemur liberum arbitrium in omnibus hominibus habens quidem judicium rationis non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam, quæ omnia non sine gubernaculo divino subsistunt: imò ex ipso & per ipsum sunt, vel esse cœperunt.* Hæc ergo enumerata & similia facilia, sicut dare eleemosinam, honorare parentes, poterit homo sine gratiæ auxilio efficere: at difficilia, qualia sunt maximam pati injuriam cum patientia; refrænare in vehementissima & prolixa occasione iram, avaritiam fugere, diligere inimicos, benefacere his qui nos persequuntur, & plura similia talia, quæ passim occurrunt; paratum esse si opus fuerit percutienti in una maxilla aliam præbere: paratum esse non solum divitias contemnere, sed persequutionem æquo animo pati, & pleraque hujus generis non potest homo in singulari implere sine auxilio gratiæ, quæ plurima S. Hieronymus *lib. 2. adversus Pelagianos* enumerat.

Digitized by Google

238 Præterea evenire potest aliquando, ut homo adimplere non possit præceptum aliquod sine eo quod contemnat honorem, famam, filios, imò vitam propriam. Quis autem dicat omnia ista posse hominem efficere sine auxilio gratiæ? Insuper jam in fine tertij libri probavimus non posse hominem lapsum sine gratia omne bonum opus morale efficere, ita quod nullum sit in singulari quod non efficere queat.

239 Postremò liberum arbitrium per peccatum est infirmum, & viribus attenuatum; sed implere difficilia mandata est actus liberi arbitrij sani: ergo illa non poterit arbitrium implere, nisi adjuvetur in infirmitate sua ab auxilio gratiæ. Probatur minor, quia illa potentia est sana & integra quæ potest habere perfectum actum; sed actus perfectus est implere mandatum difficile & superare magnam difficultatem.

240 Tandem hanc veritatem antiqui Patres docuerunt. Lactantius *libro de falsa religione cap. ultimo*, ubi expressè ait, quod per vires naturæ nemo potest vincere iram. Nazianzenus super illud Matth. *Cum consummasset Iesus sermones hos*, Theodoretus. 1. *Cor.* 5. Hieronymus *lib.* 1. *adversus Iovinianum* & *Matth.* 19. Chrysost. 17. *orat. super epist. ad Hebræos.* Isidor. 2. *de summo bono cap.* 4. S. Prosper *respons. ad dub. Genuens.* & latiùs *epigram.* 18. & *senten.* 18. Cassianus etiam *collat.* 12. & Origenes *tract.* 7. *in Matth.* Omnes dicunt sine speciali Dei auxilio non posse hominem carnis voluptatem superare.

241 S. etiam Thomas frequenter ad opera bona quæ notabilem habent difficultatem requirit gratiæ auxilium: ut autem multa omittantur, celebre est illud quod habet 2. 2. *quæst.* 136. *art.* 3. *ad* 2. Vbi ad bonum politicæ virtutis requirit licet non gratiam justificantem, auxilium tamen speciale gratiæ, dicens quod quidam gentilium qui leguntur multa mala toleraſſe ne patriam proderent. (Quod sine dubio fuit opus bonum valde difficile) id non fecerunt sine speciali auxilio gratiæ, ubi pariter *solut. ad primum* docet, quod quia natura corrupta pronior est ad malum quam ad bonum, ex eo quod de multis legatur passos fuisse gravia mala & difficilia propter alia mala absque aliquo gratiæ auxilio, non licet inferre quod eadem mala difficilia possint pati propter bonum conservandum, sine gratiæ auxilio. Sicut etiam docet eadem 2. 2. *quæst.* 137. *art.* 4. *ad* 3. quod licet opera peccati quandoque sint difficiliora quam opera virtutis, juxta illud quod de impiis scriptura dicit Sap. 5. *ambulavimus vias difficiles*, non potest inferri quod sicut sine gratiæ auxilio illa opera mala & difficilia perpetrant, ita sine eodem auxilio gratiæ possint bona opera virtutis difficilia efficere; quia homo ad peccatum per se solum potest; ad bonum autem arduum, & quod notabilem habeat difficultatem per se solum sine gratiæ auxilio non potest, quia sicut S. P. Augustinus alibi dicit, *Romani peccata peccatis vincebant*: quod potest per se solum homo; non autem potest peccata virtutibus & bonis operibus difficilibus vincere sine auxilio gratiæ. Verum est ut modò ex Sancto Thoma fuit dictum, quod ad efficiendum opus bonum civile vel morale difficile non est necessaria gratia justificans (sicut de dilectione Dei, contritione, & perpetua continentia dictum est:) sed sufficit auxilium aliquod speciale gratiæ.

CAPVT XVIII.

Diluuntur argumenta contraria in præcedenti capite oppoſita.

AD argumenta igitur, quæ *præcedenti cap.* oppoſita sunt, dicendum, & quidem ad primum eos authores, qui communiter hanc defendunt doctrinam, quod omnia mandata collectivè non potest homo lapsus sine gratia servare, bene tamen singula. In eisdem commentariis, quibus hoc tradunt, expressè aliqua singularia divina mandata naturalia excepisse, quæ non potest homo lapsus sine gratiæ auxilio adimplere, eadem clariùs referentes, sicut est naturæ dilectionis Dei super omnia mandatum, in quo claudunt illud quod de contritione est, in quo talis dilectio Dei super omnia clauditur, præceptum perpetuæ continentiæ, & præcepta omnia alia, quæ ad sui observationem notabilem habent difficultatem, & alia quæcumque, quibus observandis oportet hominem magnam vincere tentationem. Omnia enim ista expressè ipsi excipiunt ab illa generalitate, qua dicunt posse hominem sine gratiæ auxilio singula implere mandata: singula nempe præter ista ab eis expressè excepta. 242

Idem dicendum ad secundum, quod eadem ratione ex S. Thoma opponebatur *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. & 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. & 8. & alibi sæpe in sua doctrina docet id ipsum, nempe posse hominem sine gratia singula servare divina mandata: quod ipse Doctor Sanctus in aliis multis suæ doctrinæ locis clariùs aliqua singularia divina mandata ab hac generalitate excepit, nimirum naturale mandatum dilectionis Dei super omnia 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 9. & 10. 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 4. præceptum contritionis 3. *part. quæst.* 86. *per articulos plures*, sicut superiùs expositum est. Præceptum perpetuæ continentiæ 2. 2. *quæst.* 156. *art.* 2. *ad* 1. dicens, *Quod homo potest vitare peccatum & facere bonum, non tamen sine divino auxilio secundum illud Ioan.* 15. *sine me nihil potestis facere, unde per hoc quod homo indiget divino auxilio ad hoc quod sit continens, non excluditur, quin incontinentia sit peccatum, &c.* De præceptis autem habentibus in observatione sua notabilem difficultatem, id expressit in loco præcedenti capite citato *ex* 2. 2. *q.* 136. *art.* 3. *ad primum & 2.* De vincendis autem magnis & vehementibus tentationibus non nisi ex divino adjutorio *sequenti cap.* ejusdem inducemus testimonia. Constat ergo apertè Sanctum Thomam per illam generalem doctrinam, qua in locis oppositis docuit posse hominem sine gratia singula servare divina mandata, non intellexisse omnia singula sed aliqua excepisse, quæ modò relata sunt; in generali autem narratione non comprehenduntur quæ in particulari excepta noscuntur. 243

Dicendum secundò sanctum Thomam in altero ex objectis testimonijs, nimirum in illo, quod exponebatur ex *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. apertè in fine articuli asserere non requiri ad singula implenda mandata habitualem gratiam gratum facientem, bene tamen ad id esse necessarium divinæ gratiæ auxilium, sic enim ait. *Sic verificantur doctorum sententia, quæ circa hoc variæ videntur, quorum quidam dicunt hominem absque habituali gratia gratum faciente posse peccatum mortale vitare, quamvis non nisi divino auxilio, quod hominem sua providentia ad bona agenda & mala vitanda gubernat; hoc enim ve-* 244

rum

rum est, cum contra peccatum conari voluerit &c. Requirit ergo S. Thomas etiam ad singula vitanda peccata, ac singula mandata facienda auxilium gratiæ, nec docet ad id sufficere solum liberum arbitrium viribus tantùm suis. Advertendum est tamen non esse mentem Sancti Thomæ, *citatis verbis*, ita esse necessarium auxilium gratiæ ad singula servanda, quasi nullum in singulari possit sine auxilio gratiæ servare, quia facilia, ut honorare parentes, eleemosinam dare, poterit sine auxilio gratiæ homo servare: sed intendit ad singula difficilia esse necessarium auxilium gratiæ, vel intendit non sufficere solas arbitrij vires ad omnia singula propter aliqua, quæ auxilium gratiæ requirunt.

245 Sed tertium argumentum majorem ingerit difficultatem: in quo S. Thomas habet quod potest homo sine gratia implere præceptum dilectionis Dei quoad substantiam actus: si enim hoc concedatur, pœnitus ruunt omnia, quæ insuperioribus diffinita sunt de dilectione Dei super omnia, & de actu contritionis, quorum actus etiam quoad substantiam eorum non posse haberi viribus solius arbitrij sine gratia copiosè reliquimus comprobatum. Non ergo S. Thomas oppositum dicit in *cit. art. 12. solut. ad 16.* nimirum posse hominem sine gratia solis arbitrij sui viribus implere præceptum dilectionis Dei quoad substantiam actus.

246 Vnde si quis illum locum exponat ad hunc sensum, quod in eo non asserat S. D. posse hominem solis naturæ viribus implere præceptum dilectionis Dei super omnia quoad substantiam actus, sed quod elicere valeat aliam quamque dilectionem Dei, quæ sit substantia dilectionis super omnia, fundatur aliqualiter in ipsa littera, in qua non habet S. Thomas, nec in illo argumento objecto, nec in illius solutione, quod potest homo sine gratia implere præceptum dilectionis Dei super omnia quoad substantiam, sed tantùm dilectionis Dei, nec enim illud verbum (super omnia) apposuit; si quis, inquam, sic exponat nec satisfacit, licet enim verba illa (super omnia) ibi non expressè exprimantur, virtualiter tamen & reipsa de tali dilectione Dei super omnia verba procedunt tam in argumento opposito, quam in solutione illius: cum enim sermo fiat de observantia præcepti dilectionis Dei quoad substantiam actus, & hoc præceptum dilectionis Dei quoad actus substantiam sit dilectionis Dei super omnia: manifestè de tali actu substantiali dilectionis Dei super omnia sermo fit re ipsa. Minor constat ex supra resolutis, quibus diffinitum est substantiam illius præcepti dilectionis Dei includere, quod Deus super omnia diligatur: Ita quod reipsa substantia quæ præcipitur est, quod Deus super omnia diligatur: hoc enim Deus præcipit, & non tantùm quod aliter Deus diligatur. Vnde nullus potest substantiam illius præcepti implere, nisi Deum super omnia diligat, quomodocunque illum alia qualibet dilectione, quæ non sit super omnia, diligat. Cum ergo planè S. Thomas in illa *solutione ad 16.* dicat, posse hominem sine gratia implere quoad substantiam actus illud præceptum dilectionis Dei, manifestè intelligit, quod potest sine gratia Deum super omnia diligere.

247 Similiter si quis exponat prædictum locum quod intelligatur de dilectione illa, qua homines Deum super omnia diligunt, quatenus est totum universi, cujus quælibet creatura pars est. Minus bene illud testimonium interpretaretur: quia talis dilectio, ut in superioribus probatum est, non solùm in peccatoribus reperitur, verum in dæmonibus ipsis. Quis autem dicat eos implere illud divinum præceptum dilectionis Dei quoad substantiam actus? Igitur hæc expositio non dubium quin contra intentionem & litteram illius *art. 12. & solut. ad 16.* procedat. Parique ratione si quis supradictam difficultatem, quæ ex illo testimonio consurgit, superare velit dicendo, loqui ibi S. Thomam in casu quo aliquis ex amore Dei pro illius honore respondeat, quando, videlicet, audit ipsum ab aliquo blasphemari, vel injuriam Deo notabilem inferri: in quo casu obligatur audiens ad respondendum pro honore Dei: Potestque in tali casu homo etiam existens in peccato Dei honorem deffendere; etiamsi charitatem non habeat; quod modò supponimus: quia videmus peccatores in similibus eventibus pro Deo respondere. Licet enim ipsum super omnia non diligant, tamen potest habere hunc absolutum actum, volo nunc divinum honorem deffendere, quæ volitio respectu illius præcepti particularis est absoluta & efficax, licet respectu omnium sit inefficax, v. g. hæc velleitas, vellem in omnibus & per omnia placere Deo, licet respectu omnium inefficax sit; potest tamen esse efficax respectu hujus in particulari, volo divinum honorem deffendere. Si quis, inquam, ita exponat, nec intentionem S. Thomæ salvat in prædicto loco, nec cum littera illius articuli stare potest: quia ille actus imperfectus, seu velleitas illa, vellem Deo in omnibus & super omnia placere: vel, vellem ipsum super omnia diligere, non est substantia actus qui præcipitur in mandato dilectionis Dei, ut est manifestum: quia substantia actus, qui illo mandato præcipitur, est actus absolutus & efficax: quia est actus virtutis, actus autem virtutis absolutus est; non velleitas seu conditionatus. Igitur per velleitatem illam non potest dici, quod impleat homo divinum de dilectione Dei præceptum, quoad substantiam actus; ut S. Thomas in *illa solut. ad 16.* apertè concedit. Præterea, quia ille actus absolutus quo quis in prædicto casu respondet pro honore Dei, illumque deffendit, non est actus dilectionis Dei quoad substantiam actus, nec est impletio illius præcepti, quod est de dilectione Dei, sed vel pertinet ad fidem, ex qua homo movetur ad deffendendum honorem Dei; vel quod apparet verius, est actus religionis, quoad substantiam actus, qui potest esse in peccatore: ad religionem enim, quæ pro objecto habet divinum cultum, attinet respondere pro honore Dei quem videt injuriari. Addiderim quod etiam sic absolutè & efficaciter velle deffendere, & opere ipso deffendere divinum honorem, potissimè cum ad sic deffendendum difficultas gravis est superanda, non fit sine divinæ gratiæ adjutorio, ut in præcedentibus præmissum est. Vnde nec id solius naturæ viribus efficit homo. Igitur nec ista tertia expositio ob rationes factas, potest litteræ illius *artic. 12. in illa solut. ad 16.* convenire magis quam duæ præcedentes.

Dicendum ergo S. Thomam in illa solutione loqui de dilectione Dei super omnia naturali; quæ est substantia illius divini de dilectione Dei præcepti: quam ibi condistinguit contra illum modum quem charitas tribuit: quem modum ibi docuit esse meritum; & 1. 2. *quæst. 109. art. 4.* asseruit esse, respicere Deum objectum beatificum, quod idem reipsa, est, cum meritum ex hoc oriatur in charitate, quòd operatur propter Deum beatificum objectum. Quod primò est asserendum pro vera intelligentia illius inducti testimonij. Secundò dicendum hanc substantiam præcepti dilectionis Dei, quæ est Deum naturaliter super omnia diligere, nunquam asseruisse S. Thomam posse habere solis naturæ viribus sine auxilio gratiæ; imò in appositio illo articulo, non solum in fine corporis, ut supra præmisimus, docuit apertè non sufficere solum arbi- 248

Digitized by Google

bitrium ad implenda singula divina mandata, propter videlicet ea, quæ difficilia sunt; sed ad id necessarium esse divinæ gratiæ auxilium, verum etiam in illa ejusdem solutione 16. argumenti expressè id docet; dum enim solum gratiam habitualem gratum facientem negavit esse necessariam ad implendum illud divinæ dilectionis præceptum quoad substantiam actus; ibi asseruit necessarium esse ad tale præceptum servandum divinæ gratiæ adjutorium, ita quod ad illum actum nullo modo solum sufficiat arbitrium, quod clarius constare potest, si huic conjungamus, quam S.D. habet *in 2. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 3. in corp. & solut. ad 2.* sic enim secundum argumentum opponit. *Charitas non potest sine gratia haberi: sed dilectio charitatis est in præcepto Matth. 22. Ergo præcepta non possunt sine gratia impleri.* Cui ita respondet *ad 2. dicendum quod sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt à virtute, vel secundùm quod antecedunt virtutem: ita etiam est de charitate, potest enim aliquis etiam charitatem non habens diligere proximum & Deum (etiam super omnia, ut quidam dicunt) & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solùm secundum quod à charitate procedit.* Et *in corpore* præmiserat quod præcepta legis quantùm ad id quod directè præcipitur, id est, quoad substantiam actus, (hæc enim directè præcipitur) licet impleri possint sine aliquo habitu infuso sive gratiæ gratum facientis, sive gratis datæ: non tamen sine divino auxilio gratiæ, quo divina voluntas in nobis bona operatur. Vnde concludit. *Quod ideo Pelagius erravit quod simpliciter impleri præcepta legis posse sine gratia posuit.* Igitur manifestum est, ex utroque hoc dicto quod sentit S. Thomas non posse hominem Deum super omnia diligere nisi ex auxilio gratiæ; licet non requiratur ad id gratia justificans, vel alius habitus infusus. Et forsan idem censuit cum *quodlibet. 1. art. 8.* docuit quod dilectio Dei super omnia aliquando non est summa nec ultimo disponit ad gratiam. Loquebatur enim de dilectione Dei super omnia quoad substantiam actus effecta à solo auxilio, supernaturali in natura lapsa: vel à sola natura in natura integra, de qua natura integra ibi loquebatur.

249 Vnde his tribus locis consideratis ex *2. sent. ex quodlibet 1. & quæst. 24. de veritate art. 12.* arbitramur S. Thomam adhuc Iuvenem cum ista conscripsit, illius fuisse sententiæ, quod dilectio Dei super omnia quoad substantiam actus licet non quoad modum & meritum supra explicatum, posse haberi vel à sola natura integra, vel natura lapsa adjuta tamen auxilio gratiæ, sine eo quod habeat homo charitatem & gratiam justificantem, sequutus in hoc tunc aliorum opiniones, ut illa verba relata ex *2. sentent.* ostendunt (*ut quidam dicunt*) per quod (ut expressè asseruit *illo loco*) sufficienter error Pelagianus excludebatur; qui omne auxilium gratiæ negabat necessarium esse ad Deum super omnia diligendum, & ad alia cætera omnia implenda divina mandata, at doctior factus hanc sententiam postea in melius mutavit, apertissimè *1. 2. quæst. 109. art. 9.* & *10. 2. 2. quæst. 44. art. 4. 3. contra gent. cap. 151.* quod supra satis ex S. Doctore manifestavimus. Meritò autem hanc mutavit sententiam, quia ut diffinivimus *citatis locis*, impossibile est quod homo sit in peccato mortali, & absolutè Deum super omnia diligat, quia jam non diligit eum super eam materiam peccati, cum eam plusquam Deum amet. Vnde omnis Dei dilectio super omnia cum charitate conjungitur, & justificante gratia in natura lapsa, licet in puris naturalibus si consideretur homo, posset ad breve tempus Deum naturaliter super omnia diligere, gratia autem hæc, seu charitas, & peccatum mortale opponuntur, nec simul stare possunt; non tamen est necesse ex natura rei quod habens dilectionem Dei super omnia naturalem, habeat supernaturalem gratiam, ut patet si homo in puris naturalibus conderetur.

Vt tandem cum hac materia concludamus meri- 250
tò quis dubitabit, quod sit illud auxilium gratiæ quod necessarium prædicatur ad omnia servanda divina mandata naturalia? Et ratio dubitandi est: quia illud auxilium gratiæ motio debet esse supernaturalis: hæc autem supernaturalis motio se debet tenere, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis, vel utriusque; si primum, ergo debet proponere rem vel rationem supernaturalem amandam seu prosequendam, quia motio supernaturalis ex parte intellectus est supernaturalis, illuminatio: ergo rem, vel rationem supernaturalem debet voluntati proponere; sed hoc dici non potest: Quia ad servanda naturalia præcepta non est necessaria supernaturalis illuminatio, quæ in illis mandatis supernaturalem rationem proponat: cum mandata talia in se supernaturalitatem non habeant. Si vero illud auxilium gratiæ seu supernaturalis motio ponatur tantum ex parte voluntatis: hinc obstat primò, quia hæc semper supponit aliam proportionatam motionem supernaturalem ex parte intellectus: cum istæ motiones adinvicem debeãt proportionari, & sic idem quod prius. Deinde quia motio supernaturalis ex parte voluntatis solùm est necessaria ad juvandam voluntatem respectu illius quod est supra naturam voluntatis: at observatio mandatorum naturalium non est supra naturam cum naturalia sint, non supernaturalia. Tertiò quia habitus generatus per actus elicitos medio illo auxilio gratiæ, seu media illa notione supernaturali naturalis est, & acquisitus, non infusus: ergo actus elicientes naturales sunt, quia habitus generatus ejusdem speciei est cum actibus generantibus: Ergo motio elicitiva actus etiam naturalis debet esse, non supernaturalis: quia etiam actus elicitus proportionatur motioni, seu principio elicienti; ergo non erit illa motio supernaturalis necessaria: & sic ruit totum quod in superioribus traditum est de necessitate hujus auxilij gratiæ seu supernaturalis motionis. Ad hoc dicendum primò omnes in universum Catholicos teneri huic argumento respondere. Cum enim omnes concedant non posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ omnia divina mandata collectivè servare per totam vitam, seu per longum tempus; omnes hoc argumentum solvere debent.

Dicendum secundò non esse necessarium illud 251
auxilium gratiæ, seu motionem illam supernaturalem ex parte intellectus, ut illuminationem supernaturalem ostendentem, seu proponentem in objecto proposito aliquid supernaturale, ut argumentum primum probat: Præterquam quod lumen rationis dictat observanda esse naturalia divina mandata, nec est necessaria simpliciter ex parte intellectus, ad talem propositionem aliqua supernaturalis illuminatio seu revelatio, sed tantum ad facilius.

Dicendum tertiò illud auxilium gratiæ, quod 252
ponitur necessarium, se tenet ex parte intellectus non sicut proponens aliquid supernaturale, sed sicut conditio removens prohibens, quod impedit intellectum, ne rectè deliberet, & judicet; ablatis autem omnibus impedimentis intellectus per auxilium gratiæ, intellectus ipse rectè perpendit viribus suis, rectè deliberat, rectéque

voluntati

Digitized by Google

voluntari proponit efficaciter servanda esse divina mandata naturalia itaque illud impedimentum proveniens ex affectione ad peccatum, quo non potest homo semper pervigil esse, & in illa efficaci deliberatione, quæ requiritur ad semper divina mandata servanda, per auxilium gratiæ auferetur, quod facit, ut intellectus suis viribus fortiter, & efficaciter de tali naturali objecto recté deliberet.

252 Quartò dicendum etiam illud auxilium gratiæ, quod necessarium confitemur ad naturalia omnia servanda mandata requiritur ex parte voluntatis, imò magis ex parte illa est necessarium, quam ex parte intellectus, cum enim illa sit magis læsa, magis adjutorio gratiæ indiget. Requiritur autem similiter ex parte illius, ut conditio prohibens illam malitiam voluntatis propendentem in malum, & faciens, quod voluntas totis suis naturalibus viribus conetur ad bonum.

253 Hæc quatuor dicta vera sunt respectu illorum mandatorum, quæ possunt servari sine gratia justificante per aliud gratiæ auxilium, tale enim sufficit, quod sit removens prohibens modo dicto. At si talia fuerint naturalia mandata, quod requirant justificantem gratiam, & charitatem, dicendum est, prout supra, quod non solùm illa charitas est removens, prohibens, sed eliciens principium videlicet dilectionis Dei super omnia, contritionis observationis simul omnium mandatorum. Et ratio est, quia hæc eximia opera non possunt proponi, ut possibilia per solam naturam, ut probatum reliquimus supra.

254 Ad argumenta ergo tria à principio respondetur, quod si procedant contra auxilium gratiæ, quod tantùm est removens prohibens, modo explicato, nullam habent difficultatem, quia tale non proponit ex parte intellectus, aut voluntatis aliquid supernaturale in objecto; nec objectum quod proponit, excedit vires voluntatis sanæ, à quecumque sana ponatur, nec est eliciens actum supernaturalem, sed actus eliciti sunt naturales, quibus habitus similiter generantur non infusi, sed acquisiti. Si autem argumenta procedant de auxilio, quod est charitas eliciens actum dilectionis Dei super omnia, & similes nobilissimos actus, dicendum quod non requiritur ex parte intellectus illuminatio supernaturalis, benè tamen ex parte voluntatis supernaturalis charitas, & ratio est, quia sufficienter lumen rationis potest proponere Deum authorem naturæ super omnia esse diligendum, non tamen vires ad id habet voluntas nisi adjuvetur à charitate, quia voluntas magis læsa est & majori indiget auxilio. Nec motio supernaturalis charitatis ex parte voluntatis supponit semper illuminationem actualem ex parte intellectus, sat est quod in illo supponat habitam per fidem, ut in superioribus dictum fuit. Imò ad hoc adjuvat charitas voluntatem, ut eliciat eximium illud quod sibi proponitur per rationem ad quod vires non habet.

Ad secundum dicendum quod probat illa objecta 255
naturalia non excedere naturam sanam, bene autem excedere naturam infirmam, unde indiget sanari per gratiam, ut in illa possit. Ad tertium dicendum quod actus illi eliciti à charitate respectu videlicet dilectionis Dei Authoris naturæ super omnia sunt naturales ex parte objecti, sed supernaturales ex parte principij, quatenus supernaturale principium virtute continet id quod debebat facere integra natura per sua naturalia, sicut illuminatio cæci naturalis est ex parte objecti, sed supernaturalis ex parte principij. Vndè per illos actus non generantur habitus acquisiti, sed præexistens infusa charitas confirmatur, quæ ut dictum est, primò respicit Deum authorem supernaturalem. Secundò ipsum ut Author naturæ est super omnia amabilis.

TRACTATVS III.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD vincendas tentationes.

CAPVT PRIMVM.

Quinam dixerint posse hominem lapsum sine gratia auxilio gravi, ac vehementi tentationi resistere.

1 SIcvt Authores, cum quibus ista tractamus consequenter ad suam intentionem & finem, quo arbitrium post Adæ peccatum non læsum in naturalibus defendunt, sed tantum gratuitis spoliatum: posuerunt illud solis suis viribus cum concursu generali absque omni auxilio gratiæ posse dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia habere, quæ sit actus absolutus, & de peccatis, prout sunt contra eundem Deum Authorem naturæ conteri cum proposito ulteriùs non peccandi, & spe veniæ: posseque omnia divina mandata naturalia servare, prout ex relatis & discussis fit manifestum: itaut ipsum ex omni parte suis viribus sanum, & integrum constituerent, aliam 59. assertionem *primo nostro libro* relatam in hunc modum addiderunt. *Interim dum judicium rationis non absorbetur in arbitrio humano spectato in statu naturæ lapsæ sunt vires sine speciali auxilio Dei ad non consentiendum in quocumque temporis momento, cuicumque gravi, vehementiorique tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo instanti lege naturæ necesse sit vincere, eo quod secluso alio quocumque majori auxilio in potestate ipsius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum est non transgredi tunc legem.* Ita Molina in *concordia q.* 14. *art.* 13. *disput.* 19. *membr.* 1. *statim in princip. & membr.* 2.

Verum est in hac sustinenda doctrina Ludovicum 2
Molinâ quasi solum remanere, nec alios suæ familiæ habere consortes, quia principaliores ex ipsis ei planè in hac assertione resistunt, & hanc illius tentationem, qua Scholasticorum mentes pulsat ipsi refellunt, Cardinalis enim Bellarm. *lib.* 5. *de grat. & lib. arb. cap.* 7. constanter docet, & probat nullam veram, seu gravem tentationem, vinci posse solis naturæ viribus (pro eodem namque ibi sumit ve-

ram

ram tentationem, & gravem) licet dicat non esse semper necessarium ad omnem vincendam speciale auxilium gratiæ supernaturale, sed aliquando sufficere particularem Dei naturalem providentiam; vel quod non permittat dæmonem tentare totum quod potest, & vult. Quod quomodo sit intelligendum explicabimus infra.

3 Similiter Franciscus Suarez *lib. 2. de causa prædestinationis cap. 17. §. in secunda ratione*, ubi tres refert sententias doctissimorum, ut inquit, virorum, quorum alij contendunt posse hominem viribus liberi arbitrij resistere cuilibet tentationi sigillatim, quantumvis gravissima sit, licet non possit diu in hac victoria perseverare; alij dicunt per oppositum nullam tentationem solis naturæ viribus posse vincere saltem quatenus per dæmonis astutiam potest augeri; alij verò docent graves, & vehementes superare non posse hominem solis viribus suis; licet possit faciliores, & quamvis nullam ita expressè tenere videatur; tamen si verba ipsius considerentur sine dubio hanc ultimam ipse tenet, & priores duas extremas rejicit quod ex verbis subjunctis satis ostendit; quibus gravem, & difficilem tentationem, non posse hominem vincere solis viribus suis non obscurè testatur. Et idipsum in aliis locis asserit, quibus ad ista tria requirit auxilium gratiæ ad dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, ad omnia divina mandata collectivè implenda, & ad difficilia opera moralia efficienda. Quæ testimonia, nec est necesse referre.

4 Pari ratione Pater Valentia 1.2. *quæst. 1. de necessitate gratiæ disput. 8. punct. 3. §. itaque quarta sententia*, ubi S. Thomæ, & aliorum Doctorum dicit communem sententiam posse nempè hominem sine auxilio gratiæ per naturæ vires cum solo concursu Dei generali exercere quædam opera bona moralia faciliora, cum scilicet contraria tentatione alicujus momenti non infestatur, ad quam superandam peculiari Dei adjutorio, & protectione opus sit. Nec alios plures ex societate, qui in relata superiùs Molinæ sententia ei adversantur oportet inducere quamvis, & illud verum sit, quod singularem hanc Molinæ sententiam, quam contra tot Doctores ex societate intuebantur procedere postea qui in congressibus, & disputationibus nomine societatis Molinæ librum defendere tentarunt sicut nihil continentem reprehensione dignum tutati sunt.

5 Sed ad Molinam, & ejus sententiam, quod præsens postulat institutum revertamur fundamentum hujus sententiæ illud est potissimum, quo Molina, & qui illius defendunt sententiam moventur; quod alias non maneret in homine libertas ad non transgrediendum legem, quia in potestate ejus non esset eam tunc non transgredi; ac proindè esto sciens, & prudens eam tunc transgrederetur, non peccaret, quod postea, qui ejus defendebant doctrinam probabant, quia sicut apud S.P. Augustinum, si homo in puris naturalibus non posset vincere tentationes, cogeretur; ita & nunc si homo lapsus eas vincere non potest, cogitur, quod pro magno opponebant. Præterea, quod hoc sequatur, si homo non potest viribus suis illam tentationem vincere, præterquam quod modo inducta ratio suadet, quia si gratiæ auxilium non habeat homo, non potest tentationi resistere; ergo non sibi, quod non resistat, imputatur; quia nemini imputatur, quod efficere non potest, præter, inquam, rationem istam, quæ semper in his materiis frequentissimè opponitur, id probant secundò ex S. P. Augustino *lib. 3. de libero arbitrio cap. 18.* dicente. *Quæcumque ista causa est voluntatis si non potest ei resisti sine peccato ei ceditur; si autem potest non ei cedatur & non peccabitur. Anfortè fallit in cautum? Ergo caveat ne fallatur, in tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt.* Et libro de duobus animabus cap. 12. *Peccati* (inquit) *reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis, & insaniæ est.* Ac 1. retract. cap. 9. *Malum quod caveri non potest, peccatum non est malum verò quod caveri potest peccatum est.*

Probant tertiò ex Sancto Anselmo magno doctrinæ S. Augustini sectatore *libr. de liber. arb. c. 6. 7. 8. & 10. & libro de concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio cap. 1.* asserente: *dum judicium rationis non absorbetur nullam passionem quantumvis vehementem, nullamque difficultatem auferre posse libertatem voluntatis ad non consentiendum, illive necessitatem inferre, eaque de causa in quocumque temporis momento consentiat præcepti transgressione peccare adhibensque exemplum in eo, cui mors immineret, nisi consentiret mendacio docet impotentiam ad resistendum tentationi quam quo gravior est tentatio eo majorem in nobis experimur non esse aliud quam difficultatem perseverandi in rectitudine; difficultatem autem quantumvis ea accrescat non auferre à voluntate potestatem perseverandi in rectitudine, sed semper manere liberum ut si velit non succumbat.* 6

Hoc ipsum magis confirmant ex SS. Anselmo, & Ambrosio, qui ad illum locum Pauli, *fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, dicunt, *quod Deus liberat à tentationibus, vel citò illas auferendo, vel si prolixæ fuerint tribuendo tolerandi virtutem.* Sentiunt ergo quod quando tribulatio citò transit, habet homo virtutem ad illi resistendum absque eo quod Deus illam tribuat. 7

Præterea pro hac sententia inducunt authorem Hypognosticon *lib. 3. cap. 4. Esse* inquit *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habens quidem judicium rationis non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare, aut certè peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam malis; bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam, quæ omnia non sine gubernaculo divino subsistunt.* In quo testimonio licet exemplum adhibeatur in quibusdam operibus bonis facilioribus, non proindè negatur possibilitas ad alia merè naturalia difficiliora; imò comprehenduntur illis ultimis verbis modo relatis, & post exempla subjunctis (*Velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam*) id est, finem naturalem non transcendit quod insuper ex eo probatur, quod in prædicta sententia apertè mentionem facit de bonis ad Deum pertinentibus, & de bonis ad præsentem vitam spectantibus, & illa priora soli libero negat arbitrio, affirmans ad illa vel inchoanda, vel perficienda idoneum liberum arbitrium sine Dei auxilio non esse. Ergo alia quæcumque, quæ ad Deum, vel ad salutem non attinent; sed ad præsentem vitam quæcumque illa sint; sive facilia, sive difficilia poterit liberum hominis arbitrium cum solo divinæ providentiæ naturalis gubernaculo; poterit ergo resistere cuilibet gravi, & difficiliori tentationi, quam vincere necessarium sit ad servandam legem naturæ, & naturalem hominis finem assequendum. 8

Ex hoc fit argumentum, sicut difficiliora bona moralia, si in charitate fiant, pertinent ad Deum, finemque supernaturalem promerendum, secus autem si fiant extra charitatem; sic faciliora bona, quæ in eo testimonio commemorantur ad Deum finemque 9

Digitized by Google

finemque ſupernaturalem pertinent promerendum ſi ſimiliter fiant in charitate quare non eſt, quod hæc potius, quam illa à numero bonorum, quæ in eodem teſtimonio ad Deum pertinere dicuntur, excludantur. *Confirmatur*, quoniam author illius libri *illo eodem capite* præmiſerat primum parentem per peccatum amiſiſſe libertatem ad bonum ſub his verbis; *Per velle malum rectè perdidit poſſe bonum, qui per poſſe bonum potuit vincere velle malum.* Et infra. *Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis poſſibilitatis bonum perdidit non nomen, & rationem liberi videlicet Arbitrij.* Et continuo ſubjungit verba teſtimonij relati. Ex quibus tale conficitur argumentum in relatis verbis, cum dicitur perdidiſſe liberum arbitrium per peccatum idoneitatem, & poſſibilitatem boni nempè pertinentis ad Deum, intelligitur etiam bonum morale merè naturale vel non, vel ſolum illud quod ſupernaturali fini acçommodatum eſt? ſi detur primum, aſſentimur ſententiæ Gregorij ſupra à nobis, & ab omnibus communiter impugnatæ quod videlicet nullum ſit bonum opus morale merè naturale quod fieri poſſit ſine vero auxilio gratiæ quæ eſt ſententia per Pium V. & Gregorium XIII. damnata ut ex ſuperiùs traditis conſtat ſequereturque omnia infidelium opera eſſe peccata, ſi verò ſecundum concedatur, haberur intentum, nimirum nullum bonum opus morale merè naturale ſive facilè ſive difficilè eſſe de numero bonorum, ad quæ in eo teſtimonio docemur amiſſam eſſe poſſibilitatem per peccatum priorum parentum fierique proindè non poſſe abſque ſpeciali auxilio Dei ſed eſſe de numero bonorum præſentis vitæ, hoc eſt, quæ finem naturalem præſentis vitæ non tranſcendunt, de quibus ſermo eſt in ſecunda parte teſtimonij.

10 Eandem ſententiam innuit apertè S. Hieronymus ſub finem *lib. 3. Dialogorum adverſus Pelagianos*, ubi ſub perſona Attici dicit Critobolo, qui Pelagij perſonam agit. *Hoc eſt quod tibi à principio dixeram in noſtra poſitum eſt poteſtate, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium, ſed hoc pro modo & tempore, & conditione fragilitatis humanæ; perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei qui verbum caro factus carnis detrimenta, & peccata non pertulit. Neque quia ad breve poſſum, coges me ut poſsim jugiter; poſſum jejunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire, nunquid in perpetuum.* Hæc S. Hieronymus; quibus apertè docet libertatem, & poſſibilitatem eſſe in noſtro arbitrio in ſeipſo ſpectato ad ſingulos peccati actus vitandos; eaque ratione, dum eos non vitat, verè peccare; in culpamque propriè ſumptam incidere; & ſupplicio eſſe dignum; impotentiam verò ſolum eſſe ad perſeverandum ſine peccato. In auditum ergo videtur apud antiquos Patres contrarium; quin omnes exiſtimarunt idem omnino impotentiæ genus eſſe in hominibus naturæ lapſæ ſpectatis in ſuis ſolis naturalibus ad vitandum peccata læthalia, ſuperandaſque proinde tentationes, & difficultates, quas ad ea vitanda neceſſe eſt ſuperare, cum eo impotentiæ genere ad vitanda peccata venialia, quod eſt in omnibus fidelibus adultis infra beatiſſimam Virginem Deiparam cum auxiliis omnibus, quæ Deus reipſa illis tribuit, paratuſque eſt ex ſua parte illis cõferre. Hanc autem nullus dubitat eſſe ad vitanda omnia, perſeverandumque ſine peccato, non verò ad vitanda ſingula. Eſto Deus ſtatueret majora auxilia non tribuere, ac prõinde dum ſingula non vitantur verè peccare venialiter, eo quod in façultate arbitrij ſit vitare eorum unum quodque, Authores autem opinionis oppoſitæ volunt, dum graves tentationes aut difficultates ſeſe offerunt hominibus naturæ lapſæ ſpectatis in ſolis ſuis naturalibus eſſe aliud genus impotentiæ ad vitanda peccata læthalia, quia nulli eorum in ſingulari poſſent vitare, ac proinde tranſgrediendo iſta præcepta non peccare.

Idem probant ex S. Thoma 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. *&* 3. diſ- 11
putans namque ibi S. Doctor de voluntate in ſolis ſuis naturæ viribus cum ſolo concurſu generali Dei abſque alio auxilio ſpectata in *art.* 2. docet à nullo omnino objecto in hac vita neceſſitari poſſe quoad actus exercitium, ſed ſemper manere liberam, ut eliciat, aut non eliciat actum, & in *art.* 3. docet à nulla omnino paſſione, atque adeo nec à timore mortis imminentis poſſe neceſſitari interim, dum rationis judicium omnino non abſorbetur. Quoniam paſſio movet allicitivè voluntatem tanquam objectum per notitiam intellectus, quæ de illa habetur, & de objecto, quod illam concitavit, quandoquidem nullum corporeum poteſt immediatè movere voluntatem, ſed ſolum per notitiam intellectus, at verò nullum objectum cognitum poteſt in hac vita neceſſitare voluntatem interim dum rationis judicium omnino non abſorbetur. *Quamdiu enim judicium rationis aliqua ex parte liberum manet, tandiu in voluntate ſua innata libertas perſeverat*; ubi ibidem in reſponſione ad ſecundum. *Aliquando* inquit S. Thomas. *Et ſi ratio obnubiletur à paſſione, remanet tamen aliquid rationis liberum, & ſecundum hoc poteſt aliquis vel totaliter paſſionem repellere vel ſaltem ſe continere ne paſſionem ſequatur.* Idem ibi tradit, & notat Cajetanus dicens, *quod quamvis propter paſſionem appetitus, & diſpoſitionem ſubjecti, voluntas maximè inclinatur ad actum conſonum appetitui ſenſitivo, quia tamen libera reſtat miraculo non eſt opus ad non eliciendum hujuſmodi actum, ut Gregorius de Arimin. in 1. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 2. putavit.* Hæc Cajetanus. Idem confirmat S. Thomas *eadem* 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. *&* 9. dum docet hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſuis viribus naturalibus vitare poſſe ſingula læthalia peccata, quemadmodum ſervare præceptum quodcumque legis naturalis in quocumque eventu; ad longum verò tempus vitare non poſſe peccata omnia læthalia, quæ verba affert, & expendit Sotus 1. *de natura, & gratia c.* 22. *concluſ.* 4. *&* 5. ad probandam hanc eandem ſententiam, quam arguens prætendit cõfirmarunt poſtea idem ex S. Thoma (qui illius concordantis, ſeu potius diſcordantis arbitrium à gratia defenſarunt doctrinam) ex 2. *ſent. d.* 28. *q.* 1. *ad ultim.* ubi ait meritoriè hominem non poſſe vincere tentationes ſine gratia, benè tamen ſine illa tentationi reſiſtere & ex *q.* 24. *de verit. art.* 12. *ad* 7. docente quod poteſt homo ſine gratia vitare ſingula peccata, ergo ſingulas ſuperare tentationes. Et ex 3. *contra gent. c.* 60. quod qui eſt in peccato non poteſt omne vitare peccatum, poteſt tamen hoc vel illud vitare; ergo poteſt hanc vel illam rejicere tentationem.

Pro eadem ſententia inducunt Vegam de *juſtificat.* 12
& gratia c. 12. *& ſequent.* ubi affirmat vires liberi arbitrij in ſtatu naturæ corruptæ cum ſolo concurſu Dei generali, neque ad difficiles tentationes ſuperandas ſe extendere, neque ad præſtandum quodcumque aliud opus moraliter bonum, quod difficultatem contineat, adhibet exempla ut ſi profitenda ſit aliqua Religio, ſi magna aliqua à cibo abſtinentia perferẽda eſt, ſi copioſa eleemoſina elargienda, aut aliquid aliud ſimile, vel difficilius ſit faciendum; vires verò liberi arbitrij cum ſolo concurſu Dei generali ſolum ſufficientes eſſe, ait, ad ſuperandas eas tentationes, eaſque actiones ſtudioſius præſtandas, quæ nullius aut perexigue ſunt difficultatis, ejuſmodi, inquit, ſunt comedere, bibere, dormire, orare, facere opera ſervilia reddere uxori debitum, decenter nos induere,

Digitized by Google

& similia utrum autem si occurrente difficili aliqua tentatione aut laboriosa alia observatione præcepti obligationis sub culpa lethali Deus relinqueret liberum arbitrium cum solo generali concursu arbitrium consentiendo tentationi, & transgrediendo præceptum peccaret. Ipse Vega in quadam *qu. sequenti* partem negativam innuere videtur ex capite impotentiæ tunc ad adimplendum tale præceptum ; esto sufficiens cognitio esset in intellectu, neque ex capite ignorantiæ ea transgressio excusaretur à culpa.

13 Allegant etiam pro eadem sententia Bartholom. Medinam non solum super 1.2.*q.*109.*art.*3.dum ibi affirmat peccatorem cum solo concursu Dei generali, etiamsi nulla tentatio, nullaque peccandi occasio occurrat, non posse elicere actum absolutum naturalis dilectionis Dei super omnia, propositumve absolutum non transgrediendi præcepta legis naturalis sub culpa læthali obligantis,tametsi possit velleitatem quandam elicere ; sed multo magis 1. 2. *q.*100.*art.*3.ubi à Doctrina, qua S. Thomas eo loco asserit passionem quantumcumque accrescat,interim dum judicium rationis non absorbetur necessitare non posse voluntatem ad consensum,excepit ipse nisi tentatio sit vehemens, liberumque arbitrium cum solo generali Dei concursu relinquatur, tunc enim necessitare illam arbitratur,& ex consequenti dicere tenetur non peccare esto illi consentiat.

14 Hæc sunt argumenta Authoris citati in principio capitis hujus ad suam defendendam, & fundandam sententiam quæ cum propriis ejus verbis supra relata est ex quibus omnibus,quæ pro ea induxit, fit manifestum ipsum,& alios, qui postea ejus defensarunt sententiam, pro eodem omnino reputare non posse hominem lapsum solis suis viribus sine gratiæ auxilio gravi, vehementique tentationi resistere, & non habere libertatem ad resistendum sed ad id ita necessitari, ut consentiendo tali tentationi nulla ratione peccet;ac proindè contendunt omnes illos S. Patres, & Scholasticos Doctores,qui docent hominem lapsum sine gratiæ auxilio, cùm tentationi, & peccato consentit,verè peccare, & verè libertatem exercere in tali actu,eo ipso asserere,illum solis suis viribus posse illi resistere ; & per oppositum qui affirmant illum ei tentationi resistere solis suis viribus non posse, ex consequenti re ipsa affirmare eum libertatem non habere in tali actu, nec per consequens aliqua ratione peccare. Hæc in substantia tota ipsius fundamentalis doctrina est.

CAPVT II.

Alia pro prædicta sententia asserente posse hominem gravi tentationi resistere absque auxilio gratiæ, argumenta proponuntur.

15 AVthor seu potius defensor supradictæ sententiæ rationibus aliis eam munire,& confirmare laborat in *sua concordia disput.citat.*19.*membr.*3.quarum prima, & fundamentalis superiùs est tacta,& à suis defensoribus hisce verbis denuò explicatur, atque formatur : si opposita sententia vera esset, admittendum foret causas secundas concitantes vehementes Passiones,ac notabiles efficientes difficultates per Passiones ipsas vehementes, ac ingentes difficultates auferre à voluntate innatam suam libertatem,quoties rationis judicium non absorbetur;eamque, nisi auxilio peculiari supernaturali communiatur,necessitari ad actus exercitium,contra commune theologorum pronuntiatum, quo affirmant nihil infra Deum clarè visum propter sui infinitatè posse quoad actus exercitium necessitatè afferre voluntati.

16 Secundò liberum arbitrium eadè prorsus vires habet in natura lapsa,quas habuisset,si homo in puris naturalibus fuisset conditus in ordine ad solũ naturalem finem, sicut Philosophi solo lumine naturali eum sic conditum posuerunt;sed si conditus fuisset homo in naturalibus puris,Deusque statuisset nullũ particulare auxilium ei dare,cum solo generali posset cuilibet vehementi & gravi tentationi resistere; ergo idem potest nunc homo in natura lapsa cum solo generali concursu sine aliquo speciali gratiæ auxilio. Major *in disput.*3.*à principio cõcordiæ* ab illius authore proposita est,& pro fundamento Doctrinæ collocata,minorem probat: quis enim dicat hominẽ à sapientissimo artifice Deo in eo statu esse formatum talem futurum fuisse, ut quoties aliqua urgeret gravis, & vehemens tentatio ei non posset, nec ad brevissimum tempus resistere, sed semper oportere illum cuilibet succumbere ? Profecto indignum est quidpiam tale de Deo sapientissimo artifice existimare,confirmatur nam Philosophus 3.*Ethic.c.*1.lumine rationis ductus asseruit hominem etiam morte imminente continere se posse à malo,& teneri peccato non consentire,eaque ratione si consentiat peccare; idemque multorum infidelium exempla suadent, & experientia liberi arbitrij,qua usi infideles pro bono honesto mortem subjerunt, gravissimasque alias difficultates superarunt,quos tamen nec credendum est ad illas vincẽdas auxilio supernaturali fuisse adjutos.

17 Tertia continere consensum in similibus eventibus singulis,vel elicere contrarium dissensum, sunt in se merè naturalia, & propria libero arbitrio, ut pote ad quæ collata est homini ea facultas non minus,quam visus ad videndum,auditus ad audiendum, & intellectus ad intelligendum.Ergo sicut universim nulli cæteratum facultatũ denegantur singuli actus cuique proprij sine speciali concursu Dei ; ita neque horum unumquodque denegari libero arbitrio debet ; qui verò negandum censet, ipse est qui firmissima ratione probare tenetur, nec aliter audiẽdus est. Confirmatur, quia ad continendum consensum non est necesse quod liberum arbitrium actum eliciat,ad quem proindè concursu Dei generali,nec particulari indigeat,sed satis est, si se habeat merè negativè, nec consensum, nec dissensum eliciendo. Ergo poterit, cùm gravis tentatio instat, consensum sic contihere absque aliquo concursu, potissimè speciali Dei.

18 Quarta si insurgente gravi tentatione non esset libertas in voluntate ad continendum consensum,sed necessario illum eliceret sequeretur in homine in puris naturalibus constituto cum solo generali Dei concursu partem superiorem non dominari inferiori,nisi quando leves essent motus inferioris,quin potius inferiorem dominari superiori ; id verò neque cum lumine naturali, nec cum experientia, neque cum scripturis sanctis cohæret,quæ appetitum inferiorem subditum esse superiori docent,& hominem in suis naturalibus spectatum ad imaginem Dei creatum, & Dominum suarum actionum.

19 Quinta quia ex contraria opinione sequitur, quod si homo cum solo Dei generali concursu nullam peccandi graviorem occasionem declinare posset, nec voluntatis coërcere consensum, non peccaret ; quamvis omnia facinora oblatis hujusmodi occasionibus committeret ; & ex consequenti non esset dignus pœna aliqua, nec à reipublicæ gubernatoribus justo supplicio puniri posset ; quo nihil potest dici falsius, nihil absurdius.

20 Sexta ex opposita sententia,quæ se extollere mysterium redemptionis putat,donumque gratiæ Christi potius sequitur, quod utrumque quam maximè deprimat,& extenuet, probatur nam si post peccatũ primorum

Digitized by Google

primorum parentum Deus non ſtatuiſſet conferre generi humano redemporem, ſed illud relinquere cũ ſolo generali Dei concurſu, tunc poſitum ſub qualibet gravi vehementivè tentatione ei conſentiendo, non peccaret, quia libertatem non haberet, ſed ex neceſſitate in conſenſum traheretur, undè tunc pauciora eſſent in genere humano peccata, quam ſi per Chriſtum non fuiſſet redimendum, imò nec redemptore ad eas indiguiſſe, ſed ſolum ex hypotheſi, quod redemptor eſſet illi conferendus, cujus occaſione illæ culpæ futuræ, multiplicandæque erant, ſequitur ſecundò auxilia particularia, quæ per Chriſtum generi humano ad præcepta implenda conferuntur, occaſionem eſſe longè majoris miſeriæ, & multo plurium peccatorum tam fidelibus peccatoribus, quã infidelibus, iis præcipuè, qui invincibiliter Chriſtum ignorant, probatur ſequela, nam juxta oppoſitam ſententiam, ſi hujuſmodi auxilia per Chriſtum peccatoribus illis non impenderentur, tranſgreſſiones peccatorum, quorum contrariæ obſervationes gravem continerent difficultatem, non imputarentur illis ad culpam, & pœnam; datis autem auxiliis ſpecialibus per Chriſtum per quæ poſſent illa evitare; eis conſentiendo culpam committunt, & pœnam juſtè merentur, imò ſi per talia auxilia tentationi gravi reſiſterent; nec ad præmium, nec ad ullam ſatisfactionem peccatoribus ſeu infidelibus ſic ex Dei auxilio reſiſtentibus, proficerent. Hæc autem omnia gratiæ Chriſti Redemptioniſque myſterio multum derogant; valdeque utrumque deprimunt & extenuant.

21 Septima ſequitur inſuper ex oppoſita ſententia, ſi futurus non fuiſſet Redemptor, nec per eum conferenda eſſent ſpecialia auxilia gratiæ, potuiſſe hominem in natura lapſa cum ſolo concurſu Dei generali *diu à nova culpa* læthali ſe abſtinere. Conſequens *eſt pluſquam falſum*; ergo. Minor patet, homo etiam *in gratia juſtificante conſtitutus* non poteſt modo diu perſeverare ſine culpa mortali abſque ſpeciali auxilio gratiæ; ergo multo minus potuiſſet homo lapſus in peccato exiſtens, diu continere ſe à nova culpa ſine tali ſpeciali Dei auxilio. Sequela probatur; quia quando occurreret tali homini lapſo præcepti obſervatio obligantis ſub culpa mortali, quæ eſſet facilis, eam poſſet homo implere cum ſolo generali Dei concurſu; quando autem aliqua eſſet difficilis, tunc tranſgrediendo tale præceptum non peccaret homo ex impotentia illum à culpa tunc excuſante; ergo diu perſeverare poſſet homo lapſus abſque nova culpa.

22 Octava quoniam etiam ſequeretur, quod in gratia juſtificante modo conſtituti poſſint diu perſeverare ſine nova mortali culpa: abſque ſpeciali auxilio Dei cõtra diffinitionem Concilij Trident. *ſeſſ. 6. can. 22.* probatur; quia ſi eis occurrit facilis obſervatio præcepti ſine ſpeciali auxilio poſſunt facilè præceptum implere abſtinereque ſe à mortali culpa & per conſequens in accepta juſtitia perſeverare, ſi verò difficilis obſervatio præcepti occurrat, nec ſpeciale auxilium gratiæ habeant non peccabunt tranſgrediendo tunc præceptum, & ſic in accepta juſtitia, quæ non niſi per peccatum omittitur, perſeverabunt ſine auxilio Dei ſpeciali.

23 Nona & ultima in ſtatu naturæ lapſæ ejuſdem rationis eſt impotentia quæ eſt in homine juſto ad ſervanda præcepta omnia obligantia ſub culpa læthali, & ad non ſuccumbendum tentationibus, cum ea quæ eſt in eodem ſtatu, in iis, qui extra gratiam ſunt Dei in peccatis mortalibus detenti, ſed impotentia illa, quæ eſt in homine juſto ſine ſpeciali auxilio Dei ſolùm eſt ad diu perſeverandum, non verò ad non reſiſtendum cuilibet gravi tentationi, quia ad hoc potentiam habet, unde ſi alicui ſuccumbat, verè peccat: ergo pari ratione homo lapſus in mortali peccato exiſtens cum generali Dei concurſu ſolùm eſt impotens ad diu ſe continendum ſine peccato; potens eſt autem ad cuilibet gravi tentationi reſiſtendum, qua ratione ſi alicui non reſiſtat, verè peccat. Majorem probant, quia habitus gratiæ, & charitatis ſolùm efficiunt, quod opera ex eis elicita ſint ſupernaturalia, & vitæ æternæ meritoria; non tamen ita nos adjuvant, ut non maneamus inclinati, & propenſi ad vitia; undè ſi Deus nobis hominibus juſtificatis particularia auxilia non conferat, ferè tam facilè conturbamur, & tam debiles ac proni ad ſuccumbendum tentationibus labendumque in peccata manemus, ac ſi in gratia juſtificante non eſſemus conſtituti; ergo ejuſdem rationis eſt impotentia hominis juſti ſine ſpeciali auxilio, ac hominis in peccato exiſtentis ſine eodem auxilio ſpeciali. Minorem probant ex ſupradicta diffinitione Conc. Trid. *ſeſſ. 6. can. 22.* ubi diffinitur, *ſi quis dixerit juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe Anathema ſit.* Vbi de juſtificato diffinitur ſine ſpeciali auxilio Dei, cum ſolo generali concurſu eſſe impotentiam ad perſeverandum in accepta juſtitia. Cum verò non deſinat perſeverare in gratia niſi per tranſgreſſionem præcepti, impotens per conſequens, diffinitur ad ſervanda diu præcepta omnia; potens verò cum ſolo concurſu generali ad non tranſgrediendum in quocumque inſtanti aut non ſuccumbendum cuilibet gravi vehementiorique tentationi. Vnde eadem eſt impotentia reſpectu obſervationis diuturnæ, eademque potentia reſpectu cujuſlibet in particulari in utroque homine ſive juſto, ſive injuſto cum ſolo generali Dei concurſu, ſine ſpeciali auxilio gratiæ. Quo fit ut impotentia de qua ibi loquitur Concilium ad vitanda peccata læthalia ſervandaque præcepta obligantia ſub mortali, perſimilis ſit ei, quæ eſt in hominibus juſtis infra Dei matrem ad vitanda venialia peccata, eſt enim ad vitanda omnia non verò ad vitanda ſingula, quibuſcumque exiſtentibus occaſionibus, & tentationibus.

Hæc ſunt argumenta omnia, quæ in confirma- 24
tionem ſuæ ſententiæ inducit author concordiæ ad ſuadendum poſſe hominem lapſum ſub mortali peccato exiſtentẽ cum ſolo generali Dei concurſu ſine ſpeciali gratiæ auxilio reſiſtere cuilibet graviorique tentationi pro quolibet temporis inſtanti; etiam ſi pro ſervanda lege naturali contra quam vehemens urget tentatio, mors eſſet toleranda.

Quæ autem poſtea hanc illius defenſare labora- 25
runt ſententiam, his aliis argumentis eandem aliquando ſuadebant dicentes errorem Pelagianorum in hac parte circa vitandas tentationes tria poſuiſſe, quorum quodlibet illorum error eſt. Primum poſſe hominem omnes illas vincere collectivè ſine gratia ſecundum poſſe hominem ſine gratia aliquam, vel aliquas vincere longiori & diuturno tempore ſine gratiæ auxilio. Tertium poſſe hominem ſine gratia aliquam vincere cum fructu victoriæ, id eſt, meritoriè; non autem errabant Pelagiani, dicentes hominem poſſe cuilibet in particulari reſiſtere pro brevi tempore, ſine merito tamen. Vnde quia illa tria Molina non dicit, nec illorum aliquid ſed ſolum hoc quartum, & ultimum, nihil inconvenientis habet illius ſententia. Probabatur autem errorem Pelagianorum ſolum in tribus illis conſtitiſſe. Primò ex *Epiſtola* S. P. Auguſtini 94. *ad Hilarium*, in qua referens hæreſim Pelagianam ſic habet *Cavendis autem futuris, vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere*

ficere voluntatem. Et instantia fiebat in illo verbo *(omnibus)* Similiter illum alium locum S. Augustini *de gratia Christi cap.*27. dicebant procedere de victoria tentationum quæ fit cum merito verba illius loci sunt; *Divinam mereamur gratiam & facilius nequam spiritui, sancti spiritus auxilio resistamus.* Quod enim de victoria tentationum cum merito loquatur, probabant ex antecedentibus verbis quibus loquitur de dilectione Dei, & charitate. Vnde sensus est, quod Pelagius sine gratia & charitate astruebat posse hominem meritoriè vincere tentationem, licet facilius per eandem charitatem, & gratiam.

26 Tertiò inducebant diffinitionem Pij V.& Gregorij XIII. contra Michaëlem Bajum, jam supra relatam in qua habetur posse hominem alicui tentationi resistere solis naturæ viribus, quia non est necesse quod semper homo à tentatione qualibet vincatur; & sermo est de homine solis naturæ viribus.

27 Quarto contendebant hominem posse resistere cuilibet tentationi gravi, & vehementi in particulari, esse sententiam communem Scholasticorum. Et primò adducebant S. Thomam in *2.dist.28.q.1.* ad ultimum similiter in *quæst.* 24. *de veritate art.*12. *ad* 7. Et 3. *contragent. cap.*160.Ex 1.2. *q.*109. *art.*8. ibidem Cajetanum ad *art.* 3. inducebant præterea Scotum, & S. Bonaventuram *in 2. dist.* 28. Ricardum, & Ægidium qui asserebant posse hominem solis naturæ viribus vitare singula peccata, sed non omnia, ex quibus tale conficiebant argumentum, peccata vitantur, dum tentationibus resistitur; si ergo asserunt Scholastici posse hominem suis solis viribus singula peccata vitare, ita quod in particulari nullum sit, quod vitare non possit, ita poterit omnem tentationem in particulari vincere, ita quod nulla sit, quæ vitari non possit; & in particulari inducebatur S. Bonaventura, *ubi supra*, qui de tentationibus agens asserit non esse necesse, quod homo omni tentationi succumbat. Ex quo inferebatur, quod omnem in particulari possit homo vitare.

CAPVT III.

Explicatur prædicta sententia, & quibuscum conveniat aperitur.

28 SI quis attentione aliqua consideraverit, quæ Cassianus dicit in *illa sua collatione* 13. quæ est ad Cheremonem de protectione Dei, quam S.Prosper expugnat in suo illo pertutili libro, quem de gratia & libero arbitrio prænotavit contra collatorem, manifestè deprehendet sententiam, quæ modo relata est ex illa fuisse desumptam; imò gravius quid Cassiano hunc Authorem protulisse. Ad resistendum enim longioribus, & diuturnioribus tentationibus, seu ad evitandam molem, & congeriem earum, quæ non brevi tempore occurrunt, sed longiori, eandem omnino nuncupatam gratiam uterque constituit sed ad resistendum cuilibet gravi, & vehementi pro brevi tempore excessisse præ Cassiano Authorem istum animadvertet. Primum constat; etenim Cassianus *citata collat.*13. *c.*13. *propè finem* agens de innumeris persecutionibus, & passionibus, seu tentationibus quas pertulerat Apostolus, dicit expresè illas multiplices & longo tempore toleratas passiones, & tentationes Apostolum superasse viribus suis protegente tamen Deo, & cum ipso pugnante sua gratia cooperando undè & illius verba sunt, postquam de innumeris tentationibus, & passionibus Pauli sermonem fecerat. *Et idcirco prædictus Magister gentium licet gratia Dei Apostolatus gradum sortitum se fuisse testetur dicens, gratia Dei sum, id quod sum, tamen se quoque divinæ gratiæ respondisse pronuntiat, dicens, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Nam cum dicit, laboravi, conatum proprij signat arbitrij. Cum dicit non autem ego, sed gratia Dei, virtutem divinæ protectionis ostendit, cum dicit, mecum, non otioso nec securo, sed laboranti ac sudanti eam cooperatam fuisse declarat.* Hæc ille, quibus fit manifestum posuisse Cassianum, quod Paulus ad illas magnas & continuas persecutiones, & tentationes superandas quas devicit, & viribus proprij arbitrij laborasse, & à Deo protectum fuisse, & sua illi gratia fuisse cooperatum. Hæc enim tria apertissimè statuit verbis relatis quibus *c.*13. finivit, & protinus 14. incepit eandē doctrinam continuando, sic dicens. *Quod etiam in Iob probatissimo Athleta suo cum eum Diabolus expetisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam.* Si quod præmiserat de Paulo Deus sua justitia providit patientissimo Iob, ut apertis verbis pronuntiat, & de Paulo asserit Deum in Vincendis passionibus & persecutionibus illis multis atque continuis illi suis viribus laboranti atque pugnanti, ut protectorem astitisse, & sua gratia cum eo fuisse cooperatum; procul dubio hanc eandem Dei protectionē, & cooperantem gratiam agnoscit, & in Iob constituit ad superandas multiplices illas, & tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles.

Circa quæ verba *(eam cooperatam fuisse)* illud 29
maximè est attendendum, non intellexisse Cassianum gratiam, quæ præveniendo cooperetur arbitrio illi vires aut virtutem ad resistendum tribuendo; hanc enim veram cooperantem gratiam, semper ille negavit (ut apertius cōstat ex *c.*14 ex quo statim verba ponemus) sed cooperantem gratiam statuit subsequentem, vel cooperantem operanti priùs libero arbitrio, seu priùs laboranti; itaut priori labori arbitrij reddatur, & ad illum consequatur. Vndè consequenter de Iob in citato *c.*14. hæc verba proposuit *sed cum nullam ejusmodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius, scilicet Iob, se victum viribus confitetur; licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem.* Ad quæ illius verba reprimenda ita sanctus Prosper respondet ad *cap.*35. contra eundem collatorem. *Quod autem dicis gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non penitus recisisse, quod tentatori ejus tantam Deus tribuit potestatem, quantum & illum resistendi noverat habere virtutem: nonne rectius veraciusque loquereris, si ubi dixisti, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem, diceres potius quantam, & illi resistendi noverat se dedisse virtutem. Vnius enim verbi correctio totam istam gloriam quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperasset: vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adjutorio, & libero hominis ascriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris à Deo datam esse virtutem. Itaque conflictus illius, atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem.* Vbi manifestum est ideo docere Prosperum, negasse Cassianum Deum cooperatorem, quia negavit eum Iob ad resistendum dedisse virtutem, ac per consequens talem prævenientem Dei cooperationem negasse quæ nimirum virtutem tribuit ad resistendum; non illam aliam subsequentē ad operationē liberi arbitrij, & illius laborem, & conatum concomitantem, quam præmiserat in Paulo fuisse; hæc enim gratia cooperās ex illo priori conatu

arbitrij

arbitrij ſicut ex merito datur; undè gratia non eſt, ſed ſola voce ad frangendam ſententiæ invidiam gratia nuncupatur, quod ſemper attentius in his materijs conſiderandum hortamur.

30 Quod autem etiam in Iob poſuerit Caſſianus gratiam cum illo jam pugnante viribus ſuis fuiſſe cooperatam, alia ratio certè convincit; admiſit enim ſanctum Iob juſtum eſſe & fuiſſe tempore illarum tentationum; habuiſſéque veram juſtificantem gratiam, & claritatem, & ex conſequenti talem interiorem, & veram gratiam cum illo pugnante viribus ſuis fuiſſe cooperatam. Imò aliud nec ipſe quantumvis vellet aſſerere potuit, quia evidens eſt, quod habitus charitatis in voluntate exiſtens, cum ipſa voluntate operante, & pugnante contra dæmonis tentationes aliqua ratione debet cooperari. Qua ratione in *eodem cap.* 14. ſubintulit *cum enim dicit, qui ſtat, videat ne cadat, ſollicitam reddit arbitrij libertatem, quam utique noverat percepta gratia vel ſtare per induſtriam, vel cadere per negligentiam poſſe.* Vbi de homine, qui per juſtitiam in gratia ſtat loquitur, & dicit, quod per induſtriam ſtare poteſt, ita quod cum per induſtriam bene operatur, cum illo gratia, in qua ſtat cooperatur, tracta videlicet ab humana induſtria, ad ſic ſecum cooperandũ.

31 Manifeſtum eſt ergo quod Caſſianus in Paulo, & in Iob, qui erant in gratia, cùm tentationes & perſecutiones vincebant, admiſit tria concurriſſe; primum, conatum ſeu vires naturales arbitrij, quibus illi contra tentationes dimicabant. Secundum Dei protectionem moderantem ab extrinſeco dæmonis potentiam, ne tentaret ſupra id, quod erant naturales vires in illis ad reſiſtendum: Tertium, ipſam gratiam, in illis cooperantem concomitanter cum ipſis naturalibus viribus arbitrij; Quæ tria ipſe nominat laborem, protectionem, & cooperantem gratiam, ut viſum eſt.

32 Manifeſtum eſt ſecundò Caſſianum explicaſſe illud Apoſtoli, *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, de illa extrinſeca protectione qua Deus moderati dæmonis audaciam ne tentet ſupra id quod poſſunt naturales hominis vires illius enim ad hoc verba ſunt. *Fidelis autem Deus, qui non permittit vos tentari ſupra id quod poteſtis, non utique optat, ne nos Dominus tentari permitteret, ſed ne ſupra id quod ſuſtinere poterant tentarentur.*

33 Manifeſtum eſt tertio quod quoties Caſſianus in illo *cap.* 14. aſſerit quod gratia Dei tantùm, & ſolùm egit erga Iob ut non fortior eſſet tentatio, quam erant naturales illius vires ad reſiſtendum; & quod tantùm fecit, ut tentator non faceret amentem Iob; ſolum loquitur de illo auxilio protegente ab extrinſeco & moderante tentationem, ne eſſet ſupra vires naturales ipſius Iob; non negat aliud, nimirum cooperatam fuiſſe gratiam intrinſecam exiſtentem in Iob cum ipſo jam naturalibus ſuis viribus pugnante, ita quod per illam excluſivam, ſolùm, vel tantùm, non aliud excludere intendit, niſi auxilium aliquod dans vires, & virtutem animæ ad reſiſtendum, admittens auxilium ab extrinſeco modo dicto, protegens, & moderans tentationem, & etiam exiſtentem in juſto gratiam, quæ cum illo pugnante concomitanter cooperetur, unde omnem victoriam reducit ad vires naturales arbitrij pugnantis ex virtute ſua, & ſecum trahentis gratiam actualem ad ſecum cooperandum, & facientis quod ſecum cooperetur. Et hac ratione S. Proſper dicit, quod gloriam victoriæ tribuit ſoli arbitrio, juxta alia ejuſdem Caſſiani verba *in cit. cap.* 14. quæ ſic habent. *Et quid eos neceſſe eſt vel tentare, quos ita infirmos novit refragiles, ut nequaquam virtute ſua valeant reſiſtere tentatori, ſed utique nec tentari eos juſtitia Domini permiſiſſet, niſi parem in eis reſiſtendi ſciſſet ineſſe virtutem, qua poſſent æquitatis judicio in utroque merito, vel rei vel laudabiles judicari.*

Hæc abſque dubio ſententia Caſſiani eſt. Vnde 34
frivolè aliquando opponebatur: quod nullo modo admiſit Caſſianus in Iob gratiam intrinſecam quam habebat cum illo conſequenter, ſeu concomitantem cooperantem; ſed ſolùm gratiam quam in Iob ad vincendas tentationes agnovit, fuiſſe illam tantum extrinſecam protectionem moderantem ab extrinſeco tentationes, ne majores fierent, quam erant naturales Iob vires ad reſiſtendum. Conſtat enim non ſolum in Paulo & in Iob hanc protectionem poſuiſſe, ſed etiam illam cooperantem cum illis gratiam ſubſequentem.

Imò *in eodem cap.* 14. quaſi concludit. *In his* 35
igitur omnibus approbatur ita ſemper divinam gratiam arbitrium hominis incitare ut illud non in omnibus taliter protegat, ac defendat ut non etiam proprijs ejus conatibus congredi adverſus ſpirituales faciat inimicos: in quibus vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem ſuam ſuperatus intelligat & ita diſcat non de ſua fortitudine, ſed de divino ſemper ſperare ſuffragio, atque ad ſuum jugiter recurrere protectorem. Ecce dicit, quod divina gratia ſemper arbitrium hominis excitat ſeu incitat, ad hoc, quod ipſum viribus ſuis cum inimico congrediatur: non ergo ſolum protegit merè ab extrinſeco moderando tentationes, modo prædicto; ſed arbitrium ſemper incitat ſeu excitat, ut cum inimico prelietur; Vides hic apertam ab eo confeſſam gratiam excitantem, & contendes tantum illum poſuiſſe merè illam extrinſecam protegentem, & tentationem moderantem. Et appoſito exemplo de nutrice, in quo minutatim quomodo ipſa portet infantem, & ambulare faciat, exponit, atque applicando ad propoſitum ita concludit. *Quanto magis cœleſtis ille omnium pater novit, quem ſinu gratiæ ſuæ geſtet, quem libere voluntatis arbitrio in conſpectu ſuo exerceat ad virtutem, & tamen adjuvat laborantem, exaudit vocantem non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam neſcientem.* Audiſti ab eo poſitam gratiam ſemper excitantem audiſti & cooperantem, audi modò, & laborantem adjuvantem. Quibus cognitis, & conſideratis tantum abeſt, quod ſolam poſuerit ille in Iob ad tentationes vincendas extrinſecam illam gratiam ut arbitriũ congrediatur, & cooperantem, ſeu laborantem adjuvantem ſub proprijs nominibus appoſuit, & omnem illam admiſit, quæ præveniendo non det vires arbitrij, ſed quæ arbitrium ſuis naturalibus viribus pugnans, quomodolibet adjuvet. Tota enim ſui dogmatis ſubſtantia, tota ejus intentio, & totus finis eſt, ut arbitrium à gratia excitatum poſſit ſolis ſuis viribus tentationem moderatam conformiter ad illius vires ſuperare, quomodolibet poſtea à gratia concomitante ſeu ſubſequente adjuvetur.

Cum ergo hæc ſit manifeſta illius ſententia circa 36
vincendas multiplices, & longo tempore occurrentes tentationes, vel per totum vitæ diſcurſum, & Author cum quo agimus idem omnino in terminis dicat, nec ad omnes etiam collectivè per longum tempus, vel per totam vitam vincendas tentationes gratiam requirat niſi illam excitantem arbitrium ut ſuis viribus pugnet, & illam cooperantem influentem immediatè in actum prius aliqua ratione à libero arbitrio elicitum, qui actum concomitatur ſeu conſequitur, nec aliquam veram gratiam neceſſariam, quæ præveniendo vires, & virtutes tribuat arbitrio ad reſiſtendum, convincitur, quod omni ex parte cum Caſſiano conſentiat: & illius magis fundet doctrinam, ſicut autem contra Caſſianum con-

Digitized by Google

cluſum eſt, ipſum non veram gratiam; ſed aliquid non recedens à lege atque doctrina poſuiſſe nomine gratiæ, ita & contra iſtum authorem in illo priori concluſum eſt, nec aliquam veram gratiam pro vincendis omnibus tentationibus ſeu diuturnioribus admiſiſſe, ſed aliquid tantum, quod à lege atque doctrina non recedat (quod & nos primo noſtro libro efficaciter licet ſub brevitate probatum dedimus, & efficacius magis in fine libro ſecundo, & in hoc quarto copiosè oſtenſuri ſumus.)

37 Et hic apparet, qua ratione author concordiæ relatus inter alia argumẽta, quibus ſuam ſententiam confirmavit, & illud appoſuit, & quaſi pro fundamento conſtituit in nono argumento inducto in fine cap. præcedentis, contendens quod ejuſdem rationis eſt impotentia ad ſervanda omnia mandata, & ad tentationibus diu reſiſtendum in homine juſto, ac in homine ſub ſolo actuali mortali peccato, vel ſub originali & actuali conſtituto, nec ampliores vires illi, ac iſti concedit ad omnia ſervãda mandata, & omnibus tentationibus reſiſtendum; id enim ita ſenſit, ut cum Caſſiano etiam conveniret, qui patientiſſimum Iob quem juſtum eſſe noverat, viribus ſolius naturæ ſuæ viciſſe arbitrabatur inimicum, nec juſtificantem gratiam, & charitatem ei dediſſe, vel auxiſſe vires ad tales ſuperandas tentationes, quo nihil acerbius in divinam gratiam, & veritatem fingi potuit, ut in reſponſione ad illud nonum argumentum mõſtraturi ſumus. Nunc ſufficiat hanc doctrinam argumento eodem, quo eam S. Proſper proſternit, verè proſtratã, & expugnatam eſſe manifeſtare; *Quæro igitur abs te* (inquit S. Proſper) *videatur ne tibi vir iſte, cum illis, quæ legimus ſupplicijs probaretur, habuiſſe in ſe ſpiritum ſanctum? ſi habuiſſe dicis, certum eſt, quia Deus quem non deſeruit adjuvit: ſi autem receſſiſſe ab eo ſpiritum ſanctũ dixeris, Propheticus te ejuſdẽ ſermo convincit, dicentis, ſcio enim, quod Redemptor meus vivit.* Et cætera, quæ ibi allegat irrefragabilia teſtimonia, quibus in Iob fuiſſe in toto progreſſu tentationũ ſpiritum ſanctum demonſtrat quæ & nos commodius infra referemus. Procul dubio apertæ hæc veritatis oſtenſio eſt, quod ſpiritus ſanctus illum, in quo per gratiam erat, adjuvit, nec deſeruit, in quo per charitatem habitabat, nec opem ſuam ab eo abſtulit, quem curabat, ſed efficaciora auxilia quibus clarius viri ſancti tolerantia, & fortitudo niteſceret, admonebat; Quis enim vel ſtultus cõtendat ſpiritum ſanctum, quem per charitatẽ inhabitat, in tentatione poſitũ nihil juvare, ſed ibi quaſi ex ſuperfluo eſſe; cum nec hoc de amico circa amicũ in tribulatione poſitum aliquis ſibi poſſet ſuadere.

38 Conſtat ergo in illo primo, quod à principio hujus capitis præmiſimus, hujus authoris ſententiã ab illa Caſſiani non differre ponentis ſolis viribus liberi arbitrij homines etiam juſtos tentationibus reſiſtere, nec vel gratiæ actuale auxilium, vel charitatem ipſam vires arbitrio ad illis reſiſtendũ tribuere; ſed ad ſummum ipſum excitare, ut ſuis viribus cum inimico pugnet, & pugnans concomitari. Imò ſi attentius utriuſque ſententiam conſideremus, videbitur ab illa Pelagij in hoc nulla ratione differre, qui poſuit juſtificationis gratiam ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non autem eſſe adjutorium neceſſariũ, ut non committantur, quod in Pelagio Concilium Milevitanũ damnat *Can. 3.* Probatur quod omnino in hoc cum illa conveniat. Si enim non dat majores vires gratia juſtificans homini ad reſiſtendum tentationibus atque peccatis, quam habebat homo ſine ipſa in peccato conſtitutus, planum eſt illam juſtificantem gratiam non eſſe neceſſarium adjutorium ad non peccandum, vel ad tentationibus reſiſtendum cum ſine ipſa æqualiter homo poſſit tentationibus, & peccatis reſiſtere. Igitur ſolum erit neceſſaria talis juſtificationis gratia ad remiſſionem peccatorum, quæ jam commiſſa ſunt, non autem eſt neceſſaria, ut adjutorium, ut non commitantur. Nec alia ratione Pelagius admittens neceſſariam gratiam juſtificationis ad remiſſionem peccatorum, negavit, aut negare potuit illam eſſe neceſſariam, ut adjutorium, ut non committantur, niſi dicendo, quod ipſa non dat ampliores vires voluntati ad reſiſtendum peccatis, quam ipſa voluntas ex ſe habeat.

Quod ſi in hoc falſa eſt iſta ſententia, non mi- 39
noris falſitatis eſt in alio, quod author ejus exponit *predicta diſput. 19. membro 5. ad primum.* Dum ſic habet, *ad primum locum Pauli dicendum eſt ita eſſe intelligendum, non patietur vos tentari, pluribus videlicet, & difficilioribus, & diuturnioribus tentationibus quam pro ratione auxilij, quod ipſe Deus impenderit poſſitis commodè ſuſtinere.* Ad quid enim hoc verbum (*commodè*) appoſuit, an non eſſet integer ſenſus ut poſſitis ſuſtinere, niſi quia tantas putavit arbitrij vires, ut etiam ſi minus commodè, poſſimus tamen ſine Dei auxilio pluribus etiam & difficilioribus, & diuturnioribus reſiſtere. Profectò ex eo quod Pelagius relatus à S. P. Auguſtino *libro de gratia Chriſti cap. 27.* dixit *divinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui, ſancti ſpiritus auxilio reſiſtamus.* Intulit S. P. Auguſtinus; *ut quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt, facilius? an verò non erat integer ſenſus, ut nequam ſpiritui, ſancti ſpiritus auxilio reſiſtamus? ſed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat?* Volens utique credi tantas eſſe naturæ vires, ut etiam ſine auxilio ſpiritus ſancti, & ſi minus facilè, tamen aliquo modo, nequam ſpiritui reſiſtatur; ſic licet minus commodè tamen aliquo modo vult Author cum quo agimus, quod pluribus difficilioribus, & diuturnioribus tentationibus reſiſtamus. Quod adverſus Pelagium Concilium Milevitanum damnat. *Can. 5.*

Quod ſi quis eum excuſare prætendat, quod ſæpè 40
aſſeruit nos non poſſe pluribus, & difficilioribus ſeu diuturnioribus tẽtationibus reſiſtere ſine gratia, illã ergo ad hoc ſtatuit neceſſariam. Dicendum quod niſi hoc adderet verbum, *commodè*, rectè res ſe haberet, at quantum detrimentum illo verbo addito fecerit, quis non intelligat? cum ergo alibi dicit nos non poſſe ſine auxilio illis pluribus reſiſtere tentationibus intelligit, commodè, ut poſtea ſeipſum explicuit, & ſuam mentem aperuit.

Igitur ut omnia, quæ dicit breviter comprehen- 41
damus. Aſſerit primò omnibus tentationibus collectivè: vel pluribus difficilioribus, & diuturnioribus poſſe arbitrium reſiſtere pro ſtatu naturæ lapſæ, viribus ſuis, ita quod gratia juſtificans, vires ad hoc non tribuit. Dicit ſecundò, quod ad commodè illis reſiſtendum eſt neceſſarium auxilium gratiæ. Affirmat tertiò, quod hoc auxilium eſt tantùm excitans arbitrium, non autem dans vires, & ſimul cum reſiſtente jam arbitrio viribus ſuis eſt cooperans, unde quando ſimpliciter illud diceret neceſſarium, & non tantum commodè, non admitteret verum gratiæ auxilium, ſed aliquid non recedens à lege atque doctrina quatenus ſolam excitantem gratiam moraliter prævenientem admittit. Et tandem quartò ait, quod cuilibet in particulari tentationi gravi & vehementi ſine omni auxilio gratiæ poteſt homo reſiſtere. In his quatuor, tota ejus ſententia comprehenditur. Vnde nec ad quamlibet in particulari nec ad omnes ſimul graviſſimas tentationes auxilium verum gratiæ, ut neceſſarium admittit, quod veras det animæ vires, ſed tantum excitet, ut arbitrium viribus ſuis reſiſtat.

Aperta

Digitized by Google

Aperta illius Authoris sententia, incipiamus per conclusiones explicare, quid secundum veritatem possit arbitrium circa resistentiam tentationum sine gratia facere, & quid sine illa non possit efficere.

CAPVT IV.

Levibus tentationibus potest homo resistere, sed non gravioribus, vel omnibus, vel pluribus diuturnioribus.

42 ANte hujus quæstionis decisionem, ut omnes penitus æquivocationes præcludantur, illud venit priùs supponendum, multis modis contingere posse, ut quis gravi vehementique tentationi resistat. Primò ita, ut non quomodolibet resistat peccatum evitando, sed etiam illam perfectè vincat, meritum ex victoria reportando. Secundò potest quis tentationi resistere illam propriè vincendo, quod fit, cum quis ex magnitudine virtutis quasi nihil tentationem parvi pendens, ut S. Thomas docet in *tertio dist. 31. quæst. 1. art. 3.* Qui modus vincendi tentationem licet non sit ita perfectus sicut primus, est tamen propria victoria de tentatione licet non pertingat ad finem contra quem est pugna tentationis, sicut in primo modo contigit.

43 Tertiò modo potest quis tentationi resistere, nec primo, nec secundo modo aliquam nempè victoriam propriè de tentatione reportando, sed verè illi resistendo ita quod ab illa non vincitur, nec in peccatum aliquod trahitur, sed illi cum difficultate resistendo: iste enim à tentatione non vincitur, quia illi resistit, sed propter difficultatem, quam patitur in tali resistentia tentationem propriè non vincit, ut S. Thomas habet *citat. loco.* Quartò potest quis tentationi resistere ita quod uni resistit, sed ab alia superatur, ut si v. g. quis ob inanem gloriam, ut vir fortis aut continens habeatur à peccato abstinet quo graviter instigatur, in quo casu à duabus tentationibus simul impellitur, licet ab una manifestius ab alia autem occultius, sed fortius. Observandum secundo tentationem aliquam posse esse levem, aut facilem aliam vero gravem atque difficilem.

44 Notandum tertiò quod tentatio potest dici gravis seu difficilis dupliciter. Primo modo ex ipso objecto & circunstantijs, quia videlicet est arduum & difficilè opus ex natura sua, quo tentationi debet homo resistere, vt v. g. si sit vehemens passio, & urgens carnis tentatio ad peccatum provocans, vel occasio vehemens, ad cui resistendum requiritur quod opus arduum & difficile efficiat homo. Alio modo dicitur gravis & vehemens tentatio non ex meritis proprij objecti, quia facilis est ex propria natura, ut si sit minima carnis tentatio, vel quid simile, de sua natura satis facilè ad ei resistendum; sed tamen redditur gravis seu difficilis ab extrinseco, nimirum ex dæmonis aggressione: qui in illo facili infestissimè tentat.

Quibus præhabitis, à clarioribus incipiendo, de quibus proinde nulla controversia est; dicendum est primo manifestum est posse hominem se solo uni tentationi resistere alteri succumbendo: Imò hoc frequentissimè evenit, hoc enim non est tentationi resistere; sed tentationi sive illi sive alteri consentire. Constat namque posse hominem ex se uni potiùs quam alteri vitio cedere, quod est unum vitium potius quam aliud in homine dominari, quo nihil est frequentius. Hoc autem, ut dictum est, non est tentationem repellere, aut illi resistere, sed potius à tentatione prosterni. Vt enim S. Gregorius docet *Homil. 12. in Ezech. uno & eodem tempore à pluribus hostibus oppugnamur, & dum unus à fronte se palam ostentat, alius à tergo clam insidiatur.* Et hoc modo S. P. Augustinus *libro 3. ad Bonif. cap. 4.* & alibi sæpè docet quod carnalis cupiditas cupiditate alia non sanatur: affirmans quod sic antiqui Romani peccatis peccata vincebant, dum potissimè propter inanem gloriam, quæ maximè eis dominabatur; alia peccata respuebant. Hac ergo de medio sublata resistentia tentationis, quæ revera resistentia non est, ad veram resistentiam sermonem convertam, de qua & quæstio præsens procedit.

Dicendum secundo cuilibet levi & facili tenta- 45
tioni tum ex parte objecti tum ex dæmonis suggestione potest homo in natura lapsa solis suis naturæ viribus cum generali Dei auxilio resistere, licet cum aliqua difficultate. In hac etiam hinc inde conveniens doctrina est, sicut enim eam tradunt Doctores cum quibus agimus, ita & omnes eam defendunt patet ex resolutis, quia liberum hominis arbitrium non est extinctum in naturalibus suis, sed tantùm pro difficilioribus, & arduis operibus infirmatum, & extenuatum. Vnde sicut bonum opus morale ex objecto facilè potest cum generali concursu efficere, ut in fine primi libri & in 3. superiùs monstratum est, ita levem & facilem tentationem ratione omnino eadem poterit cum solo generali concursu repellere cum aliqua tamen difficultate, quia omne opus bonum, ut fiat, aliquam habet annexam difficultatem, magnam si fuerit difficile, & parvam si fuerit facile.

Dicendum tertio si tentatio fuerit ex objecto 46
facilis, & ex dæmonis aggressione reddatur aliquo modo difficilis: ei poterit homo resistere cum speciali Dei providentia, naturalis tamen ordinis; quæ specialis Dei providentia requiritur propter illam difficultatem quam dæmon ingerit, ut contra illam ex Dei particulari providentia contra dæmonem protegatur. Itaque ad hoc non erit sufficiens concursus Dei generalis. Et sic intelligo Doctores esse explicandos; cum dicunt sufficere generalem Dei providentiam naturalis ordinis ad vincendum tentationem facilem ex objecto, sed ab extrinseco ex dæmonis suggestione difficilem redditam. Intelligo namque id verum esse, cum aliquo modo difficilis evadit, non autem multum difficilis; quia fortè dæmon non potest tam magnam difficultatem causare in tentatione aliàs facili ex objecto, ut non possit eam homo speciali Dei providentia adjutus non refellere: si autem multum per dæmonem reddatur ardua, vehemens & difficilis, dicendum videtur, quod ad ei resistendum requiratur auxilium supernaturale gratiæ, juxta inferius determinanda. Et ratio est, quia undequaque, & quomodolibet tentatio multum difficilis reddatur & vehemens, sive ex objecto sive ex dæmonis aggressione, illa tentatio liberum hominis arbitrium læsum & infirmum videtur excedere, & illius naturales vires. Vnde ad illi resistendum necessarium erit divinæ gratiæ supernaturale auxilium adjuvans arbitrij infirmitatem, & faciens ipsum totis suis viribus conari ad illi resistendum arduæ, & vehementi tentationi, ex dæmone viriliter infestante valdè difficili effectæ.

Dicendum quarto manifestum est etiam non 47
posse hominem sine gratia justificante, & sine charitate alicui tentationi resistere illo primo modo relato perfectè illam vincendo, & ex victoria meritum reportando. De hac nulla etiam potest esse controversia, quia certum est ad talem victoriam & meritum de tentatione reportandum nedum necessarium esse gratiæ auxilium quodcumque

Digitized by Google

que, ſed juſtificantem gratiam & charitatem, ſine qua meritum eſſe non poteſt. Probatur ex S. Thoma in 2. *diſt.* 28. *queſt.* 1. *art.* 2. *ad* 6. ubi dicit quod *aliud eſt peccato reſiſtere aliud victoriam de peccato habere. Quicumque enim vitat peccatum, peccato reſiſtit: unde hoc poteſt fieri etiam ſine gratia,* (& intelligit ſine gratia juſtificante:) *Nec oportet,* inquit, *quod tunc homo reſiſtendo peccato mereatur premium æternum; ſed ille propriè vicit peccatum, qui poteſt pertingere ad hoc contra quod eſt pugna peccati*, hoc autem non poteſt eſſe niſi in eo, qui opus meritorium operatur, unde talis victoria ſine gratia non fit.

Advertendum tamen quod exiſtenti in gratia & charitate poteſt & levis, & gravis ſeu vehemens tentatio occurrere, & tunc eſt notanda differentia, quod ad gravem ſuperandam ultra habitualem gratiam, & charitatem requiritur ſpeciale auxilium actuale gratiæ, ut illam ſuperet. Cujus prima ratio eſt, quia juſtificatus etiam debet orare ne in tentationem inducatur, debetque à Deo auxilium actuale ad id petere: ergo indiget auxilio illo ſupernaturali, quod petit, ad gravem vehementemque tentationem vincendam. Secundò, quia hoc docet expreſsè S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *art.* 9. dum clariùs docet quod homo juſtificatus indiget auxilio gratiæ, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum, propter duo, primo ratione generali, quia nulla res creata poteſt in quëcumque actum prodire, niſi in virtute motionis divinæ. Secundò ratione ſpeciali propter conditionem humanæ naturæ, quæ licet per gratiam ſit ſanata quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem: ergo requiritur in homine juſtificato ſpeciale gratiæ auxilium ad vincendam vehementem carnis tentationem: per quod tentationi reſiſtit, & ex gratia & charitate victoriâ perfectam de tentatione reportat, meritum de tali victoria comparando. Secundò probatur, quia idem S. Thomas *in* 3. *diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 3. docet quod juſtificatus per charitatem tentationi reſiſtit: addens quod cum ſic reſiſtit, ſemper ſic pugnanti Deus auxilium adminiſtrat. Igitur juſtificatus & ex gratia ac charitate, & etiam ex auxilio gratiæ actuali à Deo dato tentationi reſiſtit, & de illa perfectam repetat victoriam, meritoriè illam ſuperando. Imò addit ibi D. Thomas, quod charitas quæ eſt parva in principio tentationis poteſt tentationi reſiſtere, quia in fine tentationis fit magna, cum Deus pugnanti auxilium ſemper ſubminiſtret: ſi tamen, inquit S. Thomas, parva ſemper maneret non poſſet tentationem vincere propriè. Propriè inquam, ideſt, ita quod quaſi pro nihilo eam duceret. Hoc enim modo ſumit ibi propriè vincere tentationem: ut in illo articulo expoſuerat. Itaque poteſt minima charitas cum auxilio Dei ſupernaturali actuali etiam non magno, ſed illi charitati minimæ proportionato tentationi cuicumque gravi reſiſtere: ita quod non vincatur ab ea, ſed eam taliter vincere, quod difficultatem non patiatur, ſed quaſi pro nihilo eam habendo: non poterit, niſi vel charitas in fine augeatur, & magna fiat: vel ſaltem tale ſit actuale auxiliũ magnum: ut quaſi pro nihilo reputet tentationem. Ex quo ſequitur poſſe juſtificatum primo modo vincere gravem tentationem, meritum videlicet de illius victoria reportando: Qui tamen non dicitur in alio ſenſu propriè eam vincere, id eſt, quaſi pro nihilo eam habendo, & difficultatem non ſentiẽdo.

48 Si autem tentatio levis fuerit, vel minima, poterit juſtificatus viribus ſanatis per gratiam ſine ſpeciali auxilio cum ſolo generali ei reſiſtere, & ex charitatis relatione virtuali victoriam, & meritum reportare: ſicut cum manducat & bibit. Meretur juſtus ex virtuali relatione, licet ad ea opera elicienda, nec charitas formaliter concurrat, nec ſpeciale auxilium gratiæ. Itaque ſicut poteſt homo lapſus ſine auxilio gratiæ minimam & levem tentationem ſuperare, multomeliùs id poteſt efficere ſine ſpeciali auxilio gratiæ homo juſtus.

Dicendum quintò ad reſiſtendum cuilibet gravi 49
vehementivè tentationi, eam vincendo in ſecundo illo modo ſuperiùs explicato; id eſt non meritoriè, ſed ita facilè, ut quaſi pro nihilo tentationem gravẽ ducat, requiritur magnum gratiæ auxilium actuale. Itaque non ſufficit ſpeciale auxilium gratiæ quodcumque, nec requiritur gratia juſtificans, neceſſariũ eſt tamen quoddam magnum gratiæ auxilium. Et quidem, quamvis regulariter hæc victoria ſit effectus magnæ gratiæ juſtificantis, ut S. Thomas docet expreſsè *citato loco ex* 3. *ſent. diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 3. non tamen eſt dubium quin ſine gratia juſtificante, & merito poſſit homo cum ſpecialiſſimo, ſeu magno actuali auxilio ita tentationi reſiſtere, ut de illa victoriam illo ſecundo modo reportet, eam quaſi pro nihilo æſtimando. Probatur: quia ad hanc victoriam de tentatione habendam non eſt neceſſaria per ſe gratia juſtificans: hæc enim ad meritoriam victoriam eſt requiſita: ergo ſecluſa illa tam potens poterit eſſe actuale auxilium, ut hominem faciat quaſi irridentem tentationem, & eam quaſi pro nihilo reputantem. Quod autem ad hanc victoriam non ſufficiat quodlibet actualis gratiæ auxilium in homine infirmo, conſtat manifeſtè ex dictis à D. Thoma *in illo loco ex* 3. *ſent. inducto*: Si enim ad id non ſufficit parva charitas, quantò minus ad id ſufficiet parvum auxilium gratiæ ſine charitate. In hac concluſione facili etiam authores cum quibus agimus convenient, nec enim viribus naturæ dabunt talem de tentatione victoriam.

Ex utraque iſta quarta & quinta concluſione li- 50
quet quod in ſententia S. Thomæ duplex eſt victoria quæ de tentatione habetur, ita quod utraque eſt propria de tentatione victoria. Prima quando ita peccatum & tentatio vincitur, quod meritum reportatur, ut patet ex teſtimonio inducto pro quarta concluſione ex 2. *ſent. diſt.* 28. *q.* 1. Secundò quando ita peccatum ſeu tentationem vincit homo, quod in tali reſiſtentia nullam ſentit difficultatem, ſed quaſi tentationem pro nihilo ducit. Hic enim etiam propriè dicitur tentationem vincere; ut S. Thomas docuit in alio teſtimonio inducto pro quinta concluſione ex 3. *ſent. diſt.* 31. Verum eſt quod ſi adinvicem diſtinguantur, hæc ſecunda illi priori comparata multo inferior exiſtit: melius enim multo eſt, licet cum difficultate, peccatum & tentationem meritoriè vincere, quam ſine merito eam ſine difficultate ſuperare, & pro nihilo ducere. Dixi, ſi adinvicem diſtinguantur, quia contingere poteſt ut homo juſtificatus utroque modo de peccato, & tentatione victoriam reportet; & meritoriè, quia nempe in gratia eſt, & eam pro nihilo ducendo, quia videlicet magnam habet charitatem, & magnum gratiæ auxilium, quod ad eam ſuperandam ex charitate movetur.

Dicendum eſt ſextò. Non poteſt homo ſine ſpe- 51
ciali auxilio gratiæ omnibus gravibus tentationibus collectivè ſumptis, etiam ſine aliqua victoria ex prædictis, etiam cum difficultate reſiſtere. In hac veritate etiam authores cum quibus agimus conveniunt. Fateantur namque & ipſi veritatem hanc Catholicam eſſe, & oppoſitam Pelagianorum damnatum errorem. Manet efficaciter in ſuperioribus demonſtrata. Dictum fuit enim non poſſe hominem in natura lapſa ſine gratiæ auxilio omnia divina ſervare mandata, etiam naturalia collectivè ſumpta, quia contrarium eſt Pelagianum dogma perverſum

Digitized by Google

versum: ergo nec poterit sine eodem gratiæ auxilio resistere omnibus gravibus tentationibus collectivè sumptis: quomodolibet graves sint, sive ex objecto & ab intrinseco, sive ab extrinseco ex dæmonis suggestione causatæ: patet consequentia, quia idem est omnia divina mandata collectivè servare, & omnibus tentationibus collectivè resistere, cum omnia mandata serventur tentationibus resistendo: ergo si secundum catholicam veritatem primum non potest homo lapsus sine gratiæ auxilio, nec secundum poterit sine tali auxilio gratiæ eadem catholica veritate id affirmante. Imò ut ex superiùs traditis & diffinitis constat, nec omnes leves tentationes sic collectivè sumptas potest, nedum homo lapsus repellere sine gratia; verum nec in gratia constitutus etiam auxilio gratiæ id potest. Sicut nec omnia collectivè potest peccata venialia evitare, nisi illud gratiæ auxilium sit specialissimum, sicut Beatissimæ Virgini Deiparæ concessum fuisse Concilia docent. Dixi ad hoc requirere hoc authoris gratiæ auxilium, quodcumque ipsi admittant, ut superiùs manet expositum.

CAPVT V.

Cuilibet gravi, & vehementi tentationi in particulari nequit resistere homo sine gratia auxilio.

52 QVia in supradictis conclusionibus facilè authores, cum quibus agimus, convenient, statuenda nunc veritas est quam ipsi impugnant, & in qua nervus controversiæ existit. Dicendum est septimò & ultimò. Nulli gravi vehementivè tentationi ex propria materia & objecto, potissimè si etiam adsit gravis & vehemens dæmonis suggestio, potest homo lapsus sine veræ gratiæ auxilio resistere etiam cum difficultate pro brevi tempore, seu pro instanti morali quo durat. Hæc veritas quam contra supradictum authorem defendimus, ab omni Theologo, ut credimus, tenenda est, & defendenda, quia opposita multum supra omnem modum hæresi favere videtur Pelagianorum. Potissimè diximus (si etiam adsit dæmonis vehemens suggestio) quia etiam si illa non sit, dummodo ex propria materia, objecto & circunstantiis tentatio difficilis & vehemens sit, non poterit homo sine veræ gratiæ supernaturali auxilio ei etiam cum difficultate resistere, sed infallibiliter ab ipsa vincetur. Probatur primò ex divinæ Scripturæ testimoniis psalm. 17. *In te eripiar à tentatione*, psalm. 16. *Adjutor meus esto ne derelinquas me*: psalm. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*: psalm. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Et psalm. 36. *salus justorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis.* Oratio autem Dominica qua oramus, *& ne nos inducas in tentationem*, & illud Domini præceptum Matth. 26. *Orate ne intretis in tentationem*, quid aliud ostendunt, quam sine Dei adjutorio nos tentationibus non posse resistere; si namque sine illo possemus, nec à Deo illud peteremus; nullus enim petit, quod in sua habet positum potestate; ut sæpius S. P. Augustinus docet contra Pelagianos in hac materia & causa, ut copiosiùs ostendemus.

Circa quæ scripturæ divina testimonia illud est primò considerandum: ea non solùm docere, quod sine Dei adjutorio non possimus meritoriè tentationibus resistere; sed absolutè proferre quod in Deo, & in illius adjutorio eripimur à tentatione, & absolutè à Deo postulare auxilium ne in tentatione derelinquamur. Similiter nec tantum asserere, necessarium illud esse ad omnes simul tentationes collectivè sumptas superandas, sed ad singulas, quæ revera graves sunt, ut signanter patet ex oratione dominica, Deum enim deprecamur, ut à tentatione, non solùm à tentationibus simul nos eripiat: illudque. *Orate ne intretis in tentationem*: de illa præsenti & singulari, quæ tunc tempore passionis Christi Domini instabat, dictum esse, Evangelica narrat historia; ad illam enim in singulari vincendam indigebant discipuli adjutorio divino.

Insigne est illud Apostoli testimonium, satisque notum & clarum 1. *Cor.* 10. quo hortatur fideles, ut tentationibus resistant: docens quod ei resistere possunt: non viribus suis, sed adjutorio divino. *Tentatio* (inquit) *vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Circa hoc testimonium tres invenio traditas expositiones. Prima fuit Cassiani *collat.* 13. *cap.* 14. sicut supra retulimus; explicantis, quod Deus ideo non permittit nos tentari supra id quod possumus, quia reprimit Dæmonem ne tentet supra id quod naturalibus viribus resistere valemus, non autem quod det auxilio gratiæ vires ad resistendum, hæc explicatio qua parte negat, vel negari dicit in illo testimonio divinum esse auxilium necessarium ad tentationes vincendas, Pelagiana est. Quamvis enim aliquando Deus sic Dæmonem reprimat ne tentet totum quod potest, modereturque tentationes, ut multoties leves sint, & quæ possunt libero arbitrio superari, ut S. P. Augustinus expressè habet in expositione *psalm.* 61. contendere tamen quod nullo alio modo Deus adjuvet ad tentationes vincendas, nisi sic ab extrinseco illas moderando, ut diximus, sententiam continet Pelagianam contra testimonium illud. Et quamvis SS. Ambrosius & Anselmus illum locum exponant supradicto modo, non tamen negant Deum dare auxilium ad superandum. 53

Secunda expositio est authoris illius concordiæ quam impugnamus, qui in *ipsa disput* 19. *membro* 4. illud dicit intelligendum de omnibus tentationibus simul collectivè; vel saltem de pluribus gravibus, & diuturnioribus; ad illis enim resistendum dicit necessarium esse divinum auxilium, & hoc tradi in testimonio illo; non verò intelligi de quacumque in particulari gravi vehementique tentatione: putat enim quamlibet talem posse hominem repellere, illique resistere solis viribus suis; & de illa qualibet in singulari non procedere illud testimonium. Quæ sententia sine causa limitat testimonium illud, ad multitudinem, & collectionem tentationum, & insuper ut superiùs diximus, gravius excedit, quam illa, quæ ex Cassiano modo relata est. Contra has ergo duas peregrinas expositiones est tertia legitima, quod ideo Deus non permittit tentari homines supra id quod possunt: quia dat adjutorium, quo Dæmonis tentationem gravem & vehementem sustinere possint. Quod enim ista sit intelligentia verba quasi sonant. Explicans enim Apostolus modum quo non permittit Deus tentari fideles supra id quod possunt, ait, *sed faciet cum tentatione proventum*, id est faciet suæ gratiæ adjutorio ut sustinere possitis. 54

Addamus si placet & quartam legitimam etiam, quam S. Thomas adhibet *in* 3. *dist.* 31. *q.* 1. *art.* 3. *solut. ad* 5. ubi sic habet *ad quintum dicendum quod Apostolus loquitur quantum ad id quod homo potest sustinere sine animi perturbatione, quod non potest nisi charitate perfecta: ut in magnis tribulationibus aquanimitatem servet.* Hæc S. Doctor. Quod testimonium 55

Digitized by Google

ſcripſit Apoſtolus his qui erant in gratia, ut patet ex principio epiſtolæ, quod *citato loco in argumento quinto.* D. Thomas advertit, & de exiſtentibus in gratia verum eſt: quod non permittit Deus eos tentari ſupra id quod æquanimiter ſine animi perturbatione ferre poſſunt: & in hoc vero ac legitimo ſenſu Sancti Patres ad illum locum hoc teſtimoniū interpretati ſunt, ut patet ex gloſſa interlineari, quæ ſupradicta verba Sancti Patris Auguſtini apponit, dicendo: *Qui dat tentanti licentiam dat & tentato miſericordiam.* Et ad illa verba, *faciet cum tentatione proventum*, ita habet: *augmentum virtutis*; quod augmentum virtutis tentatis tribuendo, facit quod tentationes poſſint ſuſtinere. Gloſſa etiam ordinaria ex S. P. Auguſtino ſic exponit. *In hac ſententia ſatis oſtendit non id nobis orandum eſſe ut non tentemur; ſed ne in tentationem inducamur, inducimur enim ſi tales acciderent, quales ferre non poſſumus.* Lyranus, *quia promiſit adjutorium in tentationibus poſitis, ſi fideliter recurrant ad ipſum, ideò ſubditur: ſed faciet etiam. Vos totaliter adjuvans, ut ipſa tentatio vobis proveniat ad augmentum meriti per ejus ſuperationem, unde ſubditur, ut poſſitis, id eſt tentationibus prævalere.*

56 Sanctus etiam Thomas eodem modo prædictum locum Apoſtoli intelligendum eſſe docet dicens ſic. *Deinde cum dicit, fidelis Deus, oſtendit paratum adjutorium in tentatione: ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis reſiſtendi potentiam, quod notatur ibi, ſed faciet cum tentatione, &c. perſeverantiam, quod notatur ibi: ut poſſitis ſuſtinere. Verè fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur, gratiam ut mereamur, conſtantiam ut vincamus, &c.* Igitur & communis expoſitio Doctorum, & littera ipſa ſonat, quod hoc modo Deus non permittet tentari fideles ſupra id quod poſſunt, quia tentatis præbet adjutorium gratiæ ſuæ, ut quaſlibet Dæmonis tentationes repellere valeant.

57 Secundo probatur ſupradicta veritas ex ſummorum Pontificum diffinitionibus, qui Pelagianam hæreſim condemnarunt, Innocentius primus in decretali reſponſiva ad Concilium Cartaginenſe (quæ habetur apud D. Auguſtinum *epiſt.* 91.) ait. *Nam quamvis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis; tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum, & poſt iſta corrigere, multa ſervavit: quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Conſideranda ſunt illa verba, *quotidiana præſtat ille remedia*; quibus ſatis declarat quod non ſolùm ad vincendas omnes ſimul tentationes, quæ vel per totam vitam, vel per longum tempus occurrunt, divino indigemus auxilio, ſed quotidiano nobis opus eſt, ad vincendam quamlibet gravem tentationem, quæ quotidie poteſt occurrere, prout infra copioſiùs exponemus. Et in decretali altera etiam reſponſiva ad Concilium Milevitanum idem confirmat, dum contra Pelagianos ait. *Quid enim acerbiùs in Dominum fingere potuerunt, quam cum adjutoria divina caſſarent.* Dum enim de neceſſaria quotidiana precatione fit ſermo, qua quotidie divinæ gratiæ auxilium efflagitamus: illud eſſe neceſſarium ad vincendas graves tentationes ſingulas, quæ ſingulis diebus poſſunt occurrere, ſatis manifeſtat Pontifex Maximus.

58 Clarius hoc poſtea Cœleſtinus primus in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, contra illos communiter Semipelagianos dictos expreſſit ſic dicens. *Ad hanc enim nos profeſſionem idem Doctor inſtituit, qui cum ad totius orbis Epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo tempus (ait) intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus eſt. Superbum eſt enim ut quidquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo: non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed contra principes & poteſtates aëris hujus, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.* Notentur obſecro hujus deffinitionis verba, & erit manifeſtum non ſolùm opus nobis eſſe divinæ gratiæ adjutorio ad omnes ſimul collectivè ſumptas ſuperandas tentationes, quæ vel per totam vitam, vel per longū tempus occurrunt, nec tantùm eo nos indigere ad meritoriè eas vincendas, ut auctores cum quibus ita agimus, exponunt: contendentes non eſſe illud neceſſarium ad cuilibet gravi vehementique tentationi in ſingulari reſiſtendum, in quo profectò nimis falluntur, & ad prædictas deffinitiones non ſatis attendunt, dum eas ſic explicando quaſi corrumpunt: Etenim modo relata Cœleſtini confirmantis & approbantis quod ejus prædeceſſor Zozimus prius dictaverat, vel potius Zozimi, cujus iſta verba ſunt, à Cœleſtino relata, cum dicit, *quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio.* Vtramque hanc ſiniſtram limitationem quaſi prævisam, vel fortè illis antiquioribus temporibus prius prætenſam pœnitus aufert. Si namque nullum tempus intervenit, quo divino non egeamus auxilio, ut apertè pronuntiat, ergo non ſolum per totius vitæ tempus, aut per longum, quo vel omnes ſimul collectivè; vel plures occurrere poſſunt, egemus auxilio divino, ſed etiam quolibet minori tempore, ſeu quotidie adjutorio egemus divino ad reſiſtendum cuilibet gravi tentationi, quæ in illo ſe poteſt offerre; profectò contradictoria ſunt adinvicem iſta, *nullum eſt tempus quo non egeamus auxilio divino, & aliquod tempus eſt, nimirum breve, quo non egemus tali auxilio.* Vniverſalem illam negativam Pontifex ſummus ſtatuit: contradictoriam affirmativam iſti auctores defendunt. Ideo autem diffinit Eccleſia nullum eſſe tempus quo non egeamus divino auxilio, quia optimè ſcit, quod quolibet tempore etiam breviſſimo, quolibet die, imò qualibet hora tentatio gravis & vehemens poteſt occurrere, quam ſolis viribus noſtris ſine gratiæ auxilio non poſſumus ſuperare. Si namque in aliquo brevi tempore nulla in ſingulari ſe poſſet offerre tentatio etiam gravis & vehemens, cui viribus noſtris non poſſimus reſiſtere: Conſtat quod pro illo brevi tempore nobis opus non eſſet auxilio divino ad illi reſiſtendum: & ſic falſum jam illud eſſet, *quod enim tempus intervenit, in quo non ejus egeamus auxilio?* Idipſum alia ſequentia verba ſubjuncta, & in illa diffinitione appoſita magis ac magis confirmant. *In omnibus*, inquiunt, *actibus, cauſis, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus eſt.* Quare in illis adjutor orandus eſt Deus, niſi quia in ſingulis actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, poteſt gravis tentatio & vehemens occurrere, quam ſolis viribus noſtris ſine Dei adjutorio non poſſumus ſuperare? certum namque eſt, quod non requiritur divinæ gratiæ auxilium ad omnem actum, cogitationem omnem, & ad omnem motum bonum moralem etiam facillimum, ut dictum & probatum eſt ſupra. Si ergo ad omnem actum cogitationem, cauſam & motum orandus eſt Deus, non alia de cauſa orandus eſt, niſi quia in quolibet motu, actu & cogitatione ſe poteſt immiſcere gravis tentatio: quam quia ſine Dei adjutorio non poſſumus vincere, ideò orandus Deus eſt, ut præſtet auxilium, quo illam vincamus, tandem ratio à Pontifice ſummo inducta hoc oſtendit, quia *ſuperbum eſt*, inquit, *ut quidquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo, non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem &c.* Quare eſt ſuperbum

Digitized by Google

bum præſumere quod aliquid ſine Dei adjutorio poteſt homo, niſi quia colluctatio eſt contra principes & poteſtates, ideſt contra dæmones? ſed iſta colluctatio non ſolum inſtat toto tempore vitæ collectivè per omnes ſimul tentationes, nec ſolum longiori tempore per plures in illo occurrentes, verum etiam inſtat quotidie quolibet breviſſimo, & per ſingulam quamlibet gravem, & vehementem tentationem; ergo etiam tunc erit ſuperbum præſumere, quod ſine Dei adjutorio illi poſſit reſiſtere ſe ſola humana natura.

59 Synodus etiam Palæſtina relata à S. P. Auguſtino *epiſtola* 106. *contra Pelagium* ait: *fateatur* (nimirum Pelagius) *quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem; non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam.*

60 Synodus præterea Milevitana in epiſtola ad innocentium, quæ apud S. P. Auguſtinum eſt 92. *illud verò quod ſequitur*, inquit, *ne nos inferas in tentationem: non ita intelligendum dicunt, tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, ſed hoc eſſe in noſtra poſitum poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere voluntatem hominis.* Idem habet Synodus Cartaginenſis in epiſtola alia ad eundem innocentium, quæ apud S. P. Auguſtinum nonageſima eſt, ubi non ſolum dicitur, quod contra omnes collectivè divino egeamus auxilio, ſed indefinitè proponitur neceſſarium ad ſuperandas tentationes, nimirum ſive iſtas, ſive illas, ſive ſingulas, ſive omnes.

61 Sed dicunt. Determinationes prædictæ Summorum Pontificum contra Pelagianos promulgatæ ſunt: & illorum tantum errores damnabant, ſed illi hoc contendebant, quod ad omnia divina implenda mandata, & ad omnes ſuperandas tentationes, quæ contra illa opponuntur, quæ proindè, vel per totam vitam, vel per longum tempus occurrunt, non erat homini neceſſarium divinæ gratiæ adjutorium, ſed quod ſola humana natura poterat adimplere: ergo Pontifices adverſus illos in illis deffinitionibus oppoſitum tantum tradiderunt, nimirum non poſſe hominem per totum vitæ ſuæ tempus, vel per aliud longius omnia divina implere mandata, & omnes collectivè tentationes, quæ illis contrariantur, ſine divinæ gratiæ auxilio ſuperare. Non enim eſt credendum, quod aliud Eccleſia contra illos diffinierit, quam quod ipſi errando protulerunt.

62 Ad hoc reſpondendum verum eſſe Pelagianos, potiſſimè illos priores Pelagium & Celeſtium, aſſeruiſſe ad omnia implenda divina mandata: & omnes collectivè ſuperandas tentationes ſolum ſufficere humanam naturam omni divinæ gratiæ auxilio deſtitutam, verum non ſolum in hoc errarunt, (Quamvis illorum potiſſimus & principalis hic error fuerit) ſed etiam in eo quod à fortiori contendebant, non eſſe neceſſarium gratiæ auxilium ad implendum quodlibet difficile & arduum divinum mandatum, & ad reſiſtendum cuilibet gravi vehementivè tentationi. Vnde Pontifices Summi utrumque ſimul adverſus eos damnarunt, præcipuè magis illum primum illorum errorem, deinde & hunc ſecundum, ut per verba neceſſariæ quotidianæ præcationis explicarunt. Secundò dicendum illos vltimos, qui Semipelagiani ſunt dicti: adverſus quos Cœleſtinus definivit hoc ſibi refugium reſervaſſe, ut non ſic apertè dicerent ſine gratiæ auxilio poſſe hominem omnia ſervare divina mandata, & omnibus tentationibus, collectivè reſiſtere, ſed quodlibet in particulari ſervare poſſe, & quamlibet in ſingulari gravem vehementemvè tentationem rejicere, quæ brevi tempore occurrit. Quamvis & iſti reipſa id ipſum quod priores aſſererent licet non ita palam, adverſus quos nullum tempus eſſe etiam brevè in quo non egeamus divino auxilio, propter tentationem, gravem quæ in illo poteſt occurrere, apertè determinat. Et quod ita ſit aſſerendum, patet quia Iulianus qui fuit Semipelagianorum Dux & caput teſtante S. P. Auguſtino, dicebat ſine gratia poſſe hominem ſervare divina mandata; nec expreſsè dixit omnia poſſe ſervare: ſic ſententiam temperando, ut & ſua & noſtra poſſet voce defendi, ut ſui intelligerent illum omnia dixiſſe, poſſe ſic ab homine ſervari; Catholici autem putarent ipſum ſentire aliqua ſic poſſe ſervari. Ecce jam ille primus non audebat expreſsè proferre poſſe hominem omnia mandata ſervare ſine gratia, quantò magis poſteriores hoc dicere expreſsè auderent, contra quos Cœleſtinus egit, & illa notanda verba in ſua definitione non ſine cauſa expreſſit. Dicendum tertiò quod multoties in diffinitionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum non ſolùm damnantur errores, contra quos expreſsè militant, ſed occaſione illorum alia etiam damnantur, quæ ex illis ſequuntur. Dato ergo gratis, quod tantum Pelagiani contenderent ſufficere hominem ad omnia ſimul mandata implenda & ad omnes collectivè ſuperandas tentationes, quid prohibet quod non ſolum hoc damnaverint Pontifices, licet id magis principaliter ſine dubio: ſed etiam aliud, quod ex eo à fortiori conſequebatur, videlicet, poſſe hominem ſine gratia cuilibet gravi vehementique tentationi reſiſtere.

Dicunt deinde quod ſicut omnes interpretati te- 63
nentur ſupradictas Summorum Pontificum diffinitiones, non de omnibus quibuſque tentationibus, eo quod omnes fateri tenentur levibus viribus liberi arbitrij poſſe reſiſti, ſed tantùm de gravibus procedere; ita poſſunt & ipſi illud idem accipere de victoria adverſus omnes tentationes & concupiſcentias occurrentes, quæ eſt victoria ſimpliciter, quam verba ipſa ſancti Auguſtini & Patrum videntur innuere.

Ad hoc reſpondendum quod ſi de tentationibus 64
collectivè ſumptis illæ determinationes procederent, abſque dubio non ſolùm de gravibus & vehementibus intelligi deberent, ſed etiam de leviori bus cum ſit certum nec omnes leviores poſſe ſimul hominem rejicere; ſicut nec poteſt ſimul omnia peccata venialia evitare. Imò nec omnes leviores ſimul poſſet vincere nedum homo ſine gratia, verum etiam cum illa (ut dictum eſt ſupra) quamlibet autem levem in ſingulari poteſt homo ſine gratiæ auxilio abjicere, ſicut poteſt quodlibet in particulari peccatum veniale evitare. Ex quo convincitur non poſſe illas definitiones aliquo modo de levibus tentationibus procedere, non de illis collectivè ſumptis, quia etiam cum gratia ſuperari omnes non poſſunt, quantò magis ſine gratia. Non de illis diviſivè & in ſingulari, quia ad a
ſingulas rejiciendas auxilium gratiæ neceſſarium non eſt. Igitur eſt manifeſtum quod definitiones illæ non procedunt de levibus tentationibus; & hoc etiam ij Authores ex neceſſitate debent confiteri. Neceſſe eſt ergo, quod omnes dicant diffinitiones eas ſolum de gravibus tentationibus ſermonem inſtituere: & non ſolùm de omnibus collectivè, ſed etiam diviſivè, ut ex ipſorum verbis oſtenſum eſt.

Quod autem addunt diffinitiones illas de vicio- 65
ria tentationum loqui, victoria autem ſimpliciter illa eſt qua omnes ſimul vincuntur, unde de hac victoria ſimpliciter eſſe intelligendas & explicandas. Ad id dicendum ſolum Innocentium in ſua decreti

Digitized by Google

tali de victoria fuisse expresè loquutum contra priores Pelagianos, quod tamen verbum in diffinitione Cœlestini non habetur, nec sine causa omissum est. Contendebant autem Semipelagiani resistere uni, vel alteri gravi vehementivè tentationi non esse victoriam ob rationem factam; & sic posse hominem sine gratiæ auxilio illi resistere ad quam excusationem præscindendam, Cœlestinus non fuit usus hoc verbo, victoria, vel vincere, sed aliis jam relatis, per quæ hanc evasionem detruncat. Secundò dicendum quod licet resistere omnibus tentationibus simul sumptis perfecta & completa victoria sit, non tamen est dubium quod aliquam gravem & vehementem superare, sit simpliciter de illa pugna victoria, potissimè si meritoriè tunc vincat, vel ita ut quasi pro nihilo tentationem habeat, prout dictum est supra. Alias si victoria simpliciter tantum illa esset, quæ sola est de omnibus tentationibus simul collectis; cum quis unam gravem & vehementem ita superaret, quod quasi pro nihilo eam æstimaret; imò etiam si illam meritoriè vinceret, non diceretur ille talis vicisse simpliciter tentationem illam, vel de illa victoriam reportasse, quod tamen manifestè falsum est, & contra Sancti Thomæ doctrinam superius inductam.

66 Tandem, quod ultimo opponunt de illa victoria omnium tentationum sumptarum loquutos videri S. Augustinum & Patres ut illorum insinuant verba, dicendum quod potius totum oppositum ipsorum verba demonstrant; & quia id de divinis scripturæ testimoniis & summorum Pontificum definitionibus expositum est & declaratum; de Sancti Patris Augustini doctrina id ipsum aperiamus.

CAPVT VI.

Non posse hominem sine gratia auxilio vehementem tentationem in particulari superare probatur ex S. Augustino, & aliis Patribus.

67 MIrandum quippe est quod laborent ascribere S.P. Augustino supradictam sententiam suam, contendendo illum loquutum tantum fuisse in omnibus locis, quibus contra Pelagianos omnes & priores & posteriores docuit, non posse hominem lapsum sine gratiæ auxilio vincere tentationes, de victoria omnium collectivè, non de victoria cujuscumque quantumvis gravis & vehementis in singulari fuisse loquutum; cum totum oppositum ita in Sancto Patre Augustino sit manifestum; ut nullus qui eum legerit de hoc possit dubitare. Duo namque in hujus Sancti Patris libris inveniuntur expressa, sicut & de summorum Pontificum diffinitionibus dictum est supra. Primum non posse hominem in natura lapsa sine gratiæ auxilio omnes simul collectivè vincere tentationes, quod Pelagius prius asseruit. Secundum non posse etiam aliquam gravem & vehementem tentationem solis suis viribus repudiare; quod ultimi Pelagiani postea temperarunt; & quia de primo nulla controversia est, hoc secundum ex apertis S. Doctoris testimoniis comprobamus.

68 Primum habetur *lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 3.* sub his verbis. *Acutè autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret; quod si nolumus nõ peccamus, nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati, sed hoc non vident quod ad nonnulla superanda, vel qua malè cupiuntur vel qua malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per prophetam verè dici voluit* &c. sunt ergo nonnulla in singulari, quæ sine auxilio gratiæ, solis viribus nostris repellere non valemus, nisi adjuvemur à gratia, quæ faciat nos totis viribus contra illa perfectè in omnibus conari. Nonnulla sunt, inquit S. Doctor, & non solùm omnia collectivè, quæ solis viribus nostris repellere non possumus nec illud verbum in omnibus, negotium facessit, quasi dicere voluerit quod illa nonnulla in omnibus simul sumptis vincere non valemus; benè tamen in aliquibus eorum, nec enim talis est sensus, sed potius quod vites nostras perfectè, & in omnibus conatibus nostris non adhibebimus ad superanda illa nonnulla ardua & difficilia in singulari. Hic enim planus est sensus, ut insuper patet ex *cap. 4. sequenti*, in quo idem prosequens intentum inducit illud Apostoli. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Quo testimonio quid nobis præcipitur, an hoc, quod non omnibus desideriis carnis collectivè sumptis obediamus, an potius quod nulli in particulari carnis desiderio obedientes simus? Proculdubio hoc secundum nobis præcipitur. Vnde subdit S. Augustinus. *Si ergo his desideriis concupiscentiæ carnis illicitæ voluntatis inclinatione consenserimus; ad hoc sanandum dicimus, dimitte nobis debita nostra..... Vt autem non ei consentiamus deprecamur adjutorium dicentes, & ne nos inferas in tentationem, vel sicut nonnulli codices habent, ne nos inducas in tentationem. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet; nam Deus intentator malorum est: ipse enim neminem tentat; sed ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti*; Ecce planè de tentatione in singulari sermonem facit; sicut de singulari oratio ipsa dominica expressè procedit; nec enim dicit, *ne nos inducas in tentationes*, ne ex hoc occasionem hujus sententiæ, quam impugnamus, aliqui sumerent; sed tentationem dixit, ut per hoc frivolam & extortam illorum explicationem refelleret. Rursus & clarius, *Cum tentari cœperimus à concupiscentia*, inquit Sanctus Pater Augustinus, *adjutorio ejus non deseramur; & ideo nos in oratione dominica orare dicit, ne nos inducas in tentationem*; Ergo cum cœperimus graviter tentari à concupiscentia, orare debemus, ne nos inducas in tentationem; ne adjutorio divino deseramur. Ergo indigemus tali divino adjutorio ad resistendum cuilibet tentationi gravi à qua tentari incipimus; & quoties in singulari sic sentimus nos incipere tentari, adjutorium divinum ad illi resistendum orare debemus, ne abstrahamur illecti. Abstrahimur ergo illecti, & à tentatione qualibet carnis urgente vincimur, si adjutorio deseramur divino; quod ne fiat; oranxes postulare debemus dicentes, *Et ne nos inducas in tentationem.* In quibus satis manifestè docet S.P. Augustin. ad superandam quamlibet gravem tentationem, quæ tentare incipit, nos divino indigere auxilio ne vincamur ab illa, sed ei resistamus, & multo magis ut eam vincamus.

69 Secundum testimonium desumitur ex *libro de natura & gratia capite 67.* Vbi respondens argumento Pelagij inquit. *Potest ergo ei causa quæcumque illa est, resisti? potest planè, nam in hoc adjutorium postulamus dicentes, ne nos inferas in tentationem; quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus.* Et post pauca, sive ergo immineat, sive insit, caveri potest; (adjutorio scilicet divino) ut præmiserat; ergo quando tentatio gravis & vehemens imminet in singulari (nec enim aliter videtur imminere) potest ei ex divino adjutorio resisti, non sine illo, sentit ergo Sanctissimus Doctor quod ne

dum

Digitized by Google

dum omnibus tentationibus simul collectivè per totam vitam, vel pluribus difficilioribus, & diuturnioribus, verum etiam cuilibet gravi imminenti pro tempore illo quo imminet, nos non posse resistere sine adjutorio divino. Quod in ipso evidens est; nam ad hoc clarissimè proponendum atque docendum illa verba adhibuit *in eodem libro cap.* 69. dicens, *eo quippe ipso quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Ecce apertissimè difficilia sine gratiæ auxilio efficere non possumus; non ergo possumus difficilem vincere tentationem sine gratiæ auxilio.

70 Tertiò *libro 4. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 9. Multa ex sanctissimo illo martyre Cypriano inducit, qui docet nos gravi aliquo occurrente delicto, gravique ac vehementi aliqua urgente tentatione minus ex imbecillitate ac infirmitate nostra esse ad illi resistendum, sed petere à Deo adjutorium, ut resistamus; sed quod magis est, etiam loquitur de hominibus in gratia constitutis, in quibus latè docet postulari adjutorium, ut illi gravi delicto tentanti resistamus, verba illius sunt. *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes, & non communicantes à cœlesti panè prohibemur, à Christi corpore separemur.* Ecce Cyprianus à Sancto Augustino inductus atque laudatus, clarius docet quod quotidie petere debemus, ut Deus nobis sacram det Eucharistiam, ne ab illa cessantibus aliquod interveniat grave delictum, vel gravis tentatio aliqua, qua à Christi corpore separemur, ad quæ verba sic subdit S. Augustinus. *Quid tam libero arbitrio constitutum quam quod lex dicit, non adorandum idolum, nec mœchandum, non homicidium perpetrandum? Ista autem sunt, atque hujusmodi crimina, qua si quisquam commiserit, à corporis Christi communione removetur. Et tamen si beatissimus Cyprianus his non committendis existimaret nostram sufficere voluntatem, non sic intelligeret quod in oratione dominica dicimus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ut hoc nos petere asseveraret, ne intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes & non communicantes à cœlesti panè prohibemur, à Christi corpore separemur.* Manifestum est ergo utrumque sanctum Doctorem docere nos non sufficere ex nobis sine gratiæ adjutorio ad non adorandum idolum, cum gravis urget tentatio; nec ad nō mœchandum, cum vehemens præmit concupiscentia; nec ad non homicidium committendum, cum fortis extat occasio seu provocatio; non ergo potest homo ex se sine gratiæ auxilio gravi occurenti alicui delicto, vel gravi urgenti alicui tentationi resistere. Vndè addit consequenter idem Cyprianus, & *citato loco* refert S. P. Augustinus. *Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur imbecillitatis & infirmitatis nostra; cum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat; ne quis aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit; vigilate & orate ne veniatis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; ut dum precedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Cui sententiæ nihil potest esse magis contrarium, quam quod homo sine Dei adjutorio cuilibet in singulari possit resistere tentationi, qui enim sic sentit imbecillitatem & infirmitatem arbitrij non cognoscit, nec illius admoneri nos sentit, cum orandum nos veritas docuit, ne nos inducas in tentationem. Ipseque est sine dubio qui se insolenter extollit; & superbè atque arroganter sibi assumit, quod quamlibet gravem vehementemve tentationem rejicit; nec solum dat Deo; sed potius totum illud quo tentationem & peccatum superat, sibi arripit.

Præterea *libro de gra. & lib. arbit. cap.* 4. postquam 71
docuit quod victoria, qua peccatum vincitur, est donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium, post pauca subdit. *Quid verò evidentius quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset salvator noster, vigilate ne intretis in tentationem, admonuisse videretur tantummodo hominis voluntatem; cum verò addidit, & orate, ostendit Deum adjuvare ne intretur in tentationem.*

Sed huic respondet auctor, cum quo agimus, vigilandum solum esse, non autem orandum ad quamlibet in singulari vincendam gravem vehementioremve tentationem; cum illam non ex auxilio divino, quod petere debemus, sed ex solis viribus rejiciamus arbitrij. Quod illi testimonio ex Christo Domino inducto, & orationi dominicæ qua oramus, *ne nos inducamus in tentationem*, non potest non esse contrarium.

Tandem *libro de perfectione justitiæ cap.* 19. *Hic* 72
verò, inquit, *quamumlibet isti se obtegant, aperiuntur. Declarant enim se contra Dei gratiam vel misericordiam disputare, quam volumus impetrare, cum dicimus fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita & in terra; vel ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Vt quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, & non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit nisi divinitus adjuvetur. Hæc est fidei sanitas, qua nos facit quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam sermonibus meis.* Nec ego plura adhibere volo S. P. Augustini testimonia de re tanta, quia melius ea committo libros illius legentium oculis, quam inductionibus meis, solum adverto, ut hanc notabilissimam Sancti Patris & Doctoris comminationem attendant, qui contra Dei misericordiam & gratiam sibi sufficere posse contendunt ad resistendum cuilibet gravi vehementiorique tentationi, etiamsi pro servanda naturali lege mors sit toleranda.

Pauca quædam post Sanctum P. Augustinum 73
perpendam ex discipulo ejus Sancto Prospero, eximio etiam post ipsum defensore gratiæ, quibus penitus illius auctoris doctrina supra relata confundatur. Primò Sanctus Prosper *contra collectorem capite* 35. illa verba habet. *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo, quoniam custodit Deus animas sanctorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos.* Quisquis, ait, in tribulatione non deficit, non ait, in tribulationibus, ne ad plures isti recurrant, doctrinam sanctorum retorquentes, sed in tribulatione, ait, ut ostendat ad quamlibet in particulari tribulationem sustinendam indigere quemlibet auxilio divino, nec posse dubitare per illud se tribulationem talem supportare. 74

Deinde in *Epistola ad Rufinum* agens de tentatione Petri, qua Dominum negavit tentationi succumbens, quam constat non multiplicem fuisse, nec diu durasse, sic ait; *Sed ne libero arbitrio videretur*

Digitized by Google

retur ſtare, qui de ſe magna promiſerat, permittitur periclitari, ut conturbatum ac deficientem ille reſpiciat, & reficiat, ſine quo nemo conſiſtit, nemo perſiſtit. Ecce clariùs docet hanc illam unam tentationem ad vocem mulierculæ unius cauſatam non potuiſſe repellere Petrum ſolis viribus ſuis, in quibus confidebat, & de quibus præſumpſerat. Imò ideo ei negatum fuiſſe adjutorium, quo illam vincere debebat, quia de ſuo arbitrio & de illius viribus, & non de Dei auxilio, in quo ſolo vincere poterat, inaniter præſumpſerat.

75 Præterea in *reſponſione ad 7. objectionem gallorum* inquit: *non eſt calumniandum Deo, quare iſtis non dederit, quod aliis dedit; ſed confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe, quod dedit; & juſtè non dediſſe, quod non dedit; ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur cauſa habendi; ita ex ipſo videatur, & ſtandi, cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.* Igitur cum urgens aliqua tentatio premit in particulari quod homo labatur, humano fit opere, quod autem ſtet, & illi reſiſtat, divino impletur auxilio.

76 Sanctus Baſilius *lib. moral. ſummarum ſumma 62. & 63. Oportet,* (ait) *ad tempus ab inſidiantibus diſcedere, ubi tamen quis permiſſus eſt in tentationem incidere: eventum, ut ſuſtinere poſſit, & voluntatem Dei per orationem petere.* Quomodolibet ergo permittatur quis in gravem aliquam incidere tentationem, debet adjutorium à Deo petere, ut poſſit ſuſtinere, ſecundùm Baſilium non ergo poterit ſemel permiſſus tentari aliqua gravi tentatione, illi ſine Dei adjutorio, reſiſtere, quod propterea, cum ſe videt tentari, debet à Deo poſtulare.

77 Sanctus Chryſoſtomus hoc docet clariùs *homil. 24. in 1. ad Corinth. ſunt* (ait) *tentationes quæ ferri non poſſunt. Et quæ ſunt hæ omnes, ut ſemel dicam, poſſe enim ferri ſitum eſt in Dei nutu, ſi per noſtram mentem eum attraxerimus. Quam ob rem ut videas, & dicas, quod non ſolum illas, quæ noſtram ſuperant poteſtatem, ſed nec humanas, licet facilè ferre abſque divino auxilio ſubjunxit, ſed etiam faciet cum tentatione proventum, eſt poſſitis ſuſtinere; nam ne illas quidem moderatas ac mediocres, ſicut dixi, propria virtute feremus, ſed in his quoque ejus egemus auxilio, ut eas pervadamus, & priuſquam pervadamus, feramus.* Vbi nullam tentationem nedum vehementem, ſed moderatam & mediocrem dicit nos poſſe ſine divino auxilio ſuſtinere. Notandum tamen, quod omnem humanam tentationem, vocat parvam, moderatam & mediocrem reſpectu aliarum, quæ totaliter ſuperant noſtram facultatem; licet illæ mediocres etiam in ſe graves ſint: quia multæ humanæ tentationes revera ſunt graves, licet comparatione aliarum vehementiſſimarum parvæ cenſeantur.

78 Sanctus Ambroſius in pſalm. 43. *Quis,* (inquit) *eſt tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat.*

79 Sanctus Gregorius magis apertè de qualibet tentatione in particulari loquens, inquit, *lib. 9. Moral. cap. 29. Qui aptè reduci in pulverem dicitur, quia dimiſſus ſibi, cujuſlibet tentationis aura raptatur.* Notandum verbum (*cujuſlibet.*) Et *in 3. pſalm. pœnitentialem* explicans illud, *ne derelinquas me Domine Deus meus*, ait: *Illos procul dubio Dominus relinquit, quibus conſtantiam in tribulatione non tribuit. Neceſſariò enim ſequitur, ut omni tentationi ſit ſubditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.* Si derelictus à Deo ideſt ſine ejus auxilio, omni tentationi ſubditus homo: ergo nulli in particulari per ſe ſolum poteſt reſiſtere. Si cujuſlibet tentationis aura mutatur homo ſine adjutorio Dei, ergo nequit cuilibet vehementi & gravi ſe ſolo reſiſtere. Procul dubio apertiſſimè S. Gregorius hanc iſtius authoris ſententiam quaſi prævisam detruncat.

CAPVT VII.

Rationibus oſtenditur non poſſe hominem ſine gratiæ auxilio quamlibet gravem tentationem ſuperare.

NOn plures modò ſunt adhibendæ rationes, 80
quia à principio libri hujus uſque nunc plurimæ ordinatæ fuere ad oſtendendum, tum in generali, tum etiam in particulari, non poſſe hominem in natura lapſa ſine gratiæ adjutorio difficilia opera moralia bona ad bonum finem, & cum debitis circunſtantiis operari: potiſſimè egregia illa dilectionis Dei authoris naturæ ſuper omnia, & contritionis de peccatis propter eundem Deum authorem naturæ ſummè dilectum: ſed nec deſunt propriæ quæ ſuadeant, non poſſe talem hominem lapſum ſolis viribus ſuis ſine auxilio gratiæ alicui gravi & vehementi tentationi reſiſtere, prout Scripturæ ſacræ inducta teſtimonia, Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum tradiderunt & tradunt.

Quarum illa pro fundamentali habenda eſt, qua 81
ſemper Sancti Patres uſi ſunt in ſubſtantia. Homo lapſus multò magis infirmus eſt, & imbecillis ad bene operandum, & ad reſiſtendum malo, quam ſi per peccatum lapſus non eſſet: ergo aſſignandum eſt opus aliquod quod non poſſit homo lapſus ſolis ſuis viribus efficere, bene tamen homo non lapſus. Antecedens Sanctorum Patrum & Conciliorum doctrina eſt, atteſtantium hominem lapſum per peccatum originale infirmum manſiſſe & extenuatum viribus ſuis ad bonum efficiendum; quam infirmitatem & virium extenuationem ut potè ex peccato per ſe ſequutam, & cum illo connexam, non conſtituunt in homine non lapſo, & oppoſitum aſſerere eſt re ipſa non admittere liberum hominis arbitrium per peccatum originale infirmum manſiſſe & extenuatum, ut copiosè in primo noſtro libro dedimus manifeſtum, & ex conſequenti ut etiam ibi probatum fuit, eſt negare originale peccatum veram culpam eſſe; cum omnis vera culpa à Deo avertens liberi arbitrij vires ad bonum diminuat atque extenuet. Conſequentia eſt manifeſta, quia homo non infirmus, ſed in ſuis viribus ſanus aliquod opus efficere poteſt, quod non poteſt notabiliter infirmus; ut etiam in corporali infirmitate notum eſt; igitur aſſignandum ex neceſſitate eſt opus, quod efficere valeat ſolis viribus ſuis liberum arbitrium non lapſum, per peccatum, nequeat tamen facere liberum arbitrium per peccatum lapſum & infirmum; ſed nullum eſt tale ſignabile niſi opus in ſingulari difficile & arduum: ergo ex neceſſitate dicendum eſt quod illud efficere poteſt in ſingulari non homo lapſus, non autem qui per peccatum eſt lapſus: ergo ex neceſſitate eſt concedendum potuiſſe hominem non lapſum cuilibet gravi & vehementi tentationi reſiſtere: non autem poſſe ei reſiſtere hominem lapſum ſolis viribus ſuis. Hoc ſecundum antecedens probatur. Homo non lapſus, ut potè ſi in puris naturalibus conditus fuiſſet, non poſſet ſolis viribus omnibus ſimul collectivè tentationibus reſiſtere, nec pluribus difficilioribus & diuturnioribus; ut etiam Authores cum quibus agimus ſuſtinent, & communis tenet Theologorum ſchola, quæ docet ad id oportere adjuvari hominem illum auxilio gratiæ: poſſet tamen cuilibet

Digitized by Google

libet in particulari ſolis ſuis viribus reſiſtere: ergo cum homo lapſus non poſſit omnibus vel difficilioribus & diuturnioribus reſiſtere, ſi poteſt cuilibet in particulari graviori, & difficiliori contradicere, par eſſet cum homine non lapſo, æquales cum illo vires haberet ad omne opus efficiendum, nec aliquod eſſet ſignabile opus bonum quod non poſſit ſolis ſuis viribus operari, ac homo non lapſus.

82 Confirmatur, quia exemplum illud de homine infirmo in corporalibus, & de homine itidem ſano, quo S. Thomas & Theologi communiter utantur in hac materia ad exponendum aliquid boni poſſe efficere liberum arbitrium in natura ſana, quod efficere non valet ipſummet in natura lapſa atque corrupta: non ſolùm oſtendit liberum hominis arbitrium lapſum non poſſe omnibus ſimul tentationibus collectivè, vel pluribus difficilioribus & diuturnioribus reſiſtere ſolis viribus ſuis, ſed etiam manifeſtat non poſſe alicui gravi vehementique tentationi in ſingulari reſiſtentiam facere. Quia notum eſt hominem in corpore notabiliter infirmum non ſolum non poſſe tot paſſus ac hominem ſanum perficere, ſed nec unum quidem ſingularem & ſolum magnum ſeu difficilem peragere; ſimiliter nedum non poſſe multa pondera diu ſuſtinere: ſed nec ad horam poſſe, vel pro aliquo inſtanti aut brevi tempore aliquod magnum pondus è terra elevare: quod tamen poſſet ſi ſanus eſſet ac viribus integris. Igitur Theologi, qui communiter prædicto exemplo utuntur, eodem ſine dubio aperiunt, & docent liberum hominis arbitrium per peccatum lapſum & infirmum, non ſolùm non poſſe omnibus ſimul collectivè, vel pluribus tentationibus difficilioribus & diuturnioribus reſiſtere; verum docent nulli in particulari graviori, & diuturniori poſſe reniti ſolis viribus ſuis infirmis, niſi adjuvetur à gratia. Imò quod magis eſt, ſi inductum illud exemplum attendatur, hoc ſolùm probat, hoc aſſerit, hoc tantum manifeſtat, quod videlicet hominis arbitrium lapſum per peccatum non poteſt alicui gravi & vehementiori tentationi reſiſtere, vel aliquod difficile & arduum bonum opus exercere, & ad hoc ſignanter adducitur; docet namque quod ſicut homo corpore infirmus non poteſt efficere, quod ſanus; ita infirmum arbitrium per peccatum nequit facere quod ſanum, ſed ſanum ſolis ſuis viribus poteſt tantum efficere opus aliquod arduum in ſingulari, & cuilibet in ſingulari tentationi reſiſtere, non omnia collectivè vel plura ardua & diuturniora ſolis ſuis viribus non poteſt: ergo infirmum arbitrium per peccatum ſolis ſuis viribus non poterit opus aliquod arduum facere, vel alicui difficili tentationi in particulari reſiſtere.

83 Præterea, quomodo dicitur poſſe hominem lapſum ſine gratiæ aliquo auxilio ſolis viribus ſuis cum ſolo generali concurſu Ordinis naturalis quamcumque gravem & difficilem tentationem in particulari vincere, etiam ſi hac de cauſa mors ſit toleranda: cum in hoc non ſolùm ponatur, quod homo tentationi vehementi reſiſtat, ſed quod magis eſt, quod illam vincat; imò quod eſt intollerabiliùs, quod illam meritoriè ſine aliqua gratia ſuperet. Et inſuper ponatur quod omnes ſimul collectivè in illa una vincat; ac tandem quod naturæ viribus Martyr evadat, quæ apertiſſimè ex hac propoſitione ſeu aſſertione conſequuntur. Vnde cum iſti authores, cum quibus iſta tractamus, prout in ſuperioribus ex ipſis relatum eſt, non dubitent confiteri Pelagianam eſſe hæreſim manifeſtam aſſerere, poſſe hominem ſine omni auxilio gratiæ omnes tentationes collectivè vincere, ſeu plures difficiliores & diuturniores, vel aliquam meritoriè, & omnia iſta tria ex hac illorum aſſertione manifeſtè convincantur, velint nolint illa tria, quæ voce negarunt, reipſa tenere atque docere cenſentur. Quomodo ergo non vident ſe in illud damnatum, quod & damnatum fatentur, incidere; cum dicunt poſſe hominem ſolis viribus ſuis quamlibet gravem & vehementem tentationem vincere pro ſervanda lege naturali etiam ſi pro illa ſervanda mors eſſet tolleranda? Si enim hoc viribus ſolius naturæ poteſt, poteſt abſque dubio ita legem naturæ ſervare pro illo tempore brevi: ergo poteſt omnia ejus mandata ſervare collectivè, & omnes collectivè tentationes vincere, & meritoriè in ordine ad æternæ vitæ præmium. Vt autem hoc clariùs innoteſcat, ſit caſus quod tentetur quis ut neget unum eſſe Deum, & plures eſſe fateatur; alias ſit interficiendus, hanc gravem & vehementem tentationem pro brevi tempore, dicit ſententia quam impugnamus, quod poteſt homo ille ſolius naturæ viribus vincere pro ſervanda lege naturæ quæ docet unum eſſe Deum: ergo poteſt viribus naturæ mori pro uno confitendo Deo naturæ authore: ergo ex amore illius Dei authoris naturæ ſuper omnia dilecti poteſt naturæ viribus mori: diliget enim ipſum pluſquam ſeipſum, & ex conſequenti ſuper omnia: ergo in illo unico actu dilectionis Dei ſuper omnia ita efficaci, ut morti ſe tradat, omnem ſervat legem naturæ, & omnes ſuperat collectivè tentationes, quæ ſe poſſent offerre: ergo pro illo brevi tempore totam ſervat legem naturæ. Patet quia in illo unico actu tota lex naturæ conſiſtit, ut ſupra, cum de dilectione Dei ſuper omnia egimus, pleniùs probatum eſt; ſi autem tota lex naturæ ſervatur, omnia ejus ſimul mandata collectivè ſervantur; & ſi omnia collectivè ſervantur mandata omnes collectivè tentationes, quæ ſunt contra mandata, ſuperatæ ſunt. Igitur manifeſtum eſt, quod ille talis non ſolum reſiſtit, ſed vincit in illa una tentatione, quæ virtute omnes comprehendit tentationes, quæ collectivè poſſent homini offerri, & non ſolum plures, & diuturniores. Cum ergo vel plures vincere, vel omnes ſimul (ut fatentur) ſit ſine dubio in Pelagio damnatum, in hoc ſi advertere volunt, re ipſa illa ſua aſſertione reincidunt.

Quod autem intendant ij Authores poſſe homi- 84
nem pro brevi tempore ſuperare, quamlibet tentationem pro ſervanda lege naturæ, non illationes noſtræ (licet & ipſæ evidenter id deducant,) ſed illorum plana verba teſtantur, quæ talia ſunt. *Poteſt homo lapſus ſine gratia ſuperare quamlibet magnam tentationem, ac difficultatem, quam pro ſervanda in eo inſtanti lege naturæ neceſſe ſit vincere, etiam ſi ea de cauſa mors ſit tolleranda.* Apertè ergo dicit, quod pro brevi tempore poteſt ſervare legem naturæ; idem autem eſt ſervare legem naturæ, cum ſine aliquo addito propoſito profertur, & ſervare totam legem naturæ, nam ſi tota non ſervantur, nec lex naturæ ſervatur. Sicut ſi quis diceret, *iſte homo ſervat Chriſti Domini legem*: ſine dubio aſſereret, quod omnem ſervat; alias Chriſti legem non ſervaret, ſi in aliquo eam tranſgrederetur. Vnde conſultò Author illius aſſertionis non dixit, quod pro illo inſtanti ſervat ille homo aliquod legis mandatum, vel aliqua ex parte legem naturæ, vel partem illius, ſed abſolutè, & ſimpliciter protulit, quod poteſt pro illo brevi tempore ſervare legem naturæ, intelligens planè, quod ſimpliciter ſervet legem in nullo eam tranſgrediendo, ut potè quia vidit aliquam poſſe eſſe tentationem circa aliquod univerſale principium, ex quo tota lex naturæ dependeat, ita quod illud ſervando, & contrariam tentationem vincendo,

Digitized by Google

vincendo, totam ſervet naturæ legem ſicut in argumento expoſuimus.

85 Explicatur hoc ipſum magis ex aliis verbis ejuſdem Authoris, nam ille *diſput. 17. in fine §. quarta concluſio*, ſic dicit. *Homo in ſtatu naturæ lapſæ extra gratiam gratum facientem, nec totam legem naturalem, quæ ſub culpa lathali obligat, nec partem, quæ notabilem habet difficultatem, poteſt dici ſervare abſque ſpeciali auxilio Dei.* Contra quam eadem verba repetere poſſumus, quæ in ſimili caſu olim poſuit S. Auguſtinus. *Nunquid non erat integer ſenſus, etiam ſi non apponeret illud verbum diu?* Quare ergo illud interpoſuit, niſi ut ſignificaret, quod licet per longum tempus, non poſſit homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ ſervare, vel totam naturæ legem vel partem illius quæ notabilem contineat difficultatem, vel omnes aut plures difficiliores tentationes vincere; poteſt tamen omnia iſta per breve tempus efficere. Quod amplius ipſe manifeſtavit in principio *diſ.* 19. dicens quod tribus prioribus egit, non poſſe hominem ſervare totam legem aut aliquam ejus partem continentem notabilem difficultatem per longum tempus. Vnde quod tunc inquirebat, *an interim dum rationis uſus non abſorbetur, poſſit homo pro quolibet temporis momento, & non per tempus longum ſuperare, quamlibet magnam tentationem, & difficultatem quam pro ſervanda lege naturali pro illo inſtanti neceſſe ſit vincere.* Ecce totam differentiam conſtituit in longo, vel brevi tempore aſſerens, quod totam legem, aut partem illius difficilem, non poteſt homo implere tempore longo; bene tamen poteſt ſervare legem tempore brevi. Sentit ergo manifeſtè, quod brevi tempore, nedum partem legis notabilem habentem difficultatem, verum totam ipſam legem poteſt ſolis naturæ viribus adimplere, implendo videlicet magnum aliquod ſingulare præceptum, & vehementem appoſitam tentationem vincendo, in quo virtute tota lex & ejus adimpletio contineatur, quale eſt illud dilectionis Dei Authoris naturæ ſuper omnia, ex illius amore tentationem, quamlibet vincendo, etiam ſi mors pro ſervatione talis legis naturalis ſit tolleranda.

Amplius id ipſum ex fundamento, quod adhibet, & in quo totus fundatur, ad hanc tradendam doctrinam, convincitur, quod & tale eſt ſæpiùs ab ipſo repetitum. Quod videlicet omne id poteſt homo in natura lapſa ſine gratia efficere, quod poterat homo, ſi in puris naturalibus conderetur; ſed homo ſi conderetur in puris naturalibus poſſet pro brevi tempore quamlibet gravem, & vehementem tentationem, ſuperare pro ſervanda lege naturali, quam etiam totam poſſet ad brevè ſervare, ut omnes fatentur; ergo ſentit quod homo lapſus ad brevè tempus id poteſt, ſuperando quamlibet vehementem tentationem, quam neceſſe ſit vincere pro ſervanda lege naturali, quam pro indè ponit poſſe ab illo ſervari, pro illo brevi tempore ſed etſi non dicat, abſque dubio hoc illius principium convincit ipſum ſic ſentire, & hanc illius fuiſſe ſententiam quam ſi attendere volumus, nec obſcuris verbis expreſſit ut expoſitum eſt.

86 Conceſſo ergo quod error Pelagianus non fuerit poſſe hominem ſolis viribus ſuis, quamlibet in particulari gravem tentationem ſuperare; conceſſo, inquam, hoc gratis (cum ex Concilijs, Summis Pontificum diffinitionibus, & ſanctis Patribus oppoſitum ſit in ſuperioribus oſtenſum) ſed ſolum illum errorem fuiſſe, poſſe hominem omnes tentationes ſimul, vel plures difficiliores, & diuturniores diu ſolis ſuis viribus ſuperare, convincitur ex ratione modo inducta, cum tribus informationibus ſuis, qui ex proprijs verbis & principijs illius Authoris, cum iſta tractamus, deſumptæ ſunt, ipſum in eundem damnatum errorem incidere, dum pro brevi tempore ſtatuit hominem lapſum, quamlibet difficilem tentationem, poſſe ſuperare, quam neceſſe ſit vincere pro ſervanda lege naturali. Conſtat ergo illum aſſeruiſſe, non ſolum poſſe hominem reſiſtere, ſed etiam vincere pro brevi tempore omnes tentationes ſimul unam videlicet ſuperando, in qua omnes, quæ poſſunt occurrere, præhabentur, & unum tale legis naturæ mandatum ſervanda, in quo omnia virtute continentur, & ex quo univerſa lex pendet, ut probatum eſt. Nec attendendum eſt in hac materia, & cauſa tam ad verba, quam ad rem ipſam, quia proprium eſt erroris hujus (quod ſemper ex ſancto Hieronymo ad Cteſiphontem, ex ſancto Patre Auguſtino & Proſpero duximus advertendum) aliud re fateri, aliud verbis dumtaxat exterius publicare; Vel potius ad verba omnia eſt attendendum, diligentius; quia quod in aliquibus negari videtur, vel obſcurè proponi, in alijs propalatur, ut ex relatis viſum eſt.

CAPVT VIII.

Quod recentiorum ſententia ſtatuat hominem lapſum ſine gratia meritoriè vincere tentationes.

ILlud autem aliud quod propoſuimus, etiam con- 87
vincere hujuſmodi ſententiam, quod ſtatuat hominem lapſum ſine gratiæ auxilio vincere poſſe aliquam tentationem meritoriè ex eiſdem principijs ſic concluditur: ſtatuit hæc ſententia poſſe lapſum hominem ſine auxilio gratiæ taliter vincere poſſe quamlibet gravem, & difficilem tentationem, ut ſervet naturæ legem pro illo brevi tempore ut dictum eſt; Qui autem poteſt pro brevi tempore legem naturæ ſervare, poteſt eſſe juſtus, cum ille ſit juſtus, qui legem naturæ ſervat. Si eſt juſtus (ut inquit S. P. Auguſtinus) debet eſſe de præmio æternæ vitæ ſecurus (ſicut plenius ex ipſo S. Patre in fine tertij libri notum dedimus, ad quem lectorē remittimus) ſi enim Deus juſtus & bonus eſt, & homines juſti, & ſervantes legem naturæ debent eſſe de præmio æternæ vitæ ſecuri, de eodem præmio, ſecurus erit qui vincit tentationem magnam, pro ſervanda lege naturæ, & ita vincit ut pro illa ſervanda mortem ſuſtineat. Si autem ſecurus debet eſſe de præmio, æternæ vitæ procul dubio illud meretur, & ex conſequenti tentationem meritoriè vincit.

Inſuper probatur, ſeu magis explicatur: quia ille 88
ſuſtinet mortem (ut aiunt) ne legem naturæ tranſgrediatur, ergo ex amore legis naturalis, & Authoris legis patitur; ergo plus tunc in illa occaſione poſitus diligit legem & Authorem illius, quam propriam vitam, & ſic propter legem, & propter Deum patitur, ergo meritoriè tentationem patiendo vincit. Nam ex natura hujus actus, quo pro lege & Authore ejus moritur; debet illi Deus ſuam dare gratiam & gloriam; ergo gratia illa cadit, ſub priori merito naturæ, unde meritoriè vincit tunc tentationem.

Vltimum quod reſtat probandum videlicet quod 89
ille homo ſic tentationem vincens moriendo pro ſervanda lege naturæ ſit martyr viribus ſuis, præter modo dicta ſic oſtenditur, quia ſecundùm S. Thomam 2.2. *quæſt.* 124. *art.* 8. ſufficiens cauſa martyrij, eſt mori pro veritate naturali: Ergo multò magis ſufficiens erit mori pro ſervanda lege naturali, ex amore illius & Dei Authoris ejus, ſed reſpondent negando

Digitized by Google

negando quod ille sit martyr, quia ad rationem martyrij, non satis est exponere vitam pro servanda lege naturæ, aut pro ipso Deo Authore naturæ, aut pro aliquo actu virtutis sed necessariò requiritur, ut vita exponatur, vel pro actu virtutis, vel pro servanda lege, vel pro Deo ipso ex amore & charitate supernaturali, ut patet ex illo Apostoli 1. *ad Cor.* 13. *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Cæterùm evasio ista nulla prorsus est, nec facti argumenti vim evacuat: Primò quia licet si quis moreretur & traderet corpus, ut ardeat sine charitate puta moriendo ob inanem gloriam, sicut aliquos ex gentilibus fuisse legimus; vel si traderet corpus ignibus simul habendo affectum peccati mortalis ille talis martyr non esset, nec aliquid sibi mors illa prodesset, ut inquit Apostolus illo testimonio. Nihilominus non est admittendum, quod aliquis pro actu alicujus virtutis, puta castitatis, vel pro servanda lege naturæ, vel pro non committendo peccatum contra Deum, vel ex amore Dei Authoris naturæ mortem perferat, & quod sit sine charitate. Tale enim excellentissimum, & omnium arduum & difficillimum opus efficere vitam propriam tradendo, ex charitate procederet. Imò etiam si aliàs in peccato, vel peccatis esset, cum sic pro non committendo alio peccato vitam exponeret, & mortem sustineret bona fide, & nulla mala apposita circumstantia, ille talis formalem vel saltem virtualem pœnitentiam, & contritionem haberet, (ut etiam Author, cum quo ista tractamus fatetur) ergo ille talis verè martyr esset, quia ex charitate pro bono virtutis pateretur. Itaque sicut legem naturalem omni ex parte implere sine charitate supernaturali non sit, ita & mortem sustinere pro illa servanda sine charitate non sit. Vnde, qui sic pro illa pateretur, ex charitate pateretur, & verè martyr esset, ut Sanctus Thomas *citato loco ex* 2. 2. Præterea ad hoc propositum sicut ad multa alia notanda est insignis illa doctrina Sancti Patris Augustini, *libro de natura, & gratia cap.* 2. ita dicentis. *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita eterna etiam si in aliqua gente aut in aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ, si eis non est annuntiatũ sacramentum divinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne.* Et post pauca iterum loquendo de gentili vel populo, cui Christi fides est revelata subdit. *Quid faciet humana natura, vel quid fecit, qua vel ante non audierat hoc futurum* (nempe mysterium Christi,) *vel adhuc non comperit factum; nisi credendo in Deum qui fecit cœlum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico quod de lege dixit Apostolus: ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Iudæorum, quantò justius dicitur, de lege natura, quam accepit universum genus humanum? si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est: ergo omnis humana natura, justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est vindicta nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Hæc Sanctus Pater & Doctor Augustinus. Quibus duo manifestè docet, & ex Apostolo probat: alterum absolutum, & conditionatum alterum. Absolutum est: *Nulla gens, nullus populus, nulla persona ex parente prævaricatore descendens potuit vel potest legem naturæ implere & justitiam naturalem perficere sine fide Christi:* secundum conditionatum est: *si aliqua gens, populus vel persona sine fide Christi, vel aliquando potuit, vel modo potest legem implere naturæ & perficere justitiam, quæ in ipsa præcipitur, debet esse de præmio eterna vitæ securus.* Si, inquam, per solam cognitionem quam naturalem habet de Deo factore cœli & terræ, talem potest naturalem perficere justitiam. Sed videntes aliquando ij Authores se hac Sancti Patris Augustini doctrina expugnari, excogitaverunt illam sic explicare, ut corrumperent. Dicebant enim Sanctum Augustinum asserere quod si gens aliqua fecisset justitiam, naturalem non ex fide Christi, sed ex fide Dei illa deberet esse secura de præmio æternæ vitæ explicantes illud S. P. Augustini verbum, *credendo in Deum, qui fecit cœlum & terram.* Ecce dicebat requirit fidem Dei in illo. At quam frivolum hoc dictum fuerit, & sic manifestum fuit omnibus, quia per illud verbum, *credendo in Deum factorem cœli & terræ,* nullam supernaturalem fidem intelligit S. Augustinus, sed naturalem cognitionem Dei authoris naturæ, quam & fidem appellavit, id est assensum, quo assentitur Deo authori naturæ. Et quod iste sit Palmarius sensus patet, quia statim explicuit, quod de naturali cognitione Dei authoris naturæ loquebatur subjungens, *à quo naturaliter se factam cognoscit.* Secundò, quia *sine fide Christi,* ait Augustinus, *ille justificaretur.* At si de supernaturali fide aliqua esset sermo, non diceret, nec dicere posset illam non esse fidem Christi, quia sine dubio fides Christi esset implicita; & rursus dici non posset, quod illa non haberetur ex meritis Christi, sicut S. Pater Augustinus affirmat, nec dicere potuisset, quod Christus gratis mortuus est, quia necessaria esset illius mors ad illam fidem supernaturalem, qualiscunque illa esset hominibus danda; igitur manifestum est, quod de nulla fide supernaturali loquitur, sed de cognitione naturali Dei authoris naturæ, quæ si sufficeret ad perficiendam justitiam Christus gratis mortuus est.

Sic ergo & nos modò dicimus, si potest persona 90
aliqua sine fide Christi, utpotè cui nihil de Christi fide est revelatum, vincere quamlibet gravem, & vehementem tentationem, moriendo pro servanda lege naturæ, & pro bono justitiæ naturalis, ne videlicet talem legem transgrediatur, debet & ipsa de præmio æternæ vitæ esse secura, & Christus gratis mortuus esset; sed quia gratis mortuus non est, non potest sic pro servanda lege naturæ mortem sustinere; Parique ratione si potest fidelis peccator sine aliquo gratiæ auxilio pro servanda lege naturæ mori, etiam & ille debet esse de præmio æternæ vitæ securus. Vndè gratiam ex merito tali deberet, accipere ut gloriam consequeretur, & sic jam gratia sub merito caderet.

Quod autem hoc sit manifestum idemmet author expressus fatetur, qui contendit quod non solùm facienti, quod in se est, verum conanti facere, quod in se ex certa lege Deus gratiam tribuit, ut illud opus faciat prout ad salutem oportet. Multò ergo magis non solùm conanti facere, sed facienti, quod in se est tam eximium opus, ut mortem sustineat pro non committendo peccato seu pro servanda lege naturæ Deus certa lege dabit gratiam, ut illud opus faciat, prout ad salutem oportet, & sic per martyrium opus consummabit, ut dictum est quod martyrium si jam non completivè habetur, ex solo homine illo saltim initium ejus, ex ipso solo est & consummatio illius ex Deo, quod in eundem damnatum Pelagianum errorem relabitur.

Concludamus ergo cum ista sententia sicut San- 91

Digitized by Google

ctus Prosper contra eamdem in Cassiano concludit *libro contra collat. cap.* 34. loquens enim de gravissimis tentationibus, quas patientissimus Iob pertulit, quasque Cassianus viribus suis Iob superasse contendebat; ait. *Si ergo hac magnitudine animi, quam illata per singulos, omnesque artus tot mortium pœna non superat, nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil invenitur illustrius, eamque asseris ex humana tantùm virtute subsistere, quid erit laudis ac meriti quod inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti?* Si, inquam, hanc magnitudinem animi, quam illata ipsa mors, (quæ omnium terribilium terribilior est) nec flectit, nec superat sed eam fortiter è contra animus ipse vincit ne legem naturalem transgrediatur, nevè peccatum aliquod adversùs eam committat, qua nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil invenitur illustrius, asserit ex humana tantum virtute subsistere, quid erit laudis ac meriti, quod inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis, de suis viribus author iste coronavit? Certè si alicui potest persuadere per naturalem arbitrij facultatem, tam arduum certamen posse devinci, & mortem potius sustinere hominem posse, quam legem transgrediatur naturæ, nec poterit dubitare in levioribus causis; qualis omnes sunt mortis respectu, multo faciliores esse bonæ voluntatis affectus, atque ita in illius damnatæ sententiæ foveam cadet, quia fuit dictum antiquitus ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium facilius possimus implere, per gratiam tanquam, & si gratia non daretur non quidem facile, sed tamen possemus tentationes omnes superare, & omnia implere divina mandata.

CAPVT IX.

Argumenta oppositа diluuntur, quæ ex S. P. Augustino opponebantur.

92 TEmpus est, ut ad objecta in contrarium respondeamus, quæ in superioribus opposita sunt. Quorum omnium illud fuit potissimum fundamentum, quod sicut Achile objiciebatur, quod si homo in quolibet instanti positus solis suis viribus non potest quamlibet tentationem gravissimam, etiam ubi mors imminet, superare, tunc pro illo instanti libertatem non haberet, & sic peccato cedens non peccaret, quia non posset aliud efficere, sed ad sic peccandum astringeretur. Quod tamen argumentum, quam antiquum sit & quomodo à Pelagianis fuerit pro magno sancto Patri Augustino, & alijs sanctis Patribus objectum, & per eos contritum, & sæpissimè comminutum ostendendum est prius, ut Theologi omnes cum illud his temporibus audiunt publicari, manifestè cognoscant è quorum fonte descendat. In primis illud refert S. P. Augustinus sibi oppositum *libro secundo, de peccat. merit. & remiss. cap.* 3. à Pelagio atque Celestio, contra quos illos tres libros scripsit, omnium primos in hac controversia, & causa contra priores illos inimicos gratiæ Pelagium atque Celestium, (inquit S. Doctor) *sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod si nolumus non peccamus nec præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* Ecce ex eo, quod si nolumus non peccamus, id est ex eo, quod libertatem ad non peccandum habemus inferebant illi quod possumus omnia divina implere mandata, & omnes superare tentationes, & per oppositum si non possumus eis resistere, quod libertate ad non resistendum careamus. Quod in terminis modò objicitur, & pro magno etiam celebratur; Ex quo loco sicut argumentum sumpsit author, cum quo ista tractamus, poterat & sumere solutionem, quæ à sancto Patre & Doctore Augustino, ibi sub his verbis traditur; *sed non vident*, inquit, *quod ad nonnulla superanda, vel quæ malè capiuntur, vel quæ malè metuuntur magnis aliquando, & totis viribus opus est, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit* (scilicet Deus.) Vbi primo asserit quod nullus nostrum ignorat, quod si nolumus, non peccamus, & quod libertatem ad peccandum habeamus. Secundò dicit, quod non posse tentationes superare, & divina implere mandata sine gratiæ auxilio non provenit ex defectu libertatis, sed ex defectu virium, quas debiles habet infirma, & attenuata nostra libertas, nec magnis illis viribus, quæ necessariæ sunt ad quædam difficilia, & ardua vincenda utitur ipsa nisi adjuuetur à gratia. Ecce totum fundamentum eversum, & magnum illud reputatur argumentum, & antiquitùs & modo objectum perfectè solutum à S. Patre, & Doctore Augustino. Non ergo ex defectu libertatis, sed ex defectu magnarum virium, quas nisi adjuti à gratia, non adhibebit nostra infirma libertas ad superandam quamlibet difficilem tentationem, provenit quod ipsam sine gratiæ auxilio superare non possit.

Clariùs idem Sanctissimus Doctor & Pater *libro primo ad Bonif. cap.* 2. Iuliani idem omnino argumentum referendo proponit, sub his verbis. *Dicunt*, inquit, *illi Manichæi quibus modo non communicamus, id est, toti isti, cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat benè vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Potest ne clariùs horum authorum argumentum vel strictius ab eis formari, quam à Iuliano primitus oppositum legimus ex eo enim quod Sanctus Pater Augustinus Catholicam tenens doctrinam docebat hominem lapsum sine gratia, non posse abstinere à peccato omnem vincendo tentationem, pessimè inferebant Iulianus, & sui erroris consortes, quod diceret hominis lapsi post peccatum Adæ periisse liberum arbitrium, & quod non possit homo benè vivere, sed quod in peccatum necessitate cogatur, & sine libertate, quod in terminis est idem modo ab authore concordiæ objectum argumentum, cui protinus Sanctus Doctor respondet. *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino; si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, utique liberi ad benè justèque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet: undè & Apostolus; cum essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostenduntur, etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate, servire. Liberi ergo à justitia non sunt nisi arbitrio voluntatis; liberi autem à peccato non fiunt nisi gratia salvatoris.* Ad idem ergo argumentum eandem tribuimus solutionem, antiquo enim argumento antiqua assignanda solutio est, quam nec clariùs possumus explicare: non inquam, dicimus periisse per primi hominis peccatum liberum in humano genere arbitrium, ex eo quod sibi non sufficit ad rectè vivendum, nec ad

tentatio

Digitized by Google

tentationes ſuperandum, nec ad moriendum, pro non tranſgredienda lege naturali. Non dicimus, quod tentatus gravi vehementiorique tentatione ſine auxilio gratiæ ſuccumbens carnis ſuæ neceſſitate cogatur ſine libertate, ſed aſſerimus, quod libertate peccat, libertate conſentit, libertate ſua illi ſuccumbit, & ſuccumbere vult; non dicimus, quod non peccat, ſed cum Sancto Patre Auguſtino aſſerimus, quod verè peccat veréque ei imputatur peccatum. Vndè illatio iſta, quòd in tali caſu non peccet homo nec libertatem in conſentiendo habeat, tam frivola eſt quam antiqua, & in antiquioribus per SS. PP. damnata.

94 Præterea Author Hypognoſticon *lib. 3. cap. 4.* quaſi huic argumento ex profeſſo reſpondens ait. *Per peccatum ergo, liberum arbitrium hominis poſſibilitatis bonum perdidit, non nomen, & rationem liberi arbitrij.* Igitur manet liberum arbitrium, liberum, cum peccat, & tentationi conſentit, quia libertatem non amiſit, ſed poſſibilitatem ad illi reſiſtendum niſi adjuvetur à gratia, quo teſtimonio cum utatur author concordiæ, in ipſa vel in ſolo ipſo videre potuiſſet libertatem arbitrium poſt peccatum habere, & ad bonum, & ad malum, ſed ad malum cum libertate poſſibilitatem, non autem hanc poſſibilitatem habere ad bonum, quam ei debet retribuere gratia.

95 Inſuper S. Thomas *quæſt. 24. de verit. art. 12* clariùs exponit quomodo liberum arbitrium, poſt peccatum, licet non poſſit vitare peccatum, prout jam ſupra expoſitum eſt; verè tamen liberum ſit, & verè liberè peccet, veréque ei peccatum imputetur ſic dicens; *Et ideo quando homini ſic diſpoſito* (id eſt habitualiter peccato inhærenti) *Occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti electioni conveniat, repentè fertur in illud per electionem, niſi multa deliberatione ſe ipſum cohibeat; nec tamen per hoc quod ſic repentè illud eligit, à peccato mortali excuſatur, quod aliqua deliberatione indiget; quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale, qua perpenditur, id quod eligitur, eſſe peccatum mortale, & contra Deum, iſta autem deliberatio non ſufficit, ad retrahendum eum qui eſt in peccato mortali. Non enim retrahitur aliquis ab aliquo agendo in quod inclinatur, niſi in quantum illud ſibi proponitur ut malum; ille autem, qui jam bonum incommutabile repudiavit, pro commutabili bono, non jam exiſtimat, ut malum, à bono incommutabili averti, in quo ratio peccati mortalis perficitur. Vndè non retrahitur à peccando per hoc ipſum, quod advertit aliquid eſſe peccatum mortale, ſed oportet ulteriùs in conſideratione procedere, quoad uſque perveniat ad aliquid quod non poſſit non æſtimare malum, ſicut eſt miſeria, vel aliquid hujuſmodi.* Ad quæ verba ſi parumper attenderet author cum quo iſta tractamus, ab hoc ſuo frivolo fundamento recederet, & videret quomodo ſtet optimè, quod peccator liberè peccet, conſentiendo tentationi gravi, & vehementi, licet eam ſine gratia ſuperare non poſſit, quia libertatem habet ad illi reſiſtendum, ſed minus potentem, & ſufficientem; ad conſentiendum autem ei libertatem habet ad id ſufficientiſſimam, undè verè peccat, quia advertit illud quod committit eſſe mortale peccatum, & contra Deum, & illi vult conſentire, quamvis ex defectu ſuo, ac ex primo peccato non habeat tam vehementem deliberationem, ut eum à peccato poſſit retrahere. Vndè benè Cajetanus in *Comment. ad 1. 2. quæſt. 109. art. 3.* dicit habere peccatorem potentiam remotam, non verò proximam ad graves tentationes vincendas, ideſt habere libertatem, hanc enim vocat ille potentiam remotam, ſed ait non habere potentiam proximam, id eſt ſufficientiam.

Igitur, ut uno verbo dicam, Author prædictus 96
ſub æquivocatione procedit cum antiquioribus illis relatis, dum inſufficientiam ſeu impoſſibilitatem arbitrij læſi per peccatum ad reſtituendum gravi tentationi, dicit eſſe non libertatem, cum toto cœlo iſta diſtinguantur, ut ex Sanctis Doctoribus potiſſimè S. Thoma ſit manifeſtum.

Quod præter Sanctos Doctores Auguſtinum Pro- 97
ſperum, & Thomam mirabiliter advertit Sanctus Baſilius *ſermone de libero arbitrio ſtatim in principio* ſic dicens. *Quibus divina lex ineſt, non in attramento, & litteris expreſſa, ſed in ſpiritu Dei viventis & non in laminis lapideis inciſa, ſed in lamine cordis carneis implantata, hi mentis oculis illuminati, & ſemper non ſenſibilem, & eam quæ videtur ſpem appetentes, ſed intelligibilem. Sciunt exactè quod non ex propria ipſorum fortitudine poſſibile eſt, ſcandala & offenſiones prævi illius adverſarij ſuperare, ſed ex invicta potentia Dei; qui verò verbo Dei non ſunt exculti ac fruſtra inflati hi per proprium liberum arbitrium occaſiones ac impetus peccati ſe abolere putant, cum per ſolum crucis myſterium aboleatur.* Poſtquam autem his graviſſimis verbis ſententiam, quam impugnamus, redarguit, quaſi reſpondens argumento, & fundamento adverſariorum proſequitur. *Nam quod in hominis poteſtate ſitum eſt liberum arbitrium, in eligendo aut non eligendo, ut Diabolo reſiſtat ſitum eſt non in eo, quod poſſit penitus robur habere contra effectus.* Ecce quam egregie condiſtinguit robur, & vires ad reſiſtendum Diabolo, contra libertatem & quam apertè dicit non conſiſtere libertatem ad reſiſtendum Diabolo in hoc quod eſt robur habere ad ſic reſiſtendum.

Sed oppoſuerunt pro magno poſtea defenſores hujus doctrinæ, quod apud Sanctum Auguſtinum ſi homo in puris naturalibus conderetur, qui reſiſtere cuilibet tentationi etiam gravi non poſſet, cogeretur; ergo pari ratione cogeretur homo lapſus, ſi eidem reſiſtere non poteſt ob rationem eandem.

Ad hoc dicendum nunquam inveniri in Sancto 98
Patre Auguſtino, quod tunc cogeretur homo, ſi in puris naturalibus eſſet conditus cum impotentia illa ad reſiſtendum cuilibet tentationi, vel quod libertatem in conſentiendo tunc non haberet. Hoc certè nec Sanctus Doctor Auguſtinus, aliquando docuit, nec ab aliquo dici poteſt, in caſu quo inditium rationis non abſorbetur, quia manifeſtum eſt, quod quantum eſt de judicio rationis, quod eſt radix libertatis, tantum eſt in homine de libertate, ut patenter Sanctus Thomas docet 1. 2. *quæſt.* 100. *art. 2. & 3.* Quod autem in Sancto Patre Auguſtino invenitur, eſt, quod habet in *cap. 69. de natura & gratia*, quod ſi talis impotentia ad faciendum bonum, & idem eſt ad reſiſtendum malo, non eſſet pœna peccati prioris, ſed eſſet congenita natura ante peccatum, tunc illud peccatum ei non imputaretur, non ex eo quod cogeretur tunc homo, vel libertatem non haberet in conſentiendo, ſed ex eo quod licet ſua libertate id poſſet efficere, non eſſet ſufficiens eadem libertas ad non conſentiendum, & quia illa inſufficientia, ſeu impotentia non eſſet ab eo ablata in pœnam prioris peccati, ei peccatum non imputaretur, quia nemini imputatur ad culpam, quod evitare non poteſt, nec potuit aliquando nec ſua culpa ablata eſt ab eo poſſibilitas ſeu ſufficientia talis, hæc eſt Sancti Patris Auguſtini Doctrina, quam confirmat *libro de corr. & gratia cap. 12.* cum ait, quod ſi Angelo vel primo parenti de fuiſſet auxilium, quo perſeverare poſſent, quia ſine ipſo non poſſent perſeverare, nec iſta impotentia ei proveniret ex priori peccato ut illius pœna, utique eis

Digitized by Google

non imputaretur, quod non perseveraſſent, non ex defectu libertatis, quia libertate in peccatum conſentirent, ſed ex defectu poſſibilitatis, ſeu ſufficientiæ, quam ſine ſua culpa non haberent. Quare cum Sanctus Thoma *in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 3.* inducit S. P. Auguſtinum dicentem, quod ſi homo in gratia conſtitutus non poſſet tentationibus reſiſtere ei caſus non imputaretur ad culpam, optimè id probat ratione modo facta ex doctrina S.P. Auguſtini, quia homo in gratia ſi non poſſet ſic reſiſtere illa impotentia ex priori culpa ejus non deſcenderet, quam non habet, cum in gratia ſit; atqui totum oppoſitum invenitur in homine lapſo ſine gratia; hic enim quod cuilibet gravi tentationi aſſiſtere non valeat, ex culpa ſua id habet, quia ex priori culpa hæc impoſſibilitas deſcendit, unde nec cogitur (ut de homine in puris naturalibus diximus) ſed libertate peccat; & inſuper verè ei peccatum imputatur; quia ex defectu & culpa ſua illam impoſſibilitatem incurrit. Sed de hoc infra plura in hoc libro dicemus.

99 Et per hoc patet ad illa, quæ ex S.P. Auguſt. contra ipſum S. Doctorem inducit, quæ relata ſunt ſupra. Nam illud primum allatum ex *lib. 3. de libero arb. cap. 18.* (quod ad idem priùs induxerat Pelagius contra eundem S. P. Auguſtinum, ipſo S. D. referente *lib. de nat. & gratia c. 6.* quod & ſufficere debuiſſet, ne illud de novo iſte opponeret) truncatè ab ipſo inducitur, & contra expreſſam S.P. Auguſtini ſententiam *lib. de nat. & grat.* traditam; quando enim alicujus Doctoris teſtimonium aliquod in verò ſenſu, quo illud protulit, explicatur ab ipſo, & ab alio inducitur, relicta illa explicatione convincitur, quod truncatè illud inducat; ſic enim habet integer locus ille cum ſua expoſitione adhibita *præallegato cap. 68.* poſtquam ſua verba ex libro de libero arbitrio oppoſita à Pelagio retuliſſet (quæ ſunt omnino eadem quæ iſte objicit, & à nobis relata ſunt ſupra) *Agnoſco, verba mea ſunt, ſed etiam ipſe dignetur agnoſcere, ſuperiùs cuncta quæ dicta ſunt, de gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impoſſibilitate juſtitiæ. Poteſt ergo ei cauſa, quæcumque illa ſit, reſiſti; poteſt planè, nam in hoc adjutorium poſtulamus dicentes, ne nos inferas in tentationem, quod adjutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caveri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli.* Hæc S. Doctor Auguſtinus. Quibus ſe manifeſtè exponit, quod cum priùs dixerat quod peccatum cui omnino reſiſti non poteſt, peccatum non eſt, intelligitur, ut etiam illud verbum *omnino* declarat, de abſolutâ impoſſibilitate, cui nec homo etiam adjutus reſiſtere vult, non autem de impoſſibilitate naturæ infirmæ, quam optimè poteſt ſuperare, ſi adjuvetur à gratia; & ſic potius illud S. Auguſtini teſtimonium à ſe expoſitum hujus authoris retundit ſententiam, eamque efficaciſſimè expugnat; tantùm abeſt quod eam adjuvet. Nec contra expreſſam SS. mentem & ſententiam ſunt teſtimonia inducenda. Quia minus ſinceri animi eſt, & apertum indicium quod contra illos ſanctos, quos ſic inducit, teneat inductor. Nec ſolùm hoc, ſed quod magis eſt, quod ex eodem ſancto contra eundem arma præoccupet.

100 Non majori ſinceritate adducitur liber de duabus animabus *cap. 12.* in quo S. Doctor damnat dementiam Manichæorum contendentium in homine eſſe duas animas, aliam determinatam ad bonum, alteram determinatam omnino & ſine libertate ad malum. Et agens contra hanc, quam conſtituebant animam, omnino ad malum determinatam inquit; *Dicere animas & eſſe malas, & nihil peccare plenum eſt dementiæ. Dicere autem peccare ſine voluntate magnum deliramentum eſt, & peccati reum teneri quemque, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.* Quæ ultima verba pro ſe inducit author concordiæ *ubi ſupra.* Ad quod propoſitum ergo illa inducuntur? An ab aliquo ponitur anima in homine ſine libertate voluntatis omnino ad malum determinata, quam hæreſim ibi refutat S.D. Auguſtinus? De illa veriſſimum eſt, quod ſi eſt omnino ſine libertate ad malum determinata, ſicut ignis ad igniendum, quod nullo modo poteſt facere bonum. Vnde faciendo malum nullo modo eſt peccati rea, nec poteſt teneri rea peccati, niſi injuſtitia ſit, & inſania. Abſit autem quod ſic ſit homo determinatus ad malum poſt peccatum, quia libertatem habet ad benè, vel malè faciendum; & certè poteſt declinare in malum; in bonum autem arduum liberè poteſt, ſed adjutus. Imò in hoc teſtimonio aliud apponitur, quod prædictum authorem & ſequaces in hac ſua ſententia devincit; inquit enim quod dicere malas animas, & nihil peccare plenum dementiâ eſſe: dicat ergo ſupradictus author an qui ſic ſuccumbit tentationi conſentiendo, videlicet furto, malam animam habeat. Quod quia negare non poteſt, conſequens eſt, quod ſi contendit eum non peccare, plenus dementia ſit.

Tertium teſtimonium ex eodem S. Doctore Auguſtino ex *lib. 1. retract. cap. 9.* quod ut etiam ibi refert S. Auguſtinus, ei priùs oppoſuit Pelagius ex *lib. de lib. arbit.* ſicut & illi & nobis modo oppoſitum audimus, cum objiciunt S. D. dicentem; *Quis peccat in eo, quod nullo modo cæveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt.* Cui ipſemet S. Pater illo *cap. 9. 1. lib.* reſpondit. Vnde miramur quod ex tali loco retractationum iſtud peratur argumentum; cum ex ibi dictis à Sanctiſſimo Doctore penitus argumentum cum opponente illud confundatur. Sic enim habet: poſtquam illam & ſimiles objectiones ſibi factas retuliſſet: *In his atque hujuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt ſuam non tenuiſſe ſententiam; ſed fruſtra hoc putant, voluntas quippè eſt, quâ & peccatur, & rectè vivitur, quod in illis verbis egimus. Voluntas ergo ipſa, niſi Dei gratiâ liberetur à ſervitute quâ facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet adjuvetur, rectè piéque vivi à mortalibus non poteſt.* Fruſtra ergo putat ille, ſi tamen hoc & ipſe putat, quod ſuam ſententiam teneat S. D. Auguſtinus, cum illi totaliter contradicat, ut verba illius allata teſtantur. Et paulò infra; *Et in lib. 3. cum diviſſem*, ait, *illud quod & Pelagium de meis opuſculis uſum fuiſſe commemoravi; quis enim unquam peccat in illo, quod nullo modo cæveri poteſt, peccatur autem, caveri igitur poteſt, continuo ſequutus adjunxit, & tamen per ignorantiam, facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur.* Vbi in ſumma illud concludit, quod illud non poſſe benè operari homini imputatur ad culpam, cum ex priori culpa ejus ut pœna illius deſcendat. Ecce & argumentum à Pelagio ex verbis S. Auguſti depromptum & S. Patris apertiſſimam ſolutionem. 101

Sed & illud advertendum Authorem concordiæ non illud propoſuiſſe ſub illis verbis, quibus nunc ex S.P. Auguſtino Pelagius oppoſuit, ne fortè cum ſententia illius verba tranſcriberet, & ab omnibus deprehenderetur, ſed illud ſub iſtis verbis objecit: S. Auguſtinus *lib. 1. retract. c. 9. malum, inquit, quod cæveri non poteſt peccatum non eſt, malum verò, quod cæveri poteſt, peccatum eſt*, quæ conſtat prioribus æquivalere.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

Aperitur magis mens S. P. Augustini respondendo aliis testimoniis, quæ ex ipso perperam inducuntur.

102 NOndum quiescunt, sed opponunt expendenda esse loca S. P. Augustini quibus constat à nulla tentatione cogi posse naturam ipsam voluntatis per se spectatam; hæc enim aliquando verba opposita fuere inducentes.

Ex 1. tomo q.24.in Numeros ibi; *An etiam possit.*

Ex tomo 3. lib.de spiritu & litt.c.31. ibi; *Quamquam sit subtilius*; usque ad illud; *non facit nisi voluntate.*

Ex tomo 5. lib.21.de Civit.Dei cap.16.ibi; *Nam si lex jubet*, usque ad illud, *accidit.*

Ex libro 3. de libero arbitrio jam citato, capite 16. ibi; *Cum ergo peccent*, usque ad illud, *Nec aliena.*

Ex lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap.5.ibi: *Peccato Adæ*, usque ad illud, *Cogitationis adjuta.*

Ex tomo 4.de serm.Domini in monte lib.1.c.28. circa medium, ibi: *Non enim coget*, usque ad illud, *committit invitus.*

Ex libro de vera Religione c.14. ibi: *Nunc verò*, usque ad illud, *voluntate convicti.*

103 Ad quæ omnia, quia eandem tangunt difficultatem, respondemus ex dictis nullum nostrum aliquando dixisse S. Augustinum asserere voluntatem à tentatione aliqua posse cogi; sed cum S.D. in istis locis, & aliis plurimis, quæ possunt afferri, apertè nos dicere nullo modo voluntatem à tentatione cogi posse; hoc enim libenter concedimus. Sed ex hoc inferre, ut inferunt ipsi, voluntatem per se spectatam in natura lapsa sine gratiæ adjutorio posse gravem quamcunque, & vehementem tentationem superare, ut ex relatis ex S.P.Augustino patet, est idem argumentum nunc apponere, quod antiquitus sine causa objectum est, quod satis manet expositum & declaratum.

104 Hinc secundo loco expendebant alia S.Augustini testimonia, ex quibus apparet, quod S. Augustinus putavit fieri posse, & quod aliqui fecerint in gravibus difficultatibus, aut tentationibus, interdum morte contemptâ.

105 Primus locus ex lib.4.Confess.c.2. ibi: *Recolo.*

Ibi dicit S.Doctor Aruspicem sibi promittentem victoriam suffragio dæmonum refelliſſe, non est autem adeo hæc gravis tentatio, ut homo peccator suis viribus non possit auxilia dæmonum non admittere.

106 Secundus locus ex lib.4.contra julianum c.3.ibi; *Gentiles*: Et ibi; *cognovimus quosdam potuisse compelli.*

Dicit ibi quod Gentiles aliquando etiam tormentis non potuerunt compelli, ut falsum dicerent, sed præterea dicitur ex eodem S.P.Augustino quod propter mundi gloriam, & laudis cupiditatem id faciebant peccata peccatis vincendo, quod non est resistere tentationi, sed graviori succumbere.

107 Tertius locus ex serm.5.de verbis Domini, ibi; *Sed adhuc istos*, usque ad illud *Charitas.*

Dicit ibi quod Hæretici propter errores suos molestias patiuntur, & se martyres vocant, quod pro errore possunt se solis, pro vera autem vincenda tentatione sine gratia homines id non possunt.

108 Quartus locus ex lib.contra Epistolam Parmeniani c.7.multo ab initio, ibi; *multos etiam.*

Dicit Hæreticos pro suis erroribus tormenta passos fuisse, quod possunt facere, imò & mori eos pro suis erroribus videmus, sed mori pro vera superanda tentatione sine gratia non possunt.

Quintus locus ex lib.5.de civit.Dei c.15. ibi; *Sic etiam isti.* 109

Dicit ibi quod propter gloriæ humanæ cupiditatem, quæ vitium est, Romani contemnebant bona sua, & ut consulerent gratiæ nec libidini obnoxij erant. Vnde peccatis peccata vincebant, quod poterant se solis facere.

Sextus locus ex 5. lib.de civit.Dei c.18. ibi; *Quid ergo magnum.* Item ibi; *Quis ergo.* Et ibi; *Si Marcus Regulus.* 110

In primo loco dicit Brutum pro temporali, & terrena gloriæ laude filios interemisse. De Marco Regulo ait, quod propter laudis cupiditatem servando juramenta tormenta, passus sit. Et similia talia docet feciſſe ob inanem gloriam, peccatis, ut sæpè diximus, peccata vincendo, & majoribus succumbendo.

Vnde in nullo istorum locorum docet S.P.Augustinus quod sine gratia aliquis verè gravem, & vehementem tentationem vincat sine peccato aliquo, ab omni tunc se abstinendo. Quare nullus inducitur ad propositum, sed totaliter extra dubium. 111

Item expendemus, ajunt, loca S. Augustini ex quibus apparet, quod tantum neget posse sine gratia superari tentationes omnes, aut plures, aut etiam meritoriè vinci aliquam. 112

Primus locus est ex lib.de civit.cap.16. ibi: *Neque enim id fit veraciter.* Et ibi; *tunc itaque.* 113

Docet in isto utroque loco S.P.Augustinus, quod vitia tunc veraciter, & sincerè vincuntur, cum Dei amore vincuntur. Vbi loquitur de perfecta victoria, quæ est cum merito, ad quam charitatem requirit. Sed ex hoc unde colligitur quod possit lapsus homo gravi, & vehementi tentationi resistere sine gratiæ auxilio.

Secundus locus ex Epist. 94. ad Hilarium ibi; *Cavendis autem*, usque ad illud *sufficere voluntatem.* 114

Ad hoc testimonium jam supra responsum est, quod potissimum errorem Pelagij ibi refert asserentis quod omnibus tentationibus collectivè poterat homo resistere; sed non excludit errorem, quo à fortiori dicebat, posse cuicumque gravi reniti, ut expositum est.

Tertius locus ex libro de dono perseverantiæ c.8. ibi: *Vt enim non dicam.* 115

Solum ibi docet S.Augustinus possibile esse Deo ita operari in cordibus hominum, ut nullâ superati tentatione ab ipso discedant, sed hoc quid facit ad probandum posse hominem se solo tentationem vincere. Imò probat contrarium.

Quartus locus ex lib.de gratia Christi contra Pelagium & Celestium c.27.ibi; *Volens utique*, usque ad illud *præter gratiam*; quæ verba sunt in c.28. 116

Opponentes confundit locus iste, qui Dei amore super omnia contendunt posse hominem sine adjutorio gratiæ vincere quamlibet gravem, & vehementen tentationem; quod si posset, posset & illius victoriæ meritum reportare.

Quintus locus ex Epist.106.ad Paulinum, ibi; *Et victoriam nostram.* 117

Opponentes expugnat, qui contendunt posse hominem sine gratiæ auxilio ex amore justitiæ, & ex amore Dei super omnia vincere tentationem. Tunc enim veraciter, & sincere peccata victa essent, ut superiùs S.P.Augustinus docuit.

Sextus locus ex lib.de correp.& gratia cap.12.in fine, illis verbis: *subventum est.* 118

Sic habet locus iste: *Subventum est ergo infirmitati humanæ,*

Digitized by Google

humana, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo *quamvis infirma non deficeret nec aliqua adversitate vinceretur*, quoſt teſtimonium ſatis clarè opponentes refellit.

119 Septimus locus inducebatur ex lib. de perfectione juſtitiæ ratiocinat. 3. ibi; *Parumque eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium.*

Sic habet locus iſte; *Parumque eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium niſi adjutum ſanetur gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quod non ſolùm eſt intelligendum, quod ad nunquam peccandum, vel ad multo tempore abſtinendum ſit gratia Chriſti neceſſaria, ſed etiam ad reſiſtendum gravi tentationi, atque peccato cuilibet, cum vehementer tentat, ut pleniùs in ſuperioribus reliquimus comprobatum.

Igitur nullum ex inductis teſtimoniis opponentibus favet, vel aliquid contra definitam veritatem continet.

CAPVT XI.

Aliis argumentis ſatisfit.

120 POſt S. Patrem Auguſtinum inductus fuit diſcipulus ejus Anſelmus ſententiæ illius præcipuus ſectator ex *libro de libero arbit. cap.* 6. 7. 8. & 10. Et *lib. de concord. prædeſt. & grat. cum lib. arbit.* quaſi dicat quod dum judicium rationis non abſorbetur, poteſt homo lapſus ſine gratiæ aliquo auxilio cuilibet gravi, vehementique tentationi reſiſtere, etiam vitam propriam ob id exponendo, eo quod libertatem ad id habeat; nec ad id neceſſitetur. Quod tamen S. Anſelmus nullo modo dicit. Non enim loquitur in citatis locis de homine lapſo ſine auxilio gratiæ, ſed de homine integro, ſive de homine ſanato per gratiam. Vnde illius ſententia eſt, quod homo integer, ſive per gratiam reſtauratus poteſt cuilibet reſiſtere tentationi gravi, etiam cum periculo vitæ, quia ad id vires habet. Vnde qui illum adducit, quaſi hoc dicat de homine lapſo, & conſtituto ſub peccato, manifeſtè S. Anſelmo reſiſtit, illi imponendo quod non aſſeruit. Quod autem expreſsè ſermonem faciat de homine, vel in natura integra, vel ſanato per gratiam, fit apertiſſimum: quia à capite 5. uſque ad 10. incluſivè ſæpiùs repetit ſe agere de homine potente ſervare per libertatem, rectitudinem voluntatis. Vnde illius verba ſunt: *A principio capitis quinti, ſed nunc quomodo eſt humanæ voluntatis arbitrium hac poteſtate liberum, cum ſæpius rectam habens homo voluntatem ipſam rectitudinem invitus cogente tentatione deſerat, nemo illam deſerit niſi volendo.* Igitur ſermonem fecit de habente rectam voluntatem, non de homine lapſo & peccatore. Et *cap.* 6. addit: *Quis ergo poteſt dicere voluntatem* non eſſe liberam ad ſervandam rectitudinem, & liberam à tentatione & peccato, ſi nulla tentatio poteſt illam niſi volentem avertere à rectitudine ad peccatum.

Quod ſi dicat, quod ipſe definit libertatem eſſe potentiam ſervandi rectitudinem voluntatis, quæ definitio arbitrio, & homini exiſtenti ſub peccato convenire debet, ut idem Anſelmus dicit *cap.* 11. Ad hoc dicendum, quod Anſelmus in illo tractatu priùs docuit, poſſe peccare, & poſſe deſerere rectitudinem non eſſe libertatem, nec partem libertatis. Quod probavit à *capite* 1. 2. 3. & 4. Vnde conſequenter aſſeruit libertatem voluntatis eſſe potentiam ſervandi rectitudinem, & hanc libertatem ad ſervandam rectitudinem voluntatis habere hominem, etiam quando rectitudinem non habet, quia tunc libertatem habet ad ſervandam rectitudinem, ſi eam habeat, ut expreſsè docet *in cap.* 11. Cujus verba ſunt: *Semper enim naturaliter liber eſt ad ſervandam rectitudinem, ſi eam habeat, etiam quando quam ſervet non habet.* Non autem dicit, quod quando non habet rectitudinem, poteſt omnem tentationem ſuperare, ſed quando rectitudinem habet, non poteſt à tentatione cogi, ſed quod ei reſiſtendo poteſt rectitudinem conſervare.

Itaque S. Anſelmus in ſumma quinque docet: 121
Primum, poſſe peccare & poſſe rectitudinem deſerere, non eſſe libertatem voluntatis, nec libertatis partem. Secundum, quod libertatis, ſeu poteſtatis voluntatis eſt rectitudinem capere, cum eam non habet. Tertium, quod libertas eſt poſſe ſervare rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. Quartum, quod hæc definitio libertatis convenit homini & libero arbitrio etiam cum rectitudinem non habet: quia ſemper habet poteſtatem ſervandi rectitudinem, cum eam habuerit. Quintum, quod habens homo rectitudinem voluntatis à nulla tentatione invitus cogitur, ſed quod eam poteſt etiam cum mortis periculo rejicere.

Hæc eſt S. Anſelmi mens in toto illo tractatu de 122
libero arbitrio; ſed notanda ſunt alia in S. Anſelmo, quibus penitus author prædictus, qui ſiniſtrè intellexit, revincatur in fundamento quod prætendit. S. enim Anſelmus duo pro certo habet, & clarè proponit: Primum eſt, voluntatem à libertate ſua nec per ſe, nec per alium poſſe privari, hoc enim ſub his verbis proponit in *cap.* 11. Aliud eſt, quod cum homo ſe peccato ſubjicit, quamvis à ſe libertatem naturalem non auferat, facit tamen ut ſine gratia eâ libertate utatur: nam hoc ſub his verbis præmiſit in *cap.* 4. illius tractatus.

Ex quibus concluditur contra illum, qui tantum gloriatur ſe Anſelmum ſequi, optimè ſtare, ſecundùm Anſelmum, libertatem cum impotentia illa, qua peccator non poteſt bene ſua libertate uti: diſtinxiſſe optimè Anſelmum libertatem à facultate, ſeu à poſſibilitate bene operandi; ſicut ex aliis SS. Patribus duo hæc diſtincta tradidimus: nec poſſe eſſe verum, quod ſi homo non poteſt ſine gratia bene uti libertate in reſiſtendo tentationi vehementer urgenti, quod tunc libertatem in illo conſenſu non habet, quia talem libertatem à ſe, ex expreſſa ſententia Anſelmi, auferre non poteſt: licet per peccatum auferat poſſibilitatem bene volendi.

Quod autem inducunt S. Ambroſium, & S. 123
Anſelmum exponentes illum locum Pauli: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, & dicentes quod id Deus efficit, vel faciendo, quod citò ceſſet tentatio, vel ſi prolixa fuerit, dat tolerandi virtutem: ex quo inferunt, quod ſi citò ceſſat, licet ſit vehemens & gravis, eam poteſt homo ſolis ſuis viribus ſuperare: Reſpondetur, ideò SS. illos Doctores docere, quod tentationem citò ceſſantem poteſt homo ſuis viribus repellere, quia regulariter, quæ citò tranſit, levis eſt: fortificatur autem, cum diu durat; ſi tamen admittatur quod aliqua citò tranſeat, ſed gravis & vehemens, non negarent ad illam reprimendam neceſſarium eſſe divinum auxilium, ſicut per oppoſitum, ſi aliqua diu duraret, ſed ſemper levis, poſſet ei arbitrium reſiſtere. Tota ergo ratio quare prolixam non poteſt homo ſe ſolo ſuperare eſt, quia quo prolixior eo gravior eſt, & roboratur, & quæ citò ceſſat, cenſetur levis.

Poſt SS. Patres Auguſtinum, Ambroſium, & 124
Anſelmum induxit in favorem ſententiæ ſuæ Authorem Hypognoſticon, atque Hieronymum, hunc

in

Digitized by Google

in libro 3. contra Pelagium, illum *lib. 3. cap.4.* sed neuter vel minimo illi favet, sed potiùs uterque illius sententiam efficaciter rejicit. Et quidem Author Hypognosticon nullo modo dicit, posse hominem lapsum sine gratia quamlibet gravem, & vehementem tentationem superare, sed potiùs contrarium, satis in ipso fundatur. Cum enim ipse expressè numeret opera bona, quæ homo lapsus per liberum arbitrium sine gratia valet efficere, quæ sunt velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem velle discere diversarum rerum bonarum manifestè declarat ad quæ opera naturalia bona sufficiens sit liberum arbitrium sine gratia, nimirum ad ea, quæ de bono naturæ oriuntur, ut expressè exponit. Vnde cum postea concludit, velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam, de omni alio simili opere naturali orto ex bono naturæ pertinente ad temporalem conservationem præsentis vitæ sermonem facit, ut potè velle in communitate vivere, velle à superioribus regi, velle rempublicam conservare, & similia hujusmodi, quæ revera ad præsentem vitam temporalem transigendam conducunt. Ista sunt quæ libero hominis lapsi sine gratia tribuit arbitrio, non autem moralia opera egregia efficere, aut arduum & difficile bonum opus morale perficere, seu quamlibet gravem tentationem, etiam cum propriæ vitæ periculo, superare.

125 Et ad agumentum, quod tantùm negat arbitrio hominis lapsi sine gratia inchoare, vel perficere quæ ad Deum pertinent: ergo omnia alia, quæ ad Deum non pertinent, ei concedit, sive facilia sint, sive difficilia: Respondetur, quod duo ipse expressè affirmat, alterum negativum, & affirmativum alterum: negativum est, quidquid ad Deum pertinet, quod homini negat, affirmativum, quidquid ad præsentem temporalem vitam spectat, ut in exemplis expressit, hæc duo sunt ab illo expressè tradita: de tertio autem nempe de bono morali, sive complexivè sumpto, sive de egregio & difficili, sive facili, nihil habet expressè vel assertum, vel negatum. Attendendum verò, quod ille expressit quæ ad præsentem pertinent vitam, ad quæ natura ipsa inclinat, & facillima sunt. Sicut ergo ista enumerata, quæ facilia sunt, ab extrinseco redderentur difficilia, nempe si homini mors intentaretur, nè haberet amicum, vel nè domum fabricaret, vel nè uxorem duceret, certè naturæ viribus illam tentationem vincere minùs posset. Vnde falsò, & sine fundamento illa verba, *velle quidquid ad præsentem pertinet vitam*, posset, *quidquid fini naturali est accommodatum*: hæc enim interpretatio in terminis falsa est: quia aliàs omnia divina mandata naturalia, etiam collectivè, posset homo lapsus sine gratia efficere: quia ea omnia, etiam collectivè sumpta, fini naturali sunt accommoda: quod esset errorem asserere Pelagianum contra mentem authoris Hypognosticon; quia ipse eodem *libro* 3. satis fundat liberum hominis arbitrium post peccatum primi parentis, non solùm fuisse spoliatum gratuitis, verùm læsum in naturalibus: ergo læsionem ad finem naturalem constituit. Vnde nequit concedere, ipsum efficere posse quidquid fini naturali accommodum est.

126 Præterea, quia expressè in principio illius tertij libri inquit: *Hoc ergo vulnere cuncti libero claudicaverunt arbitrio, nec implere nobis naturaliter sufficit posse bonum*; sed manifestum illi erat, quod naturaliter non possumus efficere bonum fini supernaturali accommodum: ergo expressè tradit, quod nec bonum fini naturali accommodatum possumus naturaliter efficere propter vulnus quod habemus. Similiter diligere Deum authorem naturæ super omnia, & propter ipsum de peccatis conteri, fini naturali accommoda sunt; & tamen ista ex S. Prosperi sententia (ut probatum est supra) efficere non valet naturaliter homo lapsus: igitur intelligere, & exponere illa verba, *velle quidquid ad præsentem pertinet vitam*; id est, velle quidquid fini naturali accommodum est, & falsissimè & contra authorem Hypognosticon affirmatur. Vnde idem author *eodem libro* 3. *Hypognosticon* inquit de Adamo: *Per velle ergo malum perdidit posse bonum*, per bonum perditum non solùm intelligit bonum fini supernaturali accommodum, quod revera in totum perdidit homo: verum comprehendit bonum fini naturali accommodum, quod licet non totum perdiderit homo, magna tamen ex parte illud perdidit. Perdidit enim omne bonum naturali fini accommodum collectivè sumptum, quod iste (cum quo agimus) non audet inficiari. Perdidit posse Deum authorem naturæ super omnia diligere: perdidit de peccato posse propter ipsum conteri: Hæc sine dubio perdidit homo; perdidit insuper difficile, & arduum bonum opus efficere, vel gravem & vehementem superare tentationem propter imbecillitatem, & infirmitatem suam, quam etiam in naturalibus contraxit, licet non perdiderit posse aliquod bonum opus morale facilè efficere: quod facilè morale potest quodammodo comprehendi inter illa bona opera orta de bono naturæ faciliè, quæ Author Hypognosticon enarravit.

De sancto Hieronymo clariùs constat ipsum nunquam docuisse, posse liberum hominis lapsi arbitrium sine gratia quamlibet gravem, & vehementem tentationem vincere, seu illi resistere (nè in proprietate verbi *vincere* insistere videamur) quamvis enim S. D. *lib. 3. Dialog. adversus Pelag.* illa relata seu opposita verba habeat: quod licet ad brevè tempus, possit homo aliqua bona facere, non tamen semper. Ex quo efficaciter confundit Pelagium, qui contendebat posse hominem semper omnia divina mandata servare; tamen eisdem verbis explicat quæ mandata servare, & bona opera efficere possit homo ad brevè tempus, nimirum facilia, dum ait: possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, nunquid in perpetuum? 127

Itaque facilia mandata docet posse hominem pro brevi tempore observare: nec aliud ex inducto testimonio sequitur, ex alio autem vel alijs ejusdem Doctoris sancti in illis Dialogis manifestè constat quod aliqua difficilia opera bona nequeat liberum hominis lapsi arbitrium sine gratia etiam ad brevè tempus efficere nam *lib. 2. eorumdem Dialogorum*, exponens quam falso dixerit Pelagius facilia esse divina mandata, aliqua difficilia esse ostendit, dicens scandalizantem manum, oculum, & pedem jubemur abscindere, esto per Tropologiam dictum sit, pro amicissimis & pro consanguineis & fraterno nobis & conjugali amore sociatis, facile nè arbitramur ob quasdam offensas tantam subitò abscindere charitatem? Quod magis exponentes addamus facilia ne sunt opera ista ut quis sine auxilio gratiæ cum ad peccatum pertrahunt superentur? ô utinam sic esset & multo minora essent peccata. Addamus & alterum præceptum quod ob sui difficultatem idem Sanctus Doctor adhibuit verberanti (inquit) maxillam, alteram jubemur apponere. Tollenti tunicam etiam pallium concedere præcipimur; numquid etiam pro brevi tempore vel ad horam hæc potest sine gratiæ auxilio perficere tempore 128

Digitized by Google

pore quo ut faciat præceptum instat. Concedit quidem hoc qui etiam vitam exponere posse, tunc homines contendit, sed S. Hieronymus id diffitetur quod ut clarius de mente ejus patefiat tertium ejus inducamus exemplum quod inficiari non possit eodem 2. *lib. paulo post Apostoli audiunt, sic non potuistis una hora vigilare mecum.* Non dixit noluistis sed non potuistis; Apostoli una hora vigilare non possunt summo mœrore, & carnis fragilitate superati & tu potes longo tempore, omnia simul peccata superare? Argumentum plane convincens, contra Pelagium & ex duobus à fortiori procedens, ac si clarius diceret, quomodo dicitur posse hominem sine gratiæ auxilio omnia simul mandata longo tempore servare? cum una hora non potuerint Apostoli vincere tentationem? Si Apostoli non possunt ad breve tempus, & tam breve ut horâ signetur, tentationem somni vincere poterit homo lapsus magisque infirmus, nec dum tentationem somni ad horam superare, quod non apparet difficile, verum mortem sustinere nè videlicet aliquod peccatum committat, vel legem naturæ transgrediatur? manifestum est igitur sanctissimum, & eximium Doctorem hac sua sententia istam quam impugnamus, prius efficaciter magis expugnasse & legenti aliqua attentione ejus opera expugnatam reliquisse.

129 Ad S. Thomam quem inducunt ut relatum est supra, 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. docentem à nullo objecto in hac vita necessitari hominis voluntatem, etiam lapsi & sine gratia existentis, & confirmantem id ipsum *in art.* 3. quod nimirum à nulla passione, vel timore mortis necessitatur voluntas interim dum judicium rationis non absorbetur. Et *solutione ad* 2. iterum repetentem quod licet aliquando ratio obnubiletur à passione, remanet tamen aliquid rationis, & secundum hoc potest homo vel totaliter passionem repellere, vel saltem se continere, ne passionem sequatur: facilis responsio est sanctum Doctorem tantum docere hominem, in quo totaliter ratio non obnubilatur; sed aliquid deliberationis manet: non necessitari vel ab objecto, vel à passione sed semper liberum manere, quandiù ratio, quæ radix libertatis est in homine manet; & nihil aliud intendit in utroque articulo, quod manifestissimum est. Ex hoc autem inferre quod sicut tunc liber manet, ita sufficientiam habeat ex se solo homo ad vincendam gravem illam tentationem ex passione procedentem; ex illo pravo principio descendit, quo arbitratur opponens idem omnino esse, liberum tunc manere arbitrium, quod verissimum est; & per se solùm sufficiens ad gravissimam illam superandam tentationem, quod est falsissimum, & contra sancti Thomæ satis notam sententiam, contra S. P. Aug. & Prosp. citatos suprà *cap.* 8. & contra S. Basilium ibi inductum, similiter contra Anselmum relatum supra *cap. præcedenti.* Cum autem instat? quia Sanctus Thomas ultimo loco citato expressè dicit, quod quandiù manet in homine aliquid rationis; potest homo vel totaliter passionem repellere, vel saltem eam non sequi: ergo potentiam ad id habet secundùm Sanctum Thomam. Respondetur docere Sanctum Thomam, habere tunc ad id potentiam remotam, non proximam: ut ex Caietano supra explicavimus; id est, habere libertatem, non sufficientiam: & libertatem exposuit per verbum *potest*, juxta id quod intendebat; nimirum non tunc necessitari voluntatem ad consentiendum sine libertate: hoc enim tantùm ostendere intendebat, ut patet manifestè ex articulo illo. Vel secundò dicatur S. Doctor docere quod potest physicè tentationem illam repellere: quia nimirùm libertatem ad id habet, quæ est possibilitas physica, ut superiùs exposuimus; non autem habere possibilitatem moralem superiùs etiam explicatam. Vel dicatur tertiò docere Sanctum Thomam quod habet rationem ex qua posset, si totis viribus per eam conari vellet, tentationem rejicere, vel eam non sequi, sed non est factibile quod sine gratiæ auxilio totis & magnis viribus ad id conetur, ut ipse sanctissimus Doctor tradidit apertiùs *quæst.* 24. *de verit. art.* 14. sæpiùs in hac materia citato. Vel tandem dicatur ultimò tantum docere Sanctum Thomam, quod quandiù ratio vel rationis aliquid manet in homine, non necessitatur voluntas à passione vel tentatione, sed potest ei liberè resistere, vel eam non sequi, dummodo adjuvetur à gratia; aliàs quamvis libertate sua & sine necessitate, infaillibiliter tentationi succumbet.

Ad illud aliud quod ex eodem Sancto Thoma 130
inducebatur, quod videlicet tam in 2. *sent. dist.* 28. quàm *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. quàm 1. 2. *qu.* 109. *art.* 3. & 4. quàm etiam in 3. *contra gent. cap.* 60. in quibus sine exceptione docet expressè posse hominem sine gratia quodcunque mandatum in singulari implere: licet non omnia simul, ergo potest secundùm eundem Sanctum Thomam quamlibet in particulari superare tentationem: quia superata mandatum impletur. Abundè hoc libro supra, *cap.* 42. & 43. responsum fuit, & solutio, ut in compendium reducatur est; quod in multis alijs suæ doctrinæ locis se explicavit Sanctus Thomas, quod aliqua egregia mandata, & opera difficilia bona non potest homo efficere sine auxilio gratiæ, quæ ibi inducta sunt, unde nec poterit secundùm eumdem sanctum Doctorem, gravem & difficilem vincere tentationem sive eodem adjutorio gratiæ; ibi etiam ostensum fuit, Sanctum Thomam in testimonijs allatis in oppositum tantum docere, sine gratia justificante posse hominem, in singulari quodlibet mandatum implere, & ex consequenti quamlibet in particulari rejicere tentationem; non tamen sine divinæ gratiæ auxilio. Vnde nec ad præsens aliud dicendum est: nisi ut ibi omnia inducta testimonia sanctissimi Præceptoris attendantur.

Ad Vegam non opportet respondere: cùm ipse 131
etiam inductus ab arguente expressè defendat non posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ aliquam gravem rejicere tentationem: sed habuit opponens quod ex Vega in suum favorem adduceret, quia innuere videtur, quod si pro tali tentatione non haberet homo auxilium gratiæ, ex defectu impotentiæ non peccaret: sat est quod hoc non dicit, sed innuere videtur, ut opponens ait. Cui respondetur, quòd etiam innuere videtur oppositum; nec vacat id modo probare. Dicendum secundo quod licet id expressè affirmaret, ei non esset consentiendum: sat enim est ut peccet, quod licet non possit potuerit; & ob ejus culpam illam impotentiam incurrerit, ut alibi à nobis expositum est ut exponitur.

Ad Medinam inductum *citato cap.* de quo affir- 132
matur, quod explicando Sanctum Thomam *in art.* 3. *illius quæst.* 10. *ex* 1. 2. dicentem non posse voluntatem necessitari quandiù judicium rationis maneat: ipse Medina excipiat, nisi tentatio sit vehemens, liberumque arbitrium cum solo generali Dei concursu relinquatur: tunc enim necessitari illam arbitratur, & ex consequenti dicere tenetur quod non peccat. Ad Medinam, inquam, sic inductum dicendum, quod falso hoc ei imponitur; nihil enim tale dicit, imò in omnibus nostram tenet sententiam expressè affirmans, quod cum tentatio est vehementissima, indiget homo ad illam rejiciendam speciali

Dei

Digitized by Google

Dei auxilio. Hoc solùm asserit : non autem addit **quod si illud non habeat tunc homo, necessitatur ejus voluntas**, imò totum oppositum asserit, dum **cum Sancto Thoma** sine aliqua exceptione docuit; **quòd cum manet indicium rationis semper manet libera.** Imò in tantùm huic adhæret veritati, ut **dicat de fide esse quod passiones appetitus sensitivi non auferunt libertatem**; cùm ergo tam falsò Doctores inducantur : apparet quod quasi de industria eis imputetur, ut dixisse videantur, quod nullo modo dixerunt, ut sic aliquos appareat eos habere suæ doctrinæ sectatores.

133. Ad ultimum, quod universaliter Authori concordiæ concludere visum fuit, post allatos Doctores inauditum esse apud antiquos Patres doctrinæ suæ contrarium ; si quæ dicta sunt hoc & præcedenti capite de sententia sanctorum Doctorum tantisper expendantur, potius verissimè dicendum erit, inauditum fuisse apud antiquos Patres, quòd illis tanta falsitate tribuitur : nullus enim ex eis, qui per ipsos allegantur, id dicit quod illi prætendunt, sed contrarium, ut de sancto Patre Augustino, Ambrosio, Anselmo, Hieronymo, sancto Thoma, authore Hypognost. Vega atque Medina apertiùs monstratum est ; similiter quod addiderunt apud sanctos Patres & Scholasticos Doctores, idem omninò esse impotentiæ genus in homine lapso, sine gratia ad singula peccata mortalia vitanda, & ad superandas tentationes, quæ est in homine in gratia ad vitanda venialia, ut scilicet sicut iste non potest omnia vitare ; benè tamen singula nullo excepto : ita ille possit non omnia simul mandata, nec omnes simul tentationes ferre, sed quamlibet in singulari nulla dempta : falsum omnino est, quia potiùs ex sanctis Patribus & Doctoribus ostensum fuit aliqua gravia, & difficilia opera bona in singulari non posse hominem, sine auxilio gratiæ efficere, nec aliquam gravem & vehementem tentationem superare, neque quodlibet mandatum in particulari; sed quædam facilia quæ tamen difficultas, seu impotentia à nullo Doctorum statuitur, pro vitandis venialibus ab homine existente in gratia.

134. Tandem quod cumularunt omnes Patres ac Doctores, qui dicunt non posse hominem lapsum, sine gratiæ auxilio resistere cuilibet gravi tentationi ; eo ipso dicere eum non habere ad id libertatem, quàm absurdum sit, & quanta facilitate eis hoc tribuatur, quæ dicta sunt manifestè convincunt.

CAPUT XII.

Respondetur aliis argumentis objectis in capite secundo hujus tractatus.

135. PRosequitur prædictus author concordiæ in ipsa *disp.19. citata membro 3.* sicut supra *cap.2.* retulimus, eandem suam sententiam (quam ante supradictis sanctorum authoritatibus prætenderat confirmare) theologicis rationibus corroborare ; quarum illa prima & fundamentalis ab ipso proponitur; quæ jam plenius confutata est ; quod nimirum sequeretur ex nostra sententia vehementes tentationes & passiones cum insurgunt à voluntate innatam tollere libertatem ; quod nulla ratione concedi potest. *Ad hanc* jam copiosè dictum fuit supra, nec aliquem sanè eorum, nec nos id affirmare ; nec aliqua ratione id ex nostra sententia sequi.

136. Secundum argumentum non minorem falsitatem continet quam præcedens, sed fortè absurditatem majorem, etiam ab illo authore ut fundamentalem in tota illa sua concordia stabilitum, quod videlicet easdem prorsus vires habeat ad bonum naturale homo in natura lapsa sine gratia, ac haberet si in puris naturalibus conditus fuisset, & sicut Philosophi sic conditum de facto solo lumine naturali posuerunt; ex quo principio deducit quod sicut homo, si sic conditus esset in naturalibus puris, posset pro brevi tempore quamlibet gravem tentationem & vehementem superare ; ità illi possit resistere homo lapsus solis viribus suis sine gratia.

Ad hoc argumentum respondendum non est modò, quia illud principium, in quo totum fundatur de æqualitate virium in ordine ad finem naturalem hominis lapsi & sub peccato existentis, ac hominis conditi in puris naturalibus, in quo proindè nullum esset peccatum, copiosè à nobis explosum fuit in primo nostro libro à principio illius circa examinandam primam assertionem ex his authoribus collectam ; & pro prima collocatam, quia totius concordiæ Molinæ fundamentum erat. Vbi satis accuratè & efficaciter periculosissimam falsitatem hujus pravi fundamenti denudavimus ; & qualiter reipsa non admittat in natura lapsa veram animæ infirmitatem lædentem & extenuantem illius vires, dedimus satis notum, nec falsa ista sententia, quæ tantas homini infirmo vires tribuit ad resistendum gravioribus & vehementioribus tentationibus, ex alio poterit oriri principio quam ex isto, in quo eam author concordiæ fundat. Et quidem si argumentum aliquid probaret, similiter convinceret posse hominem lapsum sine gratia Deum diligere super omnia, ut author naturæ est, posset-que propter ipsum de peccato conteri ; quæ simili ratione ex illo principio infert author prædictus, sed quam falsò, ostensum est supra in hoc quarto libro, imò convinceret ratione prorsus eadem posse hominem lapsum ad brevè tempus totam legem naturæ servare, quia eam ad brevè tempus servare potuisse hominem, si in puris naturalibus conderetur, manifestum est. Hoc autem saltem manifestis verbis nec author iste concedit, quamvis id videns apertè ex illo principio deduci, timensque palam proponere, reipsa constituerit : ut in superioribus ex ipsius verbis conclusum est.

Ad confirmationem respondetur Aristotelem solo lumine naturali cognoscere non potuisse infirmitatem naturæ humanæ, & imbecillitatem per peccatum originale contractam, nec necessitatem auxiliorum gratiæ ad adjuvandam infirmitatem talem, quorum utrumque scriptura sacra, summi Pontifices, Concilia, & Patres, veraque theologia semper docuerunt : unde non mirum si posuerit Aristoteles posse hominem suis viribus etiam imminente morte se continere à malo, & quamlibet vincere similem gravem tentationem : in hoc ipso deficiens, nec experientia vel illum, vel alios illud docuit, solum enim experiri homines poterant aliquos infideles restitisse tormentis magnis, & tentationibus seu pressuris, etiam mortem sustinendo, an verò eam sustinerent ob bonum virtutis, & propter bonum finem sine mala circunstantia, an verò ob inanem gloriam, vel ob alia peccata quibus alia minora vincebant, experientia nulla ratione probabat. Vnde licet pro liberanda republica aliqui se morti tradiderint, id propter mundanam & inanem gloriam fecerunt, non pro bono virtutis, ita quod illud esset verè virtutis opus, alias omnes virtutes simul haberet, cùm sint conjunctæ, prout *in 3. libro* ostendimus, quod peccatori & infideli potissimè repugnat, omnes nempè virtutes habere.

Similiter nec ostendere poterat quod illud bonum arduum atque difficile, quod aliqui infideles operabantur,

Digitized by Google

rabantur, fieret ex solis naturæ viribus, quia etiam aliquos ex ipsis Deus ad similia efficienda difficilia bona opera interiùs auxilio suæ gratiæ adjuvabat, ut ex Sancto Thoma ostensum fuit supra. Itaque auxilia gratiæ, quibus illa opera difficilia bona efficiebantur: experientia comprehendi non poterant, sed illi effectum videbant & causam ejus nesciebant.

Sed instat, potest quis oppetere mortem pro falsa Religione solis viribus suis: ergo poterit etiam eisdem solis viribus eam oppetere pro fide tuenda, & pro bono virtutis. Respondetur negando consequentiam, quia oppetere mortem pro falsa Religione cum malum sit, poterit homo solis viribus suis: at mori pro fide cum bonum sit, idque egregium, non poterit sine auxilio gratiæ. Item quia ad primum nunc relatum incitatur à dæmone, in alio autem bono opere, non. Et tandem quia ut quis moriatur pro fide oportet quod Deum diligat super omnia: quod sine gratiæ auxilio non fit. Itaque cùm proni sint sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, ad quodlibet malùm etiam arduum & difficile per se potest solùm liberum hominis arbitrium, ad bonum autem egregium & difficile per se solùm non potest, nisi divina gratia adjuvetur, ut sæpius S. P. Augustinus contra Pelagianos tradit & docet.

137 Ad tertium dicendum quod licet continere consensum, vel elicere contrarium dissensum in illo casu sit ex objecto quid naturale, quia ex objecto supernaturale non est, est tamen bonum quoddam naturale arduum, & nimis difficile, & quod liberum arbitrium in suis naturalibus sanum expostulat, non infirmum, ut sæpiùs dictum est. Vndè extenuatum & lapsum arbitrium, nisi auxilio gratiæ in hac sua infirmitate adjuvetur, minus sufficiens erit ad sic continendum consensum, vel eliciendum contrarium assensum, sufficiens autem esset si integrum permaneret sicut Deus à principio illud instituit: & hoc tantum probat argumentum, quod Deus dedit liberum arbitrium ad naturalia bona efficienda proportionaliter, sicut oculum ad videndum: & aurem ad audiendum, cæterum sicut qui haberet oculum infirmum offenditur à sole nec eum videre valet, quia sol postulat visum sanum, non infirmum, ita & opus naturale bonum atque difficile seu eximium effici nequit à libero hominis arbitrio infirmo & læso per peccatum, quod tamen connaturale est hominis arbitrio sani.

138 Ad confirmationem dicendum, quod si in tali casu homo contineat consensum, non se habet merè negativè: itaut ad id nullo indigeat auxilio, sive concursu, sicut se habet merè negativè cum dormit. Non inquam, ita se habet tunc homo, quin potius sic continere consensum est voluntarium indirectè, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 3. in quo indirectè voluntario licet non sit positivè aliquis interior actus; inquantum tamen sic non habere actum, est voluntarium & laudabile, indiget homo auxilio gatiæ Dei, quo sic contineatur voluntas in bono, & quo sic se continendo superet malum. Vel dicatur secundo quod in tali casu non habere actum; est quidam virtualis actus, quo reipsa voluntas vult non habere consensum. Cujus ratio est; quia tunc cum homo tentatione magna præmitur; impossibile est quod intellectus non cogitet, & non proponat voluntati, vel consentiendum, vel eliciendum contrarium dissensum, vel saltim continendum esse consensum; & ex consequenti voluntas saltem virtualiter continere vult, ad quod proinde auxilio indiget divino. Itaque in casu quo tentatio urget; non se potest habere homo merè negativè; nec tunc est purum non agere vel pura omissio actus, sicut cum quis non cogitat, ut dicit S. Thomas 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. quamvis etiam nec omissio culpabilis detur sine aliquo actu, vel occasione saltem antecedenti; de quo S. Thomas *ubi supra.*

Ad quartum negandum quòd insurgente gravi 139
tentatione non sit in homine libertas, sed quòd necessario ei consentiat, prout plenius atque perfectius probatum est; negandum etiam quod homo in puris naturalibus ei non possit resistere. Vnde negandum tertio quod in illo pars superior non dominaretur inferiori, unde totum illud argumentum ruit.

Ad quintum dicendum nullo modo ex nostra 140
sententia, quæ non nostra est sed sanctorum Patrum, ut visum fuit, sequi hominem lapsum non peccare: quamvis sine auxilio gratiæ resistere non possit gravissimæ tentationi: sicut enim hoc secundum est verum, ita dicere hominem tunc non peccare falsum, & à Pelagianis objectum, ut ex relatis in superioribus ex S. P. Augustino redditur conspicuum; unde falsum est talem hominem lapsum sine auxilio gratiæ committentem omnia facinora non peccare; nec justè mereri puniri; imò tantò magis peccat, quantò promptius, & ex habitu cum delectatione peccare vult, videns illud quod committit, peccatum esse & contra Deum, ut supra ex S. Thoma ostensum est. Vnde hoc argumentum, quod toties repetit hic author, & in vadem semper assumit, antiquum est, & multoties ei responsum fuit.

Ad sextum quòd prætendit ex vera sententia, 141
quàm cum Patribus defendimus, sequi quod mysterium redemptionis deprimatur, neganda omnino talis sequela est, imò, ut docet, extollitur, dum infirmitatem arbitrij ad vincendam tentationem indigere gratia redemptionis prædicatur; sicut perpetuo contra Pelagianos defendit & probavit Sanctus Pater Augustinus. Et ad probationem dicendum ineptum esse & frivolum illud fundamentum à Pelagianis inventum; quod nimirum tunc graviter tentatus ex necessitate & sine libertate peccet; quin potius verè peccare demonstratum est.

Vnde cessant illæ tres illationes, quæ ex hoc pravo fundamento contra redemptionis mysterium deductæ sunt. Cessat inquam prima, qua merè deducitur futura fuisse tunc pauciora peccata in genere humano, quam si ipsum humanum genus per Christum non fuisset redemptum: imò multo plura fuissent, & sine remedio, quia quotquot gravioribus tentationibus agitarentur, liberè consentiendo, veréque peccando, eisdem succubuissent, nec eis resistere valerent, quarum tamen plures modo per Christi Domini gratiam vincunt & superant. Similiter valde insipienter. Secundo infertur ab illis culpis, quas homines committerent, gravioribus tentationibus succumbendo non fuisse absolutè liberandum humanum genus: nec pro illis redemptore simpliciter indiguisse. Hoc enim quis vel proponere audeat, cum illæ essent veræ culpæ, quæ nisi per redemptorem Christum non erant expiandæ, parique ratione & audacter deducitur. Tertiò auxilia particularia gratiæ, quæ per Christum generi humano conferuntur occasionem esse longè majoris miseriæ, & multo plurium peccatorum, ex eo quod si hujusmodi auxilia per Christum non darentur peccatoribus, transgressiones illorum peccatorum, quorum gravibus & vehementibus tentationibus concuterentur, illis ad culpam non imputarentur, quia ex necessitate & sine libertate peccarent. Absit à Theologis ista proponere; absit istis convinci. Omnia enim ista ex illo errante principio deducuntur, quo sibi malè suasit hominem lapsum graviori vehementiori tentatione impetitum cui sine gratiæ auxilio resistere non valet, ei ex necessitate &

sine

Digitized by Google

sine libertate consentire, & sic peccando non peccare. Quando enim alia argumenta non essent, ista proculdubio sufficere debuissent, ut à tali sententia abstineret. Itane coarctamur angustiis, ut è duobus unum ex necessitate eligere debeamus: vel liberum arbitrium hominis læsi sanum constituere, ut valeat quamlibet gravem & vehementem tentationem superare sine gratiæ auxilio (quod vera doctrina non admittit, ut probatum est copiosè): vel hæc inconvenientia, quæ tam manifestè mysterium nostræ Redemptionis evacuant, admittere? An nulla est media & secura via, quâ procedat Catholica veritas? Profectò sive una, sive alia ex modo relatis mysterio nostræ Redemptionis magna ex parte detrahimus. Si primam viam cum arguente sectemur, non fuisse necessarium Redemptionis mysterium, ut homo infirmus per peccatum vires ex gratia suscipiat ad vincendam quamlibet gravissimam & vehementissimam tentationem, etiam si pro servanda naturæ lege, mors tolleranda sit, dicemus: quod quam injuriosum sit gratiæ Redemptionis, & quam sanum statuat arbitrium, quod infirmum debemus confiteri, Sanctus Pater Augustinus & alij Sancti Patres inducti manifestissimè docuerunt. Si autem cum eis teneamus indigere hominem talem auxilio gratiæ ad illam superandam tentationem, occurrit nobis ex adverso hic author supradicta inconvenientia deducens, & sic sive una sive altera via gratiæ Redemptoris ingrati erimus & injuriosi.

142 Absit ergo sic sentire, vel sic opinari, nec enim ex necessitate gratiæ Redemptoris, qua arbitrium hominis læsi potest tentationem magnam superare, & sine illa non potest: in quo sine dubio infirmitatem nostram confitemur, & gratiam prout decet commendamus, sequitur, vel sequi potest aliquid quod contra eandem Redemptoris nostri gratiam procedat, vel eam deprimat; sed utraque veritas optimè cohæret, & inconvenientia omnia hinc inde contra Dei gratiam penitus cessant: si dicamus (prout supra ex Sanctis Patribus dicendum esse monstravimus) hominem lapsum sine gratiæ auxilio vehementissimè tentatum, nec valentem per se illi resistere, per se valere ad consentiendum & peccandum: ne alias sive ad unam viam, sive ad aliam declinando argumenta sumamus ex gratia contra gratiam: ex necessitate Redemptionis contra Redemptionem, sicut quidam sumunt arma ex Evangelio contra Evangelium: quod in hac argumentatione inadvertenter proponitur.

143 Ex quo patet ad septimum, negandum est enim ex vera, quam defendimus doctrina sequi, potuisse hominem in natura lapsa, si futurus non fuisset Redemptor, diu abstinere à nova culpa sine gratiæ auxilio. Et ad probationem dicendum, quod illo longo tempore graves tentationes se offerrent, quibus infallibiliter succumberet sua libertate verè de novo peccando; imò toties de novo peccaret, quoties vehemens esset tentatio: ut dictum est. Hæc autem elaborata argumenta proponere, quæ ideò videntur excogitata, ut minus eruditos & fundatos in hac materia deterrerent; ut sic illos in suam sententiam pertraherent, magnus fuit sed major labor assumptus, & magna tentatio, cui arguens sua libertate succubuit.

144 Ad octavum multo à fortiori negatur sequi ex vera sententia hominem justificatum diu in gratia posse perseverare absque speciali auxilio gratiæ. Et ad probationem dicendum, quod toto tempore, quo quis est in gratia, semper etiam Deus illi dat sufficiens auxilium speciale, quo possit occurrentibus tentationibus resistere, ut ex Sancto Thoma *in secundo sent. dist.* 28. superiùs monstratum est: Deus enim neminem deserit nisi deseratur ab eo. Vnde cum justificatus habeat auxilium quo resistere valet diu tentationibus occurrentibus, sua libertate illis consentit, cum cadit. Sed de hoc infra agendum erit copiosè, cum specialis fuerit sermo tractandus de auxiliis divinæ gratiæ, quæ nempe illa sint, & quomodo adjuvent.

Nonum argumentum multa continet inaudita; 145
primum est tantam impotentiam esse ad bene operandum, seu ad tentationes vincendas in homine justo per gratiam gratum facientem, quanta est in homine peccatore sine gratia. Hæc enim assertio, prout supra expositum est, de illa schola descendit, quæ dicit justificationis gratiam non esse necessariam ad divina servanda mandata, sed tantùm ad faciliùs: si enim tanta impotentia est in justo ac peccatore ad resistendum tentationibus: constat quod justificans gratia non ponitur necessaria ad resistendum tentationibus, & ad servanda mandata; quia tam potens ponitur homo sine illa ac cum illa ad ista facienda.

Secundùm falsissimum quod apponit, est illa as- 146
sertio, quam pro probatione prædictæ assertionis submisit, nimirum; *habitus gratiæ & charitatis solùm efficiunt, quod opera ex eis elicita sint supernaturalia, & vitæ æternæ meritoria; non tamen ita nos adjuvant, ut non maneamus inclinati & propensi ad vitia.* Hoc enim verè est ponere gratiam justificantem non nos adjuvare ad non peccandum, & ad servanda mandata: quod sicut illud primum in Concilio Milevitano damnatur *Can.* 3. & 5. Nam si nos non adjuvat; ut non maneamus inclinati & propensi ad vitia: sed ita sicut antea in illa propensi manemus, quis non videat quod nos non adjuvat justificans gratia & charitas contra vitia, & ut contra illa divina mandata servemus? Etenim in hoc nos gratia contra vitia adjuvat verè, in hoc nobis vires tribuit contra illa; in hoc sanat infirmitatem nostram, quia nos avertit à bono commutabili, & à peccatis in quæ propensi & incurvati eramus, & quibus sicut fini adhærebamus, & nos convertit in Deum sicut in finem. Si ergo hoc in nobis non efficit, sed ita nos propensos & inclinatos dimittit in vitia sicut antea eramus, cum sub peccato captivi tenebamur; proculdubio gratia & charitas nos non adjuvant contra vitia, nec contra illa animam nostram sanant. Nescio quid acerbiùs in Dei gratiam justificantem dicere potuit iste author, ut eam nec sanare animam, nec eam contra vitia adjuvare proferret.

Vnde illud quod præmisit: *quod gratia justificans,* 147
& charitas solum efficiunt opera nostra supernaturalia, & meritoria vitæ æternæ: sustineri nequit, quia eandem sapit farinam. Quomodo solùm hoc efficit gratia, si duo habet efficere, & sanare animam, & rursus eam ordinare ad supernaturalem finem per charitatem, quæ duo universi Theologi fatentur sicut fateri à veritate astringuntur. Quomodo ergo noviter audimus, quod solum gratia justificans & charitas supernaturalem facit actionem, & æternæ vitæ meritoriam; negando quod animam sanet? Quis hæc dicere potuit, nisi qui per peccatum animam infirmam negat, vel si infirma est per peccatum, manere hanc infirmitatem etiam ablato peccato, nec sanari per gratiam?

Quartum deindè, quod sub his verbis intulit ex 148
dictis: *si Deus hominibus justificatis particularia auxilia non conferat, ferè tam facilè conturbamur, & tam debiles sumus ac proni ad succumbendum tentationibus, labendumque in peccata manemus, ac si in gratia justificati non essemus.* Eadem omninò ratione intollerabile est & justificanti gratiæ & charitati, si-

Digitized by Google

cut & priora, valde injuriosum, ne quid graviùs dicam; quia horum quatuor dictorum adæquatam censuram Ecclesiæ sanctæ dimitto: nam sanatur natura per gratiam: unde jam in voluntate & parte superiori, infirma non est, ut habet Catholica veritas. Quomodo ergo tam infirma & propensa ponitur in peccatum, ac cum sub peccato captiva tenetur? Quomodo conversa in Deum sicut in finem, & aversa à peccato, quod certissimè habet per gratiam & charitatem, tam propensa manet in peccatum, ac cum illi adhærebat per conversionem ad illud sicut ad finem, sed verbum ferè tam facilè apposuit, ut aliquantulum invidiam propositionis temperaret: sed minùs temperat; quia aliqualem majorem propensionem ponit in peccatore ad vitia, quam in homine justo; licet in homine justo non tam facilem constituat. Sed hoc quid est aliud quam faciliùs vitare posse hominem per gratiam peccata; non tamen illam esse necessariam, ut simpliciter evitentur, quod esse antiquum damnatum, nullus est qui non videat?

149 Dicendum est ergo quod licet ex parte nostra inferiori maneat natura infirma atque corrupta in homine sanato per gratiam, & ex illa inferiori parte in peccata inclinemur, tamen pars superior, utpotè per gratiam sanata, inclinatur in bonum & in Deum, & potest sibi subjicere inferiorem appetitum. Vnde non ita propensus in vitia, nec tam ferè manet homo justus ac homo peccator. Quod si tandem ut se excuset, recurrat author hic ad illas inclinationes habituales ad malum; quæ remanent in homine justificato dicendum quod illæ non remanent in esse vitij formaliter; nec ita inclinant sicut in homine peccatore; ex eo quod revera voluntas aversa est à peccato, & ad Deum conversa sicut ad finem; ex quo est sancta, vires habet ad resistendum tentationi & peccato, quas non habet homo peccator.

CAPVT XIII.

Tandem aliis argumentis supra adductis satisfit, & ostenditur hominem justificatum etiam auxilio gratiæ ad rectè operandum, & tentationes superandas.

150 IGitur ad argumentum, quod ex hoc principio totaliter inferebat: eadem potentia & in potentia est ad servanda mandata, & singulas tentationes vincendas, non verò ad omnia simul: ergo in peccatore est potentia ad singula servanda mandata, & singulas tentationes, non verò omnes simul. Majorem suo judicio relinquit probatam per illa sua quatuor dicta quæ retulimus. Minorem probat ex Concilio Tridentino *sess. 6. can. 22. Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, aut cum eo non posse, anathema sit.* Ad hoc, inquam, argumentum neganda major illa est, quæ ut dictum est modo, sustineri nequit.

151 Circa minorem verò, quâ dicitur hominem justum non posse sine speciali auxilio omnia simul mandata implere, & omnes collectivè tentationes vincere; posse vero sine illis cuilibet in particulari resistere: dicendum utrumque verum esse, & quidem primum, quod non possit omnes simul, nec semper, nec longo tempore superare, nisi speciali auxilio juvetur, omnes Theologi concedunt, & concedere tenentur, & signanter S. Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 9. ubi in homine justificato requirit auxilium quo moveatur à Deo ad rectè agendum propter duo: primò, ratione generali propter hoc, quod, ut supra probaverat, nulla res creata quantumvis perfecta potest in quemcumque actum prodire nisi virtute divinæ motionis. Quibus verbis requirit in homine justificato generale auxilium ordinis gratiæ ob illam generalem rationem, nimirum ut voluntas ejus exeat in quemlibet actum bonum.

Secundò requirit in justificato homine auxilium 152
quo moveatur ad rectè agendum speciali ratione, & ex consequenti speciale auxilium postulat ob specialem illam rationem, ut voluntas justificati hominis bene operetur. Ratio autem specialis, ut ibi exponit, est: *propter conditionem status humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem: per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. remanet etiam quædam ignorantia obscuritas in intellectu, secundùm quam, ut etiam dicitur Rom. 8. quid oremus sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat, secundum illud Sap. 9. cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, & ideò necesse est nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, &c.* Hæc S. Thomas adhibet ad probandum indigere hominem justificatum auxilio speciali ratione, & per consequens speciali ad rectè operandum; & idem est sine dubio ad rectè resistendum tentationibus. Quæ tamen specialis ratio si attendatur, apparebit quod postulat speciale auxilium ad diu rectè operandum proportionabiliter ad habitum charitatis, & ad resistendum diu pluribus tentationibus, ut illa verba demonstrant, *propter varios rerum eventus*, quæ nonnisi longo tempore occurrunt.

Diximus ad operandum bene proportionabiliter 153
ad quantitatem habitus charitatis: quia certum est quod ad rectè operandum aliquid supra habitum, requiritur speciale auxilium, & etiam quia non debemus pro resistendo tentationi cuilibet vehementi in particulari ponere in homine justo ignorantiam, ut speciali auxilio debeat superari. Et tandem hanc esse Sancti Thomæ mentem atque doctrinam constat *ex 3. sent. dist. 31. quæst. prima art. 3.* ubi in terminis diffinit, quod quælibet charitas potest resistere cuilibet tentationi, & quinque argumenta in oppositum solvit, quorum solutiones si attendantur, redditur manifestius ipsum docere, quod cuilibet tentationi in particulari potest quælibet charitas resistere, ut statim apertiùs deducimus. Vnde sententia Sancti Thomæ, quod ad resistendum diu tentationibus gravioribus indiget homo justus speciali auxilio.

Efficaciùs autem id probatur ex Concilio Arausi- 154
cano 2. *can. ultimo* ubi sic diffinitur. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere*, sed adimplere, quæ ad salutem pertinent, est adimplere divina mandata, & resistere tentationibus oppositis: ergo possunt justificati omnes ea implere, & tentationibus contrariis resistere, sed auxiliante, & cooperante Deo: necesse est ergo tale auxilium Dei auxiliantis & cooperantis, ut justificati possint divina mandata implere, & oppositis tentationibus resistere; implere autem divina mandata, & ea quæ ad salutem pertinent, per spatium temporis fit, quo ea occurrunt implenda: ergo diffinitur ad servandum ea per spatium temporis esse necessarium auxilium Dei auxiliantis & cooperantis.

Probavit

Digitized by Google

155 Probavit tertiò hanc veritatem, quam pro minori constituit author, cum quo agimus ex diffinitione Concilij Tridentini *sess. 6. can. 22.* modo relato, haud tamen scio id ibi determinari, quia in Canone illo non de perseverantia secundum quid seu pro aliquo tempore sermo fieri videtur, sed de perseverantia simpliciter, quæ est illa qua perseveratur usque in finem: de qua, & in *cap. 9.* illius sessionis sermonem expresse fecerat, quam & vocavit magnum perseverantiæ donum. Vnde non apparet ibi diffinitum necessarium esse speciale auxilium, ad perseverandum videlicet per unum mensem, vel per annum, sed ad perseverandum usque in finem: bene tamen id diffinitum diximus in Concilio Arausicano secundo jam inducto, sed de vera intelligentia hujus Concilij Tridentini *Can. 22.* infra suo loco copiosiùs dicturi sumus.

156 Secundum autem quod in eadem minori proposuit, videlicet posse justificatum sine speciali gratiæ auxilio, nimirum per generale auxilium illius ordinis gratiæ resistere cuilibet in particulari tentationi gravi, & vehementi excepta dumtaxat illa, qua pro fide, vel virtute servanda se morti traderet, licet aliqui sint, qui negent asserentes ad quamlibet talem necessarium esse tale auxilium nobis tamen multo veriùs, & de mente Sancti Thomæ dicendum videtur id necessarium non esse, sed sufficere generale auxilium ordinis gratiæ, quo Deus moveat justum, ut cuilibet in particulari tentationi resistat per vires, quas ex charitate ad id habet, etiam si potiores ex speciali auxilio non dentur. Probatur primò ex modo inducto ex Sancto Thoma in *illo articulo nono q. 109. ex 1. 2.* sed efficaciter, ut præmisimus ex eodem Doctore Sancto *in 3. dist. 31. quæst. prima art. 3. inducto*, ubi aperte & in terminis hanc docet sententiam, quod scilicet quælibet charitas etiam minima possit resistere cuilibet tentationi, quod in corpore illius probat, & signanter in solutionibus illorum quinque argumentorum magis specialiter in tribus argumentis, sed contra.

157 Quorum primum est. Non potest evitari omne peccatum, nisi omni tentationi resistatur; sed minima charitas potest evitare omne peccatum, cum etiam homo in puris naturalibus existens hoc potuisset: ergo charitas quælibet potest omnem tentationem vincere. Ex quo efficacissimè nos possumus confirmare hanc veritatem: homo in puris naturalibus potuit cuilibet vehementi tentationi resistere, sicut ad breve potuit quodlibet mandatum implere. Multò ergo à fortiori id poterit homo in gratia constitutus. Consequentia apertissima est & antecedens à Sancto Thoma hîc traditur, & esse verissimum superiùs ostensum fuit.

158 Præterea, & est secundum argumentum Sancti Thomæ, plus diligit charitas legem Dei quam cupiditas millia auri & argenti; sed major dilectio minori tentationi resistere potest: ergo quælibet charitas resistere potest cuilibet tentationi.

159 Tertiò nullus peccat in eo, quod vitare non potest, ut Augustinus dicit: si ergo habens charitatem non posset cuilibet tentationi resistere, videretur quod tentationi consentiens non peccaret. Quod argumentum in existente in gratia concludere videtur, non autem in existente in peccato, ut supra visum est. Quia si existens in gratia non posset tentationi resistere, cum illa impotentia non proveniat ex priori culpa, quia sine culpa in gratia est, sibi peccatum non imputaretur; nemo enim peccat in eo quod vitare non potest, si illa impotentia ex priori ejus culpa non descendit, sicut superiùs monstratum est. At existens in peccato ex priori sua culpa saltem originali habet, quod resistere tentationi non possit, unde meritò sibi peccatum imputatur, ut ex dictis constat.

160 Diximus, dummodo existens in gratia pro vincenda tentatione, vitam propriam non exponeret, quia tunc in gratia vitam finiret, & in ea usque ad glorioſam mortem perseveraret, utique haberet magnum illud & speciale perseverantiæ donum sine quo nullus usque in finem perseverare potest ut in *citato can. 22.* Concil. Trid. *ex sess. 6.* palam diffinitur.

161 Notandum insuper, quod licet existens in gratia possit sine speciali auxilio cuilibet gravi, & vehementi tentationi resistere, non tamen potest sine illo propriè tentationem vincere; ut apertè docet S. Thomas *citata dist. 31. quæst. 1. art. 3. ex 3. sent.* dicens. *Loquendo verò de tentatione secundo modo* (id est de victoria illius, quia tentatus ex magnitudine animæ quasi pro nihilo tentationem parvi pendet, quod est propriè tentationem vincere) *sic charitas, quæ est parva in principio tentationis potest tentationibus resistere, quia in fine tentationis fit magna: cum Deus pugnanti auxilium semper administret; si tamen ponatur, quod semper parva maneret, non posset per hunc modum* (id est eam propriè vincendo) *tentationi resistere.* Quia difficultatem pateretur in resistendo illi, ut idem Sanctissimus Doctor exposuit in articulo illo.

162 Quod si opponatur sequi existentem in gratia non debere orare, ne inducatur in tentationem quamlibet in particulari, postquam ei potest resistere sine alio speciali auxilio cum solo generali. Respondetur negando sequelam, quia generale auxilium gratiæ duplex est (ut infra suo proprio loco dicemus) aliud dans voluntati posse moveri ad rectè agendum id ad quod per gratiam sufficientes vires habet, & hoc omnibus existentibus in gratia confertur, nec pro illo orandum est. Aliud est generale auxilium gratiæ de facto, seu efficaciter movens voluntatem hominis grati ad rectè agendum id, ad quod per charitatem sufficientes vires habet, & hoc, ut supponimus, non omnibus datur, sed quibus Deus ex misericordia vult, & pro hoc etiam debent orare constituti in gratia, ne ex defectu illius, licet possint cuilibet tentationi resistere, de facto tamen à qualibet vincantur. Vnde rectè etiam & ipsi orant, ne nos inducat in tentationem, ut S. Thomas ostendit *1. 2. quæst. 109. art. 9. in fine corporis.*

163 Ad ea quæ postea defensores concordiæ addiderunt (quæ & relata sunt in fine *cap. 2.*) dicendum est modo, & quidem ad illud eorum fundamentum, quod nimirum error Pelagij tantùm fuit, hominem lapsum se solo posse omnibus resistere tentationibus vel aliquam meritoriè vincere, satis dictum est supra, quod quamvis hic fuerit illius principalis error, non tamen solùm in hoc erravit, sed etiam cum quamlibet difficilem, & arduam à fortiori dicebat vinci per hominem posse, aut saltem illi resisti, ut ex Summorum Pontificum diffinitionibus, & Sanctis Patribus non obscurè probavimus.

164 Dicendum secundò quod dato ita esset, etiam author concordiæ asserit re ipsa, quod omnibus possit homo resistere sine speciali auxilio gratiæ: de hoc enim ex suis principiis convincitur, ut ostensum fuit supra; tum quia idem dicit de homine in peccato, & de eo, qui in puris naturalibus conderetur, qui ad breve tempus omnibus resistere posset: tum quia ad breve tempus id ipse non negat homini lapso, sed ad longum ut visum fuit; tum quia etiam ad longum tempus asserit non posse sine gratia commodè: ergo minus commodè, seu cum difficultate illis posset resistere; tum denique, quia auxilium, quod admittit expresse ad omnes vincendas non

Digitized by Google

recedit à lege atque doctrina, ut *supra* & *libro* 1. & 2. dictum fuit, & declaratum. Similiter posuit, quod cum merito possit homo lapsus tentationi cuilibet resistere, supposito quod ad moriendum pro bono virtutis, & ad superandam tentationem asseruit ipsum possibilitatem ex sola natura habere.

165 Ad duo illa loca inducta est S. P. Augustino nempe ex *epist.* 94. in qua dicit errorem Pelagij fuisse posse hominem lapsum sine gratia omnes superare tentationes: & ex *libro de gratia Christi*, ubi videtur de resistentia tentationis cum merito loqui, & sic intelligere Pelagij errorem: patet ex dictis, quod etiam in alijs testimonijs à nobis superiùs inductis constat errorem etiam Pelagianorum fuisse cuilibet in particulari gravi tentationi posse hominem sine gratia resistere, undè illa duo loca alijs non contradicunt, sed in utroque errasse Pelagianos tantùm comprobatur. Secundò dato in illo solum errarent, ut dictum est modò breviter, & in superioribus abundè probatum, etiam in eadem sententiam cum illis convenit author concordiæ nec potest excusari.

166 Ad illam diffinitionem Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaëlem Baïum dictum est supra in hoc libro, solum ibi determinari posse hominem solis naturæ viribus aliquod bonum opus morale efficere, videlicet facile quod concedimus, & posse alicui tentationi resistere, quia non est necesse quod semper homo à tentatione vincatur, ad quod sufficit quod cuilibet levi tentationi, & facili possit sine auxilio gratiæ resistere homo; ut sic enim non erit necesse, quod semper à tentatione vincatur; imò propter leves, & faciles tentationes id dictum & diffinitum fuisse constat ex eisdem diffinitionibus si inspiciantur attentiùs.

167 Ad illud ultimum quo contendebant esse Scholasticorum communem sententiam, quod possit homo cuilibet gravi tentationi sine auxilio gratiæ resistere, id eis semper negatum fuit, sicut revera debet negari. Et quidem quod S. Thomas id non dicat in 2. *distinct.* 28. *quæst.* 1. *ad ultimum*, & *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. & 3. *contra gent. cap.* 60. & 12. *quæst.* 109. *art.* 4. jam supra monstratum est & ostensum quod ista testimonia solùm negent gratiam justificantem esse necessariam ad singula mandata efficienda, & ad singulas vincendas tentationes; non autem quod negent pro difficilioribus & gravioribus quibuscunque auxilium gratiæ, quod in multis alijs testimonijs ibi appositis S. Thomas exposuit. Ad Scotum autem & Sanctum Bonaventuram, & Egidium quos inducebant, respondetur *citatis locis* solùm asserere Doctores illos, non esse necesse quod omni tentationi homo succumbat; quia nempe potest alicui, scilicet levi & facili resistere, quod est sine dubio verissimum imò S. Bonaventura hoc expresè in dicito loco in 2. *sent. dist.* 28. asserit, cum dicto quod alicui non potest homo sine gratia resistere, nempe graviori & vehementiori. Et idem ait Egidius, si totus in citato testimonio legitur.

In summa dicendum, & cum tota ista materia 168
de resistentia concludendum est, quod nullus Scholasticorum asseruit posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ resistere tentationi gravi & vehementi cum quatuor requisitis, quæ ab authore concordiæ, & illius defensoribus statuuntur. Primò ut possit talis homo cuilibet gravi & vehementiori resistere, imò illam vincere: Secundò quod id possit facere nè transgrediatur legem naturæ: Tertiò quod id valeat efficere, ut servet naturæ legem, etiam si mors ob id sit tolleranda: Quartò quod si in tali casu id efficere homo sine gratiæ auxilio non valeret, voluntas ejus in consensu cogeretur, nec ei imputaretur peccatum. Nullus inquam Doctorum hæc quatuor asseruit, sed novissimè temporibus istis cum antiquitus essent sepulta revixerunt.

TRACTATVS IV.

DE GRATIA IN ORDINE AD credendum, prout ad salutem oportet.

CAPVT PRIMVM.

Posse hominem assentiri certò, solis suis viribus, omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, Recentiores defendunt, & fundant.

1 TANTA fuit Authoris illius concordiæ in extollenda arbitrij libertate contra necessitatem gratiæ inanis diligentia, tantaque cura, ut omni ex parte divinæ gratiæ detraheret, quod malè libero hominis arbitrio tribueret. Vnde nec contentus in suadendo posse hominis lapsi arbitrium viribus læsum & extenuatum facere omne opus morale bonum, etiam difficile & arduum, ex bono fine omnique bona circunstantia vestitum, & omne opus veræ virtutis moralis, ita ut lapsum hominem sine aliquo prorsus auxilio gratiæ moralibus virtutibus abundare publicaverit (ut in fine nostri tertij libri relatum est); nec contentus contendere, 2
eundem lapsum hominem solis suis infirmis viribus posse Deum Authorem naturæ actu absoluto super omnia diligere: de peccato propter ipsum sic dilectum verè conteri, & quamcumque gravem vehementioremque tentationem vincere, etiam si pro illa superanda, & lege naturæ defendenda mors illi esset tolleranda (sicut à principio hujus quarti libri usque nunc adversus eum de hoc disseruimus.

Verum quod magis est, aliam assertionem statuit (quam primo nostro *lib. tract.* 6. *cap.* 18. constituimus in hæc verba in *Concordia quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 7. §. *ut ergo* & §. *Pars affirmans*. *Quod itaque disputamus est*, inquit, *utrum propositis & explicatis his, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, quæ afferri solent, ut homines merito sibi persuadeant ea revelata esse à Deo, & jussa credi, & denique accedente externa vocatione ad fidem per concionatores, aliosque Ecclesiæ ministros, utrum inquam sit in facultate liberi arbitrij cum solo concursu generali Dei rebus propositis assentiri tanquam à Deo revelatis, actu tamen*

Digitized by Google

tamen qui sit merè naturalis : quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem. An vero interna vocatio mentis illustratio, & attractio per auxilium supernaturale de quibus in disputatione sequenti erit sermo ita necessaria sint ad assentiendum his, quæ ad fidem spectant, ut non solum actu supernaturali, qualis ex parte intellectus ad justificationem requiritur, eis assentiri non possumus, sed nec actu quidem merè naturali assensum ipsis præstare valeamus. Pars affirmans quæstionis proposita semper mihi vera visa fuit, cum Doctoribus inferius citandis.

3 Quam doctrinam ampliùs explicans atque confirmans postea *disput.* 38. §. *his dubijs* in eadem concordia ait : *Cum autem circa objecta, in quibus Lutheranus non errat, illis adhibens assensum tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt nos supernaturalem assensum eliciamus, Lutheranus vero naturalem, ex suis solis naturalibus sine influxu mediato vel immediato supernaturali Dei, utique, quoad infabilitatem in objectis ex prima illa radice, quod vere Deus illa revelaverit Ecclesia per suos servos ac ministros, pares illi sunt nobisciũ, nec plus tali assensui Lutherani potest subesse falsum quam nostro* : Fatetur tamen ne omnia ejus verba longiora referantur, quod qua ex parte Lutheranus solis suis viribus illis assentitur nos autem ex divino auxilio supernaturali illius assensui potest subesse falsum non nostro addit autem in supradicta *disp.* 7. §. *nostram sententiam, versu nec nos*, verba ista : *Nec nos alium assensum intendimus hoc loco probare posse elici viribus liberi arbitrij, & concursu generali Dei circa ea, quæ ad fidem pertinent, quam opinionem fidemvè humanam, quæ actus sit merè naturalis ex proprio spiritu humano, & viribus humanis elicitus, distinctusque specie à Christiano assensu, qui circa eadem objecta per impulsum Spiritus sancti spiritumque fidei infusè elicitur.*

4 Ex quibus constat quod supradictus Author supradictam assertionem ex sex voluit excusare, & quasi temperando moderari ; talis enim est, ut nisi saltem quo ad voces his adhibitis temperaretur statim omnibus appareret apertus Pelagianorum error, nobis ex nobis initium fidei tribuentium. Primum est, quod ille assensus est ex parte credentis, tantum non ex divina revelatione. Secundum quod per illum assensum sibi persuadet homo illa esse revelata, non autem innititur divinæ revelationi. Tertium quod lumen supernaturale daret peculiarem certitudinem. Quartum quod ille assensus distinguitur specie ab assensu fidei Christianæ, quem ex divino auxilio fidelis habet. Quintum quod ille assensus sit actus opinionis, & fidei humanæ. Sextum quod sit merè naturalis non effectus prout ad salutem oportet.

5 Hanc igitur assertionem suam sic expositam, & temperatam probat ex Concilio Arausicano 2. *Can.* 6. illis verbis *ut credamus & velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus*, & Can. 7. *si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ cogitare*, & Can. 25. *Per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum aut operari propter Deum, quod bonum est, possit* : Similiter ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *Can.* 3. *Si quis dixerit sine prævenieute Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit* ; Dum enim illud verbum addunt Concilia, *sicut oportet* manifestè innuunt ejusmodi actus merè naturales, ac proindè non ut oportet ad justificationem ; elici posse viribus liberi arbitrij cum solo concursu generali : aut saltem non obscurè innuũt sine ullo periculo id affirmari posse. Vnde Concilia allata solùm negant fieri posse ejusmodi opera per solum vigorem naturæ absque speciali auxilio, & dono Dei, ut oportet ad justificationem, aut itaut pertineant ad salutem vitæ æternæ ; non vero quoad substantiam actus, atque intra limites actuum merè naturalium, qui ad salutem vitæ æternæ minimè conferant. Vnde miranda in *sua summa Conciliorum, post cap.* 7. hæc quæ sequuntur subjungit : *Recentiores*, inquit, *non nulli Theologi interpretantur hæc duo loca, nimirum 6. & 7. Canonem de auxilio Dei generali, sine quo nihil omnino valemus facere neque opus aliquod naturæ. Magis legitimum est, quod hîc sentitur à Concilio & Pontifice, ut hîc non negentur opera naturæ, sed quæ pertinent ad salutem vitæ æternæ.*

Secundò probat authoritate Scholasticorum, & præcipuè sancti Thomæ 2.2. *quæst.* 9. *art.* 3. dicentis in *corpore*, & *solutione ad primum*, hæreticum errantem, circa unum articulum habere assensum merè naturalem erga alios circa quos non errat, qui nihil aliud est, inquit, quam quædam opinio elicita ex proprio judicio, & propria voluntate, & non ex habitu fidei supernaturali. Vbi non negat hæreticum eo assensu, & opinione persuadere sibi posse articulos, circa quos non errat, non solum veros esse, sed etiam revelatos à Deo, cum eâ tantum ratione credat illos esse veros, quia sibi persuadet revelatos esse à Deo. Cum ergo additio unius articuli supra reliquos omnes modicum aut nihil addat difficultatis, sanè quâ ratione D. Thomas concedit, amisso habitu fidei propter hæresim circa unum articulum, esse vires in libero arbitrio ad eliciendum cum solo concursu generali Dei assensum merè naturalem & opinativum circa reliquos omnes, concedere tenetur esse etiam vires ad assentiendum simili modo illi eidem articulo cum reliquis, facta hypothesi quod Deus ad talem assensum solùm concurrere velit concursu generali. 6

Confirmabant, qui postea hanc assertionem defendebant, hoc ipsum ex eodem sancto Thoma *quodlib.* 6. *art.* 6. dicente, quod in hæretico, in quo non est habitus fidei infusè, est certitudo adhæsionis ad illum articulum, circa quem non errat : firmiter ergo illi adhęret : ergo eadem naturali firmitate potest adhærere omnibus. 7

Pro eadem sententia inducitur Capreolus in 3. *dist.* 24. *quæst. unica ad primum, & quartum argumentum Scoti contra* 2. *conclusionem* Caietanus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. & 4. Sotus in 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. & 2. Et 2. *de natura & gratia cap.* 8. Palud. in 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. Durand. in 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. Gabr. in 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. *concluf.* 2. Almain. *qu.* 3. *concluf.* 4. Omnes hi authores inducuntur ad probandum posse hominem solis naturæ viribus cum concursu generali ordinis naturalis assentiri certò actu merè naturali omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt. 8

Rationibus idem tertiò suadere laborant. Experientia comprobatur, quod quando sunt rationes, & argumenta quæ reddunt rem aliquam credibilem, in facultate liberi arbitrij est suum illi assensum præbere cum solo generali Dei concursu ; sed ea quæ de fide proponuntur ex miraculis in eorum confirmationem factis, ex vaticinio tot Prophetarum, ex veteris novique testamenti consensione, atque ex multis alijs credibilia facta sunt nimis, ut ait Propheta : ergo cum sic proponuntur & explicantur, in facultate liberi arbitrij est positum cum solo concursu generali Dei actu merè naturali assensum illis præbere. 9

Secundò,

Digitized by Google

10 Secundò. *Ioan.* 5. Dixit Dominus: *opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.* Et *cap.* 10. & *ſi mihi non vultis credere, operibus credite,* & *cap.* 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem peccatum non haberent nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et rurſus: *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: ergo ſaltem, qui Chriſtum audierunt, & miracula illius viderunt, potuerunt cum ſolo concurſu, generali Dei aſſenſum præbere doctrinæ Chriſti, quæ ex tot miraculis mirum in modum credibilis facta eſt, atque eâ ratione peccatum infidelitatis vitare potuerunt.

11 Tertiò veteres Iudæi ante Chriſti Domini adventum ex fide Catholica credebant omnibus myſterijs fidei, quæ per legem proponebantur, (ut ſupponimus) cum eadem ſit fides Eccleſiæ, tempore legis ſcriptæ & gratiæ: & in utraque lege credere ſit donum Dei; ſed per fidem modò Iudæi illis omnibus aſſentiuntur, non ex fide vel dono Dei, cum infideles ſint: ergo actu merè naturali ex ſolo generali concurſu, igitur poteſt quis actu merè naturali, & cum ſolo generali concurſu aſſentiri his omnibus, quibus alius ex fide aſſentitur. Pari ergo ratione poterit quis nunc actu merè naturali & cum ſolo generali Dei concurſu aſſentiri omnibus myſterijs fidei, quibus alius ex fide & dono ſupernaturali aſſentitur.

12 Quartò eadem eſt fides, quæ poſt Adami peccatum fuit in lege naturæ & ſcripta, & gratiæ; tametſi uno tempore fuerit magis aucta quoad numerum credendorum explicitè, quam tempore alio. Nemo autem dixerit in principio legis naturæ, quando nullæ adhuc erant ſectæ, homines qui de novo naſcebantur à ſuis parentibus edoctos, unum eſſe Deum ſupernaturalem authorem, omnium conditorem, & remuneratorem remuneratione ſupernaturali, & pauca alia, quæ tunc de fide erant, non potuiſſe ſolis ſuis viribus eis quoad actus ſubſtantiam aſſentiri, & actu merè naturali, confirmari in ea exiſtimatione cum reliquo hominum cœtu, qui tunc erant in orbe; tametſi, niſi à Deo ſupernaturali auxilio adjuvarentur illum aſſenſum non elicerent prout ad ſalutem oportet: igitur poteſt quis actu merè naturali aſſentiri his omnibus, quibus alius aſſentitur ex fide, licet non faciat actum pertinentem ad ſalutem, ſicut ille alius qui ex dono ſupernaturali eis aſſentitur: ergo & modò poterit idem contingere, quod quis actu merè naturali aſſentiat omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis & quia à Deo revelata ſunt.

13 Quintò Lutherani, & hæretici adducere poſſunt hominem Ethnicum, ut amplectatur, ipſorum ſectam, & tanquam Dei revelationibus aſſentiatur omnibus, quibus ipſi aſſentiuntur, in quibus ponimus præcipuos articulos fidei contineri, errores aliquos non minus difficiles creditu, quam ea, quæ ad fidem pertinent: cum ergo ad aſſenſum, quem hic Ethnicus eliciet ſit ſatis concurſus generalis Dei (neque enim credendum eſt eum ſupernaturaliter ad talem actum adjuvari) ſit ut ad aſſenſum merè naturalem eorum quæ ſub fide cadunt, ſit etiam ſatis generalis Dei concurſus.

14 Sextò longè difficilius illis qui judicio, & ingenio pollent myſterio Trinitatis, Incarnationis, ac Euchariſtiæ aſſentiuntur, quam rudes, qui levibus ſuaſionibus, authoritateque aliorum potius, quam judicio & ratione adducuntur ad credendum, aſſentiantur in genere omnibus his, quæ fides credenda proponit, paucis eorum pro captu eorum dumtaxat explicatis; ſed hæreticus qui circa illa tria myſteria non errat, aſſentitur tam ipſis quam cæteris ſuis erroribus actu merè naturali cum ſolo concurſu Dei generali: ergo qui tardi & rudes ingenio ſuaſionibus atque authoritate aliorum accedunt ad fidem, utique ſicut divinitus adjuti eliciunt aſſenſum eorum, quæ fides habet, qualis ad ſalutem oportet; ita eiſdem ſuaſionibus, auctoritateque aliorum moti cum ſolo concurſu generali Dei aſſenſum merè naturalem de eiſdem objectis poſſent elicere. Probatur conſequentia, quia non aliundè negari poteſt facultas liberi arbitrij ad hujuſmodi actum merè naturalem, quam ex difficultate operis.

Septimò & ultimò, demus puerum non baptiſatum inter ſolos Chriſtianos educati diligenterque 15
fidei documentis imbui, nihilque unquam audire de contrario aliquo errore, & Deum inſuper ſtatuere non aliter cum eo concurrere, quam ſolo concurſu generali, tunc quis affirmare audeat aſſenſum non præbiturum ijs, quæ ad fidem pertinere cognoſcit, aut aliorum hominum quam Catholicorum, cum quibus degit regulam credendi ſequuturum.

Quare cum ejuſmodi aſſenſum eliciat ex ſolis viribus liberi arbitrij cum concurſu Dei generali, di- 16
cendum erit vires eſſe in libero arbitrio ad eliciendum cum ſolo concurſu generali Dei aſſenſum merè naturalem circa ea, quæ ad fidem ſpectant, qui quidem ad juſtificationem minimè ſit ſatis.

Hæc ſunt argumenta, quæ ab authore illius im- 17
pugnatæ concordiæ in ipſa pro ſuadenda ſupradicta ſua aſſertione excogitata ſunt in *citata diſp.* 7. Quia tamen poſtea, qui illius defenſarunt doctrinam alia oppoſuerunt ad defenſionem ſupradictæ aſſertionis, referenda ſunt modò, ut omni ex parte ipſorum fundamenta jaciantur omnibuſque nota ſint quibus innititur.

CAPVT II.

Alijs argumentis prædictam aſſertionem tuentur, & fulciunt recentiores oſtendere conantes ex D. Auguſtino eam verè Catholicam eſſe, & nihil commune habere cum errore Pelagianorum, vel Semipelagianorum.

SPecialiter qui poſtmodum hanc doctrinam & 18
aſſertionem ſicut Catholicam defendere niſi ſunt, nihil continere commune cum errore Pelagianorum, vel Semipelagianorum, ex ſancto Patre Auguſtino id oſtendere procurabant, contendentes illam à ſententia S. Doctoris Auguſtini non diſſonare & ex conſequenti ab omni errore Pelagianorum & Semipelagianorum liberam, quorum errores omnes acuratiſſimè, & perfectiſſimè à S.P. Auguſtino expugnati ſunt. Id autem, ut ſuaderent ex triplici capite ex Doctrina S. P. Auguſtini petito procedebant. Vnde & illorum verba fuere. *Expendamus primò pro defenſione hujus propoſitionis loca ex quibus conſtat agnoſcere Auguſtinum aſſenſum naturalem fidei acquiſita circa revelata, & qualis eſt in hæreticis & damonibus,* ut *libro contr. epiſt. Manichæi,* quam vocant fundamenti, *cap.* 4. ibi, tenet. *conſenſit &c.* & *cap.* 5. ibi. *Ego vero* uſque ad illud *ſibi non credere,* & ibi, *quapropter* uſque ad illud, *quam ſibi.*

Secundus locus inducebatur iterum ex libro de utilitate credendi *cap.* 14. ibi: *ſine paululum* uſque ad illud *præcepiſſe jam credendi:* & ibi, *hoc ergo credendi,* & ibi: *Quidquid omnes.*

Ex tom. 7. *libro* 1. *contr. Creſconium Grammaticum cap.* 29. ibi, nempe *tamen vnitate,* uſque ad illud, *filij Dei,* & infra ibi, *unus enim Deus,* uſque ad illud, *ſalubriter habetur,* & *cap.* 10. ibi, *vide ergo,* uſque ad illud, *agnoſcimus & probamus.*

Quartus

Digitized by Google

Quartus locus tomo 3. *in Enchirid. cap.* 8. ibi, *denique* usque ad illud, *atque commendat.* eodem libro *cap.* 4. ibi: *sibi ideo*, usque ad illud, *apud eos.*

Ex tom. 7. *libro* 2. *contra litteras* Parmeniani *cap.* 8. ibi, *his enim*, usque ad illud, *habebamus*; & paulo post ibi, *itaque ita videatis.*

Ex tom. 7. *libro de Baptismo contra Donatistas cap.* 8. ibi: *quid ergo prodest &c.* eodem *libro c.* 9. ibi: *si fidem*, usque ad illud, *quam pariter confitentur.*

Tomo 3. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 18. ibi, *sic eam discernens.*

Tomo 10. *serm.* 16. *de verbis Apostoli*, ibi, *esse modò* usque ad illud, *una vox facta diversa.*

Eodem tom. 10. *lib.* 50. *homiliarum hom.* 17. ibi, *sed fides* usque ad illud, *credebant homines.*

Tomo 9. *tractatu* 59. *in* 1. *epistolam Ioannis*, ibi, *quod dixerunt*, usque ad illud, *eadem verba non idem animus*; Et paulò post ibi, *qua credit*, usque ad illud, *Vincentium.*

Tomo 10. *serm.* 50. *de verbis Domini* ibi, *si sciero omnia sacramenta*, usque ad illud, *jam ipsi sunt* eodem tomo 10. *serm.* 61. *de verbis Domini*, ibi, *sed multùm interest.*

Eodem tomo 10. *sermone quodam* 14. *pro festo omnium sanctorum ad finem tomi*, ibi, *plaudis tibi* usque ad illud, *à fide damonum.*

Tomo 4. *libro de fide & operibus cap.* 16. ibi, *miror autem.*

Eodem tom. 4. *libro de octo quæstionibus dulcitij qu.* 1. ibi, *quid brevius*, usque ad illud, *laudatum est.*

19 Item aiunt: Expendemus pro defensione ejusdem propositionis loca, ex quibus apparet Augustinum non nisi ad fidem Christianam & Catholicam, & pro ut ad salutem oportet requirere auxilium gratiæ. Et hoc fuit secundum caput prætensionis eorum pro quo sequentia testimonia opponebant.

Ex tomo 7. *libro de prædest. sanct. cap.* 2. ibi, *prius itaque fidem qua Christiani sumus.* Eodem libro *cap.* 5. ibi, *illud verò quod putant de hac fide &c.*

Tomo 7. *libro de bono perseverantiæ cap.* 2. ibi, *quod si non sit*, usque ad illud, *credere in Christum.*

Tomo 3. epist. 105. ibi, *ita sine spiritu fidei non est rectè.*

Tomo 4. *libro* 4. *de fide & operibus cap.* 14. ibi, *sicut etiam ipse Apostolus*, usque ad illud, *nihil sum.*

Ex tomo 2. *epist.* 46. ibi, *propter quod ego*, usque ad illud, *à Patre luminum.*

Ex tomo 7. *libro* 3. *contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 5. ibi; *nostra fides hoc est Catholica &c.*

Ex tomo 10. *lib.* 50. *homiliarum*, *homil.* 17. ibi, *sed quali fide.*

Ex tomo 3. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 18. ibi, *sic eam discernens.*

Ex tomo 9. *tract.* 10. *in epist. Ioannis* ibi, *qui credis propria quadam fides &c.*

20 Item dicebant, *expendemus loca ex quibus apparet agnovisse Augustinum firmitatem quoque assensus naturalis etiam usque ad mortis contemptum:* pro quo tertio suæ defensionis capite sequentia inducebant testimonia.

Ex tomo 7. *lib. primo de Baptismo cap.* 10. *contra Donat.* ibi, *si dispertiant*, usque ad illud, *criminentur*, initio ipsius *cap.* 10.

Ex tomo 10. *serm. de verbis Domini*, ibi. *Nam & apud Hæreticos*, usque ad illud: *jam ibi sunt*, longè ab initio & ibi: *hoc enim modo*, usque ad illud, *pœnas legibus luit.*

Ex tomo 2. *epist.* 50. *ad Bonifacium*, ibi, *hanc legem*, usque ad illud, *Martyres veri sunt.*

Ex tomo 2. *epistola* 116. *ad Nebbidium*, ibi, *sed non arbitror.*

Ex tomo 4. *libro primo de sermone domini in monte cap.* 5. ibi: *Nam multi hæretici*, usque ad illud; *ex fide vivit.*

CAPVT III.

Non posse hominem certò assentiri, solis viribus naturalibus, omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt.

INdubitatum est apud sanctum Patrem Augusti- 21
num *libro de prædestinatione Sanctorum*, *per totum*, apud sanctum Prosperum, *contra collatorem*, & *epistola ad sanctum Patrem Augustinum*, apud Hilarium *epistola alia ad eumdem Doctorem sanctum*, apud Fulgentium *libro de Incarnatione*, *seu de gratia Domini nostri Iesu Christi*, & apud Concilium Arausicanum 2. *Can.* 5 (in quo omnes Theologi sine controversia consentiunt) posuisse non solùm Pelagianos, verùm etiam ultimos illos, qui temporibus illis dicti sunt Semipelagiani, quorum duces fuere Cassianus & Faustus, initium fidei quâ Christiani sumus, ex nobis sicut ex nobis absque aliquo gratiæ auxilio licet constituerent augmentum illius ex Dei auxilio haberi hoc apud omnes indubitatum est, ut *in* 1. *nostro libro cap.* 35. ostensum fuit.

Secundò etiam in illo *cap.* 35. nostri primi libri 22
relatum est aliquos sensisse Semipelagianos illud initium fidei posuisse esse actum quo quis assentitur revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt suppositа exteriori prædicatione fidei, & interna revelatione & excitatione: tamen ut ibi, sicut credimus, ostensum fuit, non dicebant Semipelagiani initium fidei quod nobis ex nobis tribuebant supponere interiorem revelationem, & excitationem; sed sine illa nudum actum merè naturalem, quem homines, ut contendebant, habere poterant absque aliquo gratiæ auxilio ex sola facultate naturæ posita tantùm exteriori Evangelij prædicatione initium fidei vocabant.

Qua ratione ut nostro 1. *libro part.* 1. *tract. c.* 29. 23
& 35. ostensum fuit; in constituendo hoc initio fidei ex nobis cum Pelagio consentiebant; ut tum Sanctus Pater Augustinus, tum Sanctus Thomas ibi inducti convincunt. Quod & manifestum est; primò quia ex solis naturæ viribus actum fidei ex nobis assignabant. Secundò quia ad illum tantum necessariam esse legem, atque doctrinam exteriorem cum Pelagio admittebant. Tertiò quia ex merito ejus Deum dare fidei augmentum re ipsa affirmabant imò verbis exponebant cum dicebant quod propter illum Deus fidem augebat. Quartò quia ut S. Thomas 2. 2. *q.* 6. *art.* 1. docet. Inchoationem fidei ex Deo constituebant, consummationem & perfectionem tantum ex Deo.

Hic autem merè naturalis actus etiamsi fingendi 24
detur licentia, non poterat ab eis alius assignari, nisi ille quo credebat homo, ea quę sibi per externā prędicationem proponebantur. Quem si formalius ipsi vellent explicare, nec magis poterant, quam dicendo esse actum quo propositis & explicatis his quæ fidei sunt; & adhibitis argumentis quæ adhiberi solent, homo ex sola sua naturæ facultate certò assentiebatur omnibus illis misteriis revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt quod sicut est apertissimum, mirum est si quis neget. Vtrum autem publica voce illum merè naturalem actum credendi Semipelagiani appellarent initium verę Christianæ fidei inferius expendemus nec enim hoc (cum solum sit verbalis differentia; aut expressio illius;

Digitized by Google

quod revera ille actus ex se habet) multum ad substantiam doctrinæ conferre videtur, sed ut diximus etiam de hoc inferius tractabimus.

25 Quibus autem argumentis illi antiquiores suaderent tale initium fidei ex nobis esse, S.P. Augustinus de Prædestinatione sanctorum, & S. Prosper, & Hylarius Epistola ad eundem Sanctum Patrem Augustinum, & iterum Sanctus Prosper contra collatorem, necnon & Fulgentius libro de gratia Domini nostri Iesu Christi proponunt & solvunt; illud fuit ex sacra scriptura desumptum potissimum ad Rom. 10. *Cum enim dicitur*, inquiunt, *si credideris salvus eris; unum eorum exigitur, alterum offertur; quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.* Igitur in hominis potestate est credere, & id Deus exigit ab eo, ut ex se ipso credenti Deus salutem conferat.

26 Idem argumentum conficere poterant ex illo, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, quod videlicet fides ab homine exigatur ut illa ex homine præstita Deus salutem conferat unde consequenter dicebant fidem centurionis in ipso ex ipso non ex Deo extitisse, eamque propterea in tantum Dominus laudaverit, ut eam fidei omnium qui erant in Israël præferret, nullius autem ajunt, laudis esset, & meriti, si in eo Dominus quod ipse donaverat prætulisset. Et idem de fide Abraham, qua Deo credidit, & reputatum est illi ad justitiam asserebant. Vnde scripturæ testimonia, quæ clamabant fidem esse ex Deo, exponebant de augmento fidei, non de ipsius initio, asserentes quod initium fidei erat nobis ex nobis, augmentum verò ex Deo.

27 Secundum argumentum illud commune sæpéque tritum erat, quod & verbis nunc relatis opposuerunt quod si primum fidei initium esset ex Deo, nec libertatem in illo haberet homo; & ex consequenti nec laudem & meritum. Sed ad primum argumentum ita Sanctus Pater Augustinus respondet libro de Prædestinatione sanctorum *cap.* 11. sic dicens; *Cur non utrumque in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur? Rogatur enim ut det quod jubet. Rogant credenies ut eis augeatur fides, rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initiis Dei donum sit fides. Sic autem dicitur si credideris, salvus eris, quemadmodum dicitur, si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur, si spiritu, inquit, facta carnis mortificaveritis, vivetis, ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur, ut autem vivamus, offertur, num igitur placet, ut facta carnis mortificare, non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur? Quoniam exigi audimus à nobis, præmio vitæ si hoc fecerimus oblato? Absit ut hoc placeat participibus, & defensoribus gratiæ; Pelagianorum est iste error damnabilis.* Idem argumentum his temporibus renovatum videmus, cum acclamatur, quod si illud quod Deus nobis præcipit, & requirit à nobis, nos non possumus efficere; frustraneum esset illud præceptum, nec justè Deus illud à nobis exquireret.

28 Similiter secundum illud aliud argumentum, quod nullius laudis esset, ac meriti si fidem Centurionis ei Deus præstitisset etiam his temporibus renovatum videmus, & objectum; dum publicatur, quod & ante justificationem, & in justificatione, & post ipsam, si non servatur locus libero arbitrio, id est si non ponitur ipsum ex se inchoare actum, ut adjuvetur à gratia, nullius laudis esse ac meriti; ista enim cùm audimus, & pro magno apposita cernimus, quid aliud dicitur, nisi quod si ante justificationem, cum homo incipit credere (ut unam solam partem ex illis tribus relatis quæ ad præsens servit institutum sumamus) & cum ei Evangelium debitè prædicatur, ipse ex se non potest illi assentiri, sed semper assentitur ex Deo verè donante ut credat; nullius valoris vel laudis esset ejus fides?

Igitur quod ad initium fidei modo attinet, non 29
tam confutanda hæc illa sententia est; quàm brevissimè ostendendum illam à Sanctis Patribus, & Conciliis fuisse damnatam. Innumera penè sunt scripturæ sanctæ testimonia, quibus eam in toto libro de prædest. SS. P. Augustinus efficacissimè expugnavit, quæ ibi videnda sunt. Et utinam omnes scholastici atque Theologi in hujus magni, & acutissimi Doctoris Sancti insudarent, & non in modernorum scriptis, facilè enim perirent obnubilationes, quibus plurimi detinentur, solum ex illis excerpamus, quæ in particulari ostendunt, nec dum fidem quomodolibet esse ex Deo, nec calumniosè ea exponere possint de augmento fidei, sed initium fidei nobis ex Deo esse, quo istorum pertinacia revincatur Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut pro eo patiamini.* Non autem vobis donatum est, ut plenius & perfectius, sed ut simpliciter in ipsum credatis. Et Paulus 1. ad Thimoth. 1. *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem*: fidelis autem factus est cum incepit credere & hoc Dei misericordiæ & gratiæ tribuit. Non dicit, quia jam fidelis extiterã, sed ut fidelis essem 2. Cor. 3. *Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Manifestum est priùs esse cogitare quàm credere, & tamen hoc omnium primum initium ex Deo docet Apostolus, non ex 1. Corinth. 4. *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est*, profecto nec in initio fidei gloriandum, quoniam nec ipsum, nec aliquod aliud nostrum est, sicut ex nobis Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*; quid est venire ad Christum, nisi per initium fidei venire? qui enim jam ex se crederet; jam ex se ipso ad Christum veniret, quod in allato testimonio damnatur 1. Thessal. 2. *Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum percepisseiis à nobis verbum auditus Dei excepistis non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum* Dei qui operatur in vobis cui credidistis. Gratias agit Deo quia cum Evangelium eis esset primo prædicatum, primitus ipsi crediderunt, & propterea gratias agit Deo, quia Deus eos primo credere fecit, unde subdit, qui operatur in vobis cui credidistis. Ad Coloss. 4. *Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum misterium Christi.* Et 2. Corinth. 2. *Cum veniissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino* &c. Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur, ut cum primo Evangelium prædicatur, primo homo credat, & hoc à Deo aperiri Apostolus prædicat, si enim jam quis credebat, tunc ostium Evangelij ei apertum est, non post cum perfectus credit, ut notum est.

Ad ista scripturæ potentissima testimonia atte- 30
stantia initium fidei esse ex Deo, nec illi antiquitus, nec aliquis poterit respondere nisi fortè dicerent illud initium fidei nihil valere, ut dicebant antiqui, vel non fieri prout ad salutem oportet, quod idem est & modo publicatur de quo tamen copiosè statim. Sed forte dicent illos antiquos palam affirmasse ex nobis esse initium fidei Christianæ, & de hoc Sanctum Augustinum illos conviciisse: si enim illi verbis asserebant illud initium non esse Christianæ fidei, vel prout ad salutem oportet, cur de hoc Sanctus Pater Augustinus, & alij Sancti Doctores non expresse eos impugnarunt, sed semper eos damnant,

quod

Digitized by Google

quod ex nobis veræ & Christianæ fidei initium astruerent?

31 Ad hoc dicendum primo quod sive Semipelagiani expressè appellarent illum actum naturalem credendi initium veræ, & catholicæ fidei; sive re ipsa de hoc convincerentur; certum tamen illud est quod negabant illum actum esse meritum gratiæ. Hoc in primis manifestum est ex Sancto Patre Augustino *libro 1. de prædestinatione sanctorum cap. 2.* ubi efficaciter & patenter hanc evasionem præcludit dicens: *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? unde fit ut jam merenti cætera dicantur reddi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari; quod objectum Pelagius ne damnaretur, ipse damnavit.* Pari ergo ratione sive modo dicatur expressè illum actum credendi esse initium veræ, & Catholicæ fidei; sive de hoc isti authores re ipsa convincantur; & similiter negent illum actum esse meritum gratiæ, cum illis prioribus convenientia est.

32 Dicendum secundò posuisse antiquos illos illud initium fidei ex nobis, quomodolibet illud verbis appellarent, augmentum autem fidei esse ex Deo. Et per hoc conabantur exponere omnia scripturæ testimonia, quæ publicant fidem esse donum Dei; quod intelligerentur de fide quoad ejus augmentum, non quoad illius initium; quam excusationem Sanctus Pater Augustinus refellit eodem *libro de prædestinatione sanct. cap. 2.* dicens; *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare & tamen volens à se ipso esse, quod credidit, quasi componat cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod est elatius, primam tollit ipse, & sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum priorem se facit, posteriorem Deum.*

33 Pari ergo ratione cum ille actus naturalis quo homo incipit credere, quomodolibet eum appellent, convincatur quod sit initium fidei, & qui illud solis naturæ viribus tribuunt, dicant quod augmentum ipsius, seu perfectam fidem habemus ex Deo, etiam de convenientia doctrinæ constat.

34 Dicendum tertiò quod Semipelagiani aliquando illum actum merè naturalem vocabant initium veræ, & Catholicæ fidei, ut pote cum Faustus, & Cassianus affirmant fidem Abraham, quam tantùm laudat scriptura, & centurionis, quam ita Christus laudavit sicut veram fidem & salutarem non fuisse Dei donum, sed habitam naturæ solius viribus. Aliquando verò dicebant illud initium nihil valere per se solum, nec aliquid per se solum posse efficere hominem quod ad salutem pertineat ut ex Cassiani, & Fausti expressis verbis dedimus manifestum primo nostro libro *cap. 35.* modo autem clariùs negatur ille actus fidei prout attinet ad salutem, ponitur tamen actus fidei laudabilis.

35 Dicendum quartò nullam nec etiam in illis antiquioribus fuisse in dictis supra relatis contrarietatem, sed æquivocationem qua se abscondere laborabant, utrumque enim concedebant asserentes illud initium fidei esse fidem imperfectam, & inferioris ordinis ad illam, quæ ex gratiæ supernaturali auxilio habetur, & esse initium quoddam extrinsecum veræ fidei Catholicæ, ita quod nisi amplius adjuvetur à Deo, non pertineat ad salutem nec per se solum fieret prout ad salutem oportet. Et sic ex una parte dicebant esse initium, scilicet extrinsecum veræ & Christianæ fidei, & qui à Deo exigebatur ab homine, & cum illud homo ex se habebat, à Domino laudabatur & ex parte alia dicebant illud per se solum non pertinere ad salutem, sed esse imperfectam fidem, & inferioris ordinis cum illa quæ habetur ex supernaturali auxilio quod satis explicavimus primo nostro libro *cap. 35.* Ex quibus trita constant satis manifestè. Primum est quod licet modo gratis his authoribus cum quibus agimus, concedamus, Semipelagianos aperta voce appellasse illum actum initium veræ Catholicæ fidei, quem tamen ipsi non appellant, imò id expressè negant, cum tamen illum omnino actum & realiter, & formaliter ipsi constituant re ipsa quem Semipelagiani constituerunt, reipsa convenientia in doctrina est. Hac sola differentia inter utrosque repertâ, quod Semipelagiani videntes illum actum esse aliquale initium fidei, eum sic appellarunt. Isti verò esse initium fidei Christianæ sola voce negant, ne cum illis apertè convenire ab omnibus deprehendantur. Vnde in re atque substantia eadem doctrina est, & verè initium Christianæ fidei in illo actu modo ex nobis constituitur.

Secundum quod constat est, quod sicut antiqui- 36
tus illa naturalis fides, fides laudabilis vocabatur, sed imperfecta, & inferioris ordinis, nec per se solam sufficere ad salutem, ita & nunc ab aliquibus dicitur fides naturalis, sed imperfecta nec fini supernaturali commensurata; sed inferior illa, nec sola fieri prout ad salutem oportet; unde etiam in verbis convenientia videtur. Et cum ab istis negatur fides Christiana, intelligunt non esse intrinsecum principium Christianæ fidei, sed extrinsecum, & imperfectum, ut dictum est.

Tertiò constat utrosque in vanum laborasse ne- 37
gando illum actum credendi, quem soli homini tribuebant; esse verè initium Christianæ fidei, & fieri verè prout oportet ad salutem, cùm & antiquiores illi de hoc convicti per sanctos fuerint, & de hoc convincantur apertè qui modo similem excusationem prætendunt, prout multoties declaratum fuit, & ostensum.

Antiqua sine dubio ista excusatio est, & à Fausto 38
& Cassiano in simili prætensa, quæ tamen minus eos valuit excusare, quin cum prioribus damnatis Pelagio, Celestio, & Iuliano consentire convicti sint. Certum est enim illos conatus, & initia quæ constituebant oriri ex natura propria voluntatis, & quæ dicebant esse bonarum voluntatum principia voce dumtaxat exteriori asseruisse non fieri prout ad salutem oportet nec esse initia salutis, quia similiter prætendebant ex dono supernaturali non esse, & contendebant voce dumtaxat non esse merita gratiæ, imò publicè fatebantur nihil valere, & tamen convicti sunt per Sanctos Patres Augustinum, Prosperum, & Fulgentium atque Hilarium per Leonem Primum in Concilio Arausic. 2. & per Cœlestinum in *Epist. ad Episcopos Galliæ*, convicti inquam sunt, quod quidquid verbis exterioribus se oscultarent in illis constituebant initia salutis, & merita gratiæ, & eos absque dubio ponerent ab homine fieri prout ad salutem oportet. Manifestissima hæc duo sunt, primum enim apertissimè constat ex utraque Epistola Prosperi, & Hilarij ad Sanctum P. Augustinum, ex utroque libro Fausti, & *collatione* 13. Cassiani ad Cheremonem. Secundum autem redditur conspicuum ex Sancto Prospero potissimè in libro contra Collat. & ex Arausic. Concilio quod damnat illorum doctrinam sicut constituentem in nobis sicut ex nobis initia salutis, & merita gratiæ. Quomodo ergo hæc trita & antiqua protestatio, solis verbis facta, quæ priores illos excusare non potuit, modo alios poterit excusare?

Vt autem illa duo relata, quæ pro fundamento 39
in his materiis habenda sunt, clariùs innotescant, verba formalia illorum antiquorum sic se excusantium apponenda sunt & Sanctorum Patrum testimonia, qui ad verba minus attendentes sed ad rem

Digitized by Google

ipsam, eosdem prout dictum est convincunt, quod initia salutis ex nobis constituerent, & initia gratiæ Sanctus Hilarius Epist. ad S. P. Augustinum vers. consentiunt, statim à principio, sic de ultimis illis Pelagianis refert. *Sed & id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædestinationi, ut cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequentur effectum, cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nec dum perficiendum quemque sibi sufficere posse consentiunt neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.*

40 Ecce constituebant illi ex solis naturæ viribus unumquemque posse velle sanari, & ut Sanctus Prosper in alia Epistola refert constituebant posse venire ad baptismum sola voluntate sua quemlibet, & tamen expressis verbis contendebant; illa initia voluntatis non sufficere ad perficiendum, nec ad incipiendum salutem, necesse salutis initia nec debere illa initia annumerari inter opera curationis seu inter opera salutis; nec fieri illa initia prout ad salutem oportet. Et post pauca iterum de illis sic refert. Nec negari gratiam (scilicet consentiunt) si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quidquam ipsa jam valeat. Quid clarius vel quid apertius illa initia voluntatis solis naturæ viribus habita contendebant verbis expressis quod nihil in seipsis valebant in ordine ad salutem; nec fiebant prout oportebat ad salutem. Igitur manifestum est Pelagianos hanc excusationem verbis prætendisse quod opera illa quæ à sola naturali facultate fiebant ante gratiæ excitationem non fiebant prout ad salutem, nec ad salutem aliquid valebant, nec annumerabantur inter opera salutis, vel curationis, nec valebant aliquid ad incipiendam salutem, & tamen simul docuit Hylarius in verbis relatis, quod hoc merito, quo volebant sanari, acquirebant augmentum fidei, & totius sanitatis effectum ex verbis ergo relatis illa duo manifestissimè constant, & dixisse Pelagianos illa initia nihil valere ad salutem per se sola, & Sanctum Hylarium convincere esse merita augmenti fidei, & totius sanitatis, certè nec tot verba, nec tam efficacia modo prolata audimus de eisdem solius naturæ operibus, nec tam aperta confessione percipimus affirmari illa nihil valere ad salutem nempè sicut tunc asserebatur.

41 Præterea Cassianus ipse libro 12. *de institutis Monachorum* postquam per capita aliqua labores, industriam, & conatus merè naturales constituisset, & postquam præmisisset quod illis datur Dei misericordia sine merito eorum; & postquam denique dixisset quod erant solum occasiones quibus Deus misericordiam tribuebat; postea in *cap.* 17. hæc verba habet; ille, nempè Christus Dominus, *ex persona hominis assumpti dicit nihil à semetipso posse se facere; & nos cinis & terra in his quæ ad nostram salutem pertinent arbitramur adjutorio Domini non egere.*

42 Quibus illud quod modo sæpiùs audimus, eisdem verbis profert, illos videlicet conatus, & opera illa ex solis naturæ viribus effecta sine adjutorio gratiæ non pertinere ad salutem, seu non fieri prout ad salutem oportet. Imò hoc cum admiratione proponit, quod non possumus dicere nos sine adjutorio gratiæ aliquid efficere quod ad salutem pertineat, vel prout oportet ad salutem; & tamen convictus fuit, ut patet ex Leone Primo in canonibus Arausicani Concilij qui adversus ipsum & sequaces confecti sunt, quod hac non obstante protestatione illos conatus naturales, & opera illa ex solis naturæ viribus effecta quibus dicebat Dei misericordiam dari; posuerit pertinentes ad salutem, seu prout ad salutem oportet à solo homine effici. Si ergo eadem in substantia imò eisdem verbis protestatio tunc prætensa, quibus modo profertur, Cassianum non liberavit aut excusavit, quin illius doctrina verè damnata fuerit, tanquam reipsa constituens initia salutis ex homine solum, quomodo nunc eadem doctrina cum eadem protestatione, hanc quam impugnamus poterit excusare? aut quomodo non statim ad hanc antiquam prætensam excusationem non advertit Theologus; cum videt tales conatus naturales, & tales actus soli arbitrio tribui, qui non possunt non pertinere ad salutem, & postquam fortificantur, & roborantur plusquam Cassianus eosdem fundavit, & roboravit, arbitrantur se omnia inconvenientia evadere, solis verbis dicendo eos non fieri prout ad salutem oportet?

Tandem quamvis ipse Cassianus in tota illa *collat.* 13. *ad Cheremonem* sæpius apertissimis verbis neget meritum esse in illis initiis bonæ voluntatis, quæ nobis ex nobis tribuit; hac tamen inutili & verborum foliis prætensa excusatione nihil penitus suffragante, illum convincit Sanctus Prosper in libro contra collatorem, quod velit nolit in illis initiis bonæ voluntatis meritum gratiæ constituat, ut patet ex *cap.* 8. 27. & 38. Vnde & illa verba habet adversus eum in *cap.* 23. *Consideratis ergo omnibus diffinitionibus tuis non est occultum quantum ab illius sententiæ sanitate desciveris in qua quod tribuendum erat gratiæ fallaciter prædicando catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluisti, quibus de præmissa professionis fronte securis facilè sequentia irreperent, si prima placuissent.* Verba sine dubio adeo necessaria, ut perpetuâ essent memoriâ retinenda, & his temporibus semper applicanda, quibus audimus semper in fronte disputationum illud proponi, quod sine divinæ gratiæ auxilio nihil potest efficere liberum arbitrium per se solum quod ad salutem pertineat; nec aliquid potest facere prout ad salutem oportet, nec potest aliquod meritum habere respectu gratiæ, nec potest aliquod salutis suæ initium ex se præbere consideratis tamen postea quæ sub hoc prætextu proponuntur; nimirum posse liberum arbitrium per se solum desiderare auxilium gratiæ; posse se solo velle sanari; posse se solo omne opus morale bonum etiam difficillimum operari cum bono fine, & vestitum omni bona circumstantia, posse se solo conteri de peccatis propter Deum authoré naturæ; posse ipsum super omnia diligere, posse omnibus divinis fidei mysteriis certò assentiri tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt; posse item certò sperare, quæ per spem speranda sunt, denique sic facienti quod in se est ex solis naturæ viribus certa lege à Deo gratiam conferri, & omnibus aliis similibus multis quæ in processu suarum disputationum dicunt, adversus quas has nostras instituimus. Consideratis inquã omnibus istis eorum diffinitionibus non est occultum quantum ab illius sententiæ sanitate desciverint, in qua quod tribuendum erat gratiæ solo nomine & voce dumtaxat prædicando, atque dicendo nihil sine gratia Dei posse per se liberum efficere quod ad salutem pertineat, vel quod sit prout ad salutem oportet. Catholicarum aurium judicia sibi conciliare voluerunt, quibus de præmissæ professionis fronte securis, facilè sequentia illa nunc relata irreperent, si prima illa placuissent; quibus dicunt se nihil soli arbitrio velle tribuere quod ab eo solo fiat prout ad salutem oportet. 43

Retineantur etiam memoria verba illa Sancti Patris Augustini ad Pelagium se latebris obscuritatis involventem, 44

Digitized by Google

involuentem, quæ habentur *libro 1. de gratia Christi cap. 33. Quid prodest quod eisdem verbis in parvulis quibus in majoribus celebrari dicit Baptismi Sacramentum, cum res à nobis non sola verba quærantur?* O quam antiquum est in causa ista sola verba dare, re autem & veritate totum oppositum suadere. Exponat hoc ipsum pariter Sanctus Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, dum contra Pelagium ait. *Aliud ore commemorans, & aliud celans conscientia.* Et iterum infra; *Loquere quod credis, publicè predica, quod secreto discipulis loqueris qui dicit te habere arbitrij libertatem, quare non liberè quod sentis loqueris. Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud rostrorum populi,* Et postea. *Eunomiani, Arriani Macedoniani nominibus separati impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt, loquuntur enim quod sentiunt. Sola hac hæresis est quæ publicè erubescit loqui, quod in secreto seminare non metuit.* Et tandem: *sententias vestras prodidisse superare est.* Ex parte jam prodita hæc est, sed magis ac magis aperietur, ut cognoscatur. Recordor sæpè hæc à me allata fuisse sanctorum testimonia, nec fastidiat millies repetere, quia tota vis, & energia ad expugnationem harum sententiarum in hoc consistit, quod expugnator advertat, semper in illa aliud ore fuisse prolatum, aliud sententia & veritate fuisse constitutum. In particulari autem in hac assertione quæ fundamentalis est in authore, & nostræ salutis fundamentum, quod fides est malè in homine ex homine solum constituit reipsa, id ore negans omnes istæ Sanctorum Patrum advertentiæ fuere repetendæ.

45 Cum ergo ut ad actum fidei Christianæ, quē nobis ex nobis tribuunt in specie redeamus, dicunt posse liberum arbitrium se solo propositis, & explicatis mysterijs fidei sicut solent per Ecclesiam explicari atque proponi omnibus illis certo assentiri tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo per Ecclesiam revelata sunt actu merè naturali, non tamen esse actum illum prout ad salutem oportet ex parte intellectus, quid aliud agunt nisi sic sententiam temperare, ut & sua & nostra posset voce defendi, ut olim S. P. Augustinus dixit contra Iulianum? Quid aliud ponunt nisi ex nobis esse initium Christianæ fidei, quod essentialiter in illo actu consistit, in quocumque & à quocumque producatur & verbis id ipsum negare, ne apertè convincantur. Quomodo non illos convincit pariter sanctus Prosper in Prosa de ingratis, dicendo:

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & sola damnatos plectere voce,
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis
Intima viperei foveantur viscera sensus?

46 Hæc igitur pauca modo de cute hujus assertionis auferamus, & apparebit quis reipsa lateat sensus, & quomodo absque dubietate initium fidei Christianæ nobis ex nobis solis attribuant authores isti. Imo etiam in voce illa vel parva inter utrosque differentia est, ut à principio præmisimus. Nam Semipelagiani illam vocabant fidem imperfectam & inferioris ordinis, ac extrinsecum tantùm veræ fidei initium, à quibus vocibus in quo distant quæ modo publicantur, quibus dicitur esse illum actum fidem imperfectam, & non ordinis supernaturalis, sed inferioris ordinis, nec fieri prout ad salutem oportet, nisi amplius adjuvetur, etiam Semipelagiani nisi amplius adjuvaretur contendebant non fieri prout ad salutem oportet, sed gratis eis concesso differentiam inter utrosque tantùm esse quoad puras voces exteriores, substantia tamen doctrinæ idem est prorsus, & sensus idem, licet istorum magis vocibus occultatus, quia tales voces vident jam esse damnatas; unde & ob hanc ipsam occultationem plures decepti sunt. Sed in ista omnia pandamus.

CAPVT IV.

Non posse hominem sine gratiæ auxilio assentiri omnibus revelatis tanquam revelatis & quia à Deo revelata sunt, probatur ex S. Patre Augustino.

NOn licet dubitare quod qui certò assentitur 47
omnibus revelatis tanquam à Deo per Ecclesiam revelatis, & quia à Deo revelata sunt fide Christiana credat & prout ad salutem oportet; & quod si hoc solis naturæ viribus sine gratiæ auxilio homini tribuitur quod & initium Christianæ fidei ex se ipso tantum ascribitur. Hoc enim multa planè convincunt. Primò certum est Semipelagianos jam relatos initium fidei Christianæ sine gratiæ auxilio soli homini tribuisse; quod neque negant aut negare possunt authores cum quibus agimus sed illi nullum alium actum fidei homini tribuerunt sed neque tribuere potuerunt, nisi solum hunc qui est solis naturæ viribus certò assentiri omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt: ergo iste est actus fidei Christianæ. Minor patet, quia nec alius actus est imaginabilis, quem possent appellare initium fidei ex nobis, nisi illum solum, qui modò assignatus est. Dicant enim isti, vel qui illorum sententiæ assentiuntur quem alium actum antiquiores illi initium Christianæ fidei ex nobis tribuerint præter illum solum?

Quod si contendant illum quidem eos posuisse 48
& initium fidei Christianæ appellasse, sed in illo, soli homini tribuendo non errasse, sed in eo quod illum esse inititium Christianæ fidei malè appellarunt, nec enim aliud videtur quod ab eis possit huic argumento responderi. Si, inquam, hoc dicant, potius è contra eis dicendum in veritate est errasse quidem illos, quia talem actum solis naturæ viribus ascribebant, sed hoc supposito consequenter fuisse locutos, dum actum talem initium Christianæ fidei appellarunt. Est etenim ille actus Christianæ fidei, & quod ita sit, ostenditur primò, quia si errantes illi non errassent in tribuendo homini actum illum, sed in appellando eum actum fidei numquid non hoc aliquando haberemus expressum in sanctis illis Patribus, qui eos accuratissimè impugnarunt? Tanta ne erat ista difficultas, ut eam nobis non exponerent SS. Doctores? Cum ergo hoc nullibi inveniatur scriptum, sed efficaciter sint damnati de hoc, quod revera & non sola voce initium salutis ex nobis esse ponerent, proculdubio incunctanter dicendum est, eos errasse in tribuendo homini actum illum, qui ita patenter actus fidei Christianæ erat, ut & Semipelagiani & Sancti Patres non dubitarent eum actum fidei Christianæ appellare.

Præterea cum S. P. Augustinus à principio te- 49
nuit fidem Christianam esse ex nobis quam postea sententiam retractavit ut patet *lib. de prædestinatione sanctorum cap. 3.* & ex lib. retract. quem alium actum constituit esse fidem christianam ex nobis, nisi hunc solum quod homo solis suis viribus certò assentiatur omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt? absque dubio nullum alium potuit admittere qui actus veræ fidei esset, nisi illum: igitur ille est absque dubio veræ fidei actus. An etiam huc deveniendum est, ut dicamus S. P. Augustinum malè appellasse illum Christianæ

Digitized by Google

fidei actum, cum talis nō[it] & sic Semipelagianos ignorasse Sanctos qui [impugnarunt] & ignorasse Sanctum Augustinum [quis] sit actus fidei christianæ, & solos istos recen[tiores] id noviter attigisse priores[que] omnes emendare, & à tali ignorantia revocare? quod si sic[it] quare saltem S. Doctor Augustinus cum illam [sententiam], doctior se factus, retractavit, non[retractavit] sententiam in eo quod errorem contr[abat] non in eo quod veritatem habebat, quare retractando non dixit se posuisse fidem christianam in actu illo, qui quamvis revera à solo hom[ne] possit haberi, non tamen fides est dicenda [christiana]. Absque dubio si in eo solùm à princ[pio] errarat, & non in tribuendo soli homini actum illum, hoc nobis accuratiùs in retractatione exposuisset. Cur autem hoc non fecerit, sed potiùs alium actum, qui est assentiri certò rebus fidei soli homini neget, ut patet manifestè per totum librum de prædestinatione Sanctorum, etiam redditur manifestum illum revera esse Christianæ fidei actum, quem malè à principio solis naturæ viribus ascribebat, cum ille gratiæ esset tribuendus.

50 Constabunt autem ista manifestè, si verba S. Augustini attendamus, quibus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 3. fatetur se priùs errasse tenendo fidem ex nobis esse. Verba ejus sunt: *Non enim*, ait, *putabam fidem Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato Evangelio consentiremus nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar, quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant.* Quem dicit suum priorem errorem Augustinus, nisi quo dixerat, quod prædicato Evangelio nos ex nobis illi consentiebamus? Ergo est error, quo fides nobis ex nobis tribuitur: ergo quod prædicato Evangelio assentiamur certò, seu consentiamus omnibus revelatis, atque propositis, tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt (quæ verba formalissimè explicant actū quo Evangelio prædicato consentimus) multò clariùs, & expressiùs est ille error, quem à principio tenuit S. P. Augustinus, & quem postea retractavit.

51 Insuper cum Concilium Arausicanum secundum Semipelagianos damnat, quod initium fidei, nempe Christianæ, nobis ex nobis constituerint, nullum alium actum in eis damnat, nisi quod sine gratia homini tribuerent eum actum, quo in eum credimus, qui justificat impium: ergo si hunc actum modo sine gratia aliqui nobis tribuunt, necesse est, quod illorum sententia inveniatur ibi damnata; sed iste actus, quo aliquis credit omnibus revelatis, tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, est sine dubio quo in eum credimus qui justificat impium; imò expressiùs, & formaliùs exponit rationem formalem fidei, quam ille alius, quo in eum credimus qui justificat impium: ergo ille actus, si soli homini ascribatur sine gratia Dei, ibi invenitur damnatus. Antecedens patet, quia qui credit certò omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, credit sine dubio in eum qui justificat impium. Vnum enim ex revelatis est, Deum esse justificatorem impij, & tamen modo audimus posse hominem credere in Deum qui justificat impium; posse & revelatis omnibus certò assentiri tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt: & tamen non esse actum Christianæ fidei. Et quâdam adinventa distinctione, quæ solâ voce profertur, de fide naturali, & de fide Christiana, definitiones Conciliorum enervantur, & quasi deluduntur. In Sanctis enim Patribus, potissimè S. Augustino, & aliis, qui Pelagianos expugnarunt, ac in Conciliis adversus eos celebratis non invenitur distinctio talis de fide Christiana & naturali: imò nominando absolutè fidem, nonnisi illam quæ Christiana est intellexerunt. Nec illam naturalem, quâ credi contendebant Pelagiani in Deum, qui justificat impium, cognoverunt, nisi ut illam in Pelagianis, damnarent. Pari ergo ratione, imò fortiori naturalem fidem, quâ dicitur credere hominem se solo posse omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt in Pelagianis damnarent: à fortiori dico, quia ille actus expressiùs, ac formaliùs rationem formalem fidei Christianæ exponit, quam ille alius, qui in Conciliis invenitur damnatus, ut dictum est.

Ampliùs videntes Semipelagiani apertissima Scri- 52
pturæ testimonia, quæ docent fidem esse donum Dei, nec volentes eis apertè resistere, aut ea negare, qualia sunt, *unicuique Deus partitus est mensuram fidei*: Et illud: *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo*: Et illud: *vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis*, & similia: composuerunt hominem cum Deo, & partem fidei, nempe illius initium homini tribuerunt, & partem, scilicet augmentum illius Deo, ut refert S. P. Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 2. in hæc verba: *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens esse à seipso sibi esse quod credidit, quasi componat homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod satiùs primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Hoc profectò de errore Fausti seu Cassiani, seu cujuslibet alterius Pelagiani dictum fuit: qui actu merè naturali ponebat hominem ex se solo credere iis quæ per prædicationem Evangelij proponebantur: componebat enim tunc homo cum Deo, & primam partem fidei, nempe illius initium homini tribuebat, posteriorem autem partem Deo, videlicet ejus augmentum. Sed modo in terminis dicitur, & magis explicitè atque formaliter, dum asseritur quod propositis & explicatis mysteriis fidei, sicut explicari solent, potest homo solis suis viribus sine gratia eis omnibus assentiri tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt; & quod postea sic facienti quod in se est quoad actum credendi Deus infallibili, & certâ lege dat gratiam prævenientem ut meliùs credat: ergo modo clariùs & formaliùs componitur homo cum Deo, & primam partem fidei, nempe illius initium sibi vendicat, & posteriores partes, nimirum augmentum fidei, seu perfectionem fidei factam per auxilium gratiæ Deo relinquit.

Nullo ergo modo potest dubitari quod reipsa ista 53
sententia constituat in nobis sicut ex nobis initium fidei, licet ore tenus dicatur, non esse fidem Christianam: imò eodem fine, quo priùs isti relati à S. P. Augustino dividebant, ut initium fidei homini tribuerent, augmentum & perfectionem Deo, modò dicitur illum actum non esse fidei Christianæ, sed fidei naturalis: finis enim illorum priorum fuit non dare totam fidem homini, sed augmentum illius Deo: quia apertissima erant testimonia Scripturæ, quæ docebant fidem esse donum Dei. Vnde illam explicabant de fide aucta, sive perfecta, non de initiali, quæ aucta & perfecta non erat; homini autem ascribebant initium fidei, quia non patebant Scripturæ testimonia, quæ hoc expressè docerent. Si autem tunc clara esset, & aperta fidei definitio, quæ traderet initium fidei ex Deo esse, non possent apertè initium fidei ex nobis asserere, nisi vellent apertè fidei definitioni contraire. Vnde necessariò illi deberent affirmare, illum actum non esse fidei Christianæ sed naturalis, non pertinentis ad salu-

tem,

Digitized by Google

tem, & sic reponerent initium fidei ex nobis, & voce negarent, ne apertè fidei definitioni contradicerent. Hic ergo finis modo coëgit, ut non apertè initium fidei ex nobis traderetur, quia apertissima est fidei definitio relata in Concilio Arausicano, quod initium fidei est nobis ex Deo, cui nolentes apertè repugnare diviserunt etiam novâ distinctione in sola apparentia verborum actum, quo assentitur homo certò rebus fidei sibi propositis & explicatis, de fide naturali & fide Christiana, ut priorem darent homini, posteriorem Deo. Cum illa prior convincatur fides esse Christiana ex eodem prorsus objecto formali Christianæ fidei, quod est revelatum ut à Deo revelatum, & quia à Deo revelatum.

54 Ad hæc S. P. Augustinus *lib. de peccat. merit. & remiss.* sic habet. *Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis; verumtamen nec qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; audit quippe homo docentem, vel hominem, vel Angelum, sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Contrarium apertè hæc doctrina, quam impugnamus, proponit: Sanctus enim P. Augustinus prædicato Evangelio auxilium gratiæ requirit, ut homo illi consentiat; hæc autem doctrina illam non requirit ad illi consentiendum. S. Augustinus, ut prædicato Evangelio homo cognoscat verum esse quod dicitur, gratiam dicit necessariam; hæc autem sententia nullam requirit ut prædicato Evangelio vera cognoscantur omnia, quæ proponuntur tanquam à Deo revelata. Quis dubitet, si sententia quam oppugnamus vera est, falsum esse quod dicit S. P. Augustinus, quia potest homo prædicato Evangelio illi assensum præbere se solo; potest sine gratia cognoscere verum esse quod dicitur, cujus totum oppositum S. Augustinus docet *citato loco*; contraria enim sunt; *homo sine gratia auxilio prædicato Evangelio potest cognoscere esse verum quod proponitur, & homo sine gratia auxilio prædicato Evangelio non potest cognoscere esse verum quod proponitur.* Primum isti affirmant, secundum S. P. Augustinus, & eodem modo idem S. Doctor *lib. de dono perseverant. cap.* 19. inquit: *Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, proculdubio qui sic audit ut illi obediat, donum Dei est*: cui sine dubio opponitur qui dicit, prædicato Evangelio sine dono gratiæ illi assentiendo posse hominem obedire. Qui enim propositis & explicatis fidei mysteriis certò eis assentitur sicut revelatis, & quia à Deo revelata sunt, proculdubio Evangelio obedit. Nihil enim aliud ei præcipitur nisi ut certum præbeat assensum: ergo secundùm S. Augustinum ex dono Dei obedit; non ut dicit Molina ex solis naturæ viribus.

55 Parique ratione aliud habetur insigne ex S. P. Augustino testimonium, quo sententia ista revincitur: ait enim *lib. de prædest. Sanct. cap.* 19. Vbi inducit illud Apostoli 1. *ad Thessalon.* 2. *Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum percepissetis à nobis verbum auditus Dei excepistis, non ut verbum hominum, sed sicut est verè donum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Quid est prædicato Evangelio illud recipere non ut verbum hominum, sed sicut verbum Dei, nisi illud recipere assentiendo illi sicut à Deo revelatum est, & quia à Deo revelatum est? Proculdubio qui recipit revelatum à Deo, tanquam ab ipso revelatum, & quia ab ipso revelatum est, illud recipit non sicut verbum hominum, sed sicut verbum Dei. Cum ergo gratias agit Apostolus Deo, quod sic recepissent verbum Dei, ostendit ex dono Dei sic eos illam recepisse. Vanum enim & inane esset si alicui gratias quis agat de hoc quod ipse non fecit: sed quia gratias Deo Paulum agere vanum & inane esse non potest, profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut cum percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei exciperent illud non ut verbum hominis, sed sicut est verè verbum Dei, id est, sicut verè à Deo revelatum.

In hoc testimonio, sicut & in aliis plurimis, quæ 56
in toto libro de prædest. Sanct. inducit, quid aliud intendit S. Doctor Augustinus, quam negare contra Semipelagianos posse hominem sine gratiæ auxilio recipere propositum Evangelium, sicut verè verbum Dei est? Quid autem est aliud, vel potest esse recipere Evangelium ut à Deo revelatum, quam illud suscipere per verbum Dei revelantis. Nihil ergo in toto illo libro intendit contra illos, nisi negare posse hominem sine gratiæ auxilio recipere Evangelium, ut à Deo revelatum, & multò minùs quia à Deo revelatum est.

Apertiùs hoc declarat, magisque confirmat quod 57
subdit in *cap.* 20. *ejusdem libri de prædest. Sanct.* ex illo Apostoli ad Colossenses 4. *Orationi instate vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi.* Ad quæ verba inquit secundus post Apostolum miles acerrimus & defensor gratiæ Augustinus: *Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis ut credat, & initia fidei ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur, & disputantur, admittat, ne per infidelitatem corde clauso ea quæ dicuntur improbet, ac repellat?* Si initium fidei Christianæ tunc est, si tunc aperitur ostium verbi Dei ad suscipiendam salubrem doctrinam, inquit S. P. & doctor Augustinus, cum audiens verbum Dei, illud admittit, non autem corde clauso illud improbat, & repellit, profectò qui proposito Evangelio certò assentitur omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, cum ipsa admittat, nec improbet aut repellat, initium in se habet Christianæ fidei, & Christiana fide credere cœpit. Non itaque S. P. Augustinus invenit medium inter ista duo, nimirum prædicato Evangelio illud admittere, vel illud improbare atque repellere, itaut quicumque illud audiens non improbat ac repellit, verè à S. D. dicatur illud admittere, sicut expedit ad salubrem doctrinam, & prout ad salutem oportet. Non, inquam, invenit medium inter hoc, quod est per infidelitatem clauso corde auditum Evangelium repellere seu improbare, & inter hoc quod est Christiana fide ei assentiri, per quod efficacissimè nova ista doctrina expugnatur.

Quintò & ultimò idipsum ostendit idem S. Do- 58
ctor *epist.* 107. *ad Vitalem* ubi docet opus esse gratiæ, quod qui Evangelium audiunt non fiant pejores, cujus & verba sunt: *Opus est hoc gratia, quam qui accipiunt, doctrina salutari Scripturarum Sanctarum, & si fuerint inimici, fiunt amici. Nam opus ejusdem doctrina, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, pejores ejus efficiuntur inimici.* Hæc igitur major sicut certa ex S. Augustino habeatur: quod qui sine auxilio gratiæ Dei audiunt Evangelium, pejores ejus fiunt inimici: quia ei sine dubio contradicunt, per quod etiam omni semoto dubio pejores fiunt. Hæc aperta S. Augustini sententia est, per quam Pelagianos debellat, qui dicebant hominem sine gratia audito Evangelio, ei sua libertate, quando vult consentire; sed qui propositis & explicatis mysteriis fidei certò credunt eis, tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, solis naturæ viribus non fiunt pejores, hoc enim non puto istos aliquando dicturos, aut concessuros: ergo necesse est fateantur,

quod

Digitized by Google

quod ab auxilio gratiæ adjuvantur, ut sic audientes pejores non fiant. Non igitur talem actum, quo sine dubio fiunt meliores ex solâ suâ possunt habere natura, sed ex dono Dei illum se habere debent confiteri.

CAPVT V.

Non posse hominem absque auxilio gratiæ assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia ab eo revelata sunt, ex SS. Fulgentio & Prospero demonstratur.

59 SEd & palmarium habemus ex S. Fulgentio testimonium, quod ad tollendum hoc subterfugium quod solâ voce prætenditur, non esse illum actum veræ & Christianæ fidei cognoscitur esse propositum. Is enim *lib. de incarnat. & grat. Domini nostri Iesu Christi cap.* 11. sic habet: *Quæ est autem vera fides, nisi unum eundemque Christum verum Deum, verumque hominem sine aliqua hæsitatione credere: unum eundemque de patre Deo secundùm divinitatem, & de Virgine Maria secundùm carnem Deum genitum prædicare?* Quæ est, inquit, vera fides, quæ est Christiana fides, quæ sola Christiana fides, vera fides est, nisi mysteria fidei relata sine aliqua hæsitatione credere; si ergo sine aliqua hæsitatione ponitur modo hominem credere mysteria omnia fidei sibi per Ecclesiam proposita & explicata, proculdubio vera & Christiana fides in tali homine ponitur, hoc convincente S. Fulgentio contra Semipelagianos.

60 Rursus, quid est credere verâ & Christianâ fide, nisi certò assentiri mysteriis fidei? Si ergo hoc homini ex homine modò tribuitur, proculdubio in ipso ponitur vera & Christiana fides, potissimè cum addatur, illum posse assentiri certò omnibus illis mysteriis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Nonne luce clariùs Christiana & vera fides homini tribuitur? In Symbolo Athanasij legimus: *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.* Qui ergo certò assentitur, atqueveneratur Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate sicut id Ecclesia proponit, fide Catholicâ credit, hoc testante Symbolo fidei; sed qui certò assentitur omnibus revelatis, sicut à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, assentitur mysterio Trinitatis & aliis, ut ea proponit Ecclesia: ergo Catholica fide assentitur & credit.

61 Postquam autem S. Fulgentius exposuit quænam vera fides sit, quæ verè Christianos facit, quæ nempe consistit in actu, quo quis sine hæsitatione mysteria omnia fidei credit, convincit Semipelagianos, qui talem actum ex solo homine dabant, eos veram & Catholicam, seu Christianam fidem ex homine tribuere contra apertæ Scripturæ testimonia; & verum initium fidei homini ascribere, ex cujus merito Deus eum ampliùs adjuvabat. Vnde in *cap.* 16. *in fine* negat ex homine posse haberi qualecumque exordium fidei, aut bonæ voluntatis. Et in *cap.* 17. *Claret*, inquit, *quia ut homo credere in Deum incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam*: ergo ut homo certò assentiatur omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, quod est incipere credere, ut ostensum est, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam.

62 Prosequitur: *Si quis dicit, meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare, mutet igitur dictorum ordinem: imò non mutet, sed servet: nec quod posterius est in priori loco, nec quod est prius in loco posteriori constituat, malè enim gratiam Dei suæ voluntati postponit: cum ista bona esse non possit, si illa defuerit. Non enim dicat, meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare, sed dicat gratia Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere; tum enim verè rectéque ait, ejus hoc velle, cum eum gratia præveniens cœperit adjuvare.* Qui ergo dicit hominem ex se certò assentiri posse revelatis, ut revelatis, & quod sic crèdenti certâ lege Deus dat gratiam, sine dubio dicit hominem ex se velle credere, & Dei gratiæ esse velle adjuvare, ordinem pervertens: & quod in primo loco ponendum erat, in posteriori collocat. Et statim: *Adjutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari unusquisque non dubitet, ne dum initium sibi fidei nititur assignare, pœnitentiam quoque quam Deus ad vitam dat, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate præjudicatus assignet: tantique medicaminis beneficio careat, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat.* Igitur qui modò contendit non dari sibi ex Dei adjutorio & gratiæ quod omnibus revelatis certò assentiatur, dum sibi malè initium fidei ascribit, gratiam contumax, atque ingratus oppugnat.

Et tandem ut plura ex S. Fulgentio omittam, in 63
cap. 18. subjungit: *Si verò secundùm opinionem illorum nostrum est velle credere, priusquam nos gratia Dei incipiat adjuvare, injustè gratia dicitur: quia non gratis datur homini, sed bonæ tribuitur voluntati. Hanc enim, sicut illi volunt, gratia in nobis invenit, quam ipsa non dedit. Imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus.* Quibus, ex hoc quod ponatur ex homine sine gratia credere absque hæsitatione fidei mysteria infert illud esse initium fidei, cui ex rettributione Dei venit adjutorium. Vnde jam illud gratiæ adjutorium sub illo priori naturæ merito ponitur. Hoc autem pleniùs ostendemus, cum infra agemus contra illam certam legem, quæ malè asseritur, de dando adjutorio gratiæ, sic incipienti ex se credere, seu assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt: Et cuicumque alteri faciēti ex naturæ viribus totum quod potest.

Duplici autem exemplo S. Fulgentius probat 64
non posse illud assentiri rebus fidei ex solo homine haberi. Primum sub his verbis format: *Sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis divini formatio*, sic in spirituali nativitate, quâ veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere incipimus, ut novum, *qui in justitia, & sanctitate veritatis creatus est, induamus. Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster renovetur, ac reformetur ex Deo. Ideo nos Beatus Paulus præcipit non conformari huic sæculo, sed reformari in novitate sensus nostri. Cujus reformationis initium, ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, Dominus per Prophetam seipsum formatorem lucis ostendit dicens: Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras. Quod & beatus Apostolus suâ prædicatione confirmat dicens: Deus qui dixit de tenebris lumen splendere illuxit in cordibus nostris, eidem luci quam jam formaverat, Deus alio loco dixit, eratis enim aliquando tenebræ, tunc autem lux in Domino. Quibusdam verò ex illa lucis formatione laudabili ad vituperabilem tenebrarum informitatem relapsis affectum piæ mentis ostendens ita loquitur: filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quo modo in eis habitare incipit, id est, per fidem, quod Beatus Paulus ita confirmat: in interiori inquiens homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris.*

Dum

Digitized by Google

Dum ergo reformamur, renovamur, & in eo quo renovamur, viuificamur.

65 Secundum exemplum apponit in hunc modum: *Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscimus. Nam Christus filius Dei secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est, carnem autem illam ne concipere virgo posset aliquando, nec parere, nisi ejusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri nisi eam Spiritus sanctus effundat, & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus, eodem igitur spirtu Christus formatur, secundùm fidem in corde uniuscujusque credentis, quo spiritu secundùm carnem formatus est in utero virginis. Ideo Propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum: propter timorem tuum domine, in utero concepimus & parturivimus spiritum salutis tuæ, sicut autem non solùm priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena Angeli voce nuncupata est, cum nulla ejus præcederet concipiendi filij Dei, vel cognitio, vel voluntas, ut cognosceretur ex gratia Dei esse, tam ipsa obediens voluntas Virginis, quam conceptio Domini Salvatoris, sic homo priusquam credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde cujusque credentis initiat, propterea in epistola, qua ad Hebreos scripta est, admonemur ut aspiciamus in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui procul dubio sic est author fidei nostræ, cum ipse fidem non habentibus donat, sicut est ejusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat, & sanctâ operatione consummat. Dicit enim Beatus Apostolus Iacobus, quia fides Abrahæ Patri ex operibus consummata est: Author est ergo fidei nostræ, consummatorque Iesus, quia ipse operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Quod si in eo tantum est author fidei nostræ, quia nostram voluntatem expectat, ut ex nobis fides esse incipiat, consequens est, ut etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia expectat ut nostro tantùm conatu ad consummationem fides, quæ à nobis exorta est, perveniat; ac sic totum Deo adimitur, si & initium, & consummatio fidei nostra humani arbitrij viribus applicetur. Quod quia valde impium est &c.*

66 Circa quæ verba, ex eo quod scriptura docet, Iesum esse authorem & consummatorem nostræ fidei, infert S. Fulgentius, quod si Deus expectat ut à nobis fides incipiat, etiam expectabit conatum nostrum, quo augeatur, quod totum sequi in doctrina quam impugnamus est certum. Sicut enim ipsa constituit Deum expectare ut à nobis fides incipiat, si homo liberè debet incipere eam habere, ita positâ excitatione quâ debet augeri, (ut dicunt) etiam expectat conatum nostrum, ut eum supernaturalem efficiat. Conatus autem ille quo augetur totus ex facultate arbitrij ponitur provenire, ut deinde supernaturalis efficiatur. Non auget ergo fidem illa excitatio, sed illo conatu nostro auctam supernaturalitate afficit, & sic consequenter doctrina procedit, ut S. Fulgentius deduxit. Imò priùs S. P. Augustinus *de prædest. sanct. cap. 2.* ubi probat, quod si homo potest initiare fidem ex se, quam non habebat, potest etiam quod initiavit ex se augere, cujus verba alibi, videlicet in *3. nostro libro* expendimus. Idem probat Petrus Diaconus cum socijs, in suo libro de incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi, *cap. 6.* sine hac igitur gratia inquiunt, potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest velle aut desiderare divina, quorum primum & præcipuum est fundamentum; & quodammodo omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum, quod utique non est ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & sanguis, sed Pater cœlestis revelat cui voluerit ad veram fidem attrahens libertatem non violentans necessitate, sed infundens suavitatem per Spiritum sanctum, ut mox credentes dicamus quia Dominus est Iesus, quod nemo per naturalem arbitrij libertatem potest dicere nisi in Spiritu sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt meum est velle credere Dei autem gratiæ adjuvare, cum etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus: dicens, *vobis enim datum est à Christo, non solum ut in eum credatis verum etiam ut pro illo patiamini.* Vbi diffiniens quid est credere, ait quod est consensum præbere veritati, cum autem qui omnibus revelatis, tanquam revelatis & quia revelata sunt assentitur, consensum præbet veritati ut est apertissimum, procul dubio illa fide credit de qua Petrus Diaconus Semipelagianos, qui eam naturæ viribus tribuunt expugnat.

67 Sanctus autem Prosper in *responsione ad dubium tertium Genuensium* loquens de primo homine, inquit *perdidit autem primitus fidem, quam omnes primam potuimus amittere, primam habemus accipere placeat: ergo nobis hac gratia prædicatio, quâ fides donum Dei esse defenditur, & in nullo poterit nobis Pelagianus error illudere, qui ut gratiam persuadeat debitam fidem non vult esse donatam.* Et iterum responsione ad octavum dubium loquendo de fide, quæ est omnium virtutum fundamentum ait, *quale est autem cum Dei sit ædificatio, & nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt, qui ædificant eam, aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut si velint inchoare quod Dominus possit, extruere non est: ergo illis principium filius Dei, non fundabuntur in ipso summoangulari lapide Christo Iesu, nec de eis dictum est, firmum fundamentum Dei stat, quia totam electionem suam solubili arenæ & succiduo cineri superponunt.* In quo loco ostendit eos, qui dicunt fidem à Deo acceptam, non esse gratiam Dei ponere secundum merita nostra dari: quia meretur homo ab eo in quem credidit adjuvari, pro meritis illius bonæ voluntatis qua credere incœpit, quæ est ipsa Pelagianorum sententia.

68 Deinde in epistola ad Ruffinum, inquit, *quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit?* Igitur assentiri certo revelatis propositis, non potest homo nisi Deus in illo affectum generaverit, tandem contra collatorem *cap. 36.* ipsum redarguit, quod fidem illam centurionis à Domino laudatam, ex solis naturæ viribus habitam dixerit sic contra eum concludens, *exigua vero conclusione, pene totum tu Pelagianum dogma confirmas*, dicendo nullius esset laudis ac meriti, si in eo Christus quod ipse donaverat prætulisset, quam similem objectionem modo similiter, sæpissimè audimus opponi cum frequenter dicitur, quod si Deus fidem efficaciter donat, aut opera alia non salvatur laus arbitrij, & illius industria non libertas, vel meritum quod in libertate fundatur, sed de hoc copiosius infra dicemus.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Non posse hominem solis viribus suis assentiri omnibus revelatis, tamquam revelatis & quia revelata sunt ex S. Thoma, & rationibus ostenditur.

69 VT autem appareat quam inaudita sit ista doctrina., quæ superius impugnata manet & quanta alia absurda eam consequantur, quæ planè ab illius defensoribus admittuntur, ipsorum alia verba referamus, quæ talia sunt apud præfatum Authorem concordiæ *in illa citata disp. 7. §. confirmatur. Qui Christum audierunt* (inquit,) *& miracula illius viderunt, potuerunt cum solo concursu generali Dei assensum præbere doctrinæ Christi, quæ ex tot miraculis mirum in modum credibilis effecta est, atque ea ratione peccatum infidelitatis vitare potuerunt.* Per actum ergo merè naturalem, & ex solis naturalibus productum expresè fatetur, quod vitat homo peccatum infidelitatis: ergo ille actus pertinet ad Christianam fidem. Patet consequentia; quia manifestum est quod assensus ille, per quem evitatur peccatum infidelitatis, quod est contra Christianam fidem, ad ipsam Christianam fidem debet pertinere.

76 Profectò in hac assertione se præfatus Author declarat, & quid de illo assensu merè naturali teneat satis manifestat. Dixerat quidem prius, ut se excusaret, illum actum merè naturalem non fieri ab homine, prout ad salutem oportet, ut Concilijs apertè non adversaretur, sed postmodum id quod negaverat non obscurè concedit, & concedere convincitur quod illum actum agnoscat fieri prout ad salutem oportet. Quomodo enim potuit dubitare, quod ille actus per quem evitatur peccatum infidelitatis, quod verè fidei contrariatur, ad veram fidem pertineat? Vel quomodo infidelitas verè fidei contraria auferatur, nisi per contrariam veram fidem? vel quomodo vult persuadere, ut credamus ipsum revera sensisse non pertinere ad salutē actum per quem dicit auferri peccatum, quod est contra salutem? An est possibile de aliquo Theologo judicare, quod sentiat ad salutem non pertinere, quod quis à se auferat infidelitatis peccatum.

71 Procul dubio cum ista ex terminis constent, non potest Theologus præsumere ea ipsum ignorasse, sed potius hoc est quod in antiquioribus docet, S. P. Augustinus *libro de perfectione justitiæ*, quod quamvis aliquando se occultassent, satis tamen postea se manifestarunt. Cum igitur audimus illum actum merè naturalem, qui soli homini tribuitur, quo assentiri posse publicatur omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo per Ecclesiam revelata sunt, non esse fidem Christianam, nec fieri prout ad salutem oportet, sed esse opinionem, occultatio est. Cum autem postea legimus per illum actum auferre à se hominem peccatum infidelitatis, manifestatio est, ut etiam sit verum, quod supra ex S. Prospero relatum est, quod consideratis omnibus diffinitionibus doctrinæ hujus auctoris non est occultum, quantum ab illius doctrinæ sanitate deseruerit, in qua quod tribuendum erat gratiæ: verbis solum prædicando Catholicarum sibi aurium judicia conciliare voluit, quibus de præmissæ confessionis fronte securis facile sequentia irreperent, si prima placuissent.

72 Explicamus hoc magis: si ille homo audito Evangelio, credens omnibus revelatis ex sola natura sine aliquo auxilio gratiæ potest, à se auferre peccatum infidelitatis: ergo sic assentiendo implet præceptum fidei; patet quia fidei præceptum solùm præcipit, ut homo illi assensum firmum præbeat, quo infidelitatem à se repellat. Quis autem Theologorum concedat posse hominem, solis naturæ viribus implere præceptum fidei, quod absque dubio supernaturale est, cum hoc solus Pelagius admiserit, & qui illius pravam doctrinam sequuti sunt.

Sic igitur formetur argumentum: Præceptum 73
fidei est supernaturale (quæ est indubitata veritas:) ergo datur de actu quatenus est necessarius ad salutem; præcepta enim potissimè supernaturalia dantur de actibus necessarijs ad salutem; ergo qui implet illud præceptum, facit actum necessarium ad salutem: Ergo qui audit Evangelium credens omnibus revelatis, quia revelata sunt, ex sola sua natura implet præceptum fidei, facit actum necessarium ad salutem; & sic ille assensus convincitur poni fieri ab homine, prout ad salutem oportet.

Huic argumento respondebunt fortè talem ho- 74
minem per talem assensum solâ naturâ elicitum, sicut evitat infidelitatis peccatum, ita implere fidei præceptum, quoad substantiam actus, sed ista responsio ex supra diffinitis in hoc libro facillimè præcluditur, quia probatum est actum fidei, sicut spei, & charitatis esse quoad substantiam supernaturalem in tantum ut etiam aliqui ex his authoribus, cum quibus agimus, qui & ibi inducti sunt, non dubitent affirmare oppositum asserentes enervare Concilia, & necessitatem gratiæ negare. Igitur nec sic possunt defendere, implere hominem per solam facultatem naturæ præceptum fidei. Secundò quia præceptum fidei jubet ut habeamus actum fidei Christianæ, & ut simus verè fideles, ergo si homo ex sola facultate naturæ præceptum fidei adimplet, elicit actum Christianæ fidei, & fit verè fidelis.

Si autem propter hæc quæ apertissima sunt, non 75
concedant per illum assensum implere hominem præceptum fidei, ne convincantur fateri illum elicere assensum Christianæ fidei, & prout ad salutem oportet, quid poterunt respondere argumento facto, quod procedit ex eo, quod expresè fatentur per illum assensum merè naturalem evitare hominem peccatum infidelitatis? Quando enim instat præceptum fidei, sicut instat cum alicui Evangelium debito modo proponitur & explicatur, si ille evitat peccatum infidelitatis implet præceptum fidei. Quod sic ostenditur. Nam tunc obligat præceptum fidei: ergo obligat ad habendum positivum actum fidei: ergo vel homo tunc implet præceptum habendo actum positivum fidei, vel frangit illud quidquid alias efficiat? Non enim est dare medium si frangit; ergo peccat contra præceptum fidei; ergo peccato infidelitatis peccat, quod est contra fidem. Si non frangit peccando peccato infidelitatis; ergo implet præceptum fidei, & sic idem, quod prius.

Præterea non insistamus modo in illationibus 76
nostris quantumvis manifestis, quibus concluditur ex eorum dictis & confessis illum hominem per talem assensum, qui malè soli naturæ tribuitur, verè implere fidei præceptum, & ex consequenti elicere actum Christianæ fidei, de hac enim præceptum datur, & operari in illo prout ad salutem oportet; sed persistamus tantum in expresè positis, & concessis, quibus dicunt per assensum illum evitari peccatum infidelitatis; si enim per actum talem homo evitat peccatum infidelitatis; ergo jam infidelis non manet. Consequentia est manifesta; ergo à se homo se solo sine gratiæ auxilio aufert infidelitatem; ergo cum postea Deus auxilio gratiæ movet hominem ad fidem, non aufert ab homine infidelitatem,

Digitized by Google

fidelitatem, nec corrigit, seu convertit Deus cor hominis de infidelitate ad fidem, sed de fide naturali, qua jam aliqua ratione fidelis est, ad fidem supernaturalem. Omnia ista apertè sequuntur.

77 Consequens etiam est apertè contra Concilium Arausicanum 2. *can.* 5. cujus, & verba sunt. *Si quis sicut augmentum ita & initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus; non per gratiæ donum id est per inspirationem spiritus sancti; corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem; ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur* &c. Docet Concilium per donum Dei, & spiritus sancti inspirationem corrigi hominis voluntatem de infidelitate ad fidem & de impietate ad pietatem; & tamen sententia quam impugnamus hoc negat, & solum ponit quod corrigat Deus per inspirationem spiritus sancti in tali homine voluntatem, non de infidelitate; quam jam se solo evitavit, sed de minore fide naturali ad majorem supernaturalem, non de impietate, quam cum infidelitate jam à se repulerat homo suis viribus, sed à pietate naturali ad pietatem supernaturalem. Itaque tunc faceret Deus non de infideli fidelem, nec de impio pium, sed de fideli, & credente per naturam fidelem & credentem per gratiam; quo nihil magis contrarium Concilio potest affirmari.

78 In super si sic est, perpetua illa S. P. Augustini doctrina penitus evertitur, qua semper adversus Pelagianos omnes docet & tradit, ac ex divina scriptura manifestè convincit, quod Dominus aufert à nobis cor lapideum; & sic jam falsum esset, quod Dominus per Prophetam promittit *auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum*; cor enim lapideum significat obstinatam in malo voluntatem, potissimè in infidelitate quam non auferret Deus; sed homo ipse à se repelleret Evangelio credendo, seu omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt.

79 Amplius Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. exponens qualiter Pelagiani initium fidei ex nobis constituerunt, consummationem ex Deo, hæc verba habet. *Et ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quæ movet hominem interius ad assentiendum his quæ sunt fidei.* Hanc autem causam Pelagiani ponebant solum liberum hominis arbitrium, & propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis, in quantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ sunt fidei; sed consummatio fidei est à Deo per quam nobis proponuntur ea quæ credere debemus. Unde & illa verba adhibet; *quod homo assentiendo his, quæ sunt fidei, elevatur supra naturam suam, unde oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente quod est Deus & solutione ad* 3. inquit, *quod credere in voluntate credentium consistit, sed oportet, quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam, ad hoc quod elevetur in ea, quæ sunt supra naturam.* Si error Pelagianus est asserere quod parati sumus ex nobis ad assentiendum his, quæ fidei sunt, si nobis proponantur, quanto magis error illorum erit asserere, non solum paratos non esse ad sic assentiendum, sed quod multo magis est, quod propositis & explicatis, quæ sunt fidei, sicut per ministros Ecclesiæ proponi & explicari solent, nos ex solis nobis, omnibus illis divinis misteriis certò assentiamur tanquam à Deo per Ecclesiam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, sicut modo publicari, & defendi tanta contentione videmus? An hîc iterum reversuri sumus ad prætensam excusationem præscindendam? qua sola voce proferunt loqui Pelagianos de fide Christiana, & quæ sit prout ad salutem oportet; se autem de illa non loqui, sed de fide naturali; cum ut arbitramur, manifestè sit ostensum ipsos re ipsa principiis suis, & verbis; quæ alias adhibent, & sententiam suam exponunt, totaliter convinci etiam de fide eos loquutos, quæ sit prout ad salutem oportet?

Sed ut omne subterfugium excludatur quasi in 80
terminis author concordiæ in alio loco habet expressum id quod modo de illis aliis Sanctus Thomas retulit ita enim dicit in *Concord. disput.* 9. §. *patet. Licet autem Deus non vocet ad fidem propter merita aliqua ejus qui vocatur; imò sæpè eos misericorditer vocet, qui pertinaciter resistunt, & contradicunt, nihilominus magis indignus ut supernaturaliter adjuvetur, & vocetur is est, qui sinistra intentione, quam qui paratus obedire veritati, eamque amplecti ad audiendum accedit*; sed hominem ex se esse paratum ad audiendum verbum Dei, & Evangelium, secundum expressam Sancti Thomæ sententiam, est constituere initium fidei ex nobis; ergo illud ex nobis constituit, qui in terminis illud concedit.

Præterea S. Thomas pro cõperto habet, quod cre- 81
dere aliquid quasi Deo dicẽti, illud est actus Christianæ fidei; ergo multo clarius erit actus fidei Christianæ credere omnibus revelatis, tanquã à Deo revelatis & quia à Deo revelata sunt. Consequentia satis est nota, quia magis in consequenti ratio formalis objecti fidei explicatur. Et antecedens habetur in 3. *dist.* 23. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 3. ubi sic habet ad 3. *dicendum quod Philosophi propriè loquendo non crediderunt Deum omnipotentem, sed sciverunt quia demonstrativè illud probaverunt; sed si aliqui illud sine demonstratione crediderunt, non crediderunt illud quasi Deo dicenti hoc, sed alicui signo ex quo illud conjecturati sunt.* Vbi manifestè docet, quod credere aliquid quasi Deo dicenti illud est objectum formale fidei, quod attingi non potuit à Philosophis, qui habitum infusum fidei non habebant. Imò hoc respondet argumento tertio quod prætendebat Philosophos sine habitu infuso credidisse Deum esse omnipotentem, negando quod id crediderint, quasi Deo id dicenti.

Præterea, aperta doctrina S. Thomæ est 2. 2. *q.* 2. 82
art. 2. sub his verbis proposita. *In objecto fidei duo possunt considerari, quorum unum est materiale objectum fidei, & sic actus fidei ponitur credere Deum, quia nihil proponitur nobis ad credendum nisi secundum quod ad Deum pertinet. Aliud autem est ratio formalis objecti, quod est sicut medium propter quod tali credibili assentitur, & sic ponitur actus fidei credere Deo, quia objectum formale fidei est veritas prima cui inhæret homo, ut propter eam creditis assentiat.* Quid clarius ad convincendam veritatem, quam tradimus, & expugnandam falsitatem quam rejicimus? Si enim credere Deo est objectum formalè fidei & ratio formalis illius, ut apertè S. Thomas convincit (in quo profecto omnes Theologi conveniunt) quomodo non multo magis credere revelatis tanquam revelatis à Deo, & quia à Deo revelata sunt, erit formale objectum fidei & ratio formalis illius, ac per consequens qui teneret hominem solis suis viribus posse credere non solum Deum, sed Deo, ab omnibus convinceretur, quod viribus solius naturæ tribueret posse attingere objectum formale fidei, & habere actum circa rationem formalem illius, quomodo non multo magis ab omnibus convincendus est, qui concedit posse hominem omnibus revelatis tanquam revelatis à Deo assentiri & quia à Deo revelata sunt, tribuere soli naturæ habere actum circa rationem formalem objecti fidei, & ex consequenti credere fide Christiana, quæ in hoc solum sita est, ut feratur in rationem formalem objecti Catholicæ fidei?

Digitized by Google

83 Ad hæc Doctrina S. Thomæ est 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 5. quod quamvis nullus, per se ipsum possit esse certus se habere gratiam, potest tamen certus esse se habere fidem, & scientiam sibi infusam; sed nullo modo aliter potest, quis certus esse se habere fidem à Deo infusam, nisi quia certus est, se assentiri certo omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt: ergo iste actus est actus fidei infusæ: ergo nequit esse actus, à solis naturæ viribus habitus. Si enim ille possit naturæ viribus haberi, nullo modo posset homo esse certus se fidem habere à Deo infusam, quia licet in se experiretur se actum illum habere, cum ille possit (ut ait ista sententia quam impugnamus) cum omni illa formalitate, quæ in ipso exprimitur elici à sola naturæ facultate, non posset per illum, nec per alium certificari de fide infusa atque divina.

84 Nec disputandum est modò, quam vera sit hæc S. Thomæ sententia, licet eam non omnes recipiant, sed supponenda, quia fundamentalis ratio S. Thomæ satis eam ostendit; certitudo enim propria est intellectus: Vnde actus fidei non solum certum reddit intellectum de objecto, hoc enim primo, & per se habet; verùm indirectè, & quasi reflexè intellectum de se ipso certificat. Qui enim credit, certo scit se credere, & qui credit mysterijs supernaturalibus certus est quod mysterijs supernaturalibus credat. Et qui illis assentitur tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, etiam hoc certo cognoscit; cognoscit enim se non ob aliam rationem illis assentiri, nisi quia à Deo revelata sunt. Vnde certò cognoscit se fide divina credere: nulla enim potest esse nisi divina, quâ certò cognoscit intellectus se mysterijs supernaturalibus assentiri, quia à Deo revelata sunt. Vnde illa certitudo indirectè ex ipsa fide provenit, sicut qui habet scientiam, scit se scire quasi reflexè, quia etiam ista indirecta certitudo ex actu scientiæ procedit, qui sicut primò & per se certò cognitum reddit objectum, ita secundariò, & indirectè certum reddit intellectum de se ipso.

85 Tandem in illo actu, quem soli homini tribuit Author ille, & qui ejus doctrinam sustinent, adeo clarè, & explicitè rationem formalem fidei supernaturalis & divinæ, qua ex Dei gratia Christiani sumus, exponunt & specificant, ut planè mirandum sit, quomodo, qui illum soli homini tribuunt, non statim videant se soli homini specificam & formalem rationem fidei Christianæ, quæ nonnisi supernaturalis est & donum Dei, soli homini sine aliquo auxilio gratiæ tribuere; & ex consequenti ipsam Christianam fidem ex solo homine ponere; qui fuit apertissimus Pelagianorum error, quod etiam ipsi non dubitant confiteri. Probatur seu potius declaratis terminis ostenditur. Manifestum est enim, quod revelatum ut revelatum est, objectum formale Christianæ fidei, seu quod idem est fidei supernaturalis, ut communis est sententia Theologorum omnium; certum est etiam quod assentiri revelato, quia revelatum est; est formalis ratio sub qua credens illi objecto assentitur; ergo manifestum est quod qui assentitur revelato, ut à Deo revelatum est, & quia à Deo est revelatum attingit objectum formale fidei sub ratione sub qua illud attingitur: ergo manifestum est, quod qui sic assentitur assentitur Christianâ seu supernaturali fide. Manifestum enim est, quod qui fertur in objectum formale alicujus virtutis sub formali ratione virtutis talis, quod actum formalem elicit virtutis illius, ut est apertissimum, & generaliter potest convinci in omni objecto formali & ratione sub qua illius & in omni potentia objectum tale formale formaliter attingente, ut patet. Qui enim fertur in ens quatenus ens sub abstractione ab omni materia nctũ est quod habet actum formaliter metaphysicæ. Non potuerunt ergo, etiam si vellent ex industria, ij Authores exponere clarius, vel efficacius specificam & formalem rationem fidei supernaturalis seu Christianæ cum objecto formali illius, & cum ratione sub qua intellectus debet in illud tendere in aliquo actu, sive in aliquo assensu, quam dicendo; quod potest homo assentiri certò omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Iste enim & rationem formalem objecti Christianæ fidei exponit, & rationem formalem sub qua attingitur, exprimit, simul explicando rationem, quæ attingitur, ut solet dici à metaphysicis, & rationem sub qua attingitur.

Convincitur ergo talis sententia undequaque & 86
omni ex parte nobis ex solis nobis assensum Christianæ fidei tribuere, & clariùs asserere posse solam naturalem facultatem arbitrij attingere supernaturale objectum fidei quatenus supernaturale est, & quatenus est per solam supernaturalem fidem sibi proportionatam attingibile, qui & error est Pelágianus sine dubio, & apertam impossibilitatem involuit; dum ponitur natura à se sola posse elevari ut attingat formaliter id quod supra ipsam totam est, quale est supernaturale verum, quatenus à Deo per Ecclesiam est revelatum.

Vnde sicut qui diceret intellectum posse sine lu- 87
mine aliquo metaphysicali elicere assensum firmum circa ens, ut ens quatenus est abstractum, vel abstrahibile ab omni materia, vellet, nollet, convinceretur asserere sine scientia metaphysica posse intellectum ferri in objectum formale illius; nec excusari posset dicendo aliter per scientiam metaphysicam, aliter per solum intellectum in illud objectum ferri; vel illum actum non esse scientificum, quem sine dubio scientificum sine scientia tamen poneret, quod contradictionem involueret; ita qui contendit, & nimis fundare laborat, posse solum intellectum sine lumine fidei certò assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, velit, nolit, convincitur dicere, solum intellectum sine lumine fidei posse attingere objectum formale illius, & habere actum credendi circa illud quem solum potest elicere supernaturale lumen fidei; nec excusari potest prætendendo illum non esse assensum veræ, seu Christianæ fidei, quem reipsa assensum Christianæ fidei constituit.

Concludamus ergo simul omnia quæ de illo actu 88
dicit Author ille recapitulando. Ille actus ut dicitur est certus, imò magis firmus & certus potest esse ex parte credentis quam actus Christianæ fidei in alio, & per illud assentitur homo omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata: ergo erit Christianæ fidei, nec erit necessarium ad illam lumen supernaturale. Probatur ad certitudinem non est necessarium, nec ad facilitatem, ut concedunt, nec ut attingatur revelatum ut revelatum, & quia à Deo revelatum est; ergo non requiritur, ut attingatur objectum supernaturale, ut supernaturale; ergo ex superfluo ponitur supernaturale lumen, ut det actui supernaturalitatem. Probatur, quia in actu ideo est necessaria supernaturalitas, ut attingere possit objectum supernaturale, ut supernaturale; ergo si sine illa actus naturalis ponitur attingere objectum supernaturale ut supernaturale, non erit necessaria supernaturalitas in actu, & hoc est quod Pelagiani dixerunt nec enim fuerunt tam stolidi, ut dicerent illum actum esse in substantia supernaturalem.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

Quædam evasiones præcluduntur.

89 EX dictis consequitur, omnes illas sex moderationes seu restrictiones, quibus (ut *cap.* 1. *hujus tractatus* relatum est) prædictam assertionem moderari, & ab errore excusare nisi sunt illius Authores, minùs juvare, aut etiam excusare: quia ut etiam in *cap.* 5. ostensum est, solâ voce dumtaxat proferuntur, non sententia & veritate. Quod enim ille assensus sit ex parte credentis tantùm, & non ex supernaturali lumine, tantum abest quod excuset, quin potiùs in hoc prava sententia consistit, cum soli credenti, & non lumini superiori id tribuitur totũ, quod non nisi ex supernaturali lumine revelante ei potest competere: quod est attingere certò revelatum, & supernaturale, ut supernaturale & revelatum sub ratione formali divinæ revelationis. Hoc enim apertè demonstrant verba illa, credere revelatis ut revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Vnde cessat prima moderatio. Similiter, quod secundò prætenditur quod nimirum per illum assensum elicitum à solo credente sine superiore lumine sibi persuadet homo illa mysteria esse revelata, non autem innititur divinæ revelationi, eodem modo præcluditur. Si enim per hoc intendatur, quod ille homo sibi persuadet ex tali assensu illa esse revelata, non tamen quod revera revelata sint, vel quod illa attingat non ut revera revelata, & quia revera revelata sunt, positio se ipsam destruit: statuit enim quod revera attingat illa ut revelata proponuntur, & quod illis assentiatur, quia revelata sunt. Si autem intendat quod sibi solus humanus intellectus certò potest persuadere illa revera esse à Deo revelata, & illis propterea certò assentiatur, ut verè à Deo revelatis, & quia verè à Deo revelata sunt, in quo sensu necesse est, quod assertio procedat nisi velit seipsam, ut dictum est, destruere; hoc est quod impugnamus, & expugnatum olim fuisse aperuimus; quia nihil est aliud, quam fateri non esse necessarium supernaturale lumen ex parte credentis; ut certò assentiatur, & credat mysteriis verè à Deo revelatis tanquam verè ut revelatis propositis sibi & explicatis, & quia à Deo verè revelata sunt.

90 Quod est per æquivalentia dicere posse solum intellectum suis præcisè viribus credere ea quæ sunt Christianæ fidei, prout sunt revera & proponuntur esse fidei Christianæ, quod est Christiana fide credere. Quod si totum hoc potest solus homo sine lumine supernaturali, nihil ei tribuet supernaturale lumen, cum illud solum homini tribuat, quod certò assentiat revelatis, cum hac duplici ratione formali tanquam revelatis, & quia à Deo per Ecclesiam revelata sunt. Quod verò nullo modo hæreticus sub hac formalitate assentiatur articulis quos non negat (in quo isti nimis falluntur) apertè inferiùs monstrandum est.

91 Pari ratione non subsistit limitatio tertia, quâ author ille fatetur lumen supernaturale dare intellectui particularem certitudinem. Hoc enim in primis quomodo ab illo Authore dicatur, qui simul in *disp.* 8. *illius nominata concordiæ* §. *ex dictis* expressè concedit, *quod lumen supernaturale fidei non est necessariũ, ut assensus ex parte credentis sit firmus & certus: quia potest hæreticus hoc modo; nimirum ex parte credentis, assentiri firmiùs & certiùs, non solum articulis fidei, quos non negat, sed etiam suis erroribus, quam multi fidelium assentiantur per fidem infusam veritatibus Catholicis.* Quomodo, inquam, dicatur dare lumen fidei particularem certitudinem assensui, qui certus magis & firmus ponitur sine illo lumine in hæretico, quam cum lumine illo in Catholico, non satis apparet: nec enim duo hæc quæ simul dicuntur, simul stare posse videntur. Si enim sine fidei lumine solis naturæ viribus potest esse major certitudo ex parte credentis quam sit data per fidei lumen eidem credenti: ergo non dat fidei lumen aliquam majorem certitudinem seu aliquam certitudinem particularem assensui illi, quo multò major non possit dari à solis naturæ viribus.

Quod si dicat hanc particularem certitudinem, quæ tribuitur per lumen supernaturale credenti, seu assentienti revelatis ex lumine tali: non quidem esse majorem seu intensiorem ex parte credentis (quia ut dicit major & intensior potest esse in hæretico, vel in assentiente ex solis viribus suis omnibus revelatis) sed esse alterius rationis, & propterea vocari, ac dici particularem certitudinem, id est, cui etiam ex parte credentis non possit subesse falsum. Cum tamen alteri certiori, & firmiori habitæ sine lumine fidei ex propria ratione falsum possit subesse, (quæ est hujus authoris intentio propriis verbis exposita, ut à principio *cap.* 1. relatum est.) Hinc primò perpendat Theologus quomodo stare possit, quod majori certitudini ex parte credentis falsum subesse possit, & minori certitudini ex parte credentis falsum subesse, non possit. Quantò enim major certitudo est in assensu, eo minus ei falsum potest subesse, quia certitudo est adhæsio intellectus ad verum: unde major certitudo est major adhæsio ejusdem intellectus ad verum; quantò autem major adhæsio est intellectus ad verum, tantò minùs ei falsum potest subesse, ut est satis notum. 92

Aliud esset, si sermo fieret, non de certitudine, sed de qualibet firmitate & adhæsione intellectus ad objectum, sive verum sit, sive falsum, quæ solet vocari protervia, vel pertinacia, & reperitur in hæreticis respectu errorum suorum; hæc enim potest esse major seu intensior ex parte assentientis, quam sit in aliquibus Catholicis per lumen fidei; sed illa nullo modo vocanda est certitudo, quia, ut dictum est certitudo est circa verum, non circa falsum. 93

Præterea: solis verbis dicitur, quod supernaturale lumen det illam particularem certitudinem, cui scilicet non possit subesse falsum: cum reipsa in assensu merè naturali ponatur talis certitudo ex parte credentis, cui falsum subesse non possit. Probatur, quia per assensum illum naturalem intellectus firmiter adhæret rei revelatæ ut revelata est, ut dicitur: ergo ex parte credentis illi assensui non potest subesse falsum. Patet consequentia, quia assensui qui firmiter adhæret infallibili veritati, ut infallibilis veritas est, qualis est veritas revelata ut revelata, impossibile est subesse falsum ex parte credentis; cum ex parte credentis assensus tendat firmiter in objectum formale, quod secundum quod à credente attingitur, non possit esse falsum; tale autem est revelatum, ut revelatum sine dubio: igitur si hoc potest formaliter attingere, atque certò intellectus sine lumine supernaturali, nonnisi ex superfluo & solis verbis dicitur lumen supernaturale dare illam particularem certitudinem. 94

Circa illos vero articulos fidei, quos hæreticus non negat, non potest dici, quod majorem certitudinem habeat ex parte credentis quam habeat fidelis per lumen fidei. Et ratio est, quia licet articuli illi, utpotè in seipsis à Deo revelati, verissimi sint in seipsis, seu materialiter tenti, nec falsi esse possint, tamen ut formaliter terminant assensum hæretici circa illos non attinguntur formaliter, ut revelatæ veritates sunt quod est certum, ac valde notandum. 95

Digitized by Google

Vnde ut formaliter illum assensum terminant non inest eis major veritas, quam in aliis objectis naturalibus, quibus falsum potest subesse, & ex consequenti assensus circa illos ex parte assentientis, quamvis sit firmior non tamen est illa firmitas seu illa adhæsio vera certitudo: nec potest dici magis certus hæreticus de illis ex parte credentis, quam minimus Catholicus, sed nec tam certus, imò nec certus.

96 Constant ista, quia articuli illi in se materialiter verissimi: prout attinguntur ab assensu hæretici non attinguntur revera secundum quod veritates supernaturales sunt, sed secundum quod homini placet eis assentiri, sicut & aliis rebus, imò erroribus assentiri vult: sicut ergo quia vult assentitur erroribus; ita quia vult illos articulos recipere, eis assentitur. Vnde eadem firmitate atque ratione, qua suis erroribus & illis articulis assentitur. Igitur articuli illi, ut attinguntur ab illo assensu, non habent majorem veritatem, quam habeant aliæ fallibiles veritates, vel errores ipsi; & sic assensus ex parte assentientis respectu illorum. Sic formaliter sumptus non est verè certus, nec veram certitudinem habet, nec ex eo modo assentiendi fertur magis in verum quam in falsum. Et hac ratione S. Thomas *quodlib. 6. art. 6.* rectissimè vocat adhæsionem, seu firmitatem hæretici respectu articulorum quos non negat, actum falsæ fidei, ita concludens: *dicendum est ergo, quod in hæretico certitudo inhæsionis est actus fidei, & iterum in malo Catholico* (illa certitudo scilicet) *est ex habitu fidei informis; sed in hæretico est, vel ex habitu perverso fidei, vel ex pura potentia.* Non enim alia ratione dicit illam firmam adhæsionem respectu veritatum fidei, quas non negat esse ex perverso & falso habitu fidei; nisi quia secundum quod attinguntur per assensum hæretici, non alia ratione attinguntur, quam attingantur aliæ falcitates, quas sibi persuadet: unde habitus qui generatur non inclinat ad verum, sed ad quidquid voluntati illius placet; sive in se materialiter verum sit, sive falsum.

97 Advertendum est quod S. Thomas non ponit in hæretico respectu veritatum fidei, quæ ab ipso non negantur, propriam & veram certitudinem, nec absolutè dicit illum habere certitudinem, sed cum addito diminuente, videlicet certitudinem adhæsionis, id est, firmitatem adhærentem alicui objecto: quia, ut diximus, illa vera & propria certitudo non est, sed in lata significatione.

98 Itaque, tria oportet attentiùs considerare in assensu hæretici respectu veritatum fidei, quæ ab ipso non negantur. Primò, illas veritates seu objectum illud materialiter & in se ipso, & objectum hoc secundum fidem, verissimum est; cui repugnat posse subesse falsum: quia revera est revelatum à Deo: unde attingit quidem hæreticus per assensum illum, rem quæ in se ipsa, seu materialiter tenta, vera est, & cui falsum ut sic non potest subesse. Secundò considerari debet illud objectum seu veritates illæ formaliter, ut nempè attinguntur ab illius hæretici assensu, & illum formaliter terminant. Et sub hac ratione, quia nullo modo attinguntur secundum quod revelatæ sunt, sed quia homo illas recipere vult mero placito suo: non habent infallibilem veritatem. Sed eis sub hac ratione potest subesse falsum: sicut & aliis quæ creduntur eodem mero humano placito. Tertiò consideratur ille assensus ad illas veritates sub prædicta formalitate terminatus, qui proindè in se certus non est nec propriam certitudinem habet, sed potest ex parte assentientis illi subesse falsum. Hinc manifestè convincitur esse falsissimum, quod ab authore, cum quo agimus, dicitur, quod nimirum Lutheranus, seu hæreticus quilibet alius assentiatur articulis fidei quos non negat, tanquam à Deo revelatis, hoc, inquam, falsum est, quia non assentitur illis nisi tanquam à suo beneplacito sibi propositis, sicut & alia vera & falsa sibi credenda proponit: unde & generat ex multiplicatione illorum actuum pravam, seu falsam fidem, ut S. Thomas nos docuit, æqualiter inclinatam & ad vera in se ipsis, & ad ea quæ in se ipsis falsa sunt. Imò dicendum est, quod si hæreticus articulis à se non negatis assentiretur tanquam revelatis, attingeret formale objectum Christianæ fidei, unde ex tali objecto assensus ita esset certus ex parte credentis, ut illi nullo modo posset subesse falsum: quia si revelatum ut revelatum attingeret, deberet attingere sub ratione quâ revelatum est: ista enim duo quæ sunt ratio formalis quæ, & ratio formalis sub qua; ex necessitate connectuntur; unde impossibile esset, quod assensui illi falsum posset subesse.

Convincitur secundò quod illa propositio au- 99
thoris cum quo agimus; qua dicit, ut relatum est *supra cap.* 1. quod hæreticus ex parte objecti eandem certitudinem habet quam nos habemus, nec in hoc inter illum & nos aliquam esse differentiam; distinguenda est, ne error involvatur: si enim procedat de objecto cui assentitur, in se ipso ac materialiter tento, vera est: quia illud in se ipso & materialiter sumptum, sive in nobis sive in hæretico, est à Deo revelatum, & infallibilis veritas. Si autem procedat de objecto formali, & secundum quod formaliter hæretici assensum terminat & assensum Catholici, nullo modo est idem formaliter objectū, sed diversum valdè; quia in nobis est revelatum ut revelatum, in illo non; sed est sibi quia vult propositum, sicut & alia quibus fidem præstare vult. Vnde de hoc formaliter loquendo dici non potest, quod pares sint hæretici atque Catholici, & quod neutris possit subesse falsum ex parte talis objecti formalis. Et quia ista duo in illo objecto non distinguit author prædictus, cum æquivocatione periculosissimè procedit.

Convincitur tertiò quod nec ex parte credentis 100
possit dici, quod hæreticus sit magis certus, sed nec tam certus, sicut est Catholicus, loquendo ut loquendum est de vera ac propria certitudine. Convincitur quartò atque concluditur, quod homo ille, qui se solo assentiretur revelatis omnibus tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, & materialiter & formaliter attingeret mysteria ut à Deo sunt revelata, & sub ea ratione, qua revelata sunt, & ex consequenti (ut superiùs manet abundè probatum) attingeret objectum formale fidei Christianæ, & formaliter objectum Catholicæ fidei attingeret, & ex consequenti verè crederet fide Christiana, quod apertè falsum est.

Hinc etiam patet illam quartam adhibitam mo- 101
derationem, qua asserunt distingui specie illum assensum, quo audiens Evangelium solis suis viribus naturalibus illis omnibus assentiretur tanquam revelatis, & quia revelata sunt, ab assensu fidei Christianæ habito supernaturali auxilio, merè voluntariam esse excusationem solis verbis dumtaxat exterioribus prolatam, & nullo modo in re subsistentem cum probatum sit copiosè illum talem assensum esse verè assensum Christianæ fidei, & ejusdem speciei cum quolibet alio elicito supernaturali auxilio: cum idem formale objectum habeat & sub eadem formali ratione apertissimis verbis expressa. Vnde si homo illum ex se solo posset habere, posset fidem Christianam & salutem ex se solo elicere; sed sicut hoc falcissimum est, ita & illud. Sicut enim mures generati, alter ex mure, & alter ex putrefactione ejusdem speciei sunt; & sicut Adam ex creatione

Digitized by Google

tione productus in ſpecie idem eſt homo ac genitus ex homine, quia principia iſta ſpeciem non variant, cum eandem ſpecificam formam rei ſant, à qua eadem ſpecies ſumitur; ita ſi poſſet homo ſolus illũ aſſenſum elicere eſſet ejuſdem ſpeciei cum illo quem Spiritus Sanctus in alio ſua inſpiratione cauſaret; quia licet effectiva principia eſſent varia; tamen utriuſque aſſenſus eadem eſſet ſpecies ab eodem formali objecto deſumpta, à quo ſumitur ſpecies actuum humanorum.

102 Simili ratione concluditur non excuſare quintam aliam reſtrictionem prætendentem, illum aſſenſum relatum ex ſolis naturæ viribus elicitum, eſſe vel fidem humanam vel opinionem; verbis enim iſta proferuntur, ſed non attendimus ad verba, cum res à nobis, non ſola verba quærantur. Probatum eſt enim & efficaciter oſtenſum, aſſenſum illum, ſi poſſibilis eſſet per ſolam naturam ſine gratia, eſſe verè aſſenſum Chriſtianæ fidei, non humanæ, vel opinionis: ſicut eſt opinio illa, quæ eſt in hæretico, ut ex S. Thoma infra monſtrabimus: verum ad hoc introducere aſſenſum hæretici non eſt iſta diſtinguere, ſicut diſtinguenda ſunt, ne error inferatur.

103 Nec ſibi conſtat author hujus aſſertionis; cum enim *ille ponat in illo actu, tantam certitudinem & firmitatem quantam habet fides Chriſtiana* (hanc autem habere non poſſet actus opinativus, cum eſſentialiter includat alterius partis formidinem) quomodo illum actum potuit vocare opinionem? niſi quia conſideratis omnibus diffinitionibus ejus, quamvis aliquando ſe occultet, aliquando tamen ſe ſatis manifeſtat? quod ſi quis prætendat illum modò aſtruere, modò negare, modò ædificare, modò deſtruere, nec multum inſiciamur: comes enim ſolet eſſe iſta proprietas, his qui novas & falſas *doctrinas introducunt, aliquando enim eos compellit veritas dicere veritatem, & aliquando proprius ſpiritus defendere falſitatem.*

104 Parique ratione fit manifeſtum non ſubſiſtere, ſextam & ultimam excuſationem ſeu moderationem, quâ dicitur illum aſſenſum eſſe merè naturalem, non ſupernaturalem, & prout ad ſalutem oportet. Hæc enim excuſatio, quæ in his authoribus matutina cautio ſemper eſt, & bene vetus, ex dictis efficaciter manet excluſa; oſtenſum eſt enim, quidquid verbis exterioribus dicatur, aſſenſum illum, ſi poſſibilis eſſet per vires naturæ, eſſe verum aſſenſum Chriſtianæ fidei, & ex conſequenti eſſe prout ad ſalutem oportet; ſed hæc eſt impoſſibilitas hujus poſitionis, ut ponatur actus fidei Chriſtianæ, quæ in ſubſtantia ſupernaturalis eſt, utpote de objecto formali ſupernaturali, elicita à ſola natura & facultate naturalis arbitrij, cum ex neceſſitate debeat procedere ex ſupernaturali principio; ut ſic iſta tria, objectum formale, actus qui fertur in illud, & principium eliciens proportionentur, ſicut abſque dubio proportionanda ſunt, ſecundùm omnem ſcientiam tam revelatam, quam naturalem. Cum enim revelatum ut revelatum ſit formaliter objectum ſupernaturale, actus quo ſub illa ratione attingitur, debet eſſe etiam ſupernaturalis: actus autem ſupernaturalis de formali objecto ſupernaturali manifeſtum eſt, quod non poteſt elici niſi à Principio ſupernaturali. Nihil ergo clarius, nihilque manifeſtius, quam eſſe prædictam aſſertionem falſiſſimam, & impoſſibilitatibus reipſa plenam, quidquid illis ſex moderationibus limitetur: quarum nulla reipſa ſubſiſtit, aut ſubſiſtere poteſt.

105 Ex dictis ultimatè concluditur, ſine fundamento adduci in hac materia & cauſa ab his authoribus, argumentum illud de firmitate, quam hæreticus habet reſpectu articulorum fidei, quos non negat: cum illud nihil omnino juvet doctrinam quam defendunt & noviter introducunt, ut ex inductis facile conſtat, magiſque ex inducendis conſtabit.

Concludamus etiam hoc caput hoc efficaci ar- 106
gumento, nimirum quod ſolis verbis dicitur ille actus, non eſſe prout ad ſalutem oportet, quia ſupernaturalis non eſt. Quia ille actus ſine illa ſupernaturalitate ponitur habere omnia, quæ illa ſupernaturalitas tribuere debet: ergo ex ſuperfluo & ſolis verborum tegumentis illa ſupernaturalitas, ut neceſſaria ponitur. Patet antecedens ille aſſenſus ponitur certus & firmus; imò magis certus quam ſit in multis per habitum fidei: ergo ad hanc tam magnam certitudinem, illa non eſt neceſſaria. Rurſus non eſt neceſſaria ſupernaturalitas, ut intellectum firmet contra intellectus errorem; nec ut det facilitatem contra intellectus duritiem æquè enim, imò meliùs hanc ſolus intellectus poteſt habere, quam habeat fidelis per habitum fidei. Rurſus non eſt neceſſaria ut aſſenſui ex parte credentis non poſſit ſubeſſe falſum, quia ut in capite præcedenti oſtenſum eſt, jam ponitur ille aſſenſus talis, ut ei ſubeſſe falſum non poſſit, etiam ex parte credentis. Nec denique ponitur ut ille aſſenſus attingat veritates ſupernaturales revelatas, quatenus ſupernaturales & revelatæ ſunt: quia, ut dixi, hoc apertis verbis concedunt, cum dicunt quod actus naturalis attingit revelatum, ut revelatum & quia revelatum eſt: ergo ad nihil prorſus erit neceſſaria illa ſupernaturalitas. Si enim actus ſine ſupernaturalitate, quæ in illo eſt poteſt formaliter attingere ſupernaturale ut ſupernaturale eſt, cum tota illa ratione, quæ ab illo objecto ſupernaturali poſtulatur, manifeſtum eſt quod ad id ſimpliciter neceſſaria non eſt ſupernaturalitas actus: quia hoc ſolum requiritur in actu, ut objectũ ſupernaturale quatenus ſupernaturale eſt attingat cum ratione formali illius: igitur ille actus attingens revelatum ut revelatum, & quia revelatum eſt, erit prout ad ſalutem oportet. Nec, ut iterum dicam, Pelagiani tam ſtolidi fuerunt, ut dicerent illum aſſenſum in ſe eſſe ſupernaturalem, ſed eſſe naturalem, potentem tamen attingere omnia revelata ut revelata, & quia revelata ſunt à Deo, quod eſt objectum formale Chriſtianæ fidei.

Ex quo per Patres & Concilia convicti ſunt, 107
quod quidquid verbis dicerent ut ſe occultarent, in illo actu ponebant, quod fieret prout ad ſalutem oportet, & quod in eo initium fidei conſtituerent. Etenim cum adverſus eos Concilia diffiniunt, hominem ſine auxilio gratiæ non poſſe credere, prout ad ſalutem oportet, non intelligunt per iſta verba, prout ad ſalutem oportet, illum actum debere eſſe ſupernaturalem; aliàs ſenſus eſſet, hominem non poſſe ſine auxilio gratiæ, ſolis ſuæ naturæ viribus elicere ſupernaturalem actum fidei, & ſic nihil contra Pelagianos & Semipelagianos traderent, cum ipſi non dixerint poſſe à ſola natura fieri actum ſupernaturalem credendi. Sed definiunt Concilia non poſſe hominem ſolis ſuæ naturæ viribus, ſine auxilio gratiæ per actum merè naturalem attingere credendo, id quod attingitur auxilio gratiæ, ideſt, non poſſe credere firmiter revelatis ut revelatis, & quia revelata ſunt à Deo: hoc enim eſt quod lumine fidei attingitur, & eſt credere prout ad ſalutem oportet, ut non ſemel dedimus manifeſtum, nec faſtidiat id iterum atque iterum audire.

Concludendum eſt ergo per talem actum, fidei 108
quem ſoli homini tribuit author ille, verum Chriſtianæ fidei initium, ex homine tribuere; nec ſupernaturalitatem ad id eſſe ſimpliciter neceſſariam, cum ſine illa ſupernaturale objectum attingat: ſed tantùm poni neceſſariam ad melius atque facilius,

ſive

Digitized by Google

sive ad perfectiùs : quæ est damnata sententia expresse in Concilio Arausicano. 2.*Can.*5. & Concilio Tridentino *cap.* 5. *de justificatione* : estque contra plura scripturæ testimonia, quæ ad id inducit S. P. Augustinus *lib. de prædest. Sanctorum.*

109 Adducit etiam S.Fulgentius insigne testimonium aliud *lib.de incarn.& grat. Domini nostri Iesu Christi, cap.* 20. sic dicens. *Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde uniuscujusque credentis initiat, propterea in epistola, qua ad Hebræos scripta est, admonemur ut aspiciamus in authorem fidei & conformatorem Iesum ; qui procul dubio sic est author fidei nostræ, cum ipse fidem non habentibus donet, sicut est ejusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat, & sancta operatione consummat.* Et post pauca. *Quod si in eo tantùm est author fidei nostræ, quia nostram voluntatem expectat ut ex nobis esse fides incipiat, consequens est ut etiam consummator fidei nostræ, ideò dicatur, quia expectat, ut nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ à nobis exorta est perveniat, ac sic totum Deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrij viribus applicetur.*

110 Concludendum est & cum S. Prospero *responsione* 8.*ad excerpta Genuensium*, quod qui talia sapiunt, *hoc sentire apertissimè probantur, quod fides non sit donum Dei, & quod gratia non præveniat liberum arbitrium, sed sequatur, & quod gratia Dei secundùm merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, & id non accipit* secundùm communem cursum, *nisi fides quæ accepta non est, in ipsa est meritum, cui non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi consequenter sapiunt eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus : ut ipsa Electorum prædestinatio non sit nisi retributio. Atque ità in his qui prædestinati sunt secundùm propositum ejus, qui universa operatur : non operetur Deus fidem : nec ulla sint hominis merita, si Deus operatur universa. Verè qui ista sentiunt, fidem non acceperunt* : (inquit S. Prosper) *aut quam acceperant perdiderunt sequendo vanissimam Pelagianorum superbiam, & in se & in Domino gloriando, qui operatur omnia in omnibus, bona profectò, non mala. Et si omnia bona, utique & fidem sine qua nemo potest placere, & qua est virtutum omnium fundamentum. Quale est autem, ut cum Dei sit ædificatio, & nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laborant qui ædificant eam : aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut se velint inchoare, quod Dominus possit extruere ? Non erit ergo illis principium filius Dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Christo Iesu, nec de eis dictum est, firmum autem fundamentum Dei stat ; quia totam electionem suam solubili arena, & succiduo cineri superponunt.*

CAPVT VIII.

Alijs argumentis respondetur desumptis ex Concilijs Arausicano 2. & Tridentino, & ex testimonijs S. Thomæ.

111 OPpositum fuit argumentum primum illud commune, quo semper in his materijs uti solent qui oppositam defendunt doctrinam ex Concilio Arausicano 2. *Can.* 6. 7. & 25. in quibus locis adhibet semper illam particulam, *prout oportet*, cum definit nos non posse sine auxilio gratiæ aliquid boni agere ; nimirum prout ad salutem oportet, Insinuans proinde posse nos sine gratiæ auxilio ea opera efficere, quæ non fiunt prout oportet ad salutem. Similiter ad id confirmandum opponebatur *Canon.* 3. *sess.* 6. *de justificatione* ex Tridentino Concilio, ubi magis in specie diffinitur, , sine Spiritus sancti inspiratione atque eius adjutorio neminem, credere, sperare, diligere, & pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. Ex quibus author (cum quo ista tractamus) priùs, & postmodum qui illius sententiam defendere laborarunt, inferebant secundùm Concilij mentem, vel saltem non contra illam posse defendi, nos sine aliquo gratiæ auxilio posse elicere actum fidei, quo ad solam substantiam actus solis viribus nostris, cum ille, quia supernaturalis non est, non fiat prout oportet ad salutem. Quod illorum argumentum relatum est supra, *capite* 3. *statim in principio.*

Ad quod tamen respondemus, pròut supra *tract.*1. 112
ubi satis, ut arbitramur, probatum fuit & ostensum actum fidei, sicut & cæterarum virtutum infusarum supernaturalem esse in sua substantia : idest, in prima specifica & formali substantia sua, nec posse proinde ratione aliqua solis naturæ viribus haberi. Prima autem specifica & substantialis ratio fidei Christianæ nimirum,(de hac enim sola quæstio est) est inniti formaliter in prima veritate, eique maxima certitudine adhærere, ut etiam ibi ex authore alio ejusdem familiæ palam fecimus. Quid autem est aliud, aut esse potest certò assentiri omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia ab ipso per Christum sunt revelata : quam inniti in prima veritate, eique maxima certitudine adhærere : cum hanc inhæsionem in prima veritate, & hanc certitudinem formalius & expressius, illa specifica seu reduplicativa, *tanquam revelatis*, & clarius illa causalis, *quia à Deo revelata sunt*, exponant atque manifestent ? Igitur etiam per alios authores ejusdem familiæ convincitur author prædictus, quod certò assentiri revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, sit specifica & substantialis prima ratio Christianæ fidei : & ex consequenti convincitur, quod si illum solis naturæ viribus ascribit : solis naturæ viribus tribuit hominem assentiri & credere fide Christiana, prout clarius probatum est. Cum ergo Theologi dicunt communiter, hominem posse solis naturæ viribus credere quoad substantiam actus (ut bene relatus ibi modernus author exposuit) intelligunt aliquem imperfectum actum circa aliquam veritatem fidei Christianæ materialiter sumptum : circa aliquam, inquam, fidei veritatem dixit, non circa omnem, ut alter confinxit : circa veritatem illam materialiter captam asseruit, non formaliter, sicut ille alter aiens versari, circa revelata tanquam revelata, & quia à Deo revelata sunt : Et sic illa est substantia actus secundùm communem, & genericam rationem, non secundùm primam propriam & specificam substantiam fidei, ut ibi dictum fuit.

Accedit quod ut *citato tract.*1. exposuimus ex re- 113
lato moderno authore adversus alium, non est verum libertatem arbitrij facilius aut melius cum divina gratia concordari, si actus fidei & cæterarum infusarum virtutum solum quoad modum supernaturales sint ; quia ut rectè sine dubio probat, vel ille modus nihil est in actu, quod à nobis liberè efficiatur, vel si aliquid in actu est, eadem remanet difficultas, quomodo in eo modo faciendo libertas & gratia consentiant ; imò, ut ibi dedimus manifestum, nihil est prorsus ille modus, qui ponitur, quod à nobis liberè effici queat in actu : cum ergo ex inductis, tum illo *tract.*1. tum superiùs in disputatione præsenti manifestum reddatur, illum actum quo quis assentitur certò revelatis tanquam à Deo revelatis,

Digitized by Google

latis, & quia à Deo revelata sunt, esse actum fidei quoad imperfectam seu communem vel genericam actus substantiam, & non quoad primam, propriam, & specificam essentiam actus fidei Christianæ, totum fundamentum contratiæ sententia prosternitur asserentis ideo illum explicatum actum posse hominem solis suis viribus habere, quia potest actum fidei quoad solam imperfectam & communem seu genericam actus substantiam elicere.

114 Quod autem attinet ad veram intelligentiam consilij Arausicani secundi & Tridentini in prælegatis sacris canonibus, satis dictum est supra *cap. illo* 1. & 2. nec id esset repetendum, nisi & hoc argumentum, de illa particula sicut oportet, in Concilio adhibita sæpius repetetetur. Dicendum ergo cum illo recentiore authore nunc relato; imò illius verba sunt repetenda, ut saltem si nobis, saltem illi sui credant & ab impugnatione desistant. Nec etiam Concilia (ait) cum addunt illam particulam (sicut oportet) accidentalem modum horum actuum indicant, sed essentialem rationem & proprietatem convenientem ipsis ex vi supernaturalis objecti & principij; ut est in fide Christiana v.g. inniti formaliter in prima veritate, eique maxima certitudine adhærere, addunt igitur particulam illam Concilia, ut hos actus separent ab aliis actibus imperfectis quos solet homo circa eadem naturalia objecta exercere, ut cum assensu humano & imperfecto credimus aliquam fidei veritatem, non ex divino sed humano testimonio; qui actus imperfectus, propter similitudinem quam habet cum supernaturali fide, solet interdum fides quoad substantiam actus apellari.

115 Igitur inniti formaliter in prima veritate, eique maxima certitudine adhærere, seu quod idem est, certò assentiri revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, proprietas est intrinseca Christianæ fidei, quæ solum illi provenit, ex objecto supernaturali & supernaturali principio. Non ergo aliunde provenire potest; nisi ponatur quod intrinseca proprietas veræ fidei aliunde, nimirum ex sola natura liberi arbitrij, proveniat; & hoc est primum quod relatus hic author affirmat. Igitur Concilia inducta, nimirum Arausicanum secundum, & Tridentinum in prælegatis regulis fidei non addunt illam particulam (*prout oportet*) ad excludendum actum illum, qui est certò assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt: cum iste actus contineat expressè atque formaliter intrinsecam proprietatem soli fidei veræ seu Christianæ convenientem ex objecto & principio supernaturali, quæ est sine dubio proprietas prout ad salutem oportet, à quocumque habeatur; sed illam particulam addunt ad excludendum aliquos actus imperfectos circa aliquam veritatem fidei materialiter tentam & explicatam, qui non sunt prout ad salutem oportet, ut apparet in Hæreticis qui assentiuntur hoc modo imperfectè & materialiter aliquibus fidei veritatibus quas non negant, ut superius expositum est; & hoc est secundum quod prædictus ille modernus author rectè constituit.

116 Secundum argumentum opponebatur ex Sancto Thoma 2.2.q.5. *art.*3. dicentis hæreticum errantem circa unum articulum habere assensum naturalem erga alios circa quos non errat; qui nihil aliud est, inquit, quam quædam opinio elicita ex proprio judicio & ex propria voluntate, & non ex habitu fidei supernaturali. Ad hoc respondemus, hanc revera esse sententiam S. Thomæ, sed per quam hæc quam impugnamus confunditur. Etenim hæreticus aliquibus assentitur articulis materialiter tentis, non omnibus formaliter sumptis ut supernaturalibus & revelatis, & sub ratione qua revelati sunt docet igitur S. Thomas illum assensum fundari in propria voluntate, proprioque judicio, & solum credere hæreticum illis articulis quia vult; sicuti aliis erroribus, etiam quia vult, credit; & arguens contendit illum alium audientem Evangelium, credere quia Deus revelavit; quæ non potest esse major contradictio, ait S. Thomas hæreticum credere illis articulis quos non negat, non ut formaliter revelati sunt & supernaturales; sed materialiter quia sub assensu attingit rem, quæ in se verè supernaturalis est & revelata, ut plenius exposuit *quodlib.* 6. *art.* 5. statim inducendo; & tamen objiciens expressè tenet, quod homo potest suis solis viribus, certò assentiri revelatis tanquam formaliter revelatis & supernaturalibus; igitur contrarij sunt ad invicem.

Sed opponit quod secundum Sanctum Thomam 117
hæreticus sibi persuadet illos articulos, quos non negat, esse à Deo revelatos: imò hac ratione illis assentitur quia sibi persuadet à Deo esse revelatos; ergo poterit alius Evangelium audiens, solis etiam naturæ viribus sibi persuadere illos nempè à Deo esse revelatos, & ita illis assentiri, quia putat à Deo revelatos esse. Ad quod tamen respondetur, quod vel in hoc argumento cognoscere pòtest objiciens sui argumenti magnam fallaciam: nam hæreticus revera atque formaliter non assentitur illis articulis tanquam à Deo revelatis vel quia revera adeo revelati sunt; sed quia id sibi persuadet; sicut etiam pari omnino ratione sibi persuadet errores quibus assentitur, à Deo esse revelatos, & eis eadem omnino ratione consentit, quia putat à Deo revelatos esse. Vnde eadem omninò ratione, quâ fertur in errores, fertur in veritates illas materialiter tentas, nimirum solâ propriâ voluntate, & humano judicio; audiens Evangelium sicut ab Ecclesia proponitur, nempè ut à Deo revelatum; & quia à Deo revelatum est, si illi certò credit sicut sibi propositum est, necesse est quod illi credat sub illa ratione qua sibi proponitur & explicatur, & cum proponitur ut supernaturale & revelatum, & quia revelatum, ita illi assentitur revera propter divinam veritatem revelantem, & non propter humanum suum judicium & solam suam voluntatem id sibi persuadentem, itaque in isto nihil est quod destruat rationem formalem fidei imò omne quod in illo invenitur, attestatur illum ex ratione formali fidei credere; cum credat sub illa ratione, quâ sibi per Ecclesiam proponitur & explicatur, quæ est revera divina revelatio, propter quam proinde Evangelio credit. Cæterum in hæretico apertè invenitur id quod formalem rationem fidei destruit, nempè ipsam divinam revelationem, si enim crederet propter divinam revelationem omnibus articulis crederet, quia æqualiter à Deo omnes revelati sunt. Cum igitur fit manifestum, illum negare divinam revelationem, manifestum est ex divina revelatione, vel propter illam nullo modo assentiri seu credere; unde manifestum est, quod propter humanum judicium & solam humanam voluntatem illis vuk assentiri, sicut & aliis quæ revelata non sunt, imò sicut erroribus quibus pertinaciter assensum præbet.

Verum adhuc instat, quod cum hæreticus sola vi 118
suæ naturæ assentiatur, & propter humanum judicium, & non propter divinam revelationem illis articulis fidei, quos non negat, & additio unius articuli supra reliquos omnes modicum vel nihil addat difficultatis, sanè quâ ratione S. Thomas concedit amisso habitu fidei propter hæresim circa unũ articulum esse vires in libero arbitrio ad eliciendum cum solo generali Dei concursu assensum merè naturalem, & opinionem circa reliquos omnes, concedere

Digitized by Google

cedere tenetur esse etiam vires ad assentiendum simili modo illi eidem articulo cum reliquis, facta hypotesi quod Deus ad talem assensum solum concurrere velit concursu generali.

119 Ad hoc Respondemus, quod propter hoc argumentum, non solum in hac materia sed etiam in illa quam de contritione supra tractavimus, Author hic valdè decipitur, dum illo convincitur ad tenendum, quod sicut peccator potest de uno vel pluribus peccatis se solo dolere uno dempto, ita potest etiam de illo cum omnibus aliis sibi displicere: & sicut potest hæreticus aliis articulis præter unum quem negat assentiri se solo, ita possit etiam illo excluso omnibus assensum præbere; in utraque enim materia hoc utitur argumento, sed debilissimo atque falsissimo, ut jam supra ostensum est *lib.* 3. sicut enim ibi probavimus, pœnitentia, quæ est de peccatis aliquibus uno dempto, vera pœnitentia non est, quia non est de peccatis ut sunt Dei offensa; quia si sic doleret etiam de illo doleret, quod etiam Dei offensa est; at dolere de illis, & de illo alio nullo dempto ut sunt Dei offensæ veram contritionem constituit, quam sine Dei adjutorio impium est homini tribuere; ita ergo & nunc dicendum quod hæreticum assentiri aliquibus articulis vel pluribus uno negato, naturæ viribus effici potest, quia tunc non assentitur revelatis tanquam revelatis, nec quia à Deo revelata sunt, scilicet propter divinam revelationem; sed solummodo quia vult, (ut sæpius dictum est) cæterum assentiri omnibus nullo dempto, sicut illos Ecclesia proponit credendos; est assentiri eis sicut verè à Deo revelatis, & quia ab ipso revelati sunt, quod est credere propter divinam revelationem, quæ est formalis ratio veræ fidei, & ex consequenti veram habet Christianam fidem.

120 Ad probationem dicendum, quod assentienti aliis articulis præter unum non solùm est parum difficilè etiam cum aliis assentiri illi, nec solum est multum difficilè, sed omnibus modis impossibile, si solis suis viribus relinquatur, ratione nunc facta; quia impossibile est per solas vires naturæ assentiri omnibus articulis fidei, vel illos credere ob divinam revelationem, quod tamen haberet qui omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelati sunt, assentiretur. Ridiculum est ergo hoc argumento convinci, & ridiculum magis inferre, teneri S. Thomam asserere solis naturæ viribus posse hominem assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, ex eo quod concessit posse hæreticum solis viribus suis assentiri aliquibus, vel cæteris præter unum, quod negat: in hoc enim secundo casu hæreticus formalis manet homo ille; in primo autem fidelis & cum fide habita prout ad salutem oportet, ut sæpiùs conclusum est.

121 Ad illud quod hujus Doctrinæ quam impugnamus defensores in illius confirmationem postremo addiderunt ex eodem Doctore Sancto in *quodlib. 6. art. 6.* dicente quod in hæretico in quo non est habitus fidei, est certitudo adhæsionis ad illum articulum quem non negat, ex quo inferre laborant. Quod etiam poterit homo solis viribus suis firmiter adhærere omnibus; si illum inductum articulum attenderent, nec ad hoc inducerent, cum ex illius litera de oppositio convincantur. Ait enim in illo Sanctissimus Doctor certitudinem adhæsionis non esse propriam virtutis fidei; *Primò quia convenit virtutibus intellectualibus, puta sapientiæ, scientiæ, & intellectui. Secundò quia convenit non solum fidei veræ sed etiam falsæ, sicut enim est opinio vera & falsa, ita & fides, nec minus firmiter adhæret aliquis falsitati quam veritati*, ut Philosophus dicit 7. *Ethicorum.* Hæc S. Thomas.

Aliam etiam tertiam, & quartam rationem ad id 122
inducit, quæ ibi videantur, & nunc omittuntur quia institutum nostrum non tangunt; & statim immediatè subdit; *dicendum est ergo, quod in hæretico certitudo inhæsionis, est actus falsæ fidei.* Et solutione ad primam; *sed in hæretico*, scilicet certitudo inhæsionis, *est vel ex habitu perverso fidei, vel ex pura potentia, sicut à principio antequam habitum acquisiverit.* Hæc Sanctus Thomas. Quæ verba, ad quod obsecro propositum inducuntur? An volunt, quod etiam ille qui assentitur omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, falsam & perversam fidem habeat, sicut habere hæreticum Sanctus Thomas in hoc articulo docet expresè? Hoc certè nec ipsi concedent, quod falsa seu perversa fides sit omnibus revelatis propositis per Ecclesiam assentiri tanquam revelatis, & quia à Deo sunt revelata: fortè insistent in illo alio S. Doctoris verbo, vel ex pura potentia, ante videlicet quam habitum acquisierit, argumentantes, quod sicut ex pura potentia assentitur hæreticus à principio illis articulis quos non negat, ita possit homo solis viribus suis etiam ex pura potentia omnibus revelatis tanquam revelatis assentiri. Sed nec sic attendunt in Sancto Thoma illum primum actum hæretici ex pura potentia elicitum, si multiplicetur, falsum & perversum habitum fidei generare; & ex consequenti ejusdem rationis esse cum habitu falsæ fidei, & cum actibus, qui postea à falsa fide eliciuntur: unde erit sine dubio ille primus actus etiam actualis perversa & falsa fides cum assentiatur omnibus articulis cum negatione aliorum, vel alicujus alteriùs; qui actus perversa fides est sine dubio, & ideo si multiplicetur perversam habitualem fidem generat.

Igitur nulla ratione adduci potest pro sententia 123
illorum hujus articuli doctrina, nisi, ut iterum repetam, suadere velint, quod assentiri omnibus revelatis sicut à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt actus sit falsæ fidei, quod nulla ratione potest concedi, cum sit ostensum illum esse veræ fidei, ideſt, Christianæ actum.

Dicent se adducere illius articuli literam, ut ex 124
illa à simili argumententur, quod sicut hæreticus solis viribus suis potest habere actum falsæ fidei, ita possit alius eisdem solis naturæ viribus habere actum veræ fidei acquisitæ per illum solum assensum explicatum merè naturalem, quem statuunt; itaut inter duo extrema, scilicet Christianam & supernaturalem fidem, quæ est in Christianis; & inter falsam seu perversam quæ est in hæretico, detur vera & merè naturalis fides per illum actum acquisitæ.

Ad hoc, quidquid modo sit de fide acquisita, an 125
videlicet detur, vel non, de quo disputatione sequenti brevissimè tractabimus, dicendum illum assensum quo assentiri posse dicunt hominem omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, nullo modo ex sola natura posse haberi, nec posse esse metè naturalem, nec posse dici acquisitam fidem actualem, vel similem habitualem posse generare, quia est actus Christianæ fidei, quæ nonnisi supernaturalis est, de supernaturali objecto, & ex supernaturali principio gratiæ procedens, ut copiosè satis credimus fuisse probatum.

Dicendum secundò quod licet in actu signato 126
non explicentur supradictæ formalitates, tamen si absolutè, quis assentitur Evangelio prædicato, ille revelatis ut revelatis & quia à Deo revelata sunt, assentitur, & ex consequenti prout ad salutem oportet.

Dicendum

Digitized by Google

127 Dicendum est tertiò, quod si assentiens credat Evangelio prædicato, non quia Deus revelavit, sed propter rationem aliam temporalem, videlicet quia per hunc hominem sibi amicum proponitur, & alias non crederet, vel ob aliquid temporale, videlicet ut per hoc acquirat principis amicitiam, vel aliquod temporale commodum, vel ut evitet aliquod imminens periculum; ita quod tota ratio assentiendi sint hæc temporalia, & propter illa solùm assensum præbeat Evangelio, in casu isto ille omnibus revelatis materialiter tentis assentiretur, & non ut à Deo sunt revelata, vel quia ab ipso revelata sunt, & si similes actus multiplicaret, generaret quidem habitum similem, sed nec actus, nec habitus esset fides acquisita laudabilis, sed vitiosa, quia contra naturam illarum virtutum propter solum hominem illis assentiretur, & peccatum infidelitatis committeret.

CAPUT IX.

Aliis argumentis ex aliis authoribus petitis respondetur.

128 QVosdam authores pro se priùs induxit Author concordiæ, & alios postea cumularunt, qui ejus sententiam defendere nisi sunt, qui omnes summa brevitate, ut de illorum mente constet, & quomodo illam non defendant, sed pro veritate stent referendi sunt modò, priùs ad omnes generali quadam ratione respondendo, antequam cujusque propria verba adducantur. Generalis ergo explicatio est, & ad argumentum ex illorum testimoniis allatum vera solutio, quod illorum nullus asseruit, quod *ista assertio*, quam impugnamus affirmat. Nullus enim dixit hominem se solo sine gratia posse certò assentiri omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, hanc in primis specificationem seu reduplicationem nullus apposuit nec in aliquo ex citatis authoribus invenitur. Secundò nullus asseruit posse assentiri hominem sine supernaturali lumine revelatis, quia à Deo revelata sunt. Tertiò illorum nullus asseruit, quod ille actus merè naturalis sit ita certus & firmus, imò magis certus, quam in multis fidelium sit per habitum fidei. Hæc tria, in quibus parum sana doctrina hujus assertionis consistit, in nullo Scholasticorum inveniuntur nec omnia, nec singula, quia viderunt Scholastici illa nullo modo dici aut affirmari posse. Vnde in sensu valde diverso loquuntur. Tantum enim intendunt, quod fide acquisita possit homo solis suis viribus materialiter merè assentiri revelatis sicut & aliis naturalibus rebus, cum assensu valde imperfecto, qui sit vel opinio, vel acquisita fides, minor certitudine scientiæ, & per consequens minor certitudine, quam sit illa, quæ ex habitu fidei habetur.

129 Quod ut apertiùs manifestetur, jam ipsorum sigillatim sententiam proferamus. Inducitur Scotus ab authore concordiæ in 3. *dist.* 23. *quæst. unica* §. *de primo*, sed ibi Scotus non dicit posse hominem assentiri revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt; nec dicit illum assensum fidei acquisitæ ita esse firmum & certum sicut assensum Christianæ, fidei, imò expressè dicit assensum talem esse supra opinionem, & infrà scientiam, & ex consequenti erit infrà certitudinem fidei Christianæ, cujus certitudo major est, quam scientiæ certitudo. Vnde verba Scoti sunt in §. *ad quæstionem*, in quo resolutoriè respondet. *Nec pono habitum fidei infusæ propter gradum in actu, sed etiam propter assensum, quia assensus non est totaliter à voluntate. Aliqui enim sunt, qui vellent magis assentiri, & tamen minùs assentiuntur, & ideò petebant Apostoli adauge nobis fidem. Istud non oporteret petere si totus assensus fidei esset à voluntate.* Et statim in §. sequenti. *Quod autem*, inquit, *requiratur fides infusa, non solùm propter intensionem actus, sed etiam propter assensum, & certitudinem patet.* Quod & ibi probat. Per quod Authorem, qui eum pro se allegat, expugnat, ut ex utriusque dictis constat quæ ad invicem contrariantur. Scotus enim fidem infusam necessariam dicit propter firmitatem & certitudinem assensus; illam autem propter talem certitudinem necessariam esse negat author prædictus, ut clariùs patefiet ex alia ipsius assertione immediatè post hanc subjicienda & impugnanda. Subdit Scotus iterum *prædicto* §. *oportet ponere fidem infusam propter firmum assensum* &c. & præmiserat in §. *secundo* de fide infusa, *quod sicut fides acquisita assentit, vel credit dicto alicujus, quia credit veritati asserenti illud esse verum, sic fides infusa assentit alicui revelato, quia credit Deo, vel veritati Dei asserentis illud*; Per quæ verba totaliter doctrinam hujus Authoris pariter nobiscum, & priùs nobis expugnat docens quod assentiri revelato à Deo vel Deo revelanti, est proprium infusæ fidei, nec potest competere acquisitæ seu facultati naturæ atque in §. *sequenti* similiter ait, *quod ideo una infusa fides est omnium credibilium, quia non respicit credibilia sub propriis rationibus illorum, sed ut revelata sunt à Deo, & credit omnia revelata ab ipso vera esse eodem habitu, quo credit revelantem esse veracem.* Quæ verba istum Authorem Scotum inducentem perimunt; & tandem ita concludit de fide infusa. *Ita hic non credibilibus revelatis à Deo assentio, quia assentio veracitati Dei, & sic fides respicit omnia credibilia revelata à Deo.* Multiplicatis ergo verbis Scotus asserit proprium esse fidei infusæ assentiri revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, & semper negat hoc posse haberi sola facultate naturæ. Cujus totum contrarium tenaciter hic Author affirmat.

130 Ab eodem Authore concordiæ inducitur Capreolus in *eodem* 3. *dist.* 24. *quæst. unica ad* 3. *& 4. argumentum Scoti contra secundam conclusionem.* Sed mirandum quod Capreolus à citato Authore adducatur, cum ubi supra manifestè illorum sententiam impugnet. Clarissimè enim fundat, & ex Sancto Thoma consueto suo modo docet necessarium esse habitum fidei ut intellectum reddat facilem ad credendum contra illius duritiem, & discretum ad fugienda non credenda contra errorem, & totum hoc fundat in solutione ad argumenta Scoti. Vnde cum solutione illa ad illius argumenta ita concludit: *Habitus fidei infusus est necessarius ad assentiendum discretè, promptè, firmiter, & delectabiliter, ut priùs tantum est.* Quod tamen totum Author Concordiæ negat contra Capreolum, qui est sibi apertè contrarius. Concedit tamen Capreolus, quod Paulus vel aliquis discipulus Christi potuit solis viribus suis assentiri dictis Christi simpliciter, sed non facilè, discretè, promptè, & firmiter, & delectabiliter, quæ omnia hunc Authorem quem impugnamus expugnant. Docet etiam Capreolus, quod huic, Deus est trinus, assentitur fidelis ex habitu fidei, quia Deus revelavit, non quia Petrus vel Ioannes dixit. Vbi pro comperto habet esse proprium habitus fidei assentiri articulis fidei, quia Deus revelavit, per quod totam doctrinam citati Authoris evertit. In summa solùm concedit Capreolus, quod rebus fidei potest quis solis viribus suis assentiri non ut revelatis, vel quia revelata sunt à Deo, nec facilè, nec discretè, nec promptè, nec firmiter, nec delectabiliter, sed tantum illis credere quia hic homo, vel alius dixit, quæ

Digitized by Google

esset acquisita fides, sed non esset virtus, ut supra declaravimus; quia contra naturam illorum credendorum illis quis sic assentitur.

131 Inducitur tertiò Cajetanus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. *vers. ad hoc dicitur*, sed & in illo loco Cajetanus, si attentè legatur, oppositum dicit, & postea. 2. 2. ita clarè se explicavit, ut attentione opus non sit, sed puta & mera lectione: in citato enim primo loco sic habet: *sic dicitur, quod homo potest ex naturalibus solis assentire his, quæ sunt fidei, sed non sicut ex fide, & hoc modo Dæmones, & homines possunt assentire, ex se his, quæ sunt fidei.*

132 In illis enim verbis, *sed non sicut ex fide*, satis ostendit non posse ex se hominem assentire facilè contra intellectus duritiem, discretè contra illius errorem, promptè, firmiter, & delectabiliter; hoc modo enim assentitur sicut ex fide, ut modò ex Capreolo dictum est; sed materialiter & actu imperfecto eis posset assentire. Vel per illa verba, *sed non sicut ex fide*, excludere voluit non posse ex se solo homine assentire revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, quod est assentire ex fide, quia rationem formalem objecti fidei exponit, ut dictum est, & sic intelligitur cum *art.* 4. ejusdem quæstionis dixit. *Quod gentilis audiens fidem & nolens esse Christianus potest se solo credere totam fidem esse veram, ut Ecclesia tenet:* ly enim, *ut Ecclesia tenet*, quomodo sumatur satis ibi constat: sumitur enim materialiter, id est, totam fidem quam Ecclesia tenet veram, potest veram credere licet non ut Ecclesia, id est, ex fide sicut Ecclesia tenet. Hoc autem clarissimè exposuit 2. 2. *quæst.* 6. *supr. art.* 1. ubi habet: *Dicendum est ergo, quod actus fidei, hoc est assentire veritati primæ secundum scripturas & sensum Ecclesiæ elevat hominem supra suam naturam. Et hoc qui negat, propriam vocem ignorat, nam actus iste ex nulla naturali cognitione, ex nullo naturali appetitu natus est sequi, sed ex appetitu beatitudinis æternæ, & ex adhæsione ad Deum supernaturaliter revelantem & conservantem Ecclesiæ suæ.* Quibus verbis illa quæ 1. 2. præmiserat, *sicut ex fide*, exponendo declarat: videlicet credere sicut ex fide, (quod negat fieri posse sine supernaturali lumine) explicat esse credere primæ veritati secundum scripturas, & sensum Ecclesiæ, docens contrarium asserere, esse propriam vocem ignorare. Cum autem idem omninò sit credere revelatis sicut revelatis, & quia à Deo revelata sunt, & ut talia per Ecclesiam proponuntur ac credere primæ veritati secundum scripturas, & sensum Ecclesiæ, ut verba sonant, pariter secundum Cajetanum propriam vocem ignorat, qui talem actum à sola natura haberi posse contendit. Sed si nihil gravius esset quam ista propria vocis ignorantia, ut cumque posset tolleranti.

133 Quarto loco Magister Soto inducitur ab eodem Authore Concordiæ *lib.* 2. *de natura, & gratia c.* 8. §. *Respondendum*, sed ibi tantum dicit, quod audiens prædicationem modo, vel Apostolorum tempore poterat quidem naturali lumine assensum aliquem opinionis aut fidei humanæ præbere, modo superiùs ex Capreolo exposito, & à nobis tradito, assentiendo videlicet imperfectè, quia ita sibi videtur, vel quia sic homines communiter dicunt, qui esset non ita certus sicut ille, qui ex fide est, sed ut ait, opinionis debilis vel imperfectæ fidei humanæ sine constantia, facilitate, discretione, nec aliqua ratione esset credere revelatis tanquam revelatis, vel quia à Deo revelata sunt, ut ij authores, cum quibus agimus contendunt.

134 Quinto loco inducitur Paludanus ab eodem Authore Concordiæ in 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. sed sine causa, nihil enim aliud dicit nisi quod Cajetanus, Capreolus, & Soto, videlicet posse quemlibet imperfectè assentiri rebus fidei, sed non ita certò sicut ex fide, nec revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, sed eis merè materialiter, sicut historiis aliis naturalibus, vel opinionis actu, vel imperfectæ fidei acquisitæ modo explicato.

Sexto loco citatur ab Authore Concordiæ Du- 135
randus in 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. Gabriel *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. *concluf.* 2. Almain. *quæst.* 3. *concluf.* 4. de quibus quidquid dicerent, quos constat in aliis gravissimè erasse, nihil debemus esse soliciti, sed eos sicut in aliis, ita in hoc reprehendere: sed nec ipsi in rei veritate assertionem quam impugnamus, tradiderunt, sed tantum id, quod alij de fide humana prodiderunt, confessi sunt. Itaque nec in istis invenitur posse hominem ex se solo assentiri omnibus revelatis sicut à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt: cognoverunt enim, & ipsi istum actum continere assensum Christianæ fidei circa objectum formale illius, & per rationem formalem objecti, ob quam fides Christiana revelatis assentitur, qui proindè soli naturæ repugnat, nisi cum Pelagianis convenientia fit.

Qui autem postea præfati Authoris concordiam 136
sicut in aliis ita in hac propositione tutati sunt, in defensionem supradictæ assertionis hos de novo Authores inverunt. Angelus, inquiunt, *in quæstionibus Theologicis part.* 2. *dist.* 28. *art.* 1. *difficultate* 2. ex professo hanc quæstionem tractat, an facta prædicatione possit aliquis solo generali concursu articulis fidei præstare assensum, & ibi defendit ex Scoto & Durando partem affirmativam, & subdit quod aliqui dixerunt eos Pelagio subscripsisse, sed falluntur, ait. Et *concluf.* 1. tenet fidem humanam omnium articulorum solo generali concursu posse haberi.

Ad hoc respondetur, nec Authorem istum asse- 137
ruisse illum naturalem assensum esse adhibitum revelatis, ut revelatis, & quia à Deo revelata sunt. In hoc enim semper contra hos Authores insistimus. Vnde eis nec inductus iste author favet aut illorum sententiæ; in eo autem quod dicit posse haberi fidem humanam omnium articulorum fidei, nisi modo à nobis superiùs explicato, non admittimus, nempe quendam debilem, & indiscretum assensum, & pravum, quo quis contra naturam illorum mysteriorum eis assentiret. Vnde & infidelis esset privativè sibi contrarius post sufficientem ei factam evangelij promulgationem, quia non crederet, ut credere tunc tenetur, sed fieret pejor, ut Sanctus Pater Augustinus allatus supra expressè docet. Quod verò subdit aliquos asseruisse Scotum atque Durandum Pelagio subscripsisse in hoc sed falli; profectò non fallerentur, sed veritatem satis supra ostensam dicerent, si Scotus atque Durandus tenerent illum hominem assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, tanta certitudine imò majori, quam quis habeat per habitum fidei, sed quia hoc ipsi non dicunt, ut ostensum est, ideò eis non potest tribui, quod cum Pelagio conveniant.

Inductus fuit & Vega *libro* 6. *in Trid. cap.* 15. *vers.* 138
nec tamen, ubi ait, ut in plurimum actualem fidem mysteriorum fidei nostræ antecedere actum fidei humanæ; sed nec dicit illum actum humanæ fidei assentiri omnibus revelatis tanquam revelatis, vel quia à Deo revelata sunt, sed propter aliam rationem eis materialiter assentiendo. Vnde nullo modo his authoribus Vega favet. De eo autem, quod dicit, ut in plurimum antecedere actum fidei humanæ actum fidei divinæ, nec reputo verum, tenendo potissimè, quod omnibus quibus Evangelium prædicatur

Digitized by Google

dicatur *dari* auxilium ſufficiens ad ſupernaturali fide credendum.

139 Inducitur & Nicolaus de Niſſe *tract. 1. part. 2. de fide* ubi ſequens Scotum dicit, quod ſi nulla eſſet fides infuſa adhuc ipſe crederet firmiter hiſtoriis librorum propter authoritatem Eccleſiæ, quæ approbat ſcriptores veraces; non dubium quin multum iſte tribuat naturæ viribus. Credere enim propter authoritatem Eccleſiæ dicentis, veraces eſſe libros, quos illa proponit, ad fidem veram videtur pertinere, qua credimus Eccleſiam à Spiritu ſancto in ſimilibus dirigi, & gubernari, nec in illis errare poſſe; idque credimus propter primam veritatem id relevantem. Vnde ſi ipſe ſic crederet paturæ viribus multum ſibi tribuit, nec tutè loquitur.

140 Inducitur & Antonius Andreas in *3. diſt. 23. q. 1.* dicens, ut articuli fidei firmiter credantur, & ita firmiter quod ſine formidine eis aſſentiamur, non præcisè propter hoc eſt neceſſaria fides infuſa, quia ſufficit acquiſita, & probat quia hæreticus exponit ſe morti propter ea, quæ credit. Ad hoc dicendum, quod nec iſte eos aliquo modo juvat, quia nec dicit illam acquiſitam fidem aſſentiri revelatis, ut revelatis, & quia à Deo revelata ſunt, quod tamen ipſi contendunt: nec nos dicimus præcisè fidem infuſam eſſe neceſſariam ad illam firmam adhæſionem, ut ex Sancto Thoma *quodlib. 6. art. 6.* dedimus explicatum ſupra; ſed ad multa alia eſt neceſſaria infuſa fides videlicet ad aſſentiendum facilè, diſcretè, & certò revelatis, ut à Deo revelatis, & quia à Deo revelata ſunt. Quod autem hæreticus poſſit ſe morti exponere pro his quæ malè credit nihil omninò refert.

141 Inducitur Bartholomæus Medina *1. 2. quæſt. 109. art. 1. dubio ultimo*, ubi dicit credere univerſam Chriſti fidem atque doctrinam aſſenſu Chriſtiano abſque ſpeciali Dei auxilio neminem poſſe, bene tamen aſſenſu opinativo. Sed in hoc doctrinæ quam impugnamus adverſarius eſt: ſi enim non poteſt aſſenſu Chriſtiano id efficere, nec poterit revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata ſunt, aſſentiri: iſte enim ex formali ratione objecti, ut explicatum eſt, atque convictum Chriſtianus aſſenſus eſt. De aſſenſu autem opinativo verè dicit ut ſuperiùs expoſitum eſt qui aſſenſus opinativus debiliſſimus eſt, nec ad rem pertinet.

142 Inducitur & Magiſter Bannes *2. 2. quæſt. 6. art. 1.* *Secundò dicimus*, inquit, *quod poſtquam ſemel revelata ſunt myſteria fidei poteſt aliquis audita credere humanâ ratione, & fide, non autem, ut oportet ad ſalutem.* Et infrà *non experitur Chriſtianus in ſe rationem credendi eſſe ex lumine, & principio ſupernaturali, quamvis experiatur ſe omnia iſta credere, quantum ad ſubſtantiam actus.* At in prioribus verbis per illa verba (credere prout ad ſalutem oportet) quod ſolis naturæ viribus negat, intelligit non poſſe credere revelatis tanquã à Deo revelatis, & quia à Deo revelata ſunt. Hanc eſſe formalem rationem Catholicæ fidei, & proindè prout ad ſalutem oportet, ipſe ſatis expoſuit *quæſt. 1. art. 1. illius 2. 2.* Quod dicit poſſe credere ratione humana debili, & imperfecta verum eſt, illis myſteriis materialiter tentis, & propter rationem aliquam, ut ſupra dictum eſt, quod, ait, non experiri Chriſtianum ſe fide ſupernaturali credere, quidquid ſit de experentia non curamus. Certum eſt tamen illum poſſe eſſe certum ſe fide Catholica credere, ut ex Sancto Thoma ſupra viſum eſt. Quod tandem ait, ſe experiri ſe habere fidem quoad ſubſtantiam actus, cum ipſe teneat aliàs ſubſtantiam fidei eſſe ſupernaturalem profecto ſi illam experitur, experitur ſe ex principio ſupernaturali habere illam ſupernaturalem actus ſubſtantiam; niſi dicat ſe experiri aliquid ſimile ſubſtantiæ actus fidei, nimirum illos imperfectos actus ſupra ſuperiùs explicatos.

Inductus fuit ultimo Ricardus cum Majore, hic 143
in 1. diſt. 19. quæſt. 2. Ille *in 3. diſt. 23. art. 7. q. 2. art. 3.* dicentes, quod poteſt quis propter humanam perſuaſionem ex humana fide omnes articulos fidei credere, qui tamen fidelis non eſſet, quod non negamus, ſed talis malè ſic aſſentiretur, & contra naturam illorum objectorum. Vnde infidelis eſſet privativè, ſive contrariè & contra præceptum fidei; quod tunc illum obligaret, ageret etiam ſic credendo ob humanam ſuaſionem; quia aliud ſibi præcipitur. In ſumma nullus Theologorum inductorum dixit, & ex conſequenti nullus abſolutè, (quia ſi aliquis eſſet tanto facto ſtudio ab eis inveniretur) qui dicat poſſe hominem ſolis naturæ viribus certò aſſentiri revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata ſunt tantâ, vel majori certitudine quam fidelis credat per habitum fidei. Vnde ſingulares in hac ſententia ſunt ij Authores.

CAPVT X.

Argumentis factis ex rationibus reſpondetur.

IAm argumenta alia, quæ ex rationibus procedebant & appoſita ſunt in eodem ſupra diluenda ſunt modò: licet enim magnò fuerint ſtudio excogitata, nulla tamen ſunt, ut contra Chriſti Domini gratiam, qua ipſe facit, ut Evangelio ejus conſentiamus, aliquid probent; quia ipſa Dei gratia apertiſſimas eis tribuit ſolutiones faciendo quod ea ſolvamus. 144

Primum argumentum ibi relatum, & in majori peccat & in minori: in majori quidem, quia quod inſpicit in credulitate humana, ad altiorem divinam ſine fundamento transfert. Verum eſt enim quod in rebus credibilibus, quæ intra rationem continentur, nec exuperant naturæ terminos, vel illos tranſcendunt, quando argumenta rem aliquam credibilem faciunt, in poteſtate liberi arbitrij eſt ei aſſenſum præbere cum ſolo Dei generali concurſu; quia omnia ſunt intellectui humano, & concurſui naturali accommodata, & proportionata, tam argumenta quæ proponuntur, & rem faciunt credibilem, quam credulitas ipſa, & res cui de facto aſſenſus præbetur. Et in hoc ſenſu major vera eſt. Similiter vera eſt in alio ſenſu, nempe quod poteſt quis ſola ſua facultate aſſentiri rebus fidei credibilibus materialiter, & ob rationem aliam, quàm ſit objectiva divina revelatio, nimirum quia talis amicus dicit, vel propter aliam rationem ſimilem, ut dictum eſt ſupra. At in ſupernaturali fide totum oppoſitum oportet aſſerere, cum in ea, & argumenta quæ pro illa proponuntur, & quæ illam faciunt credibilem, quæ ſunt illa quæ in argumento relata fuere, ſint ſupernaturalia ut pote miraculorum patratio, ſcripturæ ſanctæ teſtimonia utriuſque teſtamenti conſonantia, & res quæ ſuadentur omnino ſupra totam naturam & rationem ſint; etiam ipſa credulitas redditur ſupernaturalis; unde non ſolùm actu eis credere, ea ratione qua propoſita ſunt, ut à Deo revelata, eſt impoſſibile intellectui cum ſolo generali concurſu, ſed nec reputare illa ſic eſſe credibilia per ſe ſola ſufficit humana voluntas; imò nec argumenta illa perpendere, vel ad illa attendere, ex quibus oriri debet talis credulitas, poteſt homo ſine gratiæ auxilio & dono, ut de lydia purpuraria ſacra teſtatur hiſtoria. *Act. 16.* cujus dominus aperuit cor intendere ijs, quæ à Paulo dicebantur.

Digitized by Google

cebantur. Si igitur ut quis attendat ad argumenta, quæ proponuntur, cum fides prædicatur, quibus res fidei credibiles fieri debent, donum Dei est aperientis cor, ut quis ad illa attendat, quantò magis erit ejus donum, quæ proponuntur reputare credibilia, imò de facto eis assensum præbere, quatenus revelata sunt.

145 Nullum ergo horum sine Dei gratia ex se solo poterit homo; illud autem Psalmi inductum, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, docet quidem secundum se & attentis argumentis, quibus divina testimonia fundantur, esse nimis credibilia; docet etiam quod attendenti & perpendenti eadem argumenta, credibilia valde redduntur divina testimonia, sed quod quis ad ea attendat, nedum, quod illa perpendat natura sola non potest, cum scriptura doceat opus id esse divinæ gratiæ aperientis hominis cor.

146 Imò addendum, quod licet Deus gratia sua prædicto modo hominis cor aperiret ut attenderet, & perpenderet, & eadem gratia efficeret ut credibiles nimis apparerent res fidei, si tamen interiori motione non moveret hominem, ut de facto eis assentiretur quatenus revelatis, nullo modo eis assensum posset præbere secundùm quod ut revelata per illa testimonia proponuntur. Et ratio est quia illa priora sine hoc ultimo ad summum pertinerent ad gratiam, quæ daret posse credere; non autem ad gratiam dantem & efficientem ipsum credere. Ad summum dixerim, quia magis illa pertinent ad legem atque doctrinam.

147 Secundum argumentum, quod prætendit Iudæos quibus Christus prædicavit potuisse solis naturalibus viribus credere rei, quæ tot miraculis credibilis nimis facta eis fuerat, & sic evitare potuisse infidelitatis peccatum, in utroque à veritate exorbitare probatum est satis: nec enim solis naturæ viribus credere rebus, ut à Christo proponebantur, poterant: nec peccatum infidelitatis hac via evitare, sed ad utrumque necessaria erat ejusdem Christi Domini gratia secundum quod ipse Christus attestatur. *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me traxerit eum*: Qui autem credit Christo & doctrinæ ejus sicut ab ipso proponebatur ad ipsum per fidem venit, quod sine Patre interius trahente fieri nequit. Secundum satis supra manet probatum, quia infidelitas, quæ fidei Christianæ opponitur, non tollitur nisi per eandem fidem infidelitati contrariam.

148 Sed occasione illorum divinorum testimoniorum, quæ in illo secundo argumento adducuntur ad probandum Christi Domini doctrinam credibilem factam fuisse nimis, cum eam ipse Iudæis prædicabat, quorum primum erat ex cap. 15. Ioan. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem peccatum non haberent*, nempe infidelitatis: Secundum autem ex eodem ibidem, *ſi opera non feciſſem in eis quæ nullus, alius fecit peccatum non haberent.* Notanda est Doctrina S. Thomæ sup. *cap. 15. Ioannis lect. 6.* ubi pro explicatione secundi testimonij, ut primum omittamus, sic habet, *nullus potest ad Chriſtum venire per fidem niſi tractus ſupra* Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi pater, qui miſit me traxerit eum.* Et ideo *Cant. 7.* dicit *ſponſa trahe me poſt te &c. unde ſi nullus eſſet, qui eos traxiſſet ad fidem, excuſabiles eſſent de infidelitate, ſed eſt* (inquit) *attendendum quod Chriſtus attrahit, verbo ſignis viſibilibus, ſcilicet monendo, & inſtigando interius corda Prouerb. 21. Cor Regum in manu domini eſt: ergo opus Dei, inſtinctus interior ad bene agendum, & qui ei reſiſtunt peccant; alias fruſtra dixiſſet Stephanus*, Act. 7. *vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Et* Esaï 50. *Dominus aperuit mihi aurem ſcilicet cordis: ego autem non contradico. Eſt ergo hoc quod Dominus dicit, ſi opera non feciſſem &c. intelligendum non ſolum de viſibilibus, ſed etiam de interiori inſtinctu & attractu doctrina, quæ quidem ſi eis non feciſſet peccatum non haberent, ſic ergo patet quomodo excuſari poſſent, per hoc ſcilicet ſi in eis non feciſſet opera miraculoſa.* Hæc S. Thomas, secundùm quam doctrinam dicendum, vel quod Deus omnibus, quibus debitè Evangelium prædicatur, daret auxilium quo credere possent, nempe instinctum, & attractionem prædictam, cui resistendo infidelitatis peccato peccarent. Vel quod si eis illud auxilium, quod solet vocari sufficiens non detur, eis peccatum infidelitatis non imputaretur.

Imò dicendum videtur quod cum omnes, qui- 149
bus Evangelium debitè prædicatur, teneantur ex divino præcepto illud acceptare & credere, omnesque tales sine distinctione, qui Evangelicæ prædicationi resistunt appellemus infideles privativè sive contrariè, & non solum negativè; eisque proindè infidelitatis peccatum justè imputetur, quod omnibus eis Deus auxilium interius sufficiens tribuat, quo credere possint, quæ doctrina pro infra dicendis est observanda, & ad præsens etiam tenenda, quia ex ipsa plurima ruunt hujus Authoris, cum quo disputamus argumenta, & potissimè hoc secundum, de quo agimus: contra quod convincit hæc S. Thomæ doctrina quod eis, quibus Christus prædicavit, & coram quibus tot miracula fecit, ideo infidelitatis peccatum imputatum justè fuit, quia habuerunt interius auxilium Dei quo credere possent, & ei resistendo peccatum infidelitatis commiserunt. Quod infidelitatis, peccatum nec haberent, nec infidelitatem evitare possent: si tale auxilium interius, cui restiterunt, non haberent; sed solis suis præcisè naturalibus viribus relinquerentur.

Vndè mirandum est de his authoribus, quod 150
cum ipsi teneant omnibus in universum, dari auxilium sufficiens ad salutem, tempore & loco competenti, & tempus dandi sit potissimè cum instat, vel credendi, vel aliud quodlibet piè operandi, non videant quod si omnibus, quibus Evangelium debitè prædicatur, quique credere tunc tenentur, Deus dat simul sufficiens auxilium, omnes illi qui credunt, ex divino auxilio credunt, & revelatis tanquam revelatis, & quia revelata sunt assentiuntur; nullusque sit qui solis & puris naturæ viribus, eisdem assentiatur. Planè, potissimè in illorum sententia, quæ tantum defendere conatur omnibus, quibus instat præceptum aliquid piè operandi, dari semper auxilium, ut imputari ei possit peccatum, si non piè operetur, non apparet quomodo ipsi aliàs admittant hominem, cui debitè Evangelium promulgatur, & credere tenetur, posse tunc solis vitibus relinqui, quibus solis Evangelio, sicut ei proponitur, assentiatur.

Ad tertium argumentum dicendum, quod de 151
casu in illo posito Philosophandum est, sicut de Catholico credente omnibus revelatis ut revelatis, & quia à Deo sunt revelata; ac de hæretico negante ex pertinacia unum articulum fidei, & assentiente cæteris ex solo beneplacito & opinione sua, quæ ex fidei articulis, quos vult, rejicit, & quos vult recipit non innixus divinæ infaillibili revelationi, sed faillibili suæ propriæ voluntati; v. g. Iudæus ante Christi Domini adventum ex vera fide supernaturali, credebat Christum nasciturum, & omnia alia, quæ tunc ex fide proponebantur: Iudæus autem nunc post Christi adventum ex pertinacia, atque perfidia errore magno negat Christum venisse, quem tamen jam venisse universa lex, psalmi, atque

Prophetæ

Digitized by Google

Prophetæ apertè testantur: unde & cæteris omnibus quæ traduntur in lege utpote Moysi Deum fuisse loquutum, ei dedisse legem, & alijs similibus modò assentitur ex solo beneplacito & opinione sua, qua præcipuum mysterium, ad quod sicut finem universa lex & scriptura veteris testamenti ordinabatur, pertinaciter negat: & alijs, quia vult, assentitur mera sua fallibili opinione; imò perversa & falsa fide illis assensum præbet, quia eis assentitur cum negatione principalis mysterij, quod ut finem omnia attendunt, sicut de hæretico ex Sancto Thoma relatum est supra ex *quodlibet 6. art. 6.* Vnde, quod est notandum, Sanctus Thomas aliquando docet hæreticum articulis, quos non negat assentiri ex fallibili sua voluntate cui innititur, aliquando ex opinione sua; aliquando apparenti fide, aliquando tandem docet, quod eis assensum præbet fide falsa atque perversa, cum eis assentiatur cum negatione aliorum.

152 Ad quartum dicendum concedendo eandem fuisse tempore Adami, & legis naturalis fidem in justis ac alijs fidelibus, quæ fuit in lege scripta, ac modò in lege gratiæ, magis tamen vel minus quoad credenda explicita & implicita, prout una quæque lex postulabat, ipsique conveniens erat. Intelligendum est tamen quod in lege naturæ etiam priusquam sectæ fuissent exortæ, possent homines, qui de novo nascebantur, edocti à suis parentibus, illis paucis mysterijs supernaturalibus, quæ tunc proponebantur, certò assentiri, & mysterijs supernaturalibus & tanquam à Deo revelatis, & quia ab ipso revelata erant propter superiùs inducta atque probata; licet enim nunc ob plura alia mysteria quæ modò explicitè proponuntur, quæ sine dubio difficiliora sunt, quàm ea quæ tunc fides expressè proponebat, major sit difficultas ad illis assentiendum: & ob id majori gratiæ auxilio indigeat homo ad assentiendum tunc externo, utpote majoribus miraculis; tum forte interno nihilominus tempore illo etiam sola natura per se præcisè non poterat elevari supra id, quod ipsam totam excedebat, nempè ut assentiretur supernaturalibus mysterijs illis, ut supernaturalibus & revelatis à Deo, & quia ab ipso revelata sunt, sic enim per parentes filijs proponebantur.

153 Dicendum est secundò quod etiam tunc ad supernaturalem divinam providentiam pertinebat, ut instituentibus parentibus filios de rebus fidei, prout ex fide erant tenenda atque credenda, ipse Deus auxilium supernaturale interius tribueret, quo moverentur ad assentiendum certò illis supernaturalibus mysterijs, sicut sibi explicabantur. Itaque nullus in lege fuit assentiens certò mysterijs supernaturalibus sibi propositis, explicatisque, qui solis suis viribus, illis assensum certum præberent, illa crederent, sicut sibi credenda proponebantur; sed omnis talis ex Dei supernaturali auxilio credebat.

154 Quod si aliquis vel aliqui, cum sibi fides tunc proponebatur, & explicabatur, nollet credere illi prout sibi exposita erat atque proposita; id est, propter authoritatem Dei revelantis; sed ob rationem aliam; Vtpotè ut patri placeret, vel ut se conformaret alijs per orbem credentibus, ut argumentum tangit, fatemur quod merè materialiter posset eis tunc assentiri solis naturæ viribus: non verò tanquam revelatis, & quia à Deo revelata erant; qui actus esset humana opinio, cum assentiretur rebus fidei non sicut ei assentiendum est, sed ratione diversa; imò in tali casu ille esset hæreticus, & ex contraria infidelitate præceptum Dei, quo tunc obligaretur ad credendum, transgrederetur, prout ex superiùs inductis facilè constat: præceptum enim fidei ipsum obligaret ad rectè credendum & prout ad salutem credere oportet: ad quod, ut dictum ex Sancto Thoma est supra, haberet auxilium supernaturale, quo sic credere posset, si vellet. Vnde si sic non crederet, quoquo alio modo assensum præberet, verè illud fidei præceptum transgrederetur; Fatemur tamen quod si illi Deus nullum gratis auxilium donaret, hac hypothesi data, ille posset illis mysterijs assentiri non sicut revelatis, & quia à Deo revelata essent; sed materialiter opinione sua, vel acquisita fide, quæ esset indiscreta, quia cum illis veritatibus admitteret etiam errores alios, ut sequenti disputatione tractabimus.

Ad quintum dicendum Ethnicum in illo casu 155
credentem Lutheranis, & amplectentem illorum sectam, in qua cum erroribus eorum etiam principales articuli nostræ fidei continentur, id efficere posse solis naturæ viribus cum generali concursu, sicut Lutherani ipsi: essetque in utrisque assensus ille falsa & perversa fides, non vera atque directa; quia per assensum talem æqualiter veris & falsis assentiret; quod facere posse cum solo Dei generali concursu nullus est qui neget. Vnde hoc argumentum, cum non habeat vires majores in Ethnico illo quam in Lutherano illum pervertente, nec ut particulare argumentum opponi debuit post illud quod de hæreticis objectum erat.

Ad sextum negandum, quod si hæreticus potest 156
solo concursu generali assentiri simul cum alijs erroribus suis mysterio Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ, ita possit rudis aliquis, cui debitè fides proponitur, omnibus rebus fidei prout sibi proponantur, & explicantur, nimirum ut à Deo revelata, & quia à Deo revelata sunt, assensum certum præbere; quia ille hæreticus merè materialiter assentitur rebus quæ revelatæ à Deo sunt, ex propria tantum opinione, vel potiùs ex errore quo credit similiter cum illis mysterijs errores suos esse à Deo revelatos. Ad habendum autem perversam & falsam fidem (qualis illius est) solus homo planè sufficit cum generali Dei concursu: cæterum rudis alius, cui tota fides proponitur, & sicut sibi proponitur certum præbens assensum verè assentitur revelatis, ut à Deo revelatis, verequè credit Deo revelanti & verè assentitur per medium, quo ex fide assentiri debet. Vnde verè credit fide Christiana, quam ex solis viribus ei tribuere, etiam quoad illius initium plane Pelagianum est.

Et ad probationem nimirum quod difficiliùs hæ- 157
reticus pollens ingenio atque judicio assentitur illis tribus relatis mysterijs, quam rudis omnibus quæ ex fide sibi proponuntur: dicendum id quidem esse falsissimum: hæreticus enim illis assentitur sicut & alijs erroribus, quia vult, & quia sibi placet sic assentiri; in rebus autem quæ ex mero placito fiunt, licet aliàs difficiles sint, non tanta sentitur difficultas: at rudis alter assentitur omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis & quia à Deo revelata sunt: & ex consequenti assentitur rebus supernaturalibus, ut supernaturales sunt: ad hæc autem attingenda, & præcipienda nedum est in sola natura, sine supernaturali adjutorio difficultas, sed impossibilitas: cum non possit natura se elevare supra se ad illa quæ totaliter eam superexcedunt.

Sed & unum aliud in illo argumento proponitur, 158
in quo nollem aliud latere, dum dicitur quod ille rudis potest assentiri in genere omnibus fidei mysterijs, paucis eorum duntaxat pro captu eorum explicatis. Nollem, inquam, quod de his verbis hîc illa insinuaretur, vel traderetur doctrina, quam à fide dignis audivi prædicatores aliquos solere apud Indos sequi, dum infideles illos catechisant, dictum

namque

Digitized by Google

namque est, & per litteras scriptum, quod aliquibus à principio quia, ut aiunt, capaces non sunt, mysterium sanctissimæ Trinitatis non explicatur, ne putent tres Deos esse, sed esse unum Deum sine declaratione divinarum personarum eis traditur: alijs autem ob eamdem rationem, nempe pro captu eorum, proponitur Christus mortuus, sed non crucifixus, nè scandalizentur.

159 Postmodum verò hæc eadem diligentiùs perquirens, à quodam viro pio, satis gravi & valdè fide digno, qui ex illis partibus ad has usque pervenerat, ex illius proprio ore percepi: Quod cum ipse etiam prædicandi causa ad illas partes advenisset; vidit quidem in cathechismo à præcipuis & prioribus illis ministris confecto, mysterium Trinitatis, passionis & crucis Christi exponi; sed nullam imaginem Crucifixi in illorum Ecclesiis se vidisse depictam testatus est; cum tamen ante illius adventum per 40. & amplius annos in illis partibus, ab illis prioribus Evangelium fuisset prædicatum. Cum ergo in referentibus aliqua videatur esse diversitas, fortè hæc illorum est concordia, quòd quamvis in cathechismo apponerentur? tamen postea in prædicationis exercitio ob supradictam audientium incapacitatem omittebantur; sicut alij priores retulerunt. Cujus vel illud non mediocre signum extitit, quod imagines crucifixi depictæ non videbantur. Quod si res ita se habet (veritatem enim historiæ aliis committimus diligentius perquirendam.) Et si hæc & similia intelliguntur exclusa, cum dicitur (quod pauca pro captu eorum eis proponenda sunt) absit hæc doctrina à fidelium cordibus, absit & à prædicatoribus Evangelij; non attendendus est captus audientium naturalis; sed mysteria fidei, præcipuè principaliora catechizandis proponenda sunt & explicanda, quia Deus, quibus, vult suam dare fidem, & captum dabit, ut eis attendant; aperiet ipsorum cor, ut ea perpendant sicut de Lydia illa purpuraria prædicante Apostolo legimus. Quantis enim sine captu naturali, utpotè ignorantibus, aperit Deus ostium Evangelij, aperiendo ipsorum corda & capaces efficiendo, relictis aliis ingenio pollentibus, & iis qui capaces nimis ab hominibus æstimantur? Quot relictis in suis tenebris literatis philosophis & ingeniosis, cum eis Evangelium prædicatur; quorum æstimabatur magna capacitas, illuminati sunt pauperes, illiterati, sine intellectus capacitate, quia eam eis Dominus tribuit, ut quotidie verificetur, quod Dominus dixit, *Matth. c. 11. gratias ago tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, ita pater quia sic placitum fuit ante te.*

Non ergo ex timore incapacitatis audientium occultanda veritas fidei est, cum Evangelium infidelibus prædicatur; non sunt ob talem prætextum articuli fidei, potissimè fundamentales & principaliores celandi, sed piè sunt exponendi, & orandus Deus ut cor audientium aperiat, & capaces tantæ rei ipsos efficiat; cum sciamus quod nisi Dominus gratiâ suâ ad se eos per fidem attraxerit, nec qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Non confidant in se ministri Evangelium prædicantes, non æstiment sua industria vel capacitate naturali, quam in audientibus explorant fidem recipiendam esse, & in cordibus hominum plantandam; superba est ista præsumptio, & quantò magis de istis præsumpserint, tanto minus infideles convertent ad fidem, sed solam illam diligentiam adhibeant, quam Apostoli universum mundum convertentes adhibuerunt quam eis Christus Dominus commendavit, sperantes in Domino, ipsumque deprecantes; ut ipse sine quo nihil est validum, nihil sanctum, dono misericordiæ suæ eos de nolentibus volentes, de infidelibus fideles, de contradicentibus amantes, de persequentibus sequentes, & de incapacibus capaces efficiat, *euntes*, inquit Christus Dominus *Matth. ult. prædicate Evangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Primum nostræ confessionis principium est unum Deum omnipotentem credere in tribus divinis personis; & sicut in janua sacramentorum baptismo divinæ illæ tres personæ præcipiuntur exprimi, ita initio fidei de hoc primo & altissimo mysterio ante receptionem baptismi infideles sunt instituendi; sic Apostoli prædicarunt, sic victus est mundus, sic orbis ad fidem Sanctissimæ Trinitatis conversus est; non est timendum quod plures putent sibi prædicari Deos infideles, cum hoc arcanum mysterium debitè sicut catholica exponit Ecclesia, eis exponitur & prædicatur, non est timenda audientium incapacitas, omnis enim naturalis capacitas quamvis acutissima, minus potens erit ad hoc mysterium fidei & reliqua percipiendum, nisi Dominus gratiâ suâ cor tetigerit, mentes illuminaverit, & fidem suam eis dederit reddendo eos capaces ad ista sublimia recipienda, sicut ab initio fidei usque ad ista tempora, imò usque ad finem mundi fecit & faciet Deus.

Nec dicant, quod si eis, cum cathechizantur ante receptionem baptismi, Christus proponitur crucifixus, infideles scandalizabuntur; nec enim ista prædicantem Apostolum deterruerunt, qui ajebat 160
1. *ad Corinth. cap. 1. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Hac unâ sententiâ destructa sunt novitiæ machinæ istæ nunquam in Ecclesia usitatæ sciebat Apostolus Crucifixi mysterium scandalum Iudæis esse, nunquid dicebat, non prædicemus à principio, cum cathechizantur Iudæi ad fidem Christum crucifixum ne scandalizentur, imò hoc ipsorum scandalo cognito, nihil magis ipse prædicabat, *nos*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum*, hoc erat præcipuum, hic principalis finis Apostolicæ prædicationis erat. Sciebat hoc divinum mysterium gentibus esse stultitiam, nunquid cum tot tantasque gentes convertit Apostolus, per universum ferè mundum discurrens dicebat, gentes istæ reputant hoc mysterium stultitiam, temperemus ergo sermonem, non dicamus eis Christum crucifixum, cum hoc mysterium eis exponimus, sed dicamus Christum esse mortuum, absit, non sic faciebat Apostolus, sed dicebat, *nos autem prædicamus Christum crucifixum*, & in principio, & in medio, & in fine, hoc nostrum institutum est prædicare Christum, & hunc non quomodolibet, sed crucifixum, nolo in re à Deo pervia immorari, quia magis eam committo communi omnium fidelium sensui quam disputationibus meis: hoc unum dico qui talia faciunt, Christum Dominum non prædicare, sed seipsos, Deo non servire sed suo placito, deberentque pastores Ecclesiæ de hoc esse solliciti, & eos tales in perpetuum à prædicationis officio arcere, & aliis condignis pœnis mulctare.

Ad ultimum quod desumptum fuit ex Aureolo 161
apud Capreolum in 3. *dist.* 24. *quæst. unica art.* 2. & ex Scoto *in* 2. *dist.* 23. ex quibus etiam desumpsit hic author illud argumentum de firmitate quam habet hæreticus respectu illorum articulorum, quos non negat, respondendum primò cum Capreolo *ubi supra art.* 3. quod puer ille non baptizatus, inter fideles nutritus, sicut & hæreticus in tali casu possunt habere assensum credendorum sine habitu fidei, non tamen discretum, facilem, promptum, ac verè certum

Digitized by Google

cum & firmum. Imò ipse Scotus respondet, *ubi supra*, necessario ponendam fidem infusam propter assensum firmum & certum, ut statim dubio sequenti ex ipso inducemus, quem sequitur Aureolus. Dicendum secundò puerum illum educatum inter fideles, cui quotidie fides proponitur, ex supernaturali auxilio creditурum omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt nec admittimus Deum determinare se cum illo non alio, nisi generali concursu concursurum, sed auxilio gratiæ, quo cum his quibus Evangelium prædicatur, concurrit, vel efficaciter eos de facto faciendo revelatis ut revelatis assentiri, vel tantum sufficienter, ut inexcusabiles sint, qui non assentiuntur, cum possent si vellent supernaturaliter assentiri secundum quod in superioribus ex S. Thoma relatum est.

CAPVT XI.

Vltimo respondetur testimoniis quæ sine fundamento aliquo ex S. P. Augustino postea inducta sunt.

162 SVpra *cap.* 1. relata sunt illa testimonia quæ noviter defensores hujus impugnatæ sententiæ, pro illius defensione opponebant, prætendentes illam à S. P. Augustini sententia non discordare, ac per consequens ab errore Pelagianorum, & Semipelagianorum differre, & quidem consequentia evidens est, quod si illa esset S. P. Augustini doctrina penitus à Pelagianis, & Semipelagianis nedum esset diversa, sed ei etiam contraria, cum sanctissimus ille doctor perfectè omnes illorum errores & denudaverit, & totaliter omni ex parte dejecerit. Cæterum antecedens, quod videlicet illa sit Sancti Doctoris sententia, vel ab ipsius doctrina non dissona, falsum est omnino, ostensum enim fuit supra ex Sancto Doctore illam ab ipso certò, ac manifestè expugnari: unde modo quam absque fundamento, & causa tot ac tanta Sancti Patris testimonia sine delectu, multiplicentur, erit apertè demonstrandum.

163 Ad tria capitula prædictos authores illa omnia reduxisse ex prædicto *cap.* 1. fit manifestum & incipientes à primo sic opponebant, *expendemus primò pro defensione hujus propositionis loca, ex quibus constat agnovisse Augustinum assensum naturalem fidei acquisita circa revelata, qualis est in hæreticis, & dæmonibus*; hæc illorum verba sunt ad quæ hæc est nostra responsio; agnovisse quidem Sanctum Doctorem & Patrem Augustinum esse in hæreticis assensum naturalem circa ea revelata quæ non negant; non tamen aliquando dixisse illis revelatis assentiri tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, quare hoc argumentum de hæreticis, petitum ad propositum nullo modo est, quia hæreticus nec omnibus assentitur; nec tanquam revelatis, nec quia à Deo revelata sunt; nec aliquid horum S. P. Augustinus docuit, quæ tamen omnia simul isti authores contentiosè defendunt.

164 De fide autem dæmonum quæ S. P. Augustinus docet, minus eis favent, hanc enim S. Ecclesiæ doctor vocat fidem coactam signorum & miraculorum vi, non spontaneam; convincuntur enim dæmones velint nolint ex signorum evidentia ut certò eis assentiantur, nec aliud etiamsi velint, facere possunt. Imò vellent ipsi non sic assentiri, nec talia signa & miracula esse, quæ illos ad assentiendum cogerent. Vnde non spontaneè credunt, nec revelatis tanquam revelatis assentiuntur; multo minus quia à Deo revelata sunt; itaque dæmones credunt timendo, non amando, nec enim fides in eis potest per charitatem operari, sicut est fides in hominibus quæ formata per charitatem operatur; informis autem adhuc habet quod possit per charitatem operari, quia potest charitate formari; quis autem non videat hanc exactam dæmonum fidem ad casum de quo agimus, non nisi violenter trahi, & omnino contra propositum; quid enim hæc coacta dæmonum fides cum illa habet commune, quâ homo prædicato sibi Evangelio sicut ab Ecclesia proponi solet, ex pia affectione voluntatis captivante intellectum in obsequium fidei omnibus mysteriis à Deo revelatis assensum firmum, & certum præbet sicut verè à Deo revelatis & quia à Deo sunt revelata; quæ est ipsa formalis ratio objecti Christianæ fidei, ut clarissimè superioribus dedimus manifestum.

Vnde de hac dæmonum fide Sanctus Thomas ad 165
Epistolam B. Iacobi, cap. 2. ad illa verba, *& dæmones credunt*, sic ait; *illa autem dæmonum fides non propriè est fides, quia non est habitus infusus; sed est quædam credulitas non voluntaria, sed necessaria, quasi comminationibus & tormentis exorta. Vnde non assentiunt primæ veritati propter se, sed magis sentiunt eam. Vnde fides in eis est conclusio, non argumentum; nec habent cognitionem articulorum inquantum articuli, sed in quantum quædam entia nobilia.* Hæc S. Thomas. Hanc ergo non propriam, nec veram dæmonum fidem introducere ad probandum esse posse in hominibus verum assensum, quo revelatis ut revelatis, & quia à Deo sunt revelata, credit, nihil est aliud quam probare ex eo quod in dæmonibus non est vera fides, quod in hominibus sine gratia possit vera fides esse.

Sed jam in specie, ut quæ dicta sunt clariora red- 166
dantur, cujuscumque inducti testimonij verba perpendamus. Primum testimonium adducebatur ex *tomo 6. libro contra Epistolam Manich.* (quam vocant fundamenti) *cap.* 4. ibi *tenet contensio*, & *cap.* 5. ibi *Ego verò* usque ad illud *sibi non credere, quam sibi*, sed in isto loco nihil tale vel à longè insinuat S. Doctor Augustinus solum enim ibi habet *quod in gremio Ecclesia illum justissimè tenet consensio populorum atque gentium, authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum, tenet postremo ipsum catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Hæc in opposito testimonio omnia verba sunt; nec alia habet. Ex his autem unde potest deduci, hæreticos assentiri revelatis tanquam revelatis & quia à Deo revelata sunt. Quis non miretur quod talia inducantur? An quia dicit hæreticos se velle vocari catholicos? Quod igitur ipsi falsa dicant vel ex illorum verbis convincitur. In *cap.* autem 5. *utroque loco citato* minus id habet, aut verbum apponit, ex quo etiam violenter id possit deduci. Verba illius sunt, *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret authoritas, quibus ego obtemperavi dicentibus credite Evangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, noli credere Manichæo. Elige quod velis, si dixeris crede catholicis, ipsi me monent ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum eis credens nisi tibi non credere.*

Ex hoc loco, ut omnes attendant quâ ratio- 167
ne inducatur, ex eo quod S. P. Augustinus dicit quod authoritas Ecclesiæ eum movet ad credendum

Digitized by Google

Evangelio; & ex eo quod repetit, se catholicis credere, quibus verbis de fide supernaturali qua catholicum se profitetur, ipse Sanctus Doctor apertissimè loquitur, unde isti authores colligunt ipsum loqui de assensu merè naturali, qui nec pertinet ad salutem, nec aliquem catholicum facit, ut etiam ipsi pretendunt. Fides enim catholica movet, ut revelatis tanquam à Deo revelatis per Ecclesiam, sicut per instrumentalem causam proponentem, & explicantem credenda, & non per alium assentiamus. Quod citatis verbis mirificè docuit S. P. Augustinus; & tamen isti authores dicunt, quod ex eo quod fatetur se credere Evangelio propter authoritatem Ecclesiæ ministerialiter proponentis illud Evangelium esse à Deo revelatum, eique esse credendum, quia à Deo revelatum est, doceat illum assensum esse merè naturalem, nec pertinere ad Catholicam & Christianam fidem. Quis ista sibi persuaderet ab his authoribus tanto studio elaborata fuisse objecta pro defensione illius assensus merè naturalis quem confingunt, nisi eadem ipse patentissimè apponerent, quibus potiùs totum contrarium evidenter convincitur? Ego planè nisi viderem, nec aliis referentibus assentirem, & dolemus talia ab ipsis dissendi. Vident & ipsi quid eis responsum sit, nec à sua opinione desistunt; quod quomodo fieri possit, nisi contentio adsit, omnes pariter videant.

168 Secundum testimonium inducebatur ex *lib. de utilitate credendi cap.* 14. illis verbis: *sine paululum* usque ad illa, *occupasse.* Verba illius capitis sunt: *sine paululum mecum ipse consideremus quoniam Christum ipsum quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur: ego non vidi quibus de illo crediderim, ut à te jam tali fide præstructus accedam, nullis me video credidisse nisi populorum atque gentium confirmata opinioni ac fama admodum celeberrima: hos autem populos Ecclesia Catholica mysteria usquequaque occupasse*; perperam autem adduci hoc testimonium & contra oppositores potiùs stare ex eo fit notum, quod S. P. Augustinus apertè loquitur de Catholica, & Christiana fide, qua in Christum credidit, motus ex tot gentibus, & populis, qui eam amplexabantur. Hoc enim fuit motivum, quo cum Dominus sicut alios per miracula ad fidem traxit; non tamen credebat ipse propter populos, sicut nec alij propter miracula; sicut propter rationem assentiendi, sed propter divinam revelationem. Cum ergo ibi S. Doctor manifestè loquatur de fide Christiana, qua prout ad salutem oportet in Christum credidit, contra illos authores militat, ipsosque expugnat, qui de assensu merè naturali, & non Christianæ fidei illud intelligunt, & ad hoc inducunt.

169 Testimonium tertium apponebatur *ex tomo 7. lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap.* 29. ibi nempè; *tamen unitate* usque ad illud *filij Dei.* Et infrà ibi: *Vnus enim Deus*, usque ad illud, *salubriter habetur.* Et *eodem lib. cap.* 30. ibi: *Vide ergo*, usque ad illud, *agnoscimus & probamus.* Responderur quod in hoc testimonio tantùm docet, Dæmones credere coactè scilicet, & contremiscere, non revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt spontanea voluntate. Similiter docet in Schismaticis, qui solum rumpunt unitatem charitatis, si nihil de fide dubitent, esse veram & Catholicam fidem, sicut & de aliis peccatoribus dixerim, si nihil de fide dubitent, quia regulariter cum Schismate, quod directè opponitur charitati, hæresis conjungitur. Sed S. Augustinus hoc loco solùm de purè Schismaticis loquitur, non de hæreticis, & docet quod eorũ fides sine charitate non prodest ad salutem, & hæc est intentio verbis expressa in citato loco. Vnde non loquitur de fide acquisita, vel actu merè naturali habita, qua quis revelatis tanquam revelatis assentiatur.

Quartum testimonium inducebatur ex *tomo 3. in Enchiridion cap.* 8. ibi, *denique*, usque ad illud, *atque commendat.* Et *cap.* 5. ibi, *nec hoc ideò*, usque ad illud, *apud eos.* Respondemus, quod in prioribus verbis solum dicit ex Apostolo Iacobo quod Dæmones credunt & contremiscunt, nimirum coacta fide, quæ ad rem non pertinet, ut dictum est *in 2. loco* cujus verba habentur *cap.* 5. solùm docet Christum esse fundamentum Catholicæ fidei, nec hoc ideò negandum est, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune, *si enim diligenter cogitentur quæ ad Christum pertinent nomine tenus imnitur apud hæreticos qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.* Hæc sunt Sancti P. Augustini verba: ex quibus unde possit inferri, posse hominem solis naturæ viribus credere omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, quilibet perpendat. Hæretici enim (quod millies dicendum est, & hic Sanctus Doctor insinuat) sicut Christum re ipsa non habent, sed voce dumtaxat, ita nec omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia revelata sunt, assentiuntur. 170

Quintum testimonium inducebatur ex *tomo 7. libro 2. contra litteram Petiliani* illis verbis, *is enim*, usque ad illud, *habebitur.* Et paulòpost ibi, *itaque ita judicatis* quæ habentur in *capite* 77. Sed respondemus eum tantùm dicere, quod fides sine humilitate, & charitate Ecclesiæ, etiam si per illam montes transferantur, nihil valet ad meritum. Vbi loquitur de fide Schismaticorum, quando est contra solam charitatem, quæ si per hyperbolem esset tanta, ut montes transferret, ad meritum nihil valeret: fides autem, per quam possunt montes transferri, verè fides supernaturalis est, non merè naturalis, ut authores isti prætendunt; purus enim Scismaticus potest fortè fidem supernaturalem habere, si solùm charitati opponatur, & nullo modo fidei; licet id difficile sit, si ut Schismaticus etiam hæreticus non sit. 171

Sextum testimonium ex tomo 7. *libro 1. de baptismo contra Donatistas cap.* 8. ibi, *quid ergo.* Sed respondemus quod ibi sic dicitur. *Quid ergo prodest homini, vel sana fides, vel sanum fortasse fidei Sacramentum; ubi lethali vulnere schismatis perempta est charitas?* Vbi sermonem facit de puro schismatico, cui hæresis non conjungitur, qui retinendo propterea sanam Christianam fidem, cum sit sine charitate, nihil ipsa ei prodest. Non igitur loquitur de fide merè naturali, & non Christiana, ut oppositores prætendunt. 172

Septimum testimonium inducebatur ex *eodem libro capite 9. per totum*, sed respondemus quod tam in isto loco, quam in præcedentibus, ubi de schismaticorum fide tractat, hoc solum intendit, quod etiam si fidem veram Catholicam haberent, itaut montes transferrent per illam, charitatem autem, & unitatem non haberent, nihil eis prodesset, unde nec assertivè fortè dicit eos habere fidem divinam, sed conditionaliter; quod nempè licet eam haberent, & multo minus asserit eos solis naturæ viribus assentiri revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt. 173

Octavum testimonium inducebatur ex *lib. 15. de Trin. cap.* 15. sed respondemus quod ibi solum habetur fidem sine charitate nil prodesse; ubi sermonem facit de Christiana fide. Addit etiam quod Dæmones credunt & contremiscunt, sed quorsum hæc ad probandum posse hominem solis suis viribus naturalibus revelatis omnibus, tanquam à Deo revelatis. 174

Digitized by Google

velatis, & quia à Deo revelata sunt assentire.

175 Nonum testimonium inducebatur *ex serm. 16. de verbis Apostoli* ibi, *esse modo*, sed respondemus solum ibi dici, quod fides sine charitate nihil prodest: quod de fide Catholica esse dictum omnes norunt. Addit etiam quod Dæmones credunt timendo, sed homines amando; hæc autem velle inducere ad probandum posse hominem ex se solo omnibus revelatis tanquam revelatis assentiri, & quia à Deo revelata sunt, est & oleum & operam perdere.

176 Decimum testimonium inducebatur ex *Tomo* 10. *lib.* 50. *homiliarum*, *homil.* 17. ibi, *sed fides*, sed ad hæc respondemus quod ibi tantum habetur discernendam esse fidem Dæmonum à fide hominum: quia illi timore credunt, isti amore: quod si discernenda est, ad quid ex una argumentum ad aliam isti authores desumunt, cum ex re diversa ad aliam diversam nullum sit argumentum.

177 Vndecimum testimonium inducebatur ex *Tomo* 9. *tract.* 9. *in epistolam Ioan.* ibi, *quod dixerunt*, *&c.* sed respondemus ibi tantum haberi quod fides sine charitate nihil prodest: ubi sermo est de fide divina: unde ad illam aliam quam dicunt ij authores divinam non esse violenter distrahitur.

178 Duodecimum testimonium *tom. eod.* 10. *serm.* 61. *de verbis Domini*, ibi, *sed multum*. Sed respondemus quod ibi solùm habetur, Dæmones credere Christum, non autem credere in Christum sicut homines qui habent fidem, spem, & charitatem. Sicut autem Dæmones in Christum non credunt, ita nec credunt Christo, & ex consequenti non credunt revelatis, quia à Deo revelata sunt; unde coacta illorum fides sine apparentia inducitur.

179 Tertiumdecimum testimonium inducebatur ex *serm.* 14. *in festo omnium Sanctorum* ibi, *Plaudis tibi*, sed respondemus, quod ibi solùm dicitur quod fides sine operibus nihil prodest, nec esse plaudendum de fide qua Dæmones credunt, & contremiscunt. Quorum primum de supernaturali fide procedit, ut dictum est; secundum de fide coacta Dæmonum, quæ non credit revelatis ut revelatis, & quia à Deo revelata sunt; unde neutrum istorum authorum doctrinæ favet.

180 Quartumdecimum testimonium adducebatur ex *lib. de fide & operibus cap.* 16. ibi, *autem*, sed respondemus quod ibi tantum dicitur quod fides Dæmonum non potest per dilectionem operari, & quod Dominus non laudavit fidem Cananeæ, nisi posset per dilectionem operari; quorum primum sicut non juvat doctrinæ pro qua adhibetur, ut dictum est toties: ita secundum de vera fide supernaturali Cananeæ procedit: unde ad propositum non affertur.

181 Decimumquintum testimonium adducebatur ex *quæst.* 1. *ex octo quæstionibus ad Dulcitium*: sed respondemus nihil aliud ibi haberi, nisi quod fides sine operibus mortua est, & quod nihil prodest, sicut nec prodest fides Dæmonum. Primum de vera Catholica fide procedit, quæ sine operibus mortua est, Apostolo Iacobo testante, & Sancto Patre Augustino hic referente: secundum, quod toties de Dæmonum fide inculcant, constat totaliter extra chorum esse, quia illi non amore sed timore credunt, non affectuosè sed coactè; non fide quæ possit per dilectionem operari; sicut illa quæ in hominibus invenitur, non denique revelatis ut revelatis, & quia à Deo revelata sunt, assentiuntur, sed sicut aliis rebus, de quibus similiter convincuntur: unde frivolè omninò toties repetitur ad suadendum posse hominem, solis viribus suis, revelatis assentiri tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Constat ergo vel obtruncata, vel obvelata, vel sinistrè esse intellecta testimonia, quæ ex S. P. Augustino protulerunt.

CAPVT XII.

Aliis testimoniis ex S. P. Augustino inductis respondetur.

182 IN superiori *capite* 2. alia sancti Patris testimonia coacervabantur ad defendendum illum assensum merè naturalem solis naturæ viribus tributum, quo assentiri possint omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Vnde secundo loco expendebantur à defensoribus præcitatæ & impugnatæ doctrinæ, loca ex quibus apparebat Augustinum non nisi ad fidem Christianam & Catholicam, & prout ad salutem oportet requirere, auxilium gratiæ; quod erat secundum suæ prætensionis caput: pro quo novem ex Sancto Patre Augustino inducebantur testimonia, quæ nec repetenda videntur, tum quia ibi relata sunt: tum potissimè quia omnia talem continent doctrinam, per quam hæc, quam impugnamus, priùs apparet efficacissimè per Sanctum Doctorem Augustinum impugnata, & expugnata. Vnde ad omnia taliter respondemus, verissimum esse solum requirere ut necessarium Sanctum Doctorem, & Patrem Augustinum auxilium gratiæ ad fidem Catholicam & Christianam, non ad illam quæ hæreticorum est, respectu illarum veritatum fidei quas non negant, nec ad fidem Dæmonum, hoc verissimum est, sed assensum Christianæ & Catholicæ fidei vocat (sicut revera est) illum quo quis certò assentitur omnibus revelatis, tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, ut plenius & abundantius probatum est supra ex eodem Doctore. Vnde ad talem assensum requirit ut necessarium auxilium gratiæ. Quod gratiæ auxilium, si ad illum assensum Christianæ & Catholicæ fidei authores, cum quibus agimus, dicerent necessarium, cum vera doctrina Sancti Patris Augustini consentirent; sed quia gratiæ auxilium ad talem assensum non ipsi requirunt necessarium, contra Sancti Doctoris veram sententiam manifestè procedunt, & falsam tuentur, ac assensum Christianæ fidei hominibus ex ipsis solis hominibus sine gratia Dei tribuere convincuntur.

183 In eodem *cap.* 2. relata sunt quinque alia testimonia Sancti Patris Augustini, quæ ab his authoribus expendebantur, & objiciebantur, ut ex Sancto Doctore probarent agnovisse ipsum firmitatem assensus naturalis, etiam usque ad mortis contemptum.

Primum testimonium desumebatur ex *Tomo* 7. *lib.* 1. *de Baptismo cap.* 9. *contra Donat.* ibi, *si dispertiant*, usque ad illud, *criminentur*; sed respondemus quod ibi tantùm docet, quod si Donatistæ pro fide quam habent se traderent morti, nihil eis prodesset; quia Ecclesiæ unitatem & charitatem non habent: & nihil aliud dicit, nec exponit, quam fidem illi haberent. Sed cum Donatistæ essent, & cum schismate hæresim conjungerent, non veram fidem eos habuisse notum debet esse: sicut & in superioribus de aliis hæreticis dictum est. Vnde & illorum fidem fidei Dæmonum comparat. Quis autem dubitat posse Hæreticum sine fructu solis suis viribus pro falsa & perversa fide quam habet, utpotè cum erroribus conjunctam, ex pertinaci obstinatione mori? Sed & illud addendum quod ad intentionem, & scopum Sancti Patris Augustini in illo loco, ut optimè ex Apostolo induxit; etiam si quis Christianam & Catholicam haberet fidem, & talem ut

Digitized by Google

montes transferret, & traderet corpus ſuum ut ardeat, charitatem autem non habuerit; nihil penitus ei prodeſſet. Vnde planè hoc teſtimonium intentum nullo modo probat.

184 Secundum teſtimonium inducebatur ex *Tomo* 10. *ſermone* 50. *de verbis Domini*, ibi, *nam & apud Hæreticos*, uſque ad illud; *jam ibi ſunt*, & ibi, *hoc enim modo*, uſque ad illud, *pœnas legibus luit*. Sed reſpondemus quod in utroque loco agit de Hæreticis, qui ſe jactant martyres, cum propter iniquitates & errores ſuos pœnas patiuntur; quos dicit poſſe mortem ſubire propter ſuas iniquitates, & errores ſuos, quis de hoc dubitat? vel quid hoc habet cum fide commune, qua aſſentitur quis revelatis, ut revelatis, & quia à Deo revelata ſunt? Imò ſuperaddit ex Apoſtolo, quod ſi fidelis fidem haberet talem, ut montes transferret, & traderet corpus ſuum, ut arderet, charitatem autem non haberet, nihil ſibi illa prodeſſent.

185 Tertium teſtimonium inducebatur ex *epiſtola* 50. *ad Bonif.* ibi. *Hanc legem*. Sed reſpondemus hæc tantum ibi in ſubſtantia dici, quod non qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ unitatis impiam diviſionem, ſed qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, hi martyres veri ſunt. Ex hoc quid aliud habetur, niſi quod Hæretici, atque Schiſmatici poſſunt pati propter iniquitates ſuas, & propter diviſionem unitatis etiam mortem? poſſunt quidem ſed ex pertinacia, & errore ſuo: quod inducere ad probandum ut homo poſſit ſolis ſuis viribus revelatis tanquam revelatis aſſentiri, nihil eſt aliud reipſa quam ſic argumentari: Poteſt Hæreticus, & Schiſmaticus pro ſuo errore, & ſchiſmate mortem ſuſtinere ſine gratiæ auxilio: ergo poteſt infidelis ſine eodem gratiæ auxilio omnibus revelatis ut revelatis aſſentiri, & quia revelata ſunt, cum Evangelium ei prædicatur, & ſic poteſt ſolis ſuis viribus de infideli ſe fidelem facere. Proculdubio reipſa non alia eſt prædicta conſequutio.

186 Quartum teſtimonium inducebatur ex *eodem* 2. *tomo epiſtola* 117. *ad Nebridium*, ibi, *ſed non arbitror*, ſed reſpondemus ibi hæc verba haberi. *Sed non arbitror occultum tibi eſſe: ſi falſis opinionibus tanto quiſque inſeritur, quanto magis in eis familiariúſque volutatur, multo id facilius in rebus veris animo accidere*. Quibus non loquitur de fide, vel de rebus veris ad ipſam pertinentibus, ſed potiùs de veritatibus ingenio humano proportionatis; quibus homo ſicut falſis opinionibus cum ſolo generali Dei concurſu poteſt firmiter adhærere. Quod ſi demus ibi ſermonem fieri de Hæretico, qui ſicut falſis ſuis opinionibus adhæret, poteſt & materialiter ſine alio gratiæ auxilio adhærere rebus veris fidei, quas non negat, jam in ſuperioribus dictum eſt talem revelatis ut revelatis non aſſentiri, & multò minùs quia revelata ſunt; ſed potiùs perverſa & falſa fide miſcet vera falſis, & veritates fidei erroribus dæmoniorum; ſed & tertiò addendum, quod verba paulò inferiùs adhibita ſatis oſtendunt requirere Sanctum Patrem Auguſtinum divinæ gratiæ auxilium ad hoc quod homo ſe attollat in Deum, & in ea quæ veriſſimè vera ſunt: qualia ſunt ſine dubio res fidei: nam hæc verba habet. *Hac ergo* (ſcilicet ratiocinatione) *interim recreatus cum Deo in auxilium deprecato, & in ipſum, & in ea quæ veriſſimè vera ſunt attolli cœpero tanta nonnunquam rerum manentium præſumptione compleor, ut mirer interdum illa mihi opus eſſe ratiocinatione, ut hæc eſſe credam, quæ tanto inſunt præſentia, quanto ſibi quiſque ſit præſens.*

187 Quintum teſtimonium inducebatur ex *tomo* 4. *lib.* 1. *de ſermone Domini in monte cap.* 5. ſed reſpondemus, quod verba illa ſic habent. *Nam multi Hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes multa talia patiuntur; ſed ideò excluduntur ab iſta mercede, quia non dictum eſt tantum Beati qui perſecutionem patiuntur, ſed additum eſt propter Iuſtitiam. Vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe Iuſtitia, quia juſtus ex fide vivit. Neque Schiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia ſimiliter ubi charitas non eſt, non poteſt eſſe Iuſtitia.* Ex his verbis, quæſo, quid aliud habetur quam hæreticos aliquando pati perſecutionem, ſed nec dicitur quod illam patiantur propter illas fidei veritates quas non negant, quia & eam pati meritò poſſunt propter iniquitates & errores ſuos, ut in præallegatis locis expoſuit, juxta quem ſenſum à nullo ſanæ mentis locus iſte poteſt adduci ad ſuadendum quod intenditur.

Quod ſi contendat quis, ibi ſermonem eſſe de 188
Hæreticis, qui perſecutionem patiuntur propter veritates illas fidei, quas non negant, quamvis id ex verbis inductis nec alijs ibi contentis aliquando probari poſſit, & tamen ipſo conceſſo quid aliud concludi poteſt, niſi hoc ſolùm, quod non ex ſana fide, ut litera habet; ſana quippe fides in Hæretico non eſt: ſed ex perverſa & falſa, ut S. Thomas ſuperiùs inductus expoſuit, valeat perſecutionem ſuſtinere de quo quis unquam dubitavit, vel quis hoc inducendum putaret ad probandum poſſe ſolum hominem ſe ſolo ſine gratiæ auxilio omnibus revelatis tanquam revelatis, & quia à Deo revelata ſunt aſſentiri: Cum ratio ſit adeò diverſa, atque contraria in Hæretico, & homine illo, quæ eſt in habente non ſanam fidem, & eam habente ſanam, atque veram, qua vere fidelis eſt, ut multipliciter fuit declaratum.

CAPVT XIII.

Neceſſarium eſſe habitum fidei infuſæ, ut certò, facilè, & diſcretè quis aſſentiatur Catholicis veritatibus oſtenditur præſertim ex Scoto, inter quem ponendum argumenta contraria.

POſtquam ſupradictus concordiæ author illam 189
ſtatuit aſſertionem ſuam jam à nobis expugnatam, quod nimirum poſſit homo ſolis viribus ſuis abſque omni gratiæ auxilio revelatis omnibus aſſentiri tanquam revelatis, & quia à Deo revelata ſunt, in qua, ut fuit oſtenſum, neceſſitatem auxilij divinæ gratiæ ad incipiendum credere, ſeu ad initium fidei enervavit, aliam propoſitionem ſubjungit, qua ipſius habitus fidei neceſſitas videtur auferri. Quæ relata fuit noſtro primo *lib. part.* 1. *tr.* 6. *cap.* 17. & in ordine aliarum eſt 61. & ſub his verbis ab illo authore proponitur in *Concord. quæſt.* 14. *art.* 13. *diſput.* 8. §. *ex dictis*. *Ex dictis jam facile intelligi poterit quanam ſit neceſſitas conſtituendi habitum fidei ſupernaturalem, eſto homo ex ſuis naturalibus aſſentiri poſſit revelatis actu merè naturali, nec enim ut* 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. *dicebamus, ob eam cauſam neceſſariò ponendus eſt, ut intellectus facilè aſſentiatur contra intellectus duritiem, & diſcretè contra intellectus errores, ut Durand. in* 2. *diſt.* 29. *queſt.* 1. *multique alij affirmant: nec item ut actus aſſentiendi ſit certus & firmus certitudine, & firmitate ex parte credentis, ut Sotus in* 2. *de nat. & grat. cap.* 8. *voluit. Hæreticus namque poteſt illo modo aſſentiri non ſolùm articulis fidei, ſed etiam certiùs ſuis erroribus, quam multi fidelium aſſentiantur per fidem infuſam veritatibus Catholicis: ſed ideo neceſſariò conſtituendus eſt, quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini ſupernaturali ſunt accommodati, & quales ad ſalutem neceſſarij ſunt, requiritur*

Digitized by Google

requiritur, ut vel per inspirationem, & auxilium particulare Spiritus sancti eliciantur, vel per concursum habitus supernaturalis. Itaque ad unum solum (quod relatis verbis expressit) necessarium dicit habitum fidei, non vel ad illa tria simul, vel ad quodlibet illorum sejunctim, quæ esse necessaria ex multis doctoribus refert, hoc enim ipse expresse negat.

190 Et quidem non esse necessarium ad certitudinem (quod est unum ex tribus relatis) ipse solùm argumento desumpto ex Hæretici firmitate probat. Non autem esse necessarium ob alia duo nimirum ad facilitatem, & discretionem in credendo dicit à se manere probatum 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. cujus argumenta in substantia illa sunt quæ ex Scoto, atque Aureolo refert, & soluit Capreolus *in* 3. *dist.* 24. *quæst.* 1. Sic enim primò Scotus arguit in 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. Probando quod præter acquisitam non requiratur alia infusa, quia in primo, cui articuli sunt revelati, ut in Paulo sufficit fides acquisita ut firmiter eis adhæreat, & etiam ut eis facilè & discretè assentiatur. Ergo in alijs posterioribus sufficit etiam acquisita fides ad certò, facilè, & discretè rebus fidei assentiendum. Consequentia manifesta videtur, & antecedens probatur: quia sicut ex sola facultate naturæ potest aliquis assentiri aliquem esse veracem, eique credere acquisita fide, ita eadem naturæ facultate poterit assentiri magis Deum esse veracem quàm homines; eique acquisita etiam fide assentiri: non ergo præter fidem acquisitam necessaria erit infusa ad assensum præstandum omnibus à Deo revelatis.

191 Secundò quamvis aliqua scientia ob suam difficultatem, ut geometria, non possit sciri ab homine propria inventione, tamen postquam inventa est & ordinatè tradita, potest homo ex sola facultate sua ei acquiescere, & scire eam: Ergo pari modo quamvis nemo naturali lumine intellectus possit propria inquisitione venire ad notitiam illius, *Deus est trinus & unus*, tamen postquam revelatum est, potest ei fide acquisita firmiter adhærere, & facilè, atque discretè.

192 Tertiò huic veritati, *Deus est trinus & unus*, & alijs Catholicæ fidei assentitur fides, quia ea à Deo revelata: sed hoc esse revelatum à Deo credo, quia Ioannes dixit, hoc sibi à Deo esse revelatum, vel Apostolus alius; si enim audissem eum dixisse hoc sibi à Deo esse revelatum, credidissem illi fide acquisita credendo eum esse veracem; Ergo & modò credo fide acquisita Deum esse trinum & unum revelatum fuisse Apostolo, quæ acquisita fides habetur ex auditu scripturæ, vel ex eo quod scripturam lego. Igitur de primo ad ultimum tota firmitas, tota facilitas, tota discretio assensus, quæ modo ponitur in fide infusa, dependet à fide acquisita, sicut à primo propter quod habet certitudinem ipsa infusa fides.

193 Quartò est Aureoli argumentum ad idem: Hæreticus errans in uno articulo fidei amittit fidem infusam, & tamen tenet alios articulos ita firmiter quod pro illis vellet decapitari, facilè etiam eis credit ut experientia probat: ergo nec ad certitudinem, nec ad facilitatem necessarius est habitus infusæ fidei. Hoc etiam, ait, patet in puero non baptizato nutrito inter fideles, qui ea quæ fidei sunt tenet, ita firmiter, facilè, atque discretè sicut baptizatus qui habet fidem infusam: igitur non erit necessaria fides infusa ad certò, facilè, & discretè credendum rebus fidei.

194 Hæc argumenta, quæ ex Scoto relata sunt ad negandum necessitatem fidei infusæ, vel propter certitudinem, vel propter facilitatem, vel propter discretionem in assentiendo mysteriis fidei, non eò pronuntat ut quis arbitretur negasse Scotum necessitatem fidei infusæ, & solum posuisse acquisitam: aut eum prius tenuisse sententiam, quam hic aut hic noviter proponit relatis verbis: neutrum enim intendimus, quia neutrum verum est. Primum namque expresse habet ipse Scotus *citata dist.* 23. *in* §. *ad quæstionem* ubi resolutorie sic habet. *Ad quæstionem tamen dico quod oportet ponere fidem infusam propter authoritatem scripturæ, & sanctorum* &c. Quod & ibi probat & clarius in §. sequenti, *quod autem requiratur fides infusa.* Secundum verò, quod nimirum non teneat Scotus sententiam hujus moderni authoris, ex eo fit manifestum quod ipse expresse tenet citatis nunc locis necessariam esse fidem infusam præter acquisitam, non solùm propter intensionem actus, sed etiam propter assensum, & certitudinem. Hæc enim ejus verba sunt formalia in citato §. *quod autem requiratur fides infusa.* Quod & hoc argumento ibi probat, *quia non potest esse à fide acquisita firmus assensus, quia fide acquisita nullus credit alicui, nisi quem scit posse falli & fallere, licet credat ipsum non velle fallere; sed nemo potest perfectè assentiri dictis ejus quem novit posse falli & fallere in his quæ dicit, cujusmodi est quilibet homo cui, & non alij assentitur per fidem acquisitam propter veritatem illius. Ex quo igitur ita est, oportet ponere fidem infusam propter firmum assensum ut respiciat Deum pro objecto primo, de quo sicut de objecto formantur alia veritates quæ continentur in articulis mediatius, vel immediatius secundum quod ipsum sic, vel sic respicitur.* Hæc Scotus. Cum ergo tam manifestè ipse ponat necessariam fidem infusam propter firmitatem, & certitudinem assensus circa res fidei, & dicat ad hanc certitudinem, & firmitatem non sufficere fidem acquisitam; imò id ita apertè probet, quomodo potest in Scoto hujus authoris cum quo agimus, & aliorum sequacium sententia fundari, dicentium (ut relata eorum verba clarius proponunt) non esse necessariam fidem infusam propter certitudinem assensus? Manifestum est ergo Scotum huic illorum sententiæ esse contrarium.

Quod si dicant fortè statim Scotum post inducta 195
verba id contra eam opposuisse. *Contra hoc ultimum sic aut intelligis quod per fidem infusam assentit quis firmiter ita quod non possit non assentire, vel dubitare de eo, cui assentit; aut quod assentit infallibiliter, id est indeceptibiliter: ita quod non decipitur in suo assensu? Si primo modo, sic etiam est de fide acquisita, quia stante fide acquisita, & dum homo assentit per eam alicui objecto, non potest dubitare, vel non assentire, aliter ab eodem objecto, & sub eadem ratione esset fides, sive adhæsio & dubitatio, & ita opposita, quod est falsum. Igitur propter firmam adhæsionem non oportet ponere fidem infusam, si secundo modo, id est indeceptibiliter adhæret, & non fallitur adhærendo per fidem infusam, potest autem falli propter adhæsionem fidei acquisitæ.*

Contra, inquit, *decipi, & non decipi non est à parte* 196
habitus, nec à parte assensus quem facit; sed ex parte objecti secundùm quod objectum, cui assentio verè vel falsò repræsentatur habitui inclinanti, sed in proposito uterque habitus inclinat naturaliter, & per modum naturæ præbet assensum, sed error in assensu est ex parte objecti sic, vel sic occurrentis, sicut habitus principiorum inclinat à parte sui naturaliter in verum, & si sit deceptio, hoc est ex objectis falsò occurrentibus, & præsentatis intellectui, ideo non est certior quantum ad non decipi fides infusa, quàm fides acquisita.

Dico tunc, ait Scotus, *quod fides infusa est propter* 197
actum primum, & propter perfectionem gradus actus secundi, quem gradum non potest habere intellectus cum fide acquisita solum, & si propter aliquam certitudinem

Digitized by Google

majorem velitis dicere ſolvatis argumentum factum, quod non. Hæc Scotus.

198 Si, inquam, dicant Scotum poſtquam docuit neceſſariam eſſe fidem infuſam propter certitudinem aſſenſus ad res fidei, ſtatim hoc argumentum ſibi oppoſuiſſe, & prædicto modo reſpondiſſe, quod ſi propter certitudinem aſſenſus velimus defendere neceſſitatem habitus fidei infuſæ reſpondeamus argumento. Dicendum eſt eis primò quod in ſolutione etiam ultimo data Scotus eorum ſententiæ contradicit, qui propter actum primum dicit neceſſariam eſſe fidem infuſam, & propter perfectionem gradus actus ſecundi, ſi autem authores, nec ob unum, nec ob aliud fidem infuſam dicunt eſſe neceſſariam, ut ex eorum aperta ſententia conſtat, ſecundò Reſpondetur quod argumentum, quod Scotus contra certitudinem fidei infuſæ, quam rectè in infuſa fide conſtituit & probat; & propter quam neceſſariam eſſe infuſam fidem rectè aſtruxit, nullius penitus momenti eſt, quia ipſi ex dictis ab ipſo Scoto facilis patet ſolutio, dicendum, ut dixit, neceſſariam eſſe fidem infuſam propter certitudinem aſſenſus, ne videlicet in illo decipiatur, ſicut efficaciter probaverat, quod fides acquiſita non poteſt indeceptibiliter ferri in objectum, quia ei poteſt ſubeſſe falſum ex parte ejus cui credit, qui eſt homo, qui falli & fallere poteſt.

199 Et ad argumentum in oppoſitum reſpondetur ex Scoto *in quodlib. quæſt.* 14. *art.* 1. §. *alia differentia*, dicendo quod fides infuſa non poteſt inclinare ad falſum, quia inclinat in objectum virtute luminis divini, cujus eſt participatio, & ita non niſi ad id inclinat, quod conforme eſt illi divino lumini. Vnde tam aſſenſus actuales, quàm habitus fidei infuſæ inquantum innituntur prædicto lumini divino non poſſunt tendere in falſum. Itaque tam ex parte objecti formalis cui aſſentitur, qui eſt Deus revelans, quod eſt medium per quod revelatis aſſentitur, quàm ex parte luminis, cui actus, ſeu habitus fidei infuſæ innititur, ipſi repugnat, quod ei poſſit falſum ſubeſſe, & quod decipi poſſit. At fides acquiſita tam ex parte objecti formalis, cui aſſentitur, quod eſt humanum teſtimonium, ut dictum eſt (aſſentitur enim quia homo, quem veracem reputat, id aſſerit) quam ex parte naturalis luminis, cui innititur, habet quod ei poſſit falſum ſubeſſe, & quod decipi poſſit, quia utrumque fallibile eſt. Quare crediderim, quod id quod Scotus habet in verbis *ſupra ex 3. ſent.* citatis reſpondendo ad argumentum, quod adverſus ſe fecerat, quæ verba in ſuſpenſo manent, cum ſic habent (ſolvatis argumentum factum quod non) hoc ipſum quod ex illo relatum eſt ex quodlibet, velit aſſerere, nempè ſolvatis argumentum factum, quod non eſt ſimile, ſcilicet de fide acquiſita, & infuſa, ut præmiſerat. Qua ratione attendens aliquis ejus diſcipulus ad hoc in margine illius loci ex 3 *ſent.* hæc verba adhibuit *vide ſolutionem in quodlibet. q.* 14 *art.* 1. *Pro hac & ſequenti dubitatione.*

200 Igitur manifeſtum eſt Scotum, tum in *ſent.* tum in *quodlib.* tenere, neceſſariam eſſe fidem infuſam propter certitudinem aſſenſus fidei, qui aliter non poteſt eſſe omnino certus, ita quod ei non poſſit ſubeſſe falſitas.

201 Clariùs idipſum proponit S. Thomas 2.2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in corpore*, & *quæſt.* 4. *art.* 5. *ad* 2. In primo enim loco docet quod nihil ſubeſt alicui potentiæ, actui, vel habitui, niſi immediatè ratione formali objecti, ſicut color videri non poteſt, niſi per lucem. Ratio autem formalis fidei eſt veritas prima; unde nihil poteſt cadere ſub fide, niſi in quantum ſtat ſub veritate prima, ſub qua nullum falſum ſtare poteſt, ſicut nec non ens eſt ſub ente, nec malum ſub veritate. Vnde relinquitur quod fidei (infuſæ ſcilicet) non poſſit ſubeſſe falſum. In ſecundo autem loco ait. *Ad ſecundum dicendum quod fides de qua Philoſophus loquitur* (ſcilicet in Æthicis, quæ eſt acquiſita) *innititur rationi humanæ non ex neceſſitate concludenti, cui poteſt ſubeſſe falſum, & ideo talis fides non eſt virtus, ſed fides de qua loquimur innititur veritati divinæ quæ eſt infallibilis, & ita non poteſt ei ſubeſſe falſum, & ideo talis fides poteſt eſſe virtus.*

Ex quibus patet ad argumentum Scoti, quod nempè deceptio in humana fide provenit ex objecto formali illius fallibili, quod eſt medium fallibile per quod aſſentitur. In fide autem divina eſt totum oppoſitum, ut dictum eſt. Nec eſt verum quod habitui primorum principiorum falſum ſubſit, quia prima principia debitè propoſita cognitis terminis infallibilia ſunt, & certò infallibiliter attinguntur ab habitu primorum principiorum. Itaque argumento Scoti, & S. Thomas, necnon ipſe Scotus reſpondent. 202

Vnum tamen diſplicet in Scoto in *citata quæſt.* 14. *quodlibetali*, quod dicit fidem acquiſitam communiter inniti aſſertioni alicujus teſtis qui poſſit deficere; ideo enim dicit, communiter, ut ſe ſtatim exponit, quia Deo immediatè revelanti poſſet quis credere credulitate acquiſita. Si enim ſenſus ſit quod poſſit quis fide acquiſita credere Deo immediatè revelanti hæc fidei myſteria, quæ nos modo Deo revelante credimus, id verum nullo modo eſt; quia ſic credere Deo immediatè revelanti eſt actus formalis fidei infuſæ, vel intellectus ſupernaturali auxilio elevati, cum ſit objectum formale fidei, ſeu medium, propter quod fides infuſa revelatis aſſentitur, ut ex dictis ſupra, & potiſſimè ex S. Thoma ſatis fuit oſtenſum; unde multo melius Scotus ipſe in 3. *diſt. citata* dixit quod revelatum, ut revelatum à Deo, eſt objectum formale infuſæ fidei; & quod fide acquiſita nullus credit alicui, niſi quem ſcit poſſe falli, & fallere ſcilicet homini; non ergo acquiſita fides credit immediatè Deo revelanti. Vnde diſcernenda ſunt attentius ea quæ Scotus aſſeruit, & accipienda quæ rectè priùs dixit, quoad hoc particulare, ſicut quoad argumentum quod adverſus ſe objecerat, melius reſpondet in *quodlibetali quæſt.* relata. 203

Si autem ſenſus ſit, quod poteſt fides acquiſita credere Deo, quando ipſe aliquid dicit, ut verum dicenti, verum eſt quod poteſt ſic fide acquiſita gentilis, vel infidelis credere, ut benè notat Cajetanus in 1. *art.* 2. 2. *quæſt.* 1. ubi hæc duo rectè diſtinguit; primum quod eſt credere Deo ſicut verum dicenti, quando ipſe aliquid dixerit, & hoc eſt commune etiam gentilibus; in hoc enim omnes conveniunt, quod quando Deus aliquid dicit, verum proponit, unde & privati lumine fidei fatentur ſe paratos credere Deo, ſi ipſe aliquid dixerit. Secundum eſt proprium fidelium, ut innitantur Deo ut revelanti articulos fidei, & hoc ſignificatur cum fatemur nos credere Deo; nec poteſt aliis convenire. Vnde infideles quidem concedunt Deum eſſe primam veritatem, & ei eſſe credendum, quando ipſe aliquid dixerit, non tamen utuntur prima veritate ut de facto revelante ea quæ fide tenemus. Poterit ergo quis Scotum intelligere, & explicare in ſecundo ſenſu loqui, non in primo itaque argumento Scoti, & S. Thomas, & ipſe Scotus reſpondent, uti facilè apparet, ex his duobus à nobis explicatis. 204

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Necessarium esse habitum fidei infusæ, ut certò, faciliter, & discretè quispiam res fidei credat, amplius probatur, potissimè ex Divo Thoma.

205 PRæter Scotum qui ut visum est, dum fatetur necessariam fidem infusam, ut firmiter, & certo quis assentiatur rebus fidei, in quo contrarius doctrinæ, cui contrariamur, existit; habemus firmiorem multóque certiorem doctrinam S. Thomæ & Scholasticorum ferè omnium, quam ex puris fontibus Sanctorum Patrum hauserunt, qui uno ore infusam fidem necessariam defendunt, ad certò ac firmiter, facilè, & discretè assentiendum catholicis veritatibus. Fuit enim hæc quasi communis doctorum consensio ad defendendum ut necessarium habitum fidei infusæ, quam tamen his temporibus ab his recentioribus videmus quasi deludi. Quod autem sic communiter Doctores senserint ex eo patet, quod relatus author contrarium sentiens hoc insinuat, cum dicit, quod id tenent Doctores multi; nec enim ausus fuit dicere omnes, ne magnæ temeritatis argueretur. Liquet etiam si Scholastici inspiciantur, qui propter illa tria vel illorum aliquod, necessariam defendunt contra Pelagianos fidem infusam. Nec oportet nunc per omnes discurrere, quia esset opus immensum: legantur omnes in 3. *dist.* 23. & 24. & quod ex his asserimus, verum esse apparebit: solùm ergo ex more ex S. Thoma hanc veritatem intendimus comprobare, & illam rationibus convincentibus satis munire.

Hæc autem necessitas ponendi habitum fidei infusæ ex triplici capite ostendenda est, ex capite certitudinis, ex capite facilitatis, & ex capite discretionis, ut nempè assensus sit certus sicut oportet, & sit facilis, & discretus sicut ad salutem oportet.

206 De primo capite, ut nempè certus sit assensus sicut oportet ad salutem, veritas debet esse indubitata sine habitu fidei vel sine supernaturali auxilio (quod dicitur propter primum actum credendi) neminem posse certò veritatibus catholicis assentiri ex certitudine quę requiritur ad salutem. Explicatur veritas discurrendo per illos tres actus fidei quos S. Thomas enumerat ex communi Theologorum sententia 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 2. qui sunt credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Certum enim est quod sine habitu fidei, vel auxilio supernaturali, quoad primum actum nullus potest certò credere in Deum, ut Sanctus Thomas ostendit *citata quæst.* 2. *art.* 2. quia credere in Deum dicit tendentiam intellectus ut moti à voluntate in ipsum Deum tanquam in finem. Non potest autem homo sola sua natura in Deum tendere, sicut in finem supernaturalem, ut notum est.

207 De secundo actu, qui est credere Deo, copiosè supra præcedenti disputatione probatum fuit neminem posse certò credere Deo dicenti seu revelanti, ea ratione qua revelat & dicit mysteria fidei, quæ per Ecclesiam proponit sicut per causam ministerialem, sine auxilio supernaturali; quoad primum actum; & sine habitu infusæ fidei quoad reliquos subsequentes. Quia hic actus attingit objectum formale fidei, quod est veritas prima, cui assentitur, & propter quam sicut ob rationem formalem, & medium omnibus alijs fidei mysterijs assensum præbet, ut Sanctus Thomas exponit *citato art.* 2. Cum autem sit hic actus formalis Christianæ fidei, vel ab habitu fidei infusæ elicitur, vel ab auxilio supernaturali, quo actu dispositivè ipsa fides infunditur à Deo in ratione habitus.

Tertius autem actus, qui est credere Deum, quod 208
attinet ad objectum materiale fidei, ut explicat S. Thomas *cit. quæst.* 2. *art.* 2. cum nihil credat fides nisi Deum, vel aliquid in ordine ad Deum, quamvis alicui fortè videatur quod possit sola facultate naturæ ab homine haberi, non tamen ita est, quia nec homo certò potest credere Deum esse, sicuti revera est; solis viribus suis sine habitu fidei; vel sine supernaturali auxilio quoad primum actum credendi Deum. Hoc habetur ex Sancto Thoma 2. 2. *citata quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 2. dicens. *Quod credere Deum non convenit infidelibus, sub ratione qua ponitur actus fidei. Non enim credunt Deum esse sub his conditionibus quas fides determinat: & ideo nec vere Deum credunt, quia ut Philosophus dixit* 9. *Met. in simplicibus defectus cognitionis est solùm in non attingendo totaliter.* Ecce nec certo infideles credunt Deum esse sicuti est, sed sicuti ipsi sibi confingunt: ergo ad certò credendum verè Deum esse necessaria fides est, vel pro primo actu auxilium supernaturale, per auxilium autem actuale requisitum ad primum actum credendi potius intelligimus eamdem infusionem habitus fidei, quam aliud actuale auxilium ab ipsa infusione habitus fidei realiter distinctum, prout plenius *libro* 3. agentes de contritione, & dilectione Dei de infusione justificationis explicavimus.

Præterea, certitudo quæ requiritur in fide, ut sit 209
prout ad salutem oportet, debet in se supernaturalis esse à principio supernaturali elicita, debet esse talis, ut ei falsum subesse non possit, ut dictum est, debet firmiter adhærere omnibus revelatis, ut revelata sunt, & quia à Deo revelata fuere: sed hæc sola naturæ facultate haberi nequit, quia omnis talis naturalis utpote à principio naturali elicita fallibilis est, ut fuit ostensum ex Sancto Thoma & Scoto, & ratione convictum. & nunquam attingere potest revelatum ut revelatum, & quia fuit à Deo revelatum, ut in superioribus plenius manet patefactum: ergo talis certitudo quæcumque illa sit, non sit prout ad salutem oportet.

Ad hæc S. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 4. Quod & 210
prius dixerat in 3. *dist.* 24. *art.* 3. *quæst.* 1. & *quæst.* 24. *de verit.* & *primo contra gent. cap.* 4. expresè docet necessariam esse infusam fidem, nedum respectu rerum quæ de Deo sunt excedentium totam naturæ facultatem, verùm etiam comparatione eorum, quæ de Deo per rationem cognosci possunt: & hoc inter rationes alias propter certitudinem probat. *Ratio*, inquit, *humana in divinis est multum deficiens: cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multa erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt: ut ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur: quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest.* Hæc Sanctus Thomas, si ergo necessaria fides infusa est propter certitudinem, etiam ad certò cognoscenda ea quæ ratio naturalis de Deo investigare potest: quantò magis secundùm Sanctum Thomam necessaria illa erit ad cognoscenda illa, quæ in Deo totam naturam & rationem excedunt? Si ratio humana multum deficiens est ad cognoscendum ea quæ de Deo eadem humana ratio investigare potest: quantò magis erit deficiens ad tenendum ea, quæ exsuperant totam illius naturalem potentiam, & facultatem? unde idem sanctissimus Doctor, postquam *in libro primo contra gentes cap.* 4. expo-

suit,

Digitized by Google

fuit, quomodo plerumque inveſtigationi rationis humanæ circa ea, quæ de Deo ratio naturalis poteſt demonſtrare falſitas immiſcetur, quæ tollit veram certitudinem, concludit in hæc verba. *Et ideo oportuit per viam fidei fixa certitudine ipſam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.*

211 Poſtremò, ipſe Sanctus Thomas ubique agens de fide, ſignanter 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 8. clarè dicit, quod fides certior eſt abſolutè atque ſimpliciter virtutibus intellectualibus, ſcilicet, ſapientia, ſcientia, & intellectu; quia habet majorem cauſam certitudinis, cum innitatur veritati divinæ, quæ eſt ſuprema cauſa certitudinis: ergo hæc propria & magna fidei certitudo, ſicut fidei intrinſeca eſt, quæ fides eſt neceſſaria ad ſalutem, ita & ipſa intrinſeca ejus certitudo ad ſalutem neceſſaria eſt, & propter hanc majorem certitudinem ipſa fides infuſa erit neceſſaria.

212 Sed adverſus hanc concluſionem objici poteſt ex eodem Sancto Thoma *quodlibet.* 6. *art.* 6. dicente quod certitudo adhæſionis non eſt propria virtutis fidei; atque docente, quod ſi quis eam ut propriam virtuti fidei velit tribuere, cum alijs ſit communis, neceſſe erit quod decipiatur. Si igitur certitudo adhæſionis non eſt propria virtuti fidei, ſed alijs convenit: ergo non erit neceſſaria virtus fidei propter talem certitudinem adhæſionis.

Ad hoc reſpondetur verum eſſe non omnem certitudinem adhæſionis eſſe propriam virtuti fidei; ita quod nulla alia detur firma adhęſio niſi per fidē: Primò quia communis eſt certitudo adhęſionis virtutibus intellectualibus. Secundò quia certitudo inhæſionis non ſemper provenit ab aliquo habitu ſed ex proprio arbitrio poteſt quis firmare aſſenſum ad aliquod verum, vel falſum. Tertiò quia certitudo inhæſionis convenit non ſolum fidei veræ, ſed etiam falſæ, ut in hæretico; non enim minus firmiter aliquis inhæret falſitati, quam veritati. Quartò quia convenit fidei informi, quæ virtus non eſt; quæ quatuor Sanctus Thomas adhibet *cit. quodlibeto & art.* & ob ea docet non eſſe proprium virtutis fidei certitudinem adhæſionis. Quamvis autem non omnis certitudo adhæſionis propria fidei ſit: aliqua tamen infuſæ fidei (non diſcernendo modo à formata, & informi, quia iſta diſtinctio noſtrum negotium non tangit) eſt propria quæ nulli alteri competit, quod Sanctus Thomas ibi non negat: ob quam certitudinem ipſa infuſa fides eſt neceſſaria. Nam hæc illius propria certitudo eſt major abſolutè, quam illa quæ eſt in tribus virtutibus intellectualibus, ut dictum eſt, & à fortiori eſt multò major quàm quælibet quam poteſt habere potentia ſine habitu; & ex conſequenti multò major eſt illa, quàm vel opinio, vel falſa fides poteſt habere in hæretico. Et propter hanc magnam certitudinem fides eſt neceſſaria. Etenim de rebus fidei non poſſunt eſſe virtutes intellectuales, quæ valdè certæ ſunt: ſolum ergo erit de rebus fidei, vel ſola potentia intellectiva, vel opinio, aut falſa fides in hæretico. Hæc autem duplex certitudo non ſufficit ad credendum rebus fidei ea certitudine quæ neceſſaria eſt ad ſalutem: ut eſt apertiſſimum; utrique enim poteſt ſubeſſe falſum, cum utraque innitatur fallibili regulæ, ſcilicet vel proprio judicio fallibili, vel proptiæ opinioni, vel falſæ fidei; ſed certitudo qua aſſentiri debemus rebus fidei, & quę eſt neceſſaria ad ſalutē, talis debet eſſe, quod ei non poſſit falſum ſubeſſe: ergo certitudo fidei eſt neceſſaria ut credamus prout expedit ad ſalutem: ego fides infuſa eſt neceſſaria propter hanc certitudinem. Vnde idem S. Thomas ita concludit *citata quæſt.* 4. *in* 2. 2. *art.* 8. *ad* 2. *Multò magis homo certior eſt de eo quod audit à Deo, qui falli nequaquam poteſt, quam de eo quod videt propria ratione, quæ falli poteſt.*

Concludendum eſt ergo cum Capreolo, quod 213
author relatus cum quo iſta tractamus, cum negat neceſſariam eſſe fidem infuſam propter certitudinem, magna ex parte neceſſitatem infuſæ fidei de medio aufert. Vnum enim ex potiſſimis, ob quæ neceſſaria fides infuſa huc uſque à Catholicis defenditur & ſuſtinetur, eſt maxima certitudo, cui fides innititur, innitendo Deo revelanti, & qua res fidei attingit: hæc autem à ſola fide poteſt provenire, non autem à cauſa alia naturali.

Circa ſecundum caput neceſſitatis fidei infuſæ, 214
dicendum eſt, illam eſſe neceſſariam; ut facilè quis aſſenſum præbeat rebus fidei, & ut uno contextu conjungamus & caput tertium, dicendum incunctanter eſt, illam eſſe neceſſariam, ut quis diſcretè rebus fidei aſſentiat. Veritatem hanc S. Thomas cum communi Scolaſticorum doctrina, potiſſimè cum ſententia omnium diſcipulorum ſuorum: ipſe manifeſtè proponit primò in 3. *ſent. diſt.* 23. *qu.* 3. *art.* 2. In hæc vrrba. *Habitus ad hoc ſunt neceſſarij, ut potentia, qua per naturam non ſunt determinata ad actum perfectum, determinentur per habitum; contingit autem quandoque quod inferior potentia non eſt determinata ad illum actum perfectum, ſed ſuperior potentia determinatur ad ipſum: ſicut concupiſcibilis non eſt determinata ad tenendum medium in delectationibus ex natura propria, ſed ratio determinatur per naturam ſuam ad illud, & ideo habitus temperantiæ acquiritur in concupiſcibili ex vi ſuperioris potentiæ. Nulla autem potentia ſecundùm ſuam naturam determinatur ad illa quæ ſunt ſupra naturam rationis humanæ, quorum eſt fides. Et ideo ad hunc actum indigemus habitu qui non eſt acquiſitus: qui quidem in duobus nos adjuvat: In hoc ſcilicet quod intellectum facit facilem ad credendum contra duritiam, & diſcretum ad refutandum non credenda contra errorem.* Hæc Sanctus Thomas.

Deinde in *art.* 3. ſic habet: *Habitus fidei infuſus* 215
in duobus nos adjuvat, ſcilicet ut credamus quæ credenda ſunt, & ut eis quæ non ſunt credenda, nullo modo aſſentiamur. Primum autem poteſt homo ex ipſa æſtimatione ſine habitu infuſo, ſed ſecundum, ſcilicet ut diſcretè in hæc & non in illa inclinetur, habet ex habitu infuſo tantùm. Quæ quidem diſcretio eſt ſecundum quam non credimus omni ſpiritui, quæ quia in hæretico non eſt, conſtat, quod habitus fidei in ipſo non manet: & ſi aliqua credenda credat, hoc eſt ex ratione humana, ſi enim habitu fidei ad hæc credenda inclinaretur, contraria fidei reputaret: ſicut omnis habitus renititur eis, quæ ſunt contra illum habitum. Hæc iterum Sanctus Thomas. Ex quibus conſtat docuiſſe Sanctum Thomam, fidem infuſam eſſe neceſſariam ad determinandum intellectum in res fidei, præbendo ei facilitatem contra illius duritiam, & diſcretionem contra errores fidei oppoſitos. In quibus duobus etiam certitudinem includit: ita enim facilè & diſcretè facit aſſentire quod certò aſſentiri facit, hoc enim in illis duobus invenirur. Cum autem ait quod poteſt homo ex æſtimatione credere, quæ credenda ſunt, intelligit quod eis materialiter & imperfectè aſſentiatur, non ut revelatis, ut ſæpius dictum eſt. Similiter cum ait quod ſolus habitus fidei facit aſſentire diſcretè, ſumit ſolum habitum, contra omne naturale aliud principium, non autem excludit auxilium ſupernaturale; quo Deus facit diſcretè primum actum fidei haberi ab homine.

Tertiò idem docet *quæſt.* 14. *de verit. art.* 11. *ad* 216
2. dicens. *Quod ille qui non credit explicitè omnes articulos poteſt omnes errores vitare, quia ex habitu fidei retardatur ne conſentiat contrarijs articulorum, quos*

Digitized by Google

quos solùm implicitè novit, ut scilicet cum sibi proponuntur, quasi insolita, suspecta habeat & assensum differat quoad usque instruatur per eum cujus est dubia in fide determinare. Idem quartò confirmat *citata quæst. 14. de verit. art. 10. ad 10.* dicens, *fidei enim habitus hanc efficaciam habet, ut per ipsum intellectus fidelis detineatur, ne contrariis fidei assentiat: sicut & castitas refrenat à contrariis castitati.*

217 Ex quibus redditur manifestum, perpetuum esse S. Thomam in hac sententia, quod habitus fidei sit necessarius ut homo certò certitudine quæ est necessaria ad salutem assentiatur rebus fidei, & ut facilè credat contra intellectus duritiem, & discretè contra intellectus errores, quæ tria in Hæretico non inveniuntur. Vnde absurdè author iste citatus, ad infringendam hanc doctrinam, exemplum inducit de Hæretico, ut ampliùs infrà erit convincendum; nec in tam patenti, & clara doctrina S. Thomæ, quæ proculdubio communis est scholasticis cæteris, alios oportet inducere, quia non in omnibus æqualiter detinendum est, ut opus possit terminari.

CAPVT XV.

Rationibus probatur habitum fidei infusæ necessarium esse ad certò, facilè, & discretè assentiendum rebus fidei.

218 NOn etiam rationes desunt, quæ convincant necessariam esse fidem infusam ad illa tria, nimirum ad certò credendum firmitate debita, ad facilè assentiendum contra intellectus duritiem, & ad discretè contra intellectus errorem quorum singula brevissimè, sed efficacissimè probantur. Necessitatem enim fidei infusæ propter certitudinem: hæc ratio ostendit, quæ & superiùs est tacta, & modò magis roboratur. Aliqua certitudo est necessaria ex parte credentis, ut credens assentiat rebus fidei, prout ad salutem oportet; sed quælibet alia certitudo à qualibet alia naturali causa proveniens non sufficit ex parte credentis ad certò assentiendum rebus fidei sicut oportet: ergo necessaria est fides infusa, vel saltem pro primo actu credendi supernaturale divinum auxilium ex parte credentis ad certò credendum rebus fidei prout oportet. Consequentia manifesta est, & antecedens probatur: quælibet alia certitudo à qualibet naturali causa dimanans non est omninò certa, sed ei falsum subesse potest: ergo quælibet talis non est sufficiens ex parte credentis ad credendum prout oportet. Probatur antecedens, quia quælibet talis certitudo, nec est evidens ex se, sicut sunt evidentia principia per se nota, nec in alio, & ex alio, sicut est evidentia scientiarum: ergo est certitudo fidei acquisitæ, vel alterius causæ, quæ non evidenter intellectum convincit: ergo ei potest falsum subesse. Antecedens primum cum secunda consequentia nota sunt, & secunda consequentia probatur: quia omni certitudini naturali, quæ non est evidens, potest falsum subesse, cum ex necessitate innitatur fallibili regulæ, & testimonio fallibili.

219 Quod autem ista non sufficiat ex parte credentis ad credendum rebus fidei prout oportet, patet; quia certitudo ex parte credentis, quæ debetur rebus fidei, talis debet esse, quod ei nulla ratione falsum possit subesse; si enim ei falsum subesse posset, non esset certitudo virtutis. Constat autem quod certitudo requisita pro credendis rebus fidei, debet esse certitudo virtutis. Quomodo enim esset certitudo, prout ad salutem oportet, & non esset certitudo virtutis? Certitudo autem cui falsum potest subesse, non est certitudo virtutis. Hac enim ratione Aristoteles *lib. 6. Etich. cap. 3.* excludit fidem acquisitam à virtutibus intellectualibus, quod refert, & approbat S. Thomas *ibi*, & *2. 2. quæst. 4. art. 5. ad 2.* Et eadem ratione à ratione virtutis multò magis excluditur opinio, magisque falsa & perversa fides. Igitur nulla talis certitudo est sufficiens ad credendum prout oportet.

220 Confirmatur. Nam certitudo, quæ est necessaria ex parte credentis ad credendum prout oportet, talis & tanta debet esse, ac talem causam debet habere certitudinis suæ, ut per illam sit credens paratus ad negandam potiùs omnium scientiam, & visionem, quam ad negandam fidem, & virtuosè ac prudentissimè potiùs illas negaret quam fidem, ut communiter Theologi dicunt; sed nulla certitudo proveniés à fide acquisita, vel ex pura potentia, vel opinione, vel falsa fide potest ex se habere talem causam certitudinis suæ, ut paratus sit credens potiùs negare omnem scientiam & visionem, quam illam, ut est satis notum: ergo cum omnis talis certitudo multò inferior sit quàm certitudo scientiæ & visionis, nulla talis certitudo sufficiens est ex parte credentis ad assentiendum rebus fidei sicut oportet. Quod si Hæreticus inducatur, qui non solùm rebus fidei, quas non negat, verum erroribus suis sic firmiter adhæret, quod & ipse paratus est negare omnem scientiam, atque visionem. Respondetur quod id non ex virtute, & prudentia facit, sed imprudentissimè, & ex pertinacia: unde multò minus illius certitudo potest esse sufficiens ex parte credentis ad credendum rebus fidei prout ad salutem oportet. Vnde non apparet quare relatus Author ad probandum non esse necessariam fidem infusam ad certò assentiendum rebus fidei induxerit, quod Hæreticus potest certiùs assentiri & erroribus suis, & rebus fidei quas non negat, quàm fidelis fide infusa assentiatur Catholicis veritatibus; id enim ad quid inducit? An putat Hæretici certitudinem esse prout ad salutem oportet? Hoc certè ipse non dicit. Ad quid ergo hoc exemplum inducit? In hoc ergo contra illum instamus, ut assignet aliquam certitudinem, quæ ex parte credentis sit circa res fidei prout ad salutem oportet, & tamen possit ab aliqua causa naturali provenire. Cum sit indubitatum quod ex parte credentis aliqua certitudo sit necessaria, ut assensus ille sit certus ex parte sua prout ad salutem oportet.

221 Circa facilitatem verò ob quam fides infusa est necessaria ut facilè intellectus cótra suam duritiem assentiat rebus fidei, id S. Thomas *citatis locis in primo testimonio* probavit: ex quo & ratio formatur. Habitus ad hoc sunt necessarij, ut potentiæ quæ non sunt ex seipsis determinatæ ad actus perfectos, per habitum determinentur; sed intellectus humanus non est ex natura sua determinatus ad hunc perfectum actum, qui est certò assentiri omnibus rebus fidei: ergo ei est necessarius habitus fidei, ut per illum ad talem perfectum actum determinétur. Major satis nota est ex 1. 2. in materia de habitibus. Vnde dicuntur communiter à Theologis habitus determinationes potentiarum. Minor etiam nota est, quia ille actus est circa ea quæ totam rationem, & naturam excedunt, quia est circa supernaturalia objecta; sed nec intellectus, nec alia potentia naturalis ex se determinatur in ea quæ sunt supra naturam rationis humanæ: ergo intellectus humanus non est ex natura sua determinatus ad hunc perfectum assensum, qui est certò assentiri rebus fidei. Hæc autem determinatio potentiæ per habitum, quid aliud est quam facilitas & promptitudo;

Digitized by Google

tudo : qua facilè inclinatur potentia in actum, ad quem alias difficilè, & cum duritiâ utcumque inclinaretur ? absque dubio facilitas, & promptitudo, ex habitu provenit, secundùm quod communiter dicitur : quod habitus facit habilem, seu facilem, seu promptum : cum ergo etiam respectu operationum naturalium, quas utrumque & cum duritia posset sola potentia habere, necessarios habitus omnis Philosophia constituat, atque defendat ; ut per illos facilè & promptè potentia in illas actiones inclinetur, quomodo hoc ipsum non multò magis defendendum est à Theologo esse necessarium circa res supernaturales ad quas intellectus inclinationem non habet ? aut quomodo potest negari necessarium esse habitum fidei supernaturalis ad hoc quod facilè intellectus, ac promptè & sine duritia rebus supernaturalibus, quas non videt, assensum præbeat ? Imò non solùm facilitatem tribuit habitus fidei, qui est communis habitus, sed quia talis habitus est in ordine ad superexcedens objectum, qui propterea habet rationem nedum habitus sed potentiæ, est necessarius, nedum ad facilè, sed ad simpliciter, ut suo loco Theologi diffiniunt. Et tamen contra omnes modò audimus ad utrumque habitum fidei negari, ut necessarium simpliciter ad credendum rebus fidei, & ad præstandam facilitatem contra intellectus duritiem ; quia à supradicto authore ponitur, & posse simpliciter intellectum sine habitu, vel alio quolibet supernaturali auxilio assentiri revelatis, ut revelatis, & quod magis est, facilè eis assentiri contra suam duritiem, quia difficilè inclinatur potissimè in res quas non videt ; unde & captivus dicitur cum eis assentitur, quia tunc tenetur quasi terminis alienis.

212 Quod si recurrat supradictus Author ad propriam voluntatem, quæ potest movere intellectum, ut assentiatur : Dicendum quod si intellectus non esset dispositus per habitum, repugnaret assentiri rebus quas non videt, unde divisivè ad minus assentiretur ex imperio voluntatis etiam materialiter rebus illis. Vnde ideò habitus in ipso ponitur, ut ex imperio voluntatis revelatis ut revelatis assentiat, & facilè contra suam duritiem. Si verò rursus ad fidem acquisitam confugiat, ut hanc intellectui tribuat facilitatem contra suam duritiem ; jam hoc impugnatum manet ex ratione Sancti Thomæ simul cum illius authoritate citata, ubi hanc præscindens evasionem expressè negavit, habitum tribuentem hanc facilitatem intellectui circa credenda esse habitum fidei acquisitæ. Et meritò hoc expressè negavit, quia non potest acquisitus habitus, cum sit naturalis, facilitare intellectum, & promptum reddere ad ea quæ totam naturam, & rationem excedunt : excedunt enim & ipsum acquisitum habitum ; unde per ipsum facilitas & promptitudo in talia esse nulla ratione potest.

223 Tertium punctum, nimirum necessarium esse habitum fidei infusæ, ut discretè quis assentiatur rebus fidei, cæteris omnibus clariùs est : in quo proindè ipse Sanctus Doctor (ut ex relatis testimoniis patet) magis instat. Nec præter allata à Sancto Doctore aliud videtur, vel dicendum, aut clariùs explicandum, cum clarissimè id Sanctus Doctor convincat. Manifestum est enim proprium esse omni habitui virtutis ita inclinare in actus respectu sui objecti, ut contrarietur contrariis actibus tendentibus in contrarium objectum, ut patet discurrendo per habitus virtutum omnium : Charitas in dilectionem Dei & proximi inclinatur, & oppositum odium Dei, & proximi refugit : Castitas ita in bonum virtutis inclinat ut contrariis actibus resistat. Igitur proprium erit virtutis fidei ita inclinare ad credendum omnibus mysterijs fidei, quod retardat, imo contradicit oppositis erroribus ; & in tantum hæc discretio, quæ discernit fidei habitus inter Catholicas veritates quas amplectitur, & errores quibus contradicit, est propria habitui fidei, ut etiam respectu eorum mysteriorũ, quæ non sunt credenti expressè proposita & explicata, asserat S. Thomas, quod si fideli habenti habitũ fidei aliquid proponitur contrarium mysterio alicui, quod ipsi expressè propositum non fuit, statim intellectus credentis resiliat & suspectam habeat talem propositionem ex habitu fidei retardante intellectum illius, ne assensum præbeat, quia credit fidelis per talem habitum discretè ; verbi gratia sit fidelis, cui mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & Eucharistiæ à principio explicata sunt expressè, & ex Dei dono credidit, ut ad salutem oportet, & habitum habeat fidei infusum : Si ei proponatur in Christo Domino duas esse personas, vel in ipso unam tantùm voluntatem esse, & operationem unam, ab aliquo, vel ignorante, vel decipiente, statim fidelis ille, etiam si aliàs ignorantissimus sit, & suadens errorem discretissimus, ille assentire resistet, ex habitu fidei quo discretè inclinatur in veritates Catholicas, & discernit contra intellectus errores.

Hanc discretionem solùm habet habitus fidei, 224
nec per naturam potest haberi in aliquo. Vnde hæreticus articulis, quos negat, non assentitur discretè, cum non discernat inter veritates Catholicas, & errores, sed promiscuè utrisque sicut veris assensum præbeat & propterea à Sancto Thoma dicta est illius fides etiam, qua assentitur mysterijs non negatis, fides falsa, atque perversa. Ex duplici enim capite falsa probatur. Primò quia assentitur aliquibus mysterijs fidei, cum negatione alicujus alterius fidei mysterij, quæ falsa fides est. Secundò quia assentitur indiscretè, nimirum, & Catholicis veritatibus, & simul erroribus alijs, unde in hujusmodi hominibus per hæresim ab Ecclesia separatis mors quam sustinerent pro veris articulis, seu vero articulo quos vel quem non negat, non esset martyrium ; ut docet S. Pater Augustinus *libro de patientia cap.* 26. & 27. Vbi patientiam hujusmodi horum, & sic morientium pro illa veritate quam non negant, utpote si pro Christo non negando hæreticus moreretur, licet dicat laudabilem, imò addat fortitudinem illam esse Dei donum ; asserit tamen non esse ex istis donis, quæ sunt propria filiorum, sed ex his quæ seriùs communicantur ; ex quo fit manifestum talem mortem non esse martyrium : quia martyrium donum filiorum est infallibiliter ad hæreditatem filiorum perducens ; at illam mortem hominem illum non perducere ad hæreditatem filiorum, id est, gloriam, notum est, quia sine fide impossibile est placere Deo ; ille autem cum hæreticus sit, fidem non habet. Rursus ille charitatem non habet, cum fide careat : unde de illo potissimè verificatur, quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* De qua ratione videatur S. P. Augustinus *libro 4. de Baptismo cap. 7.* & Cyprianus *lib. de unitate Ecclesiæ* dicens, *maculam hæresis, nec sanguine ablui :* Et iterum *inexpiabilis culpa, nec passione purgatur,* & *Epistola 73. Hæretico nec Baptisma publicæ confessionis, & sanguinis proficere ad salutem potest.* Videatur etiam 3. Chrysost. *homil. 1. ad Ephesios in parte morali, in principio*, ubi hæc verba habet : *Nam dic mihi, quamnam ob causam es martyr ? An non propter Christi gloriam, qui pro Christo animam prodigisti ? Quid populatis Ecclesiam pro qua Christus suam profudit animam.*

Ratio autem manifesta est, & sicut generalis ita 225
verissima,

Digitized by Google

verissima : quia extra Ecclesiam non est salus, ut est axioma commune Sanctorum Patrum : ergo extra Ecclesiam verum martyrium non est ; quia verum martyrium à salute non separatur. Quare Fulgentius *de fide ad Petrum cap.* 37. 38. & 39. Et S. P. Augustinus *Epist.* 204. ita concludit. *Foris ab Ecclesia constitutus, & separatus à compage unitatis, & vinculo charitatis æterno supplicio punieris etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.* Quia ergo iste fidei habitum non habet, quo certò, infallibiliter, & discretè rebus assentiatur divinis, etiam mori pro Christo illi non prodest : ut hinc necessitas habitus supernaturalis fidei ad discretè & infallibiliter assentiendum rebus fidei convincatur.

226 Præterea, si habitus infusæ fidei non est necessarius ut certò quis ex parte credentis assentiatur rebus fidei ; nec ut facile contra intellectus duritiem ; nec ut discretè contra intellectus errorem, ut iste author contendit : cum rursus necessarius non ponatur ab ipso reipsa, & veritate, sed sola voce, ut actus assentiendi sit necessarius, & prout ad salutem oportet, & de hoc prædictus author convincatur, convincitur quod totaliter, & omni ex parte negat necessariam infusam fidem ad credendum prout oportet ad salutem, sed sufficere solam naturæ facultatem : quod esse apertè errorem Pelagianum omnes norunt. Probatur & explicatur non poni ab ipso reipsa necessarium habitum fidei ut actus credendi sit supernaturalis, & prout oportet ad salutem ; sed præcisè solis verbis id affirmari.

227 Probatur id quidem primò ratione non semel inducta ab alio ejusdem familiæ authore in opusculis suis, qui rectè dixit, quod si actus fidei, & aliarum virtutum infusarum ponatur in substantia naturalis, & solùm quoad modum supernaturalis, *ille modus nihil est quod à potentia fiat in actu* ; & sic Concilia, quæ necessitatem requirunt gratiæ in hujusmodi operibus, enervantur. Hæc illius authoris vera doctrina est. Quia ab arbitrio solùm in illa sententia ponitur elici assensus naturalis, à gratia autem supernaturalitas ; quasi ipsa gratia desuper vestiat actum naturalem ab arbitrio elicitum supernaturalitate, ad modum quo vestis circumtegit hominis substantiam. Ergo illa supernaturalitas nihil est in actu quod fiat à potentia vitali : & sic habebit actus vitalis aliquid quod sibi à potentia vitali non sit, nec media illa, nec per illam, sed aliunde, quod nec intelligibile est : de quo infra plura dicenda sunt & explicanda. Doctrina igitur hujus authoris proculdubio vera, pro majori supposita, subsumamus ; sed hic author, cum quo nunc agimus, expressè defendit actum fidei, & virtutum esse naturalem quoad substantiam, & supernaturalem quoad modum ; ut supra ex ipso ostensum fuit : Ergo in illius sententia ilie modus supernaturalis nihil est prorsus, quod ab intellectu producatur in actu, quo assentitur revelatis : ergo nec est re vera aliqua supernaturalitas in actu tali, quia quidquid actus vitalis habet, habet à potentia, & per illam, nihilque potest habere, quod sibi per potentiam, à qua elicitur, non tribuatur ; ergo tota supernaturalitas, quæ à Concilijs requiritur in actu, reipsa negatur, & Concilia enervantur.

228 Secundò id clariùs convincitur ratione jam facta supra : supernaturalitas actus credendi ideò necessaria est in illo, ut per eam elevata potentia attingere valeat objectum formale fidei, quod supernaturale est, totam excedens intellectus naturalem facultatem ; adhoc enim tantùm esse necessariam supernaturalitatem in actu credendi : & Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. clariùs ostendit, & omnes Theologi id uno ore concedunt : quia manifestum est quod si naturalis facultas intellectus, sive cujuslibet alterius potentiæ posset per se solam objectum supernaturale formaliter attingere, in ipsumque ut sic ferri, non simpliciter indigeret, vel ipsa, vel actus eius supernaturalitate aliqua, sed tantum ad summum, ad faciliùs, seu ad melius, quod mirum est si quis neget ; sed author cùm quo tractamus expressè ponit quod intellectus sola sua naturali facultate per suum assensum merè naturalem attingit supernaturale objectum fidei, quatenus supernaturale objectum fidei est ; ergo supernaturalitas, quam postmodum in tali assensu requirit, ut actus ille sit supernaturalis, & prout oportet ad salutem, solùm verbis astruitur simpliciter necessaria, & solùm ponitur ad meliùs & ad faciliùs, quæ est illa antiqua in Pelagianis damnata sententia.

Minor in qua tota gravitas hujus doctrinæ consistit satis præcedenti disputatione probata manet : In qua pluries ostensum fuit per assensum naturalem poni ab illo authore attingi revelatum, ut à Deo revelatum, & quia ab ipso revelatum est : quod est supernaturale objectum fidei formaliter tentum, ut specificatio illa cum causali adjuncta etiam inscijs evidentius ostendit. Concluditur igitur negari ab hoc authore totaliter & omni ex parte habitum fidei infusæ esse simpliciter necessarium ad credendum prout ad salutem oportet ; quia necessarius non est, ut expressè ait, ut certò quis rebus fidei assensum præbeat ; nec ut facilè actum credendi eliciat contra intellectus duritiem ; nec ut discretè contra intellectus errorem ; nec rursus ut actus sit supernaturalis, & ut expedit ad salutem, ut clariùs ex ipsius verbis, & sententia convincitur. Ergo nullo modo ponitur simpliciter necessarius ad credendum prout ad salutem oportet. 229

CAPUT XVI.

Non esse ponendam acquisitam fidem ut necessariam ad fidem infusam.

EX dictis non erit difficile aliam solvere quæstionem quæ tangitur à Scoto *in* 2. *dist.* 22. An tandem resolvatur infusa fides in fidem acquisitam? pro qua argumenta prius formavit, nec solvit, sed in hac re dubius mansit, ut ex ejus litera constat, & Cajetanus advertit *ad art.* 1. *quæst.* 4. in 2. 2. Idem tenuit Gabriel qui fidem resolvunt in fidem acquisitam de revelatione credibilium : & de propositione infallibili Ecclesiæ : & de veritate ipsorum credendorum. Durandus autem fidem infusam resolvit in fidem acquisitam de infallibili propositione Ecclesiæ. Sed his temporibus recentiores Theologi idem sine ambiguitate tradiderunt : ut de ipso authore cum quo disputamus patet, & de alio ejusdem familiæ *in comment. ad* 1. *part. disput.* 1. *num.* 10. §. *dicet aliquis*, cujus & ibi verba sunt. *Respondemus etiam acquisitam* (scilicet fidem) *esse necessariam quia ut ostendemus* 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 1. *sine illa non habetur infusa, ad hanc enim fides acquisita est conditio necessaria.* Qui tamen non explicat quomodo sit necessaria ut conditio, ut nempe in illam ultimatè fides infusa resolvatur, sed alibi habitum nostræ Theologiæ in fidem acquisitam resolvit. Sed quia ipse commentaria in 2. 2. non scripsit, hanc sententiam ejus ex parte alius explicavit *in suis commentarijs* ad 2. 2. *quæst.* 1. *disput.* 1. *punct.* 1. §. 8. 9. & 10. Vbi agens de motivis quibus homines inducuntur ad credendum, inquirit, utrum perceptis motivis opus sit assensum fidei acquisitæ veritati- 230

Digitized by Google

bus fidei actu præbere, priusquam eisdem assensum fidei infusæ supernaturalis præbeat : Et respondet. *Communiter quidem ita existimo accidere id quod Doctores aliqui, quos postea citabo, animadvertisse videntur. Caterum quod hoc necessarium sit non video : Nam cum fides supernaturalis possit cum auxilio divino, quod præsto est in instanti adhiberi veritatibus fidei, non repugnat primum assensum quem quis elicit circa veritates fidei, perceptis eorum motivis esse supernaturalem, & fidei infusæ.* Sed paulopost in sexta conclusione ait. *Quamvis, ut dictum est, non omnes in illud motivum ultimò resolvant hoc quod est se acceptasse fidem supernaturalem : omnes tamen ad id moventur per aliquam fidem acquisitam de revelatione credibilium, & de infallibili propositione Ecclesiæ.* Rursus etiam addit, quod Doctores qui dicunt fidem infusam ultimo resolvi in fidem acquisitam : si intelligant de causa ipsius fidei secundum se, ita ut ideò credat Deum esse trinum & unum, quia Deus revelavit, & ideo credat Deum revelasse, quia fide acquisita hoc tenet, illi non sunt audiendi ; si autem sit sermo de causa quare acceptaverit talem fidem, tunc potest bene respondere, quia fide acquisita credit motivo tali vel tali, quod prudenter poterat quemlibet inducere ad credendum. Itaque resolvit & ipse quæstionem quare quis amplexatus fuerit fidem in fidem acquisitam, sed non in illam quæ est vel de revelatione credendorum, vel de infallibili propositione Ecclesiæ, vel de veritate articulorum fidei, sed in fidem acquisitam, qua quis hoc vel illo motivo fidem voluit adhibere. Et hæc est illius sententia.

231 Quæ duo Authoris hujus dicta non multùm sibi cohærere videntur ; si enim ut prioribus verbis asseruit, non est semper necessaria fides acquisita ut sit infusa : ergo non omnes qui fidem suscipiunt ad id moventur per acquisitam fidem : si enim omnes qui credunt, priùs moventur acquisita fide : ergo semper est necessarium ut illa acquisita fides præcedat infusam.

232 At contra has omnes sententias constanter asserimus nullo modo certitudinem infusæ fidei posse resolvi in fidem acquisitam, quam quis habeat vel de revelatione credendorum, vel de infallibili propositione Ecclesiæ, vel de veritate articulorum fidei (ut antiquiores citati authores posuerunt fidem acquisitam quæ sit necessaria conditio ut infusa habeatur) ; nec in aliam acquisitam, qua quis huic vel illi motivo voluit assentiri (ut posteriores relati æstimaverunt) omnes enim isti modi dicendi veræ doctrinæ, quæ de Catholica seu infusa fide habenda est, adversantur, ipsique infusæ fidei, & ejus infallibili veritati qua nititur, contrarij sunt, sed specialiter in duobus turpiter errant : Primò quia certitudinem infallibilem Catholicæ fidei ultimatè in humanum testimonium fallibile reducunt. Secundò quod assentiri posse hominem dicunt huic veritati, *Ecclesia veraciter est proponens*, per fidem acquisitam ; vel huic, *Deus est revelans* ; vel huic, *articuli fidei ut ab Ecclesia proponuntur sunt veri* ; per eandem acquisitam fidem, utrumque est contra antiquiores demonstrandum, priusquam ad recentiores descendamus.

233 Et ut ab hoc secundo incipiamus. Quomodo sibi persuadere potuerunt quod huic veritati (*Ecclesia est verax in proponendo*) verus Catholicus per conjecturas humanas, quibus acquisita fides innititur, assentiatur : ad hunc enim modum & Sarraceni suis præceptoribus, & Iudæi suis Rabbinis, & Gentiles suis Philosophis, & omnes denique suis Majoribus inhærent, fide acquisita fallibili, ut est satis notum, quod acutissimus Cano *suo libro de locis 2. cap. 8.* prius ostendit, qui sine dubio post Capreolum & Cajetanum efficacius has peregrinas sententias expugnavit. Sic ergo volunt isti Authores, Catholicos fide humana debili, & fallibili assentiri huic veritati (*Ecclesia est verax*) & non majori certitudine, quam isti modo relati suis Magistris errantibus assensum præbent ? Præterea manifestum est hanc veritatem (*Ecclesia errare non potest in ponendo res ad fidem pertinentes*) esse unam de Catholicis veritatibus ; ergo eadem fide illi assentit Catholicus, qua cæteris articulis fidei ; sed articulis aliis non dicent nec dicere possunt quod fide humana Catholicus assentiat ; cum fide divina eis assensum præbeat ; ergo nec prædictæ veritati assentitur, aut assentiri potest Catholicus acquisita fide ; sed fide divina supernaturali & infusa, nec apparet si illi uni veritati Catholicæ, ex fide tantum humana & acquisita assentitur Catholicus, quod cæteris omnibus eadem acquisita fide assentiri non possit, cum eadem omnino ratio de omnibus sit, & sic perit in istorum sententia necessitas ponendi fidem infusam. Idem ratione eadem dicendum quod nec fide acquisita possit assentiri, illa esse à Deo revelata, ut superiori disputatione satis probatum est ; parique modo nec potest assentiri humana fide, articulos fidei ut proponuntur per Ecclesiam esse veros, sed omnia ista creduntur vera fide divina supernaturali infusa & ob rationem formalem objecti fidei, quæ est prima divina veritas dicens seu revelans, quæ nec falli nec fallere potest.

Ex quo tota machina hujus acquisitæ fidei, quæ 234
hîc intromittitur penitus ruit. Cum enim impossibilis sit hæc acquisita fides, quæ cum præjudicio veræ fidei introducitur ; necesse est ruat sententia omnis quæ in illam ultimatè reducit certitudinem fidei infusæ ; sed dicent quod acquisita fides ob aliud est necessaria, nimirum ut ex illa credant veracem esse Evangelistam. Secundò quod est necessaria acquisita fides, ut per illam credant motivis quæ inducunt ad fidem, ob quæ fidelis fidem amplectitur, ut noviter modernus ille author asseruit.

Verùm nec ad ista duo, vel illorum quodlibet 235
necessaria est ; imò nec possibilis acquisita fides ; etenim credo Evangelistam verum dicere, quia Deus revelavit, ut modo supponimus, inferius clarius explicandum. Itaque sicut credo Ecclesiam esse veracem quia Deus revelavit, ita credo Evangelistam verum dicere quia id Deus revelavit. Vnde intromittere hîc fidem acquisitam, nihil est aliud quam velle ultimatè in illam reducere fidem catholicam, & ex consequenti ejus infallibilem certitudinem auferre.

Parique ratione nec est necessaria acquisita fides, 236
ut per illam assentiat homo motivis quibus ad credendum inducitur, quia illis motivis præcisè homo non trahitur ad credendum, nam illa omnia sive sint miracula, sive persuasiones, objectivè tantùm movent non effectivè, nec voluntas ex se sola illis assensum præbet, sed interiori impulsu Dei moventis, & efficientis, ut quis illis assensum præbeat, & fidem velit acceptare. Et si homo ex sola sua facultate naturæ motivis illis præberet assensum fide acquisita, & ideo fidem divinam amplecteretur, quia ita sua sola facultate & acquisita fide motivis inducentibus ad fidem assentiret, proculdubio initium primum fidei ex se haberet, & non ex interiori dono fidei, quod in Pelagianorum errorem relabitur apertissimè.

Igitur propter nullam ex causis, quibus tum an- 237
tiquiores illi Theologi citati, tum recentiores in hac materia fidem acquisitam introduxerunt, illa est necessaria ; imò nec possibilis, sed sine fundamento

&

Digitized by Google

& causa cum detrimento veræ fidei immiscetur. Quod amplius confirmatur; si enim acquisita fides est necessaria quâ assentiamus, divina mysteria à Deo esse revelata, sive Ecclesiam illis proponendis esse veracem, sive Evangelistam verum dicere; sive vera esse divina mysteria, sive ut motivis inducentibus ad fidem ex acquisita fide præbeamus assensum, sive denique quacumque ratione necessaria dicatur ut in illam ultimatè fidem infusam reducant, si, inquam, ad hoc est acquisita fides necessaria, manifestum est, quod prima ratio formalis infusæ fidei non est veritas prima infallibilis, sed creata fallibilis; unde jam fides nostra non inniteretur sicut suo fundamento divinæ veritati, sed humanæ, & ex consequenti non esset infallibilis, sed fallibilis, sicut & humana veritas cui inniteretur fallibilis est. Quod est veram rationem nostræ fidei, & ejus certitudinem de medio tollere, ut dictum est supra. Primum antecedens seu sequela probatur, quia illa est prima fidei formalis ratio, in quam ultimatè fides ipsa resolvitur; ergo si resolvitur ultimatè in fidem acquisitam, quæ humano innititur fundamento, ipsa formalis prima ratio fidei humano fundamento inniteretur, nec posset esse fides divina infusa magis certa, quam est acquisita, quæ tunc infusa fides haberet se ut conclusio, & acquisita ut illius principium. Constat autem assensum conclusionis non posse esse certiorem assensu principiorum, ut Aristoteles 1. *poster.* demonstrat.

238 Præterea, nunquam hominem quemlibet ita per acquisitam fidem existimamus esse veracem, quin formidemus eum posse vel falli, vel fallere, quod & rectè Scotus dixit in 3. *dist.* 23. *citatus supra*, affirmans quod nullus fide acquisita credit alicui, nisi quem scit posse falli & fallere; licet credat eum non velle fallere unde & talem assensum dixit non esse firmum & certum; ergo si assensus catholicæ fidei ex acquisita fide dependet, & in ipsam ultimatè
239 reducitur, firmus omnino esse non potest.

Amplius juxta Apostolicum documentum, licet ipse Apostolus, vel Angelus de cœlo assereret aliquid oppositum ejus, quod fide tenemus Anathematizandi essent, nec audiendi, sed contra omnes esset firmiter in fide persistendum, omnisque demonstratio, scientia, & intuitiva visio, etiamsi offerri possint in contrarium, essent rejiciendæ & execrandæ; ergo nostræ fidei assensus super humano testimonio, cui acquisita fides innititur, non fundatur, nec in illud potest reduci patet consequentia; quia quæ fide acquisita tenentur, & humano testimonio, alteri majori creato testimonio cedunt, quale esset Angelicum; & potissimè demonstrationi & visioni necesse est cedat.

240 Ad hæc Apostoli & Prophetæ fidem suam non in aliam causam resolvebant, nisi in primam divinam veritatem; divinis enim mysteriis non aliter assentiebantur, nisi quia Deus ea illis revelabat; ergo & nos fidem nostram non in aliam causam resolvimus, nisi in eandem primam veritatem; & mysteriis divinis assentimur non aliter nisi quia Deus revelavit. Consequentia patet, quia eadem est fides nostra & Apostolorum & Prophetarum; & proinde idem debet habere objectum ac formalem rationem assentiendi; nec talis formalis ratio potest variari ex eis quæ per accidens conjunguntur; scilicet ex hoc quod per hos, vel per illos credenda proponantur; nempè vel per Ecclesiæ ministros, vel per Angelos, vel immediatè per Deum ipsum. A quibuscumque enim mysteria fidei proponantur, eadem semper permanet formalis ratio fidei, idemque illius formale objectum, ut notum est. Antecedens autem patet, quia Apostoli & Prophetæ non per acquisitam aliquam fidem qua assentirentur vel Ecclesiæ proponenti, vel alteri explicanti eadem fidei mysteria assensum præbuerunt, nec fide acquisita Deo immediatè revelanti credebant, sed divina atque infusa fide.

Nec desunt divinæ scripturæ sacra testimonia 241
quæ hanc veritatem confirment, ut est illud Exodi 14. *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus*; non dixit, Moysi & Domino, ut quis explicaret, crediderunt Moysi fide acquisita, & ideo Domino crediderunt, sed ait. *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus*, ut ratio credendi prima sit Domino, dicenti & revelanti per Moysem res credibiles, seu credendas. Item illud *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Ioan. 12. & ad Thessal. *Epist.* 1. *cap.* 2. *Gratias agimus Deo quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud non ut verbum hominis, sed sicut est vere verbum Dei.* Ex quibus constat fidem assentiri rebus creditis, quia Deus ea revelavit, cui revelanti & dicenti assensum præbet.

Sed quia ille Modernus Author sibi videtur om- 242
nia coaptare, & explicare antiquos introducentes necessariam esse fidem acquisitam, dicendo non esse necessariam ut causam certitudinis assensus fidei, sed ut causam ob quam quis assentiendo motivis fidei amplecti vellet fidem, quàm periculosè in hoc erret oportet manifestare.

Vnde dicendum est primò: juxta communem & 243
ordinariam legem aliqua exteriora & humana invitamenta & motiva necessaria sunt quibus ad Catholicam fidem inducamur. Non enim solum necessarium est ut credituro ea quæ sunt fidei simpliciter ab homine proponantur, verum etiam opus est exteriorem aliquam persuasionem & incitamentum seu motivum aliquod adhibere, sicut sunt, proponere debitè credenda, suadere, miracula facere, & similia. Hæc veritas certissima est, quam eo scripturæ sacræ tradit authoritas ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Item Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent:* Et, *si non opera feciſſem, quæ nullus alius fecit, excusationem non haberent de peccato suo.* Hinc cum dixisset Moyses Domino, *non credent mihi*, Dominus dedit ei potestatem signa faciendi hinc rursus illud Marci *cap. ult. prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis* huc etiam pertinet illud Ioan. 1. *hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine ut omnes crederent per illum.* Et Sergius Paulus cum vidisset factum credidit, & centurio videns quod factum fuerat dixit; *verè filius Dei erat iste.* Et alia sunt plurima similia in divinis litteris, quibus ostenditur necessaria esse, ut quis fidem suscipiat, exteriora quædam motiva & incitamenta, hinc scriptura ait quod viso miraculo de conversione aquæ in vinum, in Christum crediderunt discipuli, & multoties similia repetit.

Dicendum secundò omnem humanam authorita- 244
tem & omnia prædicta motiva, & incitamenta etiam potentissima, miraculorum patratio in fidei confirmationem adducta, non sufficiunt ut homo credat & fidem divinam amplectatur, nisi adsit interior supernaturalis Dei motio faciens hominem credere. Hæc adeo vera est, ut oppositum manifestè sit Pelagianum, ut S. Thomas ostendit 2. 2 *q.* 6. *art.* & S. P. Augustinus ubique contra Pelagianos statuit, potissimè per totum librum *de prædest. sanct.* ubi hoc ex professo multipliciter probat. Quod etiam supponendum est, nam omnia illa motiva & incitamenta solùm se habent suadendo, ut lex atque Doctrina

Digitized by Google

ctrina, quæ ſine alio interiori auxilio gratiæ non ſufficit ad credendum, niſi Pelagianis faveatur. Plurima ad hoc probandum inducit teſtimonia Cano *citato ſuo 2. lib. de locis cap. 8.* quæ ibi videantur; nos enim id ut apud omnes certum ſupponentes ex hoc moderni illius authoris confundimus Doctrinam, qui vult quod fide acquiſita motivis inducentibus ad fidem aſſentiamus, & ex hac acquiſita fide velimus Catholicam fidem amplecti, ita ut ſi quis interrogetur quare voluerit fidem obſcuram tenere, rectè à priori reſpondeat, quia motus fide acquiſita conſenſi, quæ prudenter me & quemlibet movere poterant ad fidem ſuſcipiendam, ſed in utroque errat.

245 Et quidem quod miraculis ſeu aliis motivis non aſſentiatur homo fide acquiſita, omnes debent admittere; quia ſcriptura palam dicit, quod attendere ad Evangelium, cum prædicatur eſt donum Dei aperientis cor; ut de Lydia purpuraria ſcriptura ſacra docet; ergo multo à fortiori erit donum Dei, non ſolùm attendere illis quæ proponuntur, ſed eis quoquo modo aſſentiri cum hoc majus illo ſit, atque præſtantius præterea quia ſi humana fide ſine Dei dono motivis fidei præſtatur aſſenſus; cum ſic aſſentiri ſit ſine dubio præparatio ad fidem (ut etiam author prædictus fatetur) ex nobis ipſis & non ex Deo præparatio ad fidem haberetur. Deinde, quia aſſentiri miraculis; & motivis inducentibus ad fidem, quis dubitet quod ſit aliquale initium fidei; ergo illud ex nobis, & ex fide acquiſita, & non ex Deo haberemus, quod dici non poteſt.

246 Secundum autem gravius apparet; ſi enim à priori cauſam oſtendendo, ideo quis Catholicam fidem ſuſcipit, quia fide acquiſita & ſua facultate naturæ motivis inducentibus ad eam aſſenſum præbuit, ergo hoc quod eſt hominem velle recipere fidem ex ipſo ſolo homine eſt, & ejus facultate ſolum, & acquiſita fide, & non ex dono Dei interiùs, moventis cor, quod planè ille author expreſsè in ſua ſententia concedit, ut patet ex citato loco; ſed velle ſuſcipere fidem actus eſt qui ſit prout ad ſalutem oportet, quis enim hoc neget; ergo ſolus homo ex acquiſita fide habet actum prout ad ſalutem oportet, quod patenter Concilia damnant, Arauſicanum ſecundum & Tridentinum *ſeſſione 6. can. 3.*

247 Imò ſi hæc Reſponſio à priori procedit, ideo volui fidem recipere, quia ex me ſolùm me movi ad illam recipiendam; ergo non ſum motus, ut reciperem fidem, à Deo vel ejus ſupernaturali auxilio; ergo credulitatis affectus quo homo vult pervenire ad fidem, & Baptiſmum ex ſolo homine eſt, quod damnatur expreſsè in *Conc. Araus. 2. can. 5.*

248 Nec ſufficit ſi dicatur, illud Concilium damnare ex ſolo homine credulitatis affectum, quo credimus in Deum, quod eſt damnare, poſſe voluntatem ex ſe ſola movere intellectum ut in Deum credat; non autem damnare credulitatis affectum, quo non in Deum; ſed motivis credimus antecedenter ad credulitatem quæ eſt immediatè in Deum, non inquam, ſufficit quia primus credulitatis affectus quo in Deum volumus credere, in iſta ſententia ponitur ex ſolo homine, & ex ſola ejus acquiſita fide, poſtquam in eam ultimatè reſoluit quæſtionem, quare Catholicus voluit recipere fidem. Vnde non dubium quin in illo canone comprehendatur, diffiniente quod credulitatis affectus quicumque ille ſit, quo in Deum credimus, non poteſt ex ſe ſolo homo habere; & tamen primus omnium, à quo cæteri aſſenſus dependent & in quem reſolvuntur, ab iſto Authore ex ſolo homine ponitur imò ſi credulitatis affectus ex parte nimirum voluntatis, quo aliquis vult recipere fidem ex ſolo homine eſt, potetit ipſa voluntas movere intellectum ut credat in Deum; & ſic licet difficilè, tamen intellectus obtemperans voluntati in Deum credet, quod eſt totam neceſſitatem ſupernaturalis fidei enervare.

Hac ergo rejecta ſententia dicendum tertiò ul- 249
timam fidei noſtræ reſolutionem fieri ex parte objecti in primam voluntatem revelantem, & ex parte aſſenſionis in cauſam interiorem cauſantem, hoc eſt, in Deum ſupernaturali auxilio moventem hominem ad credendum, itaut ſicut, cum quis interrogatur quare credis Deum eſſe trinum & unum, ultimatè reſpondet; quia prima veritas revelavit, ſic cum quæritur quare credis primam veritatem ſic revelaſſe, ſeu quare voluiſti ſic credere, ultimatè debet reſpondere, quia à Deo illuminatus & adjutus ſum, ſeu motus interius ad credendum, quod & S. Thomas oſtendit 2. 2. *quæſt. 2. art. 9. ad 3.* dicens, *quod qui credit habet ſufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim authoritate divina Doctrina miraculis confirmata, & quod plus eſt interiori inſtinctu Dei.*

Prius autem id docuit Sanctus Pater Auguſti- 250
nus *lib. 11. Confeſſ. c. 3.* loquens enim ibi de Moyſe ſcriptore Pentatheuci, inquit, quod ſi eum videret, & ipſe ei Latinè, non Hæbraicè loqueretur illa verba, *In principio creavit Deus cœlum & terram &c. Scirem* ait, *quid diceret: ſed unde ſcirem an verum diceret? quodſi & hoc ſcirem, num ab illo ſcirem? intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hæbrea, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas ſine oris & linguæ organis, ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret, verum dicit, & ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis: cum ergo illum interrogare non poſſim, te, quo plenus vera dixit veritas, rogo te Deus meus, rogo parce peccatis meis & qui illi ſervo tuo dediſti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.* Imò hoc ipſum apertè ſatis apparet in ſcriptura ſancta traditum: hunc enim ſenſum habet quod Ioannes Apoſtolus dicit, *ſi teſtimonium hominis accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*, ſed unde credemus ô Apoſtole, id eſſe Dei teſtimonium? *Qui credit*, inquit, *in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.*

Qui igitur interrogatur, unde credat Deum my- 251
ſteria fidei revelaſſe per Eccleſiam reſpondeat & à priori reſpondeat, & ultimatè in hoc certum ac primum principium ſuam fidem reſolvat, quia intus me Deus movet ad credendum; ſicut Sanctus Thomas & S. P. Auguſtinus expreſſe tradunt, & Apoſtolus Ioannes non obſcurè docet, vel poterit reſpondere (& in idem redit) cum interrogatur quare voluiſti credere, quia viſum eſt mihi, ſi proximam tantùm cauſam aſſignet, nec priorem primam neget, ſed ſtatim ultimatè reducat ad primam dicendo, volui credere quia viſum eſt mihi, ſed ideo viſum eſt mihi, quia primùm viſum eſt Deo qui me ad credendum movit ſupernaturali ſuo auxilio.

Quod S. P. Auguſt. *lib. de dono perſever. cap. 19.* ex 252
S. Ambroſio ſuper Lucam in expoſitione procemij, ad illa verba, *viſum eſt & mihi*, declarat, verba Ambroſij ſunt: *Poteſt non ipſi ſoli viſum eſſe, quod ſibi viſum eſſe declarat; non enim voluntate tantùm humana viſum eſt, ſed ſicut placuit ei qui in me inquit loquitur Chriſtus: qui ut id quod bonum eſt nobis quoque videri bonum poſſit, operatur. Quem enim miſeretur & vocat; & ideo qui Chriſtum ſequitur, poteſt interrogatus, cur eſſe voluerit Chriſtianus, reſpondere viſum eſt mihi: quod cum dicit, non negat Deo viſum, a Deo enim præparatur voluntas hominum.* Hæc Sanctus Ambroſius à S. P. Auguſtino relatus à quo etiam ejuſdem Sancti Ambroſij refertur ad idem teſtimonium

Digitized by Google

ſtimonium aliud, poſt quæ verba ita habet S.P. Auguſtinus. *Quid evidentius, quid illuſtrius à verbi Dei tractatoribus quærimus, ſi & ab ipſis quod in ſcripturis clarum eſt audire delectat.*

253 Cujus veſtigijs inhærendo nos etiam dicimus modò, quid evidentius, quid illuſtrius à Sancto utroque Doctore haberi poteſt, ſi quod in ſcripturis clarum eſt audire delectat, quam quod interrogantur, cur voluerit eſſe Chriſtianus, & fidem Chriſti ſequi, reſpondere debeat, quia viſum eſt & mihi, & ſi quæratur quare viſum eſt tibi, non reſpondeat, quia fide acquiſita ex me aſſentire volui motivis inducentibus ad fidem; ſed quia viſum eſt Deo, qui me interiùs ſuo ſupernaturali auxilio ad fidem traxit, faciens quod mihi benè viſum fuerit fidem recipere.

254 Quomodo autem in omnibus quæ de fide tenemus, ultima reſolutio ſemper facienda ſit modo dicto, & non in Eccleſiam revelantem, communiter Doctores tradunt, aſſerentes Eccleſiam eſſe miniſtram Dei revelantis, vel eſſe conditionem ſine qua Deus in ordine ad nos fidem non tribuit, vel eſſe cauſam à poſteriori, ſive ab effectu cur revelatis aſſentiamus; ita quod ſicut à priori homo eſt riſibilis quia eſt rationalis, & à poſteriori eſt rationalis quia eſt riſibilis: ita omnibus revelatis à priori aſſentimus quia Deus revelavit, quia Eccleſia quæ infallibiliter vera dicit hæc proponit. Sed de hoc alij diſputant abundantius. Sicut autem ultima fidei reſolutio, ut in rationem formalem & à priori neceſſariò in Deum revelantem eſt referenda, ita in Eccleſiam proponentem, ſicut in conditionem ſine qua non, omnino referri debet; vel ut clarius omnia comprehendamus & formalem rationem fidei cum conditione omnino requiſita, reſolvitur omnis fidei aſſenſus ultimatè & ſolùm, in Deum revelantem per Eccleſiam, ita ut ſi quæratur cur fidelis credat fidei myſteria: reſpondere debet quia Deus per Eccleſiam revelavit. Vnde non dubium quin contra fidem fuerit Hiſpali defenſum anno 1616. die 18. Ianuarij in quadam concluſione, quod aſſenſus fidei non poſtulat ex natura ſua, nec etiam ſi conſideretur poſt prima illa Apoſtolorum ſæcula, & Evangelij promulgationem, ultimò reſolui in infallibilem authoritatem Eccleſiæ, nec tanquam in rationem formalem credendi, nec tanquam in conditionem, aut regulam proponentem ſimpliciter neceſſariam, ſed tantummodo in primam veritatem teſtificantem ſufficienter præcognitam. Cum enim hæc aſſertio tollat Catholicam Eccleſiam, regulam eſſe proponentem, vel conditionem neceſſariam ad credendum: indirectè illud videtur inſinuare quod cujuſcumque ſpiritus ad hoc ſufficiat, quod dicunt hæretici temporis hujus. Quilibet enim, ſi ſemel Eccleſiæ Catholicæ regula proponens auferatur, ſibi perſuadet id quod credit eſſe ſufficienter præcognitum ut à Deo revelatum: & aliud quod non vult credere non eſſe ſufficienter ut ſic cognitum: & ſic ablata communi & infallibili Eccleſiæ regula proponente deficit ex conſequenti communis & infallibilis fides; & in captum & ſpiritum cujuſlibet certitudo fidei maxima cum incertitudine reducetur. Nec alia contra hanc aſſertionem brevitatis cauſa opponere volumus, quia occaſione ſumpta & non ex intentione principali noſtra de hoc puncto tractamus, ſed communem in hoc Eccleſiæ ſanctæ doctrinam potiùs ſupponimus quam probamus.

CAPVT XVII.

Argumentis in oppoſitum reſpondetur.

SVpereſt argumentis ſatisfacere, quæ ex Scoti ambiguitate prius ab ipſo formata in oppoſitum allata ſunt ſupra. 255 Ad primum enim dicendum, quod nec Paulus, nec quilibet alius, cui primò ſunt revelati articuli fidei, eis aſſenſum præbuerunt ſola fide acquiſita; imò nulla ibi fides acquiſita interfuit, ſed immediatè Deo dicenti & revelanti per infuſam fidem crediderunt, ut dictum eſt. Vnde nec alij poſteriores credentes fide acquiſita eis acquieſcunt, ſed divina. Et ad replicam quæ fortè movit Scotum, ut hoc argumento de Paulo, vel alio, cui primo revelata ſunt myſteria fidei, uſus ſit: quia cum eis immediatè Deus revelaret myſteria, & ratio naturalis dictet Deum eſſe veracem; apparet quod per talem rationem naturalem ſeu acquiſitam fidem Deo aſſenſum præbuerint: Dicendum rationem naturalem dictare quidem, quod ſi Deus aliquid revelaverit, id verum ſit: & hoc commune eſt ſic ſentire, etiam infidelibus, ut præmiſimus; non tamen dictat naturalis ratio de facto Deum iſta myſteria revelaſſe Paulo vel alteri, cui primò revelata ſunt, ſed hoc fide ſupernaturali, quam Deus eis tribuit, habuerunt. Dato autem gratis quod eis eſſet evidens Deum ea revelaſſe, dicendum quod haberent tunc myſteriorum fidei evidentiam non in ſeipſis, ſed in atteſtante, quam cum fide compati poſſe ſatis probabile eſt, de quo nunc non tractamus. Dicimus, dato hoc, quia nec talem evidentiam illi primitùs habuerunt, ſed talem ſupernaturalem fidem, ut dictum eſt. Ad ſecundum dicendum diſparem eſſe rationem, quia Geometria jam inventa, vel quælibet alia naturalis ſcientia non excedit intellectus facultatem; unde poteſt homo ſua facultate, poſtquã eſt inventa, ei aſſentire, & ſcire eam; at myſteria fidei ſunt ſuperexcedentia totam humanæ naturæ facultatem: unde, etiam poſtquam à Deo revelata ſunt hanc obtinent ſupereminentiam, nec poteſt eis aſſentiri ut revelatis ſola natura, nec eâ certitudine quæ requiritur, nec facile eſt diſcretè, ſed tantum materialiter & imperfectè ut dictum eſt. Imò retorquendo argumentum dicimus, quod ſicut poſtquam Geometria eſt inventa, non poteſt intellectus illius habere ſcientiam niſi per medium ſcientificum Geometricalibus proportionatum, ita nec revelatis poteſt certò, facile & diſcretè aſſentiri niſi per medium illis objectis proportionatum, quod eſt lumen ſupernaturale.

Ad tertium dicendum ſicut ſupra præcedenti capite: Quod huic veritati, *Deus eſt trinus & unus*, 256 & omnibus alijs ſimilibus ſacroſanctæ Catholicæ fidei myſterijs credimus quia Deus revelavit: credimus autem ea Deum revelaſſe, non quia Ioannes dixit hoc ſibi fuiſſe revelatum, nec aliqua acquiſita fide, qua credamus eum eſſe veracem; ſed quia ad ſic credendum nos Spiritus ſanctus intùs illuminat & movet: ſic enim credentes habemus teſtimonium Dei in nobis, ut ex eodem Apoſtolo Ioanne ſuperius inductum eſt: & ad confirmationem dicendum, quod licet eumdem Apoſtolum audiremus verbis notis quæ ſcripſit narrantem, non ei aſſentiremus fide acquiſita quia ipſe diceret, ſed quia ad illi credendum, & eum reputandum in omnibus veracem, Deus intus nos moveret, ut in terminis de Moyſe, ſi ipſi præſentialiter loqueretur, & proponeret quæ ſcripſit, apertè fatetur

S.P.

Digitized by Google

S. P. Augustinus *lib.* 11. *conf. cap.* 3. Cujus verba à nobis superiori capite inducta hîc sunt applicanda, unde totaliter, etiam si nihil aliud diceretur, cessat discursus ille quo nitebatur arguens ultimatè in fidem acquisitam, per quam credimus veracem esse Ioannem, vel alium Apostolum dicentem mysteria fidei, nostram certam & infallibilem Catholicam fidem resolvere.

256 Sed ad abundantiorem doctrinam, & majorem supradictorum declarationem oportet considerare in hoc illum discursum positum in argumento deficere, quia imaginatur objiciens quod ibi sint duo, vel tres assensus distincti, & necessarij; alius scilicet quo assentio huic, *Deus est trinus & unus*, & alius quo assentio huic, *Deus hoc revelavit*, & denique tertius quo huic assensum præbeo, *Ioannes dicit hoc sibi fuisse revelatum*, cum unicus tantùm assensus sit quo huic assentio, *Deus est trinus & unus quia Deus id per Ioannem, vel per Ecclesiam revelavit*, sicut expresè Sanctus Thomas docuit 2. 2. *quæst.* 2. ubi postquam illos, tres actus fidei exposuit, nimirum credere Deum, credere Deo, & credere in Deum hæc verba habet: *Et per ista tria non designantur diversi actus fidei, sed unus & idem actus habens diversam relationem ad objectum fidei.* Igitur unico solo actu credimus Deum esse trinum & unum, & quemcumque alium articulum fidei collectivè, (quod est credere Deum) & credimus id esse à Deo revelatum (quod est credere Deo) & eodem credimus id esse per Ioannem sicut per instrumentum propositum.

257 Quam doctrinam optimè Capreolus declarat, & S. Thoma probat *in* 2. *dist.* 23. *qu. unica art.* 3. & Caietanus *ad comment.* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. & planè evidens est. Manifestum enim quod unus & idem actus potentiæ est quo ipsa fertur in objectum, & in rationem formalem illius, sicut idem actus videndi est, quo colorem sub luce videmus; unus ergo erit quo credimus Deum qui est fidei objectum, & Deo qui est ratio formalis illius: sicut lux est ratio formalis videndi colores: & sicut ultima resolutio actus cujuslibet habitus, vel potentiæ fit in rationem formalem objecti, nec ultra procedit, ita ultima fidei resolutio in formalem rationem objecti, quæ est credere Deo revelanti, terminanda est; v. g. si Metaphysicus interrogaretur quare considerat ens in quantum ens, responderet, quia est abstrahibile ab omni materia, & si ulterius interrogetur, unde scis quod sit ens abstrahibile ab omni materia? debet respondere quia lumen Metaphysicum quod habeo hoc mihi declarat; ita in proposito applicandum: & sicut Metaphysicus non triplici actu, sed uno tantùm fertur in ens in quantum ens, & in abstrahibile ab omni materia, & cognoscit se lumen habere Metaphysicum; ita Catholicus eodem actu credit Deum, & Deo, & cognoscit se habere lumen fidei, quo tali objecto sub sua propria formalitate assensum præbet; in quo etiam unico assensu includitur propositio per Ecclesiam, ita quod Catholicus unico actu assentitur vera esse fidei mysteria, quia à Deo revelata sunt, & per Ecclesiam proposita, sicut per ministram, vel sicut per conditionem sine qua non; cognoscens se ex divino lumine in objectum formale fidei cum necessaria conditione ferri; quod est divina revelatio per Ecclesiam proposita & explicata. Nec credimus divinæ revelationi per aliam revelationem, sed per seipsam: quia ipsa divina revelatio est quæ creditur, & sub qua alia omnia creduntur, sicut albedo est, qua alia sunt alba: & ipsa seipsa formaliter alba est, & non per aliud: & eodem modo in transcendentibus unitas est qua alia una sunt, & ipsa seipsa & non per aliam est una, & bonitas est qua alia sunt bona, & ipsa seipsa bona est.

Vt autem magis innotescat quomodo unus & 258
idem assensus fidei in omnia relata feratur; notanda est Sancti Thomæ Doctrina in 3. *dist.* 23. *qu.* 3. *art.* 2. ubi *solutione ad primum*, quod tangebat quomodo potest fides per scientiam acquiri, nutriri, & defendi, ita habet: *Habitus infusus similis est habitui innato, quia sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione. Naturalis autem habitus sicut intellectus principiorum indiget, ut cognitio determinetur per sensum, quo acquisitus non indiget; quia dum acquiritur per actum determinationem recipit. Et similiter oportet, quod fidei habitus determinationem recipiat ex parte nostra: & quantum ad istam determinationem dicitur fides acquiri per scientiam Theologiæ, quæ articulos distinguit, sicut habitus primorum principiorum dicitur acquiri per sensum quantum ad distinctionem principiorum, non tamen quantum ad lumen, quo principia cognoscuntur.* Et in *solutione ad* 2. amplius hoc ipsum exponens, ait: *In fide quatuor considerantur scilicet ipsum quod credendum est, ratio voluntatem determinans ad credendum: voluntas intellectui imperans, intellectus exequens; & secundum hoc fides quantum ad ejus determinationem, & quantum ad ejus actum, qui ex nobis est, quamvis habitus sit infusus, dicitur esse ex quatuor qui in nobis sunt, quia quantum ad ipsum credendum dicitur esse ex auditu, quia determinatio credendorum fit in nobis, vel per locutionem interiorem, quâ Deus in nobis loquitur, vel per vocem exteriorem. Quantum verò ad rationem, qua inducit voluntatem ad credendum, dicitur esse ex visione alicujus, quod ostendit Deum esse qui loquitur in eo, qui fidem annuntiat. Quantum verò ad imperium voluntatis dicitur esse fides ex voluntate. Quantum ad executionem intellectus, dicitur esse actus fidei ex intellectu.*

Ex quibus patet quod persuasio vel prædicatio 259
exterior, requiritur ad determinationem credendorum, & ad proponendum intellectui solùm objectum materiale, puta aliquod complexum; non autem ad causandum assensum, similiter visio miraculi vel alterius mirabilis, quod ostendit Deum esse, qui loquitur in proponente fidem, eam confirmando & cooperando similibus signis, requiritur ut voluntas inducatur ad recipiendam fidem, & habeat aliquid quod eam inclinet in fidem, ipsamque suadeat & invitet ad illam recipiendam, sed nec hoc assensum fidei causet. Hæc enim duo, scilicet propositio, & explicatio objecti fidei, & visio alicujus inducentis ad fidem, ad scientiam pertinent, atque doctrinam, quæ alliciat, & persuadeat, non quæ causet, & efficiat assensum: unde idem Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. *ad primum* dicit: *Per scientiam gignitur fides, & nutritur per modum exterioris persuasionis, quæ fit ab aliqua scientia; sed principalis & propria causa fidei est illud quod interius movet ad assentiendum.* Et solutione ad 3. *Credere quidem in voluntate credentium consistit, sed oportet quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam ad hoc quod elevetur ad ea quæ sunt supra naturam.* Ita sicut in assensu principiorum geometriæ, vel alterius scientiæ, multa veniunt quasi præambula, & antecedentia, ut cognitio sensitiva, explicatio, & suasio præceptoris, qui eadem principia non vtcumque proponit, sed explicat etiam, vel per exempla sensibus manifesta vel per effecta notissima. At tatio assentiendi principijs illis non est quicquam illorum, sed sunt illæ quasi determinationes, & veluti conditiones sine quibus ejusmodi principia à discipulo non intelligerentur: ratio autem formalis illis

Digitized by Google

illis assentiendi est lumen naturale existens, quo videlicet evidens ille assensus efficitur, ut lumen hoc exteriùs ratio formalis est quæ colores efficit evidentes: in hunc modum proponere, credenda suadere, miracula facere, determinant quidem intellectum ut credat, quasi conditiones sine quibus intellectus non determinatur; at ratio formalis assentiendi lumen fidei est, quod Deus infundit credenti.

260 Ex istis fit manifestum, quod nec habitus fidei in seipso, qui à Deo infunditur quoad illa quatuor enumerata, ab aliqua acquisita fide dependet, nec cum Catholica, & supernaturali fide acquisita aliqua ut necessaria conditio admiscenda est. Fit etiam manifestum quod habitus fidei, postquam propositio, & explicatio objecti, & visio supradicta præcedit, unico suo actu fertur in objectum materiale fidei quod credit, & in rationem ob quam credit; quæ est divina revelatio; & in conditionem necessariam ad credendum, quæ est propositio per Ecclesiam. Et ratio est, quia illa quatuor à Sancto Thoma relata requiruntur ut habitus fidei determinationem habeat ex parte nostra, ut possit suum certum, & firmum assensum fidei elicere, ut dictũ est.

Ad quartum, quod ex Aureolo desumebatur, 261
dicendum quod Hæreticus amittens fidem per negationem unius articuli, cæteris assentitur sicut & erroribus suis ex falsa fide, licet pro eadem opinione sua vellet decapitari, non tamen credit certò ut expedit, nec facilè, nec discretè, ut dictum est. De puero autem non baptizato dictum est supra; nec aliud addendum est.

TRACTATVS V.

DE VIRIBVS HVMANÆ NATVRÆ in Ordine ad desiderandam, & petendam Gratiam.

CAPVT PRIMVM.

Non posse hominem solis naturæ viribus optare auxilium gratiæ.

1 IN primo nostro libro 1. *part. tract. 6. cap. 17.* in illius fine aliam assertionem supradicti authoris concordiæ communiter à suis propugnatam, atque defensam, quæ est in ordine aliarum 62. recensuimus in hunc modum. *Etenim liberum nostrum arbitrium, nisi à Deo modo præcedente disputatione explicato auxilio gratiæ suæ præveniatur & excitetur non solum producere nequit eum actum, sed etiam quidquid ex suis naturalibus homo efficiat sive ut actu merè naturali revelatis assentiatur, sive ut postquam edoctus fuerit supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, optet ita credere, aut etiam conetur ex dono & auxilio Dei supernaturali assentiri, sive denique auxilium illud sibi donari petat, aut ad illum recipiendum satagat se disponere: sanè id totum nullius est meriti aut vigoris, ut ei gratia præveniens propter ejusmodi dispositiones impendatur.* Ita author Concordiæ in ipsa *disput. 9. in principio & disp. 45. §. ex his:* ubi id ipsum magis exponens, magisque confirmans ait: *Ex his patet hos duos motus gratiæ prævenientis actiones esse vitales intellectus, & voluntatis; multumque pendere à libero arbitrio imò & liberum arbitrium posse illos desiderare, & petere à Deo & quodammodo seipsum aptare, & disponere ut juxta communem cursum, ac ordinem divinæ providentiæ facilius sibi à Deo donentur.*

2 In hac sua propositione supradictus Author, & qui illius postmodum defensarunt doctrinam tria expressè proponunt: primum, posse hominem solis viribus suis auxilium gratiæ optare, seu desiderare; secundum, posse illud à Deo petere; tertium, posse ad illud recipiendum satagere se disponere, ut ex relatis nunc verbis fit manifestum.

3 Et quidem primum his nitebantur aliquando defendere, & ab omni errore excusare asserentes in primo loco ex inductis authorem illius assertionis illud assertivè non tenere, quia tantum habet quod licet homo possit desiderare auxilium gratiæ, illud petere, & satagere se ad illud habendum disponere, hoc tamen totum nihil est, nec alicujus valoris in ordine ad salutem, in quo proindè non id affirmabat; sicut nec assertivè Paulus dicebat in illis verbis; *si linguis hominum loquar, & Angelorum &c.* Hanc autem excusationem, ne iterum ad confundendam illam revertamur; (quia manifestare primo necesse est, hanc assertivam & affirmativam esse illorum sententiam) perspicuum est penitus frivolam, & contra apertam intentionem literæ in illo primo testimonio allatæ. Quis enim non videat authorem illius ibi pro certò supponere, & clariùs tenere posse hominem solis viribus suis auxilium gratiæ optare, ac petere, & ad illud se disponere? *Nam* inquit, *quod quidquid homo efficiat viribus suis, sive ut actu merè naturali assentiatur revelatis, sive ut optet auxilium supernaturale gratiæ, illudque desideret*; hæc illius verba sunt; & per priora quomodo affirmativè loquatur fit satis notum; nam posse assentiri revelatis quod hic repetit assertivè & affirmativè in alia præcedenti disputatione præmiserat; ergo etiam assertivè in hac assertione procedit. Præterea quis non attendat, quod sicut id quod majus est, atque præstantius soli homini tribuit, nimirum posse assentiri certò omnibus revelatis tanquam revelatis, cum per Ecclesiam, & illius ministros proponuntur & explicantur, etiam eidem affirmativè tribuat, quod minus est, nimirum desiderare auxilium gratiæ, cum illud cognoscit esse ad salutem necessarium; & hac ratione quasi à fortiori arguens iterum de assensu revelatorum sermonem repetit, ut ex illo à fortiori concludat, posse hominem desiderare, & petere gratiæ auxilium cum illud cognoscit ad salutem necessarium? Numquid non præstantius est, cum fides proponitur, & explicatur per fidei ministros, illi credere, & firmiter assentiri; quàm auxilium gratiæ desiderare? Si ergo illud primum assertivè homini soli tribuit, quomodo hoc secundum non assertivè illi soli concedat? Et quamvis hoc satis sit,

Digitized by Google

notum tamen, ut omni ex parte excusatio præscindatur, & protervus quicumque totaliter revincatur, non jam illationibus atque contextibus licet apertissimis agendum erit, sed expressissima verba audiant, qui sic excusare præsumunt, illa videlicet quæ in secundo loco sunt posita ex *disput.45.§.ex his*, quæ luce sunt clariora, ad obstruendum enim os illorum, qui se excusare procurabant, secundo loco relata ponuntur, quibus clarissimè assertivè nimis tenet & publicat posse hominem se solo sine gratiæ auxilio aliquo ipsum gratiæ auxilium desiderare, & petere à Deo, & quodammodo se ipsum aptare, & disponere ut secundùm communem cursum divinæ providentiæ facilius sibi à Deo donentur.

4 Constito ergo prædictam assertionem assertivè ab illius authore fuisse propositam, eandem excusare secundò laborabant dicentes, nihil in ea contineri, quod non à multis scholasticis dictum fuerit priùs, & ex consequenti nec posse de errore convinci. Primò quia scholastici plures affirmant posse hominem actu imperfecto desiderare beatitudinem, & suam salutem, de quo etiam imperfecto desiderio author illius assertionis loquitur.

5 Præterea inducebatur Sanctus Thomas qui 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. ait quod est in homine naturale desiderium ad Deum videndum, quid autem majus est Deus, quàm auxilium gratiæ: ergo erit etiam naturale desiderium ad postulandum, & habendum auxilium gratiæ. Ex istis quasi concludebant nihil inconvenientis esse in hac propositione, sed sustineri posse, quod valeat homo solis viribus suis desiderare auxilium gratiæ, cum edoctus fuerit illud esse ad salutem necessarium posseque illud à Deo petere.

6 Contra quam sententiam dicendum, & firmiter tenendum est nullo modo posse hominem solis viribus suis, postquam edoctus fuerit auxilium gratiæ esse ad salutem necessarium, illud optare seu desiderare eo modo quo prædictus Author affirmat, etiamsi dicatur, sicut ille dixit, id totum nihil valoris esse aut meriti, ut propter id præveniens gratia sibi donetur. Dixi, eo modo quo prædictus Author affirmat, quia ipse hanc assertionem statuit cum quatuor conditionibus aggravantibus in infinitum, ex quibus nulla ab aliquo scholasticorum doctorum asserta fuit. Prima est, quia dicit posse hominem desiderare auxilium supernaturale ut supernaturale est. Id enim licet propriis verbis cum illa specificatione non dicat, dicit tamen verbis omnino æquivalentibus; quia asserit posse desiderare auxilium gratiæ; auxilium autem gratiæ etiam in toto contextu doctrinæ illius authoris est formaliter supernaturale, seu supernaturale ut supernaturale; ergo sentit quod sub hac sua propria natura & supernaturalitate potest à solo homine desiderari. Item quia dicit posse solum hominem illud desiderare, postquam cognoscit id ad salutem esse necessarium, cognoscit autem proculdubio esse necessarium ad salutem, ut est supernaturale, & sub ratione supernaturalitatis; ergo sentit quod sub hac ratione, qua est ad salutem necessarium illud potest desiderare. Præterea quia asserit quod potest homo se solo conari, ut ex auxilio supernaturali ut supernaturale est, per quod præcluditur evasio aliquorum, qui videntes non posse sustineri, quod homo solis naturæ viribus dicatur posse desiderare auxilium supernaturale, ut supernaturale est, nitebantur illam propositionem defendere, prætendentes non dici in illa posse hominem solis suis viribus desiderare auxilium gratiæ ut supernaturale est, cum tamen id æquivalentibus omnino verbis prædictus author expresserit, ut deductum est.

Itaque prima conditio quæ ab illo apponitur est, 7
posse hominem optare & desiderare auxilium gratiæ ut est supernaturale. Secunda conditio est; quod illud potest desiderare, non solùm velleitate sed absoluto actu ut sæpius ipse exponit potissimè *disput.* 14. In qua nedum has velleitates admittit; sed actus absolutos, Tertia conditio est, qua asserit, quod posito illo desiderio Deus gratiam prævenientem tribuit, licet non propter illud tanquam propter meritum, ut in prædicta assertione insinuat; & clarius docet *disput.*10. ubi facienti sic quod in se & ex solis naturæ viribus contendit quod certa lege præveniens gratia detur, licet non ex tali actu merè naturali sicut ex merito. Quarta conditio, quòd idem actus elicitus à solis naturæ viribus elevatur à Deo per gratiam, & fit supernaturalis, ut modò eum affirmasse supponimus, infra suo loco commodius ostendendum. Cùm his igitur conditionibus, & qualitatibus, imò cùm nulla earum invenitur asserta talis propositio à Catholicis scriptoribus; unde supradicta propositio intolerabilis est, & damnatam doctrinam Cassiani & Fausti sub conceptis verbis noviter introducit.

Probatur etenim Sanctus Hilarius *Epistola ad* 8
Sanctum Patrem Augustinum in terminis hanc fuisse olim Semipelagianorum damnatam sententiam, sub eisdem quibus relatus Author vocibus exprimit dicens. *Neque alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita & supplici voluntate unumquemque agrotum velle sanari.* Et statim. *Nec negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas, qua tantùm medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* Quid dicit author cum quo agimus, & illius defensores qui ipsum excusant? posse hominem solis naturæ viribus auxilium gratiæ desiderare, & illud à Deo petere cum illud cognoverit esse ad salutem necessarium licet illud desiderium nullius valoris sit. Quid dicebant olim Semipelagiani? posse hominem solis viribus suis velle sanari, posse & medicum quærere, sed id nullius etiam esse valoris. Ecce eadem sub eisdem terminis, & eadem apposita limitatione sententia ab illis & isto publicatur. Idem Cassianus *Collatione illa notissima* 13. *ad Cheremonem* sub his verbis proposuit. *Neque enim cum voluerit quis sanitate perfruitur, aut de agritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.* Quæ verba ut expugnaret Sanctus Prosper ad illum locum sic habet. *Doces ergo non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis, & sua tantùm sponte venire ad medicum, non autem hoc ipsum medici esse quod veniat.* Et Faustus ille Reghiensis Episcopus Cassiani in doctrina socius *in suo primo libro de gratia, & humana mentis arbitrio* ad hoc propositum, illud Evangelij introducebat, *vis sanus fieri?* quasi hoc sanitatis desiderium à solo homine, à quo quærebatur, haberetur.

An dicent, sicut aliquando dixerunt, diversam 9
esse hujus authoris de quo agimus, & illorum doctrinam, scilicet Cassiani & Fausti, quia nimirum isti dixerunt posse hominem se solo sanitatem desiderare, hic autem non dixit sanitatem, sed auxilium gratiæ desiderare solum hominem posse? lepida profecto ista excusatio est, quasi desiderium sanitatis, & desiderium illius ex quo sanitas habeatur in numero ponant, quale est divinum gratiæ auxilium per quod sanitas acquiritur? sicut ergo in auxilio gratiæ sanitas inchoatur (quod nec authores isti negant, aut negare possunt.) Ita desiderium auxilij gratiæ desiderium inchoatæ sanitatis est,

&

Digitized by Google

& ex consequenti sanitas inchoata. Quod Sanctus Prosper adversum collatorem *ubi supra* his verbis convincit. *Quasi verò anima ipsa non langueat & corpori suo remedium sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa & cum ipsa in profundum miseriæ suæ decidit. Vbi eam priusquam à medico notitiam suæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem semper errores suos & amplectentem falsa pro veris? Cujus salus prima est ut sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ debilitatis odisse; sequens vera est, ut & sananda desideret, & à quo sananda sit noverit. Quæ curationem ipsius sic precedunt, ut ei ab illo qui eram sanaturus est, inseranur, ne cui ullo modo hæc interesse possint merito videatur salvata non gratia.* Apertius Prosper sanctus asserit primam salutem, seu initium primum sanitatis esse sibi displicere, secundam autem desiderare sanari; & utrumque docet non ex homine esse sed ex Deo, qui perfectè hominem sanaturus est. Quibus verbis quid aliud damnat in Cassiano, quàm ipsum posuisse ista salutis initia in sola natura sine gratia? desiderare autem auxilium gratiæ, per quod salus licet non omnino completa, tribuitur, desiderium est inchoatæ salutis; & desiderium est medici, qui per tale auxilium incipiet sanare. Et quod magis est, ostendit Sanctus Prosper in ultimis verbis relatis, quod si tale desiderium salutis in homine ex se ipso, & non ex Deo ponatur, salus subsequens ex vi illius prioris desiderij sicut ex merito datur; & sic jam gratia non esset gratia. Igitur quidquid tum Cassianus, tum Faustus, tum authores isti dicant illud desiderium nihil valere; ut propter illud prævenies gratia donetur; convincit Sanctus Prosper illud meritum gratiæ esse, & gratiam prævenientem illi correspondentem ex illo priori merito dari, & sic gratiam non esse sed debitum.

10 Hoc ipsum clarius in Semipelagianis damnat Petrus Diaconus *in suo libro de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi*, qui habetur inter opera Fulgentij; in quo in §. *sine hac* ita habet. *Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare divina.* Constat verò quod desiderare auxilium gratiæ desiderare divina est, cum ipsum divinum quid sit.

11 Accedit quod multo clariùs hanc doctrinam, quam contra Pelagianos defendit Sanctus Prosper, docet Sanctus Pater Augustinus *libro de Corr. & gra. cap. 1.* dicens *Qui ergo legitimè lege utitur, discit in ea malum, & bonum, & non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, quâ præstante declinet à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam nisi cùm à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet ac per hoc & desiderare auxilium gratiæ initium gratiæ est, de qua ait ille; & dixi nunc cœpi; hæc est mutatio dextera excelsi.* Quid apertius, vel quid manifestius? in propriis terminis hanc doctrinam quam impugnamus, expugnat Sanctus Pater & Doctor Augustinus, dicens, desiderare auxilium gratiæ initium gratiæ est; ergo cum supradictus Author ex solo homine dicat posse esse desiderium auxilij gratiæ; ex illo solo ponit initium gratiæ, quod esse apertè Pelagianum nullus est qui non sciat.

12 Profecto cùm Paulus clamet, *quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis sicut ex nobis* (quod de aliquo pertinente ad salutem fuisse dictum omnes consentiunt, etiam authores cum quibus agimus;) & desiderare auxilium gratiæ quis potest contendere non esse aliquid pertinens ad salutem, nisi stultissimè dicatur, quod desiderium salutis ad salutem non pertineat, & desiderium auxilij gratiæ non pertineat ad ipsam gratiam in quam tendit; constat quod ex nobis tanquam ex nobis, ne dum cogitatio salutis & gratiæ, sed & ipsum salutis desiderium constituitur, quod præter Sanctum Prosperum & Sanctum Patrem Augustinum, Apostolus ipse apertè condemnat. Nec in re nota alias multiplicare oportet confirmationes.

13 Ad primum ergo in oppositum dicendum, quod scholastici quidem concedunt posse hominem solis naturæ suæ viribus, si ei proponatur aliquod magnum bonum supernaturale; utpote beatitudo vel quid simile; habere quemdam imperfectum actum desiderij, quem velleitatem vocamus (quæ etiam solet esse de impossibilibus, teste Philosopho) quo vellet illud bonum, sub communi tamen ratione boni, non verò ut supernaturale est, & actu absoluto; ut assertio, quæ à nobis impugnatur, constituit; unde simile nullo modo est, quod scholastici dicunt, & hic author affirmat.

14 Ad secundum inductum ex Sancto Thoma *prima part. q. 12. articulo primo* dicente, quod est in homine naturale desiderium ad Deum videndum; dicendum quod ut ibi à discipulis Sancti Thomæ explicatur, & litera illius articuli satis apertè tradit, non asserit ibi Sanctissimus Doctor esse in homine naturale desiderium ad videndum Deum authorem supernaturalem, ut supernaturalis author est, sed quod in homine est naturale desiderium ad videndum Deum, secundùm quod author naturæ est, & causa effectuum naturalium, ex quibus visis oritur in homine desiderium naturaliter videndi illorum causam; & hoc tantùm litera illius articuli habet. Nam ut probaret S. Thomas in illo beatitudinem supernaturalem esse possibilem, hanc rationem ibi format, visis effectibus naturale est videre causam, sed hoc desiderium cum sit naturale non est de re impossibili; ergo possibile est ut videatur causa illorum effectuum naturalium; tunc rursus sed causa illorum effectuum non potest in seipsa videri quatenus causa illorum est, nisi ipse Deus etiam ut objectum beatitudinis videatur; cum idem sit Deus author naturæ & objectum beatitudinis; ergo possibile est quod Deus videatur in se ipso ut objectum beatitudinis, in quo discursu constat duas esse rationes, & primam tantùm asserere quod naturale desiderium sit in homine visis effectibus naturalibus, quos experitur videre causam illorum quatenus illorum causa est, ideſt quatenus est Deus naturæ author, & illorum effectuum naturalium. Et eodem modo intelligitur Sanctus Thomas *3. contra gent. cap. 51.* & 52. Cum ibi docet esse in Angelis naturale desiderium ad videndum Deum intelligit enim secundùm quod author naturæ est, non secundùm quod est author supernaturalis, ut Ferrata exponit *ibi*, & Cajet. *citato loco ad primam partem.*

CAPVT II.

Non posse hominem solis naturæ viribus petere auxilium gratiæ.

IN supradicta assertione præcedenti capite relata, 15
nedum posuit author illius posse hominem solis naturæ viribus auxilium gratiæ desiderare, quod jam rejectum est, verùm addidit posse eisdem solis viribus naturæ hominem illud à Deo petere, quod & modò venit impugnandum.

Vnde dicendum est secundò nullo modo posse 16
solam naturam hominis sine gratiæ auxilio auxilium gratiæ à Deo petere, & oppositum affirmare,

Digitized by Google

ſicut à ſupradicto authore affirmatur, apparet ultimorum illorum Pelagianorum doctrina, potiſſimè Iuliani, Caſſiani, & Fauſti, in quibus invenitur expreſſa; & à Sanctis Patribus, qui eos expugnarunt, pariter expugnata. Notiſſima im primis illa verba Sancti Patris, & Doctoris Auguſtini ſunt *libro 4. contra Iulianum cap. 8.* ejuſdem Iuliani verba referentis in hunc modum *Calumniaris me dicere nihil ſtudij expectari ab humana voluntate debere contra illud Evangelicum, quo ait Dominus, petite, & accipietis; quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis omnis enim qui petit accipit; & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Ecce ſententiam Iuliani & oppoſitionem quam Sancto Patri, & Doctori magno objiciebat Auguſtino, adverſus quem protinus ſubdit Sanctiſſimus Doctor. *Ibi enim vos ut video ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt, petere, quærere, pulſare, ut his meritis debita illa reddatur; ac ſi gratia inaniter nuncupetur: tanquam gratia nulla præceſſerit & eor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum, fruſtraque ſit ſcriptum, miſericordia ejus præveniet me.*

17 Quibus verbis Sanctiſſimus Doctor & Iuliani ſententiam refert contendentis, quod poteſt homo petere ſe ſolum auxilium gratiæ, & quod ſic petendo illud obtinebit: & ſuam oppoſitam ſtatuit, qua exponit illud Evangelij, *petite, & accipietis* &c. debere intelligi de petentibus ex gratiæ priori auxilio, ut ſic gratia præveniat omne bonum opus noſtrum, & initium ſalutis non ex nobis, ſed ex Deo ſit planè affirmans; quod ſi aliud dicatur, gratia Dei ſecundùm merita noſtra datur, & totaliter gratia inaniter nuncupatur. Et paucis interjectis. *Sed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare, nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere, nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire.* Quomodo autem hanc ſententiam ex parvulis ipſis impugnet, qui non petunt, non quærunt; non pulſant & tamen multi illorum inveniunt, accipiunt, & intrant, quæ ſequuntur in Sancto Doctore ſatis manifeſtant.

18 Similiter Caſſianus ex illo eodem Evangelij teſtimonio *petite, & accipietis* &c. in ſenſu ſiniſtro intellecto, ut pote priorem Iulianum ſequens dixit in *Collatione 13.* ſuperiori capite relata *cap. 4. Vnde non facile humana ratione diſcernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inveniatur, aperiatque pulſantibus, & rurſus inveniatur à non quærentibus ſe* &c. ubi duos ordines hominum conſtituit; aliorum qui ſuis naturæ viribus benè incipiunt, & ſua libertate veniunt, & à Domino adjuvantur; & aliorum qui ſine tali prævio bono uſu à Deo inviti trahuntur; hos ſignari dicit per illud *inventus ſum à non quærentibus me*; illos autem per illud aliud *petite & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* Et ſic manifeſtè ſicut Iulianus poſuit quod quærentibus, & pulſantibus ſolis naturæ viribus gratiæ auxilium ipſum inveniunt & recipiunt.

19 Quæ Caſſiani ſententia ſub his verbis ibi à Sancto Proſpero reprehenditur. *Doctor Catholice cur profeſſionem tuam deſeris? cur ad famoſam falſitatis caliginem relicta ſereniſſima veritatis luce devolveris? Quid in petentibus, quærentibus, pulſantibuſque miraris? cur non eidem gratiæ quæ deſideratur aſcribis? Vides bonos conatus, pia ſtudia, & dubitas eſſe Dei dona? Latuerit opus gratiæ, donec fides inſita cogitationis claudebatur arcano. At ubi ſupplex oratio, ubi diligens inquiſitio, ubi apparet crebra pulſatio, quare non ex qualitate operis ſubminiſtrationem intelligis incitantis?* Et poſt pauca. *Quomodo autem non adverſis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis conviceris dicere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmes.*

Et quod eſt attentius conſiderandum Caſſianus 20
non dixerat expreſſis verbis dari auxilium gratiæ petentibus, quærentibus, & pulſantibus, propter bonam petitionem, inquiſitionem, & pulſationem; non inquam, hoc dixerat, ſed ſimpliciter protulit, quod datur pulſantibus, petentibus & quærentibus; imò expreſsè meritum in illis operibus negavit, ut patet tum alias, tum *cap. 37. illius collationis*; & tamen Sanctus Proſper ipſum convincit quod propter illa bona opera facta ſolis naturæ viribus aſſerat gratiam reddi; & ex conſequenti quod velit nolit conſtituat gratiam ſecundùm illa merita dari. Quod & ſimili ſubjuncta ratione demonſtrat. *Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia, præcipuè cum omnes ejuſmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur.* Rectè autem dicit, qui ſic peteret, habere fidem, quia ſi non crederet Deum id poſſe dare, quomodo peteret? & pietatem habere, quomodo enim pietas non eſt, quærere ſalutem, & pietatem auxilij gratiæ, ſimiliter rectè laudatur inſtantia pulſantis, & tamen hæc & tam magna pietatis opera ſoli humanæ naturæ tribuit Caſſianus.

Pari ergo ratione, imò eadem prorſus ibi 8. 21
Proſper damnat ſententiam, quam reprehendimus: quæ idem omninò dicit, ponit enim hominem ex ſe ſolo à Deo petere auxilium gratiæ ut ſibi donetur: quod cum poſſit petere, poterit eadem ratione quærere tale auxilium: ſicut illud poteſt petere, poterit & pro illo pulſare; petendo enim pulſabit, & illud quæret. Vnde author, cum quo agimus, uno verbo quod Caſſianus tribus expoſuit, comprehendit. Et quamvis non dicat propter illam operationem ortam naturæ viribus dari tale gratiæ auxilium, imò neget eſſe illam meriti, aut valoris, ut propter illam præveniens gratia detur, ſicut ſe priùs Caſſianus abſcondit; detectus tamen à Sancto Proſpero convictus manet, quod meritum gratiæ ponat cum priori alio qui idem ſenſit.

Idem tenuit Fauſtus in ſuo *ſecundo libro de gratia,* 22
& humana mentis arbitrio cap. 9. ſic dicens. *Inveniſſet abſque dubio Deum*, ſcilicet homo, *ſi inquirendi apponere voluiſſet affectum, dicente Domino, quærite & invenietis; cum enim mens humana ad videndum oculos aperit, ſtatim deſideranti quæſita luxſe ingerit*, & cap. 10. *Ipſum ergo adjutorij vocabulum laborantis requirit officium. Adjutorij itaque ſermo duos indicat, operantem & cooperantem, petentem & promittentem, pulſantem & aperientem; quærentem pariter & retribuentem. Hoc ſolùm noſtrum eſt ut, qui pro fragilitate idonei non ſumus, ſaltem quærendi & pulſandi importunitate placeamus.* Quam apertè ſtatuit, quod inquirenti & petenti ex naturæ viribus gratiæ auxilium illud Deus tribuit, contendens, quod ſic petens & inquirens Deo placet, & actum efficit prout ad ſalutem oportet: affirmans quod homo ſic petens eſt operans, & Deus cooperans, ille prior, Deus ſubſequendo poſterior.

Quæ doctrina temporibus illis à Caſſiano & 23
Fauſto propoſita & nunc divulgata, necdum à Sancto Patre Auguſtino, & ejus Diſcipulo Proſpero expugnata cognoſcitur, ut ex inductis manifeſtiſſimè conſtat: ſed à Concilio ſecundo Arauſicano apertè invenitur damnata *can. 3. & 6.* in primo

Digitized by Google

mo namque ita diffinitur. *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri: non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Vbi reipsa docet Concilium illud aliud Christi Domini, *petite & accipietis, quærite & invenietis, &c.* quod huic determinationi non potest esse contrarium: intelligi debere, de quærentibus, pulsantibus, & petentibus, non ex sola humana invocatione, sed ex priori auxilio divino. In Canone autem sexto habetur. *Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus, vel hac omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem atque inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit: resistit Apostolo dicenti, quid habes quod non accepisti, & gratia Dei sum id, quod sum.*

24 In omnibus etiam aliis regulis fidei, quibus prædictum Concilium docet initium salutis ex hominibus non esse sed ex Deo, hanc eandem doctrinam, quam impugnamus, quæ in tali petitione, inquisitione & pulsatione initium nostræ salutis manifestè constituit, pariter exterminat; simulque in omnibus aliis quibus definit nihil quod ad salutem pertineat posse à solo homine fieri, eandem damnat sententiam, quæ tam patenter affirmat, posse solam humanam naturam sine gratiæ auxilio aliquo petere auxilium gratiæ, quæ sine dubio petitio prout ad salutem sit.

25 Sed opponunt, quod in Cathechismo Romano habetur, quod naturæ est hominis pro se orare. Et idem inducebatur ex Sancto Machario ex Bibliotheca Sanctorum Patrum, & ex Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 83. *articulo* 10. asserente proprium esse rationalis naturæ orare. Sed ad primum horum ex Cathechismo facilis est responsio, quod cum dicit naturæ est hominis orare, intelligit esse in homine capacitatem ad orandum: sicut cum Sanctus Pater Augustinus dicit *de prædestinatione Sanctorum cap.* 3. *posse habere fidem natura est hominum*, intelligit, & ita ab omnibus communiter explicatur: quod sit in homine capacitas ad credendum quæ non est in bruto: atque eodem modo intelligitur dictum Macharij vel secundo dicendum, quod ideò docet Cathechismus quod naturæ est hominis orare pro se, quia inclinat natura ad orandum pro se, & petendum illa, quæ sibi sunt proportionata, sicut Paganus vel Philosophus, utpotè Aristoteles, poterat à Deo authore naturæ quem cognoscebat, orando petere filios, uxorem, divitias, honorem & his similia ad præsentem vitam pertinentia; non autem intendit Cathechismus quod naturæ humanæ sit petere supernaturalia ut sic.

Ad authoritatem Sancti Thomæ dicendum quod 26
inducto loco ex 2. 2. *quæst. illa* 83. *de oratione*, & *art. illo* 10. nihil aliud docet, nisi quod est proprium rationalis naturæ, includendo intellectuales omnes creaturas, orare; non autem competit orare divinis personis, nec brutis animantibus. Cujus ratio est, quia illi propriè competit orare, cui convenit rationem habere, & superiorem, quem deprecari possit: ex defectu primi brutis animantibus non convenit orare, & propter secundum, quia nihil est superiùs divinis personis, nec ipsis potest competere orare. Hæc ibi S. Thomas: unde loquitur, vel de capacitate ad orandum, quæ ob dicta propriè est in rationali natura, & intellectuali creata, quæ nec est in brutis, nec est in divinis personis: vel loquitur de oratione sive in ordine ad naturalia petenda, sive ad supernaturalia proportione tamen servata, ut videlicet proprium sit rationalis naturæ suis viribus naturalia orando petere: vel proprium sit rationalis naturæ auxilio supernaturali adjutæ orando supernaturalia petere, prout ad salutem oportet. Vnde ex isto articulo nihil penitus deduci potest quod supradictæ impugnatæ sententiæ patrocinetur.

Digitized by Google

TRACTATVS VI.

DE DISPOSITIONIBVS AD GRATIAM habendam requisitis.

CAPVT PRIMVM.

Non posse hominem se solo se disponere, etiam remotè ad habendum auxilium gratiæ.

1 TERTIVM & ultimum quod supradicta assertio relata supra *tract. 5. cap. 1.* continebat, erat posse hominem solis viribus suis satagere se disponere ad recipiendum gratiæ auxilium, ut in priori testimonio ibi relato author illius expressit, aut quodammodo se aptare, & disponere per easdem solas naturæ vires, ut juxta communem cursum & ordinem divinæ providentiæ faciliùs sibi à Deo donentur. Hanc assertionis partem, qui postea præcitatum authorem defendebant, nec ausi sunt eam tueri: quin potiùs non posse illi authori attribui quod sentiat opera merè naturalia esse remotas dispositiones ad auxilium gratiæ contendebant, quod tali argumento probabant: manifestè ille author dicit *in disput. 6.* quod opera solis naturæ viribus facta non sunt dispositiones etiam remotæ ad gratiam, nam illius ibi verba sunt *liberum nostrum arbitrium cum solo concursu Dei generali nihil efficere potest non solum quod vitam æternam aut gratiæ incrementum promereatur, sed neque quod tanquam ordinem ad finem naturalem transcendens commensuratum cum fine supernaturali aliquo modo sit, etiam tanquam remota dispositio ad gratiam tam ex parte voluntatis, quam intellectus.* Sed nec ad alia nunc inducta testimonia in quibus æquè clarè habet per opera solius viribus naturæ facta hominem se aptare & satagere se disponere ad gratiæ auxilium habendum, aliquid quod sufficeret, responderunt. Quod enim dixit, quodammodo, non excusat: quia hoc ideò dicit, quod non reputat esse verè & propriè dispositionem ejusdem ordinis & commensurationis cum auxilio gratiæ, ad quod dicitur disponere. Putat tamen esse quodammodo dispositionem: quatenus ad ipsam auxilium gratiæ consequitur certa lege, ut opinatur & alibi exponit. Vnde revera hæc est concordia & consonantia supradictorum testimoniorum, tum ex *disput. 6.* tum ex 9. & 45. citatorum: quod *in disput. 6.* negat, ut verba sonant opera merè naturalia esse dispositiones remotas ad gratiam habentes commensurationem, & eundem ordinem cum illa: in aliis autem locis asserit esse quodammodo dispositiones, in quantum videlicet homini sic habenti opera talia certa lege auxilium gratiæ datur: & sic quodammodo est dispositio opus illud ad gratiæ auxilium quod sibi correspondet. Imò in posterioribus testimoniis non addit verbum, remotas, sed absolutè dicit se hominem aptare & disponere ad habendum tale gratiæ auxilium, respectu cujus, quia immediatè sibi correspondet, potiùs videtur habere rationem dispositionis proximæ & ultimæ, licet respectu gratiæ justificantis sit remota.

2 Sunt insuper loca alia, quibus clarissimè illa opera naturalia bona vocat dispositiones ad gratiam, ut *illa disput. 9.* In qua postquam dixit quod homo potest satagere se disponere per opera merè naturalia ad habendum auxilium gratiæ, subdit, *sane id totum nullius est meriti, aut rigoris ut ei gratia præveniens propter ejusmodi dispositiones impendatur.* Et *quæst. 2. 3. art. 4. & 5. disput. 1. membr. 11. §. Illud addendum*, in fine ait: *quod opera moraliter bona ea ratione qua Deus propter illa consuevit opitulari magis uni quam alteri, consueverunt non immeritò appellari dispositiones remotæ ad gratiam.*

3 Intentio ergo authoris illius assertionis, & substantialis doctrina est, quod homo per illa opera bona moralia solius naturæ viribus facta, se talem reddit, ut ei certò correspondeat primum gratiæ auxilium, ut cætera sequentia opera faciat prout ad salutem oportet: unde aliquando vocat tale opus dispositionem ad tale auxilium gratiæ, ut patet citatis locis: aliquando videns hoc malè sonare negat quoad verba sola esse dispositionem nimirum commensuratam cum gratia, hoc enim ideo fecit, ut sicut in cæteris Cassiani doctrinam sequitur in illa damnata Collatione 13. ad Chæremonem, ita & illius imitaretur astutiam, quâ cum à principio dixisset bonarum voluntatum ex Deo prodire principia, postea etiam ex homine ipso asseruit bonarum voluntatum prodire principia aliqua, in prioribus verbis prætendens principia supernaturalia, & commensurata cum fine supernaturali ex Deo esse; in posterioribus autem callidè solis verbis se occultans prætendendo illarum bonarum voluntatum principia non esse commensurata cum fine supernaturali. Sic igitur hic author à principio *disp. illa 6.* negat opera merè naturalia esse etiam remotas dispositiones commensuratas cum gratia: ac in sequentibus per eadem opera merè naturalia asserit hominem aptari & disponi ad habendum gratiæ auxilium: & ista fuit illius intentio satis alijs in locis in contextu suæ doctrinæ explicata.

Vnde sicut Sanctus Prosper contra illum priorem, patefactâ ejus intentione, ita & nos adversùs hunc posteriorem; cujus etiam ex proprijs verbis doctrinam nudavimus; ex eodem sancto Prospero dicimus *Doctor Catholice cur professionem tuam deseris? cur ad famosam falsitatis caliginem relicta serenissima veritatis luce devolveris.* Et infra. *Vbi est quod regulari diffinitione præmissum est, non solùm actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium.* Vbi inquam est, si homo se potest aptare, & disponere se solo ad habendum auxilium gratiæ (quod præmissum est *disput. 6.*) talia opera à solo homine facta non esse dispositiones, etiam remotas ad gratiam? Consideratis ergo his diffinitionibus tuis non est occultum quantum ab illius sententiæ sanitate descivèris, in qua quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando Catholicarum

Digitized by Google

rum tibi aurium judicia conciliare voluisti, dicendo opera merè naturalia, nec remotas dispositiones esse ad gratiam, quibus de præmissæ professionis fronte securis facilè sequentia irreperent, quibus dicis hominem cum generali Dei concursu posse se aptare, & disponere ad auxilium gratiæ habendum, si illa prima placuissent, sicut prius Sanctus Prosper contra collatorem dixit.

4 Non te excusat quod dispositionem etiam remotam commensuratam cum gratia à principio tuarum disputationum neges in operibus solius naturæ viribus effectis; & in posterioribus dispositionem in eisdem operibus admittas, sed non commensuratam cum auxilio gratiæ, quod eidem infallibiliter dari contendis, quasi aliqua dispositio sit aut esse possit, quæ cum eo ad quod disponit, commensurata non sit: & non sit ejusdem ordinis cum illo, & ab eodem agente non sit producta, à quo id ad quod disponit, efficitur? aut aliquid juvet aliquando negare in operibus naturæ dispositionem ad auxilium gratiæ, cum eis auxilium ipsum correspondere ponatur? aut licet omnino dispositionis nomen negaretur, & solùm occasio esset expressa, excusare posset postquam nec Cassianum prius ita loquentem potuit excusare? aut tandem cum dicatur quod auxilium gratiæ datur certa lege operibus merè naturalibus: quibuscumque alijs verbis in solo verborum sonitu illa opera deprimantur, excusari valeat, cum apertissimè convincatur sicut & sancti Patres semper concluserunt in illis operibus naturæ reipsa & veritate initium salutis constitui.

5 Cum igitur concludatur authorem prædictum in illa assertione relata asserere per opera merè naturalia aptari hominem, & disponi ad recipiendum auxilium gratiæ, esseque illa opera solius facultatis naturæ effecta dispositiones ad gratiam, ad justificantem quidem remotas, ad auxilium autem prævenientis gratiæ proximas, adhuc perseverant sui defensores asserere, quod cùm ille author esset bonus Philosophus, non est iudicandum ipsum dixisse contra omnem rationis, & Philosophiæ lumen opus naturale, cum non sit ejusdem ordinis cum gratia, esse dispositionem ad illam. Ad quod ex dictis patet solutio; putavit enim dispositionem commensuratam debere esse ejusdem ordinis, non aliam non commensuratam, in quo licet etiam id asseruerit contra omne Philosophiæ lumen, tamen illud fuit opus arbitrij contendentis naturam elevare adversus Dei gratiam; unde nec mirum si etiam in lumine rationis erraverit, sicut & plerique cæteri similiter erravere. Nunquid enim non acutissimus Pelagius fuit, & ita acutus, ut ad illum debellandum divina providentia acutissimum destinaret Augustinum; & tamen quia arbitrium habebat gratia desolatum, in illo & alijs contra omne rationis lumen erravit?

6 Prætendunt postremò illum defendere dicentes eum in hoc sensu dixisse, opera merè naturalia esse dispositiones ad auxilium gratiæ, non conferentes videlicet positivè ad illam seu per se, sed tamen per accidens removendo prohibens. At illa explicatio & in se falsa est, & contra doctrinam authoris quem curat defendere. Hoc secundum manifestè patet ex relatis verbis, quibus dicit hominem per talia opera merè naturalia se aptare & se disponere ad habendum, seu facilius habendum auxilium gratiæ; quæ sine dubio sonant positivam dispositionem, nec expressioribus verbis illam nos possumus explicare. Secundò quia prædictus author *disput.* 9. postquam dixit: quod magis indignus est ut à Deo adjuvetur; qui siniſtra intentione, quam qui bonâ accedit ad audiendum Evangelium; tamen postea *in disp.* 12. §. *ex dictis*, versus finem ita habet. *Adde etiam quod quamvis nullum omnino meritum antecedat auxilium gratiæ prævenientis, attamen quod peccator aptus reddatur, ut juxta communes leges illud recipiat, multum pendet ab arbitrio ejus.* Ecce, quod aptus positivè reddatur quis ut recipiat auxilium gratiæ, dicit multum pendere ab illius arbitrio, quo nimirum benè naturaliter operando aptus redditur homo positivè, ad auxilium gratiæ habendum. Manifestum est igitur hanc explicationem esse contra textum cui adhibetur, & contra authorem qui defenditur. Quod autem falsa sit, patet modò breviter (quia infra tractantes illam quæstionem, an facienti quod in se est ex sola sua natura infallibiliter detur gratia: copiosius impugnanda est) nam opera naturalia non possunt removere prohibens auxilium gratiæ, quia hoc prohibens peccatum est; ut supponimus, quomodo autem volunt ij authores ut hoc prohibens per opera naturæ removeatur?

Tandem pro defensione illius assertionis indu- 7
cunt illius defensores Sanctum Thomam in 2. *sent. dist.* 28. *quæstion.* 1. *articulo* 4. dicentem, quod per actus naturales se homo disponit ad gratiam: sunt ergo naturales actus boni dispositiones ad gratiam.

Ad hoc dicendum Sanctum Thomam in illo ar- 8
ticulo loqui de dispositione ad gratiam gratum facientem: ut patet expresè ex fine corporis ubi sic concludit. *Et ideo alijs consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem ex solo libero arbitrio se homo potest præparare.* Hæc enim S. Doctoris verba sunt, sed per hæc verba (ex solo libero arbitrio) solum excludit aliquem alium habitum gratię gratis datæ esse necessarium ad talem dispositionem: non autem excludit, sed potiùs positivè & clarè includit quamcumque divinam motionem, & divinam providentiam, & divinum auxilium præparans hominem ad talem gratiam, ut constat apertè ex principio corporis. Et clarius *solutione ad primum & secundum*, in primo loco sic habet. *Ad primum ergo dicendum quod directio gressus spiritualis non potest esse nisi à Deo; sine cujus providentia nullum bonum contingit: nec tamen oportet quod hoc per aliquem habitum infusum fiat: si directio gressuum ad præparationem ad gratiam gratum facientem præcedentem referatur.* In solutione autem ad secundum ait. *Ad secundum dicendum quod homo non potest se ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio, & ideo rogandus est ut nos ad se convertat, & etiam alios, nec tamen oportet quod illud auxilium semper sit per aliquem habitum infusum, sed potest esse per multa, quæ exterius sunt salutis occasio, & per ipsum actum interiorem quem Deus in nobis causat.* Vnde cum in fine corporis probat, posse esse ex solo libero arbitrio præparationem ad gratiam ex eo quod si faciat quod in se est, Deus dabit ei gratiam, manifestè loquitur de faciente arbitrio quod in se est ex divino auxilio, non ex solis naturæ viribus. Et certè mirum est, quod isti authores non audeant in authore, quem defendunt, concedere posse hominem per solas arbitrij vires disponere se ad primum auxilium gratiæ, & tamen contendant Sancto Thomæ ascribere posse hominem per solas vires suas se disponere proximè seu ultimò ad gratiam gratum facientem. Eodem modo intelligitur Sanctus Thomas cum in eodem 2. *dist.* 5. inquit *quod homo ex solo libero arbitrio habet conditionem qua disponitur ad justificantem gratiam*; excludit enim alium habitum gratiæ gratis datæ ad illam contritionem necessarium, non aliud auxilium actuale gratiæ, ut plenius

explicui

Digitized by Google

explicuimus supra agentes de contritione, & de auxilio supernaturali ad illam requisito. Tantùm autem abest quod sentiat Sanctus Thomas posse hominem se disponere sine auxilio gratiæ ad justificationem; vel justificantem gratiam quod in *quodlibet.* 1. *art.* 7. id expressè docet pertinere ad errorem Pelagianorum, verba ejus sunt: *Vnde ad errorem Pelagianorum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ; & est contra Apostolum qui dicit ad Philip.* 1. *qui cœpit in vobis opus bonum: ipse perficiat.* Et 1. 2. *qu.* 109. *art.* 6. manifestissimè docet & probat non posse hominem per seipsum absque auxilio gratiæ se ad gratiam justificantem præparare. Vnde se declarat clarissimè per ista ultima loca, quid senserit in illo loco ex *lib.* 2. *sent.* oppositò: licet negandum non sit quoad verborum proprietatem, multò magis propriè in locis modò inductis quam in illo loco sententiarum quem à principio adhuc juvenis scripsit; quia etiam in illo loco, & in alijs ex *lib. sent.* sæpè affirmat quod non possit se præparare homo ad gratiam sine priori auxilio gratiæ, ut infra in hoc lib. agentes, quomodo facienti quod in se est Deus dat gratiam, expressiùs & evidentiùs declarabimus.

9 Quod si in aliquo Scolastico invenitur opus morale bonum ex sola naturæ facultate elicitum esse remotam dispositionem ad gratiam in sano sensu loquuntur: nec enim id dicunt quia putent quod habito illo bono opere morali statim reddatur auxilium gratiæ, sed illud opus largè vocant dispositionem remotam, id est, minorem repugnantiam, seu resistentiam; sicut solet dici lignum aridum dispositum ad ignem, non autem viride: non quidem propriè dispositum ita quod ad ariditatem, vel siccitatem ignis statim sequatur; sed quia habet minus de resistentia & contrarietate lignum siccum, quam viride, ut ignis introducatur, si tamen agens applicetur. Et in hoc sensu non esset inconveniens concedere, quod qui exercet se in bonis operibus moralibus, minùs sit indispositus, & minorem repugnantiam habeat cum gratia, quam ille qui peccatis abundat, sed ad istam minorem indignitatem non sequitur auxilium gratiæ, sed Deus dat sæpissimè submerso in peccatis pluribus & gravioribus, relicto eo qui minora peccata habet; ut ostendatur opus esse divinæ largitatis & gratiæ, & nihil juvare omnia naturalia bona, ut gratia largiatur. Et hoc modo procedunt Ruard. *art.* 7. *pag.* 345. & Ioannes Driedo *de captiuit. & redempt. tract.* 5. *cap.* 2. *fol.* 125. Ricardus *in* 2. *d.* 28. *art.* 7. *qu.* 2. *art.* 6. *dub.* 3. cum dicunt opus morale bonum ex sola facultate naturæ elicitum posse dici dispositionem remotam ad gratiam: & per illum se præparare & aptum reddere hominem, ad quem adjuvandum veniat Deus. Intelligunt enim per illa opera se reddere minùs ineptum & minùs indignum, & habere minorem repugnantiam cum gratia modo dicto. Imo hoc modo intelligitur Sanctus Thomas in 2. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad ultimum* cum dicit opera bona naturalia esse remotas dispositiones ad gratiam: & Albertus atque Altissiodorensis, cum dicunt quod se disponit homo per opera naturalia ad gratiam excitantem.

10 Meritò poterit aliquis objicere, cur sicut citatos authores piè explicamus, cùm dicunt bona opera naturalia esse remotas dispositiones ad gratiam, non etiam ipsum authorem eodem modo exponimus, & ab errore liberamus. Ad hoc dicendum, quod si ipse nihil aliud in sua concordia dixisset nisi hoc solùm: absque dubio ipsum cum alijs piè explicaremus. Cum autem in tota concordia nihil aliud intendat nisi vires arbitrij adversus Dei gratiam extollere: & ex certa lege auxilium gratiæ promittere facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, ista prohibent ipsum explicare illo modo de sola minori indignitate & repugnantia; ut est apertissimum.

Quinimò in disputatione sequenti erit manifestum authorem hunc non solum dicere, posse hominem solis naturæ viribus se remotè disponere ad gratiam justificantem, sed etiam id efficere sola facultate naturæ, quo immediatam & proximam dispositionem ad justificantem gratiam obtineat, per quam de facto justificetur, quod esse errorem in fide communiter Theologi affirmant 1. 2. *qu.* 109. *art.* 6. ubi videndus est magister Cumel, & alij. Quod etiam, qui ejus postea defensarunt sententiam, ausi non sunt defendere, quia illum conabantur explicare, sed quam sine apparentia, ostendunt illius authoris verba, quibus ex certa lege constituit dari auxilium gratiæ non solùm ad credendum, sed etiam ad dolorem de peccatis, & ad justificationem ipsam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. Si ergo facienti quod in se ex sola natura in ordine ad ipsam justificationem datur proxima dispositio ad illam simul cum justificatione ipsa, constat quod homo per naturæ vires ita operatur ad justificationem ut infallibiliter ei justificatio tribuatur, quia nimirum fecit quod in se est ex solis naturæ viribus: sed de hoc infra sequenti disputatione. 11

Rationes autem ad probandum non posse opus morale bonum esse dispositiones ad auxilium gratiæ habendum, nec aliquem ordinem dicere aut connexionem cum illo, eædem sunt cum illis quæ præcedenti utroque capite allatæ sunt, quia sequitur à nobis solis effici opus prout ad salutem oportet, quod Concilia manifestè damnant Arausicanum, & Tridentinum. Sequela constat: nemo enim negabit dispositionem ad gratiæ auxilium habendum, cui & tale auxilium datur, non esse opus prout ad salutem oportet; cum esse opus salutare sit manifestum. Item sequitur initium salutis ex nobis; in dispositione enim alicujus formæ ipsa forma incipit, & talis dispositio initium, & inchoatio formæ est, ut ex Physicis concluditur. Præterea sequeretur esse talem dispositionem meritum de congruo saltem, & secundum pietatem, cui auxilium gratiæ debitum redderetur. Debetur enim dispositioni formæ, & subjecto dispositio ad formam connaturali ordine forma est debita; & si disponens se est liberè & bene operans, meretur, ut sibi sic se disponenti auxilium gratiæ tribuatur. Et ad convincenda tria hæc potissima inconvenientia, quæ manifestè sequantur ex positione, quæ sustinet hominem solo generali concursu posse se aptare & disponere ad auxilium gratiæ, inducenda sunt omnia; quæ in duobus præcedentibus capitibus ex Sancto Patre Augustino, Sancto Prospero, & Concilio Arausicano allata sunt. 12

CAPVT II.

Quinam dixerint quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certa lege dat auxilia gratiæ?

IN hac materia & causa, & potest quæstio procedere de re ipsa per verba æquivalentia divulgata, & de illa sub his formalibus verbis asserta, quibus in titulo prænotatur; utrumque enim oportet clariùs 13

Digitized by Google

riùs aperire, quia assertio ista sive his, sive aliis æquivalentibus verbis tradita fundamentalis est, imò primum fundamentum quo præcipitatores arbitrij, ut ipsum adversus Dei gratiam extollerent, semper usi sunt.

Quoad primum, si quæ primo nostro libro relata ex Pelagio, Iuliano, Cassiano, & Fausto considerentur, manifestum erit omnes illos hanc assertionem sub aliis æquivalentibus verbis, sicut sui dogmatis fundamentum elegisse. Pelagius quidem id posuit cum asseruit, quod *aliqui ideò judicandi sunt, atque damnandi, quia cum habeant liberum arbitrium per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Quæ verba ipsius Pelagij esse S.P.August. refert *libro de gratia Christi c.* 31. & à nobis primo nostro libro relata sunt, *part.* 1. *tract.* 1. *c.* 12. §. *unum solum.* Quibus apertè protulit quod benè utenti ex se arbitrio, seu quod idem est facienti quod in se est ex arbitrio suo & illius naturali facultate: Deus certò dat gratiam imò clariùs pronuntiavit id quod ex tali positione consequitur, illud benè uti arbitrio seu illud facere quod in se est ex illius naturali facultate, esse meritum ipsius gratiæ.

14 Circa quæ verba Pelagij valde perpendendum, quod Vega & Medina atque cum illis Cumel notarunt, nimirum Pelagium non adeo desipuisse ut diceret nos ex nobis solis posse facere Deum simpliciter debitorem primæ gratiæ, & mereri illam de condigno, aut ex justitiæ rigore; sed tantùm meritum posuit ex Dei ordinatione, & lege infallibili. Quoniam ad rationem meriti sufficere videtur quod merces debeatur, non tam ex natura operis, quàm ex ordinatione divina. Imò verò meritum quo justi merentur gloriam potissimè fundatur in ordinatione & lege divina. Et quod ista fuerit mens Pelagij cum meritum nominabat, patet: nam ideo ipse constituebat meritum primæ gratiæ, ne Deus videretur acceptor personarum: & etiam ut in potestate hominis salutem constitueret; sed ad utrumque istum finem servandum satis esset si homo mereretur primam gratiam, non tam ex condignitate & vigore operis, quam ex certa ordinatione & infallibili lege divina. Vnde si hoc ei semel concederetur, ille planè finem quem intendebat, consequeretur, & planè quiesceret, quod iterum dicimus perpendendum. Hanc autem reipsa fuisse sententiam Pelagij efficacius ostendimus *primo nostro libro à principio tract.* 1. *cap.* 3. nec unquam exposuit Pelagius illud esse meritum de rigorosa justitia, vel de condigno.

15 Iulianus verò cum statuit ex homine ipso sine gratiæ adjutorio incipere imperfectam boni cupiditatem, cui gratia dabatur ut perfectam haberet cupiditatem boni (quod & satis exposuimus primo nostro libro *tract.* 3. *cap.* 1. eisdem verbis posuit, quod facienti quod in se est Deus certa lege dat gratiam: Idem enim est quod homo ex se incipiat habere imperfectam boni cupiditatem cui gratia detur, & quod homo ex sola facultate arbitrij sui faciat quod in se est in appetitu boni, & quod ex certa lege ei gratia detur, ut est satis conspicuum. Imò ut ex dicendis constabit, limitationes quas illi assertioni adhibent modò Theologi aliqui, sub æquivalentibus omnino verbis Iulianus in nunc relatis expressit.

16 Cassianus tandem & Faustus clariùs id apposuerunt in illis initijs naturæ, quibus gratiam dari affirmabant ut notum dedimus primo nostro libro *tract.* 4. & sequentibus. Quis autem non videat idem omnino esse constituere in homine imperfecta bona initia naturæ quibus gratia detur; & asserere facienti quod in se est ex solis naturæ viribus certa lege gratiam dari? Modificationes autem quibus nunc quidam prædictam assertionem temperant, temperaverunt priùs efficacioribus verbis antiquiores isti Cassianus & Faustus ut ex collatore verborum ad verba infra apertius ostendemus. Imò Faustus *lib.* 1. *de gratia, & humanæ mentis arbitrio cap.* 15. & 16. in terminis illam propositionem constituit dicens: facienti quod in se est ex facultate naturæ, credendo, petendo, quærendo, pulsando, & divinis præceptis obtemperando Deus confert gratiam suam & misericordiam. Quam etiam assertionem tractat, *lib.* 2. *cap.* 8. & 9. Eam denique moderans seu temperans *cit. libro* 1. *cap.* 17. negat meritum in illo homine sic faciente quod in se est respectu doni gratiæ: sic enim subdit. *Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quidquam de ejus meritis vindicemus.* Quam etiam moderationem adhibuit Cassianus *collatione* 13. *cap.* 16. ut liquidò constet hoc ipsum temperamentum, quo authores cum quibus agimus adhibent modo adhibitum à Cassiano & Fausto Semipelagianorum ducibus: nec illis profuisse quo minus per Sanctum Patrem Augustinum, Hilarium, & Prosperum atque Fulgentium, imo à Leone 2. in Concil. Arausic. fuerit illorum sententia de hujusmodi initijs gratiæ planè damnata, ut ex toto illo Arausicano Concilio redditur manifestum.

17 Quod adeo clarum & notum est, ut his temporibus in Hispania quidam Thomas Peresius, *in lib. excusso*; cum teneret dari illa initia gratiæ: & ex alia parte videret eadem à Fausto & Cassiano in terminis tradi, ausus fuerit asserere, non erasse Semipelagianos eosdem Faustum, & Cassianum in astruendis illis initijs gratiæ, in quo penitus nedum doctrinam Sancti Patris Augustini & aliorum Sanctorum Patrum, verùm fidem traditam in Concilio Arausic. 2. labefactare conatus est, qui propterea liber à supremæ sanctæ Inquisitionis officio in Hispania suppressus est ut *in hoc tract. c.* 4. clarius dicemus, referendo tres propositiones prædicti authoris ex supradicto libro.

18 Præter Pelagianos verò, & Semipelagianos relatos idem sub alijs verbis tenent Rabbi Moyses relatus ab Eymerico in *Directorio parte* 2. *cap.* 4. *num.* 6. sub his verbis. *Item asserit*, scilicet Rabbi Moyses, *quod homo sufficienter possit se disponere ad gratiam Prophetiæ, & quod Deus non elegit in prophetando quemlibet hominem singularem sed illum qui se disponit ad talia per sua naturalia, in quo visus est velle divinam gratiam dependere ex operibus nostris.* Similiter posuit (ut ibi refertur *num.* 9.) quod licet voluntas à Deo immutari possit nunquam tamen de facto immutatur. In utroque autem sicut & in alio primo, quod supra ex ipso retulimus, posse nempe hominem sine auxilio gratiæ omnia servare mandata, peccata omnia vitare, Pelagianam doctrinam & ipse tenuit.

19 Scholasticis alijs eadem assertio ab aliquibus Theologis temporis hujus ascribitur. Sed quam sine causa denudandum erit inferiùs: unde recensendi sunt modò qui eam his temporibus introduxerunt, & multiplicatis verbis illisque patentissimis eam fundarunt, & magno studio defendere curaverunt.

20 Istorum primus fuit Ludovicus Molina in sæpiùs relata sua concordia *quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 10. statim in principio. Cujus verba relata primo nostro libro *tract.* 6. *cap.* 8. sic habent: *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis naturalibus conatur, præstò vè est ad conandum totum id quod ex se potest, tam*

Digitized by Google

circa ea quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ad justificationem à Deo conferri gratiam prævenientem, auxilia vè quibus id faciat, ut oportet ad salutem, non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxilijs, utlaque ratione illa promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges quas tam ipse quàm Pater æternus statuerunt, de auxilijs, & donis quæ nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, una eaquè rationi maximè consentanea fuit ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus, ut ea ratione dum essemus in via semper in manu arbitrij nostri posita esset salus nostra; per nosque ipsos staret quod ad Deum non converteremur. Hæc ille. Prosequitur, & ait: *Quare sicut Deus semper præsto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit prout placuerit, ita præsto illi est per auxilium gratiæ sufficiens, ut quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex his quæ ad justificationem spectant, illud assequatur prout ad salutem oportet, sæpè etiam liberum arbitrium quasi sopitum ac torpens excitat, & pulsat longéque majoribus auxiliis adjuvat, quamvis alia ex parte magnum cernatur discrimen. Nam per concursum generalem præsto est Deus libero arbitrio ad naturalia lege quasi naturali ordinaria, quæ agentibus omnibus statuit non denegare talem concursum. At verò libero arbitrio præsto adest per auxilium gratiæ saltem sufficiens ob merita Christi, qui ut verus Redemptor nobis promeruit, illud atque obtinuit; eamque legem subveniendi hominibus cum Patre constituit.* Ibidem præterea subdit exponendo illud Ioan. 1. dedit eis potestatem, Christus scilicet suo adventu, filios Dei fieri. *His etenim eatenus facta est potestas ut filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est, conentur, præsto illis aderit Deus, ut fidem & gratiam consequantur, ne desiderio suo fraudentur, quare ea ratione in potestate eorum est, ut filij Dei fiant.* Idem habet in *disputatione* 11. quæ brevissima est, quod iterum confirmat *disput.* 14. *membro* 5. §. *post hanc* dicens. *Quoniam verò facienti quod in se est Deus non denegat gratiam Christusque nobis promeruit auxilia, non solùm qua conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere quod in nobis est præsto essent ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam ideò paratus fuerit ad conandum ex timore efficiendumque totum quod potest circa detestanda peccata commissa, & cavenda imposterum omnia lethalia præveniatur à Deo affectu donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria.* Imò addendum putavit *eadem disput.* 14. *membro* 5. *in fine* verba hæc; *At verò quicumque sordibus lethalium peccatorum infectus conaretur ex suis naturalibus mortem pro Deo habere, efficeréque pro oblata occasione quod in se esset, ut formali vel virtuali eorum peccatorum pœnitentia veniam consequeretur. Sanè cum Deus facienti quod in se est paratus de lege ordinaria sit subvenire supernaturali auxilio reponeretur in gratia, esseque verè martyr, non tamen solis suis viribus; sed supernaturali Dei auxilio præventus atque suffultus.* Et per hoc verificat quomodo homo faciendo quod in se est quoad justificationem, certa lege justificatur.

20 Quibus si attendamus, octo proponit, primum, quod ut gratia prævenies detur, debet homo facere totum quod ex suis naturalibus potest, vel circa fidem amplectendam, vel circa dolorem de peccatis. Secundum; quod non solùm prævenies gratia datur sic conanti ex naturalibus suis, sed etiam ei qui præsto est ad conandum. Tertium; quod non solùm Deus dat gratiam facienti quod in se est ex solis viribus suis, sed quod quandoque torpens excitat arbitrium. Quartum; quod Christus Dominus meruit ut sic ex naturalibus suis conanti, vel præsto existenti ad conandum Deus det gratiæ auxilia. Quintum, quod de hoc ipse cum Patre æterno certam legem constituit de dando sic conanti gratiæ auxilia. Sextum, quod hac ratione (nimirum quia si facimus ex naturæ viribus quod in nobis est, Deus certò dat auxilia gratiæ, ut id efficere possimus secundùm quod ad salutem oportet) est posita salus nostra in manibus nostris, & in nostra potestate dum sumus in via. Septimum, quod hac eadem ratione quia facientibus nobis quod in nobis est ex natura, Deus certa lege dat gratiam, in potestate nostra est, ut filij Dei simus. Octavum & ultimum; quod totum illud facere quod in nobis est ex sola naturæ facultate, non est meritum ob quod talis præveniens gratia detur.

Hæc est in substantia tota hujus Authoris Doctrina in hac parte quæ eadem est re ipsa æquivalentibus verbis cum illa, quâ apertè constituit quod homo ex se incipit bonum velle, seu boni aliquam cupiditatem, & statim gratia consequitur, quæ est in substantia illa priorum sententia.

CAPVT III.

Quomodo alij recentiores defendant, quod facienti quod in se est Deus ex certa lege gratiam tribuat?

VIdimus modum, quo ille primus author concordiæ defenderit dari gratiam ex certa lege facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, videamus nunc quæ circa eandem assertionem postmodum Franciscus Suarez adhibuit. Sic enim ipse interpretando priorem appositi *libro* 3. *de auxiliis cap.* 2. *num.* 6. §. *non sic*, dicit: *Non omittam autem*, inquit, *hoc loco advertere quosdam scholasticos non ignobiles, aut recentiores tantùm, sed etiam graves & antiquos docuisse posse hominem per vires naturæ aliquid efficere quo primum gratiæ auxilium, seu primam gratiæ vocationem obtineat atque ita expositisse illud axioma (facienti quod in se est Deus non denegat gratiam) de illo qui per vires liberi arbitrij quod in se est facit; sed horum Theologorum sententia piè explicanda est, & non statim cum Semipelagianorum errore involvenda: habet enim Catholicum sensum, quamvis fortasse commodius, magisque sine occasione aut vestigio suspitionis posset aliquis verbis declarare. Studuerunt*, inquit, *hi Doctores Catholici ut sufficientiam, & necessitatem gratiæ declararent, invenire modum, quo sit in potestate hominis habere illam etiam quoad primum auxilium quia alioquin non apparet quomodo sit in potestate illius salutem obtinere, si non est in potestate illius eam inchoare.* Hæc ille quæ illius verba etiam relata à nobis sunt primo *libro* 1. *part. tract.* 6. *cap.* 18. Ecce inchoationem seu exordium salutis ex homine ipso homini tribuit verbis apertis. 21

Dicet fortè aliquis authorem præfatum moderamen appositi præditæ assertioni quo eam ad sensum deduxit Catholicum, protinus enim subintulit. *Atque hinc supponunt* (scilicet scholastici illi doctores non ignobiles, au recentiores) *Id quod certissimum est, Deum in quantum in se est paratum esse ad dandum omnibus gratiam suam, & ad vocandum omnes adultos (qui soli sunt propriè capaces vocationis) sic enim verum est illud Deus illuminat omnem hominem* 22

Digitized by Google

hominem venientem in hunc mundum, & illud vult omnes homines salvos fieri juxta expositionem magis receptam. Hoc ergo modo est in potestate cujuscumque hominis salvari, quia est in potestate ejus habere hoc divinum auxilium, non ex merito aut dispositione sua, sed ex liberali, & generali largitione Dei. Quamvis autem homo nihil ex se possit efficere, quo divinum hoc auxilium, obtineat, sed Deus sola gratuita voluntate sua illud offerat, potest tamen homo (ut D. Thom. lib. 3. contra gent. cap. 15. docuit) sua voluntate impedire sufficienter & quantum in ipso est, ne à Deo actu recipiat hoc auxilium, & hanc vocationem, si multiplicando peccata magis, ac magis illius indignum se ipsum reddat. Dico autem sufficienter, quia peccatum quantum in se est, est hujus pœna dignum, quamquam non obstante quocumque peccato possit Deus hanc gratiam conferre, & sapè id faciat, illuminando, & efficacissimè vocando etiam gravissimos peccatores, ut certissimum sit hanc gratiam dari, cui datur sine merito ejus; quamvis ei, cui actu non datur ex demerito, & impedimento ejus non detur.

23 *Hinc verò ulterius fit, inquit, quod si homo habens solum naturale lumen rationis. Ita se gereret, ut nullum novum impedimentum gratiæ adhiberet, infallibiliter opportuno tempore auxilium, vel vocationem gratiæ reciperet, non ex suo merito, sed ex generali illa liberalitate Dei, qua est ad omnium ostium & pulsat. In hoc ergo sensu dixerunt illi authores, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam; & clarius diceretur non ponenti obicem, & impedimentum per id quod ex se facere potest; Deum ex sua liberalitate dare gratiam quam homo promereri non potest. Quæ veritas hoc modo explicata fere concedit cum illa, quam Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. & 13. confirmavit, Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab eo. Esset enim maxima desertio Dei, si vel primam vocationem, & auxilium gratiæ, & homini non impenderet, qui per pravum usum sui liberi arbitrij eum denuo non deserit igitur verum est, Deum dare gloriam suam non ponenti obicem, nec per hoc aliquid homini attribuitur, quo gratiam promereatur, sed solum, quod possit illam per peccatum impedire vel ad summum quod possit vitare peccatum contra legem naturæ, quo posset eam impedire, potest autem id homo per liberum arbitrium, vel quoad singulos actus, vel quoad omnes per breve tempus, vel certè id etiam potest speciali Dei protectione quamvis nondum sit elevatus, vel excitatus ad actus supernaturales juxta ea, qua statim subjungimus.* Hæc ille unum potissimè hîc advertendum, quomodo finis, & potissima ratio, ob quam hanc certam legem statuunt ij authores, esse ut sic sit posita salus in manu & potestate hominis, ut clarissimis verbis exponunt. Diximus hanc esse rationem, & finem potissimum; quia etiam id dicunt, ut non appareat Deus acceptor personarum. Qui autem postmodum hanc defendebant doctrinam, eam excusare nitebantur novis, & multiplici studio excogitatis defensionibus, quas & scripto tradiderunt. Pater Cobos atque Asrubal.

24 In defensionem enim ejusdem propositionis, hæc ab eisdem doctoribus opponebantur; primò, quod error Pelagianorum, & Semipelagianorum contra necessitatem gratiæ prævenientis fuit, homines ex viribus solius naturæ efficere posse aliquod meritum, vel aliquem bonum actum, propter quem illis gratiæ auxilia à Deo conferantur, tanquam remuneratio antecedentis, & laudabilis conatus, cujus intuitu Deus inclinetur ad conferenda gratiæ auxilia. Quod probabant ex Epistola Hilarij ad Sanctum Augustinum *vers. Conveniens* ibi. *Eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis sua consequantur effectum.* Eodem modo refert errores Semipelagianorum Beatus Prosper *Epistola ad Augustinum* ante medium. *Volunt*, inquit, *ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur pervenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.*

Clarissimè etiam S. Augustinus *lib. 2. contra duas* 25
Epistolas Pelagianorum cap. ult. in princ. referens Semipelagianorum sententiam, inquit. *Dicunt se quoque confiteri gratiam &c.* usque. *Non tamen reluctanti virtutis studium immittere; hoc quippè ita dicunt, veluti homo à se ipso sine adjutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adjuvari Dei gratia subsequente.*

Idem patet ex Leone primo, qui hæresim dam- 26
navit Pelagianam, nam *Epistola* 86. ad Nicetam de Pelagianis loquens ait. *Hoc tota arte fallendi nisi intelligatur, excipiunt, ut gratia Dei secundum merita accipientium dari sentiatur.* Idem patet ex Cassiano, & Fausto, qui de erroribus Pelagianorum notantur eo nomine, quo dicerent adjutorium gratiæ conferri propter bonum conatum voluntatis; nam B. Prosper contra Cassianum *capite 6. velis* (inquit) *nolis cogeris dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid boni operis præcedere ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur affirmas?*

Præterea Faustus *libro 1. de gratia, & humanæ* 27
mentis arbitrio; quam benè inquit, *Paulus Domini officium conjungit, & famuli, dicendo, & inquirentibus se remunerator fit; sicut enim ad Deum largitio remunerandi: ita ad hominem devotio respicit inquirendi.*

Ab hoc errore satis distat sententia, dicebant, 28
quæ asserit, quod facienti, quod in se est ex solis naturalibus suis Deus det gratiam, non propter aliquem bonum actum suum naturalem aut merito, vel vigore ullo alicujus talis actus, tanquam aliqua ratione secundum pietatem Deo acceptabilem proportionati, & commensurati cum gratia, sed propter sola merita Christi, qui gratiæ auxilium promeruit; his etiam qui adeo non ponunt obicem gratiæ; ut etiam quantum in ipsorum naturali facultate situm est, conentur benè agere.

Quibus postea secundò addiderunt, quæ sequun- 29
tur, quod illa sententia, quæ dicit dari gratiam facienti quod in se est ex naturæ viribus, satis se declarat, non significare, quod homini facienti quod in se est, Deus det gratiam propter illum actum suum naturalem aut merito, vel vigore solo alicujus talis actus, tanquam aliqua ratione secundùm pietatem Deo acceptabilem propottionati, & commensurati cum gratia, sed propter sola merita Christi, qui gratiæ auxilium promeruit iis etiam, qui adeo non ponunt obicem gratiæ, ut etiam quantum in ipsorum naturali facultate situm est, conentur benè agere. Qui autem hoc ita asserit, longè abest ab errore Pelagianæ Doctrinæ. Nam simul cum hoc verissimè consistit Doctrina Orthodoxa contra Pelagianorum, & Semipelagianorum errores in Sacris Conciliis diffinita, scilicet exordium justificationis, non nisi à Dei per Iesum Christum gratia sumendum esse, ut patet testimonio Concilij Tridentini *sess. 6. cap. 5.* ubi hoc expresè traditur sub his verbis. *Declarat præterea Sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præveniente gratia sumendum esse hoc est ab ejus vocatione, qua nullis coram existentibus meritis vocantur.* Quibus verbis manifestè Patres Concilij declararunt exordium justificationis hoc ipso in præveniente gratia, atque vocatione divina

Digitized by Google

consistere, quod ea detur absque ullis meritis, ideſt, absque ullis ipsius hominis actibus in quibus sit aliqua proportio vel commensuratio secundùm pietatem cum ipso auxilio gratiæ prævenientis, vel ullus vigor, aut dignitas ad obtinendam illam: si enim aliquid tale in ejusmodi actibus esset, eo ipso haberent rationem aliqualem meriti.

30 Quare cum Molina locis infra allegatis clarissimè, & sæpissimè neget in actibus naturalibus, qui quandoque collationem gratiæ antecedunt, esse ullum talem vigorem, vel dignitatem, vel proportionem, vel commensurationem cum gratia: atque adeo ullum meritum, manifestum est poni ab illo justificationis exordium in ipsa gratia prævenient juxta hanc declarationem Concilij, apertè enim hoc loco declarat Concilium conjuncta, & connexa inter se esse hæc duo, gratiam prævenientem, seu vocationem divinam esse exordium justificationis, & eam dari sine ullis meritis, & proindè hoc ipso, quod excluduntur merita, verè constitui exordium justificationis in gratia.

31 Asserebant tertiò hinc clarissimè apparere, quantopere differat sententia Molinæ in toto hoc genere quæstionum, ab errore Semipelagianorum, ij enim in actu illo voluntatis acceptandi salutem, & gratiam oblatam ponebant revera proportionem aliquam, seu vim nonnullam obtinendi gratiam, quasi acciperet, nimirum ille actus ab ipso objecto supernaturali peculiarem aliquam dignitatem, per quam esset Deo secundùm pietatem acceptabilis. Et ex eo ipso convincebantur asserere meritum aliquod in illo actu, ac proindè negare quod exordium justificationis inciperet in ipsa gratia prævenient, quandoquidem in sententia istorum antecedebat gratiam ipsam prævenientem actus aliquis, ad cujus dignitatem, vim, & proportionem secundùm pietatem cum gratia Deus respiceret in processu justificationis.

32 Quod autem Semipelagiani ponerent re vera aliqualem vigorem, & proportionem secundum pietatem cum gratia in illo actu humanæ voluntatis his argumentis convincitur.

33 Primò, nam id apertè indicant illorum verba, ut cum ait Cassianus apud S. Prosperum *libro contra eundem cap. 13. Si verò gratia Dei semper inspirari bona voluntatis principia dixerimus quid de Zachei fide, quid de illius in Cruce lationis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam Regnis Cœlestibus inferentes specialia vocationis monita prævenerunt*, & cap. 39. *qui cum* nempè Deus *in nobis* inquit *ortum quemdam bona voluntatis inspexerit illuminat eam, &c.* Et supra cap. 6. de eodem Cassiano Prosper dicit, *aliquid præcedere boni operis propter quod gratiam consequantur affirmas*, & Faustus *lib. 1. de gratia & humana mentis arbitrio cap. 12. sicut sui criminis*, inquit, *est hominis, quod longè pij Parentis refugit oculos, ita sua est devotionis quod per insitum sibi bonum deliberans & assurgens ad paternos recurrit amplexus*, & cap. 17. *Is*, inquit, *quem perspicis attrahentem, requirit omnimodis præcepta servantem, ut per quandam voluntatis ansulam comprehendi, & attrahi valeat, qui vocatur.*

34 Secundò, nam id ipsum apertè indicant verba, quibus in Conciliis proposita, & damnata est illorum doctrina, ut cum dicitur in Concilio Arausicano cap. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, orantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur resistit Apostolo*, & cap. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ posse fieri confirmat, hæretico fallitur spiritu*, & cap. 25. *Hoc credere debemus, quod per peccatum primi Parentis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est posſit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Et in Concilio Tridentino sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet Anathema sit.*

In quibus Conciliis non obscurè significatur Pelagianos, & Semipelagianos non aliter circa illos actus errasse, nisi quia putarent sine gratia posse fieri sicut oportet. Si enim error Semipelagianorum fuisset absolutè quod posset aliquis actus voluntatis humanæ antecedere gratiam prævenientem, & haberi sine illius auxilio, absolutè quoque fuisset in Conciliis diffinitum contrarium, & non solum cum ea limitatione, *prout ad salutem oportet.* Illud etiam advertendum Concilium Arausicanum in citato *can.* 6. non supponere, quod quis possit ex naturæ viribus credere velle, & pulsare Dei misericordiam, vel tantum damnare quod illis actibus misericordia conferatur, sed utrumque damnare, & quod homo illos actus habere se solo possit, & quod eis misericordia detur, quia in utroque Semipelagiani errabant; unde subdit in eodem Canone, *non autem divinitus, ut credamus, velimus, & hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem & inspirationem in nobis fieri confitetur resistit Apostolo, &c.* in quo damnat nos posse sine gratiæ auxilio habere actus illos, quod est secundum condemnatum. Deindè cum subdit, *aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratia adjutorium, &c.* damnat etiam tertium, quod nempè gratia Dei detur illis prioribus naturæ operibus: dico, etiam, quia id ipsum in prioribus verbis illius Canonis damnatum est. Quod autem neget nos illa bona opera solis naturæ viribus facere posse, clariùs diffinit in *Can.* 7. immediatè sequenti. 35

Tertiò, quia similibus verbis S. Augustinus solet commendare sententiam Orthodoxorum huic errori contrariam, nempè ut non dicamus posse liberum arbitrium sine gratia agere aliquid secundum Deum. *Epist.* 146. & nihil pietatis efficere posse. *Epist.* 106. nec posse facere aliquod bonum, quod ad pietatem pertineat; *libro de gratia Christi cap.* 27. nec posse facere aliquid pertinens ad religionem & pietatem *libro de prædest. Sanct. cap.* 2. Igitur Semipelagiani in hoc errabant, quia dicebant posse hominis arbitrium sine gratiæ adjutorio efficere opera aliqua pertinentia ad pietatem, & Religionem, & secundum Deum. 36

Quartò: nam similiter S. Prosper & Hilarius epistolis ad S. Augustinum referunt Semipelagianos illos sensisse per actum voluntatis humanæ inchoare hominem justificationem suam, & promereri gratiam illis verbis, *ut ad istum salvantem gratiam initialis gratia opere*: quo nomine aliqui illorum, ut ibi S. Prosper refert, appellabant naturam à Deo gratis datam *meruit pervenire*, & infrà. *In istis*, inquit, *Pelagiana prævitatis reliquiis non mediocris violentiæ fibra nititur si principium salutis malè in homine collocatur, &c.* Et *libro ad excerpta Genuensium in responsione ad dubium quartum* de Semipelagianis ita dicit: *Nisi ad retributionem referatur, quod gratis datur, ad iniquitatem volunt pertinere, quod redditur.* Et *respons. ad dub.* 7. in eorum sententia in hoc damnat, quod meritis suis hominem erui de potestate tenebrarum dicebant, & in Regnum filij Dei, debita 37

Digitized by Google

bita non gratuita adoptione transferri. Et *respons. ad dub. 8.* ait. *Hoc sentire apertissimè probantur quod gratia Dei secundum merita nostra detur.* Et Hilarius epist. ad Augustinum *eo merito quo crediderint à suo morbo se posse sanari, &c.*

38 Quintò, quia à Deo vim, & pietatem in illo actu esse dicebant Semipelagiani, ut meritum illius actus extenderent ad reliquum cursum salutis, saltem ut contentum tanquam in radice in illo actu. Quod patet ex Hilarij epistola ad Augustinum, ubi ait de Semipelagianis, quod senserunt merito illius voluntatis consequi totum sanitatis spiritualis effectum. Idem patet ex Sancto Prospero *ad excerpta Genuensium, responsione ad dubitationem 7.* cujus verba relata sunt supra.

39 Sextò, quia Pelagiani constituebant in tali actu exordium sive meritum salutis ut patet ex supradictis; talis autem actus non est qualiscumque, qui quovis modo improportionato gratiam præveniat. Constat enim ex ipsa experientia plerumque aliquos actus naturales motionem gratiæ prævenientis antecedere, ut cum quis vult audire celebrem aliquem Concionatorem, sed ille tantum actus est talis qui priùs sit, & proportionatus cum gratia, ut Deus secundum pietatem ipsum acceptet.

40 Septimò evidenti rationi, & experientiæ repugnare videtur, posse aliquod objectum proponi voluntati, in quo nulla prorsus ratione, nullo actu, & sub nullo etiam naturali motivo posset tendere humana voluntas, tanquam in materiale quoddam objectum. Nec est credibile damnari in præfatis Conciliis omnes Theologos qui id posse humanam voluntatem asseruerunt. Quare Semipelagianorum error non fuit, quod voluntas suis viribus qualicumque actu vellet acceptare gratiam, sed quod id possit actu pio, & secundùm Deum & proportionato, atque revera merito aliquo. Author autem Concordiæ, & qui illius defendunt Doctrinam, expressis verbis negant in illo actu facientis hominis, quod in se est, meritum aliquod etiam secundum pietatem, negant expresè initium, seu exordium justificationis in illo esse: negant apertè illum actū habere vim aut valorem aliquem respectu gratiæ: negant expresè habere actum talem aliquam dignitatem, commensurationem, dispositionem, etiam remotam, seu proportionem aliquam cum gratia: negant apertè fieri aliquo modo, prout ad salutem oportet: ergo distant à Semipelagianorum sententia. In eorum libris sunt aperta testimonia, quæ quia nota sunt ob brevitatem omittuntur.

41 Tandem prætensam differentiam inter Doctrinam Authoris Concordiæ, & Semipelagianorum aliis tribus rationibus suadebant. Prima, quoniam Semipelagiani sentiebant hominem faciendo quod in se est, sese ad gratiam positivè disponere, ut ex illorum verbis supra relatis satis constat. Author autem Concordiæ, & qui illum defendunt apertis verbis affirmant hominem faciendo quod in se est ex sola naturæ facultate, nullo modo se disponere positivè, etiam remotè ad gratiā, sed tantùm removendo prohibens, in quo etiam ad invicem differūt.

42 Secunda quoniam Semipelagiani inter ea, quæ homo suis viribus, & quantùm in ipso est, potest facere, numerabant in primis assensum fidei salutaris, atque Christianæ, & uno verbo illius fidei, quæ prorsus in Sanctis Scripturis exigitur, & commendatur tanquam ad salutem necessaria; sicut constat evidenter ex epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, & ex ipso Augustino *toto libro de prædest. Sanct.* Molina autem totis viribus oppugnat hunc Semipelagianorum errorem de fide *disput. 5. 9. & 12. per totas.*

Tertia ratio est: nam Semipelagiani asserebant 43
actus antecedentes excitantem gratiam, qui essent omninò ex solis naturæ viribus non cooperante ad illos ullo auxilio divino collato propter merita Christi redemptoris & conducente ad finem supernaturalem prædestinationis. Molina verò agit de antecedentibus actibus, qui etsi non supponant auxilia supernaturalia secundùm essentiam, præsupponunt tamen specialia auxilia quoad modum saltem peculiaris cujusdam providentiæ hominibus conferri solita propter merita Christi Redemptoris, ut constat ex *disput. 19. §. sexta ratio, & disp. 35. in princ. & quæst. 23. art. 1. disput. 3. §. breviter*, ac tandem *eadē q. art. 5. disp. 1. membr. §. quarta conclusio.*

Ex his sic concludebant: patet igitur abundè ex 44
his omnibus Molinam in illa propositione, facienti quod in se est Deum non denegare gratiam, multis modis dissentire ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum; Imò etiam in omnibus aliis, ferè enim omnes reducuntur ad istam assertionem, quam nunc defendimus & explicuimus.

CAPVT IV.

Quæ tandem exposuerint præfati Recentiores in defensionem supradictæ propositionis, facienti quod in se, *&c.*

TAndem Pater Valentia hanc eandem proposi- 45
tionem defendens, nimirum quod facienti quod in se est ex solis naturalibus viribus suis Deus certa lege dabat gratiam quæ sequuntur pro illius defensione inducebat.

Primò illam propositionem in quatuor partes 46
dividebat. Prima quod homo poterat facere, quod in se est. Secunda quod sic facienti Deus dabat gratiam. Tertia quod erat certa lex de danda sic gratia. Quarta quod dabatur propter merita Christi, & quoad omnes partes Catholicam esse contendebat. Et quidem primam partem evidentem esse affirmabat, quod autem ex certa lege gratia sic facienti daretur propter merita Christi, quæ simul complectitur alias tres, etiam catholicè dicebatur: nam illa certa lex nihil erat aliud nisi decretum divinum, quo Deus ab æterno statuit facere id quod in tempore fiebat, quia sic Deus operabatur in tempore sicut ab æterno operari statuit.

Secundò asserebat, quod ex septem capitibus po- 47
terat prædicta propositio censeri Pelagiana, sive ex quolibet illorum: Primò si dixisset illud opus naturale, cui gratia infallibiliter datur, esse meritum gratiæ, sed hoc nullo modo asserebat propositio illa, quia illius Author semper protestabatur illud opus non esse meritum gratiæ, quod ampliùs ipse sic ostendebat, quia licet gratia daretur infallibiliter, non sequeretur illam esse debitam, vel opus ei datur esse illius meritum: quod sic exponebat. Primò, quia omnes Theologi dicunt quod habenti homini contritionem, vel attritionem cum Sacramento, datur infallibiliter gratia: & tamen nullus concedit contritionem esse meritum gratiæ. Secundò, quia accedens ad recipiendum Sacramentum, in quo imprimitur Character, infallibiliter recipit Characterem, & tamen illa receptio non est meritum illius Characteris, nec opus factum à recipiente Characterem meretur. Tertiò Spiritus Sanctus infallibiliter assistit Sanctitati vestræ ad diffiniendas res fidei, quando vestra Sanctitas voluerit, & tamen vestra Sanctitas sic volens non meretur Spiritus Sancti assistentiam.

Digitized by Google

48 Secundum caput ex quo poterat oriri Pelagianiſmus, erat ſi gratia daretur ex aliquo jure, quod haberet homo ad illam; ſed nec ex hoc capite dicitur quod datur gratia facienti quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ, quia nullum jus ad hoc habet ſic operans; ſed ſolùm ei datur ex meritis Chriſti, ſicut ſi aliquis nobilis obtineret ab alio, ut quoties Patres Franciſcani peterent eleemoſynam eis illam daret cum ipſi, quia incapaces ſunt juris nullum jus haberent ad illam.

49 Tertiò oriretur error Pelagianus ſi in homine conſtitueretur initium juſtificationis ex homine, & non in præveniente gratia contra Concilium Arauſicanum & Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.* quod tamen Authores illius propoſitionis non dicunt, ſed totum contrarium expreſſis verbis affirmant.

50 Quartò ſi homo per illa naturæ opera ſe diſcerneret contra Paulum dicentem, *quis enim te diſcernit?* quod tamen Authores illius aſſertionis non aſſerunt, quin potiùs affirmant, hominem per talia opera ſe ab alio non diſcernere.

51 Quintò ſi per hoc poſſet ſignari ratio: quare Deus hunc trahat, & non alium contra S. Auguſtinum, qui ubique id negat, quod ſimiliter negant Authores propoſitionis præfatæ, aſſerentes quod in tali caſu non trahitur, quia vult homo? nec etiam poteſt oſtendi, quod alius non trahatur, cum Defenſores illius Propoſitionis aſſerant, quod ſæpe Deus trahit eos, qui priùs nihil egerunt boni.

52 Sexto ſequeretur Pelagianus error, ſi qui talem ſuſtinent propoſitionem affirmarent ſic facientem hominem quod in ſe eſt ſe poſitivè diſponere ad habendam gratiam, quod tamen non aſſerunt; imò negant expreſsè ſe hominem per tale opus poſitivè ad gratiam diſponere, ſeu præparare.

53 Septimò & ultimò error oriretur Pelagianus, ſi ex illa propoſitione ſequeretur contra S. Auguſtinum, homines ideo non converti quia nolunt; quia S. Auguſtinus *Epiſt. 107. ad Vitalem* contrarium omnino dicit, affirmans homines non ſalvari, non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult. Qui licet in multis aliis locis affirmet homines non ſalvari, quia ipſi nolunt, ut patet *2. de pecc. merit. c. 17.* dicens ibi quod homines à divina gratia non adjuventur, in eis cauſa eſt; non tamen ſibi contrarius erat, quia hanc dicebant eſſe concordiam, quod cum dicit homines non ſalvari, non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult, ideo hoc dicebat, quia videlicet Deus non vult dare eis gratiam efficacem, at verò cum ait, non ſalvantur quia ipſi nolunt, ideo id dicebat, quia reſiſtant gratiæ ſufficienti, quam Deus omnibus dat.

54 In tertia parte ad confirmationem præfatæ ſententiæ aſſerebat eam defendi à triginta doctoribus, qui infra recenſendi ſunt, quamvis ſi numerentur, numerum prædictum non compleant, ſed parum, vel nihil hoc retulerit. Inter quos ſignanter nominabat, atque legebat S. Thomam *q. 14. de verit. art. 11. in ſolut. ad 1. & 2.* ubi id expreſsè haberi contendebat. Verba Sancti Doctoris ſunt ſolutione quidem ad primum ſic: *Ad primum ergo dicendum quod non ſequitur inconveniens, poſito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, ſi in ſilvis, vel inter bruta animalia nutriatur, hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur, ſi enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè tenendum quod ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret ſicut miſit Petrum ad Cornelium* actorum 10. & ſolut. ad ſecundum hæc habet *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis non ſit in poteſtate noſtra cognoſcere ea, quæ ſunt fidei ex nobis ipſis, tamen ſi nos fecerimus quod in nobis eſt, ut ſcilicet ductum rationis naturalis ſequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis eſt neceſſarium.* Ex quibus inferebat ſententiam expreſſam Sancti Thomæ eſſe quod facienti homini, quod in ſe eſt ex ſola naturæ facultate Deus dat illuminantem gratiam: ſimiliter ſuperaddebat, quod licet aliqui velint interpretari hunc locum de faciente quod in ſe eſt ex divino auxilio; tamen S. Thomas contrarium aſſerere videtur; quia ait non eſſe in noſtra poteſtate cognoſcere ea quæ ſunt fidei ex nobis ipſis, ideſt ſine auxilio gratiæ, nam cum auxilio gratiæ in poteſtate noſtra quidem hoc eſt; at verò ſi nos fecerimus quod in nobis eſt, ideſt, quod eſt in noſtra poteſtate, ut ſcilicet ductum rationis ſequamur, Deus nos illuminabit; ergo ſentit, quod facienti quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ, Deus dat gratiam, alias non diſtinxiſſet S. Thomas inter unum, & alterum.

Adducebat etiam S. Thomam *1. 2. q. 89. art. 6.* ubi 55
dicit, quod ſi homo perveniat ad uſum rationis & ſequatur rationis ductum Deus illum illuminabit, eique gratiam dabit imò inducitur Sanctus Thomas *in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. in corpore* ubi videtur probare actus naturales eſſe diſpoſitiones ad gratiam. Idem dicit *diſt. 27. part. 1. art. 4.* ubi videtur addere *ſolutione ad 4.* quod aliquo modo meretur homo per ſimiles actus de congruo gratiam ipſam.

Inducunt & Albertum magnum in *2. diſt. 28. q. 1.* 56
qui inſinuat faciendo quod in ſe eſt ſe diſponere hominem ad gratiam excitantem. Inducunt ex diſcipulis S. Thomæ Victoriam in *relatione de eo quod tenetur homo veniens ad uſum rationis*, & Bartholomeum Medinam *1. 2. q. 109. art. 6. dub. 3.* Viguerium *libro inſt. Theolog. cap. 10. §. 4.* Scotum cum Durando, & Adriano in *4. diſt. 14. q. 2. art. 2.* & in *2. d. 28. quæſt. 2.* ubi attritionem, & dilectionem Dei ſuper omnia dicit eſſe diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem imò eſſe meritum de congruo reſpectu illius. Inducunt Altiſſiodorenſem *libro 3. ſummæ tract. 2. c. 1. q. 5.* & *q. 89. art. 6.* dicentem quod faciendo homo quod in ſe eſt ſe diſponit ad gratiam excitantem ſicut de Alberto magno ſupradiximus. Ortelium in *2. diſt. 27.* Roffenſem *art. 7. contra Lutherum pag. 351.* Egidium in *2. diſt. 28.* Gabrielem in *2. diſt. 22. q. 2. art. 3.* Delphinum *lib. 4. de lib. arb. pag. 161.* & *lib. 5. de juſtificatione pag. 226.* Iulium Sirenum *lib. 1. de prædeſt. c. 21.* & *c. 26.* Raphaëlem Venuſtum *lib. de prædeſt. fol. 35.*

Inducunt etiam Alenſem, Vegam, Cordubam, 57
Ruardum Tapert, Ricardum, Driedonem, & Magiſtrum Cumelem cum aliis citandis infra.

Poſtea anno 1619. Thomas quidem vocatus Pius 58
in commentariis ad 1. part. S. Thomæ ſuper q. 23. has ſex propoſitiones defendit.

Prima Caſſianus non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid quod ſit Pelagianum, vel Semipelagianum.

Secunda Fauſtus Reghienſis Epiſcopus non fuit Pelagianus nec Semipelagianus, nec in libris ejus reperitur aliquid quod ſit Pelagianum, vel Semipelagianum.

Tertia initium noſtræ ſalutis ſpiritualis ex nobis eſt.

Quarta quodammodo expectat Deus voluntatem noſtram ut ei det ſuam gratiam, & vocationem, ac dona ſupernaturalia.

Quinta Deus dat ſaltem aliquam vocationem fidei intuitu bonorum operum moralium.

Sexta eſt illa, quam ex Gennadio contra S. Proſperum approbavit quæ quia cum quinque prioribus relatis

Digitized by Google

relatis à nobis est *in primo nostro lib. tract.*4. nec venit repetenda; illæ autem priores quinque ideo iterum recensentur, quia istam materiam tangunt potissimè tertia, quarta,& quinta,in quibus author jam sine pallio procedens omnia palam facit, & manifestat se initium salutis ex nobis in illo faciente quod in se est ex solis naturæ viribus, seu in illo facto ab homine apertè constituere,quod tamen sic clarè pronunciare timuit Pater Valencia primò, ut constat ex relatis.

59 Tandem anno 1621.cujusdam alterius opuscula, quæ typis mandata sunt, legi, in quibus etiam Cassianum, & Faustum non rectè dici Semipelagianos contendebat,nec errasse in illis initiis ex nobis constituendo asserebat, & in hujus confirmationem inducebat S. Hieronymum *lib.*1.*Dialog. contra Pelag. cap.*2. illis verbis constat ergo inter nos,& illis aliis oro te non legisti ac 3.*lib.*in illis tandem.Iam in dona potestatem. Quæ testimonia ad verbum, cum in fine hujus disputationis eis fuerit respondendum in ducemus. Imò pro illis initiis inducebat S. P. Augustinum *lib.*2.*retract.c.*31.*lib.*3.*de liber. arb. cap.*19. *tract.*26.*in Ioann.* & *Epistola* 89. pariter & Sanctum Prosperum *lib.*1.*de vocat.gent.cap.*4. & *lib.*2. *cap.*15. Verum est quod simul præfatus author asserebat hos SS. Patres in aliis locis sese explicasse.

CAPVT V.

Expugnatur prædicta sententia.

60 NVllus mirari debet si omnia quæ à defensoribus illius propositionis inducta fuere tam extensè sint à nobis relata. Cum enim (etiam ipsi *proposuerunt*, & allatum fuit supra) propositio ista sit fundamentalis in ista materia;imò singulare fundamentum ad quod omnia,quæ ab his recentioribus publicantur, referri noscuntur, visum fuit quidquid pro illius defensione diversis scriptis, & congressibus protulerunt, copiosè referre, ut clarius, & efficacius, & cum majori distinctione impugnetur.

61 Verissimè absque dubio dixerunt ad hanc propositionem omnia alia, quæ in libro illo concordiæ,& aliis similibus eandem tradentibus doctrinam continentur, sicut ad caput referri; in ipsaque virtute contineri, quia omnis doctrina illorum librorum eo tendit, ut ex homine ipso sit inchoatio, & inceptio boni operis. Consummatio autem, & perfectio ex Deo, quam inchoationé propositio ista defendit ante gratiæ collationem, ut nempè incipiente homine (quomodolibet ponatur incipere, de hoc enim postea agemus) Deus tribuendo prima auxilia gratiæ sequatur. Ad quam etiam reducitur, ex illaque infertur, quod cum Deus talia auxilia gratiæ excitantis sic concedit,homine ipso incipiente ex se illa benè uti,Deus etiam sequatur cum eo,ut ajunt,operando usque ad justificationem inclusivè; post justificationem verò, etiam incipiente homine benè uti gratia justificante, Deus illi cooperetur in augmento ejusdem gratiæ. Ac tandem quod volenti in gratia perseverare, & incipienti bona opera quibus perseverare debet Deus semper cum eo cooperetur in illis operibus eadem perficiendo. In quibus tota consistit Doctrina, quam impugnamus,& illius basis ac fundamentum ista propositio est, quæ totum semen doctrinæ hujus virtute contineat.Si enim per oppositum dicatur, quod ante primam gratiam, primaque illius auxilia non incipit homo ex se,ut illa sequatur,sed quod quidquid ex se faciat homo sola suæ naturæ facultate, non est infallibile quod illa detur sed quod cum datur, ipsa facit boni operis inceptionem, indè consequenter dici debet, quod semper, & usque ad justificationem inclusivè, & post in augmento illius, ac tandem in perseverantia usque in finem nunquam homo incipit,& adjutorium gratiæ sequitur,sed è contrario, quod semper adjutorium incipiendo facit, quod sequendo perficit.

Cum ergo propositio ista totum fundamentum 62
sit doctrinæ, quam impugnamus ad illamque tota illa reducatur ut etiam illius defensores confessi sunt: & nos brevitate maximâ exposuimus, oportet distinctius & clarius eam impugnare, veritatem stabiliendo, & oppositiones factas eo ordine quo propositæ sunt dissolvendo, sed ante omnia illud pro certissimo fundamento supponendum, quod sæpè in his nostris libris, prout necessitas postulabat, dictum fuit & explanatum expressis verbis & dictis Sanctorum Patrum, qui antiquitus, ut putamus hanc doctrinam penitus expugnarunt,quo & nos cautiores esse voluerunt; ad nostram enim eruditionem scripserunt; & repetitis sermonibus expresserunt; videlicet in hac materia & causa non esse ad sola verba attendendum, sed ad doctrinam ipsam, quibuscumque verbis proponatur & ad finem quo tendit, sive istis sive illis verbis occultetur, ad principia, ad conclusiones, & ad illa quæ evidenter in illa continentur; ex illaque deducuntur quantumvis ea verbis ore tenus negentur. Hoc enim Sancti Patres familiare, imò singulare esse doctrinæ huic, & illis qui eam defendunt passim nos admonent, ut aliud verbis, aliud reipsa constituant,quod in antiquioribus, quos expugnarunt, convicerunt: quia nec patiuntur Christianæ aures palam audire gratiam Dei negari, vel illam naturæ debitam esse publicè defendi; hoc enim quis inter Catholicos ferat.

Hac ergo ratione semper hujus doctrinæ defen- 63
sores eam verbis occultabant. Vnde de primo ejus post Origenem defensore Pelagio verba hæc S.Hieronymus scribit Epistolâ ad Ctesiphontem. *Nosti enim quid intrinsecus discipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud calans consilio.* Et iterum ibi contra eundem; *loquere quod credis, publicè prædica quod secreto discipulis loqueris, Qui dicis te habere arbitrij libertatem quare non liberè, quod sentis, loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta & aliud rostrorum populi.* Esse autem hæc singulare hujus doctrinæ defensoribus, sub his aliis verbis idem Sanctus Hieronymus prædictâ Epistolâ exponit: *Ennominiani, Arriani, Macedoniani, nominibus separati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt, loquuntur enim quod sentiunt, sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui,quod secreto docere non metuit.* Et subdit; *Ideò crevit vestra hæresis, & decepistis plurimos, maximè eos qui adhærent mulieribus, & sciunt se peccare non posse.* Notentur verba illa.*Sola hæc hæresis est; quæ publicè erubescit loqui, quod secreto docere non metuit.*

De eodem nos admonet S. P. Augustinus libro 64
de gratia Christi, contra Pelagium cap.32. *Sed quid prodest*, inquit, *quod eisdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus celebrari dicit baptismi Sacramentum, cum res à nobis, non sola verba quærantur.* Et contra Iulianum libro adversus eum 4. *cap.* 3. *Ita sententiam temperasti, ut & tuâ & nostrâ possit voce defendi.*

Sanctus etiam Prosper de Cassiano ait libro con- 65
tra ipsum, qui titulatur contra collatorem cap. 33. *Consideratis*, ait, *diffinitionibus tuis non est occultum quantum ab illius sententiæ sanitate desciveris, in qua*

quod

Digitized by Google

quod tribuendum erat gratiæ fallaciter prædicando Catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluisti, quibus de præmissa professionis fronte securis facile sequentia irreperent, si prima placuissent. Et epistola ad Ruffinum in principio, Semipelagianorum detegens latebras obscuritatis quibus se involvebant, ne ab omnibus intelligerentur, inquit: *Cum ergo, ut dixi, totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine ac possibilitate subsistere; atque hanc diffinitionem doctrina sana respueret, damnatum à Catholicis sensum, & multis postea hæretica fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum & ad proficiendum, & ad perseverandum in bono homini necessariam Dei gratiam profiterentur: Sed in hac professione, quomodo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit.* Et tandem clarius prosâ de ingratis:

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & sola damnatos plectere voce
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis
Intima Viperei foveantur viscera sensus?

66 Nec solum Doctores sancti, sed & Pontifices Summi in suis fidei diffinitionibus, quibus Semipelagianorum doctrinam damnarunt, nos docent, ut diligentius ad eorum cavillationes, quibus se occultare tentant doctrinæ Pelagianæ sectatores, attendamus, ne aliter eos intelligamus propter aliqua verba quibus doctrinam exterius temperant, quam re ipsa sentiunt. Hinc enim magnus ille Leo Pontifex sanctissimus atque doctissimus *epistola* 86. *ad Nicetam Aquilejensem Episcopum* ipsum instruës, qualiter se cum Semipelagianis habere deberet, cum dicunt se à Pelagianorum doctrina differre, ita scribit: *Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur; omniaque decreta Synodalia quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ sedis conformavit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint: nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Cumque omnes diffinitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere: hoc tibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratiam Dei secundum merita dari accipientium sentiant.*

67 Et statim paucis interjectis, ut manifestaret, in quo re ipsa, & quod sensum illi constituerent gratiam secundum merita nostra dari, in terminis quod tractamus exponit sub his verbis: *Quoniam gratia unicuique principium justitiæ, & bonorum fons atque origo meritorum est: sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.*

Gelasius etiam Epistola 6. aliàs tract. 3. adversus
68 Pelag. hæresim. *De Pelagianis quidem sensibus, blasphemisque sacrilegis, & apud majores nostros tam divinis, quam humanis legibus justa discussione damnatis nimis est copiosa materia, quia & illorum est multiplex pernicioſa perversitas, eóque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius humani generis principe pravo funestoque commento, non ritè conceptam rerum consequentiam mendaciis texuerunt.*

Quid ergo manifestius apud sanctos Patres, qui hæresim Pelagianam in priotibus illis Pelagianis, & posterioribus Semipelagianis everterunt, atque in Pontificibus Summis, qui eam damnarunt quàm ut in hac prava doctrina cognoscenda & confutanda non tam ad verba, quam ad sensum attendamus. Qua ratione uterque Pontifex Summus consultò de sensu Pelagiano loquuntur & sensum Pelagianum damnant in illis posterioribus, non verba formalia priorum: sciebant namque quod in verbis ab eis discedebant, ne statim deprehenderentur in sensu, quem multis verborum varietatibus coloratum occultare gestiebant. Proculdubio ut missa modo faciamus verba relata ac repetita Sancti Hieronymi S. P. Augustini, & Prosperi quæ evidentius Pelagianorum & Semipelagianorum fraudes verbis Palliatas detegunt; quæ ex magno Leone inducta sunt modò, perpetuâ memoria retinenda videntur. *Nihil,* inquit, *in verbis eorum inveniatur obscurum, nihil inveniatur ambiguum.* Et iterum illa: *Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Hæc attentiùs notanda sunt: quia quidam in illa particula (meritum) dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discernunt, nihil sibi sensuum suorum existimant esse non salvum, ut statim copiosè explicaturi sumus.

Similiter verba alia, quæ Pontifex Summus tertio loco statuit, magis sunt expendenda, cum ait: *Cumque omnes diffinitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc ibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratiam Dei secundum meritum dari accipientium sentiatur*: Cum ergo auditur aliquos asserere quod facienti quod in se est ex naturæ viribus, ex certa lege gratia datur, non tamen tanquam ex meritò illius boni sola naturæ facultate eliciti, omnes diffinitiones falsi dogmatis improbare atque deponere videntur; sed timendum ne ad subrependi facilitatem hoc simulent: quia ibi, id est, in supradicta assertione, hoc quoad sensum, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratiam Dei secundum meritum, quod voce negant, accipientium dari sentiatur. Quod & erit inferiùs convincendum de illorum doctrina, minùs de illorum intentione curandum an hoc ipsi prætendant, quod nec credimus.

Illa denique ultima verba, in quibus Pontifex 69
ille Summus hanc apertè consecutionem statuit: *quod ideo dicitur gratia præveniri à naturali industria, ut non videatur* (illa nempè naturalis industria, seu naturalis facultas cum industria sua) *peccati originalis vulnere sauciata*; præ omnibus ante relatis sunt considerandа, quia tangunt primam originem primumque fontem, ex quo ponitur, quod facienti, quod in se est ex naturali industria, quæ prævenit gratiam, gratia ipsa datur, ut infra ex hoc Sancto Pontifice notum dabimus.

Hoc igitur suppositо certissimo fundamento, 70
quod in hac materia & causa, qui rectam doctrinam non tenent, aliud verbis, aliud re ipsa defendunt. Aliud secundum, quod etiam eis est familiare, attendatur, nimirum quod quantumvis se occultent & verbis cooperiant, aliquando tamen satis se etiam verbis ipsis manifestant & ex proprijs vocibus coguntur tenere & defendere: quod aliàs negasse videntur. Sic etiam de illis non semel dixit S. Pater Augustinus, signanter contra Celestium *libro de perfectione justitiæ cap.* 19. ubi sic ait: *Hic verò quantumlibet isti se obtegant, aperiuntur, declarant enim se contra Dei gratiam vel misericordiam disputare.* Videndum ergo erit attentius, in his authoribus, cum quibus modò istam propositionem discutimus an ita sit quod aliud verbis, aliud reipsa in ea constituant & an, quamvis verbis eam ab errore excusare videantur, ex alijs ipsorum vocibus convin

Digitized by Google

convincantur eam in eo sensu defendere, qui in prioribus illis per Ecclesiam damnatus est.

CAPVT VI.

Expugnatur prædicta sententia asserens quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus ex certa lege det gratiam, ex Conciliis & Patribus, imò & verbis ipsis Molinæ.

72 OMnia quæ à prædictis authoribus in defensionem hujus propositionis (*facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus certa lege dat gratiam*) inducta sunt, ad tria præcipua capita reducuntur. Primum est supradictam propositionem ab errore Pelagianorum & Semipelagianorum liberam esse: quia qui eam affirmant, expressis verbis testantur illud opus solius naturæ viribus factum, nullo modo esse meritum illius gratiæ, quæ datur etiam secundum pietatem, nec in illo consistere salutis initium, seu illius exordium, vel illud aliquam dignitatem, vim, valorem, commensurationem, aut proportionem habere propter quam gratia detur, nec proinde ab homine fieri prout ad salutem oportet. Secundum est, dari ex certa lege hoc auxilium sic facienti quod in se est ex meritis Christi Domini. Tertium est, illud opus facientis quod in se est positivè & per se non disponere seu concurrere ad hòc quod gratia sibi detur, nec hominem per illud positivè concurrere ad illud auxilium gratiæ quod sibi datur, sed tantùm per accidens removendo prohibens. Per quæ tria differre illam sententiam ab errore Pelagianorum & Semipelagianorum dicebatur, qui in tali opere constituebant meritum gratiæ, & salutis exordium, & in eo vim quandam ponebant respectu gratiæ dandæ. Similiter illud opus positivam dispositionem esse ad gratiam, contendebant. Ac tertiò non dari illud gratiæ auxiliũ ex meritis Christi Domini asserebant. Quomodo autem neutrum istorum trium, nec omnia simul prædictam propositionem possint excusare, quin convincatur esse illam olim in Pelagianis & Semipelagianis sententiam damnatam constituentium initium salutis ex nobis, & perfectionem ex Deo, ac per consequens gratiam Dei secundùm merita nostra dari: jam nunc venit ostendendum discurrendo sigillatim per illa capita:

Si facienti quod in se est certa lege gratia datur, Ponitur re ipsa naturæ debita?

73 Et quidem quod primò opponitur, authores sententiæ hujus apertè contestari illud facere quod in nobis est ex sola facultate naturæ non esse meritum gratiæ illius, quæ certa lege homini datur, excusare nequit, quin reipsa patentissimè illud gratiæ auxilium constituant sub priori merito naturæ, saltem secundum pietatem, ut Semipelagiani posuerunt. Quod sic ostenditur. Primo in sequenti disputatione monstrabimus ipsos expressis verbis non semel asserere gratiam illam prævenientem dari propter illa bona opera moraliter facta, sicut propter remotas dispositiones ad gratiam nimirum justificantem: ergo satis se manifestant in illis operibus ponere meritum gratiæ. Cum enim audiamus dari propter illa bona opera opera naturæ viribus facta, quomodo de merito dubitare possumus? Absque dubio licet aliàs meritum negent in operibus illis, in his satis se manifestant, quod meritum asservant, cum propter illa bona opera naturæ viribus facta dari certa lege gratiam affirmant.

74 Præterea, constituere initium seu exordium justificationis ex nobis est constituere gratiam dari secundùm merita nostra; sed ponere quod facienti quod in se est ex solis naturę viribus certa lege gratia datur, est constituere initium seu exordium justificationis ex nobis: ergo est constituere, quod gratia detur secundùm merita nostra. Major manifesta est, & ab authoribus, cum quibus agimus, apertè traditur, (ut relatum est supra, ubi rectè & ipsi ex verbis Concilij Tridentini intulerunt idem omnino esse secundùm Concilij mentem exordium justificationis esse ex nobis, & dari nobis gratiam secundum merita nostra. Et ratio est manifesta; quia si homo ex se ponit initium justificationis, eo ipso meretur ut ei detur illud, quod ad complendum tale initium justificationis requiritur. Vel ut clariùs sit sermo, si homo ex se facit aliquid ad quod infallibiliter auxilium gratię consequitur, per illud facere meretur ut auxilium gratiæ sequatur: qui enim efficit primum ad quod inseparabiliter aliud consequitur, aliquo modo illius secundi causa est, sibique debet imputari quod illud secundum consequatur. Igitur & Concilium Tridentinum inductis verbis superiùs, & ij Authores, & ratio ipsa convincunt, idem esse constituere ex nobis justificationis exordium, & quod gratia detur secundùm merita nostra.

Minor in qua tota difficultas sita est, multipliciter aperitur, & verissima esse ostenditur: Primò ex proprijs horum authorum verbis, quæ clarissimè id attestantur: itaut revera id verum sit, quod quantumvis se occultent, satis se manifestant; & declarant se initium justificationis ex nobis constituere, & ex consequenti meritum gratiæ. Priora verba sunt authoris concordiæ in ipsa *disp.* 10. *in verbis relatis supra*, illis videlicet, *Vt ea ratione, dum sumus in via, semper in manu nostra sit salus nostra posita.* Quibus apertissimè dicunt, quod ideo quoties homo facit quod in se est ex solis naturæ viribus certa lege gratia datur, ut eâ ratione, dum sumus in via, posita sit in manu nostra salus nostra. Quis enim non videat in his verbis authorem illum manifestè constituere in nobis initium seu exordium justificationis? An non est justificationis exordium id, per quod salus nostra est in nostra potestate? Id enim quod in nostra potestate salutem ponit, ad salutem pertinet, ut est apertissimum. Rursus id pertinet ad salutem ut primum quid ad salutem conducens, quod etiam est manifestum: Igitur illud est salutis initium sive illius exordium. Igitur in hoc quod tam clarè pronunciat hominem faciendo quod in se est solis suis viribus ponere in sua potestate salutem suam, satis manifestè constituit initium seu exordium salutis in illo facere, quod in nobis est ex solis viribus nostris. An hoc quod est ponere hominem in manu sua suam salutem poterit ille author, aut qui illius defendunt sententiam, negare, esse aliquid pertinens ad salutem, cum hoc ex ipsis terminis constet? 75

Quid enim magis potest ad salutem pertinere, quam illam habere homo in manu sua per actum à sola sua naturali facultate elicitum? Profecto nihil clariùs explicare potuit, ut significaret se sentire illud facere quod in nobis est esse opus ad salutem conducens, & factum prout ad salutem oportet, quàm dicendo per illud facere quod in se est ponere hominem in sua manu salutem. 76

Sicut enim habere hominem de facto salutem, est jam de facto sanum existere; ita antequam eam habeat, habere ex se sine gratia aliquid per quod eam possit in manu sua ponere, est sine dubio habere ex se ipsius salutis exordium. Quomodo enim non est salutis exordium, id quod ad salutem tendit, & non quomodolibet, sed ita, ut eam ponat 77

Digitized by Google

in manu hominis? procul dubio adeo ista pervia ex ipsis terminis sunt, ut mirandum sit, qualiter, qui talia asserunt, non videant se in illud damnatum incidere, quod velint, nolint convincuntur, dicere: hominem ex se sine gratiæ auxilio operari, prout ad salutem oportet: quod in utroque Concilio Arausicano 2. & Tridentino sub anathemate rejicitur.

78 Et in illud aliud, quod Initium seu exordium justificationis ex nobis sit sine gratia: quod pariter in utroque Concilio damnatur, & tandem in illud quod gratia detur secundùm priora merita nostra, quæ est illa antiqua, malè diffamata justissimeque damnata Pelagianorum sententia.

79 Ecce clarioribus verbis modò relatis asserunt, hominem operari ex se sine gratia prout ad salutem oportet, hæc enim debet esse ex illis verbis prima palmaria illatio: Secundò quod illud operari ex se prout ad salutem oportet, est exordium justificationis, quæ ita evidens est, ac prima. Tertia quod gratia detur in illa sententia secundùm merita nostra, quæ æquè manifesta est, & ab ipsismet traditur. Quibuscunque ergo verbis alibi negent non operari hominem sine gratiæ auxilio, prout ad salutem oportet, ne Conciliorum definitionibus apertè contradicant, in istis modò relatis clarius se declarant, & ostendunt æquivalentibus omnino verbis id se firmare, & ita clare hoc asserunt, ut cæcus sit qui hoc non videat. Sancti quidem Doctores Ecclesiæ manifestè dicunt, (quod infrà probabimus) non esse in potestate nostra, cor nostrum & cogitationes nostras; at ij authores è contratio dicunt in potestate nostra esse cor nostrum dirigere ad salutem, & cogitationes illas esse in potestate nostra, per quas salutem in manu nostra constituimus.

80 Quod si in his verbis hoc satis exponunt, in alijs quæ secundò prædictus author subjungit in prædicta *disput. 10. in explicatione supradictæ assertionis:* idipsum adhuc magis confirmat, dum addendum putavit: *Eatenus est facta eis potestas filios Dei fieri, quatenus, si quantum in se est conentur, præsto illis aderit Deus ut fidem & gratiam consequantur, ne desiderio suo fraudentur. Quare ea ratione in potestate eorum est, ut filij Dei fiant.* Audit Theologus, quod faciendo homo ex solis viribus quod in se est, habet in sua potestate, ut filius Dei fiat, & dubitare poterit, etiam si velit, illud facere, quod in se est ab his authoribus constitui, prout ad salutem oportet? Quare, inquiunt, est in potestate hominis fieri filius Dei, nisi quia in potestate sua est facere actum, quo gratiam infallibiliter consequatur, per quam filius Dei sit? Si enim homo non sic inciperet faciendo quod in se est solis viribus suis, non haberet (ut in hac assertione clarè statuunt) in potestate sua, ut filius Dei fieret.

81 Tria itaque in hac assertione constituunt; Primum & fundamentale, ut homo faciat quod in se est ex solis naturæ viribus. Secundum quod ad talem actum consequitur, ut certa lege fidem & gratiam recipiat. Tertium quod hac ratione in potestate illius est, filium Dei fieri, quia nempe est in potestate sua actus ille, per quem fidem & gratiam acquirit, quæ homines filios Dei facit. Prima ergo & fundamentalis ratio, ob quam, imò propter quam solam est in hominis potestate fieri filium Dei, est, quia in potestate ipsius est, facere actum, per quem ponit in sua potestate Dei filiationem, quæ per gratiam habetur. Dicant ergo modò hoc facere, quod in se est ex naturæ viribus, non fieri prout ad salutem oportet: suadeant si possint illum actum non pertinere ad salutem: contendant illum actum non esse salutis exordium, quem apertis verbis dicunt ponere in hominis potestate id, per quod filius Dei fit. Procul dubio si fieri hominem filium Dei maximè pertinet ad salutem, quomodo, etiam si fingendi detur licentia, non pertinet ad salutem actus ille, per quem homo in se potestatem habet, ut filius Dei fiat.

Sed in his hujus authoris verbis attentiùs consi- 82
derandum, quod quasi in terminis illam tradit doctrinam, quam ex Iuliano & sequacibus Sanctus Pater Augustinus refert, & impugnat *lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. & 3.* dixerat enim Iulianus: homines habere potestatem benè vivendi: Econtra Sanctus Augustinus ipsum expugnans, ait: *Cum itaque non vivant homines benè nisi effecti filij Dei, quid est, quod iste libero arbitrio vult benè vivendi tribuere potestatem: cum hæc potestas non detur nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum dicente Evangelio, quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Author autem cum quo agimus non tantum dicit homines habere potestatem benè vivendi, ut Iulianus, ex qua deducit Sanctus Pater Augustinus eum tribuere hominibus potestatem filios Dei fieri, sed immediatè atque expressè, ut non sit opus illationibus, concedit habere homines in sua potestate filios Dei fieri modo prædicto.

Sequitur Sanctus Pater Augustinus contra Iu- 83
lianum: *Sed ne fortè dicant ad hoc esse adjutos, ut haberent potestatem fieri filij Dei, ut autem hanc accipere mererentur, priùs eum libero arbitrio nullâ adjuti gratiâ receperunt. Hæc est quippe intentio, qua gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundùm merita nostra contendant. Ne forte ergo hanc Evangelicam sententiam sic dividant, ut meritum ponant in eo, quod dictum est, quotquot autem receperunt eum; ac deindè non gratis datam, sed huic merito redditam gratiam in eo, quod sequitur, dedit eis potestatem, filios Dei fieri: Nunquid si quaratur ab eis, quid sit receperunt eum, dicturi sunt aliud nisi crediderunt in eum. Vt igitur & hoc sciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus, &c.*

Ecce manifestè præclusa excusatio est, quæ mo- 84
dò prætenditur dum dicitur quod per facere quod in se est homines non habent potestatem filios Dei fieri, sed per fidem & gratiam, quam recipiunt; quod est clarius dicere, ad hoc esse adjutos per fidem & gratiam, ut per eas haberent potestatem filios Dei fieri. Vt autem hanc fidem & gratiam & hanc potestatem accipere mererentur, priùs ex suo libero arbitrio faciente quod in se est, nullâ adjuto gratiâ divinâ receperunt. Quod est adhuc apertius dicere; quod per illud facere, quod in se est, non habent homines immediatè potestatem filios Dei fieri, quia hanc immediatè habent per fidem & gratiam; benè tamen habent mediatè, quia per tale facere quod in se est, immediatè quidem recipiunt fidem & gratiam, & per fidem & gratiam immediatè potestatem filios Dei fieri, quæ est in terminis sententia illa à Sancto Doctore Augustino relata atque damnata, dividentium Evangelicam Doctrinam, ut meritum ponant in eo quod dictum est, quotquot autem receperunt eum, sive in eo, quod est facere quod in se est, ac deindè non gratis datam, sed huic merito redditam fidem & gratiam, per quam immediatè potestatem habeant homines fieri filios Dei. Contra quam sententiam concludit Sanctissimus Doctor; *Datur ergo potestas, ut filij Dei fiant, qui credunt in eum cum hoc ipsum detur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo nulla esse potest in libero arbitrio.*

Imò illa verba cosiderentur; *Hæc est quippe in-* 85
tentio quâ gratiam Dei destruere moliuntur, ut eam dari

secundum

Digitized by Google

secundam merita nostra contendant. Ideò enim Sanctissimus Doctor dicit hanc esse intentionem, quia id verbis apertis non exprimebant, nec expressè meritum ad destructionem gratiæ nominabant, sed hoc prætendebant illâ loquutionis formâ præscriptâ, sicut & modò per hanc aliam clariorem, quâ dicunt ex certa lege dari fidem & gratiam facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus,& per hoc habere homines potestatem filios Dei fieri. Hæc sic sentientium inventum est, ut fidem & gratiam dari secundum merita nostra contendant, & sic gratia jam gratia non sit, sed facienti quod in se est ex naturæ viribus reddita. Sanctus etiam Fulgentius *libro de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi cap.* 26. hanc pravam sententiam ponentium in hominum potestate,ex eo quod faciunt quod in se est solis viribus suis, fidem & gratiam,& quod filij Dei fiant, condemnat sic dicens: *Vt igitur homines filij Dei fiant, filium Dei unicum per fidem recipiunt,& ipso donante hanc accipiant à Domino potestatem, ut in eum credant, & ad numerum filiorum Dei pertineant.* Non ergo hanc potestatem habet homo ex se, vel in potestate sua, sed illam à Deo accipit, eamque Deus confert, quibus placet, juxta illud: *Ita Pater quia sic placitum fuit ante te.* Vbi & illud advertendum,quod 1. *libro* præmisimus, Arrianos ad suam impijssimam hæresim defendendam, hanc priùs pravam doctrinam statuisse, contendentes in nostra positum potestate, modo nunc à Pelagianis exposito, filios Dei fieri, non aliter, atque salvator filius Dei fuit, de quo 1. *libro part.* 2. *tr.* 5. *cap.* 10. agentes contra mediam illam scientiam diximus.

86 Tertiò id clariùs proponit prædictus author, dum affirmat dari gratiam ex certa lege homini tali: in quo clariùs expressit necessarium ordinem inter illud opus naturæ & gratiam, & inseparabilem connexionem inter utrumque, & debitam gratiam ex certa lege sic operanti homini, ac incipienti opus illud. Quod enim alicui operanti aliquid ex certa lege datur, ei sic operanti ex tali lege debetur, & sic operans meretur, ut suppositâ illa lege, ei illud conferatur; etiam si aliàs, seclusâ nempè lege illa, opus tale nec dignitatem nec valorem haberet, quo id mereretur, v. g. si Rex aliquis legem ferret ex sua libera voluntate, ut qui tali die primo mane prior illius Palatium ingrederetur, obtineret supremam nobilitatem in regno, certum est, quod licet illud opus ex se solo non haberet dignitatem aliquam, nec valorem proportionatum cum tali præmio, nec esset illius meritum, aut illi commensuratum: tamen illa lege suppositâ, non est dubium quin opus illud valdè elevaretur, & verè diceretur homo illud efficiens mereri sibi illam nobilitatem, & talem homini sic operanti debitam esse ex lege principis sic ordinantis. Sic ergo, licet ij authores dicant, quod facere quod in se est, ex solis naturæ viribus secundùm se non sit meritum gratiæ, nec illius dispositio, nec habens dignitatem, valorem, vim, commensurationem, vel proportionem aliquam cum gratia, tamen postquam legem certam statutam esse à Deo dicunt, ut quoties homo sic operatur, gratia detur, non est dubium quin ex tali lege opus illud elevetur, ut respectu gratiæ meritum sit, habens ex tali Dei lege proportionem & commensurationem cum illa, mereaturque homo, lege illa suppositâ, ut Deus ei gratiam retribuat, quam suâ lege se daturum sic operanti firmavit. In hac ergo lege certa, si attendant, reipsa commensurationem ponunt, in opere illo cum gratia sicut meritum illius: etiamsi alias nec meritum nec commensurationem respectu illius habeat.

87 Imò addendum antiquiores illos Cassianum & Faustum, & etiam Iulianum non ita efficaciter expressisse ordinem & connexionem operis illius cum gratia, nec illius meritum, cum nec ita expressè, hanc certam legem statuerint, quam nec in illorum Opusculis ita expressam legimus. Sed Sancti qui illos impugnarunt hanc legem,vel ab illis antiquioribus, aliquando voce traditam, vel prævidendo eam his temporibus publicandam, expressè refutarunt; sic enim S. Fulgentius habet *libro de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap.* 27. inquit. *Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem, quam Deus, non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribit.* Cujus præcipuus sensus est, quod lex gratiæ non debet dici correspondere legi naturæ, nec posse esse legem inter legem utramque, ut gratia ex lege correspondeat legi naturæ.

Clariùs autem S. Prosper libro de vocatione 88
gentium. *Manet prorsus & quotidie impletur, quod Abraha Dominus sine conditione promisit, sine lege donavit.* In quo tria simul,quæ à Semipelagianis malè publicabantur, condemnat. Primum quod sine conditione, sed absolutè Deus promisit Abrahæ, id quod Scriptura ei promissum fuisse testatur. Itaque non promisit, si hoc vel illud, aut Tu, aut Sara feceris, veniam, & erit Saræ filius: sed absoluta promissio fuit, quæ dixit: *post hæc veniam, & erit Saræ filius.* Per quod totam illam machinam fundatam in illa media scientia exploratrice objectorum conditionatorum confregit. Secundum quod illud ipsi donavit, sine aliqua certa lege, quæ esset de dando sibi promisso filio. Tertium quod hoc quotidie impletur in his, quos Deus filios promissionis facit, & filios adoptionis, & quibus potestatem dat filios Dei fieri. Quod nimirum non hoc eis tribuit sub aliqua priori conditione prævisa, sed absolutè, quia sic vult divina misericordia: nec ex aliqua certa lege de danda gratia, per quam filij promissionis fiant, & filij Dei hi, qui ex solis viribus suis conantur facere, quod in se est. Igitur hanc certam legem in terminis reprobatam invenimus in Sanctis Patribus, qui Pelagianorum hæresim extirparunt.

Sic ergo argumentum formetur: Semipelagiani, 89
ut dictum est supra, cum meritum respectu gratiæ posuerunt, non illud posuerunt de rigore, & condignitate operis, sed ex lege, & certa ordinatione divina, quoniam ad rationem meriti sufficit, quod merces reddatur ex certa Dei lege, & ordinatione: ergo si nunc ponitur, quod reddatur gratia operi naturali ex certa lege, & ordinatione Dei, ponitur quod ex lege tali sit gratia debita sic operanti,& sic verè ponitur gratia ex naturæ merito; nec aliud unquam Semipelagiani intenderunt,nisi quod ex certa lege detur gratia bene operanti ex natura, nam per hoc solum omne suum dogma fundabant,intentumque consequebantur, nec aliud ipsi desiderabant.

Tanta autem aviditas in hoc Authore deprehen- 90
ditur de constituendo initio salutis, non in Dei sed in hominis potestate, & de ponenda fide atque gratia debita naturæ, ut non solùm hæc Dei dona reddi certa lege publicet homini facienti de facto quod in se est ex solis viribus suis, vel jam conanti facultate naturæ; sed etiam ei, qui præsto est ad conandum, etiam antequam de facto conetur, quod in antiquioribus non ita invenitur assertum: nisi quis dicat id sub aliis verbis Cassianum tradidisse, dum in *collat.* 13. *cap.* 16. hæc verba protulit. *Nam cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Quibus non solùm dixit,quod Deus sua gratia occurret ei, qui se jam flectit in bonum, sed ei quem videt velle deflectere, sicut hic Author non solùm dicit Deum certâ lege dare gratiam

Digitized by Google

tiam facienti, seu conanti, quod in se est, sed etiam ei, qui præsto est ad conandum.

91 Sed & illud quartò attentiùs est considerandum, quod in supradicta propositione illius Author apponit, quod videlicet datur infallibiliter gratia sic facienti quod in se est, sive ut fidem recipiat, sive ut de peccatis doleat, sive ut ad justificationem accedat, per quod manifestat, quod si quis faciat, quod in se est in actu contritionis, quem dicit posse habere hominem solis naturæ viribus quoad substantiam actus, statim illi Deus gratiam dabit, ut fiat prout expedit ad salutem. Facto autem illo actu, prout expedit ad salutem, se disponet immediatè ad justificationem, & de facto justificabitur, & sic justificatio & gratia habitualis in ejus est potestate, & quoties voluerit homo Deus infallibiliter illi eam dabit. Et hoc est quod dicit, quod facienti totum quod in se est ad justificationem (hoc enim totum est habere contritionem, ut ait, quod substantiam actus, & dilectionem Dei super omnia) habebit in potestate sua justificantem gratiam, & Dei filiationem, quæ per gratiam justificantem habetur. Vnde in illis verbis (*præsto illi adhæret Deus, ut fidem, & gratiam consequatur*) per gratiam intelligit gratiam justificantem, in ordine ad quam dicit, quod si homo faciat totum quod in se est, nimirum illos actus nunc relatos, infallibiliter justificantem gratiam consequetur, itaque non loquitur in hac propositione, de quolibet auxilio prævenientis gratiæ, sed etiam de illo quod immediatè ad gratiam justificantem disponit, ipsamque in animam introducit; quod si sic est, homo ex se incipit justificationem, quia ex se ponit actum, ad quem immediatè consequitur ultima dispositio ad gratiam, & gratia ipsa justificans. Vnde jam ex certa lege dabitur gratia justificans facienti quod in se est ex solis naturæ viribus in ordine ad illam. Quam sententiam sicut errorem in fide Cumel qualificat, & latè probat 1. 2. *q.* 109. *art.* 6. *concluſ.* 4. Imò dicit esse contra Concilia. Nec defensores hujus doctrinæ de faciente, quod in se est ex certa lege dicunt posse sustineri intellectam de gratia justificante, ut ex dicendis constabit.

92 Verum præter verba relata authoris hujus, quæ tam clarè manifestant illud facere quod in homine est, ab illo authore poni fieri, prout ad salutem oportet, id apertissimè & in terminis Concilium Arausicanum secundum definit *can.* 6. his verbis. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitùs non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur: resistit Apostolo dicenti quid habes, quod non accepisti, & gratia Dei sum id quod sum:* Vbi duo manifestè proponuntur, quibus hanc certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex naturæ viribus omninò condemnat: primum est contra propositionem ipsam: secundum contra ejus prætensam excusationem. Propositio dicit dari ex certa lege gratiam facienti, vel conanti facere quod in se est ex solis naturæ viribus: Concilium autem definit resistere Apostolo Paulo, qui contendit gratiam, & misericordiam Dei dari divinitùs conanti ex naturæ viribus, in quo nec apertiùs potuit illam propositionem damnare. Excusatio autem illius propositionis est, quod illud facere quod in se est, non fit prout ad salutem oportet; sed Concilium docet manifestè illud fieri prout ad salutem oportet, si ei gratia confertur ex certa lege quemadmodum conferri asseritur. Nam postquam Concilium determinavit divinitùs non dari gratiam conantibus ex naturæ viribus, ut ostenderet, quod si daretur gratia sic ex naturæ viribus conantibus, illud conari esset prout ad salutem oportet, subjungit, quod per infusionem & inspirationem Spiritus Sancti conamur prout ad salutem oportet, id est, conamur ut nobis ulterior gratia donetur.

Itaque hæc Concilij propositio, & diffinitio est, 93
non datur conantibus nobis ex humanis viribus misericordia Dei divinitùs, sed ut conemur prout ad salutem oportet, id est, ut misericordia nobis detur, divinitùs per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti nobis donatur: Igitur in terminis docet, quod conari ut oportet, est conari, ut misericordia, & gratia divinitùs detur, & per consequens quod sicut homo ex se sine gratia non potest conari ut oportet, ita non potest conari, ut ei gratia divinitùs detur, vel si hoc potest, potest utique conari prout oportet. Considerentur verba Concilij, & nihil præter illa erit necessarium in hac parte ad convincendum illud facere, quod in se est, poni fieri ab homine prout oportet. Concluſio autem evidenter ex Concilio illud fieri prout oportet, simul est concluſum errorem esse Pelagianum, sic constituere illud facere quod in se est ex solis naturæ viribus, cui infallibiliter gratia reddatur.

CAPVT VII.

Ex aliis ejusdem P. Molinæ verbis, doctrina præcedentis capituli confirmatur, & rejicitur sententia asserens, quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus ex certa lege det gratiam.

SI ex illis quatuor jam relatis Author Concordiæ 94
convincitur, non aliter quam ex suis propriis verbis, quidquid alias testetur, initium salutis in illo opere hominis facientis quod in se est ex solis viribus suis constituere; & per consequens fidem & gratiam sub priori naturæ merito ponere, ut supra probatum est ex aliis, quæ superaddit id magis ac magis confirmatur nimirum ex illis, quæ habet *disp.* 9. §. *Quod hac*, dicens: *Etenim quamvis Deus illam* (scilicet omnium primam prævenientem gratiam) *non conferat propter ea quæ antecedum, sed merè gratis; nihilominus, nisi illa antecedant, conferre ea non solet.* Quibus verbis voce quidem meritum negat, (nec enim palam poterat illud voce publica confiteri, nisi vellet statim, dum similem vocem proferret, damnari) re autem ipsa illud constituit. Si enim non solet Deus prævenientem gratiam conferre, nisi præcedant bona illa opera solius naturæ viribus ab homine facta: ergo multum supra modum illa opera conducunt, ut præveniens gratia homini conferatur. Quomodo enim non multum conducit ad aliquid habendum id, sine quo illud haberi non solet? Si opera illa conducunt, ut conferatur gratia: ergo conducunt ad salutem, quæ per talem gratiam tribuitur: ergo fiunt prout ad salutem oportet. Quod enim ad salutem conducit, ad salutem pertinet; quod autem pertinet ad salutem, fit prout ad salutem oportet, ut est apertissimum. Tunc rursus conducunt opera illa ad salutem prout oportet: ergo conducunt ad salutem, ut primum exordium salutis. Ista consequentia evidens est, quia cum illa opera sint omnium primò conducentia ad salutem, ad ipsam non aliter conducere possunt, nisi ut omnium primum salutis exordium; & per consequens, ut meritum illius gratiæ sicut ex Tridentino Concilio ijdemmet Authores probarunt, planè

conceden

Digitized by Google

concedentes idem esse ponere ex nobis salutis exordium, & meritum gratiæ ex naturæ operibus constituere. Hoc igitur sit quintum argumentum ex propriis verbis hujus authoris probans, ipsum re ipsa meritum gratiæ in natura tradere, licet ad frangendam vocis invidiam, exteriori voce id neget.

95 Sextò id ex aliis ipsius verbis libet deducere, quæ habentur *eadem disp.* §. *patet* 3. quæ & talia sunt: *Magis indignus ut supernaturaliter adjuvetur & vocetur, is est, qui sinistrâ intentione, quam qui paratus obedire veritati, eamque amplecti ad audiendum accedit, rationique valde consentaneum est, ut hunc potius quam illum misericorditer adjuvet Deus.* Numquid qui ex solis viribus suis paratus est obedire veritati supernaturali sibi propositæ (de hac enim manifestè loquitur) paratusque est ex solis viribus suis eam complecti, non est paratus, sive dispositus viribus suis ad fidem propositam recipiendam? Numquid actus ille per quem sic est paratus recipere fidem, & eam amplecti non conducit aliquo modo ad ipsam fidem sicut aliquo modo præparatio illius? Id enim quod parat seu disponit ad aliquid ipsum respicit, & ad ipsum conducit. An aliquis poterit suaderere esse hominem paratum ad recipiendam fidem si ei prædicetur, & esse paratum eam amplecti non pertinere aliquo modo ad salutem; aut asserere quis poterit, actum illum, per quem sic est paratus ad fidem recipiendam, & eam amplectendam, non pertinere ad salutem aliquo modo? Quod & ultimo relatis verbis satis exposuit, cum subjunxit, *esse rationi valde consentaneum, ut illum potius, quam istum misericorditer adjuvet Deus.* Igitur intuitu illius præparationis solis naturæ viribus habitæ est rationi valde consentaneum, ut sic præparato potius quam non præparato Deus suam tribuat, ut ait, misericordiam & gratiam. Quod si intuitu illius naturalis præparationis tribuitur, potissimè certâ lege, procul dubio jam misericordia & gratia non est, sed illi naturali præparationi, cujus intuitu datur, debita; quantumvis misericordia, & gratia nuncupetur; sicut eam solâ voce misericordiam nuncupasse, & gratiam Semipelagianos inferiùs ostendimus.

96 Præterea, si homo ex se solo paratus est obedire Evangelio, ut ingenuè fatentur; ergo paratus est ex se ad illud recipiendum; ergo illa Evangelij receptio secundum merita illius apti hominis dabitur. Sic enim Sanctus Prosper ait in prosa de ingratis dicens.

Objectum est aliud ipsum dixisse Magistrum
Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.

97 Igitur Pelagianum dogma contendens gratiam Dei secundum merita nostra dari in hoc consistebat, quod homo se faciat aptum ad illam recipiendam, vel sit paratus jam recipere, ut clarissimis verbis iste author proponit.

98 Septimò ex aliis ipsius verbis hoc evidentius ostenditur. Habentur hæc *disp.* 10. *in fine* §. 1. in hunc modum. *Planè sine ulla intermissione ad ostium cordis stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum, non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis, sed sæpè non solum quando se apta occasio offert, sed etiam quando torpens, ac pigrum liberum nostrum prospicit arbitrium.* Quibus quatuor statuit. Primum sine intermissione paratum Deum adjuvare conatus nostros quos solis viribus nostris elicimus. Secundum non semper pulsare de facto specialibus auxiliis. Tertium sæpè pulsare cum se offert occasio apta. Quartum quod etiam sæpè pulsat, quando torpens, & pigrum prospicit arbitrium.

99 Illud primum quod nostrum modò tangit institutum (nam de tribus sequentibus, & quomodo ab ipso statuantur, & in quo sensu infra in examinatione 64. assertionis commodius discutiemus) satis manifestè ostendit, quid de illis solius naturæ conatibus, quos Deus desiderat & paratus adjuvare expectat, ipse sentiat, & qualiter eos fieri ab homine prout ad salutem oportet, clarius dicat. Etenim conatus liberi arbitrij, quos Deus est paratus sine intermissione adjuvare, & ita sine intermissione ut de hoc sit certa lex statuta, ad salutem pertinent sine dubio, quia nisi ad salutem pertinerent, nec illos Deus tanta aviditate expectaret, nec illos desideraret. Id enim quod Deus expectat ab homine, & id quod ex eo desiderat, ut ipsum adjuvet donis supernaturalibus, ad salutem illius pertinet, & propterea illud ab homine fieri Deus desiderat. Imò si Deus est paratus adjuvare conatus tales, desiderans ingressum, ut apertis verbis ait; ergo per tales conatus præbet homo Deo ingressum desideratum; ergo conatus illi exordium salutis sunt, quia sunt exordium ingressus Dei in animam. Ad quid enim Deus est paratus sine intermissione adjuvare conatus nostros, & desiderans ingressum in nobis, nisi ut si homo præbeat conatus illos desideratos à Deo, ipse Deus in animam per dona gratiæ ingrediatur? ergo qui præbet illos conatus per quos Deus, vel intuitu quorum Deus animam ingreditur, aperit Deo ingressum, ut nimirum ipse ingrediatur; apertio autem ingressus, cum infallibiliter ingressus ad talem apertionem sequatur, non potest non pertinere ad ingressum talem quod vel hoc exemplo monstratur si aliquis rex esset paratus ad ostium domus pauperis ad intrandum in eam, si iste pauper ostium aperiret, & desideraret Rex, quod aperiret, ad sic infallibiliter intrandum, quis dicat pauperem sic aperientem ostium domus nihil efficere, quoad hoc quod Rex ingrediatur? An aperire ostium volenti ingredi non aliquo modo conducit ad ingressum? An sic aperiens ostium ingredienti non verè diceretur operari, prout oportet ad talem ingressum? Si intus esset homo, quê alius vellet occidere, & ad hunc finem paratus esset ad hostium clausum desiderans ingressum ad talem hominem occidendum non nè? est evidentissimum, qui ex industria ostium aperiret illi, fore aliquo modo causam illius occisionis, physicè quidem sine qua non; sed per se in genere moris; unde merito illi mors etiam imputaretur. Sic igitur aperienti illis conatibus ostium Deo volenti intrare ad dandum dona salutis, imputaretur ipsa salus, & causa esset illius in genere moris quod certè negari nequit. Sicut enim, qui ad malum finem volenti ingredi, hoc sciens ostium aperiret, causa esset in genere moris illius mali operis, & secundum omnem legem ei malum opus imputaretur; ita qui ad bonum finem volenti ingredi domum sciens ostium aperiret, illius boni operis aliquo modo causa esset, & meritum illius sine dubio reportaret, diceretque ordinem apertio ostij ad bonum opus, quod intra domum fit, & omnes sine contradictione concederent, quod sic ostium aperiens operaretur aliquid prout oportet ad hoc quod alius ingrediatur, & ad hoc quod intus benè operaretur. Et quia ista satis nota sunt, manifestè ex istis septem, quæ prædictus author opponit, sigillatim sumptis, & multo magis collectivè captis convincitur illum asserere hominem sic ex sola facultate naturæ operantem, cui ex certa lege gratia datur, operari in tali opere prout ad salutem oportet; & ex consequenti ponere in illo exordium salutis, & proindè meritum ad talem gratiam habendam, ut sæpius est demonstratum.

Sed & illud in prædicto authore est consideran- 100

Digitized by Google

dum, quomodo in doctrina sua consequenter loquatur in hac propositione, quam constituit *disput.* 10. ad præcedentes in quibus 8. videlicet, & 9. postquam dixit interiorem vocationem ad fidem, & similiter excitationem fidelis ad pœnitentiam multum pendere à libero hominis arbitrio, nec solere Deum sic vocare, seu excitare, nisi præcedant bona opera liberi arbitrij; statim hoc confirmans est in immensum augens in *disput.* 10. inquit. *Illud etiam iis, quæ duabus præcedentibus disputationibus diximus, addendum est, quotiescumque liberum arbitrium conatur, præstovè est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem* &c. Verè enim ait illud addendum, addit namque id quod jam in superioribus ex septem ipsius dictis ostendimus, & denudavimus, videlicet gratiam talem dari secundum merita nostra, sive illa sit præveniens gratia ad fidem habendam, sive præveniens, ad dolorem de peccatis habendum ut expedit ad salutem, sive præveniens sit gratia requisita ad justificationem.

101 Merito autem quæret aliquis, quid intelligat author ille per verba illa (*totum quod in se est*) nec enim dicit facienti quod in se est sed facienti totum quod in se est? Ad quod dicendum, quod ut ex illius verbis apparet, ad quatuor requirit hoc totum quod homo facere potest. Primò in ordine ad addiscenda ea, quæ fidei sunt, & hoc totum, quod in hoc ordine ad hoc efficere potest ipse exposuit, ut nimirum pergat ad audienda ea quæ fidei sunt, animo attendendi, & expendendi, sic enim cogitanti, & expendenti, ac per consequens efficienti totum quod in hoc genere potest, illi gratiam dicit conferri certa lege. Secundò, ut faciat totum quod potest in amplectenda fide, & hoc totum est, ut solis viribus assentiatur certò omnibus revelatis ut à Deo revelata sunt, & quia ab ipso sunt revelata; & sic facienti totum quod in se est in amplectenda fide, gratiam ex certa lege ait dari. Tertiò, ut faciat totum quod in se circa dolorem de peccatis, per attritionem nimirum naturalem, quam naturæ viribus ipse tribuit, cui & gratiam certa legè ait dari, ut illa sit prout ad salutem oportet. Quartò, ut faciat totum quod in se est ad justificationem, videlicet ut habeat contritionem naturalem propter Deum summè dilectum hoc enim est totum quod ut ipse ait, potest homo facere viribus suis quoad justificationem, & huic inquit dari certa lege, gratiam ut illa contritio sit ut oportet ad justificationem. Et sic respectivè ad illa quatuor ponit esse necessarium facere totum quod homo potest, ut ei gratia præveniens detur, non advertens, quod illam præventam constituit, ut statim probaturi sumus; imò ex supra relatis ex eodem authore jam clarè probatum est.

102 Quibus si conjungamus quod ab alio authore dictum est, ut superius retulimus nimirum hominem sic faciendo quod in se est inchoare suam salutem, sine illationibus constabit eos inchoationem, seu initium, seu exordium salutis in illo opere naturæ constituere, & ex consequenti, ut etiam ipsi concedunt, meritum respectu gratiæ; sed de hujus secundi authoris sententia infra suo loco tractabimus, & modo cum priore concludamus, ex ipsius pluribus repetitis verbis manifestè deduci eum exordium salutis ex nobis astruere, & ex consequenti meritum gratiæ, licet voce dumtaxat meritum neget, ne cum damnatis sentire omnibus appareret.

103 Vnde rectè quidem Gabriel Vasquez ejusdem familiæ author 1. *part. disp.* 91. asseverat sententiam quæ dicit, quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certâ lege seu infallibiliter dat gratiam, cum Massilienſibus convenire, & pari modo quotquot illam propositionem probabilem putant, dicit facere cum Massilienſibus, eo quod manifestè ut ait, convincantur initium aliquod ex nostro libero arbitrio constituere cui gratia subjungatur; ubi etiam rectè advertit quod si in tempore ita datur gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, ex hoc effici, quod etiam hoc initium debeat concedi in æterna Dei prædestinatione. Vnde ait, quod si nos sic incipimus faciendo quod in nobis est, Deus expectabit, & si non semper, saltem aliquando voluntatem nostram, ut nobis suam gratiam conferat. Ecce prædictus author suorum sententiam damnatam esse affirmat etiam si dicant simpliciter, facienti quod in se est Deum gratiam non negare, quantò magis si addatur, quod certa lege datur, ut sui dicunt & præcipuè cum tot ac tanta proferant; sicut relatum est supra, admittendo potissimè inchoationem salutis in illo faciente quod in se est per quod constare videntur quæ diximus idem Gabriel Vasquez rectè asserat errorem Semipelagianorum dicere, esse occasionem tantùm salutis illud facere quod in se est.

CAPVT VIII.

Ex S. P. Augustino ostenditur, quod si sic facienti quod in se est naturæ viribus datur certâ lege gratia, illa sit naturæ debita.

POstquam ex propriis horum authorũ verbis, cum quibus agimus, ostensum fuit eos gratiam ponere sub priori naturæ merito in illa assertione, qua dicunt facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deum certa lege dare gratiam, superest hoc apertius ex Sanctorum Patrum doctrina demonstrare, illorum videlicet, qui primitus errores Pelagianorum damnarunt S. P. Augustinus Malleus hæreticorum omnium, sed potissimè Pelagianorum, quos per multos annos expugnavit, ac devicit id multis ostendit atque convincit, ex quibus nobiliora pauca producam. Primum testimonium sit *libro 4. contra Iulianum c.* 8. ubi illius primò hæc verba refert. *Calumniaris me dicere nihil studij expectari ab humana voluntate debere contra illud Evangelicum, quo ait Dominus, petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Post quæ statim S. Pater subjungit. *Ibi enim vos, ut video ponere jam capistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur; ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustraque sit scriptum, misericordia ejus præveniet me.* 104

Ecce Iulianus non dicebat expressè gratiam dari sub merito, quia post damnationem, & abjurationem Pelagij, licet fictam, nullus meritum respectu gratiæ ausus fuit expressè nominare, sed solùm dicebat, quod qui petit ex solis naturæ viribus, accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperitur, & tamen ex his verbis Sanctus Doctor Augustinus concludit ipsum sub illis vocibus meritum respectu gratiæ collocare. Quantò ergo magis, si audiret, quod homini facienti quod in se est solis naturæ viribus ex certa lege datur gratia, diceret, *Ibi vos, ut video, ponere jam capistis merita gratiam præcedentia*, quod

est

Digitized by Google

est facere hominem naturæ viribus, quod in se est, ut ex certa lege gratia reddatur; cum graviora, & efficaciora sint præ illis verba ista, magisque expressè exprimant dari infallibiliter gratiam sic facienti, quam exprimant illa alia, qui petit naturæ viribus, accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.

105 Quod si contendant diversas esse voces istius & illius fatemur, sed sensus omninò est idem: & sicut ex illis meritum convincitur, ita ex istis; imò à fortiori, ut diximus. Sed inducamus etiam easdem omninò voces ex authore, cum quo ista tractamus & non solùm sensus, sed voces eædem erunt. Recordari enim oportet, quod jam relatum & expugnatum est supra, authorem hunc expressè posuisse quod, cum homo est instructus auxilium gratiæ esse ad salutem necessarium, illud possit solis naturæ viribus desiderare, & petere à Deo, & satagere se ad illud disponere: cui conjungamus, quod sic desideranti petenti, & conanti se disponere, in quo facit totum procul dubio quod potest, respectu illius ex certa lege gratia datur: & erit manifestum ipsum dicere, quod qui petit auxilium gratiæ accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperitur sub eisdem vocibus, quibus Iulianus; & contra ipsum, & qui illius renent doctrinam, nos cum Sancto Patre Augustino concludamus; *Ibi vos, ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia*, quod est desiderare, petere, conati, se disponere, facere totum quod in se est, ut his meritis debita illa ex certa lege reddatur.

106 Secundum testimonium sit ad idem ex eodem S. Doctore *lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8.* ubi ait: *Fortassis ergo ipsi eo modò saltem servant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omninò non posse. Verum & sic gratiam dicunt secundùm merita nostra dari, quod in oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium, & sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur.* Attendantur hæc verba, & luce clarius constabit, multò à fortiori convinci meritum ex verbis Authoris, cum quo agimus, quam ex illis Iuliani & sociorũ ejus; verba enim Iuliani & sociorum hæc sola fuere, quæ citato loco referuntur à Sancto Patre Augustino: *Hoc enim nobis*, (inquit S. P. Augustinus) *objiciendum putarunt, quod invito, & reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quamcunque boni, sed & ipsius imperfecti cupiditatem.* Et ex istis infert S. Doctor verba prædicta, quibus eos in modo relatis convincit meritum ponere in illa imperfecti boni cupiditate habita ex nobis, quibus gratia datur; quanto ergo evidentiùs & efficaciùs inferret, meritum sanctissimus Doctor, si audiret quod audimus: *Quoties homo facit, quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus certa lege dat gratiam*, cum in istis præ illis illa certa lex meritum constituat? Contra quam & dicere debemus, si enim sine gratia Dei per nos incipit illa imperfecti boni cupiditas, cum facimus quod in nobis est, ipsum cæptum, cui gratia ex certa lege datur erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat illud adjutorium, quod tam patenter dicitur certa lege dari, & sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur, quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnati timens damnavit.

107 Tertium testimonium desumitur *ex libro 1. cont. duas epistolas Pelagianorum cap. 19.* ubi referens verba Iuliani inquit. *Dixisti in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate nulla Dei gratiâ bonum illud opus aggressus in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bona, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita: ac si gratia jam non sit gratia sed sit illud, quod Pelagius in judicio Palestino ficto corde damnavit, gratiam Dei secundum merita nostra dari*: Certè Iulianus nec in hoc, nec in præcedentibus testimonijs dixit gratiam sub merito dari, quia etiam à Pelagio videbat hoc abjuratum atque damnatum; sed in relatis nunc verbis solùm asseruit in bono opere adjuvari hominem à Dei gratia: & ex illis convincit S. Pater Augustinus eum gratiam sub merito constituere. Quantò ergo intollerabilius est dicere, facienti, quod in se est ex sola natura Deum certa lege dare gratiam, quam asserere in bono opere hominem à Deo adjuvari, ut majori cum fundamento convincamus, & nos illum in illis verbis gratiam Dei sub priori naturæ merito astruere? Quod si illius defensores insistant in verbis Iuliani, eadem asserere authorem illum est manifestum, quia inquit sæpius Deum se inserere notitijs, & cogitationibus habitis ex naturæ facultate; quod est clarius dicere, in bona notitia seu cogitatione ab homine elicita Deum adjuvare; se enim Deum illi operi ab homine incepto inserere est hominem in illo opere adjuvare. Manifestum est ergo, & ex istis, & ex illis verbis contra ipsum apertè convinci eum gratiam Dei re ipsa, & quoad sensum dicere secundum merita nostra dari.

Aliud quartum insigne habetur testimonium S. 108
P. Augustino *epistola 107. ad Vitalem*, in qua exponens, in quo sita fuerit & sit tota quæstio inter Catholicos, & Pelagianos, eam his verbis declarat. *Recognoscis me, ut puto, in ijs quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent commemorare voluisse; sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia, quæstionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc in nobis efficiat, ut velimus.* Hinc enim patet omnes controversias contra Pelagium, & Semipelagianos agitatas ad hanc thesim reduci, quæ à Sancto Patre Augustino relatis nunc verbis explicata est; totumque discrimen inter Catholicos, & Pelagianos in hoc puncto consistere, quod Catholici eam gratiam ponere debent, quæ non subsequatur hominis voluntatem, sed eam antecedat, id est talem gratiam, quæ non detur quia volumus, sed faciat, ut velimus: Pelagiani autem eam constituunt, quæ subsequatur hominis voluntatem, & quæ detur quia volumus; sed in illa asserta, & tanta contentione defensa propositione (facienti, quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certa lege dat gratiam) est luce clarius poni gratiam subsequi hominis voluntatem, non illam antecedere: ergo eadem claritate convincitur totam continere Pelagianorum sententiam, quæ tota ad hanc quæstionem reducitur; ex quo proindè etiam apertè concluditur quod si gratia subsequitur hominis voluntatem, & datur quia volumus, datur ex priori illo merito voluntatis nostræ, S. Doctor August. infert reipsa, & discipulus ejus S. Prosper clarius expressit in *libro Hypognost. loco inferius citando.*

Quintum testimonium habetur ex *libro de prædest. sanct. cap. 2.* ubi agens contra ea, quæ sibi per Prosperum & Hilarium relata fuerant de Cassiano & Fausto, & alijs posterioribus Pelagianis temporis illius, contendentibus hominem ex se assentiri certò revelatis, ut à Deo revelatis; & ex consequenti, ex se incipere credere, qui tamen apertis 109

verbis

Digitized by Google

verbis negabant in illo actu esse meritum gratiæ (ut patet ex opusculis eorum) adversùs ipsos convincit, & demonstrat eos in illo actu merè naturali, quo credere incipiebant, constituere meritum illius gratiæ, quæ illi dabatur sic dicens: *Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Vnde fit ut jam merenti cetera dicantur reddi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod objectũ sibi Pelagius, ne damnaretur ipse damnavit.* Et post aliqua *videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac si gratia jam non sit gratia.* Negabant quidem illi voce expressa meritum esse in illa inceptione credendi habita ex solis naturæ viribus, & tamen contra eos demonstrat, & Prosperum, & Hylarium informat, ut attendant, quod in illa inceptione revera Semipelagiani meritum ponebant; unde ait; *Videte & attendite si aliud agitur isto modo nisi ut gratia Dei detur secundùm merita nostra* quolibet modo scilicet id dicatur, vel verbis occultetur. Solùm illi Pelagiani in illis verbis dicebant hominem incipere credere, & illis Deum fidem augere, & negabant in tali inceptione meritum, & tamen de merito convicti sunt; ergo cum nunc dicitur facienti totum quod in se est ad amplectendam fidem (quod est ut alibi explicant, assentiri certo revelatis omnibus sicut revelatis, & quia à Deo revelata sunt, ut jam ostensum dedimus) Deus certa lege dat supernaturalia auxilia gratiæ, manifestè in illa inceptione credendi meritum ponunt, sic enim credens meretur ut à Deo supernaturaliter in tali actu adjuvetur, ut S. Doctor Augustinus ostendit.

110 Sextum testimonium est ex *lib. 2. ad Simplicianum q. 2. in fine*, ubi apertè hanc doctrinam sub his verbis impugnat; *Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor; nisi vel majus ingenium, vel minora peccata vel utrumque; addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis potest) & aut ingenio, & liberalibus actibus expolitus; eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me irridebit ille, qui infirma mundi eligat ut confundat fortia, & stulta mundi ut confundat sapientes, ut eum intuens, & pudore correptus, ego irrideam multos, & pra quibusdam peccatoribus castiores, & pra quibusdam piscatoribus oratores.* Non ne apertissimè docet non esse certam legem de danda fide, & gratia homini facienti quod in se ex solis naturæ viribus, vel quoad castitatem vel quoad bona opera quibus minimis peccatis irretitur. Prosequitur Sanctus Doctor & dicit. *Nonne videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine quarela, & tamen vel hæreticos, vel paganos?* Et tamen istis, quia faciunt quod in se est, certa lege gratia dari debebat secundùm hujus authoris sententiam quam impugnamus, imò efficacius Sanctus Doctor Augustinus impugnat.

111 Idem docet *libro de prædestinatione sanctorum capite 8. Cur ergo*, inquit, *non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet, quoniam cujus vult miseretur, & quem vult obdurat; sed miseretur bona tribuens, obdurat digna retribuens?* Profecto si facienti quod in se est solis naturæ viribus ex certa lege gratia daretur, hanc facilem adhiberet S. P. August. rationem, quare non omnes Deus doceat, quia nimirum omnes faciunt solis suis viribus quod in se est, si enim omnes id facerent utique omnes ex certa lege docerentur, vocarentur ad Christum. Idem habet, *de dono perseverantiæ c. 8.* dicens; *si ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur & vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Cur ô gloriose P. Augustine inscrutabilia dicis Dei judicia, cur iste vocetur, & alius non vocetur? Ecce valde scrutabilia apparent aliquibus ista judicia, & facillimam reddunt rationem discriminis hujus dicentes, quia ille fecit quod in se est ex solis naturæ viribus ex certa lege gratiam & vocationem obtinuit, nonvè alius, quia non sic fecit quod in se erat.

Contra hanc certam legem de danda gratia facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus 112
idem S. P. & Doctor Augustinus sic habet *sermone 15. de verbis Domini paulo post principium* sic dicens; *Quid est, pro nihilo salvos facies eos? nihil in eis invenis unde salvas & tamen salvas, gratis das, gratis salvas qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.* Nihil clamat defensor gratiæ Augustinus nihil dicet inveniſſe Deum in homine unde salvet, unde vocet, unde det gratiam; & tamen è contra publicare isti authores non formidant invenire Deum in homine aliquid unde vocet, unde salvet, unde det gratiam; nimirum bonum opus facientis hominis quod in se est ex solis suæ naturæ viribus, ex hoc enim ei ex certa lege gratiam tribuit, quia invenit eum ex sua sola naturæ facultate facientem quod in se est.

Egregium & illud aliud quod habet *lib. 4. ad Bonif.* 113
c. 6. ubi damnans inceptionem boni inceptam ab homine, quam consequebatur Dei adjuturum à Pelagianis assertam illam ut ibi ait, maximè damnat ex illo Ezechielis testimonio *c. 36.* ubi sic Dominus dicit; ostendens nullos se hominum bonis meritis provocari, ut eos bonos faciat, sed potius hæc eis tribuere bona pro malis; *hæc dicit Dominus Deus, ego faciam domus Israël, sed propter nomen meum sanctum, quod prophanastis in gentibus, quo intrastis illuc, & sanctificabo nomen meum magnum quod prophanatum est in gentibus, & prophanastis in medio eorum, & scient gentes, quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus. Cum sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum &c. Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis.* Et post pauca. *Non propter vos* inquit. *Ego facio, dicit Dominus; notum sit vobis. Confundimini & erubescite de viis vestris domus Israël.* Ad quæ verba sic August. *Quid remansit pelli morticinæ, unde possit inflari, & dedignetur quando gloriatur in Domino gloriari? quid ei remansit, quando quidquid dixerit se feciſſe, ut eo præcedente hominis merito ab homine exorto Deus subsequenter faciat quo dignus est homo; respondetur, reclamatur, contradicitur; ego facio, sed propter nomen meum sanctum non propter vos. Ego facio dicit Dominus Deus, nihil sic evertit Pelagianos dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari: nihil sic evertit hominum præsumptionem dicentium, nos facimus ut mereamur, cum quibus faciat Deus. Respondet vobis, non Pelagius sed ipse Dominus, ego facio, & non propter vos, sed propter nomen meum sanctum. Quid enim potestis facere boni de corde non bono? Vt autem habeatis cor bonum, dabo, inquit, vobis cor novum, & spiritum meum dabo vobis. Nunquid potestis dicere, priùs ambulavimus in justificationibus ejus, & judicium ejus observavimus & fecimus ut digni essemus, quibus gratiam suam daret.* Ac si clariùs dicat Augustinus: numquid potestis dicere, nos facimus quod in nobis est, ut Deus ex certa lege det gratiam? *Itanè*, ait, *nondum evigilatis, non auditis, faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremo faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nunquid hæc pro meritis desertionis, exterminationis, effusionis sua? Absit. Ista enim merita mala sunt, hæc*

munera

Digitized by Google

munera bona; redduntur itaque malis bona; gratuita ergo non debita, & ideo gratia. Ego, inquit Dominus, ego Dominus, nonne iſta vox te comprimit ô humana ſuperbia, qua dicis, ego facio ut merear à Deo ædificari atque plantari? dicis, quod in me eſt, ut Deus ex certa lege det gratiam nonne audis, *non propter vos ego facio*, Non quia tu feciſti quod intraſti, ego tibi do gratiam ex certa lege, non quia vos facitis, ego facio. Notum ſit vobis confundimini, & erubeſcite de viis veſtris malis; & ſcitote quod nihil boni præcedet in homine faciente quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus ut ex certa lege gratiam conſequatur; quia jam reddetur debita non dabitur gratuita, tamen nec erit gratia. Quod ſi dicant non facere iſtos homines à Sancto Doctore Auguſtino relatos, totum quod in ſe eſt, & ideo eis gratiam non dari, frivola ſolutio eſt, quia majus quod facere non poſſunt homines ſine gratia, quam caſtitatem conjugalem ſervare ſine querela, & minimis irretiri peccatis, quia nullis, nec iſte author affirmabit.

114 Nonum teſtimonium in quo adhuc manifeſtius præcedens doctrina confirmatur, & illa certa lex de danda gratia facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus penitus expugnatur, traditur 1. *lib. de pecca. merit. & remiſſ. c.* 22. in hunc modum. *Unde enim fit ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperatior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit? quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante.* Quid clariùs, aut quid apertiùs dicere potuit ad negandam legem de danda gratia facienti totum quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus? an non facit ille homo, quem ſic depinxit S.P. Auguſt. totum quod in ſe eſt, cum ab ineunte ætate ita temperatum contra vitia conſtituit, quem caſtum ponit, magna ex parte contra vitia victorem proculdubio nihil amplius poteſt homo facere quod in ſe eſt ex ſola facultate ſuæ naturæ, quam depingatur à Sancto Patre Auguſtino; & tamen huic ſic facienti totum quod in ſe eſt manifeſtè aſſerit gratiam non dari, ſed illi eam plerumque negari, & dari alteri libidinoſo & peccatori, ut ibi probat. Concludamus ergo verbis hujus Sanctiſſimi Patris *citato nunc loco*, atque dicamus. *Quid hic reſpondeant omnino non video qui volentes humanis conjecturis juſtitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ fabulas improbabiles texuerunt.* Verè enim improbabiles fabulæ ſunt, imò perniciosæ ad negandam divinam gratiam eamque ſub priori merito naturæ conſtituendam excogitatæ, quæ dicunt facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus certâ lege gratiam dari, ut tum ex propriis verbis authoris qui hoc intromittit tum etiam ex relatis atque inductis S. P. Auguſtini teſtimoniis comprobatum eſt. Plurima alia, quæ ex S. P. Auguſtino induci poterant, teſtimonia conſulto miſſa facimus, quia hæc ſufficiunt ad doctrinam confirmandam, quam prætendimus, potiſſimè quia notum eſt omnibus Sanctum Doctorem totum in hac oſtendenda doctrina inſiſtere.

115 Decimum & ultimum teſtimonium habetur *Epiſtola ad Vitalem* ſub his verbis; *A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet, non dicit, & viam ejus diſcet, aut tenebit, aut ambulabit, vel aliquid hujuſmodi, quod poſſet dicere à Domino quidem dari, ſed homini jam volenti, ut ſcilicet beneficium Dei quo greſſus hominis dirigit, ut viam ejus diſcat teneat gradiatur, ſua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente ſua voluntate mereatur, ſed ideo dixit à Domino greſſus hominis diriguntur & viam ejus volet, ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, quæ incipimus velle credere; (quoniam Dei via, quid eſt niſi fides recta?) illius eſſe donum qui greſſus noſtros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait ſcriptura, à Domino greſſus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit, ſed diriguntur, inquit, & volet, non igitur quia voluit diriguntur, ſed quia diriguntur volet hîc tu rurſus fortaſſis dicturus es hoc fieri à Domino, dum doctrina ejus legitur, vel auditur, ſi homo veritati, quam legit, vel audit, ſua conſentiat voluntate. Si enim lateret eum, inquis, doctrina Dei non dirigerentur greſſus ejus, quibus directis vellet viam Dei, ac per hoc tantum putas à Domino greſſus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, quia ſine doctrina Dei non ei poteſt innoteſcere veritas, cui propria voluntate conſentiat, cui ſi conſenſerit, inquis, quod in ejus libero arbitrio conſtitutum eſt, rectè utique ab illo dicuntur dirigi greſſus ejus, ut viam ejus velit cujus doctrinam ſuaſione præcedente, ſubſequente conſenſione ſectatur, quod libertate naturali ſi vult facit, ſi non vult non facit, pro eo quod fecerit præmium, vel ſupplicium recepturus, hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritòque reprobata & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, quâ dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina*, hæc S.P. Auguſtinus.

Quibus apertè docet, quod in præcedente diſ- 116
putatione tractavimus, non poſſe hominem ex ſe incipere credere, & omnibus revelatis aſſentiri, volendo viam Dei, ſed ad hoc dirigi ejus greſſus à Domino. Similiter clarè docet non præcedere hominis bonam voluntatem ante gratiam divinam facientis quod in ſe eſt, ut viam Domini velit, ſed gratiam præcedere ut velit, ideo enim vult, quia ejus greſſus à præveniente gratia diriguntur, non autem è converſo. Ac tandem tertiò manifeſtè, ut Pelagianorum rejicit damnatam ſententiam, illam quæ dicit præcedere interiorem ſuaſionem, & moralem excitationem à qua dirigantur hominis greſſus, vel ſi velit ſua innata libertate conſentiat, cum illa interior ſuaſio non recedat à lege atque doctrina, ut *lib. de gratia Chriſti c.* 10. contra Pelagium aperuit probat autem hanc eſſe damnatam Pelagianorum doctrinam, quia tunc gratia Dei non daretur ad ſingulos actus, cum non daretur ad illum conſenſum efficiendum, quo ſuaſioni aſſentiretur, ſed eſſet tantùm poſita in lege, ſive doctrina.

Quod ſi dicant doctrinam ſuam ab hac eſſe diver- 117
ſam, cum ipſi admittant ulteriùs, auxilium quod vocant concomitans illum conſenſum, ad quem propterea dicunt eſſe neceſſariam, & ſic ad ſingulos actus eſſe neceſſariam præter legem, atque doctrinam; dicendum quod ipſi apertè teſtantur, determinationem voluntatis, id eſt quod voluntas determinare ſe velit, & ad conſenſum applicare, à ſola voluntate eſſe, non à Deo. Ipſa autem jam ſic ſe applicante & determinante, Deus cum illa ejus actionem efficit unde ad illam actionem voluntatis quatenus determinatio & applicatio eſt non eſt neceſſarius ille conſenſus, & ſic non eſt neceſſarius ad ſingulos actus; licet ponatur neceſſarius ad actiones, quatenus actio eſt à voluntate effecta quâ etiam ratione ille vocatur concomitans concurſus, nõ ſimultaneus ponitur, ſed ſubſequens & pediſſequus & ex priori merito bonæ voluntatis ſe ex ſe ipſa ſolùm ſe determinantis & applicantis ad conſentiendum, quod & ipſi explicant, cum dicunt, quod ideo nobis datur, quia volumus, hoc eſt quia priùs nos ex nobis nos applicamus, & determinamus. De quo proindè S. P. Auguſt. docet, quod ex ſuperfluo & ſola voce ad frangendam invidiam ponatur. Si enim poteſt vo-

Digitized by Google

luntas sine Deo incipere suam actionem se determinando & applicando ad consensum ex se sola, poterit illam perficere & consummare, quia difficiliùs est bonum incipere, quam inceptum consummare, sed de hoc alias. Omnia ista confirmantur, cum ipsi dicunt expresè illud auxilium concomitans, seu cooperans non agere in voluntatem, sed immediatè in actionem à voluntate elicitam: ergo sola voluntas sine auxilio aliquo in se existente producit actum supernaturalem, & sic non indiget ad hoc auxilio gratiæ.

CAPVT IX.

Ex SS. Prospero, & Fulgentio concluditur in illo actu facientis hominis quod in se est solis naturæ viribus, cui dicitur gratia ex certa lege dari, illius gratiæ meritum constitui.

118 NOn multa etiam ex Sancto Prospero, sed urgentia, & clariora expendemus, quibus apertiùs fiat in illo actu facientis hominis quod in se est solis naturæ viribus, cui dicitur gratia ex certa lege dari, constitui meritum illius gratiæ, & ex consequenti gratiam penitus auferri. Primum testimoniũ habetur ex Sancto Prospero lib. *contra collat. cap.6.* cum enim dixisset Cassianus hæc verba, quod Dominus petentibus tribuat à quærentibus inveniatur aperiatque pulsantibus, inter alia, quibus illum expugnat, memoranda illa verba protulit: *quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis, ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas.*

119 Circa quod illud primò advertendum, Cassianum voce quidem meritum negasse expresè in illo petere, quærere, atque pulsare. Secundò nec dixisse expressis verbis dari gratiam propter illa bona opera, sed tantùm quod Deus tribuit petentibus, invenitur à quærentibus, & aperit pulsantibus, & tamen S. Prosper utrumque ipsum in illis verbis astruxisse affirmat, & quod propter illa bona opera naturæ dicat dari gratiam, & ex consequenti ex merito illorum, asserens quod velit nolit de hoc convincitur: cujus & rationem statim sequentibus verbis adhibet dicens: *Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipuè cum omnes ejusmodi, & accipere, & venire & intrare dicantur.* Quæ cum ita sint, & cum tam manifestè modò dicatur quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, sive petendo, quærendo, & desiderando auxilium gratiæ, sive expendendo res fidei; sive eis assentiendo ut revelatis, & quia à Deo revelata sunt; sive dolendo de peccatis per naturalem attritionem; sive denique, quod majus est, per contritionem naturalem propter Deum summè dilectum, certa lege gratia datur; ita quod semper sic faciens quod in se est, invenit, accipit, & ad gratiam intrat. Quis poterit dubitare multo clariùs id posuisse authorem hunc, quam antiquum Cassianum, ac proindè efficaciùs adversùs illum instare verba ex Sancto Prospero relata, & convincere eum meritum gratiæ in illis operibus ponere, sicut & Cassianum: quamvis uterque illud solis verbis exterioribus negent? Convincitur planè author iste: convincuntur & qui illius defendunt doctrinam, velint nolint, quod dicant gratiam Dei secundùm merita nostra dari: cum aliquid præcedere boni operis in illo facere quod in se est ex solis naturæ viribus, propter quod gratiam homines consequantur, affirmant: nec enim nullius meriti haberi potest tam bonum opus facientis quod in se est, sive ut fidem amplectatur, sive ut de peccatis doleat, sive ut justificetur, potissimè cum omnes hujusmodi ex certa lege ad gratiam intrare dicantur.

Deindè in *cap. 16. ejusdem libri adversùs eundem:* 120
quia præmiserat Cassianus verba ista; *nam cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat*: quæ sine dubio non ita efficacia sunt ad constituendum meritum respectu gratiæ, ac illa alia authoris illius: *Quotiescumque homo facit quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus ex certa lege dat gratiam*: hæc protulit S. Prosper. *Quis non videat quod hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? qua definitio in Episcoporum Palestinæ Synodo etiam à Pelagio anathemate damnata est.* Quis ergo etiam non videat, si non à fortiori, saltem æqualiter, quod hæc doctrina de faciente quod in se est, meritum libero assignet arbitrio, quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? Et ne plura ex eodem libro inducamus testimonia, qui librum illum contra collatorem legerit, videbit nihil tam nervosè in illo libro refutari, quam hæc initia naturæ, quæ malè Cassianus constituebat. Ex quibus adversùs illum perpetuò inferebat, illa merita gratiæ ab illo constitui, quidquid, ut se occultaret, verbis negaret.

Idem *lib. 6. hypognost. cap. 7* sic ait. *Novimus* 121
nonnunquam quosdam volentes æterna vitæ fidem accipere, & eam adipisci, quosdam autem non aliquos etiam nolentes consequi, cum eis divina gratia aut dederit, aut immutaverit voluntatem: aliquos non. Novimus aliquos etiam perfectos ex labore multorum annorum prolapsos, in ultimo vitæ suæ & periisse: aliquos verò ab ineunte ætate sua in omni scelere & damnabilitate usque ad decrepitam ætatem perduraſſe, & repentè cœlitus inspirata salute raptos esse ad requiem Regni cœlorum. Et post pauca. *Quis sapiens & intelligens hæc, aut quis idoneus erit horum reddere rationem?* Vbi illam rationem sumptam ex faciente quod in se est in ordine ad obtinendam ex certa lege gratiam: pœnitus confundit, & non posse reddi rationem talem apertiùs ostendit: unde & concludit: *Dicamus cum David justus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, & quam magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Dicamus etiam cum Apostolo Paulo. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Præterea *responsione ad tertium oppositum à Ge-* 122
nuensibus, inquit, *si enim consideremus Pelagiana argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quam ut videatur gratia Dei secundum merita nostra dari. Vt in eo ipso in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis enervet? Quam perversitatem omninò incurrit qui fidem ad Dei munera non putat pertinere.* Hæc. S. Prosper, sed ut probatum dedimus supra; fidem ad Dei munera non putat pertinere author, cum quo agimus: cum ex nobis solùm credere ponat, & assentiri certò omnibus revelatis propositis per Ecclesiam ut à Deo revelatis: ergo ex hoc capite illam perversitatem dogmatis Pelagiani incurrit ponentis gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Item cum ponit certam legem de danda gratia naturæ operationi priori, quid per illam legem certam statuit, nisi debitum reddendi gratiam sic operanti ex natura, ac per consequens in eo quod gratiam necessariam confiteretur, eam dari secundùm priùs naturæ meritum ponit.

Similiter

Digitized by Google

123 Similiter Petrus Diaconus cum ſociis in ſuo parvo libello de Incarnatione & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti contra Semipelagianos *cap.* 7. ita dicit: *Manifeſtè ergo non nobis, ſed Apoſtolo omninò reſiſtit, qui dicit, niſi ego priùs voluero, gratia ad me non veniet. Quod omninò nihil eſt aliud dicere, niſi priùs dari Deo ut retribuatur illi.* Sed author cum quo agimus, licet admittat, quod aliquando Deus dat gratiam priùs quam homo faciat quod in ſe eſt, dicit tamen quod niſi priùs homo ſic velit facere, non ſolet Deus eam dare: ergo dicit, niſi ego priùs voluero, gratia ad me non ſolet venire. In quo parum diſtat ab iis, quos Petrus Diaconus damnat: potiſſimè cum author addat: quod quoties ego voluero gratia ad me veniet, & non quomodolibet, ſed ex certa lege: ſicut ergo damnata ſententia eſt; niſi ego voluero gratia ad me non veniet, ita damnata eſt dicere, quoties ego voluero gratia ad me ex certa lege veniet. Imò hæc ſecunda damnabiliorem ſententiam continet, quam illa prima. Et in fine illius inquit: *Anathematiſamus Pelagium & Cœleſtium, ſimulque etiam Iulianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt, præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lyrinenſe profectus eſt, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra horum omnium Sanctorum Patrum, verum etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens humano labori ſubjungit gratiæ adjutorium.* De quo alio eos condemnat, vel in quo alio eos venire contra Apoſtolum aſſerit, niſi quia labori humano ſubjungebant gratiæ adjutorium? Cum ergo qui aſſerit quod facienti quod in ſe eſt ex ſola naturæ facultate certa lege advenit gratia: manifeſtè labori humano ſubjungat gratiæ adjutorium: Imò ſubjungendum ex certa lege contendat; in illis prioribus damnata apparet ejus doctrina, &c.

124 Tandem S. Fulgentius *libro etiam de Incarnatione & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cap.* 16. hanc doctrinam de danda gratia ex certa lege facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, clariùs condemnat dicens: *Quomodo igitur de poſſibilitate ſolius liberi arbitrij, (ſi non præveniatur adjutorio gratiæ Dei, per quam bona voluntas reparatur, & ſervatur in homine natura tantò magis ſuperba, quantò magis dominio peccati mortique ſubjecta) quantulumcunque ſibi bona voluntatis, & operis exordium repromittit, qua nec ſana potuit Dei ſervare mandatum, nec vulnerata quantulumcunque curationis ſumpſit de lege remedium: ſed inſuper auxit peccatum cognitione mandati.* Notanda valdè ſunt verba illa ſemel & iterum replicata, *quantulumcunque bona voluntatis exordium*, & *quantulumcunque curationis remedium*; per quæ apertiſſimè imperfecta hæc initia naturæ, & imperfectam boni cupiditatem, ſeu extrinſeca exordia gratiæ pœnitus negat in illis qui gratiam promittebant dari illis imperfectis operibus facientis hominis quod in ſe eſt.

125 Item *cap.* 17. inquit: *Proindè ſi quis dixerit, meum eſt velle credere, Dei autem gratia eſt adjuvare, mutet igitur dictorum ordinem; imò non mutet, ſed ſervet: nec quod poſteriùs eſt in priori loco, nec quod priùs eſt in loco poſteriori conſtituat. Malè enim gratiam Dei ſuæ voluntati poſtponit, cum iſta bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit. Non enim dicat meum eſſe velle credere, Dei autem gratia adjuvare, ſed dicat gratia Dei eſt adjuvare ut ſit meum velle credere. Tunc enim verè rectéque ait ejus hoc velle, cum eum gratia præveniens cœperit adjuvare.* Quid aliud dicit, qui ait, quod facienti quod in ſe eſt priùs ex ſola naturæ facultate certa lege gratia datur: niſi meum eſt velle, Dei autem gratiæ adjuvare; imò id per illam certam legem clariùs ſtatuit: non enim quomodolibet dicit meum eſt velle, & gratiæ Dei adjuvare, ſed quod ex certa lege eſt Dei adjuvare eum qui ſic priùs cœperit velle. Similiter qui dicit quod poteſt homo aſſentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata, ex ſolis viribus ſuis, ſicut iſte author defendit, (ut viſum & impugnatum eſt ſupra) quid aliud dicit, niſi meum eſt velle credere, ut ibi convictum fuit? Et cum ait poſtea quod ſic credenti Deus certa lege dat gratiam: quid aliud dicit niſi meum eſt velle credere, & ex certa lege Dei gratiæ eſt adjuvare? Igitur manifeſtum eſt hanc doctrinam in terminis illam eſſe, & efficaciùs explicatam quam illam, quam S. Fulgentius damnat verbis relatis. Vnde proſequitur idem Sanctus Doctor *cap.* 18. & in tali ſententia gratiam poni ſecundum merita noſtra dari his verbis affirmat: *Si verò ſecundùm opinionem illorum noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adjuvare; injuſtè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, ſed bona retribuitur voluntati: hanc enim ſicut illi volunt, gratia in nobis invenit, quam ipſa non dedit. Imò ſi ſic eſt, nos priores voluntatem damus Deo, atque ita gratiam non miſeratione tribuentis, ſed æquitate Dei retribuentis accipimus.*

126 Ex S. Thoma non oportet alia prædictis adhibere, quippequi ubique in doctrina ſua in hoc conſiſtere docet Pelagianorum hæreſim, ut homo incipiat & Deus perficiat; homo inchoet, & Deus conſummet. Incipit autem & inchoat apertiſſimè homo faciendo quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus, & Deus perficit atque conſummat pro meritis illius operis gratiam tribuendo; & quia plura ex S. Thoma in oppoſitum adducta allaturi ſumus infrà in ſpecie contra hanc certam legem de danda gratia facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, ad præſens ab his ſuperſedendum putamus. Conſtat ergo ex Sanctis Patribus & Eccleſiæ doctoribus damnatam eſſe hanc ſententiam, quæ legem firmat de danda gratia facienti homini quod in ſe eſt ex ſolis viribus ſuis.

127 Quod S. Bernardus optimè confirmat *ſermone* 67. *in Cantica*, ita dicens in explicatione illorum verborum, *Dilectus meus mihi ſubaudiamus intendit, ut ſit ſenſus Dilectus meus intendit mihi, & ego illi, quanquam tamen nec ſolus ego id ſenſerim, nec primus, cum propheta ante me dixerit, expectans, expectavi Dominum, & intendit mihi, habes apertè intentionem Domini ad Prophetam, habes & Prophetæ ad Dominum, in eo quod ait, expectans, expectavi: nam qui expectat intendit, & expectare intendere eſt. Idem omninò ſenſus eadem pœnè verba apud Prophetam, quæ apud ſponſam, ſed priùs ex Propheta tranſpoſita. Priùs ſiquidem his quod illa poſteriùs poſuit, & è converſo. Cæterum ſponſa rectiùs loquuta eſt, & non prætendens meritum, ſed prætermittens beneficium, & ſe preventam Dilecti, gratia confitens. Rectè omninò, nam quis prior dedit ei & retribuetur ei? Denique audi Ioannem, quid in Epiſtola ſuper hoc ſenſerit. In hoc eſt charitas, inquit, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed ipſe prior dilexit nos. Propheta tamen gratiæ præventionum, etſi tacuit, non negavit ſubſequutionem. Planè non tacuit, ſed accipe & alio loco certiorem de re iſta ipſius confeſſionem: & miſericordia tua, inquit, (Domino loquebatur) ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Audi, & de præventione identidem ipſius non minùs certam manifeſtamvè ſententiam. Deus meus, inquit, miſericordia ejus præveniet me. Item ad Dominum, cito, ait, anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Pulchra ſponſa poſteriùs (ni fallor) hæc eadem verba non eodem ordine ponit, ſed ſequitur, & ipſa propheta ordine loquens hoc modo: ego dilecto meo, & Dilectus meus mihi. Cur ita? nempè ut tunc magis*

Digitized by Google

gratia plenam se probet, cum totum gratia dederit, & primas scilicet illi partes ascribens & ultimas. Alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia, non est quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Ergo jam plena confessio gratiæ ipsius gratia plenitudinem signat in anima confitentis. Nam si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam illi concedere necesse est. Deest gratiæ, quidquid meritis deputas. Nolo meritum quod gratiam excludat, horreo quidquid de meo est, ut sim meus, nisi quod illud magis forsitan meum est: Quod me meum facit, gratia reddit me mihi justificatum gratis, & sic liberatum à servitute peccati. Hæc Bernardus: quibus omnem perventionem ad gratiam meritum vocat, gratiam omninò evacuans: per quod illud facere quod in se est, cui gratia certa lege reddatur, apertissimè damnat.

CAPVT X.

Quod S. Chrysostomus contrarium non doceat.

128 AN verò S. Chrysostomus senserit hominem ex se incipere, faciendo videlicet quod in se est ex solis suæ naturæ viribus, quem propterea Deus adjuvet, sunt qui dicant. Ludovicus Molina *in concordia quæst.* 43. Mag. Cumel. *tomo 2. var. disput. disput. 5. sect. 3. §. horum Massilienſium*, ubi eandem sententiam etiam tribuit Vincentio Lyrinienſi, sed ut ab hoc ultimo, in quo nulla difficultas est, incipiamus planè Vincentius Lyrinienſis talem sententiam non tenuit, nec cum Massilienſibus, ut relatus author affirmat, consensit: æquivocatione enim nominis ad hoc asserendum motus fuisse videtur, quia Vincentius ille, cujus extant S. Prosperi responsiones ad objectiones Vincentianas, quas à Massilienſium doctrinâ non recedere compertum est; alias fuit à Vincentio Lyrinienſi, ut noſtro primo libro satis abundè distinximus.

129 De Sancto autem Chrysostomo major difficultas est, extant enim aliqua à Sancto Doctore asserta, quæ facilè prædictam sententiam tradere videntur. Primum habetur *tomo 2. homil. 32. in 19. cap.* Matthæi imperfecti operis cujus ibi verba sunt: *Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia.* Sed hoc testimonium facilè explicari potest, quod procedat de petente, pulsante, & quærente, non quomodolibet, sed prout ad salutem oportet: quæ proindè petitio, pulsatio, & quæsitio sine aliquo priori auxilio gratiæ fieri nequit: illique copiosior gratia promittitur. Vnde illa verba, *debet enim voluntas præcedere; ut sic sequatur gratia*, debent intelligi de voluntate præventa priori auxilio divino quam copiosior postmodum gratia consequitur. Qua simili ratione S. P. Augustinus *tract. 74. in Ioannem* explicat illa verba Christi Domini Ioann. 14. Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis. *Cum hoc dicat de Spiritu Sancto, quem nisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec ejus mandata servare? Restat ergo*, inquit, *ut intelligamus Spiritum Sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen eum adhuc habebant; sicut eum Dominus promittebat.*

Secundum testimonium S. Chrysostomi habetur 130
tomo 2. homil. 1. in acta Apost. ubi ait. *Non enim datur, non datur gratia nisi vigilanti.* Et post pauca; *Etenim nisi addicti fuerimus ei quod datur, ne sentiemus quidem magnopere beneficium. Sic & Paulo non statim data est gratia, sed triduum intercessit, quo fuit cæcus, atque interim metu purgatur ac præparatur. Etenim quemadmodum qui purpuram tingunt, priùs aliis quibusdam coloribus præparant id, quod tincturam accipiet, ne flos dilutus & evanidus fiat, itidem & hic priùs animi sollicitudinem Deus præparat, ac deindè effundit gratiam.* Verum in hoc testimonio apertissimè loquitur S. Doctor de justificante gratia, quæ non datur nisi vigilanti & præparato à Deo per priùs auxilium gratiæ, ut expressis verbis exponit, & exemplum de tingente purpuram manifestat.

Tertium testimonium magis urget, quod nempè habetur *homil. 12. in epistolam ad Hebræos* illis verbis. *In noſtro itaque arbitrio est & in Deo, oportet quippè nos eligere primum, qua bona sunt, & tunc ipse qua sua sunt introducet. Non antecedit noſtras voluntates, ne ladatur liberum arbitrium. Cum autem nos elegerimus multam tum nobis aufert auxiliationem. Et infra noſtrum eligere tantum est, velle, Dei autem efficere, & ad perfectionem perducere.*

Ad hoc testimonium ab aliquibus authoribus 131
hæc signatur responsio. Quod sicut S. P. Augustinus antequam esset Episcopus sine culpa, nondum re bene perspecta & examinata, quam tamen postea occasione Pelagianorum diligentiùs discussit, tenuit initium fidei ex nobis esse: ita Chrysostomus asseruit electionem, quâ primo bona eligimus, esse priorem ipsa Dei gratia quâ nos postea adjuvamur; quia minus intelligere valebat quanam ratione libertas arbitrij salvaretur, si in omnibus Dei gratia noſtras præveniret voluntates. Vnde Ianſenius in *concord. cap. 59.* cum adduxisset inter alios Doctores Græcos S Chrysostomum, & Euthimium, advertit quod nisi attentè legantur in hac materia, & piè explicentur, erroris Pelagiani occasionem præbere possunt. Iuxta quam solutionem illud venit attendendum, quod cum Ludovicus Molina *disp. 43.* expresè concedat, ob locum S. Chrysostomi inductum ipsum in relatis verbis errasse sine culpa, & sententiam Pelagianorum tenuisse, in hoc ipso suam in hac parte damnat sententiam. Nam si error Pelagianus est, quod primo homo eligit bona, & Deus postea adjuvat, ut dicebat Chrysostomus, cum idem sit, quod facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus, quod est eligere priùs bona, Deus postea det gratiam; pariter hic erit Pelagianorum error. Nec excusatur quod ideò Chrysostomum asserit errasse, quia nescivit distinguere vocantem & excitantem seu prævenientem gratiam, quam arbitrium pro libito reddere potest efficacem operando, vel cassam continendo consensum: quia potiùs Chrysostomus in hoc veram & Catholicam doctrinam tenuit, ipse autem Ludovicus Molina illam quam Semipelagiani sustinebant; unde jam S. Chrysostomus, ipsis testantibus, non admisit gratiam prævenientem, quæ ab arbitrio efficax, vel inefficax reddatur, quod est valdè considerandum, quia isti authores hujus sui dicti obliti, quod in Chrysostomo damnant, postea Sancto Chrysostomo conantur ascribere, ut infrà erit apertiùs ostendendum.

Secundò respondetur nunquam S. Chrysosto- 132
mum errorem Pelagianorum etiam materialiter tenuisse, vel si aliquando tenuit sicut Sanctus P. Augustinus in meliùs revocavit. Nam *homilia de Adam & Eva* manifestè contrarium docet, & id quidem multiplicatis verbis, quæ & ibi videri poterunt,

Digitized by Google

terunt, & ab aliis ad longum recenſentur: unde ab inutili illorum repetitione abſtinemus; potiſſimè quoniam nec deſunt, qui aſſerant homiliam illam de Adam & Eva Chryſoſtomi non eſſe, quod aliquale poteſt habere fundamentum. Quare nec in illa fundare intendimus Chryſoſtomum veram doctrinam de gratia tradidiſſe, ſed in aliis ejus certiſſimis teſtimoniis. Videatur *ſuper epiſt. ad Epheſ.* præſertim *col.* 2. ubi explicans illud, *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti*, inquit; *ſic divina ratione cuncta diſpenſata ſunt & præfinita, idque per multam erga nos providentiam.* Vbi cuncta, cunctaſque bonas electiones noſtras à Deo docet præfinitas, & ex conſequenti dono ſuæ gratiæ effectas atque cauſatas, & infrà. *Si Chriſti fidem amplectimur, ſi ad Deum acceſſerimus, hoc & ejus munus eſt, qui nos vocavit, ſed tamen & noſtrum.* Docet ergo quod bona ea electio, quâ aliqualiter ad Deum accedimus, donum Dei eſt.

134 Tertiò, quia S. Chryſoſtomum à ſuſpicione hæreſis Pelagianæ fuiſſe alienum S. P. Auguſtinus oſtendit *lib.* 1. *contra Iulianum cap.* 6. per hæc verba. *Itane iſta verba S. Ioannis Epiſcopi audes tanquam è contrario tot taliumque ſententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſejungere, & adverſarium eis conſtituere? Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Abſit, inquam, ut Conſtantinopolitanus Ioannes de baſptiſmate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum, tot ac tantis Coëpiſcopis ſuis, maximéque Romano, Innocentio, Cartaginenſi, Cipriano, Cappadocio, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo, Hilario Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio.*

135 Sicut ergo tunc Chryſoſtomum ab imputato ſibi per Iulianum fundamento Pelagianæ hæreſis, quod in negatione peccati originalis conſiſtit, liberavit Auguſtinus, ita & nunc ab imputatione alterius ejuſdem hæreſis fundamenti, quod in eo ſitum eſt, ut homo priùs bene operari ex ſuis viribus incipiat, quem poſtea Deus ſuâ gratiâ adjuvet meritò per nos eſt liberandus Chyſoſtomus, quamvis enim non tam exactè de divinæ gratiæ adjutorio loquutus fuerit, utpotè qui hanc neceſſitatem non habuit; cum ipſe ſcripſerit ante exortam hæreſim Pelagianam; nihil tamen contra divinam gratiam ipſe dictavit: quod & S. P. Auguſtinus pro ipſo & aliis Sanctis Patribus græcis advertit *lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap.* 14. Quid autem mirum, quod aliqui id S. Chryſoſtomo tribuant, cum eidem S. P. Auguſtino magno gratiæ defenſori quidam antiquitus auſi ſint aſcribere, ut ipſe S. Doctor affirmat *lib.* 1. *retract. cap.* 9. ubi ſe à tali imputatione purgat.

136 Vnde ad oppoſitum locum ſunt authores qui dicant, verba inducta ex illa homilia 12. ad Hebræos, in originalibus græcis Chryſoſtomi non haberi ſaltem in omnibus, qua ratione creduntur à Pelagianis illius ætatis inſerta, ut Chryſoſtomi authoritate ſuam hæreſim confirmarent. Quod hæreticis fuiſſe familiare, ut Catholicorum libros corrumperent, ſatis eſt notum. Secundò reſpondendum Sanctum Chryſoſtomum, utpotè agentem contra Manichæos contendentes hominem eſſe vel naturâ malum, vel fati violentiâ ad agendum compelli, vires liberi arbitrij defendere in illis verbis: in quibus propterea negat talem gratiæ præventionem, quæ violentiam cauſaret arbitrio. Vnde non omnem præventionem Dei ibi negat, ſed illam quam Manichæi conſtituebant, arbitrium noſtrum violentare: itaque cum dicit Chryſoſtomus: *non antecedit, ſcilicet Deus, noſtras voluntates, ne noſtrum ledatur arbitrium*: Intelligit quod non antecedit illas, actum noſtrum liberum in nobis, ſine nobis liberè cooperantibus producendo, ut hæretici, quos ſequutus fuit Lutherus, poſuerunt. Vel intelligit quod non ſic antecedit noſtras voluntates, ut faciat nos actum ſpontaneum non liberum efficere, ut conſtituit Calvinus alios etiam priores errantes ſequendo. Vtrumque enim modum antecedendi noſtras voluntates S. Chryſoſtomus Deo negavit: quia ſi aliquo ex ipſis eas antecederet, verè noſtrum læderet arbitrium; non tamen negavit prævenientem Dei prædeterminationem, ut ex aliis illius verbis ſuperiùs inductis relatum eſt.

Dices: quamvis ſic valeat explicari, quoad illa 137
verba, *non antecedit noſtras voluntates, ne ledatur arbitrium*: Illa tamen alia *oportet nos primum eligere, & poſtea ſua ipſe introducit*: Itemque alia: *Cum autem nos elegerimus*; duriora ſunt, quia nos incipere, Deum autem perficere, apertè Pelagianum eſt. Sed ad hoc dicendum, quod etiam in hoc ſenſu illa utraque verba poſſita intelligenda ſunt, quod nempè nos incipimus, ſine illa violenta prævention ione jam ab ipſo negata, cum prævention e videlicet efficiente nos verè liberè primò eligere, & tunc Deus, multam ſeu copioſam tribuit auxiliationem.

Quo etiam modo intelligendus & explicandus 138
eſt S. Ambroſius, cum *lib.* 4. *in Lucam cap.* 4. hæc adhibet verba. *Evidenter hic ſermo nos Domini ſalutaris informat, & ad ſtudium veneranda divinitatis hortatur: Quod nemo ſanatus oſtenditur & maculoſi morbo corporis abſolutus, niſi qui religioſo officio ſtuduit ſanitati. Non enim dormientibus*, inquit, *divina beneficia, ſed obſervantibus deferuntur*; in quibus de beneficiis divinis ulterioribus loquitur, quæ dari ſeu deferri regulariter docet, non dormientibus, ſed ex priori adjutorio gratis obſervantibus. Dixit Sanctus regulariter ſic deferri affirmare poſteriora divina beneficia, quia aliquando nedum dormientibus, ut à ſomno excitentur largitur divina clementia, ſed contradicentibus & poſitivè repugnantibus, ut S. P. Auguſtinus docet non ſemel aſſerens, quod Deus facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes: quod in uno Apoſtolo Paulo factum ſcriptura ſacra teſtatur.

CAPVT XI.

Rationes oſtendunt ex doctrina Recentiorum inferri, nonniſi ex merito dari certa lege gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus.

NOn rationes alias inducemus ad hoc oſtendendum, niſi quas Sancti Patres hanc doctrinam impugnantes adhibuerunt, iſtæ enim efficaciores ſunt, & manifeſtè contra hanc doctrinam convincunt, quæ ſub brevitate recenſentur. 139

Prima illa eſt, quæ demonſtrat hujuſmodi fa- 140
cere hominem illud quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, revera poni à ſuis defenſoribus, prout ad ſalutem oportet, & ex conſequenti contra expreſſas definitiones Conciliorum Arauſicani 2. *can.* 7. & Tridentini *ſeſſ.* 6. *can.* 3. damnantium de hoc Pelagianorum errores. Quod ſic oſtenditur: illud pertinet ad ſalutem, & fit prout ad ſalutem oportet, quod ordinem & connexionem habet cum ſalute: ſed illud facere quod in ſe eſt ponitur ordinem habere & connexionem cum ſalute: ergo ponitur pertinere ad ſalutem, & fieri prout ad ſalutem oportet. Minor manifeſta eſt, quia ponitur talem di-

Digitized by Google

cere ordinem ad salutem, & talem connexionem cum ipsa habere, ut salus ex certa lege ei reddatur; in quo non potest magis significari ordo & connexio cum ipsa salute; nihil enim magis dicit ordinem & connexionem cum salute, quam id cui inseparabiliter, & ex certa legè salus ipsa conjungitur. Item probatur, quia asseritur, per illud facere quod in se est ponere hominem salutem in manu sua; in quo nec etiam si vellent, possent majorem ordinem & connexionem cum salute significare.

141 Major quasi ex terminis cognita est, quia in universum est verum quod id quod cum alio inseparabilem connexionem habet, ad ipsum pertinet aliquomodo, saltem indirectè, ut ex omni Physica, Metaphysica, & Theologia, & Philosophia morali est manifestum.

142 Ex Physica quidem, quia privatio pertinet ad generationem, imò principium illius extrinsecum est; quia cum generatione ordinem & connexionem dicit inseparabilem. Dispositio etiam remota, licet remotè ordinem dicat cum forma, etiam ad ipsam formam aliqua ratione pertinet, unde non ab alio nisi à generante formam potest haberi. Applicatio ignis ad combustibile ad combustionem pertinet, licet conditio sit sine qua non: quia connexionem habet cum combustione. Et talia sunt plurima exempla quæ ex physicis possent afferri.

143 Ex Metaphysica & ex libris de cœlo, quod & Theologia confirmat, cœlum enim quod corporum & corporalis dispositionis directa & per se causa est, indirectè agit in intellectum & voluntatem, quia intellectus & voluntatis actiones, ut in plurimum sequuntur ad tales corporis dispositiones, & appetitus sensitivi inclinationes. Si ergo inclinatio appetitus sensitivi, seu motus ejus multum conducit ad operationes voluntatis, & causa indirecta illius ponitur; in quantum, ut in plurimum sequuntur homines inclinationem appetitus, licet non semper illam sequantur, quia sapientes illi resistunt, quantò magis conducet ad salutem facere hominem quod in se est, si ad illud certa lege gratia consequitur? Id autem quod ad salutem conducit, proculdubio fit prout ad salutem oportet, sicut ergo appetitus sensitivus licet inferioris ordinis sit ad voluntatem, cum ille sit corporalis, voluntas spiritualis, & per consequens motus illius non sit ejusdem ordinis cum motu voluntatis; nihilominus ob rationem factam multùm conducit motus appetitus sensitivi ad motum voluntatis, ita licet facere quod in se est solâ naturæ facultate inferioris ordinis sit ad gratiam, quia tamen ponitur, quod gratia ad illud certâ lege sequatur, multum sine dubio conducit ad hoc quod talis gratia detur, & ex consequenti sic faciens homo quod in se est, operatur prout ad salutem oportet.

Ex Philosophia autem morali quis ignorat quod etiam non facere, cum facere tenetur homo, homini imputetur, taliter quod actus, qui consequitur ad illud non facere, homini tribuitur ex eo solum, quod aliqua ratione ad illum consequitur. Unde qui obstare & impedire tenetur, furtum v.g. si non impediat, peccat, & ipsi furtum imputatur. Et gubernatori navis non gubernanti imputatur navis submersio, & talis omissio in utroque casu causa indirecta est furti, vel submersionis, ex eo solùm quod illam omissionem ex alteriùs malitia sit furtum; quod si impediret qui tenetur, non fieret. Si ergo quando nihil operatur homo causa indirecta est illius furti quod ab illo fit, & furtum sequitur ex omissione tali, quia cum illa indirectè connexionem habet, & sic omittens dicitur verè cooperari ad furtum indirectè, & non faciendo moraliter facit, quod ad furtum conducit, quod ad furtum pertinet, & prout oportet ut furtum fiat, unde & sibi imputatur, quantò ergo magis, si facienti homini quod in se est ex naturæ viribus certa lege salus datur, ipsi homini sic facienti imputabitur quod salus detur, & verè dicitur facere id quod conducit ut detur salus, & id quod ad rationem salutis pertinet, & prout ad salutem oportet? Proculdubio palmaria videtur doctrina, quam omnis & naturalis & revelata inductis exemplis manifestat.

Illa autem evasio prætendentium, ideo illud facere quod in se est non fieri prout oportet ad salutem, quia non est ordinis supernaturalis, cujus ordinis salus existit, penitus frivola est, & ad cooperiendum, vel occultandum doctrinam, ne expresè contra Concilia procedat, excogitata. Tum primò, quia cum illud facere quod in se est v. g. circa res fidei, ponatur ut attingens formaliter objectum supernaturale, ut supernaturale est, jam ad attingendum ordinem supernaturalem non erit simpliciter necessaria alia supernaturalitas nisi tantum ad melius atque facilius, quæ est damnata in Pelagianis sententia. Vnde jam erit ordinis supernaturalis, cum formaliter attingat rem supernaturalem, quod tamen ex alia parte implicatio est, ut res naturalis per se sola attingere possit ordinem supernaturalem. Quæ impossibilitas hos authores concomitatur. 144

Quod autem ponatur ab eis quod actus naturalis formaliter attingat objectum & ordinem supernaturalem, ostensum fuit supra, cum probatum fuit istum actum, quo dicunt hominem certò ex se solo posse assentiri revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, attingere formaliter & expresè ordinem & objectum supernaturale, ut supernaturale est. Tum secundò quia ut in exemplo de appetitu sensitivo monstratum est, inferiùs potest multùm conducere ad rationem superioris. Tum tandem quia ut est commune proloquium supremum infimi attingit infimum supremi & aliquo modo ad ipsum pertinet, tunc autem supremum infimi attingit infimum supremi, cum infimum supremi ponitur posito supremo infimi, sed in casu, cum dicitur, quod homo faciat totum quod ex viribus naturalibus potest, manifestè in illis verbis (*totum quod potest*) assignatur supremum infimi, cum autem dicitur, *quod ei ex certa lege auxilium gratiæ datur*, statuitur infimum supremi, ergo statuitur manifestè quod illud supremum infimi attingat infimum supremi; ergo statuitur quod conducat ad salutem, & fiat prout ad salutem oportet. Imò non solùm ponitur quod illa supremum infimi attingat infimum supremi, sed etiam quod attingat quodammodo supremum ordinis gratiæ & salutis pro hoc statu, cum dicitur quod si fecerit totum quod ex natura potest ad justificationem, certa lege justificatio dabitur; quæ justificatio est quodammodo supremum ordinis gratiæ pro hoc statu dixi, quodammodo, quia perseverans gratia quid magis supremum est, & confirmatio in gratia adhuc supremum magis. 145

Quod si tandem contendant, illud facere quod in se est, cum non sit in se aliquid supernaturale, non posse dici absolutè & simpliciter pertinere ad salutem; dicendum etiam Semipelagianos non dixisse illa initia naturæ esse simpliciter & absolutè pertinentia ad salutem; imò dicebant ad salutem non pertinere, scilicet simpliciter & absolutè; sicut primo libro ex ipsorum verbis monstratum est. Nihilominus nec illi, nec isti effugere possunt, quin secundùm 146

Digitized by Google

cundùm quid vel aliquo modo ad salutem pertineat, ut conditio, occasio, vel quid simile, cujus intuitu salus detur. Quod in Conciliis allatis damnatum est. Cum enim definiunt hominem sine gratia non posse operari prout ad salutem oportet, docent nullo modo eos operari posse ut oportet ad salutem. Cui definitioni contrarium est dicere eos aliquo modo sine gratia posse operari prout ad salutem oportet.

147 Secunda ratio est, quòd illud facere hominem quod in se est sit salutis exordium, quod ex ratione modo facta convincitur. Cum enim probatum sit illud facere quod in se est fieri prout ad salutem oportet; & ad salutem pertinere; manifestum est quod alia ratione non potest pertinere ad salutem, nisi ut ipsius exordium seu initium, quia ante illud nihil fuit ex quo salus originaretur; sed in illo facere quod in se est primò incipit originari salus ipsa; quod jam supra ex illius authoris propriis verbis satis ostendimus, & nunc illa alteriùs addamus oportet, quibus liberè concedit hominem salutem inchoare sic faciendo quod in se est; igitur ex homine sic faciente quod in se est inchoatur salus, incipit salus, initiatur salus, & ex illo exordium sumit salus ipsa; tanta enim fuit rei evidentia, quod in illo facere quod in se est incipiat salus in horum authorum sententia, ut tandem licet verbis à multis eorum negetur, ne in terminis definitionibus fidei contradicant, alium tamen convinceret, ut expressè fateretur hominem sic faciendo quod in se est suam inchoare salutem, sed quàm expressè contra Conciliorum definitionem, vel ipse viderit; nisi prætendat aliud esse inchoationem salutis homini ex homine ascribere, ut manifestè proponit; & aliud initium & exordium salutis homini ex homine esse, quod Concilia damnant, quod esset planè ridiculum.

148 Verum de hac hujus authoris propositione & quomodo ipse intendat in tali actu inchoare fidem removendo prohibens, infra copiosiùs agemus. Quod ad præsens attinet, nihil ipsum per hoc suam sententiam à damnata in Conciliis removere manifestum est. Quomodocumque enim statuat, ut statuit, hanc assertionem (homo ex se sine auxilio gratiæ inchoat suam salutem) eam, quæ in Conciliis expressè damnata est statuit; hæc enim initium salutis, exordium salutis, principium salutis, inchoatio salutis est ex homine sine gratia, manifestè in Conciliis contra Pelagianos damnatur, quomodolibet postea illa inchoatio ponatur, sive per se, sive per remorionem prohibentis; imò verbum, *inchoatio*, à Semipelagianis ad idem fuisse priùs usurpatum Sancti Patres referunt, ex quibus & nos id infra referemus.

149 Tertia ratio, quam etiam ex prima & secunda persequi auctores, cum quibus tractamus, affirmant, ut visum fuit supra, illa est, quod illud salutis exordium sit meritum gratiæ, meretur enim absque dubio, qui ex se incipit seu inchoat salutem, à Domino adjuvari, ut inchoationem illam salutis perficiat. Quis enim dicat eum, qui ex se inchoat salutem, ab authore salutis nihil mereri, quod quia adeo est palmarium, ut ij auctores fateantur id ita esse, imò de mente Concilij Tridentini *citato superiùs loco*, ita esse dicendum non dubitent affirmare, nec amplius id comprobamus, sed duo tantum advertimus, quod cum asserant, si exordium salutis est ex solo homine, illud esse meritum gratiæ, considerent quàm patentibus terminis dicant hominem ex se sine gratia suam inchoare salutem, & videbunt quàm apertè etiam constituant meritum respectu gratiæ, & ex consequenti gratiam non esse gratiam; quæ fuit illa olim damnata Pelagianorum sententia. Et proculdubio quando nihil aliud ex eis haberetur, hoc satis superque sufficeret, ad hoc quod omnes pariter illorum doctrinam respuerent, quæ tota in hoc pravo & damnato principio fundatur, quod homo ex se solo sine gratia suam ponatur inchoare salutem.

CAPUT XII.

Si facienti quod in se est solis naturæ viribus, ex certa lege detur gratia, sequitur gratiam ex merito dari, & hoc rationibus demonstratur.

150 Sed alias rationes in hujus confirmationem apponamus, & aliis viis eos ponere meritum gratiæ in illo facere quod in homine est aperiamus. Illud facere quod in se est præcedit gratiam quæ datur: ergo datur gratia quia volumus: ergo datur ex merito illo, quo facimus quod in nobis est. Primum antecedens est apertissima illorum authorum sententia, quâ dicunt prius esse, quod homo faciat quod in se est, quàm quod ei gratia detur: ergo præcedit illud facere gratiam ipsam. Prima consequentia est expressa Sancti Patris Augustini jam superiùs allati *in Epist.* 107. *ad Vitalem*, illis verbis; *utrum præcedat hac gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur quia volumus.* Vbi pro eodem reputat quod gratia subsequatur ad priorem hominis voluntatem, & quòd ideo detur quia volumus. Secunda autem consequentia est in terminis S. Prosperi *lib. 3. hypognost. c. 10.* his verbis. *Quod si dicas ut dicere consuevisti, quia ego prius volui, Deus voluit, jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia, sed merces.*

151 Insuper Arausicanum secundum Concilium ferè totum insistit in neganda ista infallibilitate, seu lege de danda gratia facienti quod est in se solis naturæ viribus. Cum enim in can. 3. inquit; *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, & Apostolo idem dicenti; inventus sum à non quærentibus me*; Cum inquam, hæc dicit, quid aliud damnat quam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus? An aliud est facere quod in se est viribus humanis ad obtinendam gratiam certa lege, quam invocationem humanam conferre gratiæ Dei? Si damnat Concilium quod invocatio humana conferat gratiæ Dei, quantò magis damnat quod facere quod in se est naturæ viribus ex certa lege obtineat gratiam Dei; quod enim sic gratiam obtinet manifestè confert gratiæ Dei. Et in cap. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere, valeamus; per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; aut humilitati & obedientiæ, subjungit gratia adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti; quid habes quod non accepisti, & gratia Dei sum id quod sum.* Cœcus revera est qui non videt in canone isto expressè damnari illam certam legem de danda gratia facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus. Quid dicit ista lex nisi quod datur misericordia & gratia divinitus conantibus hominibus facere quod in se est viribus suis? Concilium autem etiam sub verbo conantibus, definit non dari divinitus

Digitized by Google

vinitus gratiam & misericordiam Dei conantibus per naturam, hîc Concilium non expressè damnat meritum, vel meriti mentionem facit; sed hanc propositionem damnat, *misericordia seu gratia Dei datur divinitus conantibus.* Ergo à fortiori hanc damnat; *Misericordia & gratia Dei certa lege datur conantibus facere quod possunt ex natura.* Item Concilium in terminis damnat qui subjunxerit gratiæ adjutorium humilitati & obedientiæ humanæ; ergo damnat qui gratiæ adjutorium subjungit ex certa lege facienti homini quod in se est ex humilitate aut obedientia humana; vel alio quolibet humano motivo.

152 Præterea ipsum Concilium *in canone* 25. ita determinat; *hoc insuper salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus; & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat.* Vbi duo simul docet, primum, nos non incipere in opere bono, & postea per Dei misericordiam adjuvari. In quo manifestè sententiam condemnat, quæ dicit nos incipere bonum opus faciendo quod in nobis est, & postea ex certa lege per Dei gratiam adjuvari. Secundum, quod talis inceptio boni operis, si ex nobis ponatur, est meritum gratiæ, sicut supra ex Tridentino Concilio id dedimus explicatum. Igitur inaniter prætenditur voce sola negari meritum in illo opere bono quo incipimus facere quod in nobis est, cùm Concilium in illo meritum constitui expressè determinet in supradicta regula fidei. Nihil ergo clariùs, nihilque apertius quam supradictum Concilium damnare illam certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.

153 Præterea sic de Semipelagianis S. Prosper scribit S. P. Augustino in Epistola illa nominatissima ad S. P. Augustinum. *Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sua sciat diligentia bonum esse posse; & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat elegerit.* De quo posuisse eos meritum gratiæ convicti sunt, sed qui dicit quod quoties homo fecerit quod in se est naturæ solius viribus, certa legè Deus dat gratiam, manifestè dicit libertatem hominis ob hoc juvandam, si quod Deus mandat, elegerit; ergo pariter convincitur meritum respectu gratiæ constituere in illo facere quod in se est, quod postmodum à Deo ponitur adjuvari.

Similiter ibi de eisdem ita refert. *Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia humanam sibi subjiciat voluntatem.* Sed qui contendunt quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus certa lege gratia datur, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam; apertissimèque constituunt quod voluntas hominis divinæ gratiæ pariat opem, non gratia humanam sibi subjiciat voluntatem: ergo apertissimè cum illis conveniunt, cum quibus pariter convincuntur, quod meritum constituant respectu gratiæ.

154 Tandem idem Sanctus Prosper magis quod dicimus, manifestans, de illis antiquioribus iterum ait: *Vnde quia in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si divina voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit &c.* Sed qui asserunt facienti quod in se est ex certa legè dari gratiam, apertè ponunt, quod divinæ voluntati impiè humana voluntas præfertur; clariúsque dicunt quod ideo homo adjuvatur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit, ergo idem manifestè ac illi alij constituunt, & ex consequenti quod meritum ponant respectu gratiæ cum illis convincuntur.

Eadem & Sanctus Hilarius de eisdem Sancto 155
Patri Augustino referendo proponit in Epistola alia, æquè ac illa prior notissimâ, dicens. *Quod enim dicitur, crede & salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* Sed qui affirmant Deum hanc legem statuisse ac homini publicasse, si feceris totum quod in te est circa ea quæ fides habet, nimirum assentiendo certò omnibus rebus fidei, dabo gratiam, reipsa dicunt quod Deus homini dicit, crede & salvus eris, & quod unum ab homine exigitur, alterum offertur, ut propter id quod exigit, alterum donet: ergo idem reipsâ ac illi priores sapiunt, & pariter cum illis consentiunt in constituendo merito respectu gratiæ.

Postremò idem Sanctus Hilarius inquit. *Nam* 156
illa testimonia, ut est illud sicut unicuique partitus est mensuram fidei, & similia ad id volunt valere, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit. At qui contendunt facienti quod in se est circa ea quæ fides habet certa legè dari gratiam, quid aliud dicunt, quam ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit: ergo pariter cum illis sapiunt, pariterque cum eis meritum gratiæ constituunt.

Sed quid & nos conamus illationibus, licet evi- 157
dentibus, contra istum auctorem agere? nunquid non ipse à principio hujus tractatus relatus expressè proposuit, quod peccator, si conetur pro Christo mori, ex solis suis viribus ad id ductus, & ex eisdem conetur, prout posse dicit, formali vel virtuali pœnitentia de peccatis dolere; videlicet per illam contritionem, quam ille naturæ viribus tribuit, aut per dilectionem Dei naturalem super omnia, cum Deus de lege ordinaria sit paratus ipsum gratiâ adjuvare, reponeretur in gratia & fieret vere martyr? Cum hoc audimus, quid aliud ab ipso expectamus, vel contra ipsum opponimus. Ecce ipse quid majus dicit & infert ex illa certa lege, quam statuit, videlicet ex eo quod homo faciat, quod in se est, recipere justificantem gratiam ex certa lege, & fieri, quod magis est, verè Martyrem: jam ergo faciendo quod in se est solis viribus suis utrumque obtinet, & justificationem, & martyrium, & utrumque illi naturali operi ex certa lege correspondet; & utrumque illi naturæ operi debetur. Quomodo ergo gratia justificans gratia est, & Dei donum, cum sit debita naturæ? Aut quomodo martyrium est donum Dei, cum & ipsum obtinere homo sic habeat in manu sua, ut quoties ipse voluerit Deus debeat ipsum martyrem efficere? concedatur hoc ipsi Pelagio, & nihil curabit voce meritum admittere respectu gratiæ. Detur ei hæc certa lex de danda justificatione & martyrio facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus, & ipse plane concedet verbis, illud opus naturæ non esse meritum gratiæ. Si namque ille meritum vocavit, ideo id fecit quia intendebat quod infallibiliter gratia corresponderet illi operi naturæ. Si autem hunc finem obtineret, sine voce meritum, nec meritum nominaret, ad quid enim meritum voce ipsa introduceret.

Vltimò formanda ratio illa est, quæ in præce- 150
dentibus ex Leone magno *epist.* 86. ac sanctissimo

Pontifice

Digitized by Google

Pontifice ex illius proprijs verbis relata est, quæ & sic transcribenda sunt, ut ex eis ratio formetur, quæ & hujusmodi sunt : *Quoniam gratia unicuique principium justitiæ, & bonorum fons atque origo meritorum est : sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam propria data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Quæ verba cum auctoritate Pontificis tanti, si benè recordamur, relata præmisimus *libro* hujus operis 1. *part.* 2. *tr.* 1. ad probandum auctores hos non benè de peccato originali sentire, & ibi promisimus nos in hoc quarto amplius hanc sententiam discussuros. Satis clara sunt verba, quibus sanctissimus Pontifex, ex eo quod gratia præveniatur ab humana industria, ita quod humanæ industriæ detur, infert quod natura constituitur nullo peccati originalis vulnere sauciata.

159 Imò notanda illa causalis est ; *Ideò ab istis per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam propria proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Quibus aperit, quò illorum tendat intentio, qui gratiam dicunt ab humana industria præveniri, nimirum ut sic non appareat natura hominis aliquo peccati originalis vulnere sauciata. Notum est autem idem omnino esse gratiam Dei humanâ industriâ præveniri, ita quod illa humana industria detur ; & quod facienti quod in se est ex humana facultate, seu industria humana gratia ex certa lege tribuatur : ergo convincit Summus Pontifex, quod qui dicunt facienti quod in se est ex humana industria, seu humana facultate, seu humanis viribus tantùm, ex certa lege dari gratiam, naturam humanam constituunt nullo originalis peccati vulnere sauciatam. Imò convincit, ab illis ideo dici, quod facienti quod in se est ex sola humana industria ex certa lege gratia datur, ut appareat humana natura nullo originalis peccati vulnere sauciata.

Quod si ad hoc tendit latens intentio, eam sanctissimus Pontifex tanta arte denudavit, quod si jam illorum expressa intentio non est, re tamen in ista assertione, quam impugnamus intendit, sanctus ille & magnus Pontifex reseravit, nos docent ut attendamus quam magnum quid contra Catholicam fidem in hoc pravo principio contineatur ; quo defendunt facienti quod in se est ex humana industria ex certa lege gratiam donari. Quis enim si hoc non ita in sancto illo ac doctissimo Pontifice inveniretur : expressum id assereret aut inferret, negari peccatum originale, ex eo quod dicitur quod facienti quod in se est solis naturæ viribus ex certa lege gratia datur : Et tamen ita est sicut & summus Pontifex docet. Cujus vel sola auctoritas etiam si id ex tali principio inferre nesciremus, sufficere deberet : ut Catholici omnes, qui ad hæc non advertentes non putant quid mali in illa assertione contineri, ac re ipsa publicari, jam postea ista legentes, & sancti Pontificis verba, & causalem illam præmeditantes, clarius agnoscant quam damnata illa assertio sit & ab omnibus damnanda, ex qua tam perversum Pelagianorum dogma ponentium humanam naturam nullo originalis peccati vulnere sauciatam tam certo consequitur.

160 Sed illius Pontificis rationem nos & causam inquiramus ; atque ostendamus quam certò sequatur poni naturam non sauciatam peccati originalis vulnere aliquo : cum ponitur quod facienti homini quod in se est ex sola humana industria ex certa lege datur gratia. Quod summa brevitate ita demonstratur, si hoc aliud certum principium supponamus ; quod nimirum gratia omnibus datur, qui gratiæ nullum impedimentum ponunt. Quod principium à S. P. Augustino pro certo supponitur in suis libris contra Pelagianos : & illud S. Thomas pro indubitato proponit 3. *contra gent. cap.* 159. & 160. de quo principio nos infra ex professo acturi sumus : ex ipso enim graves veritates dependent in hac causa, quam in defensionem divinæ gratiæ suscepimus. Cum autem impedimentum gratiæ nullum sit aliud nisi peccatum, quod ei opponitur : concluditur quod non habenti peccatum, & per consequens non ponenti obicem seu impedimentum gratiæ gratia ipsa infallibiliter datur. Sic igitur, qui dicunt quod facienti quod in se est ex sola natura, certa lege datur gratia, reipsa dicunt illum talem hominem non ponere obicem & impedimentum gratiæ, & ex consequenti non habere peccatum aliquod, vel actuale, vel originale & sic constituunt humanam naturam nullo originalis peccati vulnere sauciatam.

Sed dices. Cum impedimentum gratiæ sit non 161
solum originale, sed etiam actuale quodlibet peccatum mortale, cur Sum. Pontifex solùm intulit negationem peccati originalis ex eo quod certò detur gratia facienti quod in se est ex humana industria ? Respondetur sapientissimè id à sancto Pontifice dici : quia si natura non esset sauciata per originale, esset se ipsâ sana. Vnde cum peccatum non haberet tunc, nec impedimentum gratiæ apponeret : & sic ei gratia infallibiliter daretur, quia omni non apponenti ei impedimentum conceditur, ut ex Sancto Thoma dicendum erit inferiùs.

In memoriam etiam revocandum quod in 1. & 162
2. *lib.* notum dedimus nempe horum auctorum sententiam ex multiplici capite peccato originali inficiari. Etenim 1. *lib.* quinque relata sunt, & denudata, ex quorum quolibet peccato originali valde detrahitur, inter quæ hoc quod modò ex Pontifice tanto deductum est, unum existit, ut citatis verbis apertissimè idem magnus Leo nos docuit.

Quamvis autem facta argumenta probent ex illa 163
assertione, facienti quod in se est Deus certâ lege dat gratiam, sequi poni naturam non sauciatam peccato originali, & quod initium justificationis sit ex nobis, & quod ex nobis sit meritum respectu primæ gratiæ : adhuc addendum, quod licet omnia ista non tam apertè consequerentur, adhuc non posset homo per illud opus naturæ viribus factum gratiam acquirere. Quod & S. Thomas docuit 3. *contra gent. cap.* 159. sic dicens : *Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est : quod licet aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit.* Vbi non sine causa utrumque negavit, ut pœnitus amputaret hujus temporis excusationes, quibus prætendunt ij auctores sanam suam doctrinam esse, si dicant : in illo opere hominem non mereri gratiam. Ecce enim S. Thomas non solùm docet non posse hominem gratiam divinam mereri, sed addit quod nec eam potest acquirere infallibiliter, etiam si dicatur acquiri sine merito, & sic perfectè & omni ex parte istorum doctrinam expugnat.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Dari primam gratiam propter bona opera naturæ viribus facta ex recentiorum doctrina infertur.

164 QVamvis ex assertione illa, qua tantâ contentione defendit dari primam gratiam prævenientem ex certa lege facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, manifestè convincatur reipsâ poni primam gratiam illis naturæ viribus debitam, reddique non gratuitò, sed ex merito operum illorum, prout efficacius (ut arbitramur) in superioribus manet probatum: tamen hoc ipsum primus assertor illius certæ legis videns quod ex illa id quidem sequatur, clarioribus verbis expressit, plane concedens quod propter naturalem nostrum conatum antecedentem primam gratiam, & propter bona opera moraliter facta Deus illam concedere soleat, quæ fuit 64. illius assertio à nobis primo nostro libro relata 1. *part. tract. 6. cap.* 18. quum & sub his verbis proponit atque defendit: *Quin sicut unum peccatum permitti solet in pœnam alterius peccati, sic propter eleemosinas & alia opera moraliter bona facta ab existente in lethali peccato consuevit sæpe Deus opitulari citius, ac magis uni quam alteri, ut à peccato resurgat: eaque ratione ejusmodi opera non immeritò appellari consueverunt dispositiones remotæ ad gratiam*, & *disput.* 44. §. *quoad primum* præmiserat: *quoad primum attinet, prima ratio est, quoniam motus gratiæ prævenientis sæpe sunt admodum debiles, tum propter modicam præparationem, & conatum nostrũ, & præcedentia multa delicta prævasque affectiones.*

Cum ergo expressè hoc dicat, primam gratiam ponit sub merito. Idem enim est dari gratiam propter opera naturæ viribus facta, & dari ex merito illorum. Nam S. P. Augustinus *epist.* 107. *ad Vitalem* clarè docet, quod si gratia datur quia volumus, ex merito nostro datur, ut dicebat Pelagius. Imò ibi affirmat quod tota sententia illius in hoc consistit: quod detur nobis gratia quia volumus, sicut opposita Catholicorum in hoc sita est: quod per Dei gratiam hoc ipsum in nobis Deus efficiat ut velimus. Et S. Prosper in 3. *hypognost.* manifestè asserit, quod si dicatur dari gratiam quia volumus, jam eam ex merito nostro constituimus. Et adversùs Collatorem agens sic illum redarguit: *quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis, convinceris dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari: cum aliquid præcedere boni operis, propter quod gratiam consequuntur, affirmas.*

165 At qui postmodum doctrinam illius authoris concordiæ defendebant, hoc quidem confessi sunt, damnatam videlicet esse sententiam, quæ dicit dari primam gratiam propter opera bona naturæ viribus facta, ut magnâ brevitate nunc ex Sanctis Patribus manet probatum. Quia evidens est quod si gratia datur propter opus naturæ bonum, ly *propter*, meritum sonet. Asserebant tamen id authorem concordiæ in citatis verbis non habere, quia in priori loco per illa verba, *propter opera bona moraliter facta ab existente in peccato lethali*, intelligebat opera bona moralia ex objecto, facta tamen ex priori auxilio gratiæ, & non solius naturæ viribus. Similiter in secundo loco per conatum nostrum intelligebat illum qui antecedit aliquod donum gratiæ: sed præsuponit aliud priùs: hæc in substantia explicatio, & excusatio prætendebatur.

166 Et quidem quod in primo loco intelligatur: sic, probabant primò, quia idem author concordiæ in tribus locis apertis verbis negat dari gratiam propter opera bona solius naturæ viribus facta. Primus habetur *disput.* 9. *in principio*: ubi habet; *quidquid homo solis naturæ viribus faciat, id totum nullius est meriti aut vigoris, ut ei gratia præveniens propter hujusmodi dispositiones impendatur.* Secundus locus habetur in *disput. eadem* §. *quod hac*, ubi dicit quod *Deus gratiam non confert propter ea quæ antecedunt, scilicet solius naturæ viribus facta.* Tertium testimonium inducebatur, ubi sic dicit: Dilucidè ostendimus, quatenus tum à libero nostro arbitrio, tum etiam à conatu Ecclesiæ pendeat collatio ejusmodi gratiarum prævenientium; esto ex sola Dei misericordia, ac merè gratis, & non propter aliquem usum liberi arbitrij à Deo conferantur. Cum ergo in his tribus locis sic apertè neget dari primam gratiam propter bonum usum naturalem liberi arbitrij, ei oppositum attribui non potest: sed necesse est in aliis duobus testimoniis in contrarium objectis intelligat per bona opera moraliter facta illa quæ sunt moralia ex objecto, effecta tamen ab aliquo auxilio gratiæ. Similiter necesse est quod in alio testimonio loquatur de bono usu nostro antecedente aliquod donum gratiæ, sed procedente ab aliquo alio priori gratiæ auxilio.

167 Secundò id suadebant, quoniam in illo primo loco ex adverso objecto expressè loquitur prædictus author de operibus moralibus, quæ consueverunt dici dispositiones remotæ ad gratiam; sed idem author *disput.* 6. præmiserat, quod bona opera moralia solis naturæ viribus facta non sunt remotæ dispositiones ad gratiam. Ergo non loquitur in prædicto loco de operibus bonis moralibus factis ex solis naturæ viribus.

168 Tertiò idem sic excusabant. Nam commune est apud Doctores vocare bona opera moralia, ea quæ supernaturalia sunt ex auxilio gratiæ provenientia: Quid ergo vetat sic intelligere suprædictum authorem in objectis locis? Antecedens, ut alij omittantur, patet ex S. Thoma 3. *parte quæst.* 85. ubi docet quod timor Domini est initium salutis, & tamen non potuit intelligere quod timor solis naturæ viribus factus sit salutis initium; intellexit ergo quod timor ex auxilio Dei proveniens sit salutis initium; & sic timor, qui est bonum morale, secundùm Sanctum Thomam fit ex supernaturali auxilio gratiæ.

Confirmatur, quia idem S. Thomas 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 2. loquens de hoc eodem timore, expressè illum vocat bonum morale, dicens ad secundum quod timores important bonum morale per conversionem ad Deum. Vbi nomine timoris convertentis ad Deum, necesse est quod intelligat bonum morale proveniens ex divino auxilio. Id ipsum confirmabant ex quadam Bulla Pij quinti contra Michaëlem Bayum non semel inductam supra in his nostris operibus; in qua distinguuntur opera moralia ex objecto & circunstantiis ab operibus meritoriis. Vbi per opera moralia intelligit illa quæ fiunt ab auxilio gratiæ: antequam justificante gratia informentur.

169 Quartò id fundabant, quia idem author concordiæ in *membro* 12. addito in impressione Antuerpiæ refert, quod licet sibi fuisset objectum ex dicto §. illud addendum, quod sentiret prædestinationem aliquando fieri propter prævisum usum arbitrij; non tamen quod propter opera moralia, id est naturalia affirmaret dari gratiam; & tamen si hoc ipse diceret in illo loco à fortiori illi fuisset oppositum.

Digitized by Google

positum. Vnde ad objectionem ipse respondens addidit illud verbum (*cooperante gratia*) ad ostendendum se loqui de operibus ex gratia, & nullo modo de operibus naturalibus omninò gratiam antecedentibus. Ex his concludebant authorem illius concordiæ non sensisse dari gratiam propter opera moralia facta ex solis viribus naturæ, sed ex auxilio divinæ gratiæ.

170 His tamen minimè obstantibus dicendum est, authorem concordiæ in illis duobus testimoniis à principio inductis sine dubio posuisse Deum solere dare gratiam primam propter conatum nostrum naturalem antecedentem ipsam gratiam primam, & propter opera bona moraliter facta sine auxilio gratiæ. Manifestatur ex utriusque testimonij contextu cum verbis ipsis, quæ rem faciunt satis notam. In illo enim secundo allato testimonio ex *disput.* 44. *citata* explicare intendebat, quâ de causâ, licet Christi fideles motus gratiæ recipiant, nihilominus quam sæpissimè deprehendere eos nequeant, & hujus rationem reddens hæc verba habet: *Quoad primum attinet, prima ratio est: quoniam motus gratia prevenientis sæpè sunt admodum debiles, tum propter modicam praparationem & conatum nostrum, & precedentia multa delicta, pravasque affectiones, tum etiam quoniam Spiritus ubi vult spirat, nemini interim denegando qua ad salutis opus sunt. Quia ergo, quando motus gratia prevenientis sunt admodum debiles, parum lucis & claritatis, modicumque affectus & fervoris superaddunt actibus intellectus & voluntatis, quos homines solis suis viribus naturalibus quoad substantiam possunt elicere, solumque eos actus evehunt, ut supernaturales sint, & quales ad finem supernaturalem sunt necessarij, inde est quod experientiâ deprehendi & cognosci nequeunt.* Quibus clariùs affirmat quod motus gratiæ prævenientis sunt debiles propter modicam præparationem & conatum nostrum: mensurat ergo quantitatem prævenientis gratiæ ex quantitate conatus nostri, ut propter majorem conatum nostrum detur major præveniens gratia, & propter minorem minor, & propter minimum conatum minima gratia: ergo affirmat dari talem & tantam gratiam prævenientem propter talem & tantum naturalem conatum.

171 Sed dicunt, prout aliquando dicebatur, quod in isto loco non loquitur author de præparatione, & conatu nostro omninò antecedente omnem primam gratiam, sed de illo qui sequitur unam gratiam, & antecedit aliam: quod sic probabant, quia author loquebatur ibi expressè de gratia prævenient, quæ in discursu totius humanæ vitæ contingit, hæc autem non est illa omnium prima præveniens gratia. Secundò, quia loquebatur de conatu nostro, qui est præparatio ad gratiam, seu dispositio ad illam: idem est autem præparatio & dispositio ad gratiam, ut patet ex Concilio Tridentino, quod aliquando vocat dispositionem, aliquando præparationem; sed idem Author *disputatione 6.* apertè dicit opera bona moralia facta solis naturæ viribus non esse dispositiones etiam remotas ad gratiam; ergo nomine conatus nostri & præparationis ad gratiam non intelligit bona opera facta solis viribus naturæ, sed illa quæ fiunt ex priori gratia prævenient, licet aliam prævenientem antecedant. Quod autem rectè dicat dari minorem gratiam propter minorem conatum præparantem ad illum effectum ex priori gratia prævenient doctrina debet esse communis.

172 Verùm nec ista obstant nec obstare possunt quominus convincatur prædictus author in præfatis verbis loqui de prima omnium gratia prævenient, & de nostro naturali conatu præparante ad ipsam. Vnde convincitur asserere dari gratiam primam prævenientem propter nostrum conatum antecedentem præparantem ad illam & solis viribus factum, primò, quia apertè reddit rationem quare sit gratia prævenient debilis, sed etiam omnium prima est multoties debilis, ergo etiam de hac loquitur: eamque dicit esse debilem propter antecedentem nostrum conatum solis viribus factum, & modicam nostram præparationem. Vnde quando gratis demus illum loqui de gratia prævenient, quæ fit per totum vitæ discursum, manifestum est, quod etiam inter illas ea quæ est omnium prima prævenient comprehenditur. Secundò quoniam in prædictis verbis ipse docet quod id quod provenit ex Deo, in quo perficitur gratia prævenient, solùm actus naturales evehit ut supernaturales sint, & prout sunt necessarij ad finem supernaturalem: ergo manifestè loquitur de gratia prævenient evehente antecedenter actus nostros naturales: ergo per conatum nostrum antecedentem & præparantem ad gratiam prævenientem absque dubio intelligit nostrum conatum & nostram præparationem solis viribus factam, quæ evehitur, ut supernaturalis sit.

Tertiò, quia in principio illius *disput.* 44. ex- 173
pressè dicit se loqui de gratia prævenient, quâ quis ad fidem vocatur, & ad magnam contritionem. Et infrà exemplum ponit in Augustino vocato ad fidem, & in Magdalena conterente; sed illa vocatio qua quis vocatur ad fidem est prima gratia prævenient, & fervens contritio, solet aliquando haberi in peccatore ex omnium gratia prævenient: sicut fuit in Magdalena & in latrone: ergo loquitur de prima gratia prævenient, evehente secundùm ipsum antecedentem conatum merè naturalem ut supernaturalis sit.

Quartò ille author loquitur de motu gratiæ 174
prævenientis, secundùm quod expressè ipse dicit fieri talem motum prævenientis gratiæ in disputatione sequenti 45. sed ibi apertè docet fieri motum gratiæ prævenientis hoc modo, quod cum naturæ viribus cogitat res fidei, Deus particulari influxu supernaturali influit in illas notitias, & ille influxus dicitur motus gratiæ prævenientis ad fidem: & sic proportionabiliter loquitur de aliis motibus prævenientis gratiæ in ordine ad alios actus, semper asserendo quod omnis gratia prævenient, seu omnis influxus illius præsupponit actum naturalem: cui inseritur, & quem elevat ut supernaturalis sit: ergo manifestè per conatum nostrum nostramque præparationem elevatum ab influxu Dei, ut fiat gratia prævenient: semper intelligit conatum nostrum merè naturalem antecedentem omnem influxum prævenientis gratiæ, à quo elevatur & fit supernaturalis: ergo etiam si loquatur de tota gratia prævenient, quæ fit per totum vitæ discursum, semper illam comparat ad præcedentem conatum naturalem qui per eam evehitur, nullo autem modo loquitur de uno motu gratiæ prævenientis comparatione alterius subsequentis.

Imò nec in sua sententia supradicto modo ex- 175
ponente motus gratiæ prævenientis, nec etiam in sententia vera tradente veram rationem prævenientis grátiæ potuit dicere author ille, quod propter minimum conatum nostrum factum ex priori gratia prævenienti detur secunda gratia prævenient respectu secundi actus etiam minimi, & ratio est manifesta. Quoniam licet prima gratia prævenient,

Digitized by Google

reſpectu videlicet prioris actus antecedat illam ſecundam, quæ eſt conſequens reſpectu primæ, & præveniens reſpectu ſecundi actus, tamen evidens eſt, quod non eſt ſemper ſecunda præveniens modica, quia prima modica fuit; ſed ſæpiſſimè oppoſitum evenit; quia una non menſuratur per aliam ſed utraque fit ſecundùm quod ſpiritus ſanctus inſpirat, qui aliquando in omnium prima inſpirat ferventius, & remiſſius in ſecunda & aliquando remiſſius in prima, & in ſecunda ferventius ſecundùm quod vult.

176 Similiter in illius auctoris ſententia nec conatus noſtri naturales, quibus ſe inſerit Deus, ut opinatur, habent ordinem inter ſeſe, ut ſi primus fuerit remiſſus, ſecundus ſit etiam remiſſus; quia per libertatem arbitrij poteſt fieri totaliter contrarium, ut in ſententia illius eſt manifeſtum. Igitur indubitatum eſt, quod cum ipſe dicit motum gratiæ prævenientis eſſe debilem propter debilem noſtrum conatum & præparationem, intendit quod propter antecedentem noſtrum conatum merè naturalem debilem, debilis fit gratia præveniens quæ illi inſeritur, & quæ illum eliciat, ut ſupernaturalis ſit, & ſic menſurat gratiam per naturam; & tantam prævenientem gratiam dicit dari propter tantum conatum merè naturalem, ut à principio fundavimus.

177 Et per hoc patet ad primum quod opponebatur. Dicendum enim quod licet loquatur de præveniente gratia, quæ fit toto vitæ diſcurſu, tamen ibi etiam comprehendit primam omnium prævenientem. Et ſecundò de quacumque loquatur, ſemper eam ipſe comparat cum præcedenti connaturali, quem elevat ad eſſe ſupernaturale, propter quem naturalem conatum debilem dicit dari debilem prævenientem gratiam.

178 Ad ſecundum, quod etiam conſtat ex dictis, dicendum illum naturalem conatum vocaſſe præparationem ſive diſpoſitionem ad talem prævenientem gratiam, ſicut etiam in *quæſt.* 23. citata in primo teſtimonio dixit ſolere vocari opera moraliter facta, id eſt ex ſolis naturæ viribus (ut ex ipſo exponemus, expendendo ſecundum illius teſtimonium) remotas diſpoſitiones ad gratiam. Quomodo autem cum hoc ſtet quod alibi negat illa opera eſſe remotas diſpoſitiones ad gratiam, ſequenti capite expendendo ſecundum teſtimonium apetiemus.

179 Ad illud quod communiter à Theologis dicitur, dari videlicet minorem gratiam propter minimam præparationem, ſermo eſt de gratia habituali, & de præparatione ex auxilio prævenientis gratiæ provenienti. Quando enim hæc eſt minima, etiam gratia habitualis minima eſt, ſicut quando eſt minima diſpoſitio, minima eſt forma quæ introducitur.

180 Hanc autem ſupra impugnatam Molinæ ſententiam poſtea Franciſcus Suarez in poſthumo ſuo opere de divina gratia tripartito *prologomeno 3. cap. 5. num.* 7. apertius declarat ſenſum Molinæ. Dum enim explicat locum proverb. 16. *hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*; ſic ait; *Quorum ſimplex & litteralis ſenſus*; (*licet Auguſtinus aliter exponat*) *eſt, hominem apud ſe diſponere, cogitare ac præparare, qua loquuturus eſt, non tamen id ſatis eſſe, ut aptè & convenienter loquatur, niſi Dominus ſpecialiter linguam dirigat* &c. quibus verbis cum expreſsè dicat ſe in explicatione adducti loci tenere contra explicationem & intelligentiam Sancti Auguſtini, quam ipſe Sanctus Doctor contra Pelagianos docet & firmat, etiam apertè docet ſe tenere damnatam ſententiam Pelagianorum. Etenim Pelagianorum ſententia, & præcipuè Iuliani fuit, quam refert Sanctus Auguſtinus ſub his verbis *tom. 7. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. capite 9. ſed nimirum quod ſcriptum eſt, hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ, non benè intelligendo falluntur, ut exiſtiment cor præparare, hoc eſt bonum inchoare ſine adjutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere, abſit ut ſic intelligant filij promiſſionis* &c. Et paulo poſt. *Abſit ut ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrij defenſores & fidei Catholicæ deſertores* &c. Cum ergo Franciſcus Suarez in ſuis adductis verbis dicat expreſsè hominem apud ſe diſponere, cogitare & præparare, quibus actibus ſubjungit poſtea divinam motionem, manifeſtè aſſerit inchoationem boni operis eſſe à nobis, cui tanquam debita reddatur motio gratiæ, ac proindè facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus gratiam reddat tanquam illi debitam. Sententia autem oppoſita S. Auguſtini, quam expreſsè rejicit, hæc eſt, quod hominis eſt præparare, cor ex præveniente motione gratiæ, ſecundùm illud *præparatur voluntas à Domino*, ut ſic totum Deo detur & initium, & finis noſtrorum bonorum operum, ut Sanctus Auguſtinus, ubi ſupra longius diſſerit, & efficaciter probat.

CAPVT XIV.

Apertiùs monſtratur prædictum authorem tenere, dari gratiam propter bona opera naturæ viribus effecta.

181 APertius autem, in ſecundo loco inducto ex *quæſtione 23. articulo 4. & 5. diſput. 1. membro 11. §. illud addendum*, affirmat propter opera bona moraliter facta ab exiſtente in mortali ſolere Deum opitulari uni magis quàm alteri, ut à peccato reſurgat; ac proindè non immerito appellari illa opera diſpoſitiones remotas ad gratiam. Quod enim ibi ſermonem inſtituat de operibus bonis moraliter factis à peccatore ſolis ſuis viribus naturæ, multa ſunt quæ id ſuadent, imò convincunt. Primò quoniam in illo §. *addendum*, diffinierat, Deum de facto multa ſupernaturalia dona conſtituiſſe circa prædeſtinatos propter eorum bonum uſum prævium, quæ alioquin non conſtituiſſet. Et ut ex contextu apparet, ac exemplis inductis, attentâ potiſſimè explicatione ipſius, quam adhibuit in *membro 12.* addito Antuerpiæ, loquitur de bono uſu prævio ſimul cum gratia cooperante; ſic enim ipſe explicat ſe intellexiſſe quod dixerat, Deum benedixiſſe Abraham propter inſignem illius obedientiam de ſacrificando filio. Dicimus eum loqui de bono uſu prævio poſt gratiam; quia etiam de malo uſu arbitrij loquendo exempla adhibet, quorum aliquod procedit de malo uſu prævio poſt gratiam, ut patet in illo inducto ex Apoſtolo; *miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Relicto igitur pro nunc malo uſu arbitrij, quia nullus dicet quod propter eum Deus det gratiam, attendamus quid de bono uſu arbitrij ipſe dicat.

182 Primò, ut dictum eſt, aſſerit Deum multa conſtituiſſe, & dediſſe dona gratiæ prædeſtinatis propter bonum uſum prævium cum gratia cooperante. Poſtquam autem hoc diffinierat in prima parte illius §. *illud addendum*; illa verba addit in verſ. quin. *Quin ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius peccati, ſic propter eleemoſinas, & alia opera*

Digitized by Google

opera moraliter bona facta ab existente in lathali consuevit sapè Deus opitulari citius, ac magis uni quam alteri, ut à peccato resurgat, eaque ratione hujusmodi opera non immerito appellari consueverunt dispositiones remote ad gratiam. Quorum verborum attento contextu jam explicato planus sensus est, quod non solùm Deus aliqua dona gratiæ constituit dare propter bonum usum prævisum post gratiam, nimirum ipsa cooperante, quin etiam propter opera bona moraliter facta à peccatore, suis videlicet viribus, & sine gratia solet Deus magis uni quàm alteri opitulari, ut à peccato liberetur. Illud enim verbum, *quin*, addit apertissimè ad dicta priora, quod nullus potest inficiari.

183 Sed dicebatur addere quidem verbum, *quin*, ad præcedentia; sed tantùm hoc addere, quod scilicet non solùm Deus det dona gratiæ suæ propter prævisum usum faciendum gratia cooperante; sed etiam propter opera bona moralia facta à peccatore, ex auxilio tamen gratiæ; & hoc solùm addere verbum, *quin*. Verum hanc excusationem & contextus ipse, & relata verba excludunt, nec ei potest accommodari. Primò ut à fælicioribus incipiamus) quia in prima parte contextus, in qua agitur de prævisu usu fiendo gratiâ cooperante, includitur opus morale bonum factum ex auxilio gratiæ, quia etiam illud fit gratiâ cooperante, licet non justificante; ergo cum in secunda parte additur, quin propter opera bona moraliter facta à peccatore, aliud additur, nec potest esse aliud, nisi quod deductum est, nimirum non solùm Deus dat dona gratiæ propter bonum usum fiendum gratiâ cooperante, quinimò etiam propter opera bona moraliter facta à peccatore sine auxilio gratiæ solis suis viribus, consuevit Deus magis uni quàm alteri opitulari. Vnde in summa sensus est, quod non solùm Deus dat gratiam propter bonum usum prævisum, qui sequatur gratiam, sed etiam propter bonum usum, qui eam antecedat.

Secundò quia idem author suo adhibito exemplo hoc satis ostendit dicens, quod sicut propter unum peccatum malum moraliter Deus permittit aliud peccatum, ita propter bonum moraliter factum Deus magis uni quàm alteri opitulatur. Comparat enim nisi stulta esset comparatio, hominem solis suis viribus operantem malè moraliter, cum homine etiam solis suis viribus operante benè moraliter & ait, quod sicut in primo propter malum morale suis viribus factum Deus permittit aliud malum & peccatum, ita in secundo propter opus bonum moraliter factum ab homine viribus suis Deus illi opitulatur.

184 Tertiò author ille dicit dari gratiam propter opera bona moraliter facta à peccatore, sed idem author in tota sua concordia ad nullum bonum opus morale, etiam supremum, dicit esse necessarium auxilium gratiæ, sed sufficere naturæ vires; ergo etiam in citato loco per opera bona moraliter facta intelligit opus morale factum solius naturæ viribus.

185 Quartò quia ille author non dicit quod propter opera bona moralia Deus det gratiam; sed ait quod propter opera bona moraliter facta gratia detur. Illa autem verba, moraliter facta, significant apertè quod fiant modo morali, id est, secundùm rationis regulam, hoc est enim operari moraliter, non autem significant, imò nec significare possunt, quod fiant modo morali, ideſt, auxilio supernaturali bona moralia ex objecto. Quia aliqua opera fieri ex auxilio supernaturali, etiam si sint moralia ex objecto, est fieri supernaturaliter, & modo supernaturali, non est autem fieri modo morali, aut moraliter.

Tandem quia idem author sequentibus verbis 186
videtur auferre omnem dubitationem se planè exponendo, dum hæc verba adhibet. *Porrò ut universim quoad hactenus dicta quasi minorem quandam propositionem subsumamus, unde nostrum institutum concludamus, qua auxilia & dona confert Deus propter aliquem bonum usum liberi arbitrij antecedentem, & quam pœnam, vel mala infligit propter malum usum liberi arbitrij præcedentem, ea ex æternitate conferre, vel permittere decrevit* &c. loquitur ergo apertè (ipso attestante) de bono usu antecedente gratiam, non subsequente ipsam. Vsus enim antecedens gratiam in eodem authore ille est, qui primam antecedit, quod multis locis ex ipso probare possemus, & revera usus qui gratiam consequitur, non dicitur absolutè gratiam antecedere, sed cum addito antecedit unam, & consequitur aliam.

Ex his ergo constat illum authorem sensisse, 187
quod propter opera bona facta moraliter, ideſt, modo morali à sola ratione & hominis facultate Deus magis uni quam alteri opitulatur, & sic quod juxta eum detur gratia propter opera talia solius naturæ viribus facta: videns autem ex hoc inferri talia opera esse meritoria gratiæ, & gratiam dari sub merito, temperavit illam propositionem multoties dicendo, quod non datur gratia propter illa opera sicut propter meritum, vel valorem quem ipsa habeant respectu gratiæ (quibus negavit meritum de condigno in illis) dicit tamen æquivalentibus verbis, quod in illis sit quædam condecentia & congruitas, ut secundùm pietatem illis gratia detur. Dicit tertiò quod detur gratia propter illa sicut propter dispositiones, non habentes tamen commensurationem & ordinem eundem cum gratia; ut statim clariùs denudabimus. Dicit propterea quod detur gratia propter illa opera sicut propter quasdam occasiones.

Quod autem ipse dicat dari gratiam propter illa 188
opera sicut propter conditionem, & congruitatem illa verba testantur illius §. *illud addendum*, dicens, *quod est rationi valde consentaneum, ut propter illum bonum usum detur gratia*; Et illa alia quæ habentur *disputatione 9. Rationique valde consentaneum est, ut illum potius, ideſt qui benè suis viribus operatur, quam illum (qui non benè operatur) adjuvet Deus.* Quod in aliis multis suæ doctrinæ locis repetit.

Similiter quod asserat dari gratiam propter illa 189
bona opera moraliter facta solis naturæ viribus sicut propter remotas dispositiones ad gratiam, habet expresè in utroque hoc loco, quem ex ipso & contextu expendimus; in altero enim bonum usum, qui antecedit prævenientem gratiam, appellat præparationem ad ipsam, in altero verò, id est, in hoc ultimo dicit eas solere vocari dispositiones remotas ad gratiam, ex eo quod Deus propter illas magis uni quàm alteri opitulari consuevit.

Nec obstat quod in disputatione sexta negat 190
talia opera naturalia esse remotas dispositiones ad gratiam, quia ibi tantùm negat ea esse dispositiones remotas commensuratas cum gratia, & ejusdem ordinis cum illa, quia hæc verba ibi habet loquendo de bono facto à solo arbitrio cum concursu Dei generali; *Nihil potest efficere liberum arbitrium, quod sit commensuratum cum fine supernaturali aliquo modo etiam, tanquam remota dispositio ad gratiam.* Ecce solùm negat esse commensuratam

Digitized by Google

dispositionem, non autem quod citra hanc commensurationem non sit aliquo modo dispositio remota propter quam gratiam detur, ut in aliis locis affirmat.

191 Pari ratione, quod dicat dari gratiam propositio illa facta cum solo concursu generali Dei ab arbitrio sicut propter occasiones quasdam, asserit *disputat.* 10. dicens: *Planè sine ulla intermissione ad ostium cordis stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum, non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis, sed sapè, non solùm quando se apta occasio offert, sed etiam quando torpens, ac pigrum liberum nostrum prospicit arbitrium.*

192 In summa, quia aliquando in ipso invenitur quod gratia non datur propter illa opera facta sine auxilio gratiæ, ut argumenta apposita *in præcedenti cap.* ostendunt; & aliquando affirmat dari gratiam propter eadem opera facta cum solo generali Dei concursu sine auxilio gratiæ, ut satis probavimus, concordia est ab ipsomet manifestè intenta quod non datur gratia propter illa opera, sicut propter meritum, & valorem, seu vigorem, quem ad id habeant, datur autem propter alia opera præveniens gratia sicut propter condecentiam, vel remotas dispositiones non commensuratas gratiæ; vel saltem tanquam propter occasiones. Vel secundò intendit quod non semper detur præveniens gratia propter illa, quia aliquando datur, ut relatis modò verbis exposuit, quando torpens & pigrum est arbitrium nihil boni operans, sed utrumque temperamentum ex Cassiano desumpsit.

193 Primum, videlicet quod detur gratia propter opera bona naturalia habet Cassianus *collat.* 13. *ad Cherem. cap.* 6. ubi dicit, quod aliquando nobis miseretur Deus, quia nos volumus.

Secundum, quod nimirum non detur propter nostrum naturale velle gratia sicut propter meritum, habet *eadem collat. cap.* 37.

Tertium quod nempè detur propter ea sicut propter occasiones habet *eadem collatione capite* 13. ubi illa opera vocat occasiones quas Deus expectat à nobis. Et in *lib.* 12. *institut. cap.* 14. ait: *Præsto est namque* scilicet Deus, *occasione tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata.* Quod etiam detur propter illa sicut propter congruitatem, & meritum secundùm pietatem, habet *eadem collatione* illis verbis *capite* 36. *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat præstitisset.*

194 Similiter & quod Cassianus aliquando dicat dari gratiam propter illos nostros naturales conatus, aliquando verò è contra gratiam prævenire omnem conatum, patet expressè ex *eadem collatione* 13. *capite* 12. Vbi Sanctus Prosper videndus est *libro contra eandem collationem.* Qualis autem sit Doctrina Cassiani in hac *collatione* 13. circa hos naturales conatus, propter quos sicut propter meritum secundùm pietatem, vel sicut propter occasiones dicit aliquando, licet non semper, prævenientem gratiam dari, constat apertè ex citato libro Sancti Prosperi contra collatorem; in quo passim convincit hanc damnatam esse sententiam Pelagij, minimeque ab illa recedere, quæ constituit gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Efficacius autem reprobatur prædicta Cassiani Doctrina per Cœlestinum *Epistola ad Episcopos Galliæ:* & per Leonem I. in Concilio Arausicano quam efficacissimè expugnat S. P. Augustinus, tum alibi, tum signanter *libro de prædest. sanct.*

195 Ad argumenta in præcedenti capite objecta, quæ prætendebant authorem, concordiæ non affirmare in illo loco ex *quæst.* 23. *disp.* 1. *membro* 11. §. *illud addendum*, dari prævenientem gratiam per opera bona naturæ viribus effecta; jam patet ex dictis. Et quidem ad primum, in quo tria referuntur illius authoris testimonia, quibus negat dari gratiam prævenientem propter opera bona solis viribus facta, dictum est in illis negari dari gratiam propter illa sicut propter meritum & valorem legantur attentè, & hanc esse intentionem authoris in illis manifestè apparebit.

196 Ad secundum etiam responsum est, quod in *disputatione* 6. negat illa opera merè naturalia esse dispositiones remotas ad gratiam per commensurationem cum illa, ut ostensum est ex ipsis met verbis. At in *disput.* 44. & *quæst.* 23. *citata*, illa opera naturalia bona vocat dispositiones ad gratiam remotas, secluſa tamen tali commensuratione, quia in his ultimis locis cum ea opera vocat dispositiones remotas ad gratiam, non apposuit illud verbum, *commensurationem*; sicut apposuit in *disputatione* 6.

197 Ad tertium dicendum verissimum esse apud Doctores, & apud Sanctum Thomam quod opus bonum morale fit ex auxilio divino, si difficilè fuerit. Imò docent quod nullo modo potest fieri nisi ab auxilio tali. Vnde si alicubi loquantur de aliquo bono opere morali eximio, etiam si ibi non expressè dicant fieri ab auxilio divino, sic nevera intelligunt conformiter ad ea quæ docuerunt alibi, illa nimirum eximia opera moralia non posse haberi sine divino auxilio. Cætetum totum oppositum in illo authore concordiæ dicendum est. Cùm enim ipse pro nullo opere morali bono, etiam supremo, requirat auxilium gratiæ, sed contendat posse haberi solis naturæ viribus cum de illis agit ut de habitis viribus solius naturæ loquitur. Præsertim quia ipse dicit, quod sunt illa opera moraliter facta, quod prohibet intelligere esse facta ex auxilio gratiæ. Numquam autem Sanctus Thomas docet quod fiat opus moraliter ex auxilio gratiæ, sed quod opus bonum morale ex objecto fiat ex auxilio gratiæ. Et tandem propter rationes omnes inductas prohibemur illum doctorem intelligere, & explicare de bonis operibus moralibus ex objecto factis ex gratiæ auxilio, ut ostensum est.

198 Ad quartum dicendum primò, quod qui antiquitus opposuerunt authori concordiæ, quod ex merito secundum decentiam collocarat gratiam propter prævisum usum arbitrij in illo §. *illud addendum*, nomine boni usus prævisi intellexerunt etiam bonum usum prævisum antecedentem ipsam gratiam, quod non tam opposuerunt propter primam partem illius §. quam propter secundam, & propter illa verba, *quin sicut* &c. Vnde compulsus fuit ille author se explicare, & addere verbum, *cooperante gratia*, circa exempla posita in prima parte illius §. Quia tamen vidit quod circa illa verba *quin sicut* &c. non poterat adaptari, cum illam omnino antecedant, subticuit, nec ad id ipse respondet. Secundò dicendum quod dato quod tunc à principio illius concordiæ id ipsi non fuisset objectum ex illo *vers. quin sicut*, tamen postea re oculatiùs inspecta, & particulari studio habito, id merito ei oppositum fuit & objectum, sicut multa in illo authore sunt inspecta, & convicta postea, quæ multis à principio minus nota fuerant.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XV.

Non excusatur prædicta sententia ex eo quod constituat etiam aliquando dari gratiam non facienti quod in se est.

199 DVas potissimè excusationes prætendit illa sententia, quæ gratiam ex certa lege homini promittit, quoties ipse fecerit solis naturæ viribus quod in se est. Prima est, quod non asserat non aliter dari prævenientem gratiam nisi facienti homini quod in se est, cum expressè affirmet etiám aliquando eam conferri nihil omninò homini facienti, aut operanti; quin potiùs cum torpens & pigrum invenit arbitrium: imò aliquando in malo obduratum. Vnde illam 65. assertionem immediatè post hanc de faciente, quod in se est ex ipsis retulimus *libro nostro primo parte 1. tract. 6. cap.* 18. quasi hanc moderabantur dicentes: *Planè sine ulla intermissione ad ostium cordis stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum; non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis: sed sæpè non solùm quando se apta occasio offert, sed etiam quando torpens ac pigrum liberum nostrum prospicit arbitrium.*

200 In hac assertione, quatuor ordinatè proponit. Primum, Deum semper & sine intermissione esse ad ostium cordis nostri paratum adjuvare conatus nostros desiderantem ingressum: id est desiderantem ut conatus nostri ex nobis habeantur; quibus, quoties ex nobis habiti fuerint, Deus se inserat, dando certâ lege gratiam, & per eam in animam nostram ingrediens. Hæc est prima illius assertionis pars, quibus præcedentem confirmat de danda ex certa lege gratia facienti quod in se est ex solis suis conatibus naturalibus. Secunda pars est quod non pulsat specialibus auxiliis sine intermissione, quia aliquando non sic pulsat, imò pulsare intermittit specialibus auxiliis. Tertia quod sæpè pulsat specialibus auxiliis, quando se offert occasio apta. Quarta quod etiam sæpe pulsat, cum torpens & pigrum prospicit arbitrium.

Et quidem secunda pars ab ipso satis clarè proponitur. Tertia verò sic videtur intelligenda, quod sæpe pulsat cùm se offert occasio: quæ occasio habeatur ab homine non habente torpens, ac pigrum arbitrium; licet in tali occasione non faciat totum quod ex se se potest, sed aliqualem occasionem Deo præbeat. Cùm enim facit totum quod potest vel præsto est ad conandum totum quod potest semper adjuvat: quia ut in prima parte asseruit, sine intermissione est paratus adjuvare semper illos conatus nostros, quibus efficimus id quod possumus, vel quibus conamur efficere quod possumus. Cum autem id totum non efficimus, nec conamur efficere totum quod possumus, sed aliqualem occasionem Deo damus, non habendo totaliter torpens arbitrium, tunc sæpe Deus adjuvat. Hæc hujus authoris sententia est. In qua proindè, ut alia omittam, quæ minùs præsens institutum tangunt, id in ea expressè constituit, quod licet, quoties liberum hominis arbitrium facit quod in se est, Deus ex certa lege dat gratiam; tamen non semper expectat ut arbitrium sic ex se incipiat ut Deus adjuvet; sed aliquando ipse omninò prævenit excitando torpens arbitrium.

201 Et per hanc limitationem prætendit se excusare, & supradictam propositionem de faciendo quod in se est ab errore liberare; quia Pelagiani, & Semipelagiani in hoc errabant: quod non aliter dari gratiam contendebant, nisi priùs homo quod in se est faceret solis suæ naturæ viribus; expectando semper hominis voluntatem incipientem, ut eam postmodum adjuvaret.

Nullatenus tamen hæc juvat excusatio, quam- 202
vis enim verum sit Pelagium, Cœlestium, & Iulianum (qui & Caput Semipelagianorum fuit) pariter & Faustum ita asseruisse, ut nunquam prima gratia detur, nisi priùs fecerit homo quod in se est: itaut semper hominem posuerint incipere, & Dominum inceptum ab illo bonum opus consummare: ac per hoc in hac assertione cum eis conveniat ex parte, tuendo quod quoties homo facit quod in se est naturæ viribus, certâ lege Deus gratiam donat; (in quo cum eis consentire est manifestum) & ex parte ab eis discedat: asserendo quod aliquando Deus torpens excitat arbitrium, quod illi non posuerunt, imò id expressè negarunt (ut supponimus: modo) indubitatum est tamen quod cum Cassiano in damnata ejus sententia in, omnibus, & per omnia conveniat, illum sequatur, & ex ipso talem sententiam cum illa limitatione desumpsit.

Constant hæc satis apertè ex collatione illa 13. 203
ad Cheremonem sæpiùs citata *cap.* 1. in qua sic Cassianus habet: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta, atque confusa, ut quid ex quo pendeat inter multos magna quæstione volvatur, id est, utrum quia initium bona voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus, an quia Deus misereatur, consequamur bona voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac justo ampliùs asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti si enim dixerimus nostrum esse bona voluntatis principium, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matheo? quorum unus cruori, ac suppliciis innocentium, alius violentiis ac rapinis incubans publicis, attrahitur ad salutem: sin verò gratia Dei semper inspirari bona voluntatis principia dixerimus, quid de Zacchæi fide, quid de illius latronis in cruce pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam regnis cœlestibus inferentes, specialis vocationis monita prævenerunt.* Quibus est manifestum utrumque simul Cassianum dixisse, & aliquando homines prævenire Deum faciendo quod in ipsis est, & obtinendo gratiam: & aliquando è contra Deum prævenire homines inspirando torpens, & pigrum etiam arbitrium nihil boni faciens vel cogitans: quæ est ipsissima hujus authoris sententia. Vnde excusatio prætensa tantò minùs excusat, quantò magis clarè, & in terminis damnatam Cassiani sententiam introducit.

Quod autem Cassianus in utroque illo errave- 204
rit, & statuendo quod quandoque homines operando Deum præveniant, & quandoque Deus præveniat ipsos torpes, & desides, apertè Sanctus Prosper adversus ipsum ostendit *supradicto cap.* 8. *contra Collatorem*, ipsius enim & verba sunt Collatoris redarguens supradictam sententiam: *Ecce ut tibi videtur, quæ permixta erant discreta sunt, & quæ explicari non poterant absoluta. Duos enim esse contrarios sibi diffinis errores, quibus qui inter liberum arbitrium & gratiam, quid tenendum sit, nesciunt, implicentur, & in uno constituis eos qui dicunt ideò nostri misereri Deum, quia ex nobis præbita sunt bona initia voluntatis, significans sine dubio Pelagiani dogmatis assertores, qui dicunt gratiam Dei dari secundùm merita nostra. In alio autem*

Digitized by Google

tem illos ponis, qui dicunt ex misericordia Dei bonarum voluntatum prodire principia, eos intelligi volens, qui inimicos gratia debellarunt. Si ergo error est initia bona voluntatis non adjuto divinitus homini ascribere: & error est confiteri, quoniam præparatur voluntas à Domino, quo dirigendi sumus, ut utrumque vitemus? si utrumque inquis sequamur, nos nulli errori acquiescemus. Tu nos subdis duobus, & geminas, sic ut intelligis prævitates, dividendo damnas, miscendo justificas. Hac lege hac regula poteris prædicare, quod tam errent qui dicunt semper esse fallendum, quam qui diffiniunt, nunquam esse fallendum: sed ut in neutro peccetur, utrumque sectandum, quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda sit veritas, fallit te prorsus opinio tua, de duobus malis unum fieri bonum non potest, unam virtutem duo vitia non gignunt: unum verum duo falsa non faciunt. Qua enim paria sunt merito non minuuntur coëundo, sed crescunt. Hæc S. Prosper damnans in Cassiano, & in authore cum quo agimus prædictam sententiam. Vnde quæ prætendebatur excusatio, accusatio potiùs est.

205 Dicet fortè aliquis Sanctum Prosperum, nec Collatorem convincere, nec eum qui illius doctrinam modò proponit, de hoc quod in utroque errorem admittat. Imò poterit quis forsan prætendere quod in nullo illorum error consistat. Quia dicit errorem esse, vel in hoc quod semper ponatur Deus homines prævenire, vel quod è converso semper statuatur illorum voluntates expectare, ut bona principia inchoent: non tamen esse errorem, quod aliquando Deus præveniat, aliquando homo; sicut error esset dicere, quod semper Deus hominibus peccata dimittit, vel quod nunquam eis peccata dimittit; at error non est dicere, quod aliquando peccata hominibus remittit, aliquando verò non: unde illa divisè & iniversaliter errorem continent, non si prædicto modo componantur.

206 Verum hoc non obstante dicendum est planè, optimè per Sanctum Prosperum de errore convinci, sive Cassianum, sive ipsum sequentem quemcumque, qui asserat aliquando homines Deum prævenire faciendo quod in se est, qui omnes gratiam recipiunt, & aliquando Deum incipere excitando illorum torpens, ac pigrum arbitrium nihil boni vel faciens, vel cogitans. Verè enim in utroque error asseritur: sicut enim error est dicere, quoties homo Deum prævenit ex certa lege gratia datur, quia jam ponitur quod tunc homini jam sit gratia debita, cum veritas doceat, quod gratia nunquam est debita: sed semper est gratia nulli humano merito debita: ita error est dicere: quod aliquando Deus prævenit torpens excitando arbitrium: cum etiam veritas habeat quod semper in operibus ad salutem pertinentibus Deus sic præveniendo excitat, & non aliquando tantùm.

207 Vnde meritò S. Prosper illud induxit exemplum de veritate & falsitate: dicens quod est error asserere, quod aliquando veritas dicenda est, aliquando falsitas; cum nunquam falsitas dicenda sit, sed semper veritas, quoties unum vel alterum dicendum est; quia aliquando datur inter utrumque medium: quod est tacere, seu veritatem occultare, nec dicendo veritatem, nec falsitatem. At in nostro proposito: nec potest medium inveniri in hoc quod est, vel semper Deum incipere bonarum voluntatum initia, vel non semper Deum sic incipere, sed aliquando hominem. Vnde sicut affirmativa planè Catholica est, ita negativa quomodolibet dicatur quod aliquando homo incipiat, ei erit opposita, & errorem continet Pelagianum.

Dicendum est ergo quod S. Prosper ex conces- 208
sis à Cassiano convincit utrumque errorem esse, quiá cum ille concedat illos universaliter sumptos errores esse ex illis duobus: non potest una veritas resultare. Quia si est error Deum semper prævenire voluntates; quia libertas, ut aiebant, arbitrij impediretur, etiam error esset, quod aliquando Deus sic præveniret; quia etiam tunc libertatem impediret; & si est error quod semper homo inciperet suam salutem, etiam est error quod aliquando eam incipiat.

Itaque, ut uno verbo dicam, error Pelagianus 209
non solùm est quod semper homo incipiat faciendo quod in se est, & Deus certa lege det gratiam, & non aliter; sed etiam error Pelagianus est quod aliquando homo incipiat faciendo quod in se est, & quod tunc ei certa lege gratia detur: licet ille primus magis extensus sit error Pelagianus, quam hic secundus, tamen intensivè hic secundus eundem errorem continet; sicut, & in idem redit, qui diceret quod semper gratia est debita naturæ operibus, magis extensivè erraret, quam qui asseret quod non semper, sed aliquando gratia debita est operibus naturæ, quamvis intensivè idem sit error Pelagianus oppositus illi Catholicæ veritati, quæ docet gratiam semper esse gratiam, & nullo modo, & in nullo casu naturæ debitam.

Vnde hanc sententiam damnat Gabriel Vas- 210
quez 1. *part. disput.* 91. dicens, quod si sic nos incipimus, Deus expectabit, si non semper saltem aliquando voluntatem nostram, ut auxilia gratiæ suæ nobis conferat. Dicere autem quod aliquando Deus nostram expectat voluntatem, ut à peccato purgemur: canon 4. Concilij Arausicani reprobat.

Sed & Sanctus Prosper efficaciter hanc senten- 211
tiam in Cassiano condemnat, præter inductum jam locum, *eodem libro contra Collat. cap.* 37. dicens: *Hâc ergo discretione prescripta erit, ut diffinis in una Ecclesia ista diversitas, ut Dominus noster Iesus Christus de quo dictum est, & vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, & de quo dictum est; nec enim est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri non omnium Christianorum, sed quorumdam salvator, quorumdam verò susceptor sit, ut hi tantum salvati, quos ad percipiendam gratiam Deus aversos reluctantesque compulerit, hi autem susceptis sint qui vocationem spontanei cursus fervore prævenerint, & illis quidem conferatur gratuitum donum, istis verò debitum præmium rependatur.*

Sed dices: unde ex hac sententia convincitur 212
Christum Dominum quorumdam dumtaxat poni salvatorem? Ad hoc dicendum ita id clarè deduci ex illo duplici ordine hominum superiùs relato, ut ipsemet Cassianus, qui illum primitus introduxit, id palam ausus fuerit affirmare: dicens *citato cap.* 37. *Inde est quod orantes non solùm protectorem, ac salvatorem, sed etiam adjutorem ac susceptorem Dominum proclamamus, in eo enim quod prior advocat, & ignorantes nos atque invitos attrahat ad salutem, protector atque salvator noster est. In eo autem quod adnitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit susceptor atque refugium nominatur.*

Et quidem quod, sicut Cassianus fatetur, id ex 213
illa sententia convincatur, satis est notum: quia

cum

Digitized by Google

cum Christus Dominus gratiâ suâ non ponatur efficere in aliquibus illa bonæ voluntatis initia; sed homo sua naturali facultate illos eliciat, quomodo respectu illorum hominum salvator dici poterit, cum illa initia salutis ipse non causet? Vnde dicitur susceptor hominum illorum, qui sic ex se benè operantur. Plura illaque egregia dicta videantur in Sancto Prospero *ubi supra*, ubi ita concludit; *Hæc si possunt intra unam Ecclesiam prædicari, ut neutra opinio alteri cedat, sed invicem sibi utraque succumbat, potest fieri ut recipiamus quod Pelagiani tenent, & Pelagiani recipiant, quod tenemus sed hoc modo non tam illi Catholici quam nos erimus Pelagiani.*

214 Vt autem clarè constet quam damnata sit illa sententia quoad utramque partem, videatur Concilium Arausicanum secundum, in quo expressè damnatur *can.*8. In quo sic diffinitur; *Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire contendit à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æterna per semetipsos conquirere. Quod quam sit contrarium ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est, & apostolus nemo potest dicere Dominum Iesum Christum nisi in Spiritu sancto.*

215 Vbi hos duos ordines à Cassiano constitutos, aliorum nempè qui faciendo quod in se est Deum præveniunt, & expendunt res fidei, atque ad baptismum volunt venire, & aliorum, qui omnino præveniuntur ex Dei misericordia, ut ad fidem & baptismum veniant, clarissimè Concilium damnat. Imò ut jam supra ex Sancto Leone Magno præmisimus docet idem Pontifex summus in hac regula fidei; quod doctrina opposita non salvat læsum esse liberum Arbitrium, aut non ita læsum ut ad salutem revelatione indigeat divina, in quo pariter hos duos ordines, vel prævenientium gratiam Dei, vel ab ipsa præventorum; quos author cum quo agimus supradicta sua assertione constituit, etiam efficaciter reprobat.

CAPVT XVI.

Non excusatur illa sententia dicendo gratiam illam dari sic facienti quod in se est ex Christi Domini merito.

216 SEd à tanto errore prætendit se excusare prædictus author asserendo illam fidem, & gratiam, quam ex certa lege homini tribuit facienti totum quod in se est ex sola facultate naturæ non tribui propter tale opus naturæ viribus factum, sed ob meritum Christi Domini, qui ut ait *id obtinuit nobis ob sua merita, atque inter leges quas tam ipse, quam Pater æternus statuerunt de auxiliis & donis, qua nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus.* Asserere autem quod alicui detur gratia propter meritum Christi non potest non sanam & Catholicam doctrinam continere.

Verum ista apparens excusatio, quæ propterea 217
minùs eruditos in hac parte fefellit, minus juvat, aut juvare potest minusque supradictam assertionem ab errore potest liberare imò in infinitum si penetretur, eam aggravat, dum novo absurditatis genere prætextu meriti Christi dogma Pelagianum fundare procurat. Novo, inquam, absurditatis genere, quia nec Pelagius, Cælestius, aut Iulianus, nec Faustus, aut Cassianus, aut aliquis alius, ex prioribus Pelagianis, aut Semipelagianis talem sibi paravit excusationem, aut in suo dogmate seminando ad meritum Christi confugit, videntes omnes id nullâ ratione dici posse; aut meritum Christi, quod suâ pravâ doctrinâ, quantùm in ipsis erat, destruere laborabant, eos posse juvare, aut ipso ratione aliquâ se posse cooperiri. Si enim viderent hac ratione se posse salvari, & suam sententiam impunè tradere, cum nec difficilè esset hoc eis occurrere, quin facilè nimis, illud sine dubio prætenderent. Et sub hujus prætextu omnia sua principia, omnes conclusiones, & omnem in universum doctrinam suam stabilirent. At quod nec ipsis in mentem venit, quippè qui considerabant id in nullius mentem venire posse modo ab his authoribus invenimus excogitatum, & novo pallio atque colore illorum dogma defensum.

Hoc enim prætextu quis non videat totum Pe- 218
lagianorum dogma (quod in hoc totum consistere ex S. P. Augustino explanatum est supra, quod humana voluntas præcedat, & gratia subsequatur) salvum consistere & impunè divulgari? Quis non videat per hunc novum excusandi modum tutè posse defendi quod in omni opere bono homo priùs incipiat, & Deus postea sequendo perficiat, quæ ipsissima damnata est Pelagianorum sententia? Quis non attendat hac nova via inventa Catholicè posse sustineri, quod ex nobis sint initia quibus ea adjuvando se inserat Deus, quæ fuit illa Cassiani & Fausti reprobata sententia? Nam facilè est omnia ista salvare atque defendere dicendo Christum cum Patre ob meritum suum legem statuisse, ut sic Deus incipientem per suam naturam adjuvet donis gratiæ. Proculdubio valde ignari fuerunt Pelagiani omnes antiquis illis temporibus, qui hac tam facili viâ suos fundare & excusare errores nescierint. Sed subtilior omnibus author prædictus qui eos omnes hoc prætextu defendit excusat, & valde fundat.

Dixit aliquando S.P.Augustinus contra quosdam 219
errantes, quod ex scriptura arma sumebant contra scripturam ex Evangelio contra Evangelium, & divina testimonia, contra eadem testimonia divina, quod licet familiare sit omnibus in universum errantibus, & nova dogmata proponentibus, magis tamen, vel minus diversis dogmatibus pro eorum diversitate convenire, nec dubium est; propriissimè verò sententiæ quam impugnamus adaptatur, dum arma sumit ex merito Christi contra Christi meritum; & meritum Christi contra meritum Christi opponit; & sub Christi Domini merito meritum ipsum, quo nobis suam gratiam, ideſt, nullo modo nostris naturæ operibus debitam enervat; ac veram gratiam, quæ in Christo, & ex Christo, & per Christum est, & ipsius meritum infinitum contra veram Christi gratiam, quæ nulla ratione naturæ debita est, constituit, & si fas est audire, meruisse divulgat Christum Dominum merito suo, ut ipsius gratia non sit jam gratia, sed naturæ operibus debita.

Dixit etiam S. P. Augustinus *libro 4. contra* 220
duas Epistolas Pelagianorum capite 6. rectè de Iuliano, & aliis sui erroris consortibus, quod num-

Digitized by Google

quam occultiores parant insidias, quam ubi legem laudant, quæ sine dubio laudanda est, occultiores nullas dicit illos parasse insidias, quia occultissimam hanc qua meritum Christi laudatur, quod sine dubio laudandum ab omnibus est, cum interponitur ad supra dictam assertionem fundandam, & defendendam, antiquiores illi non paraverunt, sed his temporibus paratam ab hoc authore, cum quo agimus, & ab aliis suæ doctrinæ defensoribus deprehendimus. Adeo autem occultæ fuerunt insidiæ, ut plurimi nedum simplices, & ineruditi, verùm & illi, qui docti, & sapientes reputabantur, hæc audientes, atque legentes, & meritum Christi Domini videntes publicari, putarint eos hoc dicere, quod veritas habet de Christi Domini merito arbitrantes veritatem in tali assertione merito Christi vestitam contineri: quis enim à principio arbitraretur sub tam divino antidoto venenum propinari contrarium, sub melle fel occultari, & sub florida herba anguem latere mortiferum.

221 Duo ergo mala facit hic author, primum, quod pravam Doctrinam jam superiùs reprobatam publicat. Secundum quod eam defendere, & stabilire Christi Domini merito contendit, irrogans proinde injuriam non minimam merito Christi. Si enim nescit justitia Dei, ut Chrysostomus ait, patrocinia dare criminibus, profecto nescit Christi Domini meritum patrocinium erroribus dare, eos fundare, atque defendere; illis potissimè qui magis patenter meritum & gratiam ejus impugnant, quales sunt Pelagiani de Pelagianis enim Sanctus Patèr Augustinus dixit, quod sunt solo vocabulo Christiani, & quod Christi gratiam apertiùs impugnare laborant.

222 Sed perge nunc nobiscum pariter prudens lector, & erudite Theologe, & quàm manifestè videbis ostensivè probatum, quod præmisimus; nimirum totum Pelagianorum dogma hac viâ occultari, palliari, atque defendi, prætextu videlicet meriti Christi licet enim jam id breviter, ut putamus, fuerit ostensum, oportet clarius id aperire. Certum est Pelagianorum errorem hunc esse (ut Paulò ante dicebamus) quòd inchoatio boni operis sit ex nobis, consummatio ex Deo; seu quod justificationis exordium ex nobis sit perfectio ex Deo; seu quod homo incipiat, & Deus suâ gratiâ subsequatur; vel quod idem omnino est quod homo priùs faciat viribus suis naturalibus quod in se est, & quod Deus certa lege ei gratiam tribuat. Ergo si Christus meruit, quod sic facienti quod in se est, Deus certa legè dat gratiam, meretur ut inchoatum ab homine bonum opus Deus consummet; meretur ut posito ex homine exordio justificationis, Deus ipsum perficiat; meretur, quod incipientem hominem bonum opus Deus adjuvet subsequendo. Hæc manifesta sunt, tunc rursus, meretur Christus, quod inchoatum ab homine bonum opus, Deus perficiat subsequendo; ergo meretur, quod gratia sit debita illi bono operi ab homine incepto; ergo meretur, quod gratia sit illi inceptioni naturæ debita. Hæc ultima consequentia manifesta est, quia exordium illud justificationis, ut supra ostensum fuit, est meritum gratiæ subsequentis; Ergo si Christus meruit, ut illi exordio naturali gratia detur, meruit quod gratia illi sit debita, & sic jam gratia non erit gratia, & hoc ex Christi Domini merito habebit. Quid dixerunt Pelagiani, nisi quod gratia deberetur naturæ operibus? Si ergo Christus meruit, ut facienti homini, quod in se est ex naturæ operibus certa lege gratia detur, meruit profecto, ut gratia operibus naturæ sit debita; & Pelagium suo merito adjuvabit, quæ fuit illorum sententia, nisi quod incipiente homine, Deus illum statim adjuvat? Si ergo hoc Christus meruit, merendo, quod facientem hominem, quod in se est, Deus certò adjuvet, suo merito Christus sententiam illorum fundat, & facit ut in superbiam elatus homo ille dicere possit, habeo ex me solo aliquid, cui ex merito Christi gratia detur.

Hoc clariùs apparet, si attendamus finem pro- 223
pter quem dicebant Pelagiani, quod Deus incipientem bonum opus semper, seu ex certa lege adjuvabat, hic enim non alius fuit, nisi ut in potestate hominis ponerent salutem ipsius, itaut eam, quoties ipse vellet, apprænhendere posset, & sibi imputaretur, si eam non obtineret, sed finem istum ipsi obtinerent, quomodolibet sive per meritum Christi, sive sine ipso eis concederetur, quod quoties homo bonum opus incipiebat, ex sola sua facultate nimirum faciendo quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus eum semper, seu certa lege adjuvabat gratiâ suâ. Vnde, si hoc eis concederetur, obtinerent quod intendebant, & haberent, quod postulabant atque sine dubio gauderent, & quiescerent; qui enim obtinet intentum finem, necesse est quiescat, nec aliud quærat. Quomodocumque enim eis daretur, quod semper incipientem hominem benè ex natura, Deus certa lege suâ gratiâ adjuvet, sive per meritum Christi, sive sine ipso, clariùs viderent in hominis potestate solam esse ejus salutem, & quod quoties vellet, eam posset apprehendere, & quod si id non faceret, sibi ad demeritum imputaretur, & omnia alia, quæ reputabant inconvenientia, propter quæ vitanda, illa initia salutis homini tribuebant. Omnia, inquam, illa cessarent, si semel eis tribueretur etiam ex merito Christi, quod incipienti homini, faciendo quod in se est ex naturæ viribus, semper aut certa lege gratia daretur, undè fit evidens quod per meritum Christi illorum sententia fundaretur, & adjuvaretur.

CAPVT XVII.

Idem amplius explicatur.

EXplicatur adhuc hoc amplius. Nam in ista 224
sententia apertissimum est, quod huic facienti quod in se est, applicatur nedum gratia, sed & ipsum meritum Christi, quia ipse homo vult. Quis autem dubitet hoc apertè Pelagianum, ut patet ex relatis ex Sancto Patre Augustino, & Prospero? Igitur per hanc sententiam absurdè ex merito Christi fundatur Pelagianorum sententia. Antecedens probatur, nam juxta hanc sententiam Christus offert suum meritum, ut per illud detur gratia omnibus, qui tamen fecerunt quod in se est ex solis viribus naturæ. Demus ergo duos homines, alterum facientem quod in se est; alterum verò non, & per consequens illum recipientem ex certa lege gratiam; istum autè non, & quæramus quare de facto iste recipit gratiam, & non alius? Et cum nulla ratio reddi ab eis possit, nisi quia iste fecit quod in se est, & non alius (nam ex parte Dei omni facienti quod in se est, oblatum est Christi meritum, per quod gratiam recipiat) fiet manifestum, quod quia ille fecit, quod in se est, de facto sibi applicuit Christi meritum, ut gratiam obtineret, alius non; & ex consequenti prima ratio quare iste gratiam recipit de facto

Digitized by Google

facto ex merito Christi, est quia ipse voluit, & volendo meritum Christi sibi applicavit faciendo quod in se est, ut per illud gratiam ex certa lege reciperet.

Confirmatur, nam ista sententia ponit, quod licet Christus aliquibus nihil boni operantibus suum meritum applicet, ut ex illo, & per illud eis gratia detur, tamen non est certa statuta lex de danda eis gratia cum aliquibus detur, aliquibus non detur: cæterum quoties homo facit quod in se est, certâ lege ex merito Christi gratia datur: ergo aliquid juvat; imò multum juvat illud facere quod in se est, ut talis sit lex, & ut ex ipsa Christus per meritum suum illi tribuat gratiam, supposito quod quoties sic facit homo quod in se est, certâ lege ex merito Christi ei gratiâ datur, & non aliter ex certa lege datur: ergo illud facere quod in se est multum conducit, ut ex merito Christi sibi gratia detur; multumque juvat, ut talis lex statuatur. Igitur intuitu illius facere quod in se est, & lex ista statuitur, & meritum Christi applicatur, & gratia illi homini datur. Ergo sicut intuitu illius hæc dantur, procul dubio ex aliquali merito illius operis lex statuitur, & ex Christi merito gratia tribuitur, quæ est Pelagianorum damnata sententia, quæ propterea malè per Christi Domini meritum defenditur, atque fundatur.

225 Confirmatur & explicatur ampliùs ex verbis supradictæ assertionis, quam impugnamus. Licet enim in aliquibus se occultet ista sententia (in illis videlicet, quod ista lex est de donis gratis hominibus conferendis) in aliis tamen satis se declarat, dum exprimit fuisse rationi valdè consentaneum, quod ista certa lex statueretur. Si enim valdè rationi consentaneum est, ut talis lex à Christo cum Patre sit statuta, inquiramus, quæ ratio id postulat: aut ex parte cujus sit ista ratio id petens, & videbimus, quod ex solo illo bono opere facientis hominis quod in se est. Vnde primum fundamentum, & origo prima quare Pater cum Christo filio suo ob ejus meritum hanc legem statuit de danda ex meritis Christi gratia, quoties homo faciat quod in se est ex solis naturæ viribus, illa est, quia ita ratio postulat, & quid postulat, nisi ut illi operi naturæ gratia correspondeat, eique detur? Totum igitur hoc manifestè dicunt si intelligantur, cum aiunt esse rationi valdè consonum ut illa certa lex fiat. Manifestè ergo etiam verbis suis statuunt aliquale meritum in tali naturæ opere, ut lex certa fiat de danda illi ex merito Christi gratia; & sic etiam est manifestum, quod reipsa ad hoc noviter intromittitur meritum Christi, ut Pelagianorum prava fundetur sententia. Ecce ex una parte negatur meritum in illis naturæ operibus, & ex alia re ipsa ponitur; cum dicitur esse rationi consonum, ut illis operibus naturæ gratia ex Christi Domini merito detur, & sic in uno occultatur, in alio detegitur: illud primum negat, ne verbis expressis damnatum dogma proponat: hoc secundum apponit, ut qui intelligunt, videant ipsum meritum aliquale constituere. Profectò si consonum est rationi, ut ex merito Christi gratia illi homini detur, & ista ratio se tenet ex parte illius operis boni id postulantis, ex rationis debito tenetur Deus, qui non facit contra id, quod ratio postulat, ex merito Christi illi homini gratiam dare.

226 Quod si priùs est meritum Christi, quam quod illud facere, quod in homine est, gratiam obtineat, & hoc dicant, ut supradicta vitent inconvenientia: ergo jam illud facere, quod in se est præsupponit meritum Christi: ergo jam vestitur Christi Domini merito: ergo poterit, ut sic esse meritum illius auxilij gratiæ: non poterat ergo formidare, si sic loqueretur Author, cum quo agimus, concedere aliquale meritum in illo facere quod in se est. Cum autem verbis testetur illud meritum non esse, manifestè sentit illud facere quod in se est, non præsupponere meritum Christi, nec illo vestiri, sed potiùs planè intendit, quod argumenta facta ostendunt; primum nempè fundamentum, ob quod ratio postulat, ut ex certa lege, & ex merito Christi gratia detur facienti homini quod in se est, esse illudmet opus naturæ viribus factum, cujus intuitu, ut rationi consonum fiat, Deus certam legem statuit cum Christo ob illius meritum de danda gratia sic facienti quod in se est. Quia nimirum ista ratio postulat, ut sic faciens ampliùs ex merito Christi, & per ejus gratiam adjuvetur. Vnde hac viâ non solùm ponitur meritum in operibus naturæ respectu gratiæ dandæ; sed etiam respectu meriti Christi quod debet applicari, ut debitum talibus naturæ operibus.

Insuper quis dubitare potest, quod si alicujus 227
magni Regis filius unicus ob sua excellentia merita à Patre obtineret, ut quoties sui Regni homines facerent, quod possent ad obtinendam supremam nobilitatem, & de hoc ob merita filij Regis lex promulgaretur, quod jam homines sic facientes prætenderent debitam sibi talem nobilitatem non tam ex merito operis secundùm se considerati, quam ex merito illius fundato in merito filij Regis, & in lege promulgata? Procul dubio nullus de hoc poterit dubitare quod si addatur esse rationi valdè consonum, ut filius Regis applicaret merita sua sic hominibus facientibus quod in se est, etiam aliquale meritum secundum consonantiam rationis in illo facere quod in se est constitueretur respectu hujus quod est filium Regis eis applicare meritum suum. Sic ergo in proposito verè possunt prætendere debitam sibi & operibus suis gratiam, non tamen ex merito illius facientis quod in se est, si secundum se illud naturæ opus consideretur, sed ex merito illius operis ut fundati in meritis Christi, & in lege à Patre cum filio promulgata de danda gratia sua sic facienti homini quod in se est. Lex enim promulgata ex benignitate Legislatoris in opere quod alias proportionem cum gratia non haberet, proportionem cum illa facit, quia sic Legislator voluit ordinare. Profectò si talis lex esset, opus licet minimum, & improportionatum in illa fundatum aliquod meritum esset respectu illius, quod per legem dandum statueretur operi tali; sed à nullo, nisi ab Authore cum quo agimus, hanc promulgatam legem audimus; & quia ipse est primus illius promulgator pariter fuit primus, qui per talem modum nova arte gratiam esse debitam naturæ operibus divulgavit: imò, ut diximus, etiam respectu meriti Christi meritum in illo opere naturæ constituitur.

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

Quod non datur certâ lege gratia facienti homini quod in se est, tanquam removenti prohibens.

228 IAm illius secundi Authoris, cujus & verba relata sunt supra sententiam expendamus, & an supradictam assertionem ab errore excuset suo dicendi modo, vel potiùs eam magis intollerabilem faciat, videamus.

Dicit, quod ideò Authores, qui posuerunt dari certò gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, id affirmarunt: *Quia alioquin non apparet, quomodo sit in potestate hominis salutem obtinere, si non est in potestate illius eam inchoare.* Hæc illius formalia verba sunt. Et hanc rationem ipse assignat pro salvanda propositione illa cum assertoribus ejus. Ergo manifestè dicit, quod faciendo homo, quod in se est ex solis naturalibus suis inchoat salutem, eamque in potestate sua ponit. Quâ parte dicit, quod faciens homo quod in se est viribus suis salutem ponit in potestate sua, cum supradicto priore Authore convenit, cum quo & convictus manet quod ponat illud opus naturæ fieri ab homine prout ad salutem oportet, & primum initium salutis. Pro ea autem parte qua dicit hominem sic faciendo quod in se est suam inchoare salutem, clariùs eo procedit, & exordium salutis ex solo homine expressis verbis tradit contra apertam Conciliorum definitionem.

229 Vnde nunquam putarem talia dici à Catholico scriptore potuisse, minusque ab aliquo Theologo, qui hæc legat talia, vel ad horam recipi potuisse, sed uno consensu ab omnibus refutari debuisse. Quod si sic factum non est non alia ex causa, nisi quod ad ista minus attendunt, qui illius opuscula legunt bone Deus Arausicanum Concilium secundum contra Pelagianos planè diffinit can. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur.* Et ex proposito prædictus author affirmat nos in bono opere incipere faciendo quod in nobis est: & sic nostram nos inchoare salutem, non potest esse magis aperta propositio. Tridentinum Concilium *sess. 6. cap. 5.* dicit: *Declarat praterea ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum prævenientè gratia sumendum esse.* Et supradictus author è contra proferre non timet inchoationem seu exordium justificationis sumi in homine, non à præveniente per Christum Iesum gratia; sed ab actu quo solis viribus suis naturalibus facit, quod in se est. Etiam si vellet, non potest magis expressè sacro Concilio contraire. An excusandus erit talis author ignorantiâ, quod tales Conciliorum definitiones non viderit, cum tam ex professo de hac materia librum integrum composuerit multotiesque utrumque Concilium inducat? Quod si sic ipsum aliqua ratione posse excusari quis prætendat, propositio tamen ipsa à nullo excusari potest, quin ab omnibus debet, ut expressè contraria diffinitionibus Conciliorum judicari: quod sufficit, ut omnes attendant quàm clare initium, & exordium seu inchoationem salutis ex nobis sine gratia constituant: quæ fuit olim illa in Pelagianis, & Semipelagianis damnata sententia.

230 Cum autem Concil. Arausicanum *ubi supra*, & Tridentinum *loco citato* pro eodem omnino sumant, *initium salutis*, seu *exordium justificationis ex nobis assignare, & meritum gratiæ ex nobis constituere*, fit manifestum præfatum authorem, qui tam apertè inchoationem, & initium salutis ex nobis assignat meritum respectu gratiæ ex nobis apponere: Quæ multò clarior est damnata Pelagianorum sententia. Verba Concilij Arausicani sunt. *Hoc etiam salubriter profitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorẽ sui prius inspirat &c.* Tridentini autem hæc alia: *Declarat praterea ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum prævenientè gratia sumendum esse, ideſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* In istis autem Concilium hoc, & in illis illud aliud manifestè tradunt, quod ideo sine ullis meritis nostris gratia nobis datur, quia ex nobis initium, seu exordium justificationis non habetur, ac per consequens docent, quod si ex nobis initium seu exordium justificationis constituitur, etiam meritum ex nobis gratiæ assignatur quod esse palmarium in utroque Concilio, sicut revera est, etiam authores, cum quibus ista tractamus, planè confessi fuere, ut ex illorum relatis in superioribus verbis manifestum est. Videant etiam & ipsi, quam patenter authores, quos defendere laborant circa hanc propositionem, constituant initium seu exordium, seu inchoationem salutis, seu justificationis ex nobis facientibus quod in nobis est ex solis naturæ viribus, & per consequens qualiter etiam meritum gratiæ ex nobis constituant, & jam desistant eos vel defendere, vel explicare, sed nobiscum pariter illorum sententiam Concilium damnatam damnent.

Addendum verbum illud, *inchoare salutem*, ex- 231
pressè inveniri in sancto Prospero appositum, referendo illorum Pelagianorum, contra quos agebat, sententiam: quia fortè illo eodem ipsi in sua doctrina tradenda utebantur. Sic enim in sancto Prospero legimus *Epistola illa ad S. P. Augustinum* illis verbis: *si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare male creditur.*

Verum ulteriùs explicemus, quomodo præfatam suam assertionem defendat, & exponat. In hoc solùm eam justificare arbitratur, quod faciendo homo quod in se est, non positivè inchoet salutem suam, sed tantum per accidens removendo prohibens: pro quo supponit, quod gratia omnibus datur, qui obicem & impedimentum non apponunt: & hinc infert quod homo faciendo quod in se est in prosequutione boni moralis, vel cum ei fides prædicatur, cum per talia bona opera naturæ viribus facta removeat prohibens gratiam: Ideo certa lege ei gratia donatur hæc tota illius excusatio, seu justificatio est proprijs verbis exposita.

Inprimis (quod ad præsens ei gratis concedimus) 232
licet excusatio ista aliquo modo juvare posset pro justificatione illius propositionis, *facienti quod in se est Deus certa lege dat gratiam*; tamen hanc, *homo sic faciendo quod in se est viribus naturæ inchoat suam salutem*, nullâ viâ excusare potest: quia propositio hæc, ut patet ex dictis, expressè in Concilijs damnatur. Damnant enim exordium, & inchoationem salutis ex nobis, quomodolibet invocatio, & exordium salutis nobis ex nobis tribuatur, ut est manifestum.

Deinde, quomodo dicitur hominem, vel infide- 233
lem, vel peccatorem faciendo quod in se est removere prohibens gratiam, & sic suam inchoare ex se salutem, cum tale prohibens gratiam nulla ratione homo ille possit removere. Quomodo enim non attendunt

Digitized by Google

tendunt prohibens gratiam esse peccatum actuale solum, vel originale & actuale simul in adultis, quod peccatum sive unum solum, sive utrumque simul nulla ratione potest homo solis viribus removere. An peccatum sive originale, sive actuale potest removeri ab homine per solum hominem operantem viribus suis, quidquid illis efficiat? Proculdubio si omne peccatum (quodcumque enim lethale est prohibens, & impediens gratiam) potest homo faciendo quod in se est removere, potest, & se solo justificari, nec enim removetur peccatum, nisi per justificantem gratiam, & ex consequenti ex se poterit justificari, quæ multo clarior est Pelagianorum sententia. Igitur ista, quæ prætenditur excusatio, potius major accusatio est. Nec enim ex homine solùm ponit salutis inchoationem quamcumque, sive imperfectam, quam Semipelagiani posuerunt; verum etiam perfectam justificationem ex homine solum homini tribuit, quæ fuit ipsius Pelagij doctrina pestifera.

234 Sed author præfatus, ne cogatur dicere hominem ex se & à se posse auferre omne impedimentum, & prohibens gratiam, tam originale peccatum, quam actuale, & ex consequenti cogatur constituere (ut ratio facta demonstrat) hominem ex se ipso posse justificari, asserit illum hominem non posse auferre à se omne peccatum, sive originale, sive actuale gratiam impediens, sed tantum posse novum impedimentum auferre. Illius enim verba sunt consulto posita. *Quod si homo habens solum naturale lumen rationis ita se gereret, ut nullum novum impedimentum gratiæ adhiberet, infallibiliter opportuno tempore auxilium gratiæ reciperet, si novum* (inquit) *impedimentum non haberet.* Sentit ergo quod saltem peccatum, quod originaliter contraxit, à se auferre non potest. Quod si illud auferre à se nequit, utique non potest non in se habere impedimentum gratiæ, & sic gratia ei infallibiliter non dabitur; quia solum datur infallibiliter non habenti obicem, vel impedimentum, & sic tota illa machina ejus prosternitur. Dicat enim an homo ille solo lumine rationis ductus peccatum originale habeat, vel non? Si peccatum originale non habet, ex gratia jam ponitur justificatus. Vnde non mirum, quod ei detur infallibiliter auxilium gratiæ sufficiens ad benè operandum. Si autem in peccato originali existit; ergo habens prohibens gratiam quidquid naturæ viribus faciat, illud impedimentum à se auferre non potest; ergo habenti tale auxilium gratiæ, gratia ipsa certa lege, aut infallibiliter non datur, quia non sic certò datur nisi non habenti, vel ponenti gratiæ impedimentum. Non ergo dicat author ille, quod si homo habens lumen rationis non addat novum impedimentum Deus certò dabit auxilium gratiæ; quia licet ei gratis iterum demus, quod homo ille possit non opponere novum impedimentum, propter impedimentum tamen antiquum, quod ex origine contraxit, quod cum sit verè peccatum, verum & magnum gratiæ impedimentum est ei, ex certa lege non potest ei gratia promitti.

235 Quia tamen præfatus author sic argumentatur, gratia omnibus infallibiliter datur qui gratiæ impedimentum non ponunt, ut aperta sententia est Sancti Thomæ 3. *contra gent. cap.* 159. & homo ex se potest impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire divinæ gratiæ receptionem ut etiam expressè ibi Sanctus Thomas affirmat sicut non immerito imputatur in culpam ei, qui impedimentum præstat, ita qui impedimentum non apponit eam infallibiliter recipiet. Supponit ergo S. Thomas, imò id apertè docet, quod potest ex se homo non ponere impedimentum gratiæ, & ex consequenti, quod infallibiliter gratiam recipiet.

Ad hoc est modo respondendum, concedendo quidem majorem ex Sancto Thoma appositam, de qua copiosè agemus inferiùs. Et ad minorem dicendum, quod in illo *cap.* 159. verè Sanctus Doctor affirmat hominem ex se posse impedire, vel non impedire gratiæ receptionem. Et quidem quod possit homo ex se impedire illam satis est notum, sicut enim ex se potest peccare, ita potest ex se impedire receptionem gratiæ, pro alia autem parte, quod possit eam non impedire, ne aliquis erraret putando posse hominem in natura lapsa sine aliquo auxilio gratiæ non impedire receptionem gratiæ, vel nullum ei apponere impedimentum, itaut infallibiliter ei gratia daretur, sicut malè iste author deduxit, statim in *cap.* 160. immediatè sequenti se explicando Sanctus Thomas subjungit. *Quod autem dictum est in potestate liberi Arbitrij esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit, si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erit omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare?* Quibus clarioribus verbis potuit Sanctus Thomas docere hominem in natura lapsa per præcedentem inordinationem, sive solùm originalem, ut in parvulis sine baptismo, sive originalem & actualem, ut in adultis infidelibus: sive solam actualem, ut in peccatore fideli, non posse non apponere impedimentum gratiæ, & sic ei gratiam non infallibiliter dari, sed his, in quibus divina misericordia voluerit tale impedimentum superare, & existentibus indignis ex tali impedimento misericorditer gratiam elargiri?

Vbi notandum est Sanctum Thomam solùm dicere illum non posse non ponere impedimentum ex eo quod dicit non potest non peccare sed etiam quia ex præcedenti deordinatione semper habet impedimentum appositum. Profecto si præfatus author, qui inspexit caput 159. inspexisset sequens caput 160. videret quam manifestè suæ sententiæ Sanctus Thomas contradicat, & qualiter ejus falsam intelligentiam desumptam ex cap. 159. in cap. 160. manifestè præscindat. Non ergo tam apertè ex Sancto Thoma contra S. Thomam opponat, nec in illo velit fundare doctrinam, quæ ab illo refutatur. 236

Sed & hîc video doctissimum Sancti Thomæ discipulum (qui alias in hac materia rectè loquitur, ut dicetur inferiùs in suis variis disputationibus *tom.* 2. *de gratia, & libero hominis arbitrio sect.* 1. in qua ex professo agit de intelligentia hujus facienti, quod in se est) in quadam 3. *conclusione* §. *quapropter* nec conformiter ad veritatem, nec ad Sanctum Thomam. Sed nec ad sua propria dicta asserere, quod *si homo peccator ita se gereret, ut nullum novum impedimentum gratiæ adhiberet, aut obicem, gratiæque obstaculum sunt auxilium, vel vocationem gratiæ verè reciperet, non quidem ex debito, sed ex liberalitate Dei, quod* ut inquit, *insinuare videtur Concilium Tridentinum sess.* 6. *cap. can.* 11. *&* 13. *cum dicit Deum neminem deserere, nisi prius deseratur ab ipso.*

Hoc enim primò conformiter ad veritatem non est, qua diximus hominem talem quia peccator est obicem gratiæ habere, quamvis postea ex suis naturalibus benè se gerat. Vndè ei certò gratia non 237

Digitized by Google

debet promitti, nisi divina misericordia eam ipsi dare voluerit, quin potiùs meretur supplicium. Secundò conformiter ad Sanctum Thomam non est *illo cap. 160. ex 3. contra gentes citato*, sed nec ad propria dicta loquitur author ille, quippè, qui alibi perdoctè dixit quod quidquid homo existens in peccato viribus suis efficiat, non potest à se auferre impedimentum, & obstaculum gratiæ, quod ex præcedenti peccato habet, nisi Deus magnâ suâ misericordiâ tale impedimentum superare voluerit: semperenim, ut benè ait, manet cum macula culpæ, & cum conversione ad se ipsum. Sic habet 1. 2. *quæst. 112. art. 3. disp. 1. solut. ad 2.* Nullo ergo modo dicendum est, quod si peccator benè se gerat in vita sua nullum aliud impedimentum gratiæ præstando, Deus eum suâ gratiâ vocabit, quia de hoc certa regula non est, sed nec esse potest, quia aliquando Deus talem vocat, aliquando non vocat, sed alium qui actualiter multa peccata committit.

238 Similiter idem author in *eodem libro variar. disp. lib. 3. disp. 5. sect. 3. §. sed profectò*, postquam supra relatam sententiam Pater Suarez retulit, non rectè subdidit, *sed profectò licet hæc vera sint* &c. Quomodo enim veram dicit sententiam, quod infallibiliter Deus gratiam donet homini, qui non apponit novum impedimentum, cum habeat antiquum, propter quod justissimè, quia Deum ipse priùs deseruit, meretur, ut à Deo deseratur. Et quod magis est, quomodo veram dicit sententiam, quæ expressè tradit quod faciendo, quod in se est ex solis naturæ viribus homo inchoat suam salutem? Absit quod sententia ista vera sit, aut vera dici possit.

239 Et præterea illa positio falsum omnino supponit quod videlicet stet hominem peccatorem, vel per totam vitam, vel diu novum peccatum non committere, nisi adjuvetur à gratia de qua in superioribus abundè actum esse recordamur.

240 Et per hoc etiam redditur manifestum, quam parùm ad rem præfatus author ad hoc suum intentum adducat illud Concilij Tridentini, quod *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab eo*, ex illo inferens quod cum homo facit quod in se est ex solis naturæ viribus, si Deus ei infallibiliter gratiam non daret, ipsum desereret, priusquam ab eo deseratur. Hoc enim contra prædictum Concilium & ejus intentionem inducit licet enim tali homini sic facienti quod in se est Deus gratiam non donet, non tamen ipsum priùs deserit quam ab eo fuerit ipse desertus; quia priùs homo ille Deum deseruit & per originale peccatum, & per actuale mortale præcedens; ut modo ex Sancto Thoma dictum est; undè quia sic ille homo priùs Deum deseruit per præcedentem inordinationem, quâ declinavit ad malum, merito Deus eum deserit, ei sicut indigno & inimico gratiam negando; quidquid alias faciat quod in se est, cum per illam inordinationem præcedentem, quâ posuit impedimentum gratiæ, & de facto apponit, cum in peccato sit, nullo modo per se ipsum valeat auferre, ut à principio hujus capitis dictum est, & S. Thomas in citato loco clariùs confirmat.

241 Quod autem subdit prædictus author, nimirum quod homo solo rationis lumine ductus potest ad breve tempus vitare peccatum contra legem naturæ, quoad omnes actus, qui in illo brevi tempore occurrerint, minùs obstat; quia nec per breve tempus potest per se solum sine gratia totam legem servare; aut pro illo brevi tempore contritionem habere se solo de peccatis, ut sunt offensa Dei; nimirum propter ipsum summè dilectum, ut abundè probatum est in superioribus. Vndè quidquid aliud pro illo brevi tempore faciat, non tollit aut tollere potest supradictum peccati impedimentum; & sic cum maneat, & sit verè peccator, indignus est Dei misericordia & gratia; justissimèque Deus illi gratiam suam poterit negare. Nec potest lex esse, ut infallibiliter peccatori & indigno gratia conferatur; ut etiam idem author *citato loco* suis propriis verbis affirmat. Ad quæ si vellet attendere, utique videret quod nullo modo tali peccatori facienti aliàs quod in se est, infallibiliter gratia datur, quin potiùs justissimè ei negari potest.

Addendum, quod licet qui aufert impedimentum, seu removens prohibens in physica consideratione causa per accidens sit; in moralibus tamen causa per se reputatur, eique effectus sequutus, sive in bonum sive in malum imputatur, ut patet de tollente columnam supra quam alius existit, & ablata columna eadem moritur; & de nauta non gubernante navim ut tenetur; & de judice non defendente cum potest, & alias tenetur ab alio invasum, in quibus morali consideratione causæ per se censentur si igitur homo posset removere prohibens gratiam, licet actibus suis liberis causa per accidens esset collationis gratiæ, secundùm tamen moralem considerationem esset per se causa illius, eamque talibus suis operibus mereretur; ut omni ex parte appareat, quod nec inconveniens effugitur recurrendo ad removens prohibens. 242

Illud præterea addendum, omnia quæ inducta sunt efficialiter expugnare illam certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus; non tamen negare, sicut non negamus, quod licet ex certa lege, & omnibus sic facientibus non det Deus gratiam, aliquando tamen sua misericordia eam sic facienti quod in se est, donat, sicut eam tribuit nihil facienti, nec enim qui facit quod in se est, pejoris conditionis debet esse quam ille, qui nihil facit, cum multoties nihil facienti Deus gratiam donet, tunc enim manifestum est quod non propter illud opus Deus gratiam det, quia alias semper propter illud daret, si opus id mereretur. 243

CAPVT XIX.

Minùs juvant quæ in defensionem illius propositionis, facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certa lege dat gratiam, *alij cumularunt.*

IN superioribus relata sunt alia plura, quæ non in libris prælo mandatis, sed manuscriptis defensores illius propositionis, *facienti quod in se est solis viribus naturæ Deus certa lege dat gratiam*, addiderunt, prætendentes primò errorem Pelagianorum & Semipelagianorum contra necessitatem gratiæ prævenientis in eo situm fuisse, quod homines actibus liberi solius arbitrij facere possint aliquod meritum, vel aliquem bonum actum, propter quem Deus illis gratis auxilia conferret. Quod ex Epistola D. Hilarij ad Sanctum Augustinum probabant, & ex ipso S. P. Augustino *libro 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. ult.* ex Leone Magno *Epistola* 86. ad Nicetam; ex Sancto Prospero *contra collatorem cap. 6.* & ex Fausto *lib. 1. de gratia & humanæ mentis arbitrio.* A quo errore ut ajebant, sententia distabat illorum qui dicunt, facienti quod in se est solis viribus suis, certâ legè dari gratiam, cum expressis 244

Digitized by Google

pressis verbis negent illo naturæ opere omne meritum, etiam secundùm pietatem, respectu gratiæ & omnem valorem comparatione illius.

245 Ad hoc dicendum verum esse Pelagianos & potissimè Semipelagianos à Iuliano usque ad Cassianum & Faustum inclusivè, reipsa meritum in illis naturæ operibus, saltem secundùm pietatem posuisse, quod tamen propriè & absolutè meritum gratiæ esse contra Pelagium se negare testabantur; ut plurima eorum ostendunt testimonia, valorem etiam negabant, cum dicebant ea, nisi ampliùs adjuvarentur, nihil valere; quod in illa Epistola ad Hilarium est satis expressum; & tamen SS. Patres minùs ad eórum vocem attendendo, quâ se occultabant, eos meritum respectu gratiæ ponere convincebant. Et hoc est quod S. Hilarius in illa epistola refert; & clariùs S.P. Augustinus *oppositio loco ex libro 2. contra duas Epistolas Pelagianorum*; in quo infert meritum eos asserere ex aliis verbis quibus dicebant hominem ex se ipso habere propositum & studium virtutis, cui gratia dabatur: ex quibus Sanctus Doctor infert eos meritum ponere in illo bono proposito & studio virtutis; undè multo magis meritum inferret, si audiret certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex sola facultate naturæ. Similiter Sanctus Leo *Epist. 86. ad Nicetam*, ut notum dedimus, non dicit eos voce meritum fuisse confessos, sed potiùs illud voce negasse, cum ait, *quod tota arte fallendi nisi intelligantur, gratiam Dei secundum merita nostra dari contendunt.* Eodem modo S. Prosper *contra collatorem cap. 6. oppositio*; convincit meritum ex eo, quod ponebat Cassianus omnes qui petunt accipere, ut explanatum est supra, quia profectò si audisset certam legem, ut omnes qui petunt vel faciunt quod in se est ex solis viribus suis accipiant gratiam, efficaciùs ex hoc meritum convinceret, sicut & nos meritum esse probavimus.

246 Verum est, quod licet multoties verbis meritum negarent, aliquando tamen æquivalentibus verbis illud astruebant, cùm Faustus dixit Deum remuneratorem illius boni operis, ubi enim remunerationem posuit, ibi saltem meritum secundùm pietatem constituit.

247 Defensores autem illius certæ legis sæpiùs nominatæ, licet etiam verbis meritum negent, quod admittimus, tamen in illa certa lege de danda gratia operibus naturæ, reipsa meritum ponunt, cùm ex certa lege gratia debita illis naturæ operibus ponatur; potissimè quia per illud opus dicunt ponere in manu sua hominem salutem suam, in quo fieri illud opus prout ad salutem oportet clarè affirmant. Et rursus cum multa alia dicunt è quibus meritum inferri supra expositum est & ostensum. Qui etiam sicut & illi priores æquivalentibus verbis meritum clariùs statuerunt, cum dixerunt, rationi fuisse congruum ut talis lex statueretur; quia videlicet ratio ex parte illorum bonorum operum ita postulabat. Et cum potissimè expressis verbis fassi sunt exordium, seu initium, seu inchoationem salutis in illo bono operè naturæ esse, in quo multo clariùs etiam ut hi posteriores defensores affirmant, meritum constituerunt quam illi, quos defendendos susceperunt; & hoc ajunt convinci per Concilium Arausicanum 2. & Tridentinum, quæ pro eodem omnino sumunt exordium, seu inchoationem salutis, & meritum gratiæ.

248 Opponebant secundò quod assertores illius sententiæ, quæ dicit facienti quod in se est certò dari gratiam, satis se declarare, quod non detur gratia illa propter illud bonum opus naturale, seu ex merito illius etiam secundum pietatem, vel ex aliquo vigore, aut commensuratione seu proportione, vel dignitate aut dispositione ad talem gratiam, qui autem sic dicunt satis distant à Pelagianorum, aut Semipelagianorum errore damnato in Conciliis Arausicano & Tridentino: ubi damnantur asserentes exordium justificationis non sumi à præveniente gratia sine meritis nostris; quæ Concilia pro eodem sumunt exordium justificationis fieri non à gratia præveniente, sed à viribus naturæ & ex nobis esse meritum gratiæ.

Ad hoc respondemus hoc ultimum verissimum 249
esse quod proponunt, idem esse in Conciliis Arausicano 2. & Tridentino quod ex homine sit gratia, seu initium, seu exordium justificationis, & meritum gratiæ; prout in superioribus non semel exposuimus. Hoc inquam, verissimum est quod affirmant, sed vel ex eo solùm poterant illam sententiam, quam defendunt, nobiscum pariter condemnare, quæ tam apertè, & verbis expressis ponit in illo facere, quod in nobis est ante omnem gratiam, inchoationem & exordium salutis, publicantes quod per tale naturale opus ponit homo in manu sua salutem, secundum quod superiùs abundè probatum est. Vndè quod postea verbis aliis negent meritum, dignitatem, valorem, vim, commensurationem, seu dispositionem ad gratiam in illis operibus, quid juvat, cum tam patenter inchoationem salutis, & per consequens meritum gratiæ ex nobis constituant? fecerunt hoc etiam, ut se occultarent Pelagiani, negantes voce meritum in operibus illis; & asserentes nihil omnino valere illa opera ad salutem; & tamen reipsa initium salutis ex nobis ponebant, & ex consequenti meritum gratiæ, ut in superioribus ostensum fuit. Similiter nec obstat; quod dicant non dari gratiam propter illud bonum opus naturale; quia cum asserant ex certa lege sic operanti dari gratiam, clarè affirmant, quod omnis qui sic operatur, accipit gratiam, & ad ipsam intrat, ex quo convincit Sanctus Prosper Cassianum asserere dari gratiam propter opus naturale, & ex merito illius, quod satis supra dedimus manifestum.

Tertiò, prætendebatur Semipelagianos in illis 250
initijs ante gratiam posuisse revera valorem, & dignitatem seu vim aliquam respectu gratiæ & ex consequenti ponebant illa fieri prout ad salutem oportet, & illa esse initium & exordium salutis constituebant, ac per consequens meritum gratiæ.

Ad hoc respondemus id quidem ita esse; sed 251
pari ratione sententia, quam impugnamus, ponit revera in illo facere, quod in nobis est ante gratiam, dignitatem, valorem, seu vim ad gratiam, & illud fieri prout ad salutem oportet: & esse inchoationem & exordium salutis; & per consequens meritum gratiæ.

Sed dicunt, quod verbis expressis Semipelagiani 252
constituebant principia seu initia bonæ voluntatis ex nobis: & quod illis vim cœlestibus regnis homines inferebant: & quod suâ devotione homo ad Patris recurrebat amplexus: & quod præbebat quandam voluntatis ansulam homo, per quam comprehendi valeret, qui vocabatur; quorum duo priora Cassianus protulit; & posteriora alia duo in Fausto inveniuntur expressa; quæ tamen non sic asserta deprehenduntur expresè in authoribus illius sententiæ, facienti quod in se est &c.

Ad hoc respondemus, quod dato totum id con- 253
cederemus: nulla alia inter utrosque differentia esset, nisi quoad voces, non quoad rem ipsam: quia illi priores clarius se voce explicarunt: hi autem magis se voce occultarunt; cum tamen sive eis, sive alijs æquivalentibus vocibus idem semper ab utrisque

Digitized by Google

utrisque reipsa sit positum, videlicet aliquale meritum gratiæ in operibus illis solis naturæ viribus factis, ut visum est.

254 Respondemus secundò quod etiam authores, cum quibus agimus, expressis vocibus aliqua dicunt, quæ efficaciora & clariora sunt ad inducendum meritum in illo facere quod in se est, quam sint illa modò ex Cassiano & Fausto relata. Dicunt enim expressè esse certam legem de danda gratia operibus illis: dicunt rationi esse valde congruum quod illis naturæ operibus gratia detur, dicunt per illud naturale opus ponere hominem salutem in manu sua; dicunt per illud tale opus consequi id per quod filij Dei fiant: dicunt tandem illud naturæ opus esse inchoationem, & exordium salutis, ut relatum est. Efficaciora autem sunt hæc & clariora ad reipsa ponendum initium gratiæ, quam illa Cassiani & Fausti, ut intuenti, & illa conferenti ad invicem clarè constabit.

255 Respondemus tertiò, quod licet illæ voces superius inductæ in Cassiano inveniantur & Fausto; similiter aliæ in eis sunt expressæ, quibus priores nimirum in apparentia temperabant: si enim Cassianus dixit actum quendam bonæ voluntatis ex nobis esse, & bonæ voluntatis aliquale principium; etiam asseruit ipse illa principia nihil valere ut Sanctus Hilarius refert de ipso, & de Fausto, & alijs Semipelagianis *Epistola ad Augustinum.* Similiter verbis exposuit, & cum admiratione proposuit, ut dictum est supra, non posse hominem ex se solo aliquid facere, quod ad salutem conducat, etsi Faustus expresserit illam ansulam voluntatis, & devotionem hominis per quam à Deo sua gratia apprehenderetur; ipsemet clariùs exposuit in illis, salutis non esse initium, verba illius sunt *libro 1. de grat. & hum. ment. arb. cap. 11. Qui verò initium operis sibi præsumit arrogare vel finem, ad illum meritò dicitur; nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et tamen authores cum quibus ita tractamus, è contra verbis expressis inchoationem salutis in illo facere quod in nobis est apertè constituunt.

256 Quod autem postea addiderunt Concilia asserere Semipelagianos posuisse ex homine vigorem ad gratiam, ut patet ex Arausiano. 2. *Can.* 7. & operari hominem prout ad salutem oportet, ut constat ex eodem, & Tridentino *sess. 6. can. 3.* Id utique fatemur, sed idem omnino asserere authores istos ex eisdem Concilijs, & horum authorum verbis demonstravimus, & supra, & etiam in modo ex utrisque inductis & ad invicem comparatis.

Tertiò opponebatur S. Augustinum asserere in hoc errasse Semipelagianos, quòd ex homine ante gratiam constituebant fieri opera secundùm Deum, secundùm pietatem, secundùm religionem, seu pertinentia ad salutem.

257 Ad hoc quidem respondemus id ita esse quod & ingenuè fatemur, id enim ipsi reipsa constituebant, licet aliquando verbis se occultarent. Sed & illud est verum authores hos reipsa in illo facere quod in nobis est, cui ex certa lege gratiam promittunt, constituere opus secundùm Deum fieri, secundùm pietatem, & religionem, & prout ad salutem oportet; quod licet aliquando verbis occultent & negent, aliquando etiam id expressè fatentur, cum dicunt per illud naturæ opus ponere hominem salutem in manu sua, in quo nec clariùs opus salutis constituere potuerunt adjunctis & verbis aliis ex ipsis relatis, quæ inducta sunt supra.

258 Prætendebatur quartò Semipelagianos, aut ex Epistolis S. Prosperi & Hilarij ad Sanctum Patrem Augustinum constat, sensisse per actum solius voluntatis humanæ hominem inchoare salutem, & ipsam mereri, illis verbis, *initialis gratiæ ope meruerit pervenire*; & illis, *si principium salutis malè in homine collocatur*, & Hilarius. *Epistola alia*; *eo merito quo crediderint à suo morbo se posse salvari.* Idem patet ex *responsione Sancti Prosperi ad excerpta genuensium, responsione ad dubium 7. & alia ad dubium 9.* ubi dicit eos merita gratiæ constituere.

Ad hæc retpondemus primò sanctum Prosperum 259
& Hilarium in *citatis locis* retulisse quæ Semipelagiani reipsa ponebant, nec multum curasse, sicut revera multum curandum non est, an verbis formalibus vel æquivalentibus initium salutis, & meritum gratiæ ex nobis constituerent: nam quod ad voces attinet, aliquando in eis initium salutis & principium justificationis invenimus assertum; aliquando negatum, ut ex Fausto superiùs inducto constat, & ex Cassiano. Similiter ij authores reipsa patentissimè initium salutis, & meritum per consequens gratiæ, in illo opere naturali constituunt: licet aliquando verbis id negent, aliquando affirment, de quo nec multum curare debemus. Et quidem si, ut aiunt, qui se defendentes ista proponunt, Semipelagianos ista sensisse, inchoare hominem ex se salutem; quod ex illis verbis deducunt, *initialis gratiæ*, quomodo non advertunt suos authores formalioribus verbis asserere hominem faciendo, quod in se est inchoare salutem, seu salutis inchoationem ex se habere: imò, ut diximus, verbum *inchoatio salutis* in terminis in epistola sancti Prosperi de Semipelagianis relatum legimus. Vnum solum eis concedam, quod verbum *meritum* in hac causa in eis nusquam invenio: semel tamen in Cassiano invenitur cum de fide centurioris dixit. *Nullius meriti esset & laudis si id in eo quod Christus dederat, præstitisset.* Ergo quia Christus ei fidem non dedit, alicujus meriti fuit: quod tamen meritum ad alia salutis opera facta ex naturæ viribus nec Cassianus extendit. Sed reipsa meritum poni, cum exordium & inchoationem salutis ex nobis ascribant, & Concilia sacra & isti defensores confessi sunt.

Quintò opponebatur, quo adeò vim & pietatem 260
in illo actu Semipelagiani esse dicebant, ut meritum illius actus extenderent ad reliquum cursum salutis, saltem ut contentum in radice in illo actu; ut patet ex Hilario *citata epistola*, dicente de Semipelagianis quod senserint merito illius voluntatis consequi totum sanitatis effectum; & ex sancto Prospero *ad excerpta Genuensium responsionibus superius inductis.*

Ad hæc respondemus: quod cum ij authores 261
etiam in illo actu voluntatis facienti quod in se est inchoationem, & exordium salutis constituant, pariter in eo sicut in radice totum sanitatis effectum collocant; de ratione enim exordij & inchoationis salutis est, quod meritum sit in radice totius sequentis sanitatis, saltem secundum pietatem licet multoties totus effectus salutis non detur propter defectum ipsius hominis postmodum remissius operantis, quod alterius negotij est disputare, & infra nos id explicabimus magis.

Sextò opponebatur Semipelagianos constituisse 262
exordium, seu initium salutis in illo opere naturali: talis actus qui est initium salutis non est qualiscunque; qui quolibet modo gratiam præveniat, constat enim experientiâ plerumque aliquos actus naturales motionem gratiæ prævenientis antecedere, ut cum quis vult audire quemlibet celebrem prædicatorem; sed ille tantum actus est talis qui pius sit & proportionatus cum gratia, ut secundum pietatem ipsum accepter.

Ad hoc respondemus, quod quoties statuitur in- 263
fallibilitas

Digitized by Google

fallibilitas & ordo inter opera naturalia & gratiam ; ita quod illa præcedant, & gratia infallibiliter, seu ex certa lege sequatur ; ponuntur revera opera naturalia pia, & secundùm quod oportet ad salutem, & justificationis esse initium, sicut abundè superiùs ostensum est. Vnde si poneretur quod semper seu ex certa lege quoties quis vellet audire celebrem prædicatorem, gratiæ auxilium ei daretur, inevitabile esset, quod velle audire talem prædicatorem fieret ab homine prout ad salutem oportet, esseturque illud opus salutis exordium. Quia tamen talis lex non est, nec est necesse dicamus, quod semper audire prædicatorem sit prout ad salutem oportet ; quia potest esse quod propter curiositatem eum velit audire. Fatendum est tamen, quod cum quis illum audire vult, ut ex eo capiat salutis monita, illum velle audire aliquale salutis exordium est, & à Spiritu sancto movetur illa bonâ intentione ad audiendum, ut superius in alijs disputationibus expositum manet.

264 Deinde septimo loco sic ex ratione opponebatur : evidenti rationi & experientiæ repugnare videtur, posse aliquod objectum proponi voluntati, in quod nulla prorsus ratione, nullo actu, & sub nullo etiam naturali motivo possit tendere humana voluntas tanquam in materiale quoddam objectum. Nec est credibile damnari in prædictis Concilijs omnes Theologos, qui id posse humanam voluntatem asseruerunt. Quare Semipelagianorum error non fuit, quod voluntas suis viribus qualicunque actu vellet acceptare gratiam, sed quod id possit actu pio, & secundùm Deum, & proportionato atque revera merito aliquo.

265 Ad hæc respondemus, dicere quidem Theologos, quod & ratione & experientiâ probatur, posse humanam voluntatem in objectum supernaturale ei propositum ferri, sicut in materiale objectum, & sicut in ratione communi boni actu imperfecto, qui vel velleitas sit (sicut & de re impossibili velleitas esse potest) vel si sit actus absolutus, feratur tamen in illud sub ratione communi boni aliquo naturali motivo, ut nempe conducit, vel ad sanitatem, vel ad honorem ; vel divitias habendas ; vel quid simile ; prout agentes supra de contritione plenius exposuimus ; nec hoc Concilia sacra damnant. Sed tunc dicendum ex necessitate est, quod ad similes actus certâ lege gratia non datur, quia impertinenter fiunt, ad hoc quod ipsa detur. Vnde ista objectio ad propositum non est. Non tamen potest sola voluntas viribus suis ferri in tale objectum supernaturale, ut supernaturale est, actu absoluto, quod jam supra manet assertum contra hos authores qui contrarium affirmant.

266 Verum & illud addendum, quod cùm hi authores dicunt, quod velle recipere gratiam quomodo cunque non est actus pius, si sermo fiat, ut ab eis videtur intendi, de actu absoluto, falsissima doctrina est, quod talis non sit actus pius, quomodolibet eam velit recipere, nisi malum finem seu motivum apponat : v. g. velle absolutè recipere gratiam ut gratia est, sine dubio actus pius est, & factus ut ad salutem oportet ; quod mirum est, si etiam hoc ipsi negent, de quo, quia supra egimus, modò prætermittimus.

267 Postea concludunt opponentes Molinam, seu defensores illius propositionis, *facienti quod in se est Deus certa lege dat gratiam* ; cum nec meritum, nec valorem, nec vim, nec dignitatem, nec proportionem, nec initium salutis in illo actu collocent, longè à Semipelagianis differre ; sed & verius nos concludimus, quod cum omnia ista reipsa & æquivalentibus verbis in illo facere quod in nobis est, ponant, manifestè cum illis prioribus conveniunt, ut plenius & copiosius ostensum est.

Præterea in defensionem suam proponunt differentiam esse inter authores illius propositionis, *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, & Semipelagianos constituentes initia naturæ ex nobis, quod Semipelagiani illa initia dicebant esse dispositiones positivas ad gratiam, quod tamen negant authores prædictæ assertionis. 268

Sed ad hoc dicendum primò quod Semipelagiani occasiones esse dicebant respectu gratiæ illa initia, licet revera dispositiones essent ad gratiam, authores autem prædictæ assertionis etiam verbis dispositiones ex homine solùm ad gratiam ponere constat ex superius dictis ante quæstionem hanc, cum illam expendimus, an possit homo desiderare auxilium gratiæ & ad illud habendum satagere se disponere. 269

Postremò, prætendunt differentiam esse inter Semipelagianos & authores hos ; quia Semipelagiani inter ea, quæ homo suis viribus potest facere, inprimis annumerabant assensum Christianæ fidei salutaris, illius videlicet, quæ in scripturis exigitur : assertores autem illius propositionis, *facienti quod in se est &c.* totis viribus oppugnant hunc Semipelagianorum errorem. 270

At jam in superioribus, ut credimus, satis dedimus manifestum, authorem hujus propositionis, qui priùs his temporibus hanc certam legem de danda gratia facienti quod in se est divulgavit, absque dubio ullo tenere reipsa hominem suis solis viribus Christiana & salutari fide credere posse, quod est assentiri omnibus revelatis, & quia à Deo revelata sunt. Vnde nec in hoc reipsa ab illo errore Semipelagianorum recedit, sed potius ipsum magis latenter fundat, & propterea periculosè magis. 271

Vltimò in suam defensionem inducebant, Semipelagianos statuere illa initia naturæ gratiam obtinere, non ex meritis Christi : at authores hujus certæ legis de danda gratia illis naturæ initijs, quibus homo facit quod in se est, asserunt illa initia naturæ ex meritis Christi gratiam consequi, unde inter utrosque hæc differentia est. 272

Sed ad hoc dicendum, in hoc quidem utrosque differre, quia illi primi ad meritum Christi non confugerunt, ut gratiam ponerent naturæ debitam ; quod tamen fecit author illius certæ legis : in quo ut superius ostensum est magis ipse errat ; dum meritum Christi putat posse conducere, ut gratia sit naturæ debita, & ex consequenti non gratia. 273

CAPVT XX.

Non excusant supradictam propositionem, facienti quod in se est *& quæ tandem in ejus defensionem adduxerunt ejus defensores.*

IN superioribus etiam opposita sunt illa quæ tandem denique Pater Valentia in defensionem illius propositionis aliquando proponebat, quibus sicut & tunc Domino adjuvante satisfecimus, & nunc satisfaciendum est. 274

Dividebat primò illam propositionem in partes quatuor. Primò quod homo potest facere quod in se est. Secundò quod sic facienti gratia datur. Tertiò quod ex certâ lege reddatur. Quartò quod detur ob merita Christi. Et quia primam partem Catholicam esse dicebat.

Digitized by Google

275 Ad hoc taliter respondemus, in sensu quo ab his authoribus sumitur sustineri non posse, sentiunt namque ipsi, quod potest homo solis viribus suis desiderare gratiam, petere illam ad eam se satagere disponere; sed profecto hoc minùs ex se solo potest, ut probatum est supra. Item sentiunt posse hominem ex se solo sine gratiæ auxilio nedum audire prædicationem fidei animo eam amplectendi, & cogitandi, ac expendendi quæ ex fide proponuntur; verum certò assentiri omnibus revelatis sicut à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, at hoc nullo modo facere potest solis viribus suis. Contendunt insuper posse hominem solâ suæ facultate naturæ attritionem, imò contritionem de peccatis propter Deum summè dilectum naturæ authorem habere, cæterum hoc non posse facere abundè ostendimus supra.

276 Tandem instant posse hominem sine gratiæ auxilio mori pro servanda lege naturæ verùm hoc non posse, nisi ex sola natura martyr fieri posse dicatur, dictum & explanatum in superioribus manet. Hæc ergo omnia, quæ malè hi authores asserunt posse hominem sola naturæ facultate facere, nos constanter asserimus facere non posse, nec salvâ veritate id posse dici, ut pleniùs suis locis probatum fuit. Igitur illa prima pars, quæ tam secura proponebatur atque proponitur, in sensu quem intendunt intolerabilis est.

Secunda pars quod nimirum sic facienti quod in se est gratia detur, quam sit falsa in processu hujus disputationis monstravimus efficaciter.

Tertia quod videlicet ex certa legè donetur, tantam continet falcitatem, quanta esset apertè contendere certam legem esse de danda gratia ex debito illi operi naturæ viribus facto ut visum est.

Quarta quod nempè detur ob merita Christi Domini, quam sit aggravans prædictam assertionem non excusans, etiam manet satis expositum. Nec enim eo revertendum est, ut iterum probemus quanta absurditate meritum Christi intromittatur ad constituendam gratiam sub priori merito naturæ undè omnes quatuor propositionis partes sigillatim, & multo magis collectivè sententiam continent intollerabilem.

277 Quod autem prætendit illam certam legem nihil aliud esse quam decretum divinum de danda gratia illa in tempore sicut ab æterno dare statuit, id quidem fatemur, sed pariter confitemur, damnatam sententiam esse quod Deus ab æterno statuerit decreto suo dare gratiam intuitu operis merè naturalis ex ratione id postulantis, & ex congruitate, quod talis gratia ei reddatur; quia nihil aliud hoc cesset quam statuere Deum certò & immutabili decreto suo ab æterno dare gratiam & sic eam in tempore conferre propter merita naturæ, saltem secundùm pietatem, quod olim Semipelagiani contendebant.

278 Imò in eo quod excusare illam legem prætendit, asserendo eam nihil aliud esse quam divinum decretum de sic danda gratia, eam potius aggravat, & ostendit eandem esse in antiquioribus damnatam sententiam. Nam S. Thomas 1. *p. q.* 23. *art.* 5. in hoc docet sitam fuisse Pelagianorum sententiam, quod Deus præordinaverit decreto voluntatis suæ se daturum effectum prædestinationis, id est, gratiam, propter aliqua merita præcedentia in hac vita: si ergo propter facere quod in se est ex solis naturæ viribus Deus præordinavit; seu statuit decreto voluntatis suæ dare effectum prædestinationis, id est gratiam, ut ponitur, ponitur illa in antiquioribus relatis damnata sententia.

279 Procedebat ulteriùs supradictus opponens, & septem capita enarrabat, ex quorum aliquo poterat censeri illa propositio Pelagiana; & nullum illorum in illa propositione contineri prætendebat; quæ & brevissimè referentur; & eâdem brevitate minus excusare monstrabitur.

Ex primo capite poterat esse illa propositio Pe- 280
lagiana, aiebat, si assereret illud facere quod in se est poni meritum gratiæ: sed non poni ejus defensores in primis expressis verbis affirmant.

Ad hæc respondemus ex isto potissimo capite damnari propositionem illam, quia licet non verbis (quis enim his temporibus post tot definitiones Ecclesiæ auderet verbis dicere gratiam sub merito naturæ cadere, quia etiam à parvulis damnaretur?) sed reipsa, & per æquivalentia, quod plenè probatum est?

Sed inquit opponens, quod licet infallibiliter 281
gratia dari dicatur facienti homini quod in se est, non sequitur dari ex merito, quod triplici exemplo suadere conatur, primò infallibiliter attrito cum sacramento, vel contrito gratia justificans datur, & tamen illa atttitio, vel contritio non est meritum illius.

Ad hæc respondemus, quod licet attritio talis vel contritio non sit in rigore meritum gratiæ; est tamen gratia debita illi attritioni vel contritioni, sicut ultimæ dispositioni, ea ratione qua omnis Philosophia & Theologia docet formam debitam esse ultimæ dispositioni, & ipse Deus, qui sua prævenienti gratia sic hominem disposuit per talem attritionem vel contritionem sibi ipsi debet dare gratiam. Quod si homo ex se solo viribus naturæ sine auxilio gratiæ haberet talem contritionem ultimo disponentem ad gratiam, illi deberetur gratia ipsa ut ponenti ultimam dispositionem ad eam; imò ipse efficienter gratiam efficeret & se justificaret, ut Theologi omnes non ignorant. Si ergo his author sic philosophari vult de faciente quod in se est, jam concedet illi homini sic facienti debitam gratiam, ut ultimò se disponenti ad eam, quæ erit ipsissima Pelagianorum sententia, quæ in hoc consistit, quod gratia sit naturæ debita, quomodolibet debita ponatur, sive rigoroso merito, sive merito secundum pietatem, sive se ultimò ad eam disponenti, itaut homo incipiat & Dei gratia sequatur, ut ex S. P. Augustino diximus, & ex S. Thoma 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. dicente in hoc esse errorem Pelagianorum, quod initium sit ex nobis, consummatio ex Deo.

Secundùm apponit exemplum dicens, quod qui 282
accedit ad sacramentum recipiendum, in quo imprimitur character, infallibilem recipit characterem, & tamen illa receptio non est illius meritum, nec opus à recipiente factum characterem meretur. Verum ad hoc respondemus, verum esse quod proponitur sed pessimè applicatum, sacramentum enim imprimens characterem, utpotè baptismus (& idem erit de ordine & confirmatione) homini non contradicenti imprimitur, ut docet Innocentius *cap. majores de baptismo* sub his verbis. *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Vnde dormientibus, si in vigilia non contradixerunt, imprimitur, imò amentibus ut ibi dicitur, quod signum est manifestum non dari propter operationem recipientis, cum nec requirat illius operationem, vel voluntatem, ut patet in allatis exemplis; sed tantum quod ei per voluntatem positivè non resistatur. Cum ergo ita imprimatur infallibiliter character baptismi operanti & non operanti, volenti & non volenti, fit manifestum quod propter

voluntatem

Digitized by Google

voluntatem aut operationem recipientis non datur. Cæterùm in casu non ponitur quod ita infallibiliter gratia detur non facienti quod in se est, ac facienti, sed certa lex pro facientibus statuitur, non pro non facientibus; & ex consequenti ponitur, quod propter illud facere gratia reddatur.

283 Tertium exemplum adducebat ad idem dicens, Spiritus sanctus infallibiliter sanctitati vestræ assistit ad diffiniendas res fidei, quando vestra sanctitas voluerit; & tamen vestra sanctitas sic volens non meretur Spiritus sancti assistentiam. At huic sic respondebatur, an vult iste author quod sanctitas sua ad diffiniendum res fidei, qui est supremus Ecclesiæ actus, se ipsum moveat sine Spiritu sancto movente? Ipse ergo Spiritus sanctus, qui ex Christi Domini promissione, & merito infallibiliter suæ sanctitati assistit ad res fidei diffiniendas, sibi moventi suam sanctitatem debet ut assistat, secundùm quod Christus meruit & promisit, utrumque enim meruit & utrumque promisit, quod quando opus esset, Spiritus sanctus moveret sanctitatem suam ad diffiniendum, & ei in diffinitione assisteret, & sic cum primo capite concludimus, quod minùs obstantibus exemplis prædictis ponatur reipsa meritum in homine faciente quod in se est ex solis natura viribus, cum ei ex lege certa divina gratia promittitur.

284 Secundùm caput erat, poni errorem Pelagianorum, si poneretur in homine faciente quod in se est jus aliquod ad gratiam habendam, sed hoc non ponitur, quia solùm ei gratia dari dicitur ex meritis Christi, sicut si nobilis aliquis obtineret ab alio, ut quoties Patres Franciscani peterent eleemosinam, eis illam daret, tunc ipsi, quia incapaces sunt juris, nullum jus haberent ad illam.

Ad hoc respondebatur, nunquam antiquiores tot sophismata & cavillationes inveniſſe ad suum dogma cooperiendum & defendendum, sicut his temporibus tanto studio defendi videmus. Dicimus ergo jus reipsa poni in homine faciente quod in se est ad gratiam, cum apertissimè publicatur per illud ponere hominem salutem & gratiam in manu sua. Quomodo enim non habet jus ad gratiam, id quod eam infallibiliter ponit in manu hominis, similiter quomodo cum dicitur, quod illud facere quod in se est, est inchoatio & initium salutis, non habet jus ad consummationem & perfectionem illius? Meretur enim qui inchoat salutem, ut in illa ab authore salutis adjuvetur, & illa inchoatio ordinem habet & jus ad hoc quod perficiatur per gratiam; unde cessat exemplum de fratribus Franciscanis, qui nullum tale jus habent, nec merentur ut eis eleemosina detur, aut jus ad illam habent in casu posito.

285 Dicendum secundò quod fratres illi, licet meritum & jus rigorosum non habeant in casu posito, ut sibi eleemosina detur, tamen habere jus secundum quandam pietatem, non est denegandum, cum eum ipsi propter Deum se omnibus privaverunt bonis, & continuo orent pro dantibus sibi eleemosinam, justum est secundùm pietatem quod ab eis sustententur eleemosinis temporalibus juxta illud Apostoli. *Cum vobis spiritualia seminamus, multum est si temporalia vestra metamus.* Et secundùm illud Christi Domini *dignus est operarius mercede sua.*

286 Tertiò si in casu posito illi Patres confidentes de illis eleemosinis, quas sibi alius meruit dandas, à tali populo videlicet, alias non quærerent, & postea petentibus ab illo populo sibi non darentur, quis dubitat quod injustè fraudarentur, & merito conqueri possent de populo illo? quod est signum habere illos in tali casu aliquod jus secundùm pietatem ad obtinendum eleemosinas tales. Sic multo magis conquereretur de Deo, qui faciens quod in se est, statuta lege de recipienda gratia eam non reciperet; quæ justa quærela ostenderet jus, quod ad recipiendam gratiam haberet homo ex suppositione legis prædictæ.

Quod verò, ut prædictam propositionem ab errore excusarent, insuper addiderunt id dari hominibus ex merito Christi, ita quod illud eis Christus Dominus meruit; ut nempè eis gratia ex certa legè reddatur, quoties ipsi fecerint totum quod in se est ex solis naturæ viribus; si attendatur, nedum illam ab errore excuset, sed novo titulo magis aggravat. Sicut enim nescit justitia Dei patrocinia dare criminibus, ita nescit meritum Christi patrocinia dare erroribus. Cum enim damnata sententia sit per Pontifices summos, sacra Concilia, ac sanctos Patres, quod gratia ex certa lege sic infallibiliter detur facienti quod in se est ex solis naturæ viribus; quomodo hoc Christus Dominus dicitur mereri, aut sub ejus merito ponitur.

Dupliciter itaque hoc prætensum in hac parte 287
meritum Christi; quod cederet absque dubio in injuriam meriti Christi, præcluditur efficaciter satis; primò, quia Sancti Patres qui perpetuo in Pelagianis, & Semipelagianis hanc propositionem damnarunt (facienti quod in se est ex solis naturæ viribus infallibiliter gratia datur) nunquam ad illam excusandam ad hoc prætensum Christi meritum recurrerunt, sed absolutè, & sine distinctione aliqua illam semper condemnarunt. Quod non fecissent si vidissent illam ex Christi Domini merito posse excusari. Agentes enim Sancti Doctores tam expresso de propositione illa, illud Christi Domini meritum, si illam excusare posset, minimè tacuissent; præsertim cum statim se offerat. Imò Cassianus & Faustus, in quibus etiam illa propositio fuit damnata, Christi Domini meritum, ob quod talis gratia daretur, non negarunt; ut ex ipsorum opusculis redditur satis conspicuum. Cum ergo tot Sancti Patres, Pontifices summi, ac Concilia per tantum tempus illam propositionem in Pelagianis, & Semipelagianis absolutè damnantes nihil penitus de merito Christi ad illius excusationem præmiserint, fit manifestum talè Christi meritum illam nullo modo posse excusare; imò præter falsitatem quam ex se ipsa continet doctrina illa, nimis injuriosa redditur merito Christi, sub quo prætenditur excusari; dum illius prætextu, quasi illius pallio, cooperitur hæc doctrina, & novis coloribus palliatur.

Deindè, si hoc semel Pelagianis, & semipela- 288
gianis potissimè concederetur, quod Christus Dominus meruit, quod operibus naturæ gratia infallibiliter tribuatur; quis non videat, quod ipsi planè acquiescerent, & penitus intentum haberent. Quid enim aliud intendebant, nisi quod facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus gratia infallibiliter daretur, ut sic salus esset in hominis potestate, à quocumque, vel per quemcunque, vel quomodolibet id homo obtineret, sive ex merito Christi, sive qualibet alia via? Profecto quomodolibet de eis concederetur, suum principale obtinerent intentum, nec de hac re aliqua ipsorum cum Catholicis controversia maneret.

Sic ergo tandem argumentum proponitur: quod 289

Digitized by Google

gratia tradatur ex certa lege facienti quod in se est ex solis naturæ viribus facit gratiam jam debitam illis operibus, & ex consequenti facit quod gratia non sit gratia: ergo si Christus Dominus meruit sic homini facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, meruit quod gratia illis operibus debita sit; & ex consequenti meruit quod gratia non sit gratia. Et sic meritum Christi pugnabit cum gratia Christi. Non ne homo ex se habens jam in se applicatum suis naturæ operibus meritum Christi posset deducere, mihi sic facienti ex mea facultate naturæ quod in me est, debes gratiam tuam dare, nec mihi illam negare: quia Christus mihi meruit quod ex certa lege, si tamen ego faciam quod in me est ex solis naturæ viribus? An tale facere quod in se est non esset initium justificationis? Esset proculdubio, cum ei infallibiliter gratiæ correspondet: meruit ergo Christus quod initium salutis ex nobis ipsis sit, & non ex ejus priori nobis tributa gratia. Meruitne Christus, quod inchoatio boni operis sit ex nobis, & consummatio ejus ex Deo? Meruitne ut priùs homo det Deo, quod postea retribuatur ei? Absit. Absit ergo contendere meruisse nobis Christum, quod facientibus nobis quod in nobis est ex solis naturæ viribus ex certa lege gratia detur, seu potiùs retribuatur.

290 In tertio Capite prædictæ defensionis aiebat: quod error Pelagianus esset si in homine constitueretur initium justificationis. Ad hoc respondemus ergo quod cum ab eis dicitur, quod homo suis solis viribus faciendo quod in se est, suam inchoat salutem & justificationem, ut apertis terminis dicunt, errorem tenent Pelagianorum.

291 In quarto capite dicebatur fore quidem errorem Pelagianorum, si diceretur hominem per illud facere quod in se est, se discernere ab alio, sed hoc non dicitur in illa propositione: Imò illius defensores asserunt se hominem per illud facere quod in se est ab alio non discernere. Ad hoc respondemus quod utique per tale opus solis naturæ viribus factum homo se discernit ab alio: tum quia per inchoationem & initium salutis, quod in tali opere ponunt, manifestum est, quod initiativè homo discernitur ab alio non habente ex se tale salutis initium: tum quia evidens est quod si quæreretur; quare iste faciens quod in se est accipit gratiam & discernitur ab alio non habente illam, & ille alius non discernitur nec accipit gratiam: nulla alia prima & originalis ratio reddi posset, nisi dicendo, quia iste fecit quod in se est ex solis viribus suis, ex certa lege gratiam accepit, per quam ab alio secernitur; ille autem alius non fecit quod in se est, ut similiter gratiam reciperet & pariter discerneretur. Ideò autem hoc quod tam manifestum in illorum sententia est, vocibus negant, ne apertè Apostolo contradicant; vel intelligunt per illud facere quod in se est, hominem absolutè ac simpliciter seu perfectè non se discernere ab alio: bene tamen initiativè, sicut & initium salutis in illo opere naturæ constituunt.

292 Inducebat ille author quintum caput dicens, quod esset error Pelagianus, si diceretur, quod per illud facere quod in se est, ratio assignaretur quare Deus hunc trahat, & alium non trahat; sed, ut aiebat, hoc non ponitur, quia defensores hujus propositionis illud expresè negant. Sed respondemus id quidem ex tali propositione sequi eâdem manifestatione, quâ probatum est sequi se hominem per illud opus ab alio discernere. Quæramus enim quare iste sic faciens infallibiliter trahitur à Deo per gratiam, alius non faciens infallibiliter non trahitur, & nulla alia prior ratio poterit assignari; nisi quia iste facit quod in se est; & est certa lex Dei, ut sic faciens infallibiliter per gratiam à Deo trahatur: non est tamen talis lex de alio non faciente: igitur apertissimum est re ipsâ poni, & sola voce negari ob rationem factam.

Sextò inducebatur, quod esset error Pelagianus, si in illo facere quod in se est, poneretur positiva aliqua dispositio ad gratiam, sed non ponitur, cum hoc apertè à defensoribus illius assertionis negetur.

Verum respondemus jam supra fuisse ostensum 293
authores illius propositionis, & illius defensores expresè dixisse, posse hominem se solo satagere se præparare & disponere ad gratiam; & quod talia morali facta opera ex sola naturæ facultate consueverunt appellari dispositiones remotæ ad gratiam. Igitur ex illorum propria confessione & propriis verbis concluditur eos errorem Pelagianum defendere.

Septimo & ultimo concedebatur quod esset er- 294
ror Pelagianus in hac propositione; si ex illa sequeretur homines ideò non converti, quia nolunt: nam dicebat hoc esse contra Augustinum *epist.* 107. *ad Vitalem*, ubi putabatur id Sanctus Augustinus damnare, & pariter prætendebatur, quod nec sibi contrarius erat, cum alibi sæpe dicit, ideò homines non adjuvari quia nolunt. Nam primum dictum Sancti Augustini dicebatur procedere de gratia efficaci, secundum verò de gratia sufficienti, & sic dicta illius concordabant. Itaque asserebat prædictus author quod, cum Sanctus Augustinus docet homines non converti, non quia ipsi nolunt, sed Deus non vult, sermonem esse de gratia efficaci, quam aliquibus Deus dare non vult, & quia eam dare non vult eis, ideò illi non convertuntur. Cum autem per oppositum alibi dicit, quod non convertantur homines ex ipsis causam esse, quia ipsi nolunt converti; sermonem esse de gratia sufficiente, quam, ut dicebat, cum Deus omnibus tribuat, ideò homines non convertuntur, quia bene uti illa nolunt, ut de facto convertantur: & sic ideò non convertuntur quia nolunt.

Verum antequam ad loca inducta ex S. P. Au- 295
gustino deveniamus, & veram illorum intelligentiam expendamus, oportet ex concessis hujus authoris, quod intendimus, concludere. Ipse dicit quod si ex illa propositione, facienti quod in se est, convincitur ista negativa propositio causalis, videlicet quod ideò homo non convertitur quia converti non vult; illa propositio est Pelagiana, sed id manifestè ex illa assertione convincitur: ergo est propositio Pelagiana. Minor probatur, quia si quæramus quare iste homo faciens quod in se est recipit gratiam & convertitur; nulla alia ratio reperitur, nisi quia vult facere quod in se est, & per oppositum si quæramus, quare alius non faciens idem, non recipit gratiam, nec convertitur; nulla ratio additur, nisi quia non vult facere quod in se est; si enim vellet id facere, utique pariter ac alius converteretur: si igitur hanc negativam causalem asserere est error Pelagianus, illa propositio pelagiana est, facienti quod in se est, &c. & ex ipsorum aperta confessione, ex qua illa deducitur & convincitur.

At ex proprio ore dicimus id sequi, non re ipsa; 296
falluntur enim nimis asserendo Pelagianum errorem continere illam negativam causalem suprad-

ictam,

Digitized by Google

ctam, scilicet ideò homines non converti, quia converti nolunt. Imò est verissima & Catholica, & ita tenenda est & defendenda. Affirmativa quidem causalis opposita est pelagiana, v. g. homo ideò convertitur quia vult, & ista manifestè continetur in illa propositione, facienti quod in se est, Deus certa lege dat gratiam. Etenim quia ille vult facere quod in se est, ideò convertitur, & ideò accipit prævenientem gratiam ut convertatur. Vnde quia hæc propositio, facienti quod in se est, infert hanc aliam, quæ errorem continet pelagianum, convincitur etiam ex propria horum authorum confessione, quod & ipsa errorem pelagianum contineat. Cæterum negativa alia causalis illi opposita, nempè ideò homines non convertuntur quia nolunt, Catholica est & sæpè à S. P. Augustino & S. Thoma in terminis tradita, ut infrà in hoc libro clarissimè ostensuri sumus. Quare autem prædictus author damnet sicut errorem pelagianum hanc propositionem, ideò homines non convertuntur quia nolunt: supposito quod, ut exponit, in S. Patre Augustino invenitur expressa, & optimum sensum habet etiam secundum ipsum; istum videlicet, ideò homines non convertuntur quia nolunt, quia omnibus datur auxilium sufficiens, & ex ipsis hominibus provenit, quod non bene ipsi utantur ut convertantur; minus apparet ob quam rationem ad id inductus fuerit, nec subtiliùs, ejus intentionem in hac parte volumus indagare.

297 Concordia autem locorum S. P. Augustini non est illa, quod videlicet cum concedit homines non converti, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, loquatur de auxilio efficaci, quod aliquibus non dat, quia ita Deus vult: quod autem per oppositum ait, quod ideò homines non convertuntur, quia ipsi nolunt, loquatur de auxilio sufficienti, quod cum omnibus, ait, detur, ex hominibus est, quod eo non convertuntur. Non, inquam, hæc est concordia S. P. Augustini: in illis locis, quia ipse Sanctus Doctor (ut infrà erit aperiendum, & ex doctrina illius probandum) nunquam sensit dari omnibus auxilium sufficiens intrinsecum supernaturale ad salutem.

298 Concordia ergo illorum locorum à nobis infrà ex professo suo loco tradenda est, & nunc solum summitate ut dicitur labiorum tangenda; nimirum quod cum *epist.* 107. *ad Vitalem* dicit parvulos aliquos, qui decedunt sine baptismo quærentibus & ferè curantibus parentibus eos baptizari, non baptizari nec salvari, non quia ipsi nolunt, cum non habeant actum; nec quia parentes nolunt, cum potiùs baptismum velint & procurent, sed quia Deus non vult, intendebat frivolam responsionem Pelagianorum refellere, qui solùm in actualem usum bonæ, vel malæ voluntatis reducebant, quod homines salvarentur, vel non salvarentur. Istam falsam opinionem ibi damnat, ostendendo illos parvulos non baptizari, nec salvari, non quia ipsi, aut eorum parentes nolunt; sed quia Deus non vult illis peccatum originale remittere tribuendo baptismum, sed eos propter tale peccatum damnare. Cum autem in aliis testimoniis docet quod homines non adjuventur, in ipsis causam esse, potissimè de adultis loquitur, quia propter præcedentia peccata à Domino non adjuvantur, quod etiam est verum de parvulis, qui in casu posito sine baptismo decedunt: etenim etiam illi à Domino non adjuvantur per baptismum propter causam, quæ ex eis est, nimirum propter originale peccatum.

Similiter cum docet quod ideò homines non 299
convertuntur quia nolunt, potissimè de adultis loquitur, ex quorum culpa est, vel quod non adjuventur ut convertantur, vel quod si adjuvantur sufficienter, quia tali auxilio resistunt, ideò non convertuntur quia nolunt, ut prima causa mali ex homine sit, non ex Deo. Imò de eisdem parvulis, qui decedunt sine baptismo, procurantibus eorum patribus ut ipsi baptizentur, utrumque est verum, & quod non baptizantur neque salvantur: non quia ipsi vel parentes suo aliquo actu nolunt; sed quia Deus non vult, & quod illi ideò non baptizantur nec adjuvantur, quia in eis causa est ut non adjuventur & baptizentur: nimirum peccatum originale, quo in primo parente Deum deseruerunt, & deserti sunt; & quo in eodem primo parente noluerunt ad Deum converti atque salvari. Sed de his copiosiùs, & clariùs infrà suo proprio loco acturi sumus.

Igitur septem illa capita ex quibus sigillatim 300
prædictus author fatetur posse oriri in illa propositione sensum pelagianum inspectâ & consideratâ illa propositione, ut à suis defensoribus dicitur, convincunt singula, & à fortiori collectivè omnia prædictam propositionem sensum continere Pelagianum.

CAPVT XXI.

Non excusat, quod illam propositionem sustineant, ut hâc viâ salvent hominem in sua potestate suam habere salutem.

ILle autem finis, qui hos authores permovet ad 301
illam defendendam assertionem, nedum eam excusat, sed si attendatur, potiùs aggravat; sic enim sentire se dicunt, ut salvent habere hominem, quoties voluerit, in potestate salutem, & filium Dei fieri, ut apertis verbis proponunt. Sed iste finis sic intellectus & explicatus prauus est sine dubio, quo illos etiam priores, qui malè de Dei gratia loquuti sunt, etiam motos esse cognoscimus, ut eandem assertionem æquivalentibus verbis asseverarent, constituendo illa naturæ initia, cui infallibiliter gratia daretur. Duplex enim finis fuit in antiquioribus illis: primus fuit iste relatus; nec enim poterant intelligere quomodo aliter posita sit salus nostra in manibus nostris. Secundus ille alius fuit, quod hac via Deum omninò liberum ab acceptione personarum esse jactitabant, alias enim nec videbant quomodo id salvare valerent. Quem finem cum illis habere communem videtur Scotus, qui *in 4. sentent.* & *in 2. locis superiùs citatis* ponere videtur meritum de congruo in bonis operibus solius naturæ viribus factis, quia alias ait se difficilè posse salvare Deum esse acceptorem personarum: in quo fine pariter isti recentiores conveniunt, Ludovicus Molina potissimè, qui & solet dicere quod non salvatur aliter æquitas divina. Sed ut in præsentiarum istum secundum finem omittam, nec impugnem, cum expugnatum efficaciter per S. P. Augustinum ubique cognoscam, & per S. Thomam 1. *part. quæst.* 25. *art.* 5. idque manifestâ ratione, dum dicunt acceptionem personarum locum habere in rebus debitis jure aliquo, non in gratuitis, qualis est divina gratia; quilibet enim ex suis, & nullo modo aliis debitis cuilibet dare potest quod voluerit, altero etiam æquali, vel fortè meliori prætermisso absque ulla

Digitized by Google

personarum acceptione & solum hoc asserere, qui hoc dicuntur argumento sine dubio cum illis prioribus oppugnatoribus gratiæ convenire in motivo præcipuo, quod & advertere debebant ut evitarent.

302 Hoc ergo fine prætermisso, de quo alibi sermo consurget, hunc alium quem apertis verbis expresserunt denudare properamus; quo ex magna pietate quasi prætendunt per talem assertionem superiùs impugnatam salvari optimè, quod in sua potestate habeat homo, quoties voluerit, salutem suam. Verum ex hoc motivo seu fine moveri ad illam propositionem defendendam, potiùs ostendit majorem per hoc convenientiam esse cum antiquioribus illis relatis: siquidem nedum consentit cum illis in illa propositione, sed in fine & motivo eodem: nec solum convenitur in conclusione, sed etiam in principio ex quo eam priores illi intulerunt. Ex quo enim alio principio illi deduxerunt, quod incipiens homo bene operari per naturam infallibiliter adjuvabatur à gratia, quæ pedissequa esset bonæ illius hominis voluntatis, nisi ex eo quod debebat poni salus in manu hominis, quod non fiebat nisi gratia subsequens daretur bene operanti per naturam? Quo alio fine, aut motivo ducebantur ad statuenda illa bona initia naturæ, quibus Deus se per gratiam insereret, nisi hoc signato, quod salus debebat esse posita in manu hominis, quod tamen non videbant posse salvari, nisi statuendo hominem incipere faciendo quod in se est, & Deum postmodum adjuvare? Igitur & in assertione illius & in fine ejus convenientia est: unde finis iste non excusat, sed potiùs qualis, & quorum sit ista sententia magis denudat.

303 Præterea: quomodo dicitur, ideò facienti homini quod in se est ex solis naturæ dotibus ex certa lege gratiam debere conferri, ut sic sit salus nostra in manu nostra? An non aliter poterimus habere in potestate nostra salutem, nisi nos incipiamus bonum ex nobis, quod Deus perficiendo consummet? Absit sic debere, aut posse esse salutem in manu nostra. Non sic constituit Catholica veritas salutem in manu hominis, sed falsitas evitanda.

304 Deindè qui tam securè tamque piè asserunt, salutem debere esse in manu nostra, & ex hoc principio similem doctrinam deducunt; quomodo non vident Sanctos illos antiquos doctores contrarium omninò contra Pelagianos id ipsum contendentes apertè impugnasse; imò oppositum docuisse, etiam ante exortam pelagianam hæresim. Proculdubio ante exortam illam sic dixerat S. P. Augustinus *lib. 2. ad Simpl. quæst. 2. Quis habet in potestate sua tali viso tangi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem.* Hæc Augustini verissima sententia est: sed è contra ij authores dicunt, quicumque fecerit quod in se est ex solis naturæ talentis in expendendis rebus fidei, hoc habet in potestate ut moveatur à Deo ad fidem. Post verò exortam Pelagianam hæresim, ut illam de hoc principio pravè ab ipsis intellecto confunderet S. Doctor Augustinus *lib. de dono perseverantia cap. 13.* ex magistro suo Ambrosio sic docuit: *Non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes:* Si autem ut sententia, quam impugnamus, affirmat, est in nostra potestate nostra salus, proculdubio in potestate nostra est cor nostrum, ut ipsum dirigamus quoties voluerimus ad salutem. Similiter in potestate nostra erunt cogitationes quælibet, quæ ad salutem fuerint necessariæ, quod contra utrumque Ecclesiæ Doctorem manifestè procedit.

Qualiter autem salus nostra posita sit in nostra 305
potestate, rejectâ hac falsâ intelligentiâ præmissâ, docet Catholica veritas intelligentiam securam, quod videlicet salus nostra est posita in manu nostra, non primario sed secundario; est posita nostra salus in potestate nostra, at non præveniente divinam, sed illam subsequente; est salus nostra in potestate nostra sed adjuta priùs à divina, non autem ipsam merente, aut illam post se trahente. Hoc modo catholice dicitur quod in manu nostra est salus nostra, & sic debet à Theologo explicari, quod in terminis S. Hieronymus docuit, & veram hanc intelligentiam adhibuit *lib. 2. adversus Pelagianos* aliquantulum post principium, in hæc verba. *Ex quo intelligimus nostra non solùm esse voluntatis facere quod velimus, sed & Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem.* Non inquam, est solum nostræ voluntatis sine adjutorio gratiæ, sed nostræ potestatis est benè facere, & nostram salutem in omnibus ponere ex adjutorio Dei præventa. Hunc secundum catholicum sensum S. P. Augustinus semper docuit in omni sua doctrina, quod ut manifestissimum relinquimus: illum autem falsum primum semper, ut patet ex inductis locis damnavit.

Pari omnino ratione expugnandum est quod ab 306
his authoribus dicitur, videlicet in potestate nostra esse filios Dei fieri, nimirum ratione bonorum operum à sola natura factorum, quibus certa lege detur gratia per quam simus filij Dei. Nec iste sensus est illorum verborum Ioan. primo: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus.* Nulla enim ratione potest intelligi hoc divinum testimonium de potestate accepta, si homo operetur ex naturæ viribus, ita quod facienti quod in se est præsto illi adsit Deus ex certa lege per auxilia gratiæ ut fidem & gratiam consequatur, ut hac ratione sit in hominum potestate filios Dei fieri. Hæc enim explicatio in terminis damnatur à S. P. Augustino *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonif. cap. 2.* cujus verba superiùs relata sunt quibus & nunc addimus alia ex eodem S. Doctore *lib. de dono perseverantiæ cap. 8.* dicente. *Non itaque in hominum sed in Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filios Dei fieri: ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem quæ operetur per dilectionem.* Sicut autem expresse negat esse in hominis, sed in Dei potestate potestatem obtinendi salutem, ita & salutem ipsam. Vnde æqualiter hoc testimonium S. Doctoris damnat cum aliis duobus inductis præcedentem propositionem, quod in potestate nostra sit salus nostra ponenda.

Sanctus Anselmus *ad Rom. 9.* explicans illud *O* 307
homo tu qui es, qui sic respondeas Deo, dicit, potestatem fieri filios Dei non in homine, sed in Deo esse. Sanctus Ambrosius *lib. 4. de fide cap. 4* explicans illud testimonium Ioannis, in Deo non in homine collocat potestatem filios Dei fieri. S. Athanasius *serm. 3. contra Arrianos*, & S. Cyrillus *lib. 1. in Ioan. cap. 4.* dicunt hanc potestatem ex gratia haberi, non ex natura, & tamen si faciens homo quod ex natura quod in se est haberet propterea potestatem fieri filium sine dubio originaliter, & primò non ex gratia sed ex natura, talis potestas in homine est.

Videatur S. Gregorius *homil. 6. in Ezechielem.* 308
Iansenius in *concordia ad illum locum Ioan.* Cajetanus *tentaculo 5.* Sed præcipuè S. Thom. *in eodem loco Ioan. 1.* Qui omnes glosis ad eundem locum, ipsum interpretantur de potestate quâ homo filius Dei fit, non habitâ ex naturæ viribus, aut propter eas hominibus

Digitized by Google

minibus reddita, sed iis, quibus eam dare Deus vult, gratiosissimè collata, unde verba Sancti Thomæ sunt. *Quoquot receperunt eum, id est omnibus in eum credentibus*, prout etiam S.P. August. exposuit *lib. 1. ad Bonif. cap. 2.* dicitur enim quod sui, ideſt, Iudæi eum non receperunt, ideſt eum non crediderunt, quotquot autem per fidem in eum credentes, receperunt eum, eis dedit potestatem fieri filios Dei. Cum autem nullus eum recipere per fidem possit, nisi pater æternus illum per fidem ad Christum traxerit; quia fides est donum Dei, sit manifestum, quod dedit Christus potestatem filios Dei fieri illis solum quibus & fidem dedit per quam eum receperunt, non aliis qui solis suis viribus quidquam quodcumque illud sit, effecerunt. Planè contra apertam litteram & communem SS. Patrum intelligentiam illum locum in adulterina, & olim damnata explicatione per Sanctum Patrem Augustinum *relato loco* his temporibus quidam commentantur.

309 Super est postremo aliam evasionem præcludere prætensam ex illo alio loco. *Qui vult omnes homines salvos fieri*; ex quo sic author concordiæ in ipsa disputatione 10. argumentatur: *Quod si conantibus ex suis naturalibus, facientibusque quod in se est, vel ut fidem amplectantur, vel ut de peccatis doleant, Deus non est semper præsto per auxilia & gratiam prævenientem ut actus sint tales, quales ad salutem oportet; quanam ratione verum erit Deum velle omnes homines salvos fieri, eaque ratione acceptum coram eo esse, ut obsecrationes, orationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus fiant, ut eo loco Paulus docet. Vnde Ambrosius vult omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, nam utique qui legem omnibus dedit nullum excepit à salute.*

Perperam autem ad fundandam illam certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus hoc inducitur testimonium, quod idem olim à similia sentientibus passim novimus, introductum; quasi in his verbis ex Apostolo relatis damnatus ille sensus contineatur, quo contenditur gratiam Dei secundum priora hominum merita dari facientium ex solis suis naturæ viribus quod in se est, ut illam mereantur recipere, aut hoc modo velit Deus omnes homines salvos fieri pro meritis videlicet ipsius initij salutis, quod ipsi non nisi ex se ipsis Deo præbuerunt. Perversa hæc intelligentia magno ac eximio prædicatori gratiæ apostolo Paulo apertè est contraria, qui nec cogitare aliquid ex nobis sicut expedit ad salutem nos posse affirmat, nec aliquid habere quod à Deo non accipiamus, in quo quasi non acceperimus, possimus in nobis & ex nobis gloriari; cum ipse Deus operetur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

310 Legitima autem intelligentia illius testimonij multiplex, à nobis exposita est 2. *nostro libro*, in quo ex professo illud exposuimus, hac perversâ rejecta, quæ ibi videnda sunt similiter ibi verum sensum intensum ab Ambrosio expositum dedimus, quod nimirum Deus vult omnes salvari, si volunt, id est non nolentes, ita tamen quod in quibus ipse sibi placet verè faciat ut velint, itaut totum Deo detur, & initium & finis salutis nostræ quod perficiendo in nobis complet, quod ipse cepit bonum ex nobis operari pro bona voluntate.

311 Sed opponet aliquis ex alio scripturæ testimonio, scilicet ex illo, *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci*, ubi Apostolus reddit causam, saltem conditionalem, quare fuerit misericordiam consequutus, quia nempè ex ignorantia peccavit, & sic ex parte sua habuit aliquid quo obtineret misericordiam, nempè commisisse peccatum ex ignorantia, non ex certa scientia, ita ut peccatum ex ignorantia commissum, quatenus fuit impeditivum alterius gravioris, nempè facti ex scientia, ratio fuerit vel saltem conditio ut à Deo misericordiam consequutus fuerit.

Ad quod tamen dicendum, nec id intendisse Apo- 312
stolum, nec ab aliquo sic commodè posse explicari. Cum enim Pauli peccatum persequendo Ecclesiam ex ignorantia grave fuerit, licet non ita grave ac sic ex certa scientia processisset, ac proindè nullo modo misericordiam peteret, sed punitionem, quomodo dici potest illud fuisse causam ut à Deo Paulus misericordiam fuerit consequutus, non igitur iste potest hujus testimonij esse verus sensus.

Vnde legitimus illius sensus est, quod verbum, 313
quia, nec causam dicit, rationem vel conditionem misericordiæ consequutæ, nec ad consequutam misericordiam referatur sed tantum rationem suæ ignorantiæ assignet, cum eo tempore quo Ecclesiam persequebatur, non ex malitia faceret, sed quia ex ignorantia putabat se obsequium præstare Deo. Hanc expositionem insinuat Hugo Cardinalis *ad illum locum*, cui alij consentiunt; ita explicans, misericordiam consequutus sum quia ignorans feci, id est certè ex ignorantia feci, itaut verbum, quia potius sit verbum assertivum, quam causale.

Secunda etiam legitima expositio traditur *ubi su-* 314
pra ab Hugone & adducitur à Sancto Thoma *super primam ad Timotheum cap. 1.* dicente: *Misericordiam consequutus sum quia ignorans feci, id est facilius sum misericordiam consequutus, quia non ex certa scientia, sed per ignorantiam peccavi*, faciliùs enim peccata ex ignorantia dimittuntur, quam ex malia aut certa scientia, quia ut dici solet ignorantia excusat à tanto non à toto. Vnde Sanctus Thomas ubi supra loquens in persona Apostoli, ait, *sed ex parte mea aliqua est excusatio, quia ignorans feci, hoc est per ignorantiam, quia si scirem non facerem.*

In qua etiam explicatione verbum, *quia*, non di- 315
cit causam, rationem, vel conditionem misericordiæ consequutæ, sed solùm non tantam ad divinam misericordiam repugnantiam, quantam habet peccatum ex certa scientia, quod magis divinæ misericordiæ obstat; licet talem ac tantam habeat, cum verè mortale peccatum sit; ut nullo modo petat misericordiam, sed solum vindictam. Itaque non quia ex ignorantia peccavit misericordiam fuit consequutus, cum vindictam postulat, sed quia Deus voluit misericordiam conferre ut patet in aliis similiter peccantibus ex ignorantia, quibus tamen Deus misericordiam non tribuit. Imò illis relictis in leviotibus peccatis, ut ostendat divitias gratiæ suæ, aliquando graviores peccatores ex certa malitia delinquentes ad pœnitentiam suâ misericordiâ & gratiâ vocat. Nihil ergo est in hoc testimonio, si rectè intelligatur, quod adversarios possit juvare.

Non obstat tandem si dicatur frustra esse prolo- 316
quium hoc, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, si illa non datur, quando facimus ex viribus naturalibus quod in nobis est. Ad hoc enim dicendum multum quidem conducere ad gratiam Dei habendam, & auxilium ipsius facere quod potest homo ex viribus suis benè operando & à peccatis abstinendo, quia sic se exercendo in bonis operibus aufert in primis à se magnâ ex parte pravam

Digitized by Google

pravam inclinationem ad peccandum. Rursus multò minora impedimenta gratiæ apponit, & multoties Deus ex sua misericordia ei subvenit. Tertiò quidem, quia minus ineptum, & indignum, minusque repugnantem Deo se ostendit, decetque divinam misericordiam ut comparatione alterius, qui in malis operibus versatur, magis illi se communicet, nisi ex altiori Dei judicio magis divina misericordia resplendeat in subveniendo majori peccatori minore dimisso, quod & plerumque Deus efficit, ut ostendat gratiam suam veram esse gratiam & nulli debitam. Et tandem quia illa bona opera, licet nullam connexionem habeant cum gratia, indignusque sit positivè qui ea efficit divinâ misericordiâ tamen ipsa bona opera, quia secundum se bona sunt, quasi provocant divinam misericordiam ut Deus peccatoris misereatur, unde hac ratione videmus ea in divina scriptura commendari secundùm illud *peccatum eleemosinis redime*, &cætera similia.

317 Quod si dicatur quod de eleemosinis scriptum est, quod à morte liberat, & à peccatis, & quod misericordiam consequitur, & quod non patitur animam ire in tenebras. Item 1. Thimot. 4. *Pietas autem ad omnia valet*, superque verba ita habet Glossa Ambrosij. *Omnis enim summa disciplinæ nostræ in misericordia, & pietate est quam aliquis sequens si lubricum carnis patitur vapulabit, non tamen peribit.* Quod expressius tradi videtur Eccles. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua & eleemosina resistit peccatis*, & *cap.* 17. *eleemosina viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem.* Quasi sacculus cum ipso dicitur, quia sicut homo in sacculo abscondit panem ut tempore necessitatis sustentetur, ita eleemosina, quæ in præsenti quasi pupillam servat hominis gratiam, & in futuro consurgere dicitur, & retribuere, quia in judicio propter eleemosinam homines præmiantur, ut habetur Matthæi 25. unde Matth. 5. dicitur, *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quibus certa lege videtur promitti gratia facienti eleemosinam, etiam existenti in peccato; ergo per tale opus bonum peccator certa lege gratiam consequitur.

318 Ad hoc dicendum primò quod ista possunt intelligi dicta fuisse de eleemosina facta ab existente in gratia, sicut erat Tobias, cui ista ab Angelo dicebantur, & dicitur à peccatis liberare, id est à pœnis illis debitis, cum ipsa eleemosina satisfactoria sit pro illis.

319 Vel secundò, possunt etiam intelligi de eleemosina facta à peccatore moto auxilio gratiæ divinæ per quod disponitur ad pœnitentiam, & ad liberationem à peccatis. Imò etiamsi fiant ex naturali pauperum compassione, ut frequenter ab homine fiunt (versatis enim in eleemosinis, & non facienti unam vel alteram promittunt scripturæ testimonia allata, quod à peccato liberentur) fiunt sine dubio non ex solis naturæ viribus, sed ex divino auxilio. Et de talibus frequenter, vel semper versatis in faciendis eleemosinis, ab auxilio gratiæ motis ad illa facienda procedunt, & intelliguntur prædicta testimonia, itaut duo sint certa; primum sic facientes eleemosinam à Deo veniam impetrare peccatorum, ut testimonia scripturæ allata testantur. Secundum homines illos qui veniam impetrarunt delictorum propter eleemosinas, non nisi ex divinæ gratiæ auxilio ad id fuisse motos, ut probatum reliquimus, & non ex solo libero arbitrio, ne videantur illi aliquid priùs dare Deo ut retribuatur ipsis, & ne in nobis sit aliquod initium obtinendæ gratiæ.

Possunt tertiò intelligi de eleemosina facta à 320
peccatore solis suis viribus propter naturalem quandam compassionem, & tunc dicitur eleemosina à peccato, & perditione liberare, & ad omnia utilis esse, quia hominem in peccato mortali, in statu viæ existentem liberat à peccato dupliciter, vel impediendo futurum peccatum, si homo in gratia est, sicut & alia opera meritoria, quæ hominem à peccatis futuris præservant; vel à peccato præterito liberando in quantum disponitur, qui jam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam. Ita S. Thom. in 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *ad* 5.

Sed hoc secundum, quod nimirum disponatur 321
peccator ad gratiam recuperandam, ita est intelligendum, non quod eleemosina à peccatore Solis naturæ viribus facta per se, & immediatè hominem disponat, vel ad habitualem gratiam, vel ut ei infallibiliter prævenienti gratia donetur, nec enim sic liberat à peccato, nec sic intelligi possunt supradicta scripturæ testimonia; sed quod liberat à peccato & disponit ad recuperandam gratiam inquantum homo peccator benefaciendo, & dando eleemosinas inducit pauperem ad orandum pro se, & Dominus donat peccatoribus gratiam precibus justorum, quatenus eis per orationes pauperum impetratur venia peccatorum, & sic à morte, & perditione liberantur, quia homo in gratia existens, licet non de condigno; potest tamen de congruo peccatori primam gratiam impetrare. Sic exponit supradicta scripturæ testimonia & inductam sententiam Sancti Ambrosij, Sanctus Thomas 1. *ad Thimot.* 4. *sect.* 2. super illa verba, *pietas ad omnia utilis est.* Vnde cum existentes in gratia possint de congruo primam gratiam peccatoribus impetrare, & aliquando impetrent, docent supradicta scripturæ testimonia, quod de facto orantes justi pro dantibus sibi eleemosinas, eis impetrant veniam & gratiam, & sic dicunt, quod eleemosina à morte liberat, & quod extinguit peccatum, sicut aqua ignem.

CAPVT XXII.

Non asserere S. P. Augustinum in locis quæ inducuntur, quod Deus gratiam det ex certa lege facienti quod in se est ex solis viribus suis.

TRiginta Doctores, qui hanc propositionem de 322
danda ex certa lege gratia facienti quod in se est ex sola naturæ facultate defendebant, pro se habere publicabant authores, cum quibus agimus. Et omnium primò, eam non esse contra mentem Sancti Patris Augustini contendebant, asserentes, quod licet in libris ejus hanc certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, non inveniant, non tamen reputant esse contra ejus mentem, tum quia multi graves Doctores eam tenent, qui se discipulos, & sectatores S. Augustini profitentur, ex quibus non obscurè apparet esse consonam menti illius.

Ad hæc respondemus satis ex superioribus reddi 323
manifestum nihil magis damnasse S.P. Augustinum in libris contra Pelagianos, quam similem legem, utpote quæ gratiam non salvat, sed eam debitâ operibus naturæ constituit non solum ergo nõ invenitur

lex

Digitized by Google

lex talis in libris S. Doctoris Augustini, (quod iam expresè hi Authores fatentur) sed millies in libris eius invenitur damnata: nec est verum Doctores, qui se fatentur S.P. Augustini discipulos esse & sectatores doctrinæ illius, hanc sententiam defendere, ut constabit inferiùs, magisque falsum est loca esse in S.P. Augustino, quæ huic fauere possint sententiæ, quantumvis summo studio ab omnibus his authoribus fuerint cumulata, sed quâ falsitate iam aperiendum venit.

324 Expendemus, inquiunt, primò loca quibus appareat sententiam hanc non esse contra mentem S. Augustini, sed potius de eius mente.

Et nos in eisdem obiectis locis, monstrabimus nihil tale S. P. Augustinum in eis docere ostendentes, quam sinistrè & extortè contra propriam litteram inducantur.

325 Primus locus est ajunt, ex *lib. 3. de lib. arbit. cap. 2.* ibi *non in re* vsque ad illud, *Quod accipit*; sub istis enim propriis verbis abbreuiatis inductus est locus cum sequentibus.

Ibi tantum dicit quod non est parumper iudicium naturale sine meritis acceptum præponere sapientiam errori, & quietem difficultati, quod si facere noluerit, rea erit peccati. Sapientiam enim naturalem poterat Cicero præponere errori, quod si non faceret, peccaret. Ex hoc unde sequitur, quod sic facienti Deus ex certa lege daret gratiam? Quæ illatio est ista, ut à Theologis proponatur?

326 Secundus locus adducebatur, *ex libro 19. de ciuitate Dei cap. 13.* illis verbis *Deus ergo*, vsque ad finem capitis. Hæc fuerunt illorum verba, sed quia aliquid magnum contigit cum iste locus expenderetur viuæ vocis oraculo ab eis, ideo illius verba ad longum referemus: sic habet textus ille: *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor & iustissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum dedit hominibus quadam bona huic vitæ congrua ideſt, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute, & incolumitate, ac societate sui generis & quaque huic paci vel tuenda, vel recuperanda necessaria sunt, sicut ea, quæ apta ac conuenienter adiacent sensibus lux ista visibilis aura spirabiles, aqua potabiles, & quidquid ad alendum regendum curandum ornandumque corpus congruit eo pacto æquissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè vsus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem eique conuenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo, qui autem perperam nec illa accipiat, & illa amittat.* Hæc sunt Sancti Patris Augustini verba: instantia autem tota fiebat in illis verbis, *pacto æquissimo*, ex quibus dicebant planum esse Sanctum Patrem Augustinum dicere, quod benè vtenti rebus temporalibus dabantur pacto æquissimo, seu certa lege æquissima, maiora, & præstantiora, nempe auxilia gratiæ, & gratia ipsa, & etiam immortalitas honor & gloria.

Circa ista verba expendemus nihil in ipsis haberi quod illi certæ legi fauere possit. Deinde quomodo aliquando viva voce fuerint ponderata. Quid autem expendenti acciderit, quia & in Vrbe & in Orbe factum est publicum aliis relinquemus referendum. Quantùm ad primum verba relata nihil penitus certæ illi legi de danda gratia facienti quod in se est, nec illa verba, *pacto æquissimo*, à longe hoc insinuare ex ipsis constat. Nec enim in eis dicitur, quod Deus pacto æquissimo dat gratiam bene vtenti temporalibus, sed tantum, quod bene vtenti temporalibus (scilicet ex gratia vt sequenti cap. idem Sanctus Doctor exponit) Deus pacto æquissimo dat potiora bona. Et quæ illa sint explicat addendo, scilicet *immortalitatis pacem*, & cætera, quæ sequuntur. Ac si clariùs diceret, quod bene vtenti temporalibus secundùm diuinam legem per Dei gratiam Deus pacto æquissimo, & certa lege dat in præmium vitam æternam. Quod autem iste sit planus sensus, patet ex verbis relatis & ex sequenti capite in quo postquam præmiserat præcedentis capitis doctrinam continuando quod anima rationalis debet mente aliquid contemplari & secundum hoc aliquid agere, ut sit ordinata cognitionis actionisque consensio, quam pacem rationalis anima dixerat, hæc protinus verba subdit. *Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in pestem alicuius erroris incurrat, opus habet magisterio diuino cui certus obtemperet, & adiutorio, ut liber obtemperet;* Potuit ne apertius sanctissimus Doctor explicare, quod indigeat homo ad bene utendum rebus temporalibus diuino adiutorio, quam verbis allatis? potuit clarius dicere, quod pacto æquissimo Deus dat potiora bona, scilicet immortalitatis pacem, & gloriam bene vtenti temporalibus rebus ex adiutorio diuino? Manifestum est ergo in illis verbis nullo modo dici vel insinuari, quod gratia detur pacto æquissimo seu ex certa lege facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, vel ex sua sola facultate naturæ rectè vtenti temporalibus.

Vt autem vnum tantum verbum dicamus de secundo puncto proposito: aliquando, qui prædicta verba Sancti Augustini voce expendebat, sic legebat in libro: *Eo pacto æquissimo ut quicumque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis, rectè vsus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem.* Itaque cum verba habeant, *accipiant ampliora atque meliora scilicet ipsam immortalitatis pacem*, ipse legendo in libro, ablato verbo *scilicet*, & loco illius posita particula, & copulatiuè legebat, modo relato: Et tunc sic expendebat: rectè vtenti ex suis viribus rebus temporalibus, æquissimo pacto dicit Augustinus Deum dare meliora, & ampliora bona gratiam nempe, & etiam immortalitatis pacem.

Cum autem sic legeret ablato uno verbo, & 327
alio appositio, ego cui respondere incumbebat, etiamsi librum præ manibus non haberem recordatus tamen sum non sine peculiari adiutorio diuino, quod in illo loco Sancti Patris Augustini non erat illa copulatiua, & sed potius verbum, *scilicet*, explicatiuum priorum, & confidenter dixi legentem truncasse verba Sancti Augustini, & ablato uno verbo, quod in Sancto Patre Augustino erat, de suo cerebro apposuisse aliud: instabamque, ut daretur mihi idem numero liber in quo ipse legerat, & quod in illo ostenderem ipsum legisse, & imposuisse literæ Sancti Augustini, quod in ipsa non erat cum præceptum fuisset, ut idem liber numero mihi daretur, in ipso legi provt verba habent sine copulatiua, & per verbum *scilicet*, & continuaui explicationem sanctissimi Doctoris Augustini (ut modò relatum est) & sic apertissimè constitit, nihil prorsus illa verba fauere illi certæ legi, imò illam expugnare, cum adiutorium diuinum intromittant ad sic faciendum quod in se est, ut sic

Digitized by Google

facienti ex diuino adiutorio detur immortalitatis pax æquissimo præmio, seu certa lege. Fuit etiam manifestum, quam falsò legeret qui pro se inducebat testimonium. Quid autem sic legenti publicè coram omnibus contigerit, est satis notum. Nec enim potuit ampliùs doctrinam suam vel defendere, vel sanctum Patrem Augustinum legere, vel citare.

328 Tertius locus inducitur ex *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17.* ibi *cum voluntas humana,* vsque ad illud, *non in Deo.*

Solùm ibi dicit S. P. Augustinus, quod diuina gratia adiuuat hominum voluntates vt non peccent; à qua si non adiuvantur in ipsis causa est saltem propter peccatum originale, vt aliàs expositi per quod illa certa lex de danda gratia impugnatur. Nec licèt inferre, nisi cum Pelagianis velimus conuenire, in hominibus causa est quod non adiuventur. Antecedens enim verum est & Catholicum, consequens Pelagianum, vt suo loco dicemus, & iam satis explicauimus.

329 Quartum testimonium inducitur *ex lib. de spiritu & littera capite 35.* Ibi, *monuit te*, vsque ad illud *diuinam*, adiunctis his, quæ habentur *eodem libro capite 36.* ibi, *sed dici potest quidem,* vsque ad illud *deputandum est.*

Ibi tantùm dicit quod voluntas potest esse sine peccato gratiâ adiuuante diuinâ si voluntas ei non desit, à qua adiuuatur vt bona sit, vt ibi dicitur. Ex hoc autem non licèt inferre quod hoc modo potest voluntas esse sine peccato quatenus si ipsa fecerit quod in se est solis naturæ viribus, certa lege gratiâ adiuuabitur diuinâ, sed quod priùs adiuuatur gratiâ diuinâ, vt sic faciat quod in se est, quantum ad hoc, quod est posse esse sine peccato. In secundo testimonio ex *capite 36.* nihil habetur, quod vel à longè hanc materiam tangat, vt intuenti constabit. Ibi enim solum dicitur verbis inductis, quod ad fidem pertinet, ne peccet; non tamen tam perfectè sicut pertinet ad perfectam cognitionem patriæ, nullo modo omnino posse peccare.

330 Quintum testimonium inducitur ex *libro tertio, de libero arbitrio, capite 19.* illis verbis, *cum verò vbique sit præsens*, vsque ad illa, *nec laborat.* Verba eius sunt respondendo illis qui conquerebantur se ex impotentia non posse bene agere; rectè enim fortasse, quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: *cum vero vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras, nec illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Et statim. *Nulli enim homini ablatum est scire vtiliter quærere, quod inutiliter ignorat & humiliter confitendam esse imbecillitatem vt quærenti, & confitenti ille subueniat qui nec errat, dum subuenit, nec laborat.*

In hoc testimonio S. P. Augustinus non dicit, quod illud auxilium, quodcumque illud sit, detur homini facienti, quod in se est naturæ viribus; imò dicit quod Deus per illud auersum vocat; non autem quod detur illa vocatio propter opus priùs solius naturæ viribus factum: vndè inutiliter & extra propositum adducitur. Quis autem sit illorum verborum sensus, & de quo auxilio ibi loquatur, quod & omnibus vi-

detur tribuere, vt patet ex illis subiunctis verbis: *Nulli enim homini ablatum est scire vtiliter quærere:* dicemus infra illam discutientes quæstionem, an auxilium gratiæ sufficiens omnibus in vniuersum detur, quam hoc testimonium magis tangere videtur.

Sextum testimonium inducitur, *ex lib. de natura & gratia c. 67.* ibi: *Hinc iam* vsque *sanari cõtendis.* 331

In hoc loco refert, & approbat & magis explicat relata verba in præcedenti obiectione ex *libro de lib. arb.* Vnde ad hoc testimonium idem dicendum quod ad præcedens.

Septimum testimonium citatur ex *tract. 2. in Ioan.* ibi *opus est*, vsque ad illud *præsens est tibi.* 332

Ibi tantùm dicit quod si homo stat & non deserit Deum, Deus non deserit illum, ille autem qui facit, quod in se est naturæ viribus, cum aliàs in peccato sit, iam Deum deseruit. Vndè non mirum si Deus deserat illum, ei suam gratiam non tribuendo.

Octauum testimonium citatur *ex lib. 2. meditation. c. 10.* ibi *semper præsentem.* 333

Ibi tantùm dicit, quod Deus est omnibus præsens, & se paratum omnibus offert, quantùm de se est, nisi illi impedimentum ponant: Qui autem facit quod in se est naturæ viribus, cum aliàs sit in peccato, vel actuali solùm, vel Originali, & actuali simul, impedimentum gratiæ ponit; vnde ei certa lege gratia non datur.

Nonum testimonium adhibetur *ex libro de vera & falsa pœnitentia,* ibi *Deus enim.* 334

Ibi tantum dicit, quod Deus qui omnes vocat, neminem deserit, nisi deserentem se: Sed qui facit in se est modo prædicto vt dictum est Deum priùs deseruit; vnde iustè deseritur à Deo si ei gratiam non tribuat.

Decimum testimonium inducitur *ex sermone 3. de verbis domini* ibi *cupit enim.* 335

Ibi tantum dicit quod Deus cupit nolentibus subvenire, desiderat misereri voluntate nempe illa antecedenti & inefficaci, quia vult omnes hominès saluos fieri, vt 2. *libro* plenius exposuimus; sed voluntate consequenti attentis omnibus in particulari hîc & nunc pluribus peccatoribus, licèt faciant ex naturæ viribus quod in se est, iusto iudicio gratiam subtrahit, ipsos propter alia præcedentia peccata puniendo.

Vndecimum testimonium inducitur ex *concione prima super Psalm. 32.* illis verbis, *hortatur pigros,* vsque ad illa *clamantem se.* 336

Solùm dicit quod Deus hortatur pigros, & consolatur afflictos, quod optimè potest intelligi per Scripturam sanctam, & auxilia externa, quæ omnibus communia sunt, similiter dicit, quod Deus neminẽ deserit nisi priùs fuerit desertus sicut reuera fuit à peccatore, licèt faciat quod in se est postmodum. Vnde iustissimè ei gratiam negat propter præcedens peccatum, quo se impediuit, quamuis in aliquibus magna misericordia indebita vincat tale impedimentum eis gratiam concedendo.

Constat igitur nullo modo nullaue ratione in allatis testimoniis, vel illorum aliquo S.P. Augustinum aliquid dicere, in quo rectè possit fundari lex illa certa de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, quam acrius expugnauit contra Pelagianos vt apertissimè ex ipso Doctore sancto probatum est. 337

Post allata testimonia alia octo induxerunt ex eodem Sancto Doctore, quibus probant S. Augustinum sentire Deum non negare vlli gratiam nisi propter eius obicem, vel demerita.

Primum

Digitized by Google

338 Primum est ex *libro de dono perseuerantiæ c.6.* ibi, *At enim voluntate sua*, &c.

Dicit ibi quod voluntate sua quisque deserit Deum vt meritò deseratur ab illo, quod verificatur de peccatore, qui aliàs facit quod in se est; per præcedens enim peccatum Deum deserendo meruit, quod deseratur ab eo, & non quod ei Deus gratiam tribuat.

339 Secundum inducitur ex *eodem libro de dono perseuerantiæ c.11.* ibi *quem vult obdurat*, vsque, *præcedentibus meritis.*

Dicit ibi, quod Deus obdurat præcedentibus meritis, sed aliquando cum eo, cui miseretur cõmunibus, & sic si aliquid probat est quod aliquando facientem quod in se est, ex præcedentibus demeritis deserit Deus miserendo alterius, qui eadem habet demerita cum illo communia.

340 Tertium inducitur ex *libro de gratia & libero arbitrio cap.21.* ibi *ac per hoc*, vsque, *paterentur* in fine capitis.

Ibi solùm dicit, quod quando legimus in diuinis literis Deum obdurare aliquem, non dubitamus mala merita præcessisse quod ad propositũ non facit: vel si obduratur faciens quod in se est per negationem auxilij, non dubitemus mala illius merita præcessisse.

341 Quartum inducitur ex eodem *libro c.23.*

Ibi dicit quod obduratur quis ex merito præcedentis peccati & quod gratia datur sine meritis, in quo damnatur illa certa lex de danda gratia operibus naturæ.

Quintum inducitur ex *lib. de prædestin. sanctorum c.14.* ibi *iusto iudicio non datur.*

342 Ibi tantùm dicit quod ex parvulis alius per misericordiam & baptismum assumitur, alius autem iusto iudicio relinquitur propter peccatum originale puniendum, sic faciens quod in se est, si sit in Originali vel actuali peccato, iusto iudicio relinquitur, etiam si alius ex misericordia assumatur.

343 Sextum adhibetur ex *epist. 106. ad Sixtum*, ibi, *obdurat autem iustissimo merito.*

In tota Epistola tractat, quod ex duobus parvulis æqualibus alium ex misericordia assumit, alium ex iusto iudicio derelinquit: sic potest etiã pari ratione dici, quod ex duobus æqualibus peccatoribus facientibus quod in se est, alteri Deus dat gratiam ex misericordia; alteri eam negat ex iudicio. Vnde non est certa lex quod semper sic facienti detur.

344 Septimum adhibetur ex *sermone 88. de tempore*, ibi *hoc*, vsque ad illud, *deseratur.*

Ibi tantùm dicit, quod fideliter & formiter est credendum quod Deus neminẽ deserit, nisi priùs deseratur ab eo. Quod, vt diximus, potiùs contra hæc obijcientes facit: ille enim sic faciens quod in se est, priùs Deum deserit.

345 Octauum inducitur ex *enarratione in Psal. 50.* super illud *Auditui meo dabis gaudium* ibi *paratus est Deus.*

Ibi dicit quod Deus paratus est dare indulgentiam aperienti sinum confessionis, factæ videlicet ex diuina gratia, non ex solis naturæ viribus.

346 Ex istis octo locis inductis constat apertè, quod Deus dat gratiam non ponentibus obicem, sed multiplex obex est, vel solum originale, vel cum illo simul actuale, vel resistentia adhibita diuinis inspirationibus, qui obices non tollũtur per hoc quod homo faciat viribus naturæ quod in se est. Vnde non est infallibilis lex quod Deus sic operanti & habenti obicem det gratiam.

347 Insuper tertio loco alia ab eis opponuntur testimonia S. P. Augustini, quibus nituntur suadere, quod non negat potestatem obtinendæ salutis per facultatem naturalem nisi ad credendum, & alios pios actus & meritorios.

348 Primum testimonium inducitur ex *lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 3.* ibi *sed ne fortè.*

Ibi damnatur istorum sententia cum illa antiquorum contendentium posse hominem per actus naturales ponere salutem in manu sua.

349 Secundum est ex *libro de prædestin. sanctorum c.10.* ibi, *nisi enim homo:* & quia aliquid est dicendum circa istum locum, verba referimus, talia enim sunt: *Nisi enim homo faciat, quod Deo non donante, ad hominem pertinet non faciet ipse quod donet, hoc est, nisi habeat homo fidem ex se ipso non implet Deus, quod promisit, ut opera iustitiæ detur ex Deo, ac per hoc ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei sed in hominis potestate.*

In istis verbis potius oppugnatur illa certa lex de danda gratia facienti, quod in se est ex solis naturæ viribus; quia iam ipse faceret, ut impleretur quod Deus promisit & in hominis potestate esset, ut promissa sua Deus impleat. Quod & aliqui ex istis authoribus, ut visum est supra, concesserunt dicentes, per id ponere homines in sua potestate salutem. Quod tamẽ statim his verbis damnat S. Doctor: *Quod si veritas, & pietas nos credere vetat credamus cum Abraham, quoniam, qui promisit potens est, & facere.*

350 Tertium adhibetur ex *libro de dono perseuerantiæ c.8.* ibi, *Non itaque in hominum*, vsque ad illud, *cogitationes nostræ.*

Ibi dicit quod cogitationes, per quas habetur fides, dantur ex Deo, ergo similiter ex Deo datur illud facere, quod in se est, per quod fides datur ex gratia.

351 Hæc tria testimonia ideo induxerunt, ut arma nostra prævenirent, quibus eos ferire poteramus, ut in siniſtra explicatione intellecta contra ipsos nullatenus opponerentur, sed frustra hoc prætendunt, adeo enim clara sunt, ut à quocunque obijciantur, contra istorum sententiam manifestè pugnent, qui per facere quod in se est, contendũt ponere hominem salutem in manu sua: quod tam patenter hæc testimonia condemnant. At lepida est illorum explicatio, qua asserunt non negare in illis S. P. Augustinum potestatem esse in solis hominibus ad obtinendam salutem absolutè & simpliciter; sed tantùm ad obtinendam salutem credendo, & per alios actus meritorios; quasi si potestas obtinendæ salutis quomodolibet in homine ponatur, non pertineat ad salutem: aut quasi non sit actus pius, & aliqualiter meritorius saltem secundum pietatem actus ille, per quem homo in manu sua ponit salutem; frustranea ergo est ista Evasio, qua prætenderunt testimonia, quibus apertè refutantur, enervare. Sed illud his authoribus dicimus, quod dictum legimus in 6. Synodo generali *actione 8. 9. Constantinus, versiculo* sancta Synodus dixit: *Ecce & hoc testimonium S. Patris peremisti, non congruit Orthodoxis ita circuntruncatas sanctorum Patrum voces enervare.*

352 Vltimò in quarto loco alia inducebantur ab his authoribus S. P. Augustini testimonia denotantia quod Deus omnibus det auxilia sufficientia supernaturalia gratiæ, vt ex hoc inferrent,

Digitized by Google

quod supposito quod omnibus illa tribuit, multò magis illa det facienti quod in se est ex sola facultate naturæ. Sed ista reservantur pro alia disputatione, in qua ex professo de hac difficultate agemus, an omnibus auxilia supernaturalia sufficientia dentur?

CAPVT XXIII.

Nullo modo docuisse S. Thomam quod gratia ex certa lege detur facienti ex sola facultate naturæ quod in se est.

353 NImis instant supradicti Authores, cum quibus ista tractamus, Sanctum Thomam hanc illorum tenere sententiam atque docere, nimirum facienti, quod in se est Deum infallibiliter gratiæ auxilium dare, quod est idem ac illud dare ex certa lege; Id enim (ut aiunt) expressè habet *quæstione decimaquarta, de veritate articulo undecimo; ad primum & secundum, argumentum*, verba Sancti Doctoris sunt solutione ad primum: *Ad primum dicendum, quod non sequitur inconveniens posito quod quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in sylvis, vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime tenendum est quod si Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act. 10.*

354 In quo testimonio notanda illa verba sunt: *Dummodo ex parte hominis non impediatur*: sentit ergo quod ille, qui facit quod in se est sequendo rationis ductum non se impedit; & sic cum impedimentum non habeat certissimè ei gratia datur: quod & 1. *contra gent. capite* 159. asseruit, dicens quod omni non habenti impedimentum confertur; Et sic ruit id quod supra, ex ipso sancto Doctore exposuimus circa intelligentiam illius *capitis* 159. *ex 3. contra gentes.*

355 *In solutione vero ad* 2. sic habet: *Ad secundum dicendum, quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea quæ sunt fidei ex nobis ipsis, tamen si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur Deus non deficiat nobis ab eo, quod nobis est necessarium.* Nec videtur posse explicari sanctum Thomam in hoc secundo testimonio, quod loquatur de faciente quod in se est ex auxilio divino, cui certissimè Deus gratiam tribuat (ut communiter explicatur) quia hanc expositionem solutio hæc ad secundum videtur reijcere: quæ manifestè ponit differentiam inter hoc quod est ex nobis ipsis cognoscere res fidei, & inter hoc, quod est facere, quod in nobis est sequendo rationis ductum, quantùm ad hoc, quod non habemus in nostra potestate cognoscere res fidei ex nobis ipsis. Cæterum in nostra potestate est facere, quod in nobis est sequendo rationis ductum. Si autem in hoc secundo loqueretur de faciente, quod in se est ex divino auxilio, illud non condistingueret ab illo primo, quod est cognoscere res fidei: constat enim quod etiam ex divino auxilio habere possumus in potestate nostra illas cognoscere. Cum ergo expressè inter utrumque distinguat, procedit de eo quod habemus in potestate nostrarum virium naturalium, quod est ex nobis sine divino auxilio cognoscere res fidei.

Opponitur secundò ex eodem sancto Thoma 356
quæstione vigesimaquarta, de verit. articulo primo, ad secundum, vbi sic dicit, *Gratiam autem quæ opera meritoria facit, quamvis homo non possit, ex libero arbitrio acquirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non negabitur, si fecerit, quod in se est.*

Tertio opponitur ex 2. *sent. distinct. 5. quæ-* 357
stione secunda, articulo primo. Vbi sic habet, *si homo facit, quod in se est Deus ei dat gratiam. Ad hoc autem faciendum non exigitur aliquid aliud, illud enim ad quod non potest per se liberum arbitrium non est in homine ut faciat illud, illud enim in nobis esse dicitur, cuius nos domini sumus.* Quibus verbis apertè videtur loqui de homine faciente quod in se est ex solo arbitrio, ut verba sonare videntur, non ex divino auxilio, cum illud in potestate nostra non sit, nec illius nos domini simus. Idem dicit *in eodem secundo dist. 28. quæstione prima, articulo quarto, ad quartum.* Sic enim ait. *Ad quartum dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in naturali ratione est. Unde dicitur; quod si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud quod est necessarium ad salutem.*

Quartò & vltimò opponitur ex eodem Docto- 358
re sancto *prima secunda, quæstione* 89. *articulo* 6. vbi similiter dicit, *quod si puer perveniens ad usum rationis se ipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam, consequetur remissionem originalis peccati*: ergo docet quod si tunc fecerit quod in se est in tali ordinatione ad debitum finem gratiam consequetur.

Verum his minus obstantibus; quæ facilem 359
habent solutionem si illorum verba, attendantur, ut post pauca clariùs expendemus, certissimè tenendum est nullo modo sanctum Thomam in illis sensisse, non solùm quod gratia justificans, de qua potissimè illa testimonia procedunt datur facienti; quod in se est ex solis naturæ viribus, sed nec quod detur aliud quodlibet verum supernaturale intrinsecum auxilium gratiæ tali homini facienti quod in se est ex sola facultate naturæ suæ utrumque enim sanctus Thomas apertè in tota sua doctrina semper negat, & illam certam legem de danda gratia sic facienti quod in se est ex sola natura perpetuò expugnat.

Quod primò sic ostenditur nam in *quarto sen-* 360
teni. distinct. 17. quæstione prima, articulo secundo, quæstione secunda, in fine corporis, agens de præparatione ad gratiam, & quid est hominem facere, quod in se est in ordine ad recipiendam gratiam hæc verba habet. *Unde relinquitur quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum, & desiderium, & ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti, quod quidem impedimentum est peccatum. Et ideo per displicentiam peccati & affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparat, & quando hæc duo efficaciter facit, dicitur facere, quod in se est, & gratiam recipit*; Quibus verbis non obscurè docet quod facienti, quod in se est ex divino auxi-

lio

Digitized by Google

lio Deus dat gratiam, ad quam se præparat: quia dicit quod cum hoc facit, quod in se est, efficaciter præparando, peccatum evitando, & bonum affectum habendo ei Deus gratiam tribuit. Manifestum est autem quod facere omnia illa ex solis naturæ viribus homo non potest, sed ex divino auxilio illa habet: quod expressè in eodem articulo exponit dicens ad 3. *Ad tertium dicendum quod sine gratia gratum faciente, non potest rectè vita duci*, secundum quod ly rectè importat rectitudinem ad finem vltimum pertingentem; potest tamen sine ea rectè aliquid agi rectitudine quam habet ex materia & circunstantiis, & fine debito, sed non sine gratia, quæ dicitur Dei voluntas.

361 Ecce exponit idem S. Thomas, quid sit facere, quod in se est, ut homo gratiam recipiat, nempè, quod efficaciter affectum amoris habeat erga Deū, & displicentiā peccati. Quis autem dicat sensisse sanctum Thomam posse hominem sine aliquo gratiæ auxilio sic efficaciter facere quod in se est ad tollendum impedimentum gratiæ, quod est peccatum, & se præparandum, ad gratiam; cum hoc semper in sua doctrina neget? Igitur secundum S. Thomam facere hominem, quod in se est ut gratiam recipiat, est ex auxilio gratiæ habere efficaciter affectum erga Deum, & displicentiam circa peccatū. Nec alio modo intelligit Sanctissimus præceptor facere hominem, quod in se est ad recipiendam gratiam.

Secundò 1.2. *quæstione* 109. *articulo* 6. *ad* 2. Iterum Clarius exponens quid sit facere hominem quod in se est, ut se disponat ad gratiam, inquit ad secundum, *dicendum illud quod nihil homo potest facere nisi à Deo moueatur, secundùm illud Ioan.* 15. *sine me nihil potestis facere, & ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus à Deo.* In hoc ergo sensu semper accipit S. Thomas facere hominem quod in se est ut gratiam recipiat, ut nempè id faciat motus divino auxilio, non autem solis viribus suis.

362 Quod autem per illa verba, *nisi à Deo moueatur*, intelligat, *nisi à Deo moueatur per auxilium gratiæ*: Id primo constat ex illius articuli titulo qui talis est. Ad sextum, videtur quod homo possit se ipsum ad gratiam præparare per se ipsum absque exteriori auxilio gratiæ: & in toto articulo necessarium esse verum gratiæ auxilium ut se homo ad gratiam possit præparare manifeste docet. Secundò id patet ex illo argumento secundo, cui illis verbis supra citatis respondebat: Cum etiam illud secundum argumentum procedat contra auxilium gratiæ in faciēte quod in se est ex sola motione & facultate naturæ: & S. Thomas doceat non posse homine facere quod in se est in ordine ad se præparandum ad gratiā, nisi à Deo moueatur, planè intelligit nisi à Deo moueatur per auxilium gratiæ. Tertio constat ex *solutione ad* 4. vbi eandem repetens doctrinam, quam præmiserat *ad secundum* de homine se præparante ad gratiam, inquit, *quod hoc non potest facere homo sine auxilio Dei mouentis & ad se attrahentis, ut dictum est*, vbi de auxilio gratiæ manifestus est sermo. Præterea illud, *sine me nihil potestis facere*, de auxilio gratiæ intelligit Augustinus *libro secundo, cont. duas epist. Pelag. capite* 8. & *sermone* 13. *de verbis domini*, & sanctus Thomas super illum locum *Ioan.* 14. Illa verba exponit generaliter, & de motione naturali Dei, & de auxilio gratiæ: Sine Deo enim nec unum, nec alterum facere possumus. At cum *prima secundæ*, loquitur de faciente quod in se est, ut se præparet ad gratiam, illa verba intelligit de faciente quod in se est ex divino auxilio gratiæ, ut dictum est.

Tertiò *quæstione* 24. *de veritate articulo* 15. 363 expressius cum dixisset idem esse facere quod in se est & se præparare hominem ad gratiam; manifestè dixit & probavit non posse hominem sic facere quod in se est nisi ex divino supernaturali auxilio.

Quartò omnium clarissimè *super Epistolam ad* 364 *Romanos capite secundo, lect.* 3. loquens de illis qui sunt nutriti in sylvis, ad quos proinde Evangelij prædicatio non pervenit, ait; *si qui tamen eorum fecissent quod in se est; Dominus eis secundum suam misericordiam providisset mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act.* 10. *& Paulum Macedonibus, ut habetur Act.* 16. *sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est: convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum Threnorum* 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* In quo apertissimè omnia sua dicta, quibus docet quod facienti quod in se est Deus dat certo gratiam, exponit: & quod debeant intelligi de faciente quod in se est non solius naturæ viribus, sed ex divino auxilio clarè manifestat.

Verum dicunt hi auctores, cum quibus agi- 365 mus in istis quatuor vltimis testimoniis Sanctum Thomam loqui de faciente quod in se est in ordine ad gratiam iustificantem; & propterea docuit quod ut gratiam iustificantem homo recipiat, debet facere quod in se est ex divino supernaturali auxilio ipsum præparante ad eam iustificantem gratiam. Certum est enim, inquiunt, quod & non semel scriptis tradiderunt, iustificantem gratiam non dari facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, sed ex divino auxilio, nec auctores quos pro sua defendenda assertione citant, fuisse loquutos de iustificante gratia, cum dixerunt gratiam dari facienti quod in se est ex naturæ viribus: sed de præveniente gratia illuminationis & inspirationis Dei hæc illorum solutio est.

Quibus primò respondemus persistendo in 366 hac eorum solutione, ita esse, quod in his quatuor inductis à nobis testimoniis Sanctus Thomas loquitur de faciente quod in se est in ordine ad gratiam iustificantem, ut ex contextu patet.

Respondemus secundò æquè manifestum esse 367 in aliis quatuor S. Thomæ locis ab eis inductis, & supra relatis sermonem etiam fieri à Doctore Sancto de faciente quod in se est in ordine ad gratiam iustificantem: Ergo necesse est nobiscum pariter dicant in illis loqui Sanctum Thomam de faciente quod in se est ex divino supernaturali auxilio, & non ex solis naturæ viribus; & ex consequenti perperam illa inducunt pro faciente quod in se est ex solis naturæ viribus in ordine ad prævenientem gratiam illuminationis & inspirationis, secludendo gratiam iustificantem. Antecedens est manifestum discurrendo per singula. Et quidem tria posteriora clarè hic proponunt; ut enim incipiam ab vltimo ascendendo usque ad primum. Manifestum est quod in illo *loco prima secundæ, ex quæst.* 89. *articulo sexto*, quarto loco opposito loquitur de faciente homine quod in se est in

Digitized by Google

ordine ad gratiam justificantem, postquam expresse docet, quod si puer perveniens ad usum rationis seipsum ordinaverit in debitum finem, per gratiam, consequitur remissionem peccati originalis: ubi patenter de gratia justificante & remittente peccatum originale fit sermo manifestus. Ad quid ergo hunc locum pro se inducunt? An volunt quod ille parvulus faciendo quod in se est ex solis naturæ viribus consequatur iustificantem gratiam remittentem peccatum? proculdubio vel hoc intendunt, vel contra se locum opponunt; aut saltem sine fundamento illum inducunt.

368 In tertio autem testimonio *ex secundo, sentent. distinctione quinta, quæstione secunda, articulo primo*, etiam de præparatione ad gratiam justificantem, quæ fit per contritionem clarissimè loquitur; ad quam contritionem & dispositionem non requirit alium habitum gratiæ gratis datum, à quo contritio disponens ad gratiam procedat, sicut ab aliquibus ponebatur, sed ad sic se disponendum per contritionem ad justificantem gratiam dicit sufficere quod homo faciat quod in se est, adductus & ad id motus divino auxilio: Quod clariùs ipse exposuit in *eodem secundo, distinctione 28. quæstione prima, articulo quarto, in corpore & solutionibus argumentorum.* Et adhuc magis apertè *in q. 24. de veritate*, ut statim exponemus.

369 Licèt autem operari ex habitu illo gratiæ dato gratis, sicut ex quolibet alio habitu, non sit in potestate nostra: In potestate tamen nostra est facere quod in nobis est ex divino actuali auxilio; ut Sanctus Thomas declarauit, *prima secundæ, quæstione 109. citato articulo sexto, ad secundum.* Quia illud divinum auxilium ponit in potestate nostra illum actum quo facimus quod in nobis est: nec enim illud quod est in dominio & potestate nostra excludere potest dominium & potestatem Dei, qua nos mouet, ut de facto habeamus in potestate nostra actum talem, ut alibi dictum est sæpius. Et Sanctus Thomas exponit *quæstione quinta, de veritate articulo septimo, solut. ad 12. 13. & 14. argumentum.* Nec magis immorandum putamus in explicatione hujus testimonij ex *secunda sentent. distinctione quinta.* Quia abundè satis de ipso egimus *supra libro tertio*, agendo de contritione, & à quo haberi debet. Sed tantum dicimus advertendum, quod cum Sanctus Thomas manifestè loquatur in hoc testimonio de præparatione ad gratiam justificantem, per quam homo se præparare docet faciendo quod in se est, ex divino videlicet auxilio, ut aliàs exposuit, quod & isti Doctores fatentur, requirere nimirum S. Thomam ad præparationem ad gratiam justificantem, quod ex divino auxilio homo faciat quod in se est; sine apparentia hoc testimonium inducunt, ut ajunt, ad probandum ex Sancto Thoma, quod facienti quod in se est solis naturæ viribus Deus infallibiliter det prævenientem gratiam illuminationis & inspirationis, ut suis propriis verbis exposuerunt.

CAPVT XXIV.

Amplius declaratur S. Thomam nullatenus asseruisse quod facienti quod in se est ex solan naturæ facultate Deus ex certa lege det gratiam.

370 MAgis apertè sermonem facit de gratia justificante in secundo loco opposito, quem inducunt ex *quæstione vigesima quarta, de verit. articulo primo, ad secundum* cujus verba expresse hoc testantur, cum procedant de illa gratia, ad quam se disponit homo faciendo quod in se est: quæ opera meritoria facit, quam constat esse solum gratiam justificantem. Igitur quod homo sic se præparet ad gratiam faciendo quod in se est, ex divino auxilio debere esse Sanctus Thomas docet; sicut isti auctores posuerunt, & ex sententia Sancti Thomæ, id esse ponendum confessi sunt. Ad quid ergo istud testimonium objciunt, ut ex illo suadeant docuisse Sanctum Thomam auxilium prævenientis gratiæ, aliud videlicet à gratia dari certò facienti quod in se est ex solis naturæ viribus: cum de hoc nulla ratione sanctus Doctor loquatur.

371 Quamvis autem *in illa solutione ad secundum*, non exprimat Sanctus Thomas illud facere quod in se est, fieri debere ab homine ex divino auxilio: id tamen in citatis aliis locis clarè proposuit, nec semper id expresse statuendum erat. Vnde præter modò inducta illud omnium clarissimè explicavit & probavit *eadem quæstione vigesimaquarta, de verit. articulo decimoquinto, in corpore*, in quo agens quomodo & per quid se homo habet ad gratiam justificantem præparare; eandem semper doctrinam tradit quam in superioribus locis; nimirum, non esse necessarium alium habitum gratiæ gratis datæ ad eliciendam talem præparationem, sed sufficere quod homo faciat quod ex se est: imò hæc verba ibi habet: *præparare se ad gratiam alio modo dicitur facere.* Quod in se est: sicut est consuetum dici: quod si homo faciat quod in se est, Deus ei dat gratiam. Et statim exponens per quid debet facere quod in se est ad se præparandum ad gratiam gratum facientem (hanc enim gratiam gratum facientem ibi expresse nominat) docet quod ex divina providentia, & divina misericordia se homo ad gratiam illam præparat faciendo quod in se est vnde tandem in hæc verba concludit: *vnde patet, quod liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare* (faciendo nempe quod in se est, ut exposuerat) *nisi ad hoc divinitus dirigatur.* Cum ergo tam manifestè in hoc objecto ab eis authoribus testimonio S. Thomas sermonē instituat de faciente quod in se est ex divino auxilio, per quod facere quod in se est se præparat ad justificantem gratiam, ad quod propositum hoc vtuntur testimonio, ut suadeant docere in illo Angelicum Doctorem dari certò gratiam prævenientem aliam à justificante facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.

372 Denique in primo testimonio, in quo & magis insistunt *ex q. 14. de verit. art. 11. ad 1. & 2.* pari ratione loqui sanctū præceptorē de facientequod in se est & se præparante ad gratiā justificantem, non erit obscurum deducere; si verba ipsa perpēdantur. Loquitur namque de homine nutrito in sylvis, qui sequitur rationis ductū in prosecutione boni & fuga mali: non dicit, qui sequitur in aliquo rationis ductum, sed absolutè dicit, qui sequitur ductum rationis; ille autem absolute

atque

Digitized by Google

atque simpliciter sequitur ductum rationis, qui à ratione ducitur, in omnibus quæ ratio dictat, ita quod à dictamine rationis non recedat: Qui autem sic ductum rationis sequitur, proculdubio legem naturalem per rationem propositam sequendo implet. Qui autem sic legem rationis implet, sive in silvis nutritus sit, sive aliunde certissime à Deo illuminabitur de rebus fidei, vel ipso interiùs eum movente vel per prædicatorem, sicut inquit sanctissimus Doctor fecit cum Cornelio mittendo ei Apostolum Petrum, qui Cornelius, testante scriptura, legem naturalem servabat, & ductum rationis sequebatur vnde & consequenter ait Sanctus Thomas *in illa solutione ad* 1. quod qui sic sequitur rationis ductum servando legem naturæ, impedimentum gratiæ non ponit, quod est verissimum: quia per hoc avertitur ab omni commutabili bono; & sicut de puero perveniente ad vsum rationis dixit, per gratiam iustificatur & à peccato originali eruitur; & sic in summa concordia est hæc doctrina cum illa ex *tertio contra cap.* 159. & 160. in quo dicit quod qui est in natura lapsa, gratiæ impedimentum ponit per præcedens peccatum; iste enim qui sequitur rationis ductum seruando legem naturæ; aufert dispositiue omne peccatum, nec aliquod impedimentum gratiæ ponit.

373 Quia verò gratia ista iustificans ei dari non potest nisi supposita fide, quia sine fide impossibile est placere Deo; ideo docet Sanctus Thomas quod ille talis de rebus fidei à Deo illuminabitur, vt ei iustificationis gratia emũdans eum à peccato originali detur. Ista est aperta mens S. Thomæ *in illo art.* Igitur loquitur ibi de faciente quod in se est, vt immediatè recipiat fidem, & mediâ illâ iustificantem gratiam: ita quod non stat illum sic facere quod in se est sequendo rationis ductum & non iustificari; vnde loquitur de se præparante per illud facere quod in se est ad gratiam iustificantem; & ex consequenti loquitur de faciente quod in se est ex diuino auxilio, vt in omnibus suæ doctrinæ locis concorditer semper exposuit. An dicent isti Authores quod potest homo sine auxilio gratiæ sequi rationis ductum & totam legem naturalem seruare? cum hoc nec patenter dicere audeant; quia damnatum est in Conciliis potissimè Mileuitano.

374 Attendant ergo Authores qui hoc adhibent testimonium ad probandum quod in illo dicatur dari præuenientem gratiam aliam à iustificante, quod in se est facienti ex sola facultate naturæ, quam sinistrè ad id inducatur: cum sermonem in eo non faciat Angelicus Doctor, nec de faciente quod in se est ex sola naturæ facultate, nec de alia gratia à iustificante, sed ipsa gratia iustificante, in solutione autem ad secundum idem quod ad primum habet, vt est notum.

375 Cum autem in illa ait, non esse in potestate illius qui nutritur in sylvis credere, aut sibi prædicatorem mittere, bene autem est in potestate sua facere quod in se est: non negat pro hoc secundo diuinum auxilium, sed tantùm dicit quod credere aut sibi mittere prædicatorem, non est immediate in potestate eius: bene autem aliquo modo, scilicet mediate; id est in eius potestate quia si ipse ex diuino auxilio fecerit quod in se est modo prædicto; Deus ipsum de rebus fidei illuminabit, hanc enim esse intentionem sanctissimi Doctoris, ibi præter quam quod constat ex ipso contextu, si quis attendat: ab ipso in simili traditur omnino, *q.* 24. *de veritate art.* 1. *ad* 2. in quo postquam dixit, *quod non est in potestate liberi arbitrij habere gratiam, quæ facit opera meritoria, potest tamen* (inquit) *se ad gratiam habendã præparare quæ ei à Deo non denegabitur si fecerit quod in se est.* Et continuò subiunget: *Et ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrij opera meritoria agere.* Sic licet non sit in potestate liberi arbitrij, immediatè nempe seu per se credere supernaturalia mysteria: tamen si fecerit, inquit, quod in se est se ad id præparando, modo dicto, Deus illum circa fidem illuminabit: & ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrij illius nutriti in syluis credere supernaturalia.

Illud autem aliud S. Thomæ testimonium 376
majori cum apparentia inducitur ex 2. *sentent. dist.* 21. *quæst.* 1. *articul.* 4. *in corpore & solutione ad* 4. & etiam *solutione ad* 5. in quibus vniformiter dicit bona opera naturalia esse habilitates & aliquas dispositiones ad gratiam, remotas videlicet, vt exponit ad vltimum. Imo *solut. ad* 4. sic ait: *Ad quartum dicendum quod indignum potest sumi dupliciter, vel negatiuè tantum, & sic Deus dat gratiam indignis, quia hi qui non sunt sufficienter ad hoc digni, sed tamen aliquam habent dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri.*

Sed ad hoc dicendum quod opera natura- 377
lia vocat dispositiones remotas ad gratiam non propriè, quia ipse docuit semper proprias dispositiones etiam remotas eiusdem ordinis deberet esse cum forma, & ab eodem agente, quod tamen operibus naturalibus respectu gratiæ repugnat: sed nomine dispositionis remotæ intelligit minorem indignitatem & repugnantiã vnde etiam in summa limatiùs loquitur, nec illa opera vocat dispositiones remotas ad gratiam.

In *solutione autem ad* 4. loquitur de homi- 378
ne dispositio per auxilium gratiæ ad gratiam habitualem recipiendam: nam in toto illo articulo & solutionibus argumentorum sermonem facit de gratia iustificante, & dicit quod ille non est sufficienter dignus ad gratiam habendam: sicut enim respectu iustificantis gratiæ meritum non habet homo diuino auxilio motus, ita nec sufficientem dignitatem: habet tamen aliquam dispositionem ex tali diuino auxilio. Secundum quam quodammodo de congruo meretur gratiam iustificantem vbi adhuc non dicit quod simpliciter meretur de congruo iustificantem gratiam; sed quodammodo: quia nempe adhuc est in peccato, & sic respondet ad argumentum, quod Deus gratiam iustificantem non dat dignis, sed indignis negatiuè, habentibus tamen dispositionem ad illam ex diuino auxilio, per quam quodammodo merentur illam habere verum est, quod 1.2. *q.* 114. ad hoc argumentum clarius respondet, & magis limatè, quod Deus dat gratiam dignis, sed quos ipse dignos facit electione sua, non merito ipsorum. Ad aliud ex *eodem* 2. *dist.* 28. satis à nobis in superioribus tractantibus materiam de contritione in vera intelligentia manet responsum. Si autem quis contendit S. Thomam loqui de bonis operibus merè naturalibus, quæ sicut vocauit remotas dispositiones ad gratiam, in illâ impropria acceptione superiùs explicata: ita ea appellauit aliquale meritum de congruo.

Respondetur

Digitized by Google

379 Respondetur gratis hoc admisso, non alia ratione nominasse aliquale meritum de congruo nisi quia aliqua congruitas est ex parte illorum operum; vt Deus ex sua misericordia sine aliqua lege gratiam donet, vel vt formalior & proprior sermo sit, ideo aliquale meritum de congruo appellauit, quia minor est indignitas, & minor repugnantia & ineptitudo, & minora impedimenta sunt ad gratiam habendam ex parte illius hominis exercentis se in bonis operibus moralibus quam in aliis; Sed tunc aliquale meritum valde improprie sumitur, vnde postea in summa multo magis limatè loquutus est, nec aliquale meritum nominans, nec dispositiones remotas sed prima solutio magis textui cõformis est, vt præmisimus, vel dicendum vt supra loqui S. Thomam de merito de congruo seu præparatione ad gratiam proueniente ex priori auxilio diuino, vt manet ostensum.

Insuper S. Thomas 1.2. q.112. art. 3. clarè docet quod præparatio vt proueniens à libero arbitrio non infert necessitatem gratiæ: nulla ergo lex est de danda aliqua gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, hæc omnia à fortiori ex isto testimonio conuincuntur, tandem 2.2. q. 80. docet quod iustitia attendit propriè debitum legale: negat ergo gratiam dari ex certa lege facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus, quia alias illa gratia sic debita ex certa lege esset debitum legale, & de iustitia debita est illis naturæ operibus. Deinde gratia multo modo esset: vt ex Apostolo ostensum est sæpius.

380 Manifestum est ergo ex omnibus inductis testimoniis: tam ex illis quatuor ab his authoribus inductis, quam est aliis quatuor à nobis allatis, semper sanctum Thomam eâdem concordiâ doctrinæ docuisse, quod si homo ex diuino auxilio fecerit quod in se est se præparando ad gratiam iustificantem, Deus ei illam dabit. Vnde in nullo loquitur de faciente quod in se est ex solis naturæ viribus respectu alterius auxilij præuenientis gratiæ distincti à gratia iustificante: & sic sine apparentia pro hoc Sanctum Doctorem ab his authoribus induci, nisi velint etiam asserere quod in ordine ad se disponendum ad gratiam iustificantem sufficiat quod homo faciat quod in se est ex solis naturæ viribus; quod tamen ipsi in suis scriptis negant, vt dictum est supra. Verùm licet ipsi id meritò negent, tamen author ille, cuius doctrinam defendunt, id satis clarè proposuit cum dixit, quod facienti quod in se est solis naturæ viribus, *sine in ordine ad fidem, sine ad dolorem de peccatis, ac ad institificationem Deus det auxilium vt id faciat prout ad salutem oportet.* Ecce ad iustificationem dixit vt distinctam à dolore de peccatis, per quæ verba & attritionem & contritionem includit; per dolorem enim de peccatis vt distinctum à iustificatione, attritionem sine dubio intelligit: per facere autem quod in se est vltra hoc in ordine ad institutionem intelligit contritionem ex dilectione Dei super omnia, quam solis naturæ viribus tribuit, quâ habitâ Deus se illi inserit, vt alibi exposuit, auxilio supernaturali, vnde illa incepta à solo homine, & à Deo postmodum adiuta est vltima dispositio ad gratiam iustificantem, quæ in eodem instanti quo homo ex solis viribus habuit talem contritionem faciendo quod in se est ex se ipso ad iustificationem, Deus illam faciet supernaturalem, vt ait, & gratiam iustificantem præstabit. Ad quod attendere debebant, qui tantum laborant in eius sententia defendenda.

Sed adhuc instant authores cum quibus disputamus quod licet S. Thomas in *summa* expressè dicat quod facienti quod in se est, ex diuino priori auxilio Deus dat gratiam, in *libris tamen sententiarum* docuit dari talem gratiam facienti quod in se est ex sola facultate naturæ; quod & suadere laborant sequentibus locis primò *ex 1. sent. d. 42. art. 3.* vbi ait quod *opus meritorium informatum gratia est causa meritoria gloriæ; sed opus bonum præcedens gratiam non est causa meritoria eius, sed solum dispositio quædam. Vnde patet quod prædestinatio causam non habet, sed habet rationem ex parte effectus, secundum quæ rationabilis & iusta dicitur.* 381

Secundò ex *2. sent. d. 5. q. 2. art. 1.* vbi refutans opinionem aliquorum dicit non esse necessariam illam duplicem gratiam quam ponebant sed sufficere, sed istam gratiam ponere non videtur necessarium nisi quia libertas arbitrij gratia dicatur, quæ proculdubio nobis à Deo est, vel aliquæ occasiones quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad conuersionem, vt instructio legis & castigatio ad humilitatẽ & alia huiusmodi, sine quibus tamen possibile est gratiam assequi, quia si homo facit quod in se est Deus dat ei gratiam. Et iterum ibi dicit S. Thomas: *Et ideo aliter est dicendum quod ad eliciendum actum conuersionis sufficit liberum arbitrium quod se ad habendam gratiam per hunc actum præparet & disponat.* 382

Tertiò ex *2. sent. d. 28. q. 1. art. 4* vbi dicit: *Quidam enim dicunt quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare nisi per aliquod lumen menti infusum quod est donum gratiæ gratis datæ; istud autem non videtur conueniens quia præparatio qua ex gratia non est per actus qui sint ipsi eiusdem ex qualitate proportionis.* 383

Quibus tamen non obstantibus dictum omnino est S. Thomam non solùm *in summa*, sed etiam in *libris sent.* expressè docere quod facienti quod in se est non ex sola facultate naturæ, sed ex priori diuino auxilio datur gratia: & quod hæc sit aperta & expressa eius sententia in *libris sent.* constat primò ex supra iam relato testimonio ex *4. sent.* vbi postquam docuit quod datur gratia facienti quod in se est efficaciter vitando peccatum, & bonum affectum habendo, hoc magis declarando sic ait: Ad 3. dicit quod *facere sic homo quod in se est se præparando ad gratiam non facit sine gratia* id est, sine priori auxilio gratiæ. 384

Secundò id clarius docet *2 sent. d. 28. q. 1. a. 4.* vbi semel iterum atque tertiò docet expressè non posse hominem se ad gratiam præparare sine priori auxilio gratiæ, quod expressius ait *art. 4. ad 2.* his verbis: *Dicendum quod homo non potest se ad gratiam præparare nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio: & ideo rogandus est vt nos ad se conuertat, & etiam alios.* 385

Vnde ad primum in oppositum dicendum quod cum in *1. sent. cit. loc.* docet quod opus bonum est dispositio quædam ad gratiam manifestè intelligit de dispositione, seu bono opere facto à libero arbitrio ex priori auxilio gratiæ, sicut in aliis locis iam citatis se manifestè declarauit. Et quando id expressè non assereret vocando dispositionem ad gratiam nostrum bonum opus: ibi absque dubio dixit illam dispositionem ex priori auxilio gratiæ fieri. Manifestum est enim & apud S. Thomam manifestissimum quod & semper docuit in *libris sent.* quod dispositio est

eiusdem

Digitized by Google

eiusdem ordinis cum formâ ad quam disponit, cum igitur forma ad quam disponit sit gratia iustificans & habitualis, dispositio ad illam etiam debet provenire à gratia ut sit eiusdem ordinis cum illâ.

386 Ad secundum dicendum quòd cum ait, quod facienti quod in se est Deus gratiam tribuit, ut se declarauit expressè in *quarto, sentent. iam citato* intellexit de faciente quod in se est ex priori auxilio gratiæ.

387 Ad tertium respondemus quod quando docet quod sine lumine homo potest se præparare ad gratiam, intelligit manifeste sine lumine aliquo habituali, non autem sine auxilio speciali gratiæ, ut sæpe in *eisdem libris sentent.* se declarauit, & hanc esse mentem Divi Thomæ constat ex *2. sent. dist. & art. cit.*

388 Vnde mirandum est quod cum ista ita expressè in Sancto Thoma habeantur in *libris sentent.* authores cum quibus agimus ad id nullo modo attendentes Sancto Thomæ imputare laborent quod in *lib. sent.* dixerit, quod datur gratia facienti quod in se est solis naturæ viribus.

CAPVT XXV.

Non asseruisse Scholasticos Doctores indoctos dari certâ lege gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.

389 PLures induci solent Scholastici ab authoribus cum quibus ista tractamus, tum ex scholâ Sancti Thomæ, tum extra illam, quasi & ipsi illorum sententiæ faveant in defendenda propositione illa, quod gratia certa lege detur facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. Expedit verò, antequam sigillatim illorum in hac parte verba expendamus, primò ostendere nullum scholasticorum supradictam propositionem defendere cum illis circunstantiis & capitibus quibus eam isti authores pupublicarunt, & hæc erit prima & generalis solutio, planè in nullo scholastico inuenitur assertum, quod certâ lege Deus det gratiam iustificationis, vel iustificantem facienti quod in se est ex solis naturæ viribus ad illam, sicut supradicta impugnata propositio habet, imo hoc vniuersi semper damnarunt. Quod & aliqui ex his authoribus confessi sunt, & scriptis tradiderunt.

390 Secundò non dixerunt aliqui scholastici, quod ita Deus certâ lege dat gratiam facienti quod in se est ex solis viribus naturæ, quod si illa non præcedant non soleat eam dare sicut isti authores defendunt.

391 Tertiò nec aliqui dixerunt hominem sic faciendo quod in se est reddi promptum ad gratiam illam recipiendam, ut etiam hi authores affirmant.

392 Quartò nec etiam asserunt aliqui ex scholasticis quod propter illa bona opera moraliter ex sola facultate naturæ facta gratia certâ lege reddatur, quod tamen primum divulgatorem hujus doctrinæ asseruisse ostensum fuit supra.

393 Quintò nullus dixit Scholasticorum, quod in eodemmet opere, quo facit homo quod in se est certâ lege adjuvetur à gratia, quod ij authores suis libris affirmant: quæ tamen sententia illa eadem est de qua sanctus P. Augustinus infert, quod si in eodem opere adjuvatur, pro meritis illius boni operis vtique adjuvatur ut relatum est supra.

Sextò nullus etiam ex Scholasticis asseruit sic 394
facientem hominem quod in se est ponere salutem in manu sua, nec aliâ viâ eam in manu sua habere: sicut assertores hujus propositionis defendunt.

Septimò multò minus aliquis Scholasticorum 395
posuit quod sic faciendo homo quod in se est habet in potestate sua quod Filius Dei fiat; quod tamen defensores huius assertionis contendant.

Octauò nec Scholasticorum aliquis constituit quod sic faciendo homo quod in se est, inchoat salutem suam, quod authores hi affirmant.

Tandem nullus Scholasticorum statuit quod sic 396
facienti quod in se est solis viribus suis, ut mortem sustineat pro defendenda lege naturæ, Deus certâ lege det gratiam ut martyr evadat, sicut author relatus supra constituit.

Proculdubio hanc assertionem his capitibus 397
exornatam & cum similibus conditionibus vestitam nedum omnibus, sed nec aliquibus ex eis, nullus Scholasticorum asseruit vnde etiam si nihil aliud responderetur, ex his constaret sine fundamento & causa pro illa sua defendenda propositione Scholasticos aliquos ab eis induci.

Illud tertiò addendum, nec intentionis nostræ 398
esse omnes in vniuersum Scholasticos, illos potissimè qui minoris notæ sunt, excusare; aut quod illorum aliquis in hac parte materialiter non excesserit, persuadere, cum enim tunc res ista, quæ aliàs difficilis reputatur: non ex professo ab eis, sicut à nobis his temporibus discussa magis fuerit, nec mirum si non ab omnibus plenè, ut par est fuerit agitata: pauci verò sunt, qui in illa offenderunt, ut jam explanare properamus.

Sed ad particularia descendamus, & sigillatim verba Scholasticorum, quos inducunt, expendamus.

Inducitur primo Magnus Albertus, qui dicit 399
quod faciendo homo quod in se est se disponit ad excitantem gratiam: & idem videtur asserere, Altissiodorensis. Ad quod respondemus; eos loqui de dispositione minùs propria, id est de quadam minore repugnantia, & minore indignitate ad talem gratiam, sicut hac ratione siccitas in ligno solet dici largè dispositio ad ignem, non propriè; ita quod ad illam infallibiliter sequatur introductio ignis: sic est minor repugnantia ad gratiam in homine sic operante bene ex naturæ viribus; non tamen quod ad illum statim gratia excitans consequatur.

Ex sancti Thomæ discipulis primum Magi- 400
strum Victoriam inducunt, in *relatione de eo ad quod tenetur homo veniens ad vsum rationis, pag. 394.* ita dicentem: *In his verbis S. Thomas declarauit, quid sit facere quod in se est dicens, quod est sequi dictamen legis naturalis cum apprehensione boni & fuga mali: & quod hoc sufficit; constat ex dictis. Nec obstat quod quidam dicunt, quod si hoc facit, jam Deus illum illuminauit de fide: quidquid enim sit de hoc saltem prius est hoc ipsum facere quod in se est, quam quod illuminetur.*

Ad hoc dicendum Victoriam, sicut de S. Thoma 401
quem interpretatur diximus, manifestè loqui de homine seruante legem naturæ ut verbis apertis ipse declarat: qui ut Sanctus Thomas docuit, iustificabitur, nullo modo autem Victoria sensit aut sine errore sentire potuit, posse hominem sine

Digitized by Google

auxilio gratiæ totam ſeruare legem naturæ : nec ſic faciendo ſe diſponere ad iuſtificationem, itavt infallibiliter iuſtificationem conſequatur : nec hoc iſti authores Victoriam poſuiſſe dicent, aut ſic diceret, ipſum in hoc ſequerentur aut approbarent : ſine cauſa ergo eum pro ſe inducunt : ſenſit ergo Victoria quod ſi ille faciat ex divino auxilio quod in ſe eſt in proſecutione boni & fuga mali, Deus illum illuminabit de fide, & mediâ fide ipſum iuſticabit.

402 Quod autem ſubdit contra aliquos ponentes illuminatum iam de fide eſſe qui ſic dictamen legis naturæ ſeruat, quod priùs eſt ſic facere quam de fide illuminetur, hanc habet intelligentiam, quod videlicet priùs naturâ atque ratione homo ille ex divino ſupernaturali auxilio mouetur ad habendum efficaciter hunc actum, volo in omnibus ſequi bonum rationis, & fugere malum, quod auxilium non ſupponit illuminationem fidei, ſed naturale lumen rationis, adjuvat tamen infirmitatem voluntatis, vt ad illud bonum rationis efficaciter ſe convertat, & diſponit ut Deus illum de fide illuminet; & præhabita fide ipſum iuſtificet, ſicut in ſuperioribus abundè explicauimus diſcutientes à quo poſſit procedere in homine ante fidem dilectio Dei authoris naturæ, quem per naturale lumen rationis cognoſcit.

403 Inducitur ſecundo loco magiſter Medina *prima ſecundæ, quæſtione* 109. *articulo ſexto, dubio tertio*, vbi dicit eſſe probabile, quod homini facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus dat gratiam. Ad hoc dicendum Medinam ibi loqui de gratia iuſtificante, ut patet ex illius verbis expreſſis : & cum Sancto Thoma, palam docet neminem poſſe facere quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus ut gratiam iuſtificationis accipiat, vbi etiam reprobat ſententiam Scoti : qui meritum de congruo in bono opere naturæ videtur conſtituere reſpectu gratiæ : nec ſatis in hoc diſtingui à Pelagio diffusè probat. Quomodo autem *ſolutione ad* 3. dixerit eſſe probabile, quod facienti quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ Deus dat iuſtificantem gratiam ; ſatis expreſſit, continuò ſubjungendo.

404 Tertiò dico *quod probabilius eſt, & magis conſentaneum ſanctis Patribus, præcipuè Auguſtino, non eſſe legem infallibilem quod homini peccatori facienti quod in ſe eſt ex facultate naturæ, continuò conferatur gratia : nam ſi eſſet lex infallibilis certè initium & bona pars juſtificationis eſſet ex nobis*, hæc Medina proculdubio cum apertè dicat ex tali lege ſequi initium iuſtificationis ex nobis eſſe, & iſte ſit error apertè in Conciliis damnatus, ſatis exponit quid tandem & vltimò de illa ſententia ſentiat, quam dixerat eſſe probabilem, nec nos aliud dicimus, niſi quod illa ſtatuit initium iuſtificationis ex nobis, ſicut Medina dicit. Nullo ergo modo dicenda eſt probabilis, ſed damnabilis ſententia talis : eò autem quod Medina illam probabilem dixit, minùs conſequenter ad ſua principia locutus eſt.

405 Aliis objectionibus reſpondetur : ſed inquirendum eſt ab illis authoribus, an ipſi reputent probabilem ſententiam, quæ dicit infallibiliter gratiam iuſtificationis dari facienti homini quod in ſe eſt ex ſola naturæ facultate. Si hoc dicant, contra ſe loquuntur, qui aſſerunt ſe non loqui de gratia iuſtificante, ſed de primo auxilio gratiæ in quo & Ludovicum Molinam damnant, qui etiam loquitur de gratia iuſtificante, vt viſum : eſt ſi verò tantùm ſermonem faciant de primo auxilio gratiæ, ad quid Medinam inducunt, qui loquitur de gratia ipſa iuſtificante ? Sed dicunt Medinam *citato loco concluſione quarta*, aſſerere opus moraliter bonum, & quidquid ſit ex facultate naturæ poſſe dici diſpoſitionem remotam ad gratiam : ergo ibi aſſerit quod proximè diſponit ad recipiendum auxilium per quod proximè ſe ad gratiam habet præparare, ita quod illud infallibiliter accipiat.

Ad hoc dicendum ſatis ſe declaraſſe ibi 406
Medinam, quod non vocet illam propriè diſpoſitionem remotam, ſed minorem repugnantiam, ſicut ſiccitas in ligno non eſt propriè diſpoſitio ad ignem ſed minor repugnantia.

Inducetur Viguerius *lib. inſtitut. Theolog. capite decimo*, §. 4. *folio* 115. dicens quod ſi fide- 407
lis aſſiſtente lumine fidei cum ſyndereſi & concurſu generali faciat quod in ſe eſt, Deus dabit auxilium præueniens quo ſe præparet ad fidem Ad hoc dicendum duo ibi Viguerium aſſerere, primum quod homo per ſyndereſim & concurſum generalem aſſiſtente ſimul lumine fidei (vnde loquitur de fideli) poteſt aliquo modo ambulare ad bonum rationis, & aliquo modo ceſſare à peccato ; & aliquo modo conari ad bonum, quod verum eſt propter illud verbum, *aliquo modo* ; quia ſimpliciter & abſolutè id facere concurſu generali non poteſt. Secundo dicit quod ſic aliquo modo conanti ad bonum rationis Deus ſua miſericordia adeſt ; ſed non dicit quod ſemper, vel certâ lege adeſt ; ſed quandoque, in quo oſtendit miſericorditer ſubvenire : vnde Viguerius oppoſitæ ſententiæ non favet, nec illi certæ legi, quæ malè publicatur.

Ad Scotum & Durandum ponentes meritum 408
de congruo in operibus bonis ſolis naturæ viribus factis reſpectu gratiæ, communiter reſpondetur de hoc à Theologorum ſchola vnanimiter refutari, nec multùm à Semipelagianorum ſententia differre. Etenim meritum de congruo etiam veræ gratiæ repugnat, ut aliàs expoſuimus : quod & Doctores affirmant, *prima ſecundæ, quæſtione* 109. *articulo ſexto*, vbi interpretes Sancti Thomæ potiſſimè Conradus, Medina, & Cumel videantur.

Et quidem Scotus in *citato quarto ſentent.* 409
diſtinctione decimaquarta, quæſtione ſecunda, apertè concedit poſſe hominem ſolis naturæ viribus habere attritionem bene, ut ait, circunſtantiatam & in eſſe naturæ, & in eſſe moris, in cuius vltimo inſtanti Deus infallibiliter dabit iuſtificantem gratiam ſicut veræ diſpoſitioni illam merenti de congruo. Quæ doctrina in primis eſt contra Theologorum ſententiam dicentium attritioni ſine Sacramento gratiam non conferri. Eſt ſecundò contra Tridentinum Concilium, *ſeſſione* 14. *de juſtificatione cap.* 4. in quo clarè traditur attritionem talem, à contritione videlicet diſtinctã, eſſe impulſum Spiritus Sancti nondum habitantis ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat : & quamvis, inquit, ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe perducere ad juſtificationem peccatorum

Digitized by Google

catorum nequeat. Quomodo ergo potest defendi prædicata Scoti sententia quæ tradit per attritionem in vltimo illius instanti sine Sacramento pœnitentiæ hominem justificationem acquirere? sed nec dubium est, quod in tali attritione & dispositione cui de merito ex congruo justificationis gratia infallibiliter dari dicitur: initium ex nobis nostræ justificationis constituatur contra idem Tridentinum Concilium *sess. 6. de justificatione cap. 5.* vnde cum illa convenit doctrina, quæ initium boni operis ex nobis constituit cósummationem ex vero. Videatur S. Bonauentura *in 2. distinctione 29. artic. 2. quæst. 1.* licèt Vega *opusculo de justificatione*, hanc Scoti sententiã in bono sensu nitatur defendere & explicare; sed nec, satisfacit, nam in illo *citato opusculo cap. 11.* explicat Scotum quod loquatur non de utraque potentia tam intellectus quam voluntatis: sed de intellectu solum. Quod quam sit contra apertam litteram Scoti est plusquam notum: cum Scotus de utraque potentia, & intellectu & voluntate expressam mentionem faciat provt inducta verba testantur.

410 Insuper quando id diceret Scotus de solo intellectu: nimis falsum esset, posse nempe intellectum humanum sola sua facultate naturæ, & secluso omni auxilio gratiæ omnia illa considerare & voluntati proponere, quæ Scotus asserit: cum Apostolus clamet, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Si enim cogitare, quod omnium plurimum terminus est, non potest humanus intellectus de rebus ad salutem pertinentibus; quomodo sedulo poterit culpam considerare ut malum animæ & ut offensivam Dei & sub aliis motiuis & rationibus ad salutem pertinentibus idque voluntati proponere? Videatur S. P. Augustinus ubique signanter *libro 5. contra* Iulian. *cap. 4. & de prædest. Sanct. à cap. 3. & sequentibus:* Ubi ex illo Apostoli testimonio Iulianum & alios Semipelagianos convincit, quod intellectus sola sua naturæ facultate non potest hæc eadem considerare.

411 In eo autem quod Scotus addit, quod si non ponatur meritum de congruo in illis naturæ operibus respectu justificationis, difficilè potest salvari quod Deus non sit acceptor personarum: profectò si attenderet hanc eandem fuisse rationem Pelagij ad ponendam gratiam debitam naturæ nimirum, ut Deus non esset personarum acceptor, illam ipse non apponeret. Quod si dicant hi authores errasse Pelagium quia posuit meritum de justitia, quod tamen ipli non ponunt, dicendum provt supra, Pelagium non ita desipuisse ut putaret rigorosam justitiam esse inter solum hominem & Deum; Ita quod homini naturaliter operanti de rigorosa justitia Deus debitor suæ gratiæ constituetur: sed meritum posuit in divina lege fundatum, & in bono opere naturæ id postulante. Neque enim posuit Pelagius perfectam justitiam in illis operibus respectu Dei: cum videret, hanc solum esse inter æquales, nec meritum de congruo seu ex pietate sicut postea Semipelagiani constituerunt saltem voce sola, ut sæpius dictum est. Sed posuit meritum de justitia, sicut nos meritum de justitia constituimus in operibus gratiæ respectu gloriæ, fundatum in ordinatione divina & certa lege. Quod ex eo patet quia nisi gratia daretur illis operibus, putabat Deum reddi acceptatorem personarum. Cum autem acceptio personarum sit vitium contra justitiam, manifestè in illis naturæ operibus constituit meritum de justitia. Vnde qui propter hanc eandem rationem [ne videlicet Deus reddatur acceptor personarum] constituunt in illis solius naturæ operibus meritum de congruo: licet voce meritum de congruo appellent, reipsa meritum de justitia constituunt. Vnde si hoc meritum de congruo, cui infallibiliter justificatio correspondereat, aut ex certa lege, Sancti Patres Pelagio concederent, non est dubium quin ipse quiesceret, nec aliud quæreret, cum per illud totum suum finem consequeretur, haberet namque per quod dissolveret nodum acceptionis personarum, & omnia alia argumenta, quibus ad id asserendum convincebatur.

Quod si verum est quod aliqui viri docti, ut 412
Zumel, vbi supra affirmant Scotum, Durandũ & Adrianum non concedere esse legem infallibilem dandi gratiam ex suppositione operis facti ex solis naturæ viribus. Sed tantum esse congruum, ut facienti quod in se est ex solis naturæ talentis Deus det gratiam, non tamen quod omnino infallibiliter id fiat ex lege, si inquam hoc verum est, Scotus & sequaces alij reipsa ab omni errore etiam Semipelagianorum essent liberi & pariter nobiscum contra illam certam legem de danda gratia sentirent, nec pro illa possent induci, licet verbis incongruis meritum de congruo nominarent, nec ita limatè locuti fuerunt. Dixi si id verum est, quia verba eorum talem explicationem admittere nequeunt, ut legenti patebit, quia apertè loquuntur de dispositione ad justificationem: cui ita infallibiliter justificatio datur, quod si non daretur; vix salvari posset non esse Deum acceptatorem personarum.

Citatur potissimè Alensis *3. parte quæst. 61.* 413
articulo 5. membro 5. in cujus corpore ait, *cum quæritur, an necessario Deus det certò gratiam facienti quod in se est, aut loquimur de necessitate immutabilitatis, aut coactionis, &c. Primo modo verum est quod immutabiliter se habet divina voluntas ad donum gratiæ omni volenti recipere faciendo quod in se est. Et Solutione ad 5.* inquit. *Nullus potest se disponere sufficienter ad gratiam, nisi Deus ipsum disponat, sed si faciat quod in se est, consequitur dispositio divinæ adjutory.* Et §. *Ad illud* explicans quid sit facere quod in se est dicit esse, *facere ex motione boni facta ab authore naturæ.* Ad hoc dicendum loqui in prioribus verbis apertè de præparatione ad gratiam justificantem, & docet quod facienti quod in se est, ex motione scilicet Spiritus sancti necessariò datur gratia necessitate infallibilitatis, quam Alensis vocat necessitatem immutabilitatis. Illud vero quod adducitur *ex §. Ad illud*, non habetur in Alensi, sed aliud longè diversum dicit enim quod si homo cognoscens Deum ex creaturis secundum istam motionem operetur suo arbitrio, recurrendo ad illum quem scit suum esse principium, & quem scit esse orandum, & petat ab eo lumen cognitionis fidei & boni, dabitur ei. Sed planè intelligit si id faciat & petat adjutorio Spiritus sancti, sine quo nec potest petere lumen cognitionis fidei.

Et hoc clarius colligitur ex verbis sequenti- 414
bus, in quibus sic concludit: *Si ergo averiat suum arbitrium ab actu peccati, & dirigat ex lumine fidei in justitiam damnantem reprobos, & salvantem justos, ex primo creabitur timor, & ex secundo spes, & hoc est facere quod in se est.* Præsupponebat ergo in his verbis Alensis, id quod

Digitized by Google

est manifestum, non posse hominem sine gratiæ aliquo auxilio aversi à peccato, considerare justitiam Dei in reprobis, & misericordiam in prædestinatis. Vnde supponebat hoc non fieri ab homine nisi ex divino auxilio, & sic dixit, quod si homo hoc faciat quod in se est ex divino auxilio, Deus immutabiliter dabit vlterius auxilium gratiæ, quo se ad justificationem disponat.

415 Inducitur etiam Vega *libro 13. in Concilium Tridentinum, capite 12. ad finem, §. at Deus folio 522. Columna prima*, qui dicit quemlibet viatorem posse secundùm legem converti, quia nullus est ex viatoribus qui non possit benè vti naturalibus suis: ei autem qui sic fecerit, Deus qui nemini deest facienti quod in se est, auxilium sine dubio præstabit sufficiens ad obtinenda bona supernaturalia.

416 Ad hoc respondemus familiare his authoribus, qui ista opponunt esse; ut ex authoribus quos pro se inducunt, quædam extrahant, aliis omissis, quæ vel in eodem loco vel in aliis ijdem inducti Doctores habent: quibus manifestiùs se exponunt. Quod sicut in plerisque aliquando dedimus, & dabimus manifestum; ita in inducto nunc Vega redditur satis conspicuum: ipse enim in *libro 6.* ad idem Concilium Tridentinum, alia præmiserat, quibus istorum authorum sententiam negat: per quæ proinde ipse Vega venit intelligendus & explicandus in objecto testimonio. Etenim citato nunc *libro 6. ad 5. & 6. cap.* Concilij Tridentini, *capite 10.* in fine expressè dicit quod nulla lex est statuta secundùm quam Deus aliquos peccatores vocare & prævenire debeat. Et *capite 11.* immediatè sequenti, pro certo reputat quod si de hoc esset lex statuta; illud bonum opus naturale haberet rationem meriti de congruo respectu donorum gratiæ, & in vtroque capite sæpiùs repetit, quod Deus nos prævenit, & quod nos non prævenimus Deum, nec inchoamus salutem: In quibus apertissimè, & in terminis, semel, iterũ & tertiò sententiæ quam reprobamus contradicit. Vnde quod postea asserit in obiectis verbis, per hæc priora debet explicari: quod nempe asserat auxilium sufficiens sine dubio ad obtinenda bona supernaturalia dari ei qui benè usus fuerit naturalibus, scilicet ex prævio auxilio divino, quo benè vtitur naturalibus, ut sæpius est dictum: nullus enim ex viatoribus est, qui ex tali auxilio non possit bene vti naturalibus suis.

417 Citatur Ruardus Tapert. *Art. 7. de libero arbitrio, §. Doctores pag. 548.* ubi postquam asserit, quod facienti quod in se est ex auxilio gratiæ Deus non denegat gratiam sanctificantem subjungit. *Quod tamen Deus adest facienti quod in se est ex puris naturalibus ad illustrationem, & instinctus divinos; ad quos ex immensa Charitate inducitur, non autem ex illo merito aut dignitate piè creditur. Sed quod semper & quasi ex infallibili ordinatione Dei adsit, ut necessaria salutis largiatur, diximus superius non certò constare, piè tamen hoc confidimus ne de aliquo desperetur.*

418 Ad hoc dicendum, quod dum expressè dicit non esse certam legem de danda aliqua gratia facienti quod in se est ex solis naturalibus suis: manifestè legem certam, quam isti authores de hoc constituunt, negat, & contra ipsos pugnat. Nec enim solùm certam legem inficiatur: sed quod semper detur, & quasi ex infallibili Dei ordinatione, dicit certum non esse, quod tamen certum esse ij authores contendunt etiam sine verbo *quasi*. Quod autem asserit id piè esse credendum, nec illam certam legem, aut quasi certam ordinationem: cum illud piè credere, contra talem certam legem opponat, sed piè credendum dicit, quia multoties Deus pro sua misericordia ita facit. Rursus, multa piè credimus Deum efficere, quæ tamen attentis inscrutabilibus iudiciis suis plerumque non efficit. Pié enim credimus quod oranti pro se & de pertinentibus ad salutem, Deus id ipsi concedat; & tamen multoties sic orans id non accipit; quia quod tunc non conceditur, alio opportuniori loco dandum reservatur. Si ergo homo ex fide & divina motione orans non statim accipit quod petit, etiam si pie credamus, quod statim accipiet, sed multoties differtur pro alio tempore dandum: Quomodo facienti quod in se est ex solis naturæ viribus semper infallibili ordine à Deo gratia consequitur: Insuper quod vltimis verbis asserit, id piè credendum, nec de aliquo desperetur, minùs rectè fuit additum: quia ut de nullo desperetur; satis est, quod Deus possit eum, cum sibi placet, illuminare, non autem tractus ab ipso homine sic facienti quod in se est.

Alia autem verba præmiserat Ricardus, *eodem asserti. artic. 7. pag. 200.* quæ magis mentem eius exponunt, postquam enim dixit quod homini justificato facienti quod in se est, Deus præstò adest; & etiam homini qui divina attractione attrahitur ad fidem; statim de homine faciente quod in se est ex sola facultate naturæ sic dicit, *Ex quibus manifestum est ad quid conducat, vel valere possit quod faciat homo quod in se est ex solis naturæ dotibus sine gratuita Dei præparatione; sine qua nemo fidem, vel initia fidei accipere potest: ad quam tamen vtcumque præparatur bono usu naturalium.* Ex quibus constat illum expressè dicere nec fidem, nec initia fidei dari infallibiliter facienti quod in se est ex solis viribus suis sine gratuita Dei præparatione: In quo doctrinam horum authorum confundit: qui contendunt infallibiliter, & certa lege dari initia salutis, seu gratiam aliquam in qua salus initiatur, facienti quod in se est ex solis viribus suis. Rursus secundò ait, quod sine gratuita præparatione non potest accipere homo illa initia salutis: & tamen ij Authores asserunt sine divina præparatione accipere certa lege hominem faciendo quod in se est viribus suis: initia reipsa gratiæ. Affirmat tertiò, quod homo sic faciendo quod in se est suis viribus tantùm vtcumque præparatur: vtcumque, dixit, quia sic bene operando suis naturalibus viribus, se reddit minùs indignum, & minùs ineptum, minoraquè impedimenta gratiæ ponit, quàm si malè operetur: & in hoc sensu dicit quod vtcumque præparatur. 419

CAPVT XXVI.

Alios Scholasticos Doctores id non asserere demonstratur.

ALios cumulant Scholasticos pro sententia sua supradicti Authores, quos nec eis favere ostendendum est modò.

Inducitur Ioannes Driedo in duplici loco. 420

Primo

Digitized by Google

Primo libro de concordia liberi arbitrij 2. par. cap. vltimo, folio 53. vbi sic ait. *Non perniciosè fallitur, nec in hæresim consentit Pelagij, si quis tam piè de diuina sentiens misericordia credat neminem ex adultis esse derelictum per totum tempus vitæ suæ in solis naturæ talentis: aut si fuerit sic derelictus, eundem per ea quæ facta sunt super mundi fabricam posse assurgere, ad cognoscendum ipsius Dei Creatoris inuisibilia, ex qua cognitione si quantum in se est, faceret, ut Deum glorificaret, ad illumque pro remissione peccatorum respiraret, illuminaretur interius vel prouideretur de magistro, qui eum quid oporteat facere, doceret.*

421 Secundus locus citatur ex eodem *de captiuit. & Redempt. tract. 5. c. 2. folio 125.* in fine ubi sic ait. *Non videtur derogari gratiæ si quis dixerit ex solis ingenitis naturæ legis stimulis sese præparare & aptum facere, ad quem adjuuandum veniat Deus non quod adiuuari mereatur.* Et iterum ait ibi *si in quantum in se est, faceret, illustraretur diuinitus; quemadmodum dici solet omni homini facienti quod in se est, seu benè utenti naturæ suæ donis, sufficienter adest Deus instruens illum vel per hominem, vel per Angelum vel per se ipsum.*

422 Ad primum testimonium dicendum quod in illo Driedo tale non dicit, sed si legatur potius totum contrarium. Nam ibi dicit quod homini justificato, si faciat quod in se est ex diuino auxilio, Deus infallibiliter adest, ut perseueret. Similiter dicit, quod facienti quod in se est ex attractione diuina ut ad fidem veniat, Deus etiam infallibiliter adest: & quod hoc dicunt Scripturæ sanctæ, cum asserunt Deum neminem deserere. At verò inquit facienti quod in se est ex sola facultate naturæ dona gratiæ infallibiliter non dantur: nec se ad gratiam per illa præparat homo: vnde totum contrarium asserit, quod ij authores à quibus inducitur. Imò hæc alia verba ibi adhibet, quibus eos, qui eum pro se citant, apertiùs condemnat. *Si quis piè ita credat* (quod videlicet Deus det gratiam facienti quod in se est solis naturæ viribus) *non autem dicat esse de hoc certam legem statutam: quia ubi intervenit lex, ibi pactio & conventio:* manifestè ergo damnat doctrinam quam damnamus de illa certa & infallibili lege, & sic explicat quomodo priora verba objecta posuerit, quod videlicet, piè potest ita credi, dummodo certa lex de hoc non constituatur.

423 Ad secundum testimonium dicendum, illa verba quæ ex ipso opponuntur haberi quidem in illo, sed in argumentis, quæ ipse objicit in contrarium; & quibus statim respondet negativè, resolvendo totum contrarium, ut legenti & intuenti constabit. Iuxta quem citandi modum omnes doctores possunt pro se allegare; qui hanc illorum sententiam damnant si argumenta objiciant, quæ in contrarium opponunt. Vnde ipsemet Ioan. Driedo *eodem cap. 2. folio 126.* hanc continuans & clariùs tractans & resolvens quæstionem: Sic dicit. *Proinde quod dicimus hominem facere quod in se est, trifariam potest intelligi, vno quidem modo facere quod in se est, est facere quantum ipsa natura potest ex se, id est ex suis solis viribus à conditore naturæ insitis, non peculiariter attractis à Deo Patre, veluti ædificare domos, plantare vineas, diligere benefactores, honorare parentes, non furtum facere, non mentiri, non falsum testimonium dicere: & sic faciens quantum in se est, non meretur gratiam, nec ad acquirendam gratiam se præparat, quia ad habendam gratiam præparatur voluntas à domino, &c.* Verum est in hoc testimonio loqui de gratia justificante, ad quam dicit præparari à domino voluntatem: non à naturæ suæ solis viribus. Cæterùm cùm dicat non præparari ad illam per naturæ vires, omnem præparationem etiam remotam negat: Et sic negat quod ei detur auxilium gratiæ, quo se postea præparet ad gratiam proximè, quod est advertendum. Imò omnes in vniversum Theologi qui negant propriam dispositionem seu præparationem remotam ad gratiam justificantem posse haberi solis naturæ viribus (omnes autem illam negare videntur præter Ludovicum Molinam, & qui eius defendunt sententiam, qui etiam hoc defendere ausi non sunt: sed suum Molinam conabantur explicare: provt in superioribus assertionibus visum fuit) eo ipso asserunt non dari infallibiliter auxilium primum gratiæ facienti quod in se est ex solis naturalibus viribus suis; quia si sic infallibiliter illud primum auxilium gratiæ daretur, sicut homo per naturæ vires ad illum recipiendum se proximè disponeret, ita ad gratiam justificantem disponeret se remotè nempe medio illo tali auxilio.

Inducitur & Ricardus *in secundo, distinctione 28. articulo 7. quæst. 2.* dicens quod homo per sua naturalia, & generali motione potest se non proximè, sed remotè disponere ad gratiam justificantem; ex quo inferunt quod se proximè per illa naturalia disponit ad gratiam excitantem. Ad hoc dicendum sicut ad Albertum Magnum, Altisiodorensem quod nomine dispositionis largè intelligit minorem repugnantiam & ineptitudinem ad gratiam, non autem propriè dispositionem, cui gratia excitans infallibiliter correspondeat; sicut de siccitate in ligno respectu ignis dictum est. 424

Inducunt Egidium *in secundo distinctione 28.* Sed ibi tantùm dicit quod est congruum ut Deus det gratiam facienti quod in se est ex solis naturalibus viribus; ex quadam nimirùm congruitate fundata in Dei misericordia; non tamen dicit illud opus esse meritum de congruo respectu gratiæ & multò minùs asserit esse certam legem de danda sic gratia infallibiliter illi homini operanti ex solis naturæ viribus. Imo *eadem distinctione 28. artic. 3.* immediatè sequenti in corpore manifestè dicit, quod homo suis viribus nequit se ad gratiam præparare. Et §. *quod verò addebatur quarto*, se explicans quomodo detur gratia facienti quod in se est, inquit, *licèt habentes gratiam habeant eam per diuinam misericordiam: non habentes autem careant ea per suam culpam, dum tamen sunt adulti si semper fecissent quod in se est; & non resistèrent diuinæ motioni, habuissent gratiam.* Vnde ad hunc sensum intelligit quod datur gratia facienti quod in se est, id est non resistenti diuinæ motioni: quod aliud valde diversum est, & verum, quod nempe cum Deus vocat, si homo ei non resistat gratiam accipiet: tunc enim iam Deus incipit, & homo obedit, sed ut non resistat, & obediat, indiget gratia adjuvante per quam vocanti sic & excitanti obedit, ut infra suo loco copiosè explicaturi sumus. 425

Inducunt etiam Roffensem, *artic. 7. contra Lutherum:* sed nullo modo dicit quod facienti quod in se est ex solis naturæ Deus certa lege aut infallibiliter gratiam tribuat, hæc enim illius ibi verba sunt. Orationes & eleemosynæ factæ ab existente in peccato, aliquid inducunt ut homo recipiat gratiam: Quæ verba 426

Digitized by Google

protulit contra Lutherum contendentem omnia illa opera esse peccata: quod ut Roffensis refutaret: asseruit, illa peccata non esse, sed aliquid conducere, ut homo gratiam consequatur. Quod ut supra manet expositum, duplicem habet legitimum sensum: primum quod multoties fiunt ab homine moto divino supernaturali auxilio, & per talia bona opera ipsum remotè disponendo ad gratiam, & sic verè aliquid conducunt ad gratiam secundum quod etiamsi fiant solis naturæ viribus nulla mala adhibita circunstantia, ad hunc sensum aliquid conducunt ad gratiam, quod hominem reddunt minùs indignum, & minùs ineptum ad gratiam, minoraquè habentem impedimenta & quod pulsant divinam misericordiam cui innituntur: cùm aliàs bona opera sint, atque multoties Deus ex sua misericordia auxilium gratiæ tribuit, quo hominem disponit ad justitiam; non ex merito aliquo, vel lege aliqua, vel propter tale opus, vel aliqua infallibilitate, sed sola & pura misericordia, quia quando sibi placet dona suæ gratiæ largitur homini sic minus indigno, & minora habenti impedimenta.

427 Inducitur etiam Corduba qui in *lib. 2. quæstionum quæst. 4. post mediam in tertio Argumento contra secundam opinionem*, proponendo tertiam rationem dubitandi, ait, *facienti quod in se est etiam secundùm naturæ vires Deus dat auxilium & gratiam*, & sic ait esse dicendum iuxta communem Doctorum sententiam, quæ supponitur contra aliquos Thomistas.

Verum Corduba nullo modo dicit quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus certa lege det gratiam: Imò si aliqua attentione legatur, contrarium docet, loquitur enim de faciente quod in se est ex divino auxilio. Quod ut constet, advertendum, ipsum ibi illam quæstionem tractare, an de his quæ sunt merè de jure divino possit esse ignorantia invincibilis in hominibus iustis & sanctis, & asserit in sanctis & justis fuisse veram ignorantiam invincibilem aliquorum quæ erant de jure divino: quod probat *in §. probatur quadruplicitèr, & in §. secundo*: Deinde venit ad tractandam illam aliam: an de Christi explicita fide post promulgatum Evangelium possit dari ignorantia invincibilis per totam vitam, ita quod homines justi aliàs excusentur à receptione illius. Et in hac quæstione resolvit: quod cum fides explicita Christi, sit necessaria ad salutem, Deus infallibiliter ante mortem de illa illuminabit eum, qui aliàs ex divino auxilio sanctus & justus est per fidem nempe illius implicitam: quod probat *in §. quod autem Deus ex facto cum Cornelio artic.* 10. qui utique jam justus erat & Eunuchi Reginæ Candacis *artic.* 16. Et beatæ Barbaræ, Christinæ, & aliorum Sanctorum, inquit, divinitùs de explicata fide edoctorum, & in isto contextu perseverans ait: *in §. & nota hæc verba. Sæpe dictum est Deum opportunè ante mortem de hujusmodi fidei explicitæ Christi illuminatione providere facienti quod in se est. Nam non statim illuminat, sed aliquando citiùs aliquando tardiùs, & interim illo tempore intermedio ignorantiæ invincibilis, licet enim Deus statim det gratiam facienti quod in se est cum auxilio speciali, quia ad statum salutis in via statim necessaria est secundum quod docent communiter Doctores contra aliquos Thomistas & Cajet. 1. 2. quæst. 112. artic. 3. & in quolibet. non tamen statim sed opportunè quando sibi placet, concedit alia dona ad salutem pro statu viæ non necessaria.* Hæc ille ex quibus duo brevissimè colliguntur. Primùm authorem istum loqui expressis verbis de faciente quod in se est cum divino auxilio, & tamen authores cum quibus agimus eum inducunt pro facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. Secundùm Deum non statim dare fidem explicitam Christi etiam facienti quod in se est cum divino auxilio. Et tamen ij authores illum inducunt ut statim facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus det fidem, vel gratiam.

Addit autem Corduba adhuc non esse certum; 428
esse legem infallibilem quòd Deus det explicitam fidem Christi facienti quod in se est etiam ex divino auxilio ut præmiserat, quod probat *in §. Respondeo* per tria dicta, & sequentibus, vnde constat sine fundamento pro se inducere authores hos Cordubam, cum potius oppositum dicat, sicut & alij superiùs inducti, & explicati.

Sed venio ad magistrum Cumel in quo etiam 429
laborant suam sententiam fundare. Dicunt enim quod illam ipse defendat *prima secundæ, quæstione 112. artic. 3. disputatione quinta*, vbi sic habet *Nam profectò plurimi adulti aliàs fuissent de facto damnati, quibus nulla ratione esset imputandum quod non fuerint conversi, sed tantùm Deo id esset adscribendum, qui eo tempore, quo illi nullum apponebant obicem, sed potius præstabant totum quod viribus naturæ poterant, non illis adfuit quod est apertè contra Isai. 65. Ecce ego, &c.* Idem dicit *disputatione 4. concl. 3.* cuius & verba sunt. *Quando homo ex viribus naturæ facit totum quod in se est benè operando, statim à Deo de facto illuminatur.*

Sed his non obstantibus prædictus Author in 430
duobus reprobat prædictam certam legem de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. Primò eam condemnat intellectam de gratia justificante: quod videlicet detur ipsa, vel vltima dispositio ad eam facienti totum quod in se est ex solis naturæ viribus, sicut eam dari constituit publicator illius certæ legis, provt in superioribus visum est. Hoc enim in ipso est manifestum primo super eamdem *quæstionem 112. art. 3. disput. 3.* vbi sic habet, *falsum est enim dicere quod facienti ex viribus naturæ præcisè bonum, Deus det gratiam.* Et loquitur de justificante, *vel ex merito, vel dispositione vel ex lege ordinaria. Et qui sic loqueretur erraret cum Pelagio*, quod ibi diffusè probat. Idem docet ibi *in 4. concl.* & probat quia si ex naturæ viribus haberetur sufficiens præparatio ad gratiam, Christus gratis mortuus esset. Et iterum ibi *concl. 1.* postquam in terminis retulit horũ authorum, cum quibus agimus sententiam, inquit; *Quantumcumque homo conetur & operetur per vires naturæ præcisè sumptas, non est aliqua necessitas, vel infallibilitas consequendi gratiam Dei vel lex.* Quod ibi late confirmat ex Scriptura & patribus.

Deinde eadem *prima secundæ, quæstione* 109. 431
artic. 6. disputat. vnica concl. 4. ait: *Dicere quod fortassis est lex infallibilis & vniversalis Dei, quod peccatori operanti benè moraliter ex viribus naturæ circa opera misericordiæ, & similia, ex tali lege donantur auxilia supernaturalia quibus de facto infallibiliter homo convertitur & habet gratiam Dei, mihi videtur falsa, temeraria, & fortè erronea sententia, imò hoc est contra Concilia citata.* Qui ergo contendunt quod non fortassis sed assertivè esse certam legem, ut quoties

homo

Digitized by Google

homo ſolis naturæ viribus facit quod in ſe eſt in ordine ad iuſtificationem, de dando auxilio gratiæ; ut de facto juſtificationem conſequatur: multo magis ſecundum Magiſtrum Cumel ſupradictam cenſuram meretur.

432 Igitur eſt manifeſtum damnari grauiter à Magiſtro Cumele iſtorum authorum ſententiam, pro ea parte qua promittit certa lege iuſtificationem facienti totum quod ex naturæ viribus poteſt, ut eam conſequatur.

433 De ſecundo puncto ſcilicet de auxilio primo gratiæ præuenientis, quod etiam certa lege ab his authoribus promittitur homini faciẽti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, etiam eos expugnat eadem *prima ſecundæ, quæſt. 112. artic. 3. diſputatione prima, §. quarta concluſio*; poſtquam enim retulerat patres aliquos, qui tenere videbantur dari auxilium præuenientis gratiæ facienti quod in ſe eſt, ſic continuò ſubjungit. Quod ſi hoc intelligatur de vltima diſpoſitione liberi arbitrij ſupernaturaliter adjuti à Deo, & de lumine gratiæ iuſtificantis, eſt omnino verum. Si verò de lumine gratiæ præuenientis præcisè, & de arbitrio cum ſolis naturæ viribus, piè exponendum eſt quod à ſanctis citatis dicitur, ſic quod non ex lege aut quod non ſemper eveniat, ſed quod ſæpiùs contingat ex divina miſericordia. Hæc ille. Clariſſimè ergo refutat illam certam legem de dando gratiæ præuenientis auxilio facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, piéque docet explicandos Patres ſi aliquando dicant dari auxilium præuenientis gratiæ facienti quod in ſe eſt ex ſolis illis naturæ viribus ſi hoc inquit dicant (quia Patres hoc non docent) piè inquam explicandi eſſent quod non ex certa lege aut ſemper talis gratia detur, ſed quod ſæpiùs ex divina miſericordia ſic igitur explicandus eſt, ſicut alios ipſe explicat, in duobus locis oppoſitis, quod non dicat quod ſemper, vel ex certa lege, ſed plerumque. Vnde quidquid ipſe dicat certum eſt quod illam certam legem ſemper negat.

434 Accedit quod magiſter idem in vltimis ſuis operibus, *ad primam partem, & prima ſecundæ, Sancti Thomæ*, hanc accuratiùs tractans quæſtionem ſic ait. *Alij fuerunt & ſunt Theologi, qui volunt poſſe hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratia auxilium ſeu primam vocationem obtineat, in quo ſenſu interpretantur celebre illud proloquium facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, de illo qui ex innatis viribus, ſeu per vires liberi arbitrij facit quod in ſe eſt. Quam ſententiam (quod eſt mirabile) volunt recentes Theologi hujus ætatis non quidem damnare, ſed piè explicare, ne cum Semipelagianorum errore involvatur, quia ut ipſi putant habeat catholicum ſenſum, quem ego non video.*

435 Et poſt pauca primam concluſionem ſtatuit in hunc modum: *Dico primo: initium ſalutis animæ nulla ratione incipit ab innatis viribus naturalibus*; Et ſtatim: *Ex veritate hujus aſſertionis colligo ſententiam illam, quæ aſſerit non ex debito juſtitiæ, ſed infallibiliter, aut neceſſariò ex lege Dei immediatè ſequi ad operanaturalia ſupernaturalem gratiam actualem ſeu auxilia, & præſidia ſupernaturalia Dei, quibus quoties ex ſuis naturalibus viribus homo aggredi voluerit, opus aliquod ex his quæ ad juſtificationem ſpectant, illud aſſequatur prout ad ſalutem oportet, non poſſe benè defendi.* Et ibi probat quod ad rationem meriti ſufficere videtur quod merces debeatur non ex natura operis, ſed ex pacto, & lege, ſicut ſententia conſtituit, quam impugnamus ut appareat non nos eſſe primos, qui meritum deducamus ab eis poni in illa certa lege quam defendunt. Vbi etiam impugnat quod per hoc quod homo ſic faciat quod in ſe eſt, ponat in poteſtate ſua poteſtatem, ut filius Dei fiat, ſicut in his authoribus nos ſupra impugnavimus.

Et tandem in quinta concluſione ita concludit. *Dico quinto: Celebris illa ſententia Theologorum, quæ valde celebratur in ſcholis nimirum facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, nulla ratione explicari poteſt de faciente quod in ſe eſt ex viribus innatis, aut naturæ conatibus, ſeu operationibus ordinis naturæ præciſe, ad quas ex lege Dei conſequitur gratia. Neque poteſt explicari de diſpoſitione poſitiva operum naturalium ad quam ex lege Dei conſequatur gratia. Vnde non poteſt intelligi, nec explicari de homine peccatore faciente quod in ſe eſt per vires naturæ; ſed per gratiæ auxilium: Ac proinde eo poſito non poteſt accommodari ad collationem primi auxilij, & primi initij, ſed ad ſubſequentia.* 436 Cùm ergò tam apertè ſemper ac efficaciter illorum ſententiam damnet: quomodo ab his authoribus pro ſua ſententia adducitur Magiſter Cumel, qui ut verè doctus, & Sancti Thomæ diſcipulus ac defenſor doctrinæ illius, cum ipſo ſanctiſſimo præceptore illorum ſententiam penitus ex profeſſo, & multis locis expugnat tanquam non habentem catholicum ſenſum, & reipſa meritum conſtituentem in illis naturæ operibus reſpectu primi auxilij gratiæ?

De Gabriele autem, Delphino, Iulio, Sireno, 437 nec tempus in eorum legendis opuſculis conſumere viſum fuit, quidquid enim ipſi dicant, vel pro, vel contra, cum nullius authoritatis ſint, nihil omnino retulerit.

Et hic longiſſimæ huic quæſtioni, quia pri- 438 ma & principalis controuerſia eſt quæ his temporibus ventilatur, finem imponamus; aduertendo ſolum etiam Cardinalem Bellarminum eamdem ſententiam de certa lege dandi gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus referre inter errores Pelagianæ ſententiæ & reliquiarum eius, quod dicit *libro 6. de gratia & libero arbitrio, cap. 4.*

Tandem ut cum iſta propoſitione de faciente 439 quod in ſe eſt ex viribus naturæ concludamus, referam verba quibus illam vtraque illa inſignis ſchola Lovanienſis & Duacenſis eamdem piè & doctè refutavit. Lovanienſis ſic habet in cenſum ad 18. quandam propoſitionem, in qua hi authores cum quibus agimus, hanc doctrinam tradiderunt. *Ad rationem ſubjunctam reſpondemus, quod quantumvis infideles faciant quidquid ex naturali ſola diſpoſitione poſſunt, nihil adhuc faciunt quod ad æterna ſalutis cauſam pertineat quoniam Chriſtus ſua gratia neceſſitatem commendans, ſine me inquit nihil poteſtis facere, quod ad veram ſcilicet juſtitiam, & æternam beatitudinem proſit. Quamquam enim qualiſcumque huiuſmodi ex naturali diſpoſitione infidelium conatus, aut innocentia minor*, ſit gratiæ ſuſcipiendæ indiſpoſitio, nulla ejus tamen Deo conferendæ prouocatio, vel cauſa exiſtit. Quod vel inde apparet, quia ſæpiſſimè, non modò non quærentibus, ſed & adverſis inimicis rebellibus, nullis eorum præcedentibus bonis huiuſmodi ſtudiis atque conatibus, per Chriſtum donetur, aliis præteritis, in quibus major & naturalis huiuſmodi Innocentia, & quaſi iuſtitia quædam eluxerit. Sanè contraria ſententia non ſatis recedere

Digitized by Google

cedere videtur ab illo toties damnato dogmate videlicet Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari.

440 Duacenſis autem Vniverſitas, ita in ſua Cenſura ad prædictam 15. propoſitionem reſpondet: *Quod autem attinet ad illud facere quod in ſe eſt, ſi ſic intelligitur, ut ſit facere quod quiſque poteſt ex ſolis naturæ viribus ſine gratia Dei, eo ſenſu non rectè dicitur: ſi homo faciat quod in ſe eſt illum à Deo illuminandum, ut credere poſſit, vel converti: Nam ſic gratia Dei homini ſecundùm quod conatur, facitque quod viribus naturæ poteſt, & aliquo ſaltem modo ſecundum merita daretur, quod olim reprobatum eſt. Nec ad occulta Dei judicia pertineret cur hic credat, ille non credat, hunc Deus liberet, illum non liberet, quod vult Auguſtinus Epiſt. 105. ad Sixtum & alibi, ſed ipſe ſe homo aliquo modo diſcerneret per id quod non accepit, quod negat Apoſtolus. Notum quoque eſt illud Proſperi, quod ſine Dei gratia nemo currit ad patrem; ſi verò dicitur homo facere quod in ſe eſt dum facit quod eſt in ipſius poteſtate ſecundum quod eſt motus à Deo, quomodo eam luculenter exponit Sanctus Thomas in ſumma, rectè dicitur hoc pacto homini facienti quod in ſe eſt Deum ſuâ gratiâ non defuturum, quia omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Nec eo modo ſine gratia itur ad gratiam, quoniam petere, quærere, pulſare, atque omnino conari ad bonum ſalutare nemo poteſt niſi per Dei gratiam hæc eadem in homine fiant, quemadmodum, clarè diffinitum eſt in Concilio Arauſicano.*

Ita hanc propoſitionem à nobis refutatam priùs doctiſſimè citata vtraque illa celebris Schola expugnavit oſtendens id, quod multipliciter, ut arbitramur, probatum & oſtenſum reliquimus, nimirum per talem propoſitionem aliquo modo poni gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, aliquo, inquam modo, ſcilicet initiativè, ut dictum eſt.

CAPVT XXVII.

Alios authores pro oppoſita ſententia adductos id minùs aſſerere monſtratur.

441 IN fine capitis quinti Authores alios, qui noviſſimè ad formam illius propoſitionis, facienti quod in ſe eſt Deus certâ lege dat gratiam, ſeu illorum initiorum ſalutis noſtræ citabantur, induximus, quos nihil tale aſſeruiſſe oportet nunc declarare: potiſſimè cum ſint Sancti illi Patres, qui efficaciùs iſta ſalutis initia, quæ à Pelagianis malè conſtituuntur ex nobis, perpetuò expugnarunt. Nec ad præſens illam ibi relatam ſententiam cujuſdam Thomæ Pij ponentis, ut ibi diximus, manifeſtè initium noſtræ ſalutis ex nobis eſſe cum aliis ſequentibus, modò impugnamus, quippè quæ ſe ipſam tam apertè condemnat, & ut ibi relatum dedimus: In Hiſpania, ubi liber prælo mandatus eſt, etiam fuit prohibitus, & graui cenſurâ notatus. Non inquam illam de nouo impugnamus ſed tantùm Sanctos ibi inductos omninò illis initiis non fauere jam demonſtremus.

442 Inducebatur in primis Sanctus Hieronymus 1. *libro dialog. contra Pelagium, in principio* ſub nomine Attici contra Critobolũ (qui repræſentans perſonam Pelagij introducebatur) dicens: *Conſtat ergo inter nos in bonis operibus poſt propriam voluntatem Dei nos niti auxilio*; Vbi, quia dixit poſt propriam voluntatem, inferunt priorem eſſe hominis voluntatem incipientem bonum: & poſtea Dei adjutorium ſubſequens. Verum iſte ſenſus tantò à Sancto Hieronymo alienus eſt, quantò Pelagianorum eſt proprius ponentium Deum adjuvare nos, quia nos priores operamur; vnde ſenſus Sancti Hieronymi eſt, quod *poſt*, id eſt, præter propriam voluntatem Dei vtimur adjutorio licèt formalior eſſet ſermo, quod præter propriam voluntatem Dei iuvamur adjutorio. Hoc autem ideo Sanctus Doctor dixit conſtare inter nos, quia Critobolus, contra quem agebat, conceſſerat, gratiæ Dei eſſe ut per ſingula opera illius adminiculo fulciamur, quod Critobolus de auxilio conſervationis æquivocando intellexit, ut poſt pauca ſe exponendo declaravit, cujus proinde æquivocationem poſtea detegens Atticus contra illum intulit, quod omnem Dei gratiam auferret.

Similiter quod ex eodem Sancto Doctore *eodem libro* apponitur ex eodem Attico, *Oro te non legiſti, non enim volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, ex quibus intelligimus noſtrùm quidem eſſe velle, & currere, ſed ut voluntas noſtra compleatur & curſus, ad Dei miſericordiam pertinere, atque ita fieri ut & in voluntate noſtra, & in curſu liberum ſerveiur arbitrium: & in conſummatione voluntatis & curſus, Dei cuncta potentia relinquantur.* Ex quibus verbis inferebatur ſcripſiſſe Hieronymum voluntatem noſtrã ex ſe ipſa incipere, & poſtmodum ab adjutorio Dei complente adjuvari: ſed ut dictum eſt, hoc Sanctus Hieronymus in illis dialogis, & epiſt. ad Cteſiphontem damnavit, vnde hoc ei attribui non poteſt. Quare ſenſus illius eſt; noſtrum eſſe velle & currere, ſed miſericordiæ Dei eſſe complere & conſummare, non quidem initium bonæ voluntatis, ſed ipſam voluntatem illam reducendo in actum primum completum ad agendum & ſic eam complere, & conſummare, ut velit & currat. Etenim adjutorium Dei cum proprietate dicitur complementum voluntatis, & virtutis ejus, cum ipſam compleat reducendo in actum primum completum ad agendum. 443

Opponebatur tertio ex eodem Sancto Doctore ex *tertio libro Dialogor.* dicente contra Pelagium nomine eiuſdem Attici: *Etiam in domini poteſtate eſt, ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Ex quibus inferebatur, noſtrum eſſe incipere bene operari, & Dei adjutorium complere, quod à nobis inceptum eſt: qui tamen ſenſus, ut ex primo noſtro libro manifeſtè conſtat, Pelagianus eſt conſtituens ex nobis initium ſeu inchoationem boni operis & conſummationem ex Deo, quam propterea nullo modo intendit Hieronymus, qui Pelagianos impugnauit, ſemper docens in illis libris neceſſarium Dei adjutorium ad ſingula opera, & ex conſequenti etiam ad illas boni operis incoationes. Vnde ſenſus eſt implec quidem noſtrum bonum propoſitum, & noſtrum laborem: quem tamen etiam incepit in nobis, ut in aliis locis ſe exponit, ut etiam Author hujus oppoſitionis fatetur. 444

Inducebatur etiam S. P. Auguſt. ad idem ſuadendum, *lib. 2. retract. cap. 31.* illis verbis: *Salus religionis hujus per quam ſolam veram vera ſalus veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.* 445

Digitized by Google

fuit. Sed mirandum planè quod illis verbis S. D. inducatur cum ibi totum oppositũ dicat ejus quod prætenditur, se explicãdo in eo quod dixerat priùs contra quæstiones paganorum, seu in libro qq. paganorum. Vnde ejus verba integra sunt in illo loco ex lib. 2. tract. opposito. *Quod dixi salus religionis hujus, per quam solam veram, vere salus veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit, non ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit: sed quemadmodũ ait Apostolus, non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, major serviet minori, quam vocationem ad Dei propositum asserit pertinere, & unde dicit non secundùm opera nostra sed secundum propositum suum & gratiam, & unde idem dicit, scimus quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: his, qui secundum propositum vocati sunt sancti, de qua vocatione ait, ut dignos vos habeat vocatione sua sancta.* Cum ergo tam manifestè opera ex nobis solis facta neget, propter quæ, vel quibus gratia ipsa infallibiliter reddatur: quomodo pro illis initiis naturæ S. P. Augustin. ab aliquo potuit citari?

446 Inducebatur 2. idẽ S.P. & D. *l. 3. de lib. arb. c. 19.* illis verbis: *Rectè enim fortasse quæreretur si erroris & libidinis nullus hominũ victor existeret. Cum verò ubiq; sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Dño servientẽ aversum vocet, doceat credentẽ, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.*

447 Ad hoc dicẽdũ primò, quod licet videatur hic docere auxiliũ sufficiẽs omnib⁹ generaliter dari, infra agẽtes de auxilio sufficiẽte cómodius quid intẽdat explicabimus. Quod ait Deũ adjuvare conantẽ & exaudire deprecantẽ: verum est, & à nullo potest negari, sed quem ipse Deus priùs conantem facit, adjuvat conantẽ, & quẽ facit deprecantẽ, exaudit.

448 Inducebatur 3. Idem S.D. *tr. 26. in Io.* illis verbis: *Non trahens omnia ut traharis.* Ex quibus deducebatur sententiã esse S. D. quod orantibus ex sola facultate naturæ, ut trahatur ad fidem, ad ipsam de facto trahitur. Ad quod tamen respõdetur hoc S.P. dixisse exhortando ad orationẽ; quãuis certissimè vbique doceat, quod orare sicut oportet ex Deo sit, non ex sola humana facultate, juxta illud Apostol. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* id est interpellare facit, ut semper S.D. explicavit. Imò inferre ex eo quod homines exhortantur ad orationes ipsos ex seipsis orare error fuit posteriorũ illorũ pelagianorum: de quibus S.Prosp. & Hilarius *Epist. ad S.P. Aug.* cui objectioni ipse S.D. respõdit *lib. de prad. sanct* quod Apost. vtrumq; faciebat, & homines exhortabatur ad bonum: & dominũ deprecabatur ut eis tale bonũ concederet. Et Conc. Trid. *sess. 6. c. 5.* sic habet: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostra admonemur, converte nos Dñe ad te, & convertemur. Dei nos gratia præveniri cõfitemur.* Ecce docet Conc. quod Deus exhortatur nos ad id quod ipsemet facit in nobis, & quod nos petimus à Deo ut det nobis, quod ipse præcepit nobis Sic ergo & S.P. August. homines exhortatur ut orẽt ut trahantur: licèt certissimè vbiq; doceat quod à Deo habent quod sic orent, ut trahãtur. Vnde illius verba sunt ad dominũ, *Dñe da quod jubes, & jube quod vis,* quæ nõ recipiebat pelagius hanc doctrinã sanã non admittens, sicut & qui hanc de novo facit oppositionem.

449 Inducebatur quartò idem S.D. Aug. *Epist. 89.* illis verbis: *valet itaq; lib. arb. ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo & faciẽdo.* Ex his verbis S. D. nullũ prorsus sumitur argumentũ pro illis initiis naturæ: quia sensus clarus est, quod adductũ à gratia liberũ arbitriũ valet ad opera bona, quod fit humiliter petendo & faciendo: id est, hoc facit Dei adjutorium, ut homines humiliter petant & faciant opera bona. Vnde continuo subjungit: *Desertũ verò divino adjutorio, quãlibet sciẽtia legis excellat, nullo modo habebit justitia soliditatem sed inflationem impia superbia.*

Inducebatur tandem pro eisdem initiis naturæ 450
S. Prosp. *lib. 1. de vocat. gent. c. 4.* verum in toto illo capite, quod & brevissimũ est, nihil tale habet; solum enim dicit quod Philosophi quidam antiqui, *non solũ ad instituta utilissimarũ artium, & doctrinã liberarum disciplinarũ, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciẽ mentis intenderunt, & invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, nõ agentes gratias tamen Deo met confitentes illum sibi esse hujus facultatis authorẽ; sed dicentes se esse sapientes: hoc est non in Deo, sed in semetipsis gloriãtes quasi ad veritatis inspectionem suis studiis, atq; rationibus propinquassent, evanuerunt in cogitationibus suis, & quod illuminante Dei gratia invenerunt, obscurante superbia perdiderunt.* Quibus verbis totum gratiæ tribuit, & initia naturæ, cui ipsa reddatur pœnitus negat.

Quod verò citatur in *lib. 2. de vocatione gentium* 451
c. 15. pari ratione, ut dictũ est, sine fundamento & causa allegatur. Nihil enim ibi dicit, nisi quod Deus, ut in omnib⁹ sæculis & priorib⁹ & posterioribus ostẽderet se velle omnes homines salvos fieri, omnibus dedit generalia dona naturæ per quæ possent adjuvari, ut ad Dei cognitionẽ perveniãt; sed in particulari quibusdã dedit dona gratiæ: ad ostendendũ quod illa priora generalia dona, gratiæ donat nõ erãt, sed naturæ. Quod verò dici per illa generalia dona naturæ posse homines adjuvari ad Deum cognoscendũ authorẽ suum, ideo dicit, quia illa licet imperfecta in cognitionẽ Dei Authoris naturæ tendunt. Ex his verbis vnde colligũt fuisse in illis hominibus initia naturæ quibus gratia infallibiliter redderetur, cum dicat quod illa generalia dona etiam ex gratia habuerunt?

CAPVT XXVIII.

Varia ex Leonardo Lessio opponuntur, & à nobis diluuntur.

OPPOSITIO I.

POstquam cum his authoribus finitũ arbitrabamur qui tot ac tantis (ut visum est supra) totq; viis ac modis conati sunt illam propositionem de faciente quod in se est, defendere; novissimè Leonardus Lessius illã & in Scholasticis fundare, & à Semipelagianorũ errore liberare sategit. Et quia de Scholasticis dictum est abundè, quomodo illi non faveant; secundum quod proponit diligenter expendamus; Sic ergo ait: Quod autẽ hæc sententia non pertineat ad errorẽ Massilienſium, probatur primò, quia alioquin fatendũ esset omnes Doctores Scholasticos (excepto uno vel altero) jam à quingentis fere annis damnatum errorẽ tenuisse, & plurimos doctos Viros hoc tempore etiã nunc tenere. Vnde vlteriùs sequeretur Ecclesiam penè totam in eodẽ errore fuisse. Illam populus Christianus vbiq; terrarũ tenet quod à suis Parochis, & Episcopis docetur: hi autẽ docent quod à Doctoribus, in scholis audierunt; vel quod in eorum scriptis legerunt; atqui Doctores per quingentos fere annos, & fortè multos ampliùs docuerunt communiter, si homo fecerit quod in se est, etiam

Digitized by Google

per vires naturæ Deum illi auxilia gratiæ largiturum quibus si etiam bene vteretur, maiora impetraret & sic sensim posset ad salutem peruenire.

RESPONSIO.

453 Cum author iste librum hunc composuerit, vel saltem publicauerit postquam Congregatio à Sanctissimo Romæ deputata hanc propositionem de facienti quod in se est, semel, iterum, & tertiò accuratissimè expenderit, & refutauerit (quod nec illi potuit esse ignotum) tamen noviter studet eam defendere quasi ex communi consensu totius fere Ecclesiæ: Quid aliud intendit quam nedum illam vt probabilem (quod tantùm priores relati prætendebant) vel ut quomodolibet veram tueri, sed quod magis est, contrariam sicut oppositam communi consensui Ecclesiæ reprehendere, atq; damnare. Sed in omnibus ipse grauissimè errat. Nec enim Doctores Scholastici (vno vel altero excepto ut ait) per quingentos annos eam tenuerũt, sed è contra omnes Scholastici antiqui per idem tempus (vno vel altero excepto) quod verissimũ est: eam reprobant, qui propterea nec in veritate, nec sincerè ab eis inducuntur, ut dedimus manifestum. Vnde ruit & penitus evanescit quod infert Episcopos, Parochos, & Christianum populum ab eis edoctum ac per consequens totam fere Ecclesiam in illo sensu eam assertionem tenuisse. Imò addendum de illa propositione, sive in vero, sive in alio sensu accepta, cum merè ad Scholas speculativè pertineat, nec mores tangat, minùs curasse Episcopos, & multo minus Parochos, ut illam populo aliquando proponerent. Quod adeo est manifestum, ut si populus vbique interrogaretur, planè diceret se nunquam talia à suis parochis audivisse: nisi fortè mulierculas excipiamus, quibus ita hi authores, vel in confessione vel extra proponunt.

454 Absit ergo sentire Ecclesiam per 500. fere annos tenere quod ante mille sæpius in ipsa est reprobatum atque damnatum per Pontifices summos, Concilia & Patres, ut apertissimè est convictum. Cujus & manifestissimum signum est, quod cum noviter hi authores hunc pravum sensum in illa assertione publicarent, viri docti non in vna parte vel regno, non in vna vel alia Schola, non vnius vel alterius familiæ eis in faciem restiterunt, & istam propositionem damnatam esse declararunt. Testes hujus sunt florentissimæ, & antiquissimæ Scholæ in Germania inferiori Lovanienses & Duacenses: in Gallia Parisienses in suis antiquioribus constitutis (ut non semel nos dixisse recordamur in operibus istis:) In Hispania Salmanticenses totaque Prædicatoria Familia eam refutauit & quod ab omnibus refutanda sit ipsa convicerit, nec occultum est: eâdem ratione Censores doctissimi ex omni fere ratione Romæ Congregati quid de illa post assiduũ studium censuerint, nec ipsi possunt ignorare, qui ista proponunt.

OPPOSITIO II.

455 Accedit, inquit, quod hæretici hujus sæculi primi hanc sententiam communem doctorum reprehenderunt, & erroris Pelagiani accusarunt, ut de Luthero patet *in assertione artic. 36. apud Roffensem*: & Calvinus, *lib. 2. instit. cap. 3.* vbi vocat illud Occomicum Axioma. Vnde vel ob hanc causam minus admittenda est talis censura.

RESPONSIO.

456 Contra eos qui illam propositionem in illo pravo sensu meritò censurarunt in terminis loquitur. Cum autem nec ipsi potuerit esse ignotum, ut iterum id dicamus censores à sancta sede deputatos accuratissimè eam examinasse, & semel, iterum, atque tertiò reprobasse, aduersus etiam illorum censuram ista proponit: & quod in ista sequantur Lutherum & Calvinum, à quibus, ut ait, primò reiecta est, non obscurè tradit; in quo etiam grauissimè errat. Neque enim Lutherus aut Calvinus eam reprobarunt, sed S.P. August. primus qui plurimis citatis locis eam in Pelagianis damnauit, & fundamentum illorum esse clarissimè aperuit. Deinde S. Hieronymus, S. Prosper etiam cum Sancto Hilario atque Fulgentio, ac Petro Diacono cum sociis ut relatum, & probatum est copiosè, omnes isti sancti Patres eam refellunt, Pontifices etiam summi, quod majus est, illam damnarunt. Zozimus, Leo primus citatus cum Cœlestino, Gelasio & Hormisda ut ostensum est. Concilia etiam Africana Carthaginense, Milevitanũ & clarissimè Arausicanum secundum, ut deductum est. Grauissimæ etiam Scholæ cum antiquioribus orbis Scholasticis rectè intellectis, & non in superficie inspectis. Tota prædicatoria Familia, quæ se huic doctrinæ opposuit, & denique censores doctissimi atque pijssimi à sancta Sede nominati. Isti omnes sunt qui uno ore antiquam doctrinam defendentes, novitiam vel antiquam noviter introductam pariter reprobant.

Quod si etiam Lutherus & Calvinus illam 457
reijciunt, nec in hoc errant, sed in eo quod in oppositum errorem præcipitantur, sicut nec ij authores errant in eo quod Lutheranis, & Calvinistis anathema dicunt, sed in hoc quod & ipsi etiam in aliud oppositum extremum inclinant. Lutherani & Calvinistæ dicunt ita Deum hominum prævenire voluntatem ut ab eis auferat libertatem, Pelagiani verò per oppositum asserunt gratiam Dei ab hominum præveniri voluntatibus facientibus quod in se est, ut ex hoc merito eis gratia reddatur: Semipelagiani verò dicentes quod tali facienti quod in se est, ex aliquali imperfecto merito, saltem secundùm pietatem, & de congruo gratia redderetur, ut visum & explanatum est supra.

Quod aliquale imperfectum meritum, nec hic 458
author quantumvis illud prætenderet negare, evitare potuit, quin convictus veritate illud fateretur; nam *citato loco §. respondeo illud*, inquit: *Respondeo illud opus humanum non propriè illud auxilium remotum merebitur*, & sequenti §. non tertium ait: *Non tertium, quia iustificatio aut donum fidei, non subjungeretur meritis humanis. Cum oporteat alios actus per gratiam elicitos intervenire, imò nec ipsum auxilium gratia præueniens, quia ille actus, non propriè illud merebitur.* Notandum valde verbum *propriè*: ergo minus propriè illud merebitur: meritum autem minus proprium, & meritum secundum pietatem, vel meritum de congruo æquiualentia sunt. Vnde verbis propriis convincitur meritum aliquale cum illis admittere respectu auxilij gratiæ. Quapropter aliud est quod cum his authoribus anathematizamus in Lutheranis atque Calvinistis; aliud quod in eis: Veritas enim vtrique extremo contraria est.

OPPOSITIO III.

Latè tertiò diffunditur, ut suadeat, quod quãdo 459
Scholastici loquuntur de viribus naturæ, non auferunt auxilia extrinseca Dei, Angelorum, vel hominum, ut Custodiam Angelicam, virtutis diabolicæ compressionem, doctrinam magistrorum

Digitized by Google

rum, institutionem parentum, opera concionatorum, exempla virtutum, & similia. Nec etiam intrinseca, quæ secundum substantiam sunt ordinis naturalis, ut sunt variæ cogitationes per divinam providentiam homini incidentes de bono sequendo, & malo vitando: & cooperatio divina, quâ Deus ad omnia bona opera cooperatur: sed excludunt solùm supernaturalia auxilia intrinseca, quibus aliquid supra jura naturæ possumus: at Massilienses, & qui vocantur Semipelagiani non videntur, inquit, requirere auxilium externum, quo dæmonis potentia comprimatur (nisi hactenus ut non reddat hominem amentem) nec vllam providentiam particularem ad bonam cogitationem, nec auxilium cooperationis divinæ.

RESPONSIO.

460 Non est dubium quod cum Scholastici tractant quod homo lapsus possit suis naturæ viribus facere omnia relata includant, nimirum auxilia intrinseca, particularem Dei providentiam, & cooperationem divinam ordinis naturalis, sed modo valde diuerso quo ab his authoribus admittuntur. Ipsi enim hæc admittunt per quamdam naturalem congruam excitationem sub scientia media prævisam, non autem quod Deus ut author naturæ verè efficienter, & efficaciter ad ipsa moveat. At Scholastici doctores totum oppositum docent, constituunt enim veram Dei motionem per suam particularem providentiam efficientem quod arbitrium illa faciat: & veram Dei cooperationem prævium admittunt quâ verè facit Deus ut arbitriũ sibi cooperetur. Massilienses autem, sicut negant hanc veram Scholasticorũ doctrinam negantes verum Dei prævium influxum per particularem providentiam homini datum quo Deus facit arbitrium sibi cooperari, quia per illud reputabant tolli libertatem (sicut & his temporibus ab his authoribus dicitur;) ita omnem aliam particularem providentiam, & per scientiam mediam quã expresse admiserunt, congruam cogitationem, seu quam vocant cooperationem receperunt, quia per eam nullum præjudicium inferri voluntati arbitrabantur.

OPPOSITIO IV.

461 Primum, inquit, patet ex verbis Cassiani *collat. 13. capite 14. citatis apud Prosperum cap. 32.* vbi Cassianus putat Iob solis naturæ viribus superasse multiplices illas, & tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles: & in eo duntaxat auxilium gratiæ illi adfuisse, quod non permiserit dæmoni ut eum rationis impotẽ redderet.

RESPONSIO.

462 Per hoc intendit, imò manifestè dicit nullum aliud auxilium extrinsecum admisisse Cassianum, nisi illud nunc memoratum. Itaque secundùm authorem hunc admisit Cassianus auxilia extrinseca Dei, Angelorum, & hominum, ut custodiam Angelicam, virtutis diabolicæ aliam compressionem præter prædictam doctrinam magistrorum, institutionem parẽtum, opera concionatorum, exempla virtutum, & similia quæ ab ipso enumerantur, & à Scholasticis admitti publicantur. At quam falsum hoc sit & contra expressam doctrinam Cassiani in *illa collat. 13.* & in omnibus aliis: & quam incredibile de ipso hoc suspicari, non est cur in hoc probando immoremur: sed breuiter ista tangamus, ut impossibilitas positionis hujus sit manifesta. Vt enim à Cassiano ostendat se distare, reddit ipsum stultissimũ eaq; negantem, quæ nec Philosophi solum in naturali prædiți negare sunt ausi. Nec enim ipsi divinam negarunt providentiam, particularem quidem circa homines sicut circa nobilissimas creaturas, quam Aristoteles admisit: nec negarunt custodiã Angelorum, quoscumq; ipsi admitterent: nec negarunt Deum omnia in nobis operari, ut de Philosophis Græcis testatur Paulus dicens quod illi posuerunt quod in ipso Deo viuimus, mouemur & sumus; sed & contra expressam litteram Cassiani id ei tribuitur, ut patet ex *cap. 3. illius collat. 13.* in quo aperte concedit quod bonum virtutis, sanitas corporum, & omnium effectus operum actuumq; prosperitas à Deo sunt condonata, & quod quotidie gratiam Dei nos attrahẽtem humiliter sequi debemus. Imò quod nec ipsos minimos conatus habere possumus nisi ad illos exercendum protectio domini, & illius misericordia roborasset. Et in *cap. 6.* ait, quod in multis, imò in omnibus, auxilio domini indigemus. Et enumeratis ibi multis, ut abstinere à cibo, potu, & somno, instare lectioni, & operis assiduitati, de illis subdit; *Quæ omnia sicut desiderari à nobis jugiter absque divina inspiratione non possunt, ita nec perfici sine auxilio ejus queunt vllatenus.* Et iterum ibi docet quod etiam eorum quæ ex arbitrio efficere possumus oportunitas peragendi à Deo datur, illamque ab ipso petere debemus. Hæc omnia, & plura similia nonne prædicant ipsam peculiarem Dei providentiam circa homines Cassianum posuisse, eaque à Deo dari saltem per concursum generalem indifferenter omnibus oblatum ostendunt.

Insuper ait ibi, *cap. 7. præsto est quotidie gratia* 463
Christi cunctosque absque vlla exceptione convocat, &c. Et c. 8. *Quam curam,* inquit, *ac providentiam circa nos suam sermo divinus eleganter expressit:* Et infra: *Adest igitur inseparabiliter nobis semper divina protectio, tantaque est erga creaturam suam pietas creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia.* Et tamen cum ista tam manifesta sint, adhuc audimus negare illos divinam providentiam particularem circa homines.

Vnde & ibi S. Prosper ait: *In quo potest videri ob* 464
hoc comitem dixisse providentiam, quia etiam deserentes se plerumque non deserat: vel quia omnes quos præveniteos, etiam subsequatur. Ecce præcedentem providentiam circa homines Cassianus apertis verbis pronuntiat, ut exponit S. Prosper ex ore ipsius conuincatur, qui dixit eum negasse providentiam particularem circa homines. Quomodo ergo dici potest ipsum non agnouisse particularem Dei providentiam circa nos. Illam ergo providentiam sub illa media scientia, quam hi authores constituunt, ipse priùs agnouit, & conatus naturales, quibus gratiam reddi dicebat, non fieri sine Deo saltem authore naturæ per indifferentem concursum nobis oblatum ipse constituit. Nec enim aliter salvari potest quod expresse ait, nimirum quod etiam illos minimos conatus habere non possemus, nisi protectiò & misericordia Dei nos roboraret, & nisi per concursum indifferentem illos nos habere statueret. Postquam est certum quod omnem Dei operationem sive supernaturalem sive naturalem efficaciter voluntatem nostram moventem ad actus liberos apertissimè negavit; sicut tollentem nostram libertatem.

De custodia autẽ Angelorũ quod illam expressè 465
Cassianus admiserit, illa ipsius clariora Verba testantur, quibus ait: *Adjacere autẽ homini in quamlibet partem arbitrij libertatem etiam liber ille,*

Digitized by Google

qui dicitur Pastoris, apertissimè docet: in quo duo Angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur, id est bonus ac malus: in hominis verò optione consistere ut eligat quem sequatur. Et tamen ac si ista scripta non essent, non formidat author prædictus asserere Cassianum custodiam Angelorum non admisisse, quam tamen Scholastici admittunt.

466 Similiter quod divinam cooperationem admiserit necessariam, non quidem præviam ad cooperationem nostram, sed subsequentem, id est quam simultaneam isti authores constituunt, statim erit ostendendum. Imò illud attentius considerandum, quod cum priores authores ex his recentioribus, quos & *libro primo*, induximus agentes de Cassiano & Fausto aliisque Massiliensibus, tantum insistant illos veram Dei gratiam admisisse catholicéque sensisse, iste tamen author per oppositum nedum auxilium gratiæ ait eos recepisse, sed nec particularem providentiam, nec concursum naturalem etiam indifferentem pro actionibus naturalibus contendit eos posuisse, sed plane vtrique per extrema divertunt, nec medium veritatis tenent; nec enim veram gratiam admiserunt (vt *primo lib.* incepimus aperire & in hoc quarto infra ostensuri sumus) nec in tantum exorbitarunt, ut particularem providentiam per generalem concursum indifferenter omnibus oblatum providentem, ipsi negarent, ut dictum est.

OPPOSITIO V.

467 Secundum, ait, patet, quia teste Prospero *Epistola ad S. August.* dicebant, *quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum; pariqué momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere.* Itaque sicut mala cogitatio non est donum Dei, nec per providentiam eius particularem procuratur: Idem quoque sentiebant de bona. Idem quoque colligitur ex D. Augustino, qui auxilium præveniens ponit in bona cogitatione, quæ ut incidat, non est in nostra potestate, vt *libro primo ad Simplicianum quæst. 2. in fine, & lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17. & de bono perseverantia, c. 19.* Denique quia ad omne bonum inchoandum nihil aliud requirebant quã naturam liberi arbitrij dono creationis acceptam, ut patet ex verbis D. Prosperi *supra num. 1.* allatis.

RESPONSIO.

468 Sicut hi authores defendunt, quod particularis providentia salvatur positâ illâ quæ tribuit concursum indifferenter omnibus oblatum ad bonum & malum, per quam Deus intendit bonum non malum, ut inquiunt, potissimè data in occasione, qua scit hominem bene illo concursu vsurum; ita Massilienses hanc particularem providentiam, & indifferentem concursum oblatum, & sub illa præscientia conditionata constituerunt, ut ostensum fuit copiosè *libro primo*, cum de illorum mente agebamus. Cum qua providentia & concursu indifferenti etiam cohæret, quod subjungebant: *quantum quisque ad malum tantum habere facultatis ad bonum*: nam illa providentia ex indifferenti concursu oblato erat in homine facultas tam ad bonum, illo benè vtendo, quam ad malum ipso vtendo malè, fatebantur tamen quod intendebat Deus dando illam, conatum bonum & non malum, & sic quod ad malam cogitationem Deus non concurrebat, sed tantùm ad bonam modo explicato; licèt revera posito illo concursu indifferenti per providentiam Dei tributo convincatur, quod non magis bonum quam malum Deus intenderet, provt plenius *in tertio libro*, agendo adversus illum indifferentem concursum satis expositum manet.

Quod autem subdit S. P. Augustinum posuisse auxilium præveniens in bona cogitatione in illis tribus locis inductis, in sensu in quo ab hoc authore dicitur, falsissimum est, & totius falsæ doctrinæ in hac materia fundamentum; licet in sensu alio veritatem possit habere, intelligit enim author in sola bona seu sancta cogitatione posuisse Sanctum Patrem Augustinum totum auxilium præveniens, ita quod adæquatè præveniens auxilium sit solùm sancta cogitatio qui sensus est, ut præmisimus, totius falsæ doctrinæ in hac materia fulcimentũ, nihilque magis Sanctus Pater & Doctor Augustinus expugat in tota doctrina contra Pelagianos, ut infra hoc libro ostensuri sumus. Quod etiam redditur manifestum ex eisdem locis ab authore inductis, potissime ex illo ad Simplicianum (quem semper opponunt) ubi excitantem gratiam per sanctam cogitationem, & verè adjuvantem statuit ad prævenientem gratiam pertinere. In alio autem sensu verum est, quod initiativè seu incompletè incipit auxilium præveniens in sancta cogitatione quod Sanctus Pater Augustinus ibi docet, quæ cum omnino præveniat nostrum consensum, in potestate nostra posita non est, ut ibi Sanctus Doctor demonstrat. 469

Ad id quod tertio loco opponit, dicendum quod ad bonum inchoandum posuerunt quidem Massilienses sufficere liberũ arbitrium per creationem datum, sed non excludebant concomitantem concursum Dei conseruantis, & offerentis indifferentem concursum, vt ille quo arbitrium vellet, inclinaret, ut dictum est, quod & statim clariùs comprobabimus. 470

OPPOSITIO VI.

Tertium, inquit, probatur, quia sicut Pelagiani putabant tolli libertantem si cooperatio Dei diceretur esse necessaria; ita etiam videntur isti existimasse, non est enim minor, sed potiùs maior difficultas de cooperatione divina quomodo non impediat libertatem, quam quomodo auxilium præveniens eam non impediat: atqui negabant auxilium præveniens requiri, ne impediretur libertas: ergo multò magis negabant cooperationem esse necessariam. 471

Secundo id suadet, quia aliàs, si cooperationem admittebant, in illa dicerent se gratiam ponere, & ex illa esse bonas voluntates, sicut de dono Dei; facileque elusissent argumenta Sancti Prosperi, & aliorum qui eos expugnabant, quod Dei gratiam non admitterent.

Tertio id probat quia hoc videtur contra illos definisse Concilium Arausicanum 2. cum determinat neminem habere de suo nisi mendacium, & peccatum. Vbi excludit, inquit, omne opus non solum moraliter bonum, sed etiam naturale & indifferens: quod alia ratione verum esse nequit, nisi quia egemus ad hæc auxilio divinæ cooperationis nobis in hunc finem communicato. 472

RESPON

Digitized by Google

RESPONSIO.

473 Nec Semipelagiani dixerũt, aut dicere potuerunt per Dei cooperationem non prævenientem, ſed ſimultaneam, vel potius ſubſequentem tolli libertatem: cum ſit apertiſſimum illam vtpote ad noſtram libertatem ſubſequentem nulla ratione libertati poſſe obſtare. Vnde manifeſtum eſt quod, cum negarunt Dei cooperationem quia tolleret libertatem, de cooperatione Dei antecedente ſeu præveniente fuiſſe locutos: hæc enim ſola erat quæ eis videbatur libertatem tollere, aut impedire, ſicut & modò his authoribus idem videtur. Patet etiam ex hoc authore, quia ſicut, ut ait, negabant auxilium præveniens quia tollebat libertatem, ita negabant cooperationem (antecedentem videlicet) aliàs exemplum de prævenienti auxilio ſine apparentia ab ipſo inducerētur. Quomodo autem ipſe antecedentem Dei cooperationem condiſtinguat ab auxilio prævenīente dictum eſt ſupra: quia ſolùm & adæquatè conſtituit auxilium prævēniens eſſe ſanctam cogitationem in nobis à Deo excitatam actu quodam indeliberato, ut infra dicturi ſumus.

474 Quod verò ſecundo addit, quod ſi Dei cooperationem admitterent in ea dicerent ineſſe gratiam, &c. Si de cooperatione prævenīente dictum procedat, ex parte verum eſt, quia ſi prævenientem Dei cooperationem admitterent, ex parte veram gratiam ſalvarent cooperantem; ſed non in totum gratiam admitterent qui etiam admittere deberent gratiam operantem, & vtramque præter excitantem. Non eſt enim dubium quod ſi ſemel veram Dei gratiam prævenientem cooperantem admitterent ſine læſione libertatis, quod ratione eadem etiam veram operantem non negarent. Si autem dictum intelligatur de gratia cooperante ſimultanea ſeu concomitante, vel potius ſubſequente, quam revera ipſi admiſerunt, non poſſent deffendere illam veram Dei gratiam eſſe; cum illa daretur quia homo vult de ſe excitationi conſentire. Vnde ex illo priori merito hominis daretur, nec enim eſt quod expreſsè ipſi poſuerunt referente Sancto Proſpero: *Adjuvatur arbitrium quia vult non autem adjuvatur vt velit.* Vbi apparet manifeſtè gratiam cooperantem præviam negatam, & ſubſequentem admiſſam: nec poterant per eum ſalvare bonas voluntates ex gratia haberi: nec argumenta Catholicorum ſolvere, quæ ſemper convincebant, ſicut & modò convincunt illam gratiam veram non eſſe, ſed ex merito priori redditam.

475 Ad illud tertium quod ex Concilio Arauſicano induxerunt dicendum (provt in *libro ſecundo*, nos dixiſſe recordamur) quod quamvis Maſſilienſes admitterent ſupradictum concurſum indifferentem hominibus oblatum ad initia naturæ efficienda, quæ ex nobis conſtituebant eſſe neceſſarium, optimè contra illos ſupradictum Concilium diffiniuit nos ex nobis ſolùm non habere niſi mendacium, & peccatum. Hæc ratio manifeſta eſt, quia etiam admiſſo ab illis illo indifferenti concurſu, ſicut nunc admittitur, verum eſt; quod ex nobis ſine Deo habemus illam bonam noſtræ voluntatis determinationem: quia determinamus nos indifferentiam illius concurſus ut nobiſcum ad bonum concurrat, ſicut poteramus eadem facultate ipſum determinare, ut nobiſcum ad malum cooperetur. Illa autem bona noſtræ voluntatis determinatio, quia ab illis ex nobis ſolis ſine Deo dicitur haberi: Ideo rectè Concilium determinauit ad illam excludendam quod ex nobis, ſicut ex nobis ſine Deo movente atque vere cauſante non habemus niſi mendacium, & peccatum.

Quod autem admiſerint Maſſilienſes indifferentem concurſum naturalem ad opera naturalia conſtat, quia etiam illum ſupernaturalem, quod magis eſt, admiſerunt ad opera ſalutis, ut apertiſſime conſtat ex Sancto Proſpero: *Epiſtola ad Sanctum Patrum Auguſtinum*, ibi: *ſed indifferenter velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et iterum: *pro vniverſo autem humano genere mortuum eſſe, ominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & neminem prorſus à redemptione ſanguinis ejus exceptum.* Ac denique: *itaque quantum ad eum pertinet omnibus paratam vitam æternam.* 476 Clariſſimè autem in *proſa de ingratis*, æternam gratiam ſufficientem omnibus communem eſſe dicebant, ut patet ex illis verbis; *Gratia quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibeatur, imi e vobiſcũ*, &c. Quibus conſtat ſufficiens auxilium gratiæ neceſſarium ad ſalutem omnibus aſſeruiſſe indifferenter donari. Vnde nec eſt dubium quin in ſuo genere eundem Dei concurſum indifferentem naturalem pro actibus naturalibus proportionabiliter ipſi poſuerint.

OPPOSITIO VII.

Vlteriùs progreditur, & probat differentiam 477 ſuæ doctrinæ à Semipelagianis ſic dicens: ſecundò quia mens doctorum (exceptis paucis) non eſt facienti quod in ſe eſt per vires naturæ dari immediatè donum Dei, vel gratiam juſtificationis, ſed tantùm dari auxilium aliquod prævēniens, cum quo ſi rurſus fecerit quod in ſe eſt, dabitur auxilium majus, & ſic deinceps, uſque quo ad juſtitiam pertingat. At Maſſilienſes volebant tali immediatè conferri donum fidei, vel gratiam juſtificationis, vel ſaltem tale auxilium prævēniens vnde infallibiliter hæc ſequerentur: hanc autem fuiſſe illorum mentem aliquibus ſubjunctis rationibus ſuadere conatur, quæ interiùs inducentur.

RESPONSIO.

Gratis admiſſo ſic ſenſiſſe ut refert Maſſilien- 478 ſes: & ita ut exponit, poſuiſſe quos Scholaſticos vocat, quis non videat vtrorumque differentiam eſſe ſecundùm magis & minus intra eandem erroris ſpeciem, non vero alios ab aliis in errore ipſo ſubſtantiali differre: ſubſtantialis enim error hic eſt, ut incipienti homini ſine auxilio gratiæ quemlibet, licet minimum naturæ conatum, & quomodolibet, ſtatim aliquod gratiæ auxiliun, quodcumque illud ſit, ei ex illo priori naturæ merito conferatur, quo prior naturæ conatus incitetur, & confortetur ad ſalutem. Quod ſi conatus fuerit minimus vtpote deſiderare ſalutem, ex merito ejus detur gratiæ auxilium, quo jam eam ardentius deſideret & pro ut ad ſalutem oportet; & ſi rurſus deſideret baptiſmum ei detur auxilium aliud gratiæ, quo baptiſmum magis deſideret, & provt ad ſalutem oportet: & ſi iterum procedat ut velit de facto ad baptiſmũ venire, ei iterum aliud gratiæ auxilium conferatur, quo veniat ad baptiſmum, provt ad ſalutem oportet. Quod ſi poſtquam accepit illud primum nunc explicatum auxilium gratiæ ex merito illius prioris conatus, ipſe vlteriùs non procedat

Digitized by Google

in desiderio, nec ei detur auxilium secundum vel tertium, sed primum tantùm recipiens ex priori naturæ merito ipse ex defectu suo non vlterius procedens fidem, & gratiam non recipiat. Et ratione eâdem, si homo à principio perfectissimum habeat conatum per solas naturæ vires, talem videlicet quo certò assentiatur omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, statim ei detur auxilium gratiæ ex merito illius, quo, ut ajunt, credat provt ad salutem oportet. Similiter si habeat ex viribus naturæ contritionis naturalis actum illi ex merito ejus detur auxilium, quo conteratur provt ad salutem oportet, & per consequens ei justificationis gratia donetur.

479 Quomodolibet ergo, sive una via, sive alia dicatur, semper auxilium gratiæ sive magis, sive minus perfectum, sub priori naturæ merito constituitur: quæ est illa in antiquioribus illis damnata sententia, contendentibus gratiâ sub merito nostro dari; Quare non debet nec potest supradicta sententia, Scholasticorum sententia vocari, aut Scholasticis tribui: cum etiam illa aliquod gratiæ auxilium, scilicet, non tam perfectum, naturæ viribus & ex merito naturæ adscribat.

480 Sed ut illud verum est, Massilienses videlicet non solùm asseruisse dari conatibus naturalibus immediatè, vel donum fidei, vel gratiam justificantem, vel auxilium aliquod gratiæ ex quo infallibiliter ista sequantur. Quamvis enim & hoc ipsi posuerint, non tamen id solùm affirmarunt, sed etiam clariùs constituerunt aliquando dari conatibus naturalibus immediatè aliquod auxilium gratiæ ex quo non infallibiliter, vel fides, vel gratia consequitur, vtpote auxilium gratiæ, quo salutem priùs desideratam magis desideret, & provt ad salutem oportet, ut dictum est, absque eo quod vel supernaturaliter credat, vel justificetur; sed ibi solùm sistat auxilium gratiæ præstitum: quia vlterius homo in bono non progreditur. Quod sicut est manifestum, ita in Cassiano est appetissimum, *in illa collatione 13. cap. 7.* vbi de Deo loquens ait: *cujus benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque scintillam emicuisse perspexerit, &c. eum fouet etiam, & exsuscitat, suâque inspiratione confortat volens omnes homines salvos fieri.* Ecce quale, & ad quid dicit dari auxilium gratiæ, nimirum ad confovendum, & exsuscitandum quantulamcunque scintillã nostræ bonæ voluntatis, etiamsi illa sit velleitas quædam valde imperfecta; ad quam proinde, & ad auxilium eam fovens, & exsuscitans nec Cassianus, imò nec quis etiam stultus potuit dicere sequi immediatè, vel fidem divinam, vel justificationem.

Item *capite 8.* ait: *Qui cum in nobis actum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, &c.* Quicumque ergo sit bonæ voluntatis ortus, licèt imperfectissimus, licet non actus absolutus, sed velleitas sit, auxilium gratiæ, quod ei conferri dicit, non aliud efficit quam prædictum ortum seu velleitatem, magis illuminare, incitare & confortare: & ibi sistere asserit prædictum gratiæ auxilium, nec vlterius progredi, nisi per alium bonæ voluntatis actum vlteriùs voluntas humana procedat, ut ei aliud secundum gratiæ auxilium conferatur: vbi ergo hic dicitur dari immediatè vel fidem, vel justificationem; nihil minus sed potius totum oppositum.

Ac tandem *c. 9. Nec enim inquit, cum voluerit* 481
quis sanitate perfruitur, aut de agritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur; Cujus verba exponens & refutans Sanctus Prosper, illa priùs explicat procedere de imperfectissimo desiderio sanitatis, cui datum auxilium solùm incitat magis & confortat ad salutem, manendo intra limites imperfecti desiderij ad salutem vel justificationem? & postea reprobat eam in eo quod constituat solùm in homine desiderium sanitatis, & in eo quod aliquale auxilium gratiæ, quodcunque illud sit, ei tribuatur: quia, ut latè in sequentibus ostendit, illud qualecunque gratiæ auxilium ex priori merito naturæ daretur. Igitur manifestum est non solùm posuisse Massilienses dari immediatè donum fidei vel justificantem gratiam, aut auxilium, ex quo ista infallibiliter consequantur, sed etiam posuisse dari immediatè auxilium gratiæ, quod solùm imperfectissimum conatum desiderij cujuscumque sanitatis magis incitet, suscitet, augeat atque confoveat intra limites conatus & desiderij illius manens, nec vltra progrediens.

Illud etiam addendum, quod ij authores cum 482
quibus agimus, etiam dicunt: quod facienti quod in se est per solas vires naturæ datur immediatè, vel auxilium ut fides habeatur, vel ut ei justificationis gratia detur, secundum quod fuerit conatus naturalis, vel naturalis credulitatis, vel dilectionis Dei super omnia, vel naturalis contritionis, ut visum fuit; vnde etiam ex hac parte convenientia est.

OPPOSITIO VIII.

Illos, inquit, hoc sensisse probatur primo, 483
quia dicebant hominem ad gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem facultatem petendo, querendo, pulsando ut ideo accipiat, ideò inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ut ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ (id est liberi arbitrij gratis donati) opemeruerit pervenire, ut refert Prosper in *Epistola*, duobus in locis.

RESPONSIO.

Iam patet ex dictis id quidem Massilienses 484
dixisse, posse videlicet hominem suis viribus desiderare, petere, & quærere baptismum; & gratiam regenerationis, quæ in illo datur, accipere; sed neque hoc solùm posuerunt, ut ostensum est: vnde prædictus author vnum verum ex Massilienſibus refert: sed alia quæ etiam ipsi dixerunt, nescio qua intentione omittit, ex integro enim, & non ex parte illorum errores referendi erant.

OPPOSITIO IX.

Secundò, quia etiam illi, qui minimum tri- 485
buebant libero arbitrio, dicebant hominem suis naturæ viribus posse credere, velle sanari, atque si hos actus haberet, donum fidei & gratiam justificationis conferre, ut patet ex epistola Hilarij, vbi sic ait; *Quod enim dicitur, crede & salvus eris, vnum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* Et infra referens eorum verba ait: *Non quidem Deus eligit opera quæ ipse largitur cum dat Spiritum sanctum, & per charitatem bona operemur: sed tamen eligit fidem; quia nisi quis credat, &*

in

Digitized by Google

in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est Spiritum sanctum per quem infusâ charitate possit bonum operari: non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est, sed fidem elegit in præscientia, ut quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur, ex quibus verbis, inquit, clarum est omnia quæ præcedunt gratiam justificationis juxta ipsos esse ex solis naturæ viribus, ea autem quæ post justificationem fiunt, tribui Deo ratione gratiæ justificantis.

RESPONSIO.

486 Hæc isti relati Semipelagiani dixerunt, quod credenti ex naturæ viribus immediatè Deus donum fidei tribuebat & gratiam justificationis: quia optimè noverant posse aliquem cum affectu & voluntate ad peccatum credere proposito sibi Evangelio, ut dicebant, de quo nullatenus dubitare ipsi potuerunt, in quo casu nec dicerent quod acciperent gratiam justificationis: sed tantùm asserebant, quod credenti ex naturæ viribus Deus immediatè tribuebat auxilium gratiæ, quo se inserebat illi actui ut jam crederet sicut oportebat ad salutem. Rursus sic credenti provt expedit ad salutem, Deus vlteriùs dabat aliud gratiæ auxilium, quo si ipse credens bene vteretur, se disponeret ad gratiam justificantem, illamque reciperet & ita salvabant illud dictum, *si credideris, salvus eris*, hoc modo quod credenti ex viribus naturæ dabatur auxilium quo posset salvari per justificantem gratiam nisi per illum staret. Quamvis extra propositum ad hoc vterentur illo apostolico testimonio; in quo sermo sit de fide formata per charitatem, cui vltima & æterna salus promittitur: ut communiter sancti Patres exponunt; videatur S. Thomas cum glossa.

487 Vnde nec est verum quod author subdit, videlicet, secundùm Semipelagianos omnia quæ præcedunt gratiam justificantem esse ex solis naturæ viribus; hanc enim vniuersalem nunquam illi statuerunt, quin potiùs expressè posuerunt, quod sæpe aliqua auxilia gratiæ intermedia erant ante justificationis gratiam ut modo dictum est: & potissimè cum homo etiam ante fidem naturalem conatum alium imperfectiorem habebat, cui Deus se inserebat ut fieret prout ad salutem oportet, & sic deinceps usque ad fidem, & ad justificationem, secundum autem rei veritatem, non secundum illos, ita erat quod omnia quæ antecedebant justificantem gratiam erant ex solis naturæ viribus, & non ex gratia, quia illa auxilia intermedia quæ ab ipsis ponebantur, quia ex priori merito naturæ reddi dicebantur, vera auxilia gratiæ non erant, & sic omnia habebantur ex naturæ viribus, quæ antecedebant justificationem. In multis ergo hic author deficit, quia indistinctè & confusè loquitur, nec Massilienſium sententiam penetrat, aut eam penetrare non vult, ut suum prætensum consequatur intentum.

OPPOSITIO X.

488 Tertiò, ait, quia totam gratiam prævenientem constituebant scilicet Massilienses, in vocatione extrema ad baptismum, ut quicumque vellet, posset per vires naturæ venire ad baptismum, & per illam consequi gratiam. Itaque prima gratia interna juxta illos erat gratia regenerationis, ut patet ex S. Prospero in principio & circa medium, §. *propositum autem*.

RESPONSIO.

Apertissimè falsum est illos prævenientem 489
gratiam in vocatione tantùm externa posuisse, non in aliqua interna, qualemcunque illam astruerent. Primò quia hoc in terminis S. Prosper sæpius docet. Cujus sancti Doctoris, vel illa sola & clariora verba sufficiant ad id apertè convincendum. *Dixerat enim*, ait, *regulariter non solum actuum verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, & ne hoc de doctrina extrinsecus adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat, qui nobis & initium sanctæ voluntatis inspirat*. Quid clarius aut manifestius dicere sanctus Prosper potuit, ut doceret Cassianum, qui inter Massilienses princeps fuit, non solum externam Doctrinam nomine prævenientis gratiæ intellexisse, sed internam quamcunque ipse statueret?

Præterea cum ejusdem Cassiani manifesta 490
sententia sit, quod omni bono conatui naturali Deus se inserat auxilio suæ gratiæ, ut dicebat, (quod ostensum est supra, & in ipso nihil est manifestius.) Quomodo potest poni ab aliquo, qui vel ipsum semel legerit, eum nullam præuenientem gratiam internam admisisse, sed tantum externam; imo in eo qui sua voluntate venire ponebat ad baptismum, internam gratiam aliquam ipse admittebat; quo talis voluntas magis excitaretur & confirmaretur ut clarissime in tota sua doctrina exponit. Præterea quia hoc esset Cassianum pejorem Pelagij errorem, à quo etiam Pelagius ipse recessisse videtur in omnibus tenere atque defendere, quod nullus dicit: si tantum exteriorem legem atque doctrinam ipse necessariam admittit.

OPPOSITIO XI.

Quartò, inquit, quia Cassianus *lib. 12. de inst.* 491
cœnob. c. 11. gratiam Dei in eo constituit, quod ob parvum opus viribus naturæ factum, & minimè dignum tanto præmio condonet peccatum, & hominem justificet; ideoque hominem dici salvari dono & gratia Dei, quòd opus illud, cujus occasione salus confertur, non sit tanta remuneratione dignum: idque explicat exemplo latronis & Davidis peccantis; Idem docet *cap. 14. einsdem libri*, & *collatione 13. capite 13.*

RESPONSIO.

Verum est ita Cassianum sensisse citatis lo- 492
cis; sed & illud verum est, ipsum non tantum hoc modo posuisse dari homini facienti quod in se est per solas naturæ vires justificantem gratiam, sed etiam expressius constituisse omnem minimum conatum, omneque parvum desiderium salutis Deum elevare dando ei auxilium aliquod gratiæ, quo se inserit tali conatui, ipsumque magis accendit & fortificat, ut ordinem supernaturalem ingrediatur, & per quod magis homo disponatur ad alium majorem conatum etiam à gratiæ dono alio adjuvandum, & sic vlteriùs procedendo usque ad perfectum conatum, vel contritionis vel dilectionis Dei naturalis

super

Digitized by Google

ſuper omnia, quo adjuto per ſubſequens auxilium gratiæ vltimò diſponitur homo ad gratiam juſtificantem, illamque infallibiliter recipit. Quod apertiſſimè ex ipſo oſtenſum eſt.

493 Itaque conformiter ad naturalem præcedentem conatum, ita proportionabiliter auxilium gratiæ dari dicebat, ut ſi conatus naturalis erat valde imperfectus, ita auxilium illi ſe inſerens etiam imperfectum erat, nec ad juſtificantem gratiam hominem perducebat: Si autem conatus naturalis erat in natura ſupremus atque perfectus, qualis eſt pœnitentia, ſeu naturalis contritio, etiam proportionabiliter ei correſpondebat auxilium ſupernaturale illam contritionem reddens ſupernaturalem,& vltimam diſpoſitionem ad gratiam recipiendam juſtificantem: & ad hoc induxit pœnitentiam ſeu contritionem Davidis, atque confeſſionem Latronis; qui ſecundùm ipſos erant ſupremi actus naturales, quos nuda voluntas efficere poterat. Quibus proinde correſpondere aſſerebat tale auxilium ſupernaturale quo efficiebantur vltima diſpoſitio ad juſtificantem gratiam, & ſic homines juſtificabantur. Vtrumque manifeſtiſſimè Caſſianus aſſerebat, tribuens ſoli voluntati & imperfectos & perfectos conatus, & ſimiliter auxilium gratiæ proportionabiliter perfectum & imperfectum, & conatui ſoli perfecto in naturalibus tale dabatur auxilium gratiæ; quo infallibiliter gratiam juſtificantem homo conſequebatur; non autem quando imperfectum conatum habebat.

494 Sed & in hoc plane hos authores ipſum fuiſſe ſecutos oſtendimus ſupra: quòd non ſolum aſſerunt expreſsè dari auxilium gratiæ facienti quod in ſe eſt, ſed etiam dari tale auxilium ut credat prout oportet quando homo facit quod poteſt per naturam ad credendum: & ſimiliter dari auxilium neceſſarium ad gratiam juſtificantem, cum facit totum quod poteſt naturæ viribus ad illam: nempe diligendo Deum naturaliter ſuper omnia actu abſoluto, vel conterendo de peccatis, ut diffusè contra illos probatum eſt in fine tertij libri,& in hoc quarto.

OPPOSITIO XII.

495 Quintò idem patet ex *canone* 3. 4. 6. & 8. & aliis Concilij Arauſicani, in quibus damnatur hic error, viribus naturæ impetrari ut à Deo purgemur vel juſtificemur.

RESPONSIO.

496 Vel in hoc concilio poterat author, ſi vellet attendere, videre veriſſimum eſſe quod diximus, Caſſianum ſcilicet & alios Semipelagianos vtrumque aſſeruiſſe: videlicet dari aliquando auxilium aliquod gratiæ ſine gratia juſtificante conatibus naturalibus imperfectis: aliquando verò dari auxilium quo gratia juſtificans præbebatur: cum nempe conatus naturales procedebant perfecti, ut ſunt illi jam enumerati: quia vtrumque planè contra ipſos in Concilio diffinitur, non ſolùm in aliis regulis fidei,ſed etiam in inductis ab ipſo authore. Sicut enim in *Can.* 4. & 8. traditur, quod oppoſitio prætendit: Ita in 3. & 5. manifeſtius habetur quod aſſerimus; qui vniverſaliter procedunt de omni auxilio gratiæ negando vllum tale dari invocationi humanæ, ut habetur in *Canone* 6. nec credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, pœnitentibus, quærentibus, pulſantibus miſericordiam conferri, ut diffinitur in 8. vbi nullam miſericordiam ſupernaturalem, nullumque ſupernaturale auxilium magnum, vel parvum docet dari parvis, vel magnis conatibus: quos propterea & parvos & magnos enumeravit.

OPPOSITIO XIII.

Sextò, inquit, idem confirmatur ratione non 497
enim credibile videtur tantos motus fuiſſe excitandos in Eccleſia, aut habendum pro errore contra fidem catholicam, ſi tantum voluiſſent dicere viribus naturæ poſſe hominem à Dei miſericordia impetrare aliquam inſpirationem remotam & ſalutarem, per quam ſi vellet poſſet vlterius progredi, & majora auxilia, & tandem juſtitiam obtinere, hæc enim ſententia non videtur à fidei doctrina alienare nec ex ea videntur ſequi illa incommoda quæ patres ex ſententia Maſſilienſium colligebant. Primò initia ſalutis aut fidei eſſe ex nobis. Secundò gratiam dari ex meritis humanis, & ita non eſſe gratiam. Tertiò gratiam eſſe pediſſequam.

RESPONSIO.

Satis clarè ſe author detegit atque manife- 498
ſtat, dum publicat poſſe hominem per ſolas naturæ vires à Deo impetrare aliquam inſpirationem ſalutarem ſupernaturalem, quæ ſit diſpoſitio remota ad gratiam contra Canonem 5. ex Concilio Arauſicano modo relatum, qui damnat dari aliquam miſericordiam ſupernaturalem ſolis conatibus ex naturæ viribus habitis. Et ratio eſt manifeſta nam illa ſalutaris & ſupernaturalis inſpiratio, quamuis remota ſit ad gratiam juſtificantem, vere tamen eſt auxilium gratiæ, imo primum eſt gratiæ adjutorium ſalutare, ergo ſi illam ſalutarem inſpirationem homo infallibiliter conſequitur per naturæ vires, vere talis ſalutaris inſpiratio, & primum gratiæ auxilium datur ex merito illius prioris naturalis conatus; & vere ille conatus eſt aliquale initium ſalutis, ut late probatum reliquimus, & veriſſime tale ſupernaturale auxilium gratiæ pediſſequum eſt ad bonum naturalem conatum voluntatis humanæ. Parique ratione ſi, vt ait, illo primo auxilio ſic ex naturæ viribus habito, homo bene vtatur, qui bonus vſus non ex tali auxilio efficitur ſecundum illum, ſed ex ejuſdem naturæ viribus majora auxilia acquiret homo, & tandem ipſam juſtitiam: de ſeptimo ad vltimum concluditur manifeſtè quod & initium ſalutis ex homine ſolo habeatur, & progreſſus illius, imo ipſa juſtitia qua juſtificatur; quia ſemper homo incipit & gratia conſequitur, ut pediſſequa: quod late in ſuperioribus oſtenſum fuit. Vnde hanc apertius ſententiam firmare; & ſimul dicere non eſſe contra fidei doctrinam, vel ab illa alienam, eſt ſola exteriori voce ſe excuſare à Doctrina quam tradit ut minus in hac materia eruditi decipiantur.

Parique ratione aſſerere non eſſe credibile 499
tantos motus excitandos fuiſſe in Eccleſia propter Doctrinam hanc; nihil eſt aliud quam omnes qui antiquis temporibus excitati ſunt & ſepulti:

Digitized by Google

sepulti : modo de novo in Ecclesia excitare. Quia antiqui illi nulli alij fuerunt, nisi quod initium aliquale salutis quodcunque illud esset, haberetur ex homine sine gratia : ex quo sequebatur gratiæ auxilium esse pedissequum, darique sub priori naturæ merito qui motus modo in sententia hujus authoris clarius excitantur & defenduntur, si ipse ad id advertere velit.

OPPOSITIO XIV.

500 Non primum inquit, quia initium fidei est primus actus credendi, vel ipse credulitatis affectus, quo proxime ipsum initium fidei promeremur ut supra diximus; quo cum vtrumque juxta illam sententiam non esset ex viribus naturæ, sed ex auxilio gratiæ.

RESPONSIO.

501 Cùm author expresse dicat illam inspirationem salutarem quæ est remota à justificante gratia; vere esse salutarem primamque inter salutares inspirationes : quomodo non est initium salutis, cum salutaris sit, & ad salutem pertineat ut primum initium salutare ? vel quomodo ex eo quod non sit actus credendi, vel affectus credulitatis, ut ait, non est initium fidei ? An putat quidem esse initium salutis vtpote primam salutarem inspirationem, non autem esse initium fidei, quasi aliud putre initium fidei, aliud initium salutis ? hoc primum tam ipse quam qui illius defendunt doctrinam salvare debent. Sed quicquid & quomodolibet id salvent, sufficit quod secundum apertam illius confessionem illa inspiratio est salutaris & prima, ergo primo pertinet ad salutem : & sic erit primum salutis initium, & sic convincitur primum quod negat sequi ex illa sententia, nimirum initium salutis esse ex nobis, cum illud salutare initium naturæ viribus acquiramus.

502 Sic autem illa prima salutis inspiratio est primum initium salutis : Ita est primum licet extrinsecum initium fidei; extrinsecum dico, quia intrinsecum fidei initium est actus credendi; extrinsecum autem licet magis ei proximum est credulitatis affectus, extrinsecum autem & magis remotum est quæcunque salutaris & prima inspiratio, quia essentialiter tendit ad fidem & ad illam aliqua ratione disponit. Vnde licet intrinsecum initium fidei non sit primum initium salutis; quia ante illud potest dari salutis initium, ut ex dictis patet : tamen in alia consideratione omne initium salutis, est initium fidei sive intrinsecum sive extrinsecum, & sic salvatur quod frequenter dicitur, quod fides est initium salutis; videlicet ipsum credere : vel aliquid supernaturale quod ad credendum disponat, dispositio enim ad fidem, large fides vocari solet.

OPPOSITIO XV.

503 Non secundum, inquit, quia fides & gratia justificans & auxilia propinqua non dantur ob aliquod meritum humanum, sed propter opus viribus gratiæ elicitum, iis nimirum qui semper auxilio gratiæ prævenientis dispositiones.

504 Et statim opponit contra hanc sententiam secundam suam responsionem, in hunc modum, dices ipsum auxilium præveniens dabitur ob meritum humanum, ergo non erit gratia, & consequenter nec ea quæ in hoc auxilio sequuntur, in numero gratiarum censebuntur.

505 Et ita respondet. Respondeo illud opus humanum non propriè illud auxilium remotum merebitur, nullo enim modo reddet hominem dignum, ac proinde non impediet quin illud auxilium sit verè gratis collatum propter Christi merita, sicut si is qui est reus perduellionis peteret à principe aliquo subsidio juvari ut possit venire ad aulam ad petendam veniam, & id ei præstaretur non amitteret rationem doni gratuiti.

RESPONSIO.

Si in prioribus relatis verbis satis se declara- 506
vit author, in his clarissime manifestat se in illo opere merè naturali aliquam rationem meriti agnoscere & confiteri licet non propriam, seu secundùm condignitatem. Vnde apertius illud meritum secundum congruitatem vel pietatem à Semipelagianis introductum : & ipse introducit, cum ait quod illud opus solius naturæ viribus factum non proprie meretur illud remotum auxilium gratiæ salutare. Igitur minus proprie secundum ipsum illud meretur, & explicans quomodo non meretur proprie, rationem reddit, quia non fecit hominem dignum : ergo meritum secundum condignitatem, quod vtique proprie meritum est negat : aliud autem secundum pietatem plane admittit cum antiquioribus illis, si enim & hunc vellet negare, non diceret, non meretur proprie, sed assereret nullo modo meretur. Quantum enim detrimentum fecerit addendo verbum, proprie nullus est qui debeat aut possit ignorare. Et in paragrapho tertium immediate sequenti iterum idem confirmat, cum subdit; *quia ille actus non proprie meretur illud.* Cum igitur sit manifestum authorem meritum secundum pietatem in illo opere mere naturali & agnoscere, & plane confiteri, & Pontifices summi, Concilia, & sancti Patres antiquiores Massilienses damnaverint, quod initium salutis ex homine esse dixerint & gratiam Dei pedissequam fecerint, atque sub priori merito naturæ constituerint, constat hanc eandem sententiam in isto authore & quolibet alio manere damnatam.

Et per hoc patet ad tertium in quo habet, quod 507
in tali casu justificatio aut donum Dei non subjungetur meritis humanis, cum oporteat alios actus per gratiam elicitos intervenire, imo nec ipsum auxilium præveniens; quia ille actus non proprie illud merebitur.

Respondendum est enim ex dictis vere sub- 508
jungi meritis humanis donum fidei & justificationem, cum ratione prahabita, quia illa prima inspiratio salutaris cum reddatur ex priori humano merito, gratia non est nec ex gratia fiunt omnia quæ ad illam poni sequuntur. Nec argumentum de perduelli aliquod juvat, quia si lex esset posita ut infallibiliter talis gratia ei daretur, ex aliquali merito eam ipse obtineret ut plenius supra reliquimus comprobatum. Secundò quia etiamsi vera illa gratia esset cum bonus vsus illius ex ipsa non efficeretur, sed ex libertate arbitrij etiam donum fidei vel justificatio meritis redderetur humanis, ut plenius in nostro secundo libro præmisimus & infra in hoc quarto copiosius ostendemus.

Vnde per ista quæ noviter iste author induxit, 509
ut illa propositionem de danda gratia infallibiliter facienti quod in se est naturæ viribus sustentaret, potius claret quam pernitiosa etiam ex propria confessione doctrina illa sit.

Digitized by Google

TRACTATVS VII.

DE GRATIA PRÆVENIENTE, EXCITANTE, ET ADIVVANTE.

CAPVT I.

Quid senserint recentiores de huiusmodi gratia.

1 POSTQVAM Authores cum quibus agimus posuerũt in hominis potestate auxilium quod ad salutem necessariũ est, constituendo illam certam legem de dando illo faciẽti quod in se est ex solis naturæ viribus, provt in assertionibus 63. 64. 65. & 66. primo nostro libro relatis 1. *part. tract.* 6. ut in hoc quarto in superioribus, vt arbitramur ad plenum confutatis videre est: vlterius progredientes suadere contendunt, quod etiam si non faciat id quod in se est ex solis viribus suis, adhuc omnis homo de facto recipit auxilium sufficiens, quo conuerti possit, ita quod tale auxilium sufficiens nulli in vniuersum homini denegatur, vt sic omni ex parte salutem in manu hominis vt aiunt constituant.

2 Quibus autem verbis hanc suam doctrinam exponant, *eodem nostro primo libro citato capite in assertione* 67. *&* 68. ac 69. ex ipsis notum dedimus, sed ipsorum expressa verba commodius infra referenda sunt in materia propria de auxilio sufficienti & efficaci, cum videlicet celebrem illam distinctionem auxilij in efficax & sufficiens expendemus, qui proprius finis nostræ intentionis est, vbi tractandæ sunt quæstiones pertinentes ad auxilium sufficiens, & aliæ de auxilio efficaci. Ac proinde ne materiam præueniamus sed omnia suo ordine disponantur, an Deus det omnibus gratiæ auxilium sufficiens quod hi authores in *assertione* 67. 68. *&* 69. affirmant ibi erit commodius disputandum, vbi priùs discutiemus quibus modis auxilium sufficiens accipi soleat vt omnis æquivocatio procul repellatur; deinde an congruè debeat aut possit vocari auxilium sufficiens. Tertiò in quo eius ratio propria consistat, & an vere sufficiens reipsa sit. Quartò an sit efficax respectu alicuius actus. Ac tandem perfectè examinata eius natura disseremus an omnibus in vniuersum hominibus tale sufficiens auxilium detur vnde ad presens quomodo hi authores constituant illam præuenientem gratiam, quam præuentam ipsi constituunt ab homine faciente quod in se est ex solis naturæ viribus, erit accurate examinandum.

3 Sic igitur ipsi de illa sua præuenienti gratia philosophantur in assertione 70. quæ est Ludouici Molinæ *in concord.* & hæc illius propria verba sunt: *accipe ergo*, inquit, *motum gratia prauenientis, simulque cognosces quinam sunt isti motus & quomodo fiant. Dum homo nondum ad fidem supernaturaliter interiùs vocatus cogitat & expendit res credendas per notitias concionatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu particulari, quo cognitionem illam adiuuat, tum vt res meliùs & dilucidiùs expendatur & penetretur, tum etiam vt notitia illa jam limites notitia supernaturalis, & ad finem supernaturalem in suo ordine & gradu accommodatè attingat; influxus verò ille dicitur motus gratia prauenientis ad finem supernaturalem, & illuminatio notitiaque illa & cognitio effecta iam à Deo supernaturalis per talem influxum appellatur gratia praueniens ex parte intellectus. Ex cognitione verò & penetratione earum rerum quæ ad fidem spectant, nempe cum expenditur quam digna sint quibus assensus adhibeatur, quantumque id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitas, quo allicitur & quasi inuitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergo motu quasi se inserit etiam Deus influens in illum per auxilium particulare: illumque auxilio quasi acuit vt magis vrgeat & alliciat; efficitque illum supernaturalem, vt in suo ordine & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratia prauenientis; motus verò ille atque affectus voluntatis circa ea quæ ad fidem spectant, quatenus à Deo supernaturalis efficitur, per auxilium illud, dicitur gratia praueniens ad assensum fidei ex parte voluntatis.*

4 Consentit alius eiusdem doctrinæ defensor dicens: *Hinc ergo Theologi definiunt hanc gratiam nihil aliud esse quam motum aliquem intellectus, vel voluntatis infusum à Deo, vel illuminante intellectum, & sanctam aliquam cogitationem in eo operante circa objectum aliquod, vel veritatem ad salutem animæ pertinentem, vel per eam motionem inspirante voluntati & excitante in illa affectionem aliquam timoris aut alterius similis affectus, supernaturalis quidem, sed in eo ordine imperfecti, & non liberi, sed necessarij, accommodat: tamen ut per eum accommodetur voluntas, & paulatim sublevetur ad perfectum & supernaturalem consensum præstandum.* Cujus verba hic ex superfluo non repetuntur, quia expendenda sunt diligentiùs.

5 Concordat alter hujus sententiæ sectator subdens: *Porro ad gratiam prævenientem pertinere motum voluntatis non deliberatum & testimonia Patrum, & ratio demonstrat.* Sequitur alius author ejusdem sententiæ, ita scribens: *Nam gratiam vocantem, seu excitantem appellant. theologi divinas quasdam inspirationes, seu motus quosdam*

Digitized by Google

quosdam in mente hominis excitatos, quibus Deus hominem ad se allicit & invitat. Idem omnino tradit Cardinalis Bellarminus gratiam prævenientem seu excitantem vocans motum repentinum, omnem deliberationem rationis prævenientem.

6 Quia verò hanc excitantem gratiam, & hos motus indeliberatos primus relatus author posuit advenire homini jam ex sua naturali facultate expendenti per priores notitias res credendas, & idem omnino asserit de expendente fideli ex sola sua facultate, quam detestanda peccata sunt, & quantum Deus sit amandus; Ideo aliam consequenter subjungit assertionem quæ ex ista deducitur, & *primo nostro libro citato*, fuit numero septuagesima prima, in hæc verba: *ex dictis in primis patet internam Dei vocationem ad fidem* (& idem dicit de vocatione interna ad pœnitentiam.) *Licet donum Dei sit, multum tamen à ministris & conatu Ecclesiæ pendente atque à libero arbitrio ejus qui vocatur.*

7 Vt ergo breviter perstringamus quod prædicti authores in relatis assertionibus de præveniente gratia sentiant, ad sex capita reducenda videntur. Asserunt primò prævenientem gratiam motum esse indeliberatum.

8 Secundò, ita fieri ut expendenti ex sua facultate naturali res fidei, vel alia ad pœnitentiam & salutem pertinentia, se illi inferat Deus modo ab illis relato.

9 Tertiò multum pendere talem prævenientem gratiam à ministris Ecclesiæ, imo à libero arbitrio hominis, cui tribuitur.

10 Quartò excitantem gratiam, quam solam prævenientem dicunt, esse sanctam quandam cogitationem, ex qua naturali sequelâ consequitur indeliberatus motus voluntatis, sic enim alter eorum exposuit vel alius postea interpretatus est: *est prævenions gratia motus indeliberatus intellectus vel voluntatis*: non dicit copulativè esse motum vtrumque, sed vnum vel alium imò, ut statim se explicat, est prævenions gratia sancta cogitatio à Deo infusa intellectum illuminans de re ad salutem pertinente, vel per eam notionem inspirans voluntati, & in illa excitns affectionem aliquam amoris, timoris, vl alterius similis ad salutem spectantis. Vbi tentius vtraque illa disjunctiva notanda est. Iaque per illos prævenions gratia, vel est sancta cogitatio, vel est excitata affectio indeliberata voluntatis timoris, vel amoris, vel alterius similis ad salutem pertinentis.

11 Quintò, hanc prævenientem gratiam esse tantùm excitantem, nec ad prævenientem gratiam pertinere gratiam adjuvantem de quibus proindè dicendum erit per singula.

In omnium ergo primo exordio hujus materiæ illud diximus advertendum, nos de actuali auxilo gratiæ prævenientis, quod ut dicemus, per excitantem & adjuvantem dividitur, in sequentibus sermonem instituere: de quo actuali gratiæ auxilio his temporibus acriter controvertitur, non de auxilio gratiæ habituali, de quo nec difficultates, quæ in hac causa tractantur, procedere clarum est.

CAPVT II.

Gratiam prævenientem non esse Deum prout animæ intimè assistentem sed aliquid creatum.

OMnium primò venit expendendum, quid 12
in substantia sit præveniens gratia, an nempe sit aliquid increatum in anima, vel potius creatum: & si creatum, an sit motus indeliberatus, vel aliquid ante talem motum indeliberatum, de quo variæ sententiæ circunferuntur.

Prima est cujusdam moderni authoris, qui 13
refert sententiam asserentium, actus supernaturales qui eliciuntur sine habitu, nullum habere in homine physicum principium effectiuum sibi inhærens præter creatam voluntatem, Deumque ipsum efficacitate sua supplere efficaciam habitus. Quem modum adjuvandi dicit esse possibilem, imò sibi certum videri, quia nulla invenitur repugnantia, quod Deus possit dici virtus assistens non inhærens. Et iterum dicit Deum illo vti in hominum actibus seu in hujusmodi actibus supernaturalibus: licet *num* 18. concedat gratiam adjuvantem non esse aliquid creatum in anima, sed increatum quia nihil est aliud quam Deus ipse, ut assistens animæ.

Circa cujus sententiam advertendum primò 14
eum loqui expresè in prædicto loco de gratia adjuvante secundum quod aliquo modo distincta est ab ercitante, & hanc adjuvantem gratiam pro illis actibus ponit non inhærentem, sed assistentem Deum, secundò hanc increatam gratiam adjuvantem assistentem constitui ab ipso pro actibus supernaturalibus liberis, qui antecedunt justificationem & proximè ad illam disponunt, ut contritio, vel remotè, ut est attritio; non vero loquitur expresè de gratia excitante, qui est motus indeliberatus; nec enim expresè declarat, à quo illa fiat, an videlicet immediatè à Deo, vel mediatè ab alia causa proxima supernaturali: Imò in *num.4. illius cap.4.* asserit, quod in sequentibus de hoc aliquid attinget. Vt tamen ex illius dictis apparet, nec ad illam excitantem gratiam, quæ est actus indeliberatus, aliam supernaturalem causam effectivam illius constituit, præter Deum assistentem.

Quod ex duobus colligi videtur, primò quia 15
cum pro actibus liberis supernaturalibus, ut est attritio, imò contritio solum Deum ponat assistentem, ex qua assistentia creata voluntas eos liberè eliciat, multò magis ipsum assistentem solùm constituet pro actibus indeliberatis & minùs perfectis, in quibus gratia excitans consistit. Secundò quia pro actibus supernaturalibus qui non eliciuntur ab habitibus licet illi perfecti sint, non constituit adjuvantem gratiam creatam, sed Deum assistentem: ergo cum excitans gratia non eliciatur ab aliquo habitu, ut est satis notum; etiam pro illa non erit secundum ipsum constituenda adjuvans gratia, inhærens, creata, sed tantùm Deus assistens.

Vnde non dubium, quin sententia illius sit, 16
quod ad illum actum indeliberatum qui dicitur

Digitized by Google

gratia excitans, non sit necessarium aliud principium effectiuum supernaturale, præter Deum p sum assistentem.

16 Itaque in summa hæc sententia tenet auxilium præuenientis gratiæ importare Deum intimè sua voluntate assistentem & volenté seu ordinantem potentias hominis ad tales supernaturales actiones efficiendas. Per hanc enim naturalem subordinationem potentiarum hominis ad voluntatem Dei dicunt, reddi creaturam potentem ad efficiendum quicquid diuina voluntas voluerit, quod efficiat, etiamsi nihil in eis constituat.

Probant primò quia vt membra exteriora prodeant in suos actus, sufficit imperium voluntatis, nec oportet ponere in ipsis aliquid à voluntate egrediens, & in ipsis receptum aut præuium ad earum operationes, sed sufficit naturalis illa dependentia & subordinatio quam habent ad voluntatem.

17 Similiter calor in homine vt animæ subordinatur, sine aliquo alio recepto potest producere substantiam carnis. Præterea humanitas Christi Domini ex eo præcisè, quod est vnita verbo diuino, habet quandam omnipotentiam instrumentalem ad facienda miracula absque aliqua intrinseca forma, motione, vel qualitate superaddita, ut colligitur ex S. Thoma 3. *p. q.* 13. *art.* 2. Imo intellectus creatus ex hoc quod vnitur sibi diuina essentia intimè in ratione speciei intelligibilis absque inhæsione vel informatione, de facto elicit visionem beatam: ergo à fortiori poterit tum intellectus, tum voluntas creata elicere quemcunque alium supernaturalem actum, ex eo solùm quod Deus intimè illi assistat, absque aliqua alia qualitate, mutatione aut inhæsione alicuius supernaturalis adjutorij.

18 Tandem hoc suadere conantur exemplo in artificialibus; quamvis enim penicillum non habeat secundum se potentiam ad formandam artificiosam imaginem; tamen per hoc tantum quod assumitur manu artificis, & illius directioni subordinatur, redditur potens ad formandam imaginem absque additione alicuius intrinsecæ formæ.

Pari ergo ratione creatura, licet secundum se non habeat potentiam ad efficiendum opus supernaturale, tamen secundum quod assumitur à Deo & subordinatur imperio voluntatis eius, & directioni illius, poterit efficere illud absque forma, motione, vel qualitate aliqua, præuia, in creatura inhærente.

19 Verum doctrina ista, ne iterum ad illam impugandam revertamur, satis nova est & peregrina, minusque conformis diuinis literis, Conciliorum diffinitionibus, doctrinæ sanctorum patrum & scholasticorum sententiæ.

Vnde aduersus illam dicendum est primò. Propriè loquendo auxilium gratiæ diuinæ non dicitur ipse Deus, provt intimè nobis assistens, sed tale auxilium est aliquid creatum in anima receptum, & sic semper de auxilio gratiæ loquuti sunt Sancti Patres atque concilia, cum Scholasticis authoribus, probatúrque primò ex diuinis literis Apocal. 3. *Ecce Sto ad ostium & pulso*, quibus verbis apertè mõstratur, Deum se habere instar pulsantis ad ostiũ: qui autẽ ad ostium pulsat, motum aliquem in ostio imprimit: ergo cum Deus pulsare dicitur, intimè ad ostium cordis nostri, ibi notatur quod aliquem impulsum & motum spiritualem cordi imprimat, per quem ad ostium cordis pulsat. Similiter cum Paulus dicit 1. ad Corinth. 15. *non ego, sed gratia Dei mecum*, profectò adjutorium gratiæ à Deo sibi tributum fatetur. Vnde sancti patres vniuersi in expositione huius testimonij, gratiæ adjutorium distinctum ab ipso Deo, ipsique Apostolo tributum intellexerunt. Gregorius enim illam gratiam Dei, vocat donum Dei, à Deo ipso datum: & S. P. Augustinus *de spiritu & litera cap.* 34. *& sequentibus*, illam gratiam vocat divinam motionem in nobis receptam. Sanctus Anselmus ad illum præfatum locum Pauli illam gratiam dicit esse aliquid in nobis, sine nobis à Deo causatum. Sic Bernardus sic Ambrosius, sic Sanctus Prosper, sic Sanctus Thomas, una voce enim per illam Dei gratiam, aliquid supernaturale creatum, & nobis tributum planè interpretantur.

Præterea in sacris literis, Conciliis & sanctis patribus aperte dicitur, Deum auxiliari nobis per suam gratiam, per hoc quod supernaturaliter bonum inspirat, & per hoc quod inclinat & impellit corda nostra in illud: per hoc quod pulsat, tangit, invitat & similia; Sed hæc omnia important aliquam actionem transeuntem ad extra: ergo illud auxilium quod his actionibus nobis tribuitur ab ipso Deo, est aliquid extra se ipsum in nobis vere & realiter receptum. Minor probatur, & quidem de sacris literis breviter ostensum est: de sacris autem Conciliis probatur ex Arausicano 2. *Can.* 4. 5. 6. *&* 7. quibus passim repetit Deum nos adjuvare ad bonum per Spiritus Sancti illuminationem, operationem, infusionem, inspirationem: Sed hæc omnia important aliquam actionem transeuntem ad extra: ergo auxilium Dei significatum per prædicta Concilij verba, quod nobis à Deo tribuitur, aliquid est extra Deum, ad extra productum, & in nobis receptum. Simili modo Tridentinum Concilium *sess.* 6. *cap.* 5. gratiam excitantem & adjuvantem satis clarè docet aliquid esse extra Deum in nobis existens, siquidem docet prævenientm gratiam, quam per excitantem & adjuvantm exponit, esse Dei vocationem. Quis auten dicat vocationem Dei non esse aliquid præter Deum; sicut vocatio qua homo alium vocat non est homo ipse, & ibi eandem vocationem Dei appellat Spiritus Sancti illuminationem & inspirationem; & Can. 3. iterum inspirationem nominat. Constat autem quod illuminatio & inspiratio Spiritus Sancti non est ipse Deus, nec assistentia illa intima ipsius Dei, nec voluntas eius parata ad causandum quasi in actu primo in nobis affectum gratuitum: sed est vera & realis motio & impulsus in nobis receptus. Vnde alibi ab eodem Concilio vocatur impulsus Dei, & instinctus interior hominis. Impulsus autem fit ab impellente, & in re quæ impellitur, recipitur, quod etiam est satis manifestum.

Quare velle omnia hæc verba, quibus Concilia Sacra explicant præuenientem gratiam quâ à Deo prævenimur in benedictionibus dulcedinis, exponere non de aliquo auxilio gratiæ nobis à Deo tributo, & in nobis recepto, sed de ipsa intima assistentia Dei nihil est aliud, quàm doctrinam Conciliorum quasi deludere & extortè explicando enervare. Vnde etiam author hujus intimæ assistentiæ fatetur; Tridentinum 20 21

Concilium

Digitized by Google

Concilium concedere gratiam excitantem & adjuvantem esse aliquid inhærens in anima, quanquam ut ait Concilium, id expressè non dicat, sat est autē quod illud dicat implicitè & reipsa, ut probatum est. Ne autem videatur Concilio esse contrarius, asserit quod quamuis hæc gratia in actu primo sit increata, scilicet ipse Deus assistens animæ, tamen in actu secundo ipsa actio ut procedens à Deo sub hac ratione est quid creatum, & talis actio ut sic procedens à Deo, est auxilium gratiæ.

22 Verùm quàm impossibile sit, quod actio vitalis immediate procedat à Deo, & non media potentia vitali, copiosè ostensum est supra, tertio nostro libro, nec hic venit repetendum.

Secundò quomodo actio ut procedit à Deo, est gratia excitans vel adjuvans; cum ipsa tota actio & secundum omnem rationem suam sit effectus gratiæ excitantis & adjuvantis, quod planè ex eodem Sacro Concilio *capite 5. & 6.* manifestè constat. An illa actio est causa efficiens sui ipsius? hoc plane impossibile est. Tandem cum illa actio procedens à potentia naturali sit naturalis; quomodo ei postea ex intrinseco conjungi potest aliquid supernaturale, mixtura quadam plane omnibus modis incomposibili, imo in intelligibili. Cum ergo author cōcedat gratiam excitantem & adjuvantem esse secundum Concilium quid creatum, & talis gratia non possit esse actio ut venit à Deo immediate, necesse est quod sit auxilium voluntati impressum, per quod elevata potentia illam actionem supernaturalem eliciat.

23 Quod autem supradictus modus dicendi opponatur sanctorum Patrum & Scholasticorum doctrinæ, norunt omnes qui eos legunt, in quibus nullum nec à longe vestigium invenies illius intimæ Dei assistentiæ vocatæ ab ipsis gratia præveniens. Sed è contra de præveniente gratia, sive excitante, sive adjuvante semper loquuntur, ut de aliquo creato supernaturali nobis adjutorio in nobis suscepto, & à Deo tributo: innumera ad id loca possent multiplicari, sed ad illa, ut non graventur, lectores remittimus, & unum vel alterum solum inducemus. S. Pater Augustinus qui in hac causa est præcipuus libro de gratia Christi ubi contra Pelagium, ex professo agit *de adjutorio gratiæ à capite 7. 12. & sequentibus.* adjutorium quod Pelagius admittebat, in illuminatione, revelatione & excitatione (per quæ verba, ut explicatum manet etiam Pelagius aliquid extra Deum in nobis fatebatur, quo homo adjuvatur) ex eo solum impugnat, quia in nobis tantùm ponebat aliquid per modum legis atque doctrinæ; non per modum vere efficientis. Itaque quod magis est, convenientia erat hinc & inde. Dei adjutorium aliquid in nobis ponere extra Deum ab ipso nobis tributum; nec de hoc etiam ipse Pelagius dubitabat; & tota controversia erat, quid in nobis poneret: vel quid nobis tribueret, ut dictum est.

24 Deinde Sanctus Doctor Augustinus in libris contra Pelagianos, sæpius docet, nos à Deo accipere auxilium gratiæ; manifestè ergo docet illud Dei auxilium acceptum aliquid esse à Deo nobis datum, & ab ipso Deo distinctum. Vnde *libro de Corr. & grat. cap. 6.* & alibi frequenter ad explicandum auxilium gratiæ, quod ex Deo non ex nobis habemus, inducit illud Iacobi 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum.* Per quod manifestè docet ex Apostolo Iacobo, illud donum & illud gratiæ auxilium à Deo in nobis descendere, ac per consequens quid creatum in nobis esse non autem esse ipsum Deum intime assistentem; quia Deus intimè assistens non est donum à Deo in nos descendens. Item docet, Deum dare vires efficacissimas, voluntati, quæ verba etiam clarè sonant, aliquid recipi à Deo in voluntate; per quod tales efficacissimas vires recipiat. Plurima sunt similia in Doctore sancto; sed hæc pauca in re satis nota sufficiant. Nihil enim magis adversum doctrinæ S. Augustini potest dici, quam negare auxilium gratiæ esse quid creatum, & in anima nostra receptum. Sanctus etiam Thomas idem patentissimè docet, vbicumque de auxiliis gratiæ sermonem facit, cum vbique asserit, illud esse divinam quandam motionem, à Deo nobis impressam quâ nos ad bene agendum movet; divina autem motio recepta in nobis, creatum quid est & à Deo distinctum; non ipse Deus intime nobis assistens Videatur potissime. *1. 2. q. 110. art 2.* Vbi actuale auxilium Dei mouentis animum ad bonum vocat gratuitum effectum Dei in homine. Quid clarius ad excludendam sententiam quæ dicit esse Deum assistentem, nisi cogantur dicere Deum assistentem esse effectum gratuitum Dei, quod nullo modo dicent, sicut dicere nulla ratione possunt. Et iterum ibi dicit esse illud auxilium motū moventis in moto, quo nec apertiùs potuit excludere intimam Dei assistentiam, quæ modo fingitur esse Dei auxilium. Plura alia in doctrina Angelici Doctoris sunt pervia, quæ proinde nec recensentur.

CAPVT III.

Gratiam prævenientem non esse Deum prout animæ assistentem, sed aliquid creatum rationibus ostenditur.

25 QVando autem nec Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Doctorum testimonia relata suppeterent; cum communi sententia Scholasticorum quæ hanc novitatem explicandi auxilium gratiæ per Deum intimè assistentem absq; eo quod aliquid animæ imprimat, nunquam audivit, nunquam legit, nunquam tradidit id Theologica ratio convincit, esse falsissimum. Nam illi, actus indeliberati qui ad gratiam pertinent excitantem, non eliciuntur ab intellectu & voluntate, sicut ab instrumentis propriè acceptis, sed sicut à causis principalibus, quia illi sunt vitales operationes, ut de se patet: De ratione autem vitalis operationis est esse principaliter, & non solùm instrumentaliter ab eo, à quo elicitur, ut etiam est manifestum.

26 Diximus pertinere illos indeliberatos actus ad gratiam excitantem, quia ut infrà erit ostendendum in illis adæquatè & totaliter gratia præveniens non consistit. Parique ratione diximus non elici ab intellectu & voluntate, sicut à propriè instrumentis, quia quamvis sint propriè principales causæ secundæ, habent se tamen respectu Dei ad modum instrumentorum, quantum ad hoc, quod nisi motæ à Deo non se movent ad operationes suas, potissimè ad has quæ ordinis sunt supernaturalis, ut plenius *in tertio*

Digitized by Google

libro declaratum manet. Tunc rursus eliciuntur illi actus ab intellectu & voluntate, sicut à causis principalibus : ergo cum illi sint supernaturales, supponere debent causas principales elicientes constitutas in esse supernaturali. Patet consequentia, quia nec intelligi potest, actum supernaturalem elici à causa principali, quæ supernaturalis non sit, cum ex necessitate illa debeat esse supernaturalis, ut actum supernaturalem possit elicere. Quomodo enim poterit dare actui, quod ipsa in se non habet; vel quomodo effectus supernaturalis poterit assimilari causæ, quæ supernaturalis non est, quæ assimilatio de ratione causæ principalis est, quæ sibi debet assimilari effectum. Profecto sicut id quod nullo modo habet esse in se ipso, nullo etiam modo potest aliquid effectivè operari ut principalis causa, sic etiam quod nullum habet esse supernaturale in se ipso, nullatenus potest ut principalis causa supernaturaliter operari, vel aliquid supernaturaliter efficere; At per illam intimam Dei assistentiam, cum nihil per eam supernaturale tribuatur intellectui & voluntati, intellectus & voluntas non efficiuntur causæ supernaturales, sed manent potentiæ naturales sicut antea, ut evidens est, & authores illius intimæ assistentiæ concedunt, prout fateri tenentur : ergo ab illis sicut à causis principalibus nulla ratione possunt vitaliter elici actus illi supernaturales ad excitantem gratiam pertinentes.

27 Explicatur & confirmatur; Quoniam potentia naturalis non habet vires ad actum supernaturalem eliciendum : ergo juvari debet aliquo supernaturali auxilio intrinseco, ut potentia sit in se & in suo ordine proportionata actui, ut completa & integra causa illius. Quod si dicatur ad actus liberos & perfectos supernaturales necessarium esse tale auxilium supernaturale, dans priores vires animæ ad illos eliciendos; non autem in actibus illis necessariis & indeliberatis, qui imperfecti sunt, sed ad illos sufficiet subordinatam esse potentiam Deo illi summè assistenti, & volenti quod potentia creata eos producat : hoc nullo modo vim rationis factæ infringit, vel infringere potest, quia necessitas auxilij intrinseci non est propter libertatem actus, sed propter supernaturalitatem ipsius; aliàs ad visionem beatificam quæ omnibus modis necessarius actus est, non requireretur lumen supernaturale intrinsecum; & idem esset de actu charitatis in patria qui omninò etiam necessarius est, & sine libertate, quod tamen falsissimum est. Nec etiam requiritur propter perfectionem actus, quia licet actus sit imperfectus comparatione alterius, si tamen est in substantia supernaturalis, elici non potest ut à causa principali, nisi à potentia existente similiter in actu primo supernaturali.

28 Quia igitur tam actus liberi supernaturales, quam necessarij & indeliberati, supernaturales in substantia sunt, sicut liberi indigent auxilio intrinseco supernaturali in potentia ut libere ab ea eliciantur; ita necessarij & indeliberati egent auxilio supernaturali in potentia, ut ab ipsa necessariò & indeliberatè supernaturales fiant.

29 Nec etiam sufficit, si dicatur voluntatem in actibus voluntariis & indeliberatis, non postulare auxilium intrinsecum, sicut in liberis, ex eo, quod in necessariis & indeliberatis, voluntas non se mouet, sicut se mouet in liberis. Quamvis enim voluntas in actibus indeliberatis & necessariis non se moueat moraliter per præcedentem deliberationem, tamen verè efficienter ut causa principalis vitaliter producit actus illos : ergo indiget esse constituta in actu primo supernaturali proportionato integro & completo ad illos efficiendum; Omnis enim causa principalis efficiens actum secundum, sive se moraliter ad illum moueat, sive ex necessitate illum producat, debet præsupponi in actu primo proportionato actui secundo, ut talem actum efficiat sibi similem, ut dictum est de intellectu & voluntate in patria sine libertate aliqua videnti & amante Deum, absque eo quod se homo moraliter moueat ad tales actiones. Præterea modus operandi consequitur modum essendi : ergo operari supernaturaliter, vel (quod idem est) operari actiones supernaturales, præsupponit esse aliquod supernaturale, hoc autem supernaturale esse non potest convenire potentiis naturalibus, nisi per aliquod supernaturale in ipsis receptum, aliàs in se ipsis non habebunt esse supernaturale.

Tandem supernaturales actiones intellectus 30
& voluntatis sunt vitales : ergo necessariò debent procedere à potentiis Vitalibus constitutis in se ipsis in esse supernaturali proportionato illis vitalibus actionibus.

Confirmatur. Quia auxilium prævenientis gratiæ non est æquale in omnibus, ut est satis notum; At subordinatio ad potentiam & imperium Dei est æquale in omnibus creaturis, quia nihil est aliud quam dependentia, quam omnes æqualiter habent ad Deum : ergo tale auxilium prævenientis gratiæ non est illa subordinatio & dependentia ad Deum intimè omnibus assistens. Etsi dicatur, illam Dei intimam assistentiam, qua omnes creaturas sibi subordinat & voluntati suæ, esse prævenientis gratiæ adjutorium, secundum quod dicit ordinem ad majorem vel minorem effectum producendum, & hac ratione esse inæqualem in omnibus. Semper contra hoc instat ratio proposita, quod non potest divina intima assistentia dicere ordinem ad majorem vel minorem effectum supernaturalem producendum ab homine, nisi majorem vel minorem virtutem supernaturalem in homine ponat, per quam diversum illum ordinem dicat : Sicut enim de facto majos vel minor effectus supernaturalis non fit à potentiis naturalibus, nisi ipsæ magis vel minus habeant esse supernaturale : ita nec potentia potest dicere majorem vel minorem ordinem ad effectus supernaturales, nisi præhabeat magis vel minus de dono supernaturali, per quod talem diversum ordinem ad effectus diversos supernaturales.

Sed respondent, quod licet naturales potentiæ hominis, intellectus videlicet & voluntas, non habeant aliquam virtutem aut vim activam naturalem ad efficiendum opera supernaturalia, ut causæ principales : habent tamen naturaliter inditam potentiam activam obedientialem, ad facienda opera illa, quando & quomodo Deus ordinaverit, & ex vi hujus potentiæ præsuppositæ intima divina assistentia & divino imperio, cui omnes creaturæ subordinantur, constituuntur sufficientes ipsæ creaturæ in actu primo ad efficiendum opera supernaturalia. Ita Franc. Suarez 3. *part. q.* 13. *art.* 14. *disp.* 3. *sect.* 3. quæ 31

obedien

Digitized by Google

obedientialis potentia non est quid distinctum à creatura, sed est entitas creaturæ, & respicit Deum authorem supernaturalem, cui subordinatur, vt in illa efficiat quidquid ipse voluerit. Exemplum statuit in calore, qui sicut est ex se virtus calefaciendi, ita entitas cuiuslibet rei per se ipsam est virtus quædam obedientialis actiua ad agendum supernaturales effectus.

32 At non minùs falsa est ista doctrina quàm præcedens, nec enim antecedentem modificat, sed ex vno inconuenienti in aliud prorumpit, si enim potentiæ naturales hominis, videlicet intellectus, & voluntas ex propria & intrinseca sua natura habent huiusmodi potentiam activam obedientialem ad eliciendum actus supernaturales; ergo in illis est potentia & virtus naturalis ad vitaliter & principaliter efficiendum opera supernaturalia: ergo poterunt naturaliter illa principaliter, & vitaliter efficere. Hoc autem est contra veritatem & dogma videtur fundare Pelagianum, & implicationem involvit; quia contra rationem actus supernaturalis est, posse naturaliter fieri à creatura. Nec excusatur ex eo quod dicitur præter illam potentiam activam obedientialem inditam à natura requiri subordinationem ad imperium Dei, vt non aliter agat quàm secundum illud. Quia subdi imperio & subordinationi Dei in propria operatione, non tollit quin virtus illa actiua sit naturalis & naturaliter operetur, & quod sibi concursus debeatur naturalis, si aliàs talis actiua potentia & virtus est à natura indita. Quia hoc est commune omnibus creaturis, vt diuino imperio, & subordinationi subdantur, nec aliquid efficere possint, nisi secundum imperium & ordinationem diuinam.

33 Præter hæc argumenta addit prædictus Author, quod quia modus operandi iste est supernaturalis vt pote elicitivus operum supernaturalium, ideo potentiæ intellectus & voluntatis creatæ secundum se, solùm sunt potentiæ remotæ; nec potentiæ constitutæ ex natura sua ad simpliciter sic operandum supernaturalia opera, sed propriè constitui, vt eleuari possint à Deo ad sic operandum itaque inquit, quod sicut potentia obediétialis passiua non denominat rem absolutè, sed in ordine ad Deum; ita etiam ab hac potentia obedientiali actiua non denominatur res simpliciter potens, sed in ordine ad Deum, verùm nec ista limitatio aliquid juuat vel excusat, quia licet in qualibet creatura sit potentia obedientialis, quasi passiua, id est capacitas vt eleuetur à Deo vt instrumentum ad efficiendum supernaturalia opera quod certissimum est: impossibile est tamen esse in creatura potentiam activam vitalem & principaliter obedientialem inditam à natura ad efficiendum vt causam principalem opera supernaturalia, quia talis actiua potentia esset reuera naturalis, vt dictum est, licet voce dicatur obedientialis, esset que re ipsa ponere potentiam, & virtutem activam naturalem ad opera supernaturalia, quo nihil potest dici impossibilius: esset que Pelagianis favere & auxilia gratiæ de medio tollere vt necessaria ad similia opera efficienda; vnde licet etiam voce dicatur potentia remota, proxima tamen ponitur re ipsa, siquidem sine alio dicitur posse actum supernaturalem elicere, sicut patet de exemplo caloris, quo vtitur prædictus author, qui immediatè & proximè potest calefacere. Absit autem ab hac materia exemplum tale, talisque doctrina.

Insuper secundùm veritatem alius est qui auxiliatur, aliud ipsum auxilium quod præstat. Cum igitur Deus sit auxiliator, non potest ipsemet esse auxilium quod nobis donat. 34

Tandem Deus secundum se non est auxilium, nec etiam ut assistens intimè; ergo nullo modo: Primum ab his authoribus conceditur. Secundum probatur, quia hæc intima Dei assistentia æquè convenit omnibus rebus & earum potentiis naturalibus nullus enim effectus creaturæ est, aut esse potest, cui Deus intimè non assistat per essentiam, potentiam, & præsentiam. Imò non aliter assistit vni creaturæ quàm alteri, nisi provt aliquem effectum in vna producit; quem non producit in alia: ergo antequam aliquid intelligamus causatum in vno homine & in alio: non potest intelligi quod aliter assistat vni quàm alteri: neque quod maius auxilium det isti quàm illi. 35

Si dicatur Deum magis assistere vni quàm alteri; quia est paratus sua voluntate ad causandum aliquam perfectionem maiorem in vno quàm in alio. Contra hoc est quod per hoc quod Deus sit paratus causare antequam causet vel de facto aliquid magis vni quam alteri tribuat de facto non auxiliatur magis vni quam alteri; nec aliquod de facto dat auxilium vni magis quam alteri; quo possit supernaturaliter agere. Patet consequétia quia secundum modum essendi est modus operandi; sed intima Dei assistentia secludendo omnem virtutem tributam nostris potentiis non tribuit illis alium modum essendi, ab eo; quem habent à natura: ergo nec eis poterit tribuere alium modum operandi præter illum quem à natura habent, & per consequens nec ipsæ poterunt actionem aliquam supernaturalem elicere. 36

Et per hoc patet ad id quod supradictus author asserit vbi supra *num.* 17. Cum enim ibi ex aduerso sibi opposuisset quod ad suauem Dei prouidentiam pertinet dare causis secundis virtutes intrinsecas per quas operentur, ad hoc respondet id esse verum tum in effectibus & actionibus connaturalibus, tum etiam in supernaturalibus quando operans est in statu perfecto, & connaturali modo operatur, & producit fructus iustitiæ iam receptæ. Quando verò est in statu imperfecto & potiùs contrario ipsi iustitiæ, cum careat virtute intrinsecâ quam non est recepturus nisi per propriam & proportionatam dispositionem, tunc non potest elevari per intrinsecam virtutem habitualem, actualis verò nulla est sufficiens; & ideo non est alienum sed consentaneum diuinæ prouidentiæ quod operans sine aliqua supernaturali virtute recepta eliciat supernaturales illas operationes. 37

Ad hoc enim ex dictis patet solutio, neque enim est solùm contra suauem Dei prouidentiam quod sic operans operetur; imò vt ostensum est prorsus repugnat elici vitaliter supernaturalem actionem à causa principali non supernaturali. Non enim solùm in actibus naturalibus, nec tantùm in supernaturalibus quæ procedunt ab operante constituto in statuto perfecto iustitiæ, procedit actio ab operante habéte proportionatam virtutem ad illam eliciendā; sed in vniuersum necesse omnino est, quod omnis supernaturalis actio elicita ab aliqua causa supernaturali, ab ea fiat per virtutem supernaturalem illi actioni proportionatam, quia oppositum vt ostensum est, penitus est impossibile, & minus intelligi potest. 38

Quod

Digitized by Google

39 Quod autem dicit non esse sufficientem actualem virtutem præter habitualem ad constituendam potentiam in esse supernaturali proportionato effectui, vel actioni illi supernaturali, falsum planè est; Imò est necessarium quod sicut pro actionibus perfectis justitiæ dantur habituales virtutes infusæ; ita & pro illis actionibus supernaturalibus, quæ tempore antecedunt ipsam justificationem; & ad illam remotè disponunt: dentur actuales virtutes proportionatæ, quibus potentiæ eleventur, ad illas efficiendas, quæ actuales virtutes à communi schola Theologorum vocantur & verè sunt actualia auxilia gratiæ, sed non ita perfecta sicut illa priora.

40 Pro contritione autem secundùm quod antecedit justificationem & gratiam in sententia Scoti, & aliorum datur auxilium actuale voluntati, quo eam elicìat: in sententia verò Sancti Thomæ, quod alibi exposuimus ipsamet infusio gratiæ, prout consideratur in fieri, habet rationem actualis auxilij moventis voluntatem ad contritionem; quæ contritio sic effecta disponit ad eandem justificationem secundùm rationem aliam; nimirum secundum quod est habitualis justificatio animæ inhærens, itaque secundùm communem Scholasticorum omnium sententiam, aliquod auxilium supernaturale sive hoc sive illud omnino est constituendum pro contritione elicienda; Vnde asserere sufficere potentiam voluntatis creatæ cum sola illa intima Dei assistentia sine aliqua virtute supernaturali ipsi voluntati communicata, cum tunc ut probatum manet, creata voluntas non habeat nisi esse naturale, nec poterit nisi naturalem actionem efficere, & sic convincitur, quod nuda naturalis potentia se vltimò disponat ad gratiam, & sua naturali virtute gratiam acquirat, quæ fuit Pelagianorum damnata sententia.

41 Patet etiam ex dictis ad exempla, quæ pro prædicta sententia à principio hujus capitis inducta sunt. Ad Primum ergo de membris exterioribus ista sit prima responsio: rationem omnino esse diversam; etenim in membris externis virtus est naturalis intrinseca proportionata ad exequendum imperium voluntatis; nisi per accidens aliunde impediatur. At in potentiis omnino naturalibus intellectu, & voluntate, nulla est activa virtus proportionata ad actus supernaturales vitaliter & principaliter efficiendos, vnde nec de illis potest esse divinum imperium, quia esset de re impossibili nisi prius eleventur per aliquam supernaturalem virtutem eis collatam.

42 Dicendum secundo quod etiam respectu naturalis operationis proportionatæ potentiis naturalibus non sufficit divinum imperium, nisi ex ipso sequatur divina præmotio qua Deus voluntatem hominis moveat ad agendum. Primò quia etiam authores cum quibus ista tractamus, alibi confitentur quod ex divinæ voluntatis prædiffinitione sine scientia media, naturaliter resultat divina præmotio, seu prædeterminatio in voluntate, quia non est alius modus per quē divina prædiffinitio impleatur, & certò effectus prædiffinitus eveniat sentiunt ergo etiam ipsi quoad operationes naturales voluntatis humanæ, non sufficere divinum imperium, seu prædiffinitionem divinam; nisi ex illa sequatur divina præmotio seu prædeterminatio in voluntate recepta, quæ ipsam ad agendum inclinet. Et in hoc quidem verissimum dicit, quod prius Scotus asseruit in *secundo sent dist. 37. quæst. 2. §. contra istam* & *§. propter*, cum enim à principio quæstionis illius vsque ad prædictum, *§. contra istam*; probasset voluntatem humanam esse totalem causam suæ actionis, ita quod Deus eam non determinaret, sed tantùm esset illius causa mediata; quatenus voluntatem creavit, statim in citato *§. contra istam*; Duobus argumentis probat illam sententiam esse falsam, primum est: quia si voluntas prædicto modo esset totalis causa actionis suæ, Deus non esset certò præscius futurorum. Quod sic probat, quia Deus non habet certam scientiam futurorum, nisi quia certò cognoscit determinationem suæ voluntatis respectu eorum; sed si voluntas creata esset totalis causa sui velle, Deus illa non cognosceret in determinatione suæ voluntatis: Ergo quantumcunque voluntas divina ponatur determinata ad vnam partem, poterit voluntas creata aliter velle, & ita non sequitur certitudo ex cognitione certitudinis voluntatis divinæ.

Secundum Argumentum quod Deus non es- 43
set omnipotens in hunc modum à simili format: Quidquid vult omnipotens hoc fit; sed si vellet volitionem meā fore, & ista est in potestate voluntatis meæ, ut totalis causæ contingenter se habentis ad illud posset non fieri omnino quod omnipotens vult. Ergo ipsa potest determinari ex se ad vnam partem, vel ad aliam indifferenter, & ita potest non fieri illud aliud, ad quod voluntas divina eam determinavit. Ecce manifestè Scotus probat quod posito imperio divino & divinæ voluntatis determinatione, & subordinatione voluntatis nostræ ad illam, adhuc si Deus eam non movet, sed ipsa est totalis, ideſt sola causa actionis suæ, non certò operabitur quod determinatio divinæ voluntatis vult.

Imò Sanctus Thomas omnia ista confirmans 44
tertio contra gent. cap. 93. postquam ex Boëtio diffinivit fatum (scilicet largè sumptum) quod est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus: In qua fati descriptione dispositio pro ordinatione ponitur inhærente rebus mobilibus, quæ ordinatio fatum nominata est; statim hæc verba subdit. *Secundùm hanc ergo acceptionem negare fatum est providentiam divinam negare.* Igitur secundùm Sanctum Thomam negare efficacem Dei præmotionem rebus mobilibus inhærentem, est negare divinam providentiam, qui ergo dicunt sufficere divinam providentiā, divinum imperium, divinam voluntatem intimè assistentem, sine efficaci præmotione voluntati impressa ut ipsa operetur: voce quidem divinum imperium, & divinam providentiam & ordinationem ponunt; sed revera omnia ista negant, ut Sanctus Thomas convincit. Igitur & Sanctus Thomas, & Scotus, imò ut ad hominem sit argumentum, & authores cum quibus agimus, concedunt alibi quod non sufficit divina intima assistentia, aut divinum imperium, vel subordinatio nostræ voluntatis ad divinam, ut nostra operetur, nisi simul aliquid in ipsa ponatur, quo ad agendum moveatur. Cùm ergo prædictus author hoc asserat citato loco de voluntate humana respectu suæ naturalis operationis, ut visum est, quomodo dicere potuit sufficere illam intimam

Digitized by Google

intimam assistentiam Dei, & ejus divinum imperium, & subordinationem suæ voluntatis ad divinam sine aliquo impresso nostræ voluntatis ut ipsa operetur, quod multo magis est, supernaturalia opera quæ totam ejus potentiam & virtutem excedunt: quia igitur quod citato loco asseruit verum est, ut manet ex Sancto Thoma & Scoto probatum, supereſt ut quod alibi dixit, & modo impugnamus, quod & modo illi priori suo dicto contradicit, falsum sit & impossibile.

45 Vnde ad argumentum de membris externis, ut generalis sit solutio comprehendens etiam opera ordinis naturalis, respondetur quod si membra haberent in seipsis aliquam libertatem, per illam possent resistere voluntati, & non obedirent ejus imperio, ut patet de appetitu sensitivo, qui ex eo quod participatam à voluntate habet libertatem, ei resistit. Vnde ut illi obediat, oportet in ipso ponere habitus, quibus ad obediendum rationi inclinetur. Quia verò hanc libertatem nullam habent, ideò dominio despotico non civili à voluntate moventur. Secundò ut adhuc magis universalis solutio sit comprehendens etiam causas necessarias quæ sine Dei motione nec moveri possunt, dicatur quod neutra secunda causa est in actu ut agat ex se, sed tantùm in potentia, unde nisi per divinam motionem reducatur de potentia in actum ut agat, se per se ipsam reducere in actum nequit, nec potest agere sine tali motione Dei: membra autem externa in actu sunt ut agant sicut instrumenta voluntatis ad cujus nutum moventur.

46 Ad secundum exemplum de calore dicendum, quod calor ignis ex propria natura est virtus substantiæ ignis; & ideò secundùm se est proportionatus ad producendum instrumentaliter substantiam ignis, nec ad hoc indiget alia virtute superaddita; nullum verò agens naturale aut potentia ejus Vitalis est virtus proportionata secundùm se ad efficiendum ut causa principalis supernaturales operationes, quia istæ totum excedunt naturalem ordinem.

47 Ad exemplum tertium de humanitate Christi Domini potest dici primò virtutem effectivam miraculorum convenire illi per modum formæ permanentis, ex proprio modo essendi quem habet ex unione ad verbum: ex unione enim illa, in humanitate Christi resultat modus quidam divinus, & ineffabilis essendi substantialiter, ex quo potest efficere quælibet miracula. Secundò dicendum, & fortè meliùs, quod virtus effectiva miraculorum convenit quidem humanitati quasi radicaliter, & permanenter ex unione ad verbum, sed completur quoad executionem per motionem aliquam superadditam illi à Deo, quotiescumque miracula faciebat, sicut de aliis instrumentis separatis communiter dicitur.

48 Ad exemplum aliud de divina essentia unita in ratione speciei intelligibilis intellectibus Beatorum. Respondetur quod licet ipsa effectivè concurrat ad visionem talem, quod adversùs Thomistas aliquos probabiliùs judicamus; ut in propria materia consuevit defendi: tantùm concurrit effectivè ex parte objecti, non ex parte potentiæ, ut Sanctus Thomas docet in propria materia prima parte; quia ex parte potentiæ concurrit effectivè ad illam visionem lumen gloriæ, quod potentiæ inhæret: unde similiter debet potentiæ vitali inhærere aliquid supernaturale, ut ipsa ex parte sua ut causa principalis vitaliter producat supernaturales actiones.

49 Ad ultimum exemplum de instrumentis artificialibus negandum est, quod ipsa attingant effectivè effectum artificiosum, nisi virtute alicujus motionis artificiosæ, receptæ in illis per motionem artificis, de quo alibi solet disputari; quod modò supponimus.

CAPVT IV.

Gratiam primam prævenientem non esse actiones nostri intellectus, & voluntatis, secundum quod procedunt à Deo immediatè.

A Liorum secunda sententia est prævenientis 50
gratiæ auxilium, quo Deus concurrit ad supernaturales actiones, esse operationes ipsas intellectus, & voluntatis quatenus procedunt effectivè à Deo tanquam à prima & principali causâ. Distinguit enim ista sententia in actionibus nostris, tum ab intellectu, tum à voluntate elicitis ipsasmet actiones, quatenus egrediuntur in fieri à nostro intellectu aut voluntate, & sub hac consideratione sunt actiones nostræ, & actuales influxus à nostris vitalibus potentiis egredientes. Considerat secundò easdem actiones quatenus procedunt & dependent à Deo supra totum ordinem naturæ existentes, & sub hac ratione sunt actiones Dei & divini influxus & auxilia prævenientis gratiæ Dei. Itaque sicut influxus, quo Deus mundum creavit non est aliud quam ipsa actio creandi, & actio creandi quatenus habet esse in executione per modum transeuntis, nihil aliud est à parte rei quam ipsa creatura ut in fieri procedens à Deo tanquam ab efficiente immediato, sic etiam Deum auxiliari nobis ad operationes supernaturales, nihil est aliud quàm istæ nostræ operationes in fieri, ut procedunt à Deo.

Cæterum hic dicendi modus planè impossibilis 51
est, nec dubium quin reipsa sit contra doctrinam Conciliorum. Concilia enim non obscurè docent prævenientis gratiæ auxilium, esse principium quo nos efficimus supernaturales operationes. Igitur non potest esse idem cum ipsis operationibus, sed ex necessitate ab illis debet distingui. Consequentia satis constat, quia causa efficiens non potest identificari cum effectu suo, sed realiter semper ab illo distinguitur, alias idem causa esset sui ipsius, quod contradictionem involuit. Nec valet recursus ad distinctionem formalem, prætendendo quod eadem operatio secundùm unam formalitatem, illam videlicet quâ venit à Deo, sit causa efficiens sui ipsius, secundùm illam aliam qua nempè ab homine procedit. Quia nec ista prioritas causalitatis inveniri potest in operatione secundum quod venit à Deo supra se ipsam prout ab homine fit. Imò illi duo influxus ab illis simul natura esse dicuntur, & si aliqua prioritas naturæ inter illos intervenit; potiùs asserunt priorem esse ratione atque natura in tali operatione influxum ut venit ab homine; quod ex illorum sententia copiosè probatum manet nostro tertio libro.

Gratis autem admisso illam operationem secun- 52
dum quod venit à Deo priorem aliqua ratione esse eadem operatione secundùm quod fit ab homine; adhuc non potest esse vera efficiens causa, seu verum effectiuum principium sui ipsius secundum formalitatem aliam quæ poneretur posterior. Quia expressa sententia Sancti Thomæ est *prima parte quæst. 19. art. 5.* Quod nihil potest esse causa verè efficiens, aut effectiuum verum principium per unam formalitatem sui ipsius secundùm formalitatem aliâ, licet possit esse ratio illius, sed nullo modo vera causa, quod ibi & alibi sæpe probat. Antecedens autem quod Doctrina Conciliorum sit, auxilium

Digitized by Google

prævenientis gratiæ esse effectiuum principium nostrarum supernaturalium operationum, ex eo redditur perspicuum, quod omnia Concilia contrà Pelagianos Milevitanum Arausicanum 2. & alia, imò Tridentinum, ex eo requirunt prævenientis gratiæ auxilium pro efficiendis supernaturalibus actionibus, ut per ipsum Deus vires, imò efficacissimas vires tribuat voluntati ad efficiendum eas, quas suis solis viribus voluntas efficere non potest.

53 Vnde secundùm Doctrinam Conciliorum eodem modo se habent ista auxilia gratiæ tribuentia animæ vires respectu operationum supernaturalium, sicut se habent naturales vires respectu operationum naturalium: unde sicut naturales vires verè sunt effectiva principia comparatione operationum naturalium, ideóque ab illis realiter distinguuntur; ita & vires supernaturales tributæ per auxilia prævenientis gratiæ sunt effectiva principia respectu operationum supernaturalium, realiterque proindè ab illis operationibus distinguuntur.

54 Explicatur hoc magis ex expressis verbis Conciliorum Milevitanum enim *Can.* 3.4.& 5. manifestè docet gratiam justificationis esse adjutorium gratiæ ut peccata non committantur, & per illam nobis præstari, ut quòd faciendum cognoscimus, faciamus, darique nobis ut per illam implere divina mandata valeamus. Quæ omnia manifestè sonant talem gratiam, esse effectiuum principium ut bene operemur. Si autem dicatur hoc quidem de gratia justificante habituali verum esse, non de actuali auxilio gratiæ prævenientis. Occurrit Arausicanum 2. Concilium quod in *Can.* 3.4.5. 6. & 7. de actuali auxilio prævenientis gratiæ sermonem instituens, planè diffinit, illud facere ut gratia invocetur à nobis *Can.* 3. & per Spiritus Sancti infusionem & operationem fieri in nobis ut purgari velimus *Can.* 4. & per Spiritus Sancti inspirationem corrigi nostram voluntatem ex infidelitate ad fidem *Can.* 5. & per eandem prævenientem gratiam in nobis fieri ut credamus & velimus *Can.* 6. ac tandem per illuminationem & inspirationem Spiritus Sancti dare Deum nobis suavitatem in consentiendo & credendo *Can.* 7. Ergo in omnibus prædictis regulis fidei docet auxilium prævenientis gratiæ esse effectivum principium faciens verè nos credere, consentire, & facere, ut bene operemur prout oportet, secundum quod expressa nunc relata verba exponunt; quibus reipsa docet tale auxilium gratiæ prævenientis, utpotè effectiuum principium faciens verè nos facere, distinctum esse ab ipsis nostris salutaribus operationibus, quas per tale auxilium efficimus.

55 Hoc ipsum Tridentinum exposuit *sess.* 6. *de justificat. cap.* 5. cum prævenientem gratiam, à qua sumitur exordium justificationis, dixit divinam esse vocationem, & hanc esse excitantem, & adjuvantem gratiam qua homines disponuntur ad se convertendum in Deum: ergo dispositio hominis in Deum fit effectivè per excitantem & adjuvantem gratiam, qua homines disponuntur ad se convertendum in Deum: ex consequenti ratione præhabita distinguitur excitans & adjuvans gratia à supernaturali hominis operatione qua se homo ad suam justificationem disponit, nec aliqua ratione potest esse ipsamet operatio hominis, sed causa & principium illius. Idem explicat *cap.* 6. dum docet: quod disponuntur ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum. Igitur motio qua liberè homines moventur in Deum effectus est illius prævenientis adjutorij gratiæ quo motum & excitatum arbitrium elicit illam liberam operationem qua movetur in Deum: & idem clariùs proponit *Can.* 3. & 4. ut est satis notum. Vnde tale prævenientis gratiæ adjutorium cum principium & causa sit supernaturalis operationis, qua se homo ad Deum convertit, nequit esse idem cum eadem actione supernaturali.

Omitto modum illum impossibilem jam *tertio libro* satis impugnatum, quo dicitur, actionem hominis supernaturalem, prout venit à Deo absque eo quod Deus aliquid ponat in potentia vitali hominis eliciente illam; esse idem cum actione vitali, eique quasi ab extrinseco copulari atque conjungi. Quod minus percipi potest: cum sit manifestum quod quidquid habet actio vitalis à potentia vitali effecta, ei debet provenire ex potentia ipsa vitali, & quidquid velit Deus tribuere supernaturalitatis tali vitali actioni; ei tribuere habet per aliquid quod in potentia vitali constituat, & per potentiam vitalem ei id habet communicare. Quia alias mixta esset actio vitalis, & partim vitalis esset à potentia vitali, partim non vitalis, à potentia non vitali, quod est impossibile. 56

Exemplum autem de creatione ad propositum non est, sed est negotium valdè diversum, quia aliud est opus creationis, in quo solus Deus operatur totum ens, & aliud opus ad quod Deus movet arbitrium ut illud efficiat, & simul cum eo illud ipse operatur. In prima namque actione sicut solus Deus totum efficit; ita ab ipso solo tota resultat creatio passiva in fieri. Itaque sicut creatio activè significata, nihil est aliud quam actio divina, quæ est ejus essentia cum relatione rationis ad creaturam: ita creatio passiva non est aliud quam ipsa substantia creaturæ cum reali relatione ad Deum sicut ad principium, nec inter creaturam sic emanantem à Deo, & ipsam divinam actionem, quæ divina essentia est, aliquid mediat, nec motus, nec mutatio, ut S. Thomas docet & probat *prima parte quæst.* 45. *art.* 1.2. & 3. Vnde immediatè & solùm à Deo creatio fit. Cæterum in operatione qua Deus movet creatum arbitrium ut supernaturalem operationem eliciat; illa operatio elicita ab arbitrio tota debet esse elicita ab illo, nec potest aliquid habere quod ab arbitrio non fiat; unde si supernaturalis debet esse, ipsi arbitrio debet Deus adjutorium supernaturale tribuere, quo vires supernaturales arbitrio tribuat, quibus possit ipsam supernaturalem efficere operationem; & si tale adjutorium arbitrio non donat; nunquam poterit arbitrium efficere supernaturalem actionem, sed tantùm naturalem; ac proindè si supernaturalitas aliqua fuerit in tali operatione, erit ab extrinseco copulata, quæ conjunctio cum actione indivisibili vitali, ut dictum est, nec est intelligibilis. 57

CAPVT V.

Gratiam actualem prævenientem non esse qualitatem in anima receptam.

SIcut primus, & secundus modus opinandi, qui & modo relati sunt, & breviter impugnati, negant auxilium prævenientis gratiæ aliquid esse creatum in arbitrio, quo ipsum vires supernaturales accipiat ut operationes supernaturales efficere valeat; ita per oppositum aliæ duæ sententiæ sunt, sustinentes prævenientis gratiæ auxilium, aliquid supernaturale 58

Digitized by Google

naturale creatum & in ipso arbitrio receptum esse debere.

59 Quarum prima quæ sit tertia in ordine asserit prævenientis gratiæ auxilium non esse aut Deum intimè assistentem, aut vitales actus intellectus & voluntatis modis prædictis, sed esse aliquam qualitatem quæ sit principium actus vitalis; quod explicant esse intelligendum de omnium primo auxilio sive de auxilio in actu primo, nam ut aiunt, gratia præveniens in actu secundo est vitalis actus supernaturalis; sed ad hunc efficiendum necessariam dicunt illam priorem & antecedentem qualitatem quæ illius sit causa: hæc à plurimis Sancti Thomæ discipulis acceptatur, illam tamen intelligunt de qualitate transeunte, atque fluente tum in intellectum, tum in voluntatem, quæ tandiu durat quamdiu perseverat indeliberatus actus intellectus & voluntatis à tali qualitate fluente productus, sicut à principio efficiente. Nec dicunt, nec dicere possunt, ut Vega & Abulensis ostendunt. Itaque secundùm hos authores prima omnium gratia præveniens sive gratiæ præveniens in actu primo duplex qualitas supernaturalis transiens & fluens est; altera in intellectu recepta, in voluntate altera, per quas & intellectus supernaturalem cognitionem, & voluntas indeliberatum aliquem supernaturalem actum eliciant, & ex utroque simul resultat illa omnium prima gratia præveniens.

60 Addendum præterea non ideò dici qualitates fluentes & transeuntes prædicta auxilia, quia sint successiva, alias in tempore fierent, nec posset homo in instanti per illas converti: sed hac sola ratione dici transeuntes & fluentes, quia non habent esse fixum & permanens seu difficile mobile, & per modum habitus; sed tantùm per modum dispositionis transeuntis & facile mobilis, & quæ facile transeunt sicut & actus ipsi ad quos dantur, unde sunt quidem actuales qualitates, ut distinguuntur contra permanentes habituales.

61 Fundamenta hujus sententiæ hæc sunt. Primum gratia excitans dicitur illuminatio, locutio, inspiratio, vocatio in sacris literis, Conciliorum regulis, ac Sanctorum Patrum Doctrina. Hæc autem non videntur sonare aliquem vitalem actum, sed qualitatem antecedentem illum, ipsumque causantem ergo, &c. Major supponitur, & minor probatur: Illuminatio enim sonat productionem luminis, inspiratio productionem Spiritus, impetus & impulsus vocatio & locutio interior important productionem alicujus interni prævij ante internam auditionem; sicut exterior vocatio productio soni est cum directione ad aliquem.

62 Secundum actus indeliberati intellectus & voluntatis, vel sunt in substantia supernaturales, vel supernaturales non sunt, si non sunt supernaturales nec in illis gratia præveniens consistit quæ donum supernaturale est, ut de se constat, & proprium nomen exponit. Si autem supernaturales sunt, vel eliciuntur ab illis potentiis ut à causis in ordine suo principalibus, ita quod propriè respectu illorum instrumenta non sunt, vel non eliciuntur principaliter ab illis. Hoc secundum dici non potest, quia cum illi sint vitales actiones, de ratione earum est elici effectivè à suis potentiis sicut à causis principalibus. Relinquitur ergo quod principaliter ab illis causis eliciantur: sed intellectus & voluntas creata non possunt ut causæ principales elicere vitaliter actus supernaturales, nisi supernaturali aliquo alio auxilio afficiantur per quod constituantur in actu primo proportionato supernaturalibus actionibus: ergo deveniendum est tandem sicut ad primum ad aliquam qualitatem receptam in intellectu & voluntate, quæ est primum supernaturale auxilium gratiæ prævenientis.

Tertium, in eodem instanti quo est in anima gratia excitans, potest homo converti ei liberè consentiendo: ergo gratia excitans non est actus indeliberatus voluntatis, patet consequentia, quia aliàs duos actus simul & in eodem instanti haberet voluntas, alium indeliberatum, & deliberatum alium. Imò duos actus ejusdem speciei simul haberet, & sic in eodem subjecto essent simul duo actus ejusdem speciei, quod fieri nequit, ut communiter dicitur. Probatur quia actus indeliberatus & deliberatus respectu ejusdem objecti ejusdem speciei sunt. Nam necessarium & liberum non variant speciem actus: amor enim beatificus in Patria, qui omninò necessarius est ejusdem speciei est cum amore charitatis in via, ut in propria materia traditur. 63

Insuper ille actus indeliberatus necessarius esset principium & causa actus liberi, quia gratia præveniens principium & causa est actus supernaturalis liberi, quo eodem homo assentitur; facit namque ipsa, cum efficax est, quod ei homo liberè assentiatur. Sed non apparet, quod ille actus indeliberatus, utpotè imperfectus, possit esse principium & causa nobilioris actus supernaturalis liberi, quia non habet tantam perfectionem, quantam habet actus liber, qui effectus ejus constituitur. 64

Et tandem augetur difficultas, quia idem actus indeliberatus, qui ex defectu considerationis & advertentiæ est necessarius, adveniente advertentia & consideratione, fit liber, ut in actibus naturalis ordinis Philosophi dicunt, quod idem numero actus transit à necessario in liberum, & è converso. Igitur ille actus indeliberatus non est gratia prævenièns, quia præveniens gratia, ut dictum est, principium & causa est liberi consensus, non autem potest esse causa & principium sui ipsius. Igitur deveniendum est ad aliquam qualitatem præviam, quæ sit ante omnem nostrum actum, etiam indeliberatum, quæ sit præveniens gratia. 65

Quartò lumen propheticum est qualitas fluens, & non vitalis actus, & idem dici solet de lumine, quo Paulus & Moïses viderunt divinam essentiam: ergo pari ratione in eo, qui non habet habitum supernaturalem, debet constitui lumen aliquod fluens, quod non sit actus vitalis, sed principium & causa illius. 66

Tandem pro hac sententia videntur stare Patres & Concilia, cum plerumque docent, quod Deus prævenientem gratiam in nobis sine nobis operatur; si autem nos non operamur: ergo nec vitaliter illos actus indeliberatos elicimus, in quibus præveniens gratia sita est; quia si nos efficienter & vitaliter illos actus, licet necessario, operaremur, in quibus ratio prævenientis gratiæ consistit, non videtur posse salvari, quod sine nobis Deus illam prævenientem gratiam causet in nobis: Quod autem Concilia & Patres, & potissimè Sanctus Pater Augustinus, Sanctus Thomas & communis Theologorum Schola doceant, Deum prævenientem gratiam in nobis sine nobis operari, clariùs est, quam ut id testimoniis inductis probetur, quamvis & illa infrà secundum doctrinæ ordinem sint apponenda, quæ ad præsens supponuntur. 67

Verum his non obstantibus dicendum: omnium prima gratia præveniens, seu gratia præveniens in actu primo non est qualitas illa transiens & fluens, seu illa actualis qualitas per modum dispositionis explicata. Dicimus non esse illam actualem qualitatem superiùs expositam, quam aliqui Thomistæ sustinent: nam si sentirent esse qualitatem fluentem, 68

Digitized by Google

ideſt, virtuoſam motionem, prout in fieri à Deo ſolo fluit; quæſtio de nomine relinqueretur, & reipſa omnium primam prævenientem gratiam reciperent, prout plenius in *tertio libro* nos explicaſſe recordamur. Sed quia revera illius qualitatis defenſores non hoc modo eam conſtituunt, ut manet expoſitum, ſed veram actualem qualitatem ad prædicamentum qualitatis pertinentem, intelligunt, quam proinde illis exemplis de lumine prophetico, & de lumine actuali gloriæ collato Paulo & Moï ſi per modum tranſeuntis diſpoſitionis explicarunt; ideo aſſerimus non dari talem actualem qualitatem, quæ ſit omnium prima gratia præveniens.

69 Probatur; omnium prima gratia præveniens, etiam ſecundum hos relatos authores, talis eſt ut infallibiliter quoad exercitium faciat intellectum & voluntatem illos elicere actus indeliberatos; ſed qualitas illa actualis non poteſt infallibiter quoad exercitium movere intellectum & voluntatem ad eliciendum illos indeliberatos actus; ergo illa actualis qualitas non poteſt eſſe omnium prima gratia præveniens. Major nota eſt, quia impoſſibile eſt poni in intellectu & voluntate illam omnium primam gratiam prævenientem, & quod intellectus & voluntas non eliciant illos actus indeliberatos, per quos formaliter voluntas excitatur. Nam communis & certa ſententia eſt, quod poſitâ illâ primâ prævenientе gratiâ, intellectus & voluntas per modum naturæ, & ſine libertate illicò illos indeliberatos actus eliciunt.

70 Quod ſi poſitâ illâ priori prævenientе gratia, quâ Deus effectivè voluntatem excitat, non ſtatim inſeperabiliter ſequeretur voluntatem habere actum indeliberatum ex vi & efficacia illius prioris impulſus, utique voluntas non eſſet excitata in ſe ipſa quoad exercitium, cum in ſe ipſa per ſuum actum excitetur, & ex conſequenti prima illa effectiva excitatio non eſſet excitatio quoad exercitium, ſed penitus fruſtranea. Igitur neceſſe eſt dicere, ſicut communiter à Theologis publicatur, impoſſibile eſſe, quod illa omnium prima præveniens excitatio effectiva in intellectu & voluntate ponatur: quin utraque iſta potentia ſtatim actus ſuos indeliberatos producant, quibus formaliter excitentur.

71 Minor, in qua vis rationis conſiſtit, oſtenditur: Quia qualitati illi præcisè conſideratæ, ut ſupernaturalis, actualis qualitas eſt, non poteſt illa effectiva efficax motio quoad exercitinm convenire. Nam qualitati actuali ſolùm convenit qualificare ſubjectum actualiter in ordine ad ſpecificationem actus; ergo non ei poteſt convenire, hoc quod eſt movere effectivè quoad exercitium, ut patet in omnibus habitibus: ergo qualitati actuali ſolum convenit actualiter determinare ſubjectum quoad ſpecificationem, non autem actualiter movere quoad exercitium. Patet conſequentia, quia qualitas actualis & habitualis ſolum in hoc differunt, quod eſt actualiter vel habitualiter ſubjectum afficere; in omnibus autem alijs planè conveniunt.

72 Explicatur & confirmatur in exemplis illis inductis, quibus ſuam expoſuerunt ſententiam authores prædicti. Certum eſt namque quod actuale lumen gloriæ collatum Paulo & Moïſi, per modum diſpoſitionis, ſi ponatur non ut actualis Dei motio, ſed ut actualis qualitas, ex ſua præciſa ratione ſine alia motione Dei ſolùm determinabat intellectum actualiter ad viſionem Dei quoad ſpecificationem actus; non autem per ſe movebat effectivè quoad exercitium illius viſionis: quia hoc genere motionis Deus ut agens effectivum movebat: ſicut etiam lumen habituale gloriæ in beatis per ſe ſolum, ſeclusâ alià Dei effectiva motione, intellectum beatorum quoad ſpecificationem divinæ claræ viſionis determinat, non autem movet effectivè quoad exercitium. Imò nec hoc genere motionis movet ipſe Deus, quatenus objectum beatificum, ſed quatenus agens, ut 1. *part. quæſt.* 12. ſatis bene explicat Cajetanus.

Diximus, ſi ponatur illud lumen eſſe actualem 73
qualitatem; ſi enim præcisè talis qualitas ponatur, neceſſe eſt aliam ſuperaddere divinam motionem quoad exercitium effectivè moventem intellectum ſic determinatum lumine gloriæ quoad ſpecificationem divinæ motionis. Si autem ponatur lumen gloriæ in Paulo eſſe virtuoſam quandam Dei actualem motionem, per illam Deus, quatenus virtuoſa eſt, conſtituet intellectum in actu primo ſupernaturali, & quatenus motio eſt intellectum quoad exercitium effectivè ad illam viſionem movebit. Similiter ſi lumen Propheticum ponatur eſſe actualem quandam qualitatem, illa determinabit intellectum Prophetæ actualiter quoad ſpecificationem actus, & neceſſaria erit alia divina motio movens quoad exercitium effectivè intellectum ſic actuatum; ſi autem dicitur lumen Propheticum eſſe actualem divinam motionem virtuoſam, utrumque efficiet, & quatenus virtuoſa virtutem in actu primo intellectui præſtabit; & quatenus motio eundem quoad exercitium verè effectivè movebit. Itaque motio quoad exercitium, & verè effectiva, ſicut qualitati habituali repugnat, ita qualitati actuali, quatenus actualis qualitas eſt, convenire non poteſt, ut manet probatum.

Præterea, ſi illa prima omnium præveniens gra- 74
tia eſt actualis quædam qualitas: ergo ex natura ſua, & ex vi propriæ qualitatis determinat actualiter intellectum & voluntatem, ſicut qualitas habitualis ex ſua propria natura habet habitualiter ſubjectum determinare. Vnde ſi ponatur determinare intellectum & voluntatem quoad exercitium, ſeu verè effectivè, ex propria natura qualitatis actualis habebit ſic ex neceſſitate determinare, & movere potentiam ad ſuos actus: & ſic non determinabit quoad exercitium ex vi divinæ voluntatis actualiter moventis; ſed ſolùm divina voluntas præſtabit illam qualitatem, quæ poſtea ex propria ſua natura habebit ſic quoad exercitium movere; ſicut in omnibus alijs qualitatibus & habitualibus & actualibus fit, quod Deus illas producit, & poſtea ipſæ ex proprijs naturis ſubjecta determinant; qua ratione albedo neceſſariò dealbat, & qualitas qualificat ex neceſſitate. Hoc autem dici nullo modo poteſt. Quia jam tunc humana voluntas ſubderetur alicui creaturæ præter Deum, à qua efficaciter moveretur quoad exercitium actus, quod planè eſt impoſſibile; quia quoad exercitium ſolùm à Deo, & à ſe ipſa voluntas moveri poteſt, & non ab aliquo alio, ut docet S. Thomas 1.2. *quæſt.* 9. & 10. & alibi ſæpè.

Imò quod magis eſt, ſequeretur omnem præve- 75
nientem gratiam ita ex neceſſitate movere quoad exercitivam voluntatem, quod ipſa liberè operari non poſſit, qui eſſet manifeſtus error; an verò id conſequatur omnes Thomiſtæ conſiderent. Nam jam illa omnium prima præveniens gratia, quæ actualis qualitas eſt, ex propria natura habet ex neceſſitate movere voluntatem ad actus indeliberatos. Rurſus eadem omnium prima qualitas medijs actibus indeliberatis ex neceſſitate movet quoad exercitium actus liberi in ijs, in quibus efficax eſt; ergo de primo ad ultimum illa omnium prima gratia prævenіens ex neceſſitate movet voluntatem ad actus liberos eam determinando, ex propria ſua natura, & ex vi propriæ ſuæ qualitatis, ad illos actus efficaciter efficiendos; ergo voluntas, cum ex neceſſitate

Digitized by Google

ceſſitate determinetur & moveatur quoad exercitium ab illa qualitate, ipſa ex neceſſitate ſe movebit, & non liberè.

Itaque actus qui exercendus eſt liber fit à judicio practico intellectus, & hoc judicium fit ab actibus indeliberatis, ſicut à gratia, qua formaliter voluntas excitatur, & ab omnium illa prima qualitate, ſicut à prima radice principioque primo, à quo totum dependet, quæ actualis qualitas ſemper perſeverat, quandiù perſeverant actus indeliberati; imò quandiu actus liber ſit, ſicut primum efficiens à quo cætera efficientia dependent & moventur, ſemperque ex vi ſuæ qualitatis determinat potentiam ex neceſſitate.

76 Vnde Ludovicus Molina & ejus defenſores ad probandum quod voluntas per efficacem Dei antecedentem motionem neceſſitetur ad actum, ſine aliqua ſua libertate, hoc fundamentum conſtituunt, quod gratia præveniens efficax ex natura, ſuæ propriæ entitatis ex neceſſitate determinat voluntatem ad actum; cum ſit quædam qualitas, quæ ex natura propria ſic efficaciter ex neceſſitate moveret voluntatem? Cui ſi concedatur eſſe gratiam prævenientem actualem quandam qualitatem ex propria ſua natura, & ex propria entitate ex neceſſitate determinantem voluntatem, ſicut naturaliter & ex neceſſitate aliæ qualitates ſubjecta determinant, multùm ſupra modum illius argumentum juvatur, & ejus fundamentum fulcitur, multúmque noſtræ liberæ voluntati præjudicatur, ut dictum eſt & explicatum. Qua ratione nec debuit iſta ſententia defendens omnium primam prævenientem gratiam eſſe actualem qualitatem, probabilis dici à Thomiſtis alijs; quamvis eam ipſi non ſuſtineant: ego namque hanc probabilitatem non video; ſed ſi res attentiùs conſideretur, improbabilis & impoſſibilis debet reputari.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta.

77 ARgumentum autem ſeu potiſſimum fundamentum cui innititur, ut videlicet conſtituantur potentiæ in actu primo per illam qualitatem reſpectu actus ſupernaturalis, vires nullas habet. Quamvis enim neceſſe ſit debere potentias creatas hominis, intellectum nempe & voluntatem, per aliquid ſupernaturale conſtitui in actu primo proportionato, ut actum ſecundum ſupernaturaliter, vitaliter poſſint elicere (ut nunc ſupponimus, infra clarius oſtendendum) tamen id fieri non debet per qualitatem actualem, ut probatum eſt modo; niſi præter illam, quæ ſolùm determinat quoad ſpecificationem, & conſtituit potentiam potentem ſupernaturaliter operari, alia ſuperaddatur divina motio movens quoad exercitium talem potentiam ſic conſtitutam in actu primo ad actum ſecundum ſupernaturalem. Si enim utrumque dicatur in re nullum eſt inconveniens, ceſſantque nunc inducta. Sed multò melius eſt dicere (pront ex mente expreſſa S. Thomæ in ſequentibus exponemus) conſtitui potentias prædictas in actu primo ſupernaturali ad eliciendum vitaliter actus ſupernaturales per divinam motionem virtuoſam, quæ utrumque efficit, & potentias in actu primo conſtituit, & conſtitutas efficaciter quoad exercitium actus movet.

78 Ad argumenta autem à principio oppoſita, quatenus omnia probant deberi aliquod ſupernaturale in potentijs intellectus & voluntatis conſtitui prævium ante actus indeliberatos ſupernaturales; quo potentiæ ipſæ potentes reddantur ad eliciendum vitaliter illas ſupernaturales indeliberatas operationes, concedenda ſunt; id enim, ut infra magis conſtabit, manifeſtè convincunt. Quatenus verò prætendunt illud prævium ſupernaturale debere eſſe qualitatem actualem per modum diſpoſitionis, ſive tranſeuntem, modo explicato, nihil concludunt. Quia præter talem qualitatem, quam, ſi ſola ponatur ſine alia ſuperaddita motione, impoſſibilem reputamus, datur divina motio virtuoſa, quæ optime conſtituit potentias illas in actu primo ſupernaturali, potentes proinde actus ſupernaturales elicere, quos quoad exercitium movet motio talis, ut ſtatim expendemus.

Quia tamen illorum aliqua alias tangunt difficultates, ſigillatim ſed breviter reſpondendum erit ad ſingula. Ad primum ergo dicendum, quod illuminatio, vocatio, loquutio, inſpiratio primò & per ſe non ſonant actus elicitos à voluntate, etiam indeliberatos, ſed quid prævium ad ipſos; non tamen qualitatem actualem, ſed divinam virtuoſam motionem. 79

Ad ſecundum dicendum, quod ſine illa virtuoſa prævia Dei motione, non poſſunt potentiæ creatæ elicere vitaliter actiones ſupernaturales, etiam indeliberatas. 80

Ad tertium, ſi ſuſtineamus actum indeliberatum & deliberatum de eodem objecto eſſe realiter diſtinctos, ex eo quod alter liber eſt, alter neceſſarius, tunc dicendum, quod in eodem inſtanti, in quo ſupponimus poſſe fieri converſionem, non eſt inconveniens quod ſint duo actus, alter indeliberatus, deliberatus alter per modum unius; quia unus ordinatur ad alium ſicut cauſa ad effectum: ſicut dicere ſolemus, quod non poteſt voluntas velle plura per modum plurium; bene tamen per modum unius, & cum ordine ad alterum. 81

Ad ſecundum inconveniens tunc dicitur, etiam diſtingui ſpecie actus illos propter diuerſum modum tendendi in objectum idem materiale; & ſic ceſſat inconveniens ſecundum ſicut in juſtificatione impij, quę fit in inſtanti, habet voluntas & actum contritionis elicitum à gratia, & actum, dilectionis à charitate per modum tamen unius, ut in materia de pœnitentia communiter dici ſolet à S. Thoma & Scholaſticis Doctoribus. 82

Si autem ſuſtineamus, quod verius reputo, actum indeliberatum & deliberatum reſpectu ejuſdem objecti (ſicut fit in actu indeliberato, quo voluntas excitatur, & in actu libero, quo excitationi aſſentitur, ejuſdem enim objecti ſunt, ut de ſe conſtat) non diſtingui ſpecie & realiter, ſed unum & eundem actum numero eſſe à principio indeliberatum ob defectum rationis, & advertentiæ; & fieri deliberatum adveniente advertentia, & poſſe continuari; tum facilior reſponſio erit. Hunc autem dicendi modum putamus magis verum; quippe qui ſcimus quod actus charitatis in patria, & in via ſunt ejuſdem ſpeciei, licet ille ſit neceſſarius, iſte autem liber: & reputamus poſſe fieri ut continuetur idem amor, ſi beatus ceſſaret à Dei viſione; qui amor à principio regulariter, in viſione beata eſſet beatificus & neceſſarius, & ceſſante viſione regularetur per ſcientiam infuſam & eſſet liber. Hoc igitur ſuppoſito dicendi modo, ad primum inconveniens tactum in tertio argumento, reſpondetur, non habere voluntatem hominis, cum in inſtanti eodem, quo excitatur, convertitur, duos actus, ſed unum & eundem, in priori naturæ indeliberatum, & in alio naturæ poſteriori deliberatum. 83

Ad ſecundum inconveniens dicendum, penitus illud 84

Digitized by Google

illud cessare, quia cum non sint ibi duo actus, minùs sunt duo ejusdem speciei in eodem subjecto, sed unus & idem ejusdem speciei magis perfectus & continuatus.

85 Ad tertium inconveniens dicendum, quod actus indeliberatus non est principium effectivum actus deliberati, cum uterque idem & unus numero actus sit continuatus & nihil sit causa sui ipsius. Vnde non sequitur quod licet actus indeliberatus sit imperfectior deliberato, id quod imperfectum est, sit causa illius, quod se ipso perfectius existit, quod erat inconveniens allatum. Sed principium effectivum actus ejusdem à principio indeliberati, & postea deliberati, est illa prævia supernaturalis divina motio; qua voluntas constituitur in supernaturali ordine, & movetur primo ad actum indeliberatum, deinde adveniente deliberatione ad liberè eundem continuandum, ipsumque magis perficiendum. Quæ proinde divina supernaturalis præmotio à principio non ita perfecta est, cum elicit indeliberatum actum, sed postea magis ipsa à Deo perficitur, & efficacior ac virtuosior redditur, & tanta perfectione donatur, quanta requiritur, ut perfectiorem actum deliberatum valeat elicere, sicut principium illius. Vnde nullo modo effectus, qui est deliberatus actus perfectior existit, quam sit principium illud efficiens: imò totam perfectionem quam habet illi communicatur, ab illa magis perfecta Dei præmotione, ut manet explicatum.

86 Ad quartum quod pro inconvenienti opponebatur, ex dictis patet, quod inconveniens non est, nisi quatenus fundat illam qualitatem actualem, jam expugnatam; nam si concluderet illud supernaturale prævium ante omnem actum indeliberatum debere esse divinam virtuosam motionem, rectè convinceret, quod illa est effectivum principium actus deliberati; sicut à principio fuit efficiens principium indeliberatæ operationis. Nec enim indeliberatus actus, ut diximus, principium efficiens est actus deliberati, cum unus & idem reipsa actus continuatus sit à principio imperfectus, & postea magis perfectus, & nihil sit sui ipsius sufficiens causa, etiam sub una ratione respectu rationis alterius, in actu eodem repertæ; licet actus indeliberatus, quod fatemur, possit esse ratio, sed non causa actus deliberati, ut citatis locis à S. Thoma docetur.

87 Itaque omnium prima gratia præveniens, quæ divina præmotio est, antecedens omnem indeliberatum actum, illa est quæ verè & propriè cum voluntate est effectivum principium actus deliberati, & illa est quæ efficit verè & propriè (vel Deus mediâ illâ, ut formalior sermo sit) ut voluntas liberè excitationi consentiat; excitationi, inquam effectivæ, per divinam præmotionem, & excitationi formali per indeliberatum actum, utrique enim liberè consentit voluntas, & utraque concurrit ordine quodam, ut voluntas liberè ei consentiat; excitatio quidem omnium prima, quæ divina præmotio est, effectivè movendo voluntatem, ut liberè consentiat; excitatio autem formalis per actum indeliberatum formaliter seu ut formalis ratio, per quam voluntas se explicat in consensum liberum, ut magis ac magis in sequentibus continuò expendemus.

88 Ad quartum de lumine prophetico, & de actuali lumine gloriæ, collato Paulo & Moïsi dictum est supra, quâ ratione ad præsens institutum possint induci; quatenus nempe considerari valent ut quædam virtuosæ divinæ motiones actuantes illorum intellectum, & actuatum applicantes ad illam claram Dei visionem, quæ per modum dispositionis & transeuntis fuerunt in illorum mentibus; non verò quatenus fuerunt præcisè actuales qualitates, quia ut sic non moverent quoad exercitium visionum illarum.

Ad quintum & ultimum dicendum, quod quamvis aliqui respondeant, sufficere ad veram intelligentiam & explicationem illius communis dicti sanctorum, quo docent gratiam prævenientem Deum in nobis sine nobis operari, quod eam efficiat sine nobis liberè operantibus, licet non sine nobis indeliberatè efficientibus. Et quod hoc tantum sancti Patres intelligant, ex processu doctrinæ jam constat, & ex infra dicendis constabit amplius, non id solùm ac tantùm sanctos Patres in illo suo communi dicto sentire, sed utrumque simul docere, & quod omnium prima præveniens gratia seu in actu primo, quæ divina præmotio est; à solo Deo in nobis fiat, nihil nobis ad illam aliqua ratione, etiam indeliberatè effectivè concurrentibus, sed eam tantum sub hac ratione recipientibus; & etiam quod secunda gratia præveniens, seu præveniens gratia in actu secundo, quæ consistit in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis, à Deo fiat in nobis sine nobis liberè operantibus, non autem sine nobis vitaliter, effectivè, seu indeliberatè eam elicientibus. Vtrumque enim sanctos docere eâdem ratione convincitur, quâ conclusum est supra, & infra amplius confirmabitur, debere omnino præter actus indeliberatos, in quibus consistit præveniens gratia in actu secundo, ex necessitate admitti præviam omnino divinam supernaturalem motionem, à solo Deo nobis immissam ante eosdem indeliberatos actus, quæ potentiæ nostræ potentes reddantur; & in actu primo supernaturali sint constitutæ, ut possint vitaliter & efficienter eosdem supernaturales actus elicere. Vnde sicut hoc apertè convincitur, ita illud primum manifestè concluditur, quod de vera intelligentia sanctorum Patrum procedit. 89

CAPVT VII.

Quid sit gratia præveniens.

QVia dictum est supra primam prævenientem gratiam non esse Deum, ut intimè animæ nostræ assistentem, absque aliquo dono voluntati impresso; nec esse indeliberatos actus à potentijs nostris elicitos, prout immediatè procedunt à Deo; nec etiam qualitatem illam actualem seu transeuntem, jam impugnatam; superest aperire, quidnam sit illa omnium prima gratia præveniens. 90

Dicendum est ergo: auxilium primum prævenientis gratiæ, seu auxilium gratiæ prævenientis in actu primo, aliquid supernaturale est à Deo effectum, & in intellectu & voluntate creata receptum, ante omnes nostros actus indeliberatos, potentias ipsas movens ad illos eliciendos, & cum potentijs eos verè efficiens ut principium effectivum eorum. Veritas ista ex jam dictis probata manet. Nam illæ sacræ scripturæ loquutiones, sacrorum Conciliorum ac Patrum, quibus prævenientis gratiæ auxilium vocant pulsationem, loquutionem, vocationem, illuminationem & inspirationem, illam attestantur. Pulsatio enim totaliter fit à pulsante similiter loqui, seu vocare totaliter fit à loquente & vocante: parique ratione, ut dictum est supra, illuminatio & inspiratio totaliter fiunt ab illuminante & inspirante: ergo auxilium prævenientis gratiæ, quo Deus pulsat ad cor, loquitur, vocat, illuminat & inspirat homini propositum bonum, totaliter fit à 91

Deo,

Digitized by Google

Deo, quamvis aperire & audire fiat ab homine; ergo est aliquid prævium ante nostrum actum, etiam indeliberatum, quia actus indeliberatus non fit totaliter à Deo, cum etiam ab homine efficienter & vitaliter eliciatur, licet sine deliberatione. Quamvis enim isti actus non sint actiones humanæ, aut hominis ut homo est, ab ipso tamen verè efficienter fiunt & eliciuntur. Vnde à solo Deo, vel totaliter ab ipso non fiunt; intantum verò pulsatio, loquutio vocatio, illuminatio & inspiratio, in quibus gratia prævenies, consistit, important quod totaliter & solùm à Deo efficiantur, ut authores aliqui qui sustinent tantùm in cogitatione & volitione indeliberata sitam esse prævenientem gratiam omnium primam, & non in aliquo priore prævio & antecedente operationes illas, dicant illas actiones indeliberatas, nempè sanctam primam cogitationem, & indeliberatam volitionem à solo Deo totaliter effici, & non effectivè seu vitaliter ab homine; sed quod homo passivè tantum illas recipiat, cujus sententiæ sunt Aliacus, Pelagius, Capreolus, qui sensit voluntatem in ordine ad primum actum, qui est volitio finis, habere se merè passivè, quod ut probabile refert Ruardus Tapert. *art.7. pag.185.* Plures etiam alij existimarunt motus primo primos non elici à voluntate. Alij illos fieri posse à Deo solo, & non à voluntate de potentia Dei absoluta crediderunt, ut Vega in *Concil. Trid. lib.6. cap.6.*

92 Sed quam impossibilis sit ista positio, & quomodo communiter ab omnibus rejiciatur, omnes norunt. Vnde nec hîc venit ex professo impugnanda, cum sola ista ratio illam de falsitate & impossibilitate convincat; quod cogitationes & volitiones quantumcumque subitæ & indeliberatæ operationes vitales sunt, de quarum intrinseca ratione est, quod vitaliter & effectivè fiant à principio vitali intrinseco atque conjuncto; ac proindè impossibile videtur, nedum de potentia ordinatia, verum de potentia absoluta Dei, quod quis cogitet aut velit, & quod cogitationem & volitionem non efficiat; sed tantum passivè se habens cogitationem & volitionem ab alio effectam ipse tantum recipiat. Sicut ergo homo indeliberatè cogitat & vult; ita necesse omnino est, quod sine deliberatione cogitationem & volitionem eliciat. In hanc ergo impossibilitatem citatos authores traxit non admittere primum auxilium gratiæ prævenientis esse aliquid supernaturale à solo Deo effectum, in anima receptum ante omnem nostrum indeliberatum actum. Constituentes enim tale primum auxilium esse cogitationes & volitiones indeliberatas; & videntes ex alia parte Concilia & Patres, prout indicatum est supra, asserere gratiam prævenientem à solo Deo in nobis effici, asseruerunt illas cogitationes & volitiones indeliberatas à Deo tantùm effectivè produci & in nobis recipi.

93 Alij autem Doctores cum illis conveniendo in illo primo, nimirum quod in sola cogitatione & indeliberata volitione consistit ratio prævenientis gratiæ; in alio secundò ab eis recedunt, affirmantes sufficere, ut cum veritate dicatur gratia prævenies esse à solo Deo & non ab homine, quod ab eo non fiant deliberatè, sed tantum sine deliberatione verùm nec authores isti salvant cum proprietate Conciliorum dicta, & Sanctorum Patrum attestantium, multa bona in homine fieri, quæ non facit homo; constat enim quod illas bonas operationes homo facit, sive deliberatè, sive indeliberatè, cum illas vitaliter & effectivè ut causa principalis eliciat. Quomodo autem non fit ab homine quod ab eo efficienter ut à causa principali producitur; semper ergo ratio in suo robore perseverat, nimirum quod cum gratia prævenies à solo Deo, & non ab homine fieri dicatur, illa debeat esse non effecta ab homine etiam indeliberatè, sed aliquid prævium ante talem actum.

Secundò & præcedens ratio magis confirmatur: 94 Sacra Concilia potissimè Arausicanum 2. *can.*20. expressè determinat: *Multa in homine bona fieri, quæ non facit homo, nulla verò bona facere hominem, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Sed hæc verba non possunt commodè exponi de solis indeliberatis actibus supernaturalibus ergo exponenda sunt de aliquo supernaturali primo in anima recepto ante omnem actum indeliberatum. Minor probatur, quia illæ indeliberatæ actiones non fiant à solo Deo effectivè, & non ab homine, ut probatum est. Vnde cum necesse sit dicere, quod ab homine efficientet & vitaliter fiant; nec rectè salvatur quod non fiant ab homine, ut verba Canonis citati expressè habent. Et quidem si Concilium doceret, quod multa in homine bona fiunt, quæ non sunt actiones humanæ, posset utique explicatio ista subsistere; quâ aliqui explicant illas indeliberatas actiones non fieri humano modo ab homine. At cum simpliciter & absolutè dicat multa bona, quæ in homine fiunt, non fieri ab homine; simpliciter & absolutè negat, aliquâ ratione ab homine fieri. Vnde nec indeliberatè possunt ab homine fieri. Nam S. Thomas 1. 2. *quæst.* 1. *articulo* 1. concedit actiones indeliberatas ab homine fieri, sed non esse humanas actiones, quia non fiunt ab homine quatenus homo est. Cùm ergo sit verùm in doctrina Sancti Thomæ, quod illæ actiones ab homine fiunt, verum non erit quod non fiant ab homine; quod tamen Concilium affirmat. Igitur deveniendum est ad primum omnium auxilium à Deo tantum effectum, & in anima receptum prævium ad omnem indeliberatam actionem, de quo propriè verificatur, quod nullo modo ab homine fit, ut Concilium determinat, illa sua negativa propositione, quæ æquivalet huic, nullo modo illa bona ab homine fiunt.

Præterea Cœlestinus primus hoc expressè diffi- 95 nire videtur in *Epistola* 1. *ad Episcopos Galliæ*, cum dicit; omnes sanctas cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis non tantum quoad eorum incrementa; sed quoad eorum exordia referri debere ad Dei gratiam, qua præparatur voluntas. Et hanc doctrinam censuit Cœlestinus perpetuam fuisse omnium Sanctorum Patrum sententiam. In *capite* enim 8. illius Epistolæ expressè de Dei gratia, qua præparatur voluntas, sermonem instituit. Et statim in principio capitis inquit: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis, ex Deo sit*; nimirum per illam gratiam, quâ præparatur cor hominis, & liberum arbitrium ad eliciendum sanctam cogitationem, & omnem alium motum voluntatis. Igitur Deus præparat cor & liberum arbitrium per gratiam aliquam, ut sanctam cogitationem, quæ indeliberata est, & motum indeliberatum voluntatis eliciat. Ergo ante tales actus indeliberatos datur prævia gratia, quâ Deus operatur, ne dum in libero arbitrio, ut liberas operationes eliciat, sed etiam in corde seu voluntate indeliberata, ut efficiat indeliberatas actiones.

Planè si verba hujus pontificiæ determinationis 96 rectè expendantur, negari minimè potest dari in intellectu & voluntate hominum aliquam gratiam, quâ ipsæ potentiæ præparantur ad eliciendum ne dum deliberatas operationes, sed etiam indeliberatas, nempè sanctam ipsam cogitationem & motum voluntatis

Digitized by Google

voluntatis indeliberatum, quia expresè de sancta cogitatione, quæ indeliberata est, mentionem facit, eamque dixit venire à corde hominis præparato per aliam priorem gratiam prævenientem.

97 Deindè illud argumentum, quod in superioribus tactum est, id evidenter convincit. Cum enim indeliberatæ actiones supernaturales à potentiis nostris vitaliter & principaliter eliciantur, & non sicut à veris & propriis instrumentis, ipsæque potentiæ animæ nostræ per suam naturalem facultatem non sint constitutæ in actu primo supernaturali proportionato ad actiones illas supernaturales efficiendum; unde necessario debemus præintelligere illas in actu primo constitutas per aliquod supernaturale, ut valeant elicere operationes illas supernaturales, aliàs cum manifestum sit quod nihil agit nisi secundum quod est in actu; nunquam potentiæ nostræ tales supernaturales actiones efficient; ad quas efficiendas in actu primo proportionato constitutæ non sunt.

98 Nec huic veritati obstat quod aliquando Sacra Concilia ac Sancti Patres gratiam excitantem vocant cogitationes & volitiones, quas Deus in nobis sine nobis operatur, hoc enim primò habetur in citata epistola Cœlestini, in qua *cap.* 7. dicitur. *Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangat corda fidelium.* Concilium etiam Colonienſe in *Enchiridion tract. de sacramento pœnitentiæ pag.* 289. cum dicit gratiam prævenientem solùm Deum operari in nobis, subjungit hanc esse bonam cogitationem, quâ ad Deum respicere, & peccatum nostrum agnoscere incipimus. Sanctus etiam Pater Augustinus *lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. *Quis potest*, ait, *credere nisi aliqua vocatione, hoc est, nisi aliqua rerum testificatione tangatur?* Et *de spiritu & littera cap.* 34. inquit, *visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus*, scilicet extrinsecus, ut ibi exponit.

99 Non inquam, hæc & similia prædictæ veritati obstant, quia Concilia & Patres cum docent excitantem gratiam esse sanctam cogitationem & volitionem indeliberatam, explicant causam per effectum, quia illæ cogitationes & volitiones sunt effectus excitantis prioris gratiæ, quæ effectivè excitat & movet potentias ad illas eliciendas, quod & alibi exposuerunt, ut dictum est modo ex Concilio Arausicano secundo & Cœlestino, vel secundò dicatur explicare Concilia & Sanctos Patres in similibus loquutionibus gratiam excitantem formaliter voluntatem, & eo ipso præsupponere aliam priorem qua potentiæ elevantur ad efficiendam illam, qua formaliter excitantur, ut ratio facta demonstrat. Quod autem oppositò testimonio, Cœlestinus nominat inspirationes, & S. P. Augustinus suasiones & vocationes, minus obstat, imò sententiam nostram confirmant. Quia ut dictum est, inspiratio est totaliter ab inspirante, & vocatio à vocante, sicut suasio à suadente. Itaque est inspiratio activa & similiter vocatio & suasio; & etiam formalis; illa prima tantùm à vocante & inspirante est, ut nomina ipsa sonant, sicut pulsatio solùm à pulsante.

100 Dicendum secundò illud supernaturale Dei auxilium primum gratiæ prævenientis prævium antè omnem actum etiam indeliberatum; est quædam divina motio virtuosa; ad quod suadendum plurimum conducit exemplum de aqua baptismi, quæ ad hoc quod producat effectivè gratiam; & universaliter loquendo ad hoc quod creatura effectivè producat supernaturale opus, necessario debet præintelligi in illa aliquid superadditum per modum supernaturalis divinæ motionis virtuosæ, ratione cujus possit effectivè talem effectum attingere, ut in materia de sacramentis dici solet. Veritas ista à sufficienti divisione deducitur. Cum enim illud primum auxilium prævium ante omnem actum etiam indeliberatum non sit qualitas illa transiens sive actualis, ut probatum est, nec possit etiam esse aliquid habituale, ut est manifestum, sequitur debere esse virtuosam quandam divinam supernaturalem motionem. Quia nec est aliud quod in potentiis animæ prævium ad earum actiones possit admitti. Quod si dicatur esse quidem inconveniens, ponere tantum & præcisè illam qualitatem transeuntem, non autem esse inconveniens ponere illam elevantem potentias, & insuper aliam divinam motionem moventem potentias sic actuatas per illam qualitatem ad agendum.

Ad hoc dicendum frustra fieri per plura, quæ 101
possunt fieri per pauciora; cum ergo una actione seu motione possit Deus totum efficere quod est necessarium, ut potentiæ nostræ illas supernaturales operationes efficiant, frustra multiplicantur actiones duæ. Sicut ergo S. Thomas docet quod Deus una infusione gratiæ omnia perficit necessaria ad justificationem, nec ibi duplex actio divina intervenit, ita una motione omnia perficit Deus, quæ necessaria sunt, ut potentiæ nostræ supernaturaliter operentur, nec nisi ex superfluo duæ divinæ & distinctæ actiones possunt multiplicari.

Secundò id principaliter probatur ex S. Thomæ 102
aperta sententia 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 2. ubi expresè dicit auxilium gratiæ, quo juvamur à Deo ad aliquid agendum, quod sine dubio est auxilium actuale gratiæ prævenientis, non esse qualitatem, sed esse motum animæ; verba Sanctissimi Doctoris sunt. *Respondeo dicendum, quod sicut jam dictum est, in eo qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum est autem supra quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur* 3. *physic.* Quibus verbis non solum qualitatem permanentem negat, ut aliqui ejus discipuli opinantur, verum omnem qualitatem etiam transeuntem, seu actualem ut ex subjunctis verbis manifestat. Dicendo enim esse motum, omnem qualitatem excludit, & exprimendo esse motum moventis in moto, id clariùs expressit, quia actus moventis in moto qualitas non est, nec permanens seu habitualis, nec transiens sive actualis.

Quod autem dicit esse motum animæ; intelligit 103
non essentialiter & formaliter, sed effectivè & causaliter; ideſt, est motus in moto efficiens motum animæ. Et quod ista sit ipsissima Sancti Præceptoris mens, patet primò ex propriis verbis, quibus dixit esse actum moventis, & hunc actum in re mota esse motum, dicendo enim esse actum moventis, non dicit esse essentialiter actum elicitum à moto: rursus dicendo illum actum moventis esse motum in moto, expressit esse motum receptum in moto, quo movetur ut motum seu actum animæ efficiat.

Id ipsum in omni sua doctrina frequenter docet 104
S. Doctor, cum de auxilio prævenientis gratiæ sermonem instituit, ut patet eadem 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. ubi ait quod divinum auxilium est, *quo nos Deus movet ad benè volendum, & agendum*, ubi iterum divinum auxilium divinam motionem appellat. Et iterum *quæst.* 112. *art.* etiam 2. *sed si loquamur de gratia secundùm quod significat auxilium Dei moventis,*

Digitized by Google

tis, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium; sed potiùs quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Igitur actus indeliberatus supernaturalis, qui est in homine aliqua præparatio ad gratiam; provenit ex priori auxilio movente animam ad bonum. Et rursus art. 3. *alio modo potest considerari secundum quod est à Deo movente*, subdit, *unde si ex intentione Dei moventis est, ut homo, cujus cor movet* &c. Quomodo ergo movet nisi per aliquid quod imprimat? An movet ipsum per actum indeliberatum ad eundem actum indeliberatum habendum? Alibi autem, nimirum super 15. *cap. Ioannis, lect. 6. §. hic ostendit*, vers. 2. *quæstio*, prævenientis gratiæ auxilium ad credendum vocat interiorem motionem & instinctum sic dicens; *Est ergo opus Dei instinctus interior ad benè agendum.* Vbi etiam appellat *attractum*, attractus autem, motio, & instinctus, sonant apertè virtuosam illam motionem dictam.

105 Tandem ubicumque agit de divina motione qua Deus nos movet ad bonum, ad illam explicandam utitur exemplo de causa principali movente instrumenta, ut patet *quæst. 3. de potentia art. 7.* & alibi frequentiùs; principale autem agens non ponit in instrumento quod movet qualitatem, sed solum motum ut est motum. Et S. Thomas docet expressè 3. *contra gent. cap.* 70 Imò pro operationibus naturalis ordinis, docet Sanctus Thomas *citata quæstione de potentia in corpore & solutione ad tertium & ad septimum* quod id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est prævium, omni actioni illius; dicit enim ad 3. *quod in operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ, sicut operatio instrumenti est etiam per virtutem agentis principalis.* Si ergo pro operationibus naturalis ordinis, in ordine ad quas habet natura formas proportionatas, hæc prævia Dei motio est requisita, quanto magis necessaria erit pro efficiendis supernaturalibus actionibus, respectu quarum nostræ potentiæ formas proportionatas non habent. Consulto autem dixit in operatione qua Deus movet naturam; ipsam naturam non operari, ut sciamus quod etiam quando Deus supernaturaliter movet nostram voluntatem, ut natura est, & indeliberatè; non operatur ipsa nostra voluntas etiam ut natura est, seu indeliberatè, sed quod operatio indeliberata à tali voluntate ut à natura procedens, sit effectus & voluntatis, & illius prioris virtutis Dei, quæ est primum auxilium gratiæ prævenientis.

106 Quia verò potentiæ animæ non sunt purè instrumenta sed causæ principales secundæ. Ideo necesse est quod divina motio, quæ est gratia prævenies, sit virtuosa, habens nempè supernaturalem virtutem, qua potentias animæ in actu primo supernaturaliter constituat proportionato actui secundo supernaturali, & sic constitutat moveat ad talem actum efficiendum; & hac ratione diximus esse virtualem motionem.

107 Accedunt omnia, quæ tertio nostro libro de præmotione & prædestinatione sunt dicta pro actionibus ordinis naturalis, quæ pariter hanc veritatem confirmant; ibi enim, ut meminimus, plura Sancti Thomæ testimonia allata pro prævio influxu & prædeterminatione sunt; & rationes plures, quæ omnia pariter probant, & ex mente doctoris sancti, & ex veris rationibus, debere gratiam primam prævenientem esse præviam motionem ad actionem omnem nostræ voluntatis etiam indeliberatam, & debere esse prædeterminationem etiam ad actum primum indeliberatum; quæ omnia ibi ad longum videnda sunt, non hic repetenda.

Quod si opponatur, nihil esse in anima nostra 108
superadditum naturæ præter habitus & actus, & sic non esse ponendam motionem illam præviam. Respondetur ex allatis modo testimoniis Conciliorum atque Pontificum, & ex multiplicatis verbis Sancti Thomæ totum oppositum esse dicendum, esse nempè in anima nostra divinam præmotionem supernaturalem animam moventem ad actus supernaturales efficiendos, ut etiam manifesta ratio convincit, quæ allata est. Vnde quando pro actibus naturalis ordinis id permitteremus, tamen pro actionibus supernaturalibus à potentiis nostris vitaliter efficiendis id permitti nulla ratione posset ob inducta Sanctorum Patrum testimonia, & rationem factam. Sed nec id admitti posse etiam pro actionibus naturalis ordinis in toto tertio nostro libro diffusius ostensum est ex Aristotele veraque doctrina. Qui enim dicit quod causa secunda mota movet, in qua propositione anima nostra apertè comprehenditur; manifestè docet quod in ipsa præter habitum & actum à se elicitum, est motio moventis, qua ipsam ad agendum movet. Cum ergo Philosophi dicunt in anima nostra non esse aliquid superadditum præter habitus & actus, nomine actus includunt omnia illa, quæ ad actum animæ necessaria sunt, quorum potissimum est divina motio, quia mota anima se in actum valet explicare, ut ipsimet Philosophi in aliis suæ doctrinæ locis apertiùs comprobarunt, de quo copiosè dictum est citato nostro libro tertio.

Dicendum tertiò præter hanc supernaturalem 109
divinam virtualem motionem à solo Deo effectam, & in anima nostra receptam, quæ ut dictum est & explicatum, est primum omnium auxilium prævenientis gratiæ, in quo sistendum est, sicut in omnium primo & tanquam in auxilio gratiæ in actu primo; dantur actus supernaturales indeliberati tam intellectus, quam voluntatis, qui etiam dicuntur & sunt auxilium gratiæ prævenientis in actu secundo: Imò actus deliberati priores respectu subsequentium ad quos ordinantur, rationem habere possunt auxilij gratiæ prævenientis, dixi rationem possunt habere gratiæ prævenientis largo modo de gratia præveniente loquendo; quia propriè ut ostendemus, illi deliberati actus gratia præveniens non sunt, sed dispositiones tantùm subsequentes.

Itaque auxilium prævenientis gratiæ non est 110
unicum tantùm, sed multiplex: pluresque actus comprehendit secundum multiplicationem effectuum, quos Deus causat in nobis; ita tamen quod actus prior sit præveniens gratia respectu subsequentis. De hac veritate non reputamus posse aliquem dubitare, cum communiter ab omnibus sine dubitatione recipiatur. Patet breviter, quia omnis interior actus supernaturalis, quem Deus causat in nobis, sive sit indeliberatus, sive cum deliberatione, per quam nos movet ad ulteriorem effectum supernaturalem, adjuvat nos ad consequendum talem supernaturalem effectum: ergo omnis illè verè dicitur, & est auxilium gratiæ præveniens nos ad illum ulteriorem effectum, veréque est respectu illius auxilium gratiæ prævenientis. Cæterum inter hos actus reperitur debitus ordo, quia indeliberati disponunt ad deliberatos actus. Et inter deliberatos priores præsupponuntur ad alios sicut illorum causæ vel dispositiones, ut actus fidei ad actus spei & timoris, & isti ad actus pœnitentiæ & charitatis.

Itaque actus indeliberatus respectu divinæ præ- 111
motionis à qua efficitur, dicitur auxilium subsequens, sed comparatione actus deliberati ad quem

Digitized by Google

ordinatur, dicitur auxilium gratiæ præveniens, parique ratione actus primus deliberatus respectu prioris actus indeliberati, dicitur auxilium subsequens; comparatione autem posterioris actus deliberati ad quem disponit, dicitur auxilium gratiæ præveniens: & sic de singulis semper auxilium gratiæ secundum quod causat in nobis primum effectum vocatur præveniens respectu secundi effectus, & prout causat in nobis effectum secundum, dicitur subsequens respectu effectus prioris. Quæ est aperta S. Thomæ sententia 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 3. Verum est, quod ibi tam loquitur de gratia habituali, quàm de actuali: nos autem in præsenti de actuali tantùm auxilio gratiæ sermonem instituimus.

112 Vnde concludimus, quod actuale prævenientis gratiæ auxilium in triplici ordine, & genere collocatur; vel enim est divina supernaturalis præmotio ante omnem actum, vel est actus indeliberatus sive intellectus, sive voluntatis. Vel tertiò est aliquis quicumque deliberatus respectu actus subsequentis. Quæ actualia auxilia cum inter se ordinem habeant; illud primum est omnium primum, in quo tandem sistendum est, sicut in omnium primo.

113 Addendum etiam quod in universum omnia dona Spiritus Sancti, quibus Deus nos interiùs movet ad bene operandum in ordine ad finem supernaturalem, auxilia sunt gratiæ prævenientis. Imò generaliter loquendo, omne illud quod aliquo modo conducit ad salutem animæ, potest auxilium gratiæ prævenientis dici: quare non solùm interna dona supernaturalia, quibus Deus quasi immediatè operatur nostram salutem; sed etiam externa, quibus magis remotè Deus ad id concurrit, dici possunt auxilia prævenientis gratiæ generalitate sermonis, ut est Evangelij prædicatio, patratio miraculorum, exempla Sanctorum & similia. Quibus superaddatur, quod humani eventus quatenus per divinam providentiam ordinantur, ut sint nobis salutis occasio, per quos Deus nos ad bonum instigat, vel retrahit à malo, possunt aliquo modo, majori tamen & ampliori generalitate sermonis dici auxilia divina, cum omnia hæc cooperentur in bonum diligentibus Deum, ut Paulus docet. Quia tamen tam naturalia ista adjutoria, quam supernaturalia externa memorata seclusis internis supernaturalibus auxiliis gratiæ, parum movent ad salutem; idcirco comparatione internorum supernaturalium auxiliorum gratiæ, strictè & propriè non sunt prævenientis gratiæ divina auxilia; sed illa interiora animam præmoventia ad bonum sunt propriè & strictè atque absolutè & simpliciter prævenientis gratiæ dona, sive sufficienter tantùm, sive quod præcipuum est animam ad bonum moveant: licet ista secunda multò perfectiora sint, ut suo loco dicetur; de quibus tantùm nos propriè nunc loquimur, & in toto processu doctrinæ sermo procedet.

CAPVT VIII.

Non dari prævenientem gratiam, quoties homo solis naturæ viribus expendit, quæ credenda proponuntur.

114 QVid in substantia sit prævenientis gratiæ auxilium dictum est modo, nunc quomodo fiat explicandum est diligentiùs, juxta ordinem quem supra in principio hujus materiæ de gratia præveniente servandum præfiximus. Etenim inter illa sex, quæ ibi ex assertionibus horum authorum cum quibus disputamus, relata sunt. Secundum locum obtinet ista difficultas post illam primam quæ jam discussa est.

Vt autem ibi præmisimus, hoc modo fieri præ- 115
venientem gratiam ipsi his verbis exponunt, quæ non ex superfluo iterum sunt repetenda; ut vel per ipsa penitus excludantur evasiones quædam, quæ post modum à defensoribus hujus doctrinæ prætendebantur. *Accipe*, inquiunt, *ordinem motuum gratia prævenientis, simulque cognosce quinam sint, & quomodo fiant. Dum homo nondum ad fidem supernaturaliter interiùs vocatus cogitat & expendit res credendas per notitias, concionatoris ministerio, aut aliundè comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu particulari, ac supernaturali, quo cognitionem illam adjuvat, tum ut res meliùs & lucidiùs expendatur & penetretur, tum etiam ut notitia illa jam limites notitiæ supernaturalis, & ad finem supernaturalem in suo ordine & gradu accomodata attingat. Influxus verò ille dicitur motus gratiæ prævenientis ad finem supernaturalem, & illuminatio notitia illa; & cognitio jam effecta à Deo supernaturalis per talem influxum appellatur gratia præveniens ex parte intellectus. Ex cognitione verò & penetratione earum rerum, quæ ad fidem spectant, nempè cum expenditur quam dignæ sint, quibus assensus adhibeatur, quantùm id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitas, quo allicitur, & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergo motu quasi se inserit etiam Deus influens in illum per auxilium particulare, illumque illo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat & alliciat, efficitque illum supernaturalem, ut in ordine & gradu sit etiam ad salutem accomodatus.* Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit appellatur auxilium gratiæ prævenientis, motus verò ille & affectus voluntatis circa ea quæ ad fidem spectant, quatenus à Deo supernaturalis efficitur per auxilium illud Dei, gratia præveniens ad assensum fidei ex parte voluntatis.

In defensionem autem hujus doctrinæ, seu ad 116
illius explicationem: hæc postmodum ab illius defensoribus multiplicabantur. Primò quod in prædictis verbis non fit sermo de actibus liberis elicitis à facultate naturæ, sed solùm de cogitationibus seu notitiis indeliberatis. Quod ideò asserebant, quia reputabant & ipsi, quod si de actibus liberis naturalibus sermo esset, cum illi boni essent moraliter, & intuitu eorum auxilium gratiæ daretur, inevitabile erat quod ex meritis humanis gratia reddi poneretur. Secundò asserebant non elevari potentiam intuitu ipsorum operum cum, ut dictum est non sint illi actus liberi: intuitu quorum possint elevari potentiæ. Tertiò ex prædictis verbis non dici Deum elevare eosdem numero actus incœptos ab homine sola facultate sua: sed elevare potentiam ad eliciendum alios actus supernaturales. Et ratio erat, quia author illius assertionis pro certo tenet non esse eundem numero actum inceptum ab homine & continuatum à gratiæ auxilio, quod est impossibile, quia aliàs idem numero actus esset naturalis, & supernaturalis. Vnde contendebant quod cum in prædicta assertione dicitur Deum influere in easdem notitias intelligitur in easdem ex parte objecti. Quartò asserebant, illam supernaturalem gratiam quam assertio requirit, esse necessariam simpliciter, & non tantum ad facilius, ut nempè per eam constituerentur illæ notitiæ simpliciter in ordine supernaturali.

Cæterum quod priùs ostendendum est, in illa 117
assertione satis clarè dicitur totum oppositum hujus quod explicatio prætendit. Quod est primò aperiendum, habetur enim in illa ex mente sui authoris,

Deum

Digitized by Google

Deum auxilio suæ gratiæ se inserere actibus liberis elicitis à facultate naturæ, & eosdem numero elevare ad ordinem supernaturalem, & intuitu eorum talem gratiam dari; ex quibus convincitur illam gratiam necessariam non esse simpliciter, sed tantùm ad meliùs seu faciliùs.

118 Et quidem quod author intelligat Deum elevare per auxilium gratiæ actus liberos elicitos à facultate naturæ, quod est primum, patet clarissimè, quia idem author explicans alibi quomodo vocatio ad fidem, & auxilium gratiæ prævenientis fiant, docet talem vocationem ad fidem multum pendere à libero arbitrio hominis, qui vocatur, & rationem reddit multiplicem hujus dependentiæ; *Tum*, inquit, *quia potuit accidere aut non accidere ad audiendum vel legendum verbum Dei, unde notitias compararet, quibus Deus se inserit, & ad fidem vocare solet. Tum quia postquam accessit, potuit divertere alio cogitationem, nec intendere iis quæ credenda proponebantur. Tum denique quia accedere potuit, vel animo addiscendi, atque amplectendi quod bonum verumque esse judicaret, vel animo irridendi aut impugnandi quæ dicerentur*: Quæ sunt illius authoris propria verba. Quibus tripliciter probat illas notitias non esse actus indeliberatos sed liberos, & cogitationes tales à libero fieri arbitrio, qua parte liberum est: Vnde contra expressam litteram talis explicatio prætenditur. Secundò, quia idem author clariùs se exponens alibi manifestè dicit, quod quotiescumque liberum arbitrium ex his viribus naturalibus conatur, præstovè est ad conandum totum id quod ex se potest, tum circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, quæ etiam sunt illius verba formalia. Quibus luce clariùs affirmat gratiam prævenientem dari libero arbitrio liberè conanti ad addiscendum, expendendum & amplectendum fidem: non ergo loquitur de notitiis indeliberatis; sed de illis quas arbitrium liberè vult expendere. Idem apertiùs confirmat *disput.* 14. §. *post hanc*, qui statim est inducendus. Si ergo hujus doctrinæ defensores ideò illam exponunt de notitiis indeliberatis, non de liberis, quia vident, quod si liberæ essent, cum alias sint bonæ moraliter, intuitu earum daretur gratia præveniens, quod concedere reformidant; attendentes quod si intuitu illorum bonorum operum gratia præveniens datur, evitari non potest quin ex aliquali merito illorum prima gratia tribuatur qui est manifestus Pelagianus error, & apertissimè ex authore illius doctrinæ constat, & ex propriis aliis verbis dari illam prævenientem gratiam cogitationibus bonis liberis, & liberè à nostro arbitrio factis; vel ipsi inferant dari talem prævenientem gratiam intuitu eorum, & ex consequenti, ex priori naturæ merito, qui est error damnatus.

119 Præterea, ille author dicit alibi, quod nisi præcedant illa opera à solo homine incepta, Deus non solet dare gratiam prævenientem: ergo intuitu illorum dat illam Deus.

120 Præterea constituendo certam legem de danda gratia illa facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, statuit quod intuitu illorum præcedentium operum, illa lex à Deo facta publicatur: & cum addat valdè consonum esse, quod sic operanti datur præveniens gratia, consonantiam hanc in ipsis operibus naturæ constituit, ut intuitu illorum illud consonum sit. Nec aliud potest quis vel imaginari. Quare enim id consonum est, nisi quia sic opera illa postulant ut fiant: ergo intuitu illorum sic postulantium gratia datur.

121 Hoc igitur argumento convincitur quantum perversa sit ista doctrina, quæ dicit hoc modo fieri gratiam prævenientem, ut expendenti & cogitanti homini, quæ fidei sunt, Deus se inserat illius notitiis & cogitationibus auxilio supernaturali gratiæ. Hoc enim auxilium daretur ex necessitate intuitu illorum bonorum operum à solo libero hominis arbitrio inceptorum, & ex consequenti daretur ex illorum priori merito, & sic gratia non esset; sed naturæ debita, prout copiosè probatum manet in expugnatione illius certæ legis, quæ his initiis & cogitationibus solius liberi arbitrij prævenientem gratiam promittit, & sic manet plenè confutatum primum & secundum explicationis dictum.

122 Tertium verò quod prætenditur non dici in illa assertione Deum elevare eundem numero actum à natura elicitum ad esse supernaturale, vel non se inserere Deum auxilio prævenientis gratiæ eisdem numero notitiis & cogitationibus priùs à sola facultate liberi arbitrij effectis; æquè vel magis contra sententiam & mentem authoris illius assertionis est; imò contra expressa & formalia verba illius. Quid enim clariùs dicere potuit, ut assereret Deum in easdem numero notitias influere per gratiam suam, quam dicendo influere Deum in easdem notitias quas liberum arbitrium ministerio prædicatoris comparatas cogitat & expendit? Ergo in easdem numero, quas sic cogitat & expendit, influit Deus per auxilium gratiæ suæ. Imò in alias, quæ nullæ sunt præter illas, quomodo potest dici quod Deus influat.

123 Præterea ipsemet author id clarissimè alibi exposuit, nimirum *disput.* 14. §. *post hanc* jam relato *vers. quoniam*, ubi sic ait: *Quoniam facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia, non solum quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere quod in nobis est, præsto essent ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam.* Audis, illo & eodem conatu elicito à naturalibus nostris, & elevato per prævenientem gratiam nos elicere supernaturalem dispositionem ad gratiam, & dubitare poteris etiam si velis, istis verbis expressè affirmari Deum influere per suam prævenientem gratiam in illum eundem numero conatum à nostra sola facultate inceptum? Mirum est planè quod talia pro excusatione prætendantur. Vbi hîc potest subsistere explicatio de eisdem notitiis ex parte objecti, cum eas esse easdem numero, nec clariora nec apertiora verba possint significare.

124 Quod si author alibi tenet non esse eundem numero actum naturalem & supernaturalem, supradictis non repugnat; sentit enim eundem actum inceptum ab homine, & elevatum postea à gratiæ auxilio, non esse eundem numero formaliter, quia obtinet aliam quasi formam supernaturalem, bene tamen esse eundem numero, subjecto, & materialiter: sicut solemus dicere quod actio & passio distinguntur numero formaliter, quia cum distinguantur genere, distinguntur specie, & quæ specie distinguntur, distingui debent numero formaliter, cum quo optimè stat, quod actio & passio sint idem numero materialiter atque subjecto.

125 Præterea author illius assertionis nusquam dixit quod fingitur illum dixisse, quod videlicet postquam homo produxit similes actus ex sola facultate naturæ, illis præhabitis Deus elevat potentiam ad alios actus supernaturales producendos, hoc planè nunquam ille dixit, quia ut ex relatis constat, nullam ipse elevationem per gratiam prævenientem constituit immediatè fieri in potentia; sed omnem talem dicit immediatè fieri in actionibus priùs ab

Digitized by Google

homine inceptis ex sola arbitrij facultate, & mediantibus illis dicit excitari potentiam & invitari ad producendum consensum; hæc aperta illius sententia est, ut verba declarant.

126 Verum gratis admisso, & nullo modo concesso sententiam illius esse, Deum elevare potentiam ad alios actus supernaturales producendos; cum talem elevationem, ut modo relinquitur comprobatum, constituat fieri à Deo intuitu præcedentium operum ex sola facultate naturæ productorum, in idem inconveniens, quod evitari curatur, fortiùs impingitur. Nam error Pelagianus substantialiter & adæquatè non consistit solum in hoc, quod ijdem numero actus merè naturales eleventur per gratiam; sed in hoc adæquatè & substantialiter positus est, quod humana voluntas præcedat, & gratia divina subsequatur: ut S. P. Augustinus clarissimè docet *epist.* 107. *ad Vitalem.* Sive ergo gratia divina sequatur in eodem numero actu, sive in alio diverso, dummodo ponatur quod ad priorem voluntatem humanam gratia sequatur divina, idem error apertè consequitur; semper enim, ut citato nunc loco probat idem S. Doctor Augustinus, daretur gratia quia nos volumus, non autem per ipsam fieret ut velimus. Vnde daretur ex priori merito nostro, ut in superioribus satis manet comprobatum in confutatione illius legis de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus. Similiter, sic non ponitur gratia necessaria ad singulos actus; quia ad illos priores, quorum intuitu potentia elevatur, non ponitur necessaria.

127 Imò addendum quod ijdem actus numero naturales eleventur per gratiam, vel potentia ratione ipsorum, parva quædam & accidentalis differentia fuit inter Iulianum & Pelagium. Etenim Pelagius, ut constat ex S. P. Augustino *libro de gratia Christi cap.* 23. dicebat quod qui bene utitur libertate concessa adjuvabitur à gratia; non autem explicabat an adjuvaretur in eodem opere, an potiùs in diverso, quod ut satis notum ij authores cum quibus agimus aliquando confessi sunt. Vt enim differentiam assignarent inter doctrinam suam, & Iuliani qui constituit per gratiam adjuvari voluntatem in eodem opere, quod verum est, & illis concedimus: (Iulianus enim fuit primus qui asseruit Deum adjuvare hominis voluntatem per gratiam in eodem opere ab homine incepto naturæ viribus, ut clarè docet idem S. P. Augustinus *primo libro ad Bonifacium cap.* 19. & *libro* 2. *cap.* 9. & *lib.* 4. *cap.* 6.) dicebant suam doctrinam non constituere hominem adjuvari in eodem actu, nec eundem numero actum elevari per gratiam postquam ab homine inceptus est, sed post prædictum actum elevari potentiam ad alios supernaturales actus efficiendos. Sciant autem quod si per hoc evadunt ne conveniant cum Iuliano, quem postmodum Cassianus & Faustus sequuti sunt, quod cum Pelagio convincuntur convenire; dum intuitu præcedentium operum, asserunt dari gratiam in potentia ad alios actus efficiendos, & per hoc manet illud tertium illorum dictum omni ex parte impugnatum. Quia tamen re vera illorum doctrina est Deum in easdem numero notitias inceptas ab homine suâ gratiâ influere, ut ostensum fuit, ideò re vera cum Iuliano, Cassiano, & Fausto, quorum expressa hæc doctrina est, convenire noscuntur. Quando autem nihil aliud esset, quod doctrinam hanc confunderet, illud quod habetur *Actuum* 16. de Lydia purpuraria illam penitus evertit. Cum enim ibi dicatur *quod illius mulieris Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo*; manifestè edocemur quod attendere, cogitare, & expendere quæ fidei sunt, donum Dei est non facultas liberi arbitrij.

Deindè id Apostolus clarè docet 2. ad Corinth. 3. cum ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quibus verbis ipsum cogitare aliquid salutare ex speciali Dei motione fieri docet, non ex pura arbitrij libertate. Quod & S. P. Augustinus *lib. de prad. Sanct. cap.* 2. & S. Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. ad hoc propositum rectissimè interpretantur. Cum enim nullum anterius principium inveniri possit, quam cogitatio: hanc denegando Apostolus de rebus salutaribus nostræ soli facultati naturæ, negat omne qualecumque nostræ salutis initium ex nobis posse desumi. Vnde ad expendendum credenda non ex nobis quasi ex nobis sufficientiam habemus, sed sufficientia nostra ad id ex Deo est. 128

CAPVT IX.

In prædicta Recentiorum sententia non dari auxilium gratiæ prævenientis ad simpliciter sed ad meliùs.

SEd & illud quartum quod in explicatione supra- 129
dictæ assertionis addiderunt, fundantes quod auxilium supernaturale gratiæ, vel supernaturalitas auxilij, quod idem est, datur ad simpliciter & non tantùm ad meliùs sive ad faciliùs, nunc est aperiendum: & quomodo illa supernaturalitas auxilij ab eis re ipsa & in veritate tantum ponatur necessaria ad meliùs seu ad faciliùs, & non ut simpliciter necessaria, est apertiùs comprobandum; ut sic ex omni parte impossibilitas illius assertionis patefiat.

Prætendunt quidem ij authores & supradictæ as- 130
sertionis defensores nullo modo ex ipsa deduci illam supernaturalitatem auxilij, quam ipsi supradicto modo constituunt, tantùm poni ad meliùs seu ad faciliùs: sed potiùs dari ad simpliciter operandum opera prout ad salutem oportet. Quod sic suadere conantur, ex eo quod liberum arbitrium possit credere, diligere, & pœnitere quoad substantiam actus ex solis naturæ viribus, non sequitur quod supernaturalitas non sit necessaria simpliciter, sed tantùm ad meliùs & faciliùs, nec ista consequentia valet aliquid: malè ergo aliqui illam conficiunt. Antecedens patet, quia homo in natura integra secundùm Sanctum Thomam poterat naturæ viribus diligere Deum authorem naturæ super omnia, ex quo tamen non sequitur quod non indigeret simpliciter supernaturalitate ad operandum prout ad salutem oportet, sed tantùm ad meliùs & ad faciliùs, quia ista consequentia contra Sanctum Thomam conficeretur, & ipsi hoc inconveniens opponeretur. Similiter in natura lapsa potest homo quemlibet actum facere quoad substantiam actus sine gratia, quem potest homo cum gratia efficere, ut multi doctores sustinent tertio nostro libro relati, & tamen non licet ex hac illorum doctrina inferre contra ipsos non esse necessariam supernaturalitatem auxilij ad simpliciter, sed tantùm ad meliùs & faciliùs respectu operum quæ fieri debent prout ad salutem oportet.

Verùm his non obstantibus dicendum, per hanc 131
elevationem operum à sola naturali arbitrij facultate inceptorum ad ordinem gratiæ, & per hanc insertionem quâ dicunt Deum supernaturalitate auxilij se inserere illis naturæ operibus priùs elicitis

ab

Digitized by Google

ab homine sine gratia, non constituitur revera supernaturalitas auxilij ut simpliciter necessaria, sed ad meliùs & facilius tantùm.

132 Probatur primò nam prædicta assertio duo expressè constituit, ad quæ necessariam dicit supernaturalitatem auxilij prævenientis gratiæ; primum est ut meliùs & lucidius credenda expendantur: secundum, ut jam illa notitia limites notitiæ supernaturalis attingat; jam ergo circa illud primum manifestè admittit non esse necessariam supernatulitatem auxilij ad simpliciter expendendum & considerandum res fidei, sed tantum ut meliùs & dilucidius seu faciliùs expendantur. Cum assertio in terminis hæc dicat, apertè ostendit se non admittere supernaturale auxilium prævenientis gratiæ ad expendendum, considerandum & penetrandum res fidei, quia hoc simpliciter & absolutè concedunt notitiis & cogitationibus à sola facultate arbitrij elicitis; sed tantùm ad meliùs, faciliùs ac dilucidius considerandum & penetrandum res fidei. Non ergo nos consequentiam in hac parte formamus, vel illam ex aliquo illorum dicto deducimus, sed apertis verbis id ipsi profitentur.

133 Notentur obsecro & expendantur verba; non enim dicit supernaturale auxilium gratiæ requiri ut credenda penetrentur & expendantur, sed ut credenda, quæ ante per naturæ facultatem jam expendebantur, meliùs & dilucidiùs expendantur. Sentit ergo supernaturale auxilium gratiæ necessarium non esse ad simpliciter expendendum credenda, sed ad meliùs & faciliùs tantum. Nec enim impugnandum est modo quod aliquando prætendebatur, in dicta assertione non diù ut faciliùs expendantur, sed diù ut meliùs: quia omnibus fuit manifestum id ipsum explicari per faciliùs, quod per meliùs. Vtrumque enim supponit quod simpliciter alias id potest fieri, licet non ita facilè, seu non ita bene. Ita illud primum, quod videlicet respectu illius non admittant auxilium supernaturale esse necessarium simpliciter; illorum verba apertè testantur.

134 Dicunt tamen esse necessarium tale supernaturale auxilium simpliciter & absolutè comparatione illius secundi, nimirum ut illa notitia seu cogitatio attingat limites notitiæ supernaturalis, & sit fini supernaturali accommodata. Sed quod hoc sola externa voce dicatur, non reipsa, & in veritate, aperitur & demonstratur in illo actu fidei, quem hujus sententiæ defensores soli facultati naturæ tribuunt, dicunt enim posse arbitrium sine supernaturali auxilio assentiri revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, de qua sententia in expugnatione ipsius plura dicta sunt supra.

135 In hoc igitur actu constat quod reipsa ponant arbitrium sine supernaturali auxilio elicere actum fini supernaturali accommodum, & attingentem ordinem supernaturalem. Nam in hoc actu ipsi præsupponunt factam jam istam commensurationem actus cum fine & objecto supernaturali, dum ajunt posse arbitrium per illum suum naturalem actum attingere revelatum tanquam revelatum, & quia à Deo revelatum est. Si enim hoc potest attingere; ergo attingere potest revelatum sub formali ratione revelationis objectivæ: nihil enim aliud nisi objectivam revelationem importat revelatum tanquam revelatum, & quia à Deo revelatum est. Si autem potest attingere revelatum sub formali ratione objectivæ revelationis, potest utique attingere objectum supernaturale ut supernaturale est; quia revelatum sub formali ratione objectivæ revelationis quid supernaturale est formaliter, ut est manifestum. Igitur jam ille actus à sola arbitrij facultate elicitus ponitur commensuratus & accommodatus fini supernaturali, postquam ponitur attingere finem & ordinem supernaturaliter formaliter. Patet consequentia; quia principium philosophicum est, nihil aliud esse actum accommodatum & commensuratum, cum fine vel objecto, quam quod ipsum formaliter possit attingere.

Cum ergo ille actus ponitur attingere objectum 136
supernaturale formaliter, profecto quidquid alias verbis dicatur, re ipsa & veritate ponitur accommodatus & commensuratus objecto & fini supernaturali, & constituitur attingere ordinem supernaturalem, & ingredi limites supernaturalis ordinis confirmatur nam sicut cum metaphysici dicunt quod bonum ut bonum est voluntatis objectum, nihil aliud specificant nisi quod bonum sub formali ratione bonitatis est objectum voluntatis, & similiter cum dicunt quod verum in quantum verum est, objectum intellectus, nihil aliud specificant, nisi quod verum sub ratione veritatis est intellectus objectum. Ita cum theologi dicunt quod revelatum tanquam à Deo revelatum est objectum fidei, nihil aliud specificant nisi quod revelatum objectum sub ratione objectivæ revelationis est objectum fidei; ergo cum dicitur quod actus naturalis attingit revelatum tanquam revelatum, & quia à Deo est revelatum, dicitur etiam quod actus naturalis potest attingere objectum formale fidei, quod formaliter supernaturale est.

Si autem objectum supernaturale potest attinge- 137
re actus naturalis, ad quid indiget supernaturali auxilio gratiæ, cum sine illo obtineat quod non nisi per illud habere potest? planè si actus naturalis attingere potest objectum formaliter supernaturale, & supernaturalem ordinem tangere, ad hunc finem necessaria absolutè & simpliciter non est supernaturalitas auxilij gratiæ. Cum autem ad nullum alium finem necessarium sit supernaturale gratiæ auxilium, nisi ut attingere possit potentia suum supernaturale objectum, quatenus supernaturale est, ut nempè sic attingendo sit actus ejusdem ordinis & commensurationis cum objecto supernaturali, si ad hunc finem non ponitur absolutè & simpliciter necessarius, sicut reipsa in prædicta sententia pont ostensum est, convincitur quod ad nullum finem reipsa & veritate constituat illa sententia necessarium esse absolutè & simpliciter supernaturale auxilium gratiæ; ergo erit solum necessarium ad meliùs seu ad faciliùs.

Nec se excusent dicentes quod actus naturalis ut 138
sit accommodatus objecto supernaturali indiget supernaturalitate auxilij, quam cum ille actus naturalis non habeat, non potest dici accommodatus supernaturali objecto. Ad hoc enim dicendum ita esse in veritate, quod actus naturalis eo indiget ut attingat & commensuratus sit supernaturali objecto, sed ipsi è contra impossibilitate magnâ & falsitate constituunt reipsa actum naturalem contra propriam naturam attingere supernaturale objectum, ut supernaturale est, sicut manet comprobatum.

Præterea cum dicant hominem solâ naturæ fa- 139
cultate posse expendere quæ fidei sunt, sicut per prædicatores proponuntur, & illis notitiis naturalibus Deum auxilio supernaturali gratiæ se inferere ut melius & dilucidius expendantur, vel intelligunt quod consideratio prior solis naturæ viribus habita de credendis sit ejusdem speciei cum illa superveniente ex auxilio supernaturali, quo melius & dilucidius credenda expenduntur, vel intelligunt esse considerationes diversæ speciei, imò diversi generis & ordinis? Si hoc secundum affirment, non meliùs & dilucidiùs expendentur res fidei, sed simpliciter & absolutè expendentur, quia prior con-

Digitized by Google

ſideratio non perficitur per illam ſequentem, cum diverſæ ſpeciei imò diverſi generis illæ ſint. Si autem primum intelligant, ut ſine dubio intelligere videntur : ergo cum ejuſdem ſpeciei ſit illa prior conſideratio cum ſecunda proveniente ab auxilio, à qua proindè magis in ſua ratione perficitur, habebit idem objectum formale, atque illa ſecunda ſuperveniens, & cum ſecunda in omnium ſententia objectum habeat ſupernaturale ut ſupernaturale eſt, etiam illa prior ſolis viribus naturæ habita habebit idem formale ſpecificum objectum ſupernaturale, & ſic illa prior naturalis expendet quidem objectum formale ſupernaturale ſimpliciter & abſolutè : illa autem ſecunda, ut verba ſonant, idem ſupernaturale objectum expendet meliùs & dilucidiùs atque perfectiùs, & ſic ſolùm ſupernaturale auxilium erit neceſſarium ad meliùs & faciliùs, non ad ſimpliciter.

140 Deinde in alio actu quem ſolis naturæ viribus ij authores concedunt, fit manifeſtiùs eos reipſa ſupernaturale auxilium non ad ſimpliciter admittere, ſed tantùm ad meliùs ſeu faciliùs. Defenſarunt enim omnes quod illorum primus author concordiæ ſcribit de actu contritionis, quod præexiſtente maximè lumine fidei ex parte intellectus, quo cognoſcimus Deum authorem naturæ & gratiæ, innumeraque beneficia quæ nobis contulit, uſque ad proprij ſanguinis in cruce effuſionem, poteſt voluntas hominis ſolâ ſuâ facultate habere contritionem de peccatis propter Deum ſummè dilectum, propoſitum per lumen ſupernaturale fidei : igitur jam ille actus contritionis ex ſola natura elicitus attingit objectum ſupernaturale fidei. Igitur jam ille actus contritionis ex ſolâ naturâ elicitus attingit objectum ut propoſitum per ſupernaturale lumen fidei : ergo attingit objectum ſupernaturale ut formaliter ſupernaturale eſt. Patet conſequentia ; quia ſupernaturale lumen fidei proponit Deum authorem gratiæ (ut etiam ille author concedit) & proponit paſſionem Chriſti Domini in cruce ut objectum formale ſupernaturale, & ſub ratione ſupernaturali id practicè voluntati proponit, ut eſt ſine dubio certiſſimum : ergo ſi voluntas, ut aiunt, habet actum circa tale objectum ſibi propoſitum, attingit ipſum objectum ſicut ſibi proponitur per lumen fidei : ergo attingit illud ut ſupernaturale eſt formaliter, quia ſub hac ratione ſibi proponitur. Nec enim voluntas poteſt ferri in objectum ſub alia ratione quam ſibi per intellectum proponitur, ut eſt apertiſſimum.

141 Quod enim dicunt illam contritionem non eſſe fini naturali accommodatam, quia non procedit à ſupernaturali elevatione Spiritus Sancti, quæ ſit illius principium, ſed ex ſola facultate naturæ, frivolum omninò eſt ; imò falſum & impoſſibile : quia cum actus merè naturalis, & non effectus à Spiritus Sancti gratia ſit in ſua natura inferioris ordinis, nullo modo potens attingere ſuper excedentem ordinem & objectum ſupernaturale, ipſi contra naturam & gratiam eum reipſa conſtituunt attingentem formaliter ordinem ſupernaturalem & ſupernaturale objectum, quod nec clariùs explicare potuerunt quam dicendo, quod attingit authorem gratiæ, ut per ſupernaturale lumen fidei ſibi propoſitum. Recurſus autem ad diverſa principia minùs juvat, quia notum apud philoſophos eſt, quod tunc tantùm principia diverſæ ſpeciei diverſificant actum, cum illum producunt in ordine ad diverſum objectum formale. Quod ſi diverſa principia ſint diverſæ ſpeciei, ſeu diverſi ordinis, producunt tamen actum circa idem formale objectum, actus remanet ejuſdem ſpeciei.

Exempla notiſſima ſunt : Primum in virtutibus, 142
per accidens infuſis à Deo primo parenti, quæ ejuſdem ſpeciei fuerunt cum aliis acquiſitis, quia habuerunt idem formale objectum, licet principia fuerint diverſa, nempè Deus infundens, & induſtria vel ſtudium acquirens : virtutes autem infuſæ & acquiſitæ ſunt diverſæ ſpeciei, quia diverſa habent objecta formalia, ut ſuo loco dici ſolet. Similiter Adam & alius quilibet homo ejuſdem ſunt ſpeciei, ob rationem dictam, licet ille à Deo fuerit creatus, & alius ab homine genetatus. Et eadem ratione communiter dicunt philoſophi murem genitum ex putrefactione, & ab alio mure ejuſdem ſpeciei eſſe. Sic ergo cum conſtituant ij authores actum contritionis effectum à gratia Spiritus Sancti, & elicitum à ſola facultate naturæ, attingere idem formale objectum ſupernaturale, ut propoſitum per lumen ſupernaturale fidei, convincitur, quod ponant illos actus eſſe ejuſdem ſpeciei licet principia habeant diverſa.

Vnde ad argumentum de homine qui in natura 1.
integra poterat diligere Deum authorem naturæ ſuper omnia, quod S. Thomas affirmat, dicendum ex hoc nihil contra ſupernaturale auxilium inferri ; quia ſi homo ille non eſſet ordinatus in finem ſupernaturalem, nullo modo aliquid contra auxilium ſupernaturale gratiæ conſequeretur ; ſi autem eſſet ordinatus in ſupernaturalem finem non poſſet habere illam Dei dilectionem ſuper omnia niſi ex priori auxilio gratiæ, ex eo quod ad talem dilectionem juſtificatio conſequeretur, quæ ad illam dilectionem elicitam ſolùm ex naturæ viribus non poſſet ſequi. Si autem homo in natura integra in gratia conſtitutus ſit, ſicut fuit Adam, argumentum non procedit.

Ad aliud de homine ſine gratia potente efficere 14
quemlibet actum quoad ſubſtantiam actus, quem poteſt efficere homo in gratia conſtitutus, dicendum quod de veritate hujus aſſertionis plenariè dictum fuit ſupra, quod videlicet poteſt efficere ſimilem actum in ſubſtantia, non autem eundem in ſpecifica ratione. Si enim ſic poſſet credere, diligere, & pœnitere naturæ viribus, id eſt faciendo hos actus ſecundùm ſubſtantiam, id eſt ſpecificam ipſorum rationem, verum eſt quod ſupernaturale auxilium non eſſet ad id ſimpliciter neceſſarium.

Tandem iſta ſupernaturalitas auxilij gratiæ à Deo 14
conceſſa ponitur modo impoſſibili ab his authoribus. Dicunt enim quod actibus inceptis Deus ſe inſerit ſupernaturalitate gratiæ ſuæ. Quid autem impoſſibiliùs quâ quod actibus elicitis ab arbitrio, nempè cogitationibus & volitionibus Deus ſe inſerat ſupernaturalitate ſua ? Quomodo enim intelligi poteſt iſta inſertio ? Nam actus vitalis qui à potentia vitali producitur, nihil poteſt admittere ab extrinſeco ſibi copulatum ; nihil enim ei poteſt ab extrinſeco conjungi, nihil ipſi inſeri, quia hoc indiviſibilitati actus vitalis repugnat : non enim ſicut ramus ramo inſeritur, aut pannus panno filo conjungitur, ita actibus vitalibus noſtrarum actionum aliquid ab extrinſeco inſeri aut copulari poteſt, quia illud quod ei conjungeretur non eſſet actus vitalis, nec ad actum vitalem pertineret : nec eſt intelligibile, quod per illud potentia vitalis magis aut meliùs, ſeu lucidiùs perpendat, quam antea ſuo actu vitali perpendebat. Manifeſtum eſt enim quod vitalis potentia nihil poteſt expendere niſi per actum vitalem à ſe elicitum, non per aliud ab extrinſeco actui copulatum, dato ei poſſet conjungi, quod tamen impoſſibile eſſe ratio demonſtrat. Nec enim intelligi poteſt quid ſit illa ſupernaturalitas, niſi intelligatur quod actus ſemel productus à potentia vi-

tali

Digitized by Google

tali superveſtiatur poſtea, vel deſuper deauretur, aut dealbetur illâ ſupernaturalitate auxilij, ita quod impoſſibili modo mixtus componatur ex priore naturali & poſteriori ſupernaturalitate. Planè etiamſi intellectus id vellet percipere nec poteſt.

146 Vidit quidem impoſſibilitatem iſtam conjungendi ſupernaturalitatem cum ſubſtantia naturali actus Franciſcus Suarez *lib. 3. de auxiliis divinæ gratiæ c. 1. §. hanc ergo*, & adverſus illum ſic dicit; *Nec verum eſt libertatem arbitrij facilius aut melius cum divina gratia concordari, ſi actus illi ſolùm quoad modum ſupernaturales ſint, quia vel ille modus nihil eſt in actu, quod à nobis liberè fiat, & hoc non eſt concordare gratiam cum libertate, ſed omnino gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere.* Ex eo ergo quod ille modus ſupernaturalis nihil ſit in actu, quod à nobis liberè fiat, rectè concludit, quod per illum enervatur doctrina Conciliorum & divina gratia evertitur ut judicent defenſores illius ſupernaturalitatis, quæ ab eis ponitur non à nobis fieri in actu, ſed ab extrinſeco ei copulari, qualiter & Concilia enervent, & gratiam evertant, hoc teſtante etiam quodam ex eis doctore præcipuo.

CAPVT X.

Internam vocationem, ſive ad fidem ſive ad pœnitentiam per gratiam prævenientem non pendere à libero hominis arbitrio.

147 TErtium quod ſupra notavimus in horum authorum aſſertionibus fuit id quod habetur in aſſertione 71. à principio hujus diſputationis de gratia præveniente relata quæ ſub his verbis à ſuis publicatur. *Ex dictis in primis patet externam vocationem ad fidem licet donum Dei ſit, multum tamen à miniſtris Eccleſiæ pendere, atque à libero arbitrio ejus qui vocatur*, & poſt pauca, *quod hac & præcedenti diſputatione dictum eſt de interna vocatione ad fidem intelligendum eſt etiam de excitatione interna fidelium ad pœnitentiam per gratiam prævenientem; imò de illuſtrationibus & auxiliis quibus juſtificati à Deo adjuvantur, tum ut majora Spiritus incrementa percipiant, tum ne tentationibus ſuccumbant: pendent enim quam maximè à miniſtris & conatu Eccleſiæ, atque à libero cujuſque arbitrio, quo liberè ad audiendas conciones, ad lectionem ſcripturarum ſacrarum accedunt.*

148 Et quidem quod ex præcedenti aſſertione quæ ſtatuebat fieri vocationem per auxilium gratiæ prævenientis, quod dari prætendebat, quoties homo ex ſua facultate arbitrij expendebat & cogitabat credenda, ſequatur iſta, quæ modo relata eſt, aſſerens vocationem ad fidem & ad pœnitentiam quæ fit per idem prævenientis gratiæ auxilium, pendere à miniſtris Eccleſiæ, & libero arbitrio ejus qui vocatur, nullus poteſt dubitare. Quod author utriuſque clariùs probat, ſtatim ſubdens rationes aliquas quibus probat quod à libero hominis arbitrio, & miniſtris Eccleſiæ talis vocatio, quæ fit per auxilium prævenientis gratiæ, dependeat; ſic enim ait; *patet tertiò vocationem Dei internam multum etiam pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur; tum quia potuit accedere, aut non accedere ad audiendum vel legendum verbum Dei, unde notitias compararet quibus Deus ſe inferere & ad fidem vocare ſolet, tum etiam quia poſtquam acceſſit, potuit divertere alio cogitationem, nec intendere iis quæ credenda proponebantur, tum denique quia accedere potuit vel animo addiſcendi atque amplectendi, quod verum bonum eſſe judicaret, vel animo irridendi vel impugnandi quæ dicebantur.*

Abſque dubio ſi iſta tria poteſt facere arbitrium 149
hominis ſe ſolo ſine gratia, & homini ſic facienti Deus ſe inferet, ipſum vocando per auxilium gratiæ, multum erit dependens talis vocatio à libero arbitrio ejus qui vocatur. Quia verò dictum eſt ſupra nec poſſe arbitrium ſolis ſuis viribus facere, nec etiam ſi illa efficere ſolis ſuis viribus poſſet, illi Deum ſe inſerere, aut eadem auxilio ſuæ gratiæ elevare ad ordinem gratiæ, fit manifeſtum vocationem ad fidem & pœnitentiam non pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur; hoc enim priùs eſt oſtendendum; & deindè quod nec à miniſtris Eccleſiæ dependeat etiam erit comprobandum.

Præterea quomodo dicitur vocationem ad fidem 150
& ad pœnitentiam, quæ fit per gratiæ prævenientis auxilium, multum pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur; cum ſit manifeſtum in hoc ſitam fuiſſe controverſiam Catholicorum cum Caſſiano Semipelagiano; quod Caſſianus dicebat illam pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur, Catholici autem oppoſitum ſuſtinebant, quod videlicet non dependet vocatio ab arbitrio ejus qui vocatur; ſed è contra arbitrium pendet à vocatione. Cum ergo damnata ſententia Caſſiani ſit, non modo quod multum dependeat, vocatio à libero arbitrio vocati, ſed quod dependeat, etiamſi non addiderit ipſe verbum; *multum*, quomodo id nunc tam apertè ſtatuitur & divulgatur? Manifeſta enim verba Caſſiani ſunt *collat. 13. ad Cheremonem cap. 9.* relata etiam à Sancto Proſpero *lib. contra collat. eodem cap. 90.* ſic enim habet; *Et ita ſunt hæc quodammodo indiſcretè permixta atque confuſa, ut quid ex quo pendeat inter multos magna quæſtione volvatur; id eſt utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus, an quia Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initium.*

Ecce quæſtionem totam in hac parte inter Ca- 151
tholicos & Pelagianos ſitam; *quid ex quo pendeat*; an videlicet vocatio & gratiæ auxilium præveniens pendeat ab arbitrio, an è contra arbitrium pendeat à vocatione & gratia prævenient. Quod clariùs verba relata Caſſiani exponunt, illa nempè, *id eſt utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus*; ſcilicet ex noſtra ſola facultate, expendendo videlicet res fidei, vel res ad converſionem pertinentes, ideo Deus noſtri miſereatur nos vocando per auxilium gratiæ ſuæ; an potiùs è converſo, quia Deus nobis miſeretur, vocando per ſuam gratiam, habeamus nos bonæ voluntatis initium.

Igitur in hoc tota quæſtio ſita dignoſcitur; quid 152
à quo pendeat, an vocatio ad fidem & pœnitentiam à bonæ noſtræ voluntatis prioribus initiis, an potius bonæ voluntatis noſtræ initia pendeant à Dei pribri vocatione & auxilio gratiæ. Notum eſt autem Caſſianum in illa collatione tenuiſſe vocationem per auxilium prævenientis gratiæ, ſive ad fidem ſive ad pœnitentiam pendere ab initiis noſtræ bonæ voluntatis, ad hunc ſenſum, quod quoties voluntas noſtra illa initia ex ſua facultate præbuerit, Deus vocet per gratiæ auxilium; quæ eſt in terminis doctrinæ, quæ modo publicatur. Nec in re, luce clariore quod videlicet iſta fuerit damnata ſententia Caſſiani & Fauſti, & aliorum Maſſilienſium eſt immorandum, cum omnibus ſit apertiſſimum de hoc potiſſimè fuiſſe per S. Proſperum *lib. contra Collatorem* Caſſianum damnatum, & per S.P. Auguſtinum tum alibi ſæpius, tum *lib. de prædeſt. ſanct.* & potiſſimè à Concilio Araſicano ſecundo.

Sed ad hoc reſpondent quod loquendo de cauſis 153
ipſius vocationis, quæ ſunt Deus & homo, Deus non

Digitized by Google

non dependet ab homine, sed homo à Deo; at loquendo de ipsa externa vocatione ad fidem cum ipsa sit effectus liberi arbitrij, ipsa pendet à libero arbitrio hominis, quænam autem ista excusatio sit; ex eo patet, quod quæstio est de Deo non secundum se, sed ut vocante hominem ad fidem; & de illo ipsi dicunt quod ut Deus vocet hominem ad fidem multum pendet à libero ejus arbitrio qui vocatur; quæ fuit illa Cassiani relata sententia. Nec enim Cassianus aliquando dixit quod Deus secundum se pendebat ab homine. Quod autem asserunt vocationem ad fidem esse effectum liberi arbitrij ab surdum est, quia etiam in opinione illorum est actus indeliberatus, ut supra visum fuit; ergo non est effectus liberi arbitrij. In sententia autem vera prima vocatio, & primum auxilium quo Deus vocat, est divina motio solùm effecta à Deo, & in potentiis animæ recepta antè omnem actum etiam indeliberatum.

154 Deindè quis non videat hanc doctrinam vocationis per gratiam ab initiis nostræ bonæ voluntatis, expendere & cogitare & attendere res credendas, vel alias quaslibet ad conversionem pertinentes, quæ modo defenditur, à generali doctrina S. Patris Augustini sæpè contra Pelagianos fundata, & explicata penitus confundi, quâ perpetuo docuit non præcedere hominis voluntatem, ut nobis detur gratia divina; *Epist. potissimè* 107. ubi etiam dicit in hoc totam quæstionem contra Pelagianos versari. Si ergo vocatio ad fidem & pœnitentiam, quæ divina gratia est, pendet à priori bona nostra voluntate expendente, cogitante & attendente (ut asseritur) manifestè ponitur quod præcedat nostra voluntas sic cogitans & expendens, & sequatur divina gratia, quo nihil magis S. P. Augustinus in Pelagianis detestatus est. Vnde ipse Sanctissimus Doctor *lib. 1. ad Bonif. cap. 19.* explicans illud Christi Domini, *nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum*, ita dicit, *Non ait duxerit, ut illic intelligamus aliquo modo præcedere voluntatem, quis trahitur si jam volebat? & tamen nemo venit nisi velit; trahitur ergo miris modis ut velit ab eo qui novit intus in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*, S. ergo P. Augustinus negat aliquo modo præcedere hominis voluntatem, ut ei detur gratia divina; & tamen qui supra dictam assertionem defendunt, volunt quod hominis voluntas præcedat, à qua multum dependeat quod ei detur vocatio, & prima gratia divina.

155 Item *libro de dono perseverantiæ cap. 9.* expressis verbis affirmat quod ex duobus ætate grandibus impiis, unus vocetur ad fidem, & alius non vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei, idem dicit *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. in fine*, & sæpè hoc in sua doctrina docet, affirmans nullam posse reddi rationem quare unus vocatur ad fidem & non alius. Si autem vocatio ad fidem multum pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur, aperta & palmaria ratio redditur, quare iste ad fidem vocetur & non alius respondent enim ij authores, quod ideo iste vocatur ad fidem & non alius, quia interna vocatio ad fidem multum pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur, & quia iste facit per suum arbitrium id à quo multum dependet vocatio ad fidem, ideo ad fidem ipse vocatur, relicto alio, qui non facit per suum arbitrium id à quo dependet ut vocetur. Nonne per istum modum dicendi redditur apertissima & manifestissima ratio quare unus vocetur ad fidem & pœnitentiam & non alius, quam numquam cognovit Augustinus? Imò quam numquam penetravit Apostolus, qui semper quod unus vocetur non alius reduxit in altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei, & in ejus inscrutabilia judicia? De novo itaque isti authores hac suâ doctrinâ publicant se invenisse primam & facilem rationem ad respondendum, quare unus vocetur à Deo, alius non quæ à principio nascentis Ecclesiæ usque in hæc tempora Sanctos Patres, imò Apostolos latuit; & quod illi docuerunt inscrutabile esse, isti facillimè scrutantur.

Insuper idem sanctissimus Pater & Doctor *qu. 2. ad Simplicianum* manifestè dicit quod homo non potest sibi præstare quod ad fidem vocetur, & *lib. 83. quæstionum quæst. 68.* affirmat quod non potest sibi tribuere homo quod vocatus sit; & tamen si interna vocatio ad fidem multùm pendet ab arbitrio ejus qui vocatur, absque dubio potest sibi homo præstare quod à Deo vocetur; nam potest facere per liberum arbitrium id à quo pendet vocatio ad fidem, & sic præstabit sibi quod interiùs à Deo vocetur. 156

Ex sancto Prospero, Hilario, Fulgentio, & sancto Thoma, similia plura poterant induci testimonia, sed quia omnia diffusè satis posita sunt in confutatione illius certæ legis de danda gratia facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, ideo prætermittuntur. Est tamen contra hanc dependentiam internæ vocationis à libero hominis arbitrio inducendum Concilium Arausicanum potissimè *can. 3.* in quo apertè hanc dependentiam damnat terminis omnino æquivalentibus dum ita determinat: *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contra dicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Quid enim aliud est reipsa dare gratiam invocatione humana, quod in Concilio damnatur, quam prævenientem gratiam vocationis ad fidem multum pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur, itaut quoties arbitrium res credendas ex sola sua naturali facultate expenderit ei detur vocatio & gratia divina. 157

Tandem contendere primam internam vocationem ad fidem esse donum Dei, & ex alia parte esse effectum liberi arbitrij, vel ab ipso pendere, manifesta implicatio est, vel ut clarius eloquar, est verbis solùm eam appellare Dei donum, re autem ipsa id penitus negare. Hanc Apostolus *ad Ephes. cap. 2.* donum gratiæ Dei dicit, ac proinde non esse ex nobis: *gratia*, inquit, *estis salvati per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus.* Vbi docet quod si aliquid est donum Dei, non est ex nobis; & si ex nobis est, non est donum Dei diximus id esse manifestum in omnium prima interna vocatione ad fidem, & in omnium primo gratiæ prævenientis auxilio, quia ratione illius salvatur quod credere, qui est actus liberi arbitrij ab ipso arbitrio dependens, est donum Dei, ideo enim credere est donum Dei, quia Deus per vocationem suam, & suæ gratiæ auxilium; quæ totaliter est donum Dei, facit nos credere. Si enim Deus per tale suum purum donum non faceret nos credere, ipsum credere non diceretur donum Dei, sed ex nobis. Igitur & ipsum credere & ipsa justificatio per fidem, ut ait Apostolus, ideo sunt Dei donum, quia ex dono priori quod à solo Deo sit in nobis nos credimus, vel justificamur: Itaut ex necessitate deveniendum sit ad illud omnium primum divinæ gratiæ auxilium, quod totaliter & omnibus modis sit donum Dei; & ratione illius actus supernaturalis liberi quatenus credimus, vel justificamur, dicuntur & sunt dona Dei. Vnde Apostolus ad illud primum auxilium gratiæ attendens, quo justificamur, 158

Digitized by Google

mur; dicit quod ex illo justificemur esse donum Dei, & non ex nobis.

159 Ex dictis facilè respondetur ad fundamenta oppositæ sententiæ. Primum enim quod opponunt nimirum vocationem ad fidem esse actum nostrum, & ex consequenti pendere à nostro arbitrio, falsum est; licet enim effectus actualis auxilij gratiæ vocantis sit actus nostræ voluntatis, & per consequens pendeat etiam à nobis, auxilium tamen ipsum prævenientis gratiæ, seu ipsa interna vocatio ad fidem seu pœnitentiam, nec est actus noster, nec à nobis dependet, sed à solo Deo in nobis fit.

160 Ad illud autem aliud, quo contendunt positum esse in nostra potestate accedere ad audiendam fidem, vel animo irridendi vel attendendi & eam suscipiendi: Respondetur utrumque quidem esse in nostra potestate, aliter tamen & aliter, quia accedere animo irridendi ex nobis est tanquam ex nobis, quia ut Dominus per Prophetam Oseam dicit, *perditio tua ex te ô Israël*, & ut sanctus Thomas affirmat 1. 2. quæst. 112. art. 3. *defectus gratiæ prima causa est ex nobis.* Accedere autem animo intendendi his quæ per fidem proponuntur, non est ex nobis sicut ex nobis, sed ex auxilio gratiæ prævenientis, quia ut citato loco S. Thomas docet, collationis gratiæ & præparationis ad illam prima causa est ex Deo juxta prædictum testimonium Oseæ 13. *tantummodo est in me auxilium tuum.* S. P. Augustinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 25. Audit quidem homo dicentem vel hominem, vel Angelum, sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine mens ejus aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Imò in terminis hoc docet scriptura *Actuum* 16. de illa Lydia purpuraria, cujus dominus aperuit cor intendere his, quæ à Paulo dicebantur. Igitur attendere rebus fidei ad suscipiendam eam ex Spiritu sancto est. Nec minori claritate id docet Apostolus 2. *Cor.* 3. dicens, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si non sumus sufficientes cogitare quod est omnium primum, quod ex parte hominis requiritur ad fidem; nec sufficientes sumus expendere, seu attendere rebus per fidem propositis animo addiscendi & amplectendi ea quæ taliter nobis proponuntur.

161 Ad aliud quod tertiò objiciunt de speciebus intelligibilibus, quas Deus, ut prætenditur, non solet nobis de novo causare: Dicendum primò, quod multoties eas Deus de novo in mentem nostram imprimit. Dicendum secundò quod quando eas de novo non causat, sed eas præsupponit, non tamen eo ipso quod præsupponuntur, Deus eas elevat ad ordinem supernaturalem: sed multoties sine tali elevante gratia permanent, nec aliquid juvant ad salutem. Aliquando verò Deus misericorditer vult, eas elevat ad ordinem supernaturalem & prout expediunt ad salutem, unde species quibus homo apprehendit objectum credibile, vel aliud pertinens ad salutem, non fiunt ut sic effectivè à sola facultate naturæ, sed eliciuntur ab intellectu elevato, per speciale auxilium gratiæ prævenientis juxta supradictum Apostoli testimonium. Si enim ex nobis non sumus sufficientes cogitare, utique nec ex nobis species habere possumus, quibus objectum fidei apprehendamus.

162 Asserebat præterea secundò supra dicta assertio, quod etiam interna vocatio ad fidem & ad pœnitentiam multum pendet à ministris Ecclesiæ: ad quod etiam dicendum non posse dici internam vocationem ad fidem vel pœnitentiam pendere à ministris Ecclesiæ. Aliud est enim quod interna vocatio ad fidem non fiat ordinariè, & secundum communes leges nisi præcedat ministrorum prædicatio: & aliud valde diversum quod Deus in vocando homines interiùs ad fidem pendeat ab Ecclesiæ ministris. Illud primum verum est, hoc autem secundum falsum: Quod autem primum sit verum, patet ex illo ad Rom. 10. *Quomodo credent sine prædicante?* Quod secundum sit falsum patet, quia superior non dependet ab inferiori, sed è contrario inferior à superiori pendere debet; ergo licet ministri cooperentur ministerialiter fidem prædicando: quia tamen inferiores sunt Deo, in illo eodem ministerio à Deo dependent, ex Dei gratia habent, qui illos ad prædicandum mittit, secundùm illud *Rom.* 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Pro quo facit illud Christi Domini, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Proculdubio si quidquid minister in prædicatione facit, à Christo à quo electus est, recipit, juxta illud: *Quid enim habes quod non accepisti?* Quomodo dici potest, quod ipse Christus ab eis dependeat, & non potiùs ipsi dependeant à Christo?

163 Imò in terminis Apostolus hanc gloriam, qua ministri possent gloriari de sua prædicatione, eò quod ex ipsis penderet interna vocatio eorum, qui ad fidem convertebantur, excludit. 1. *Cor.* 3. si ille contextus litteræ cogitetur. Agebat enim ne quisquam gloriaretur in ministris Evangelij prædicatoribus, quoniam dissensiones exortæ fuerant inter Corinthios Christianos, ita ut unus quisque diceret, ego quidem sum Pauli: alius autem, ego Apollo; alius verò, ego Cephæ. Et quidem si interna vocatio qua fuerant illi ad fidem vocati multum dependens fuisset ab hoc vel illo ministro; possent utique illi de hoc vel illo ministro, à quo fuit dependens sua vocatio ad fidem, gloriari, quia tamen ex ministris vocatio ad fidem non dependebat, sed ex Deo; ideo prohibet Apostolus ne in ministris quis gloriaretur, subdens; *Quid ergo est Apollo, quid autem Paulus, ministri per quos credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.* Appellando eos ministros, etiamsi aliud non explicasset, superbia illa qua dicunt vocationem ad fidem pendere à ministris penitus excluſa maneret; quia ministri cum sint ab illo cujus sicut ministri dependere eo ipso cognoscuntur, non è contrario, sed nec hoc voluit Apostolus implicitè tantum tangere, vel statuere, quin imo expresè & clarioribus verbis illam dependentiam retundit, dicens; *Et unicuique sicut Dominus dedit.* Cum ergo Evangelij ministri nihil habeant quod eis Dominus non dederit, uni plus alteri minus, sicut ipsi placet, inquit Apostolus, quomodo potest minister de suo ministerio gloriari? Si autem gloriari non potest multo minus poterit dicere à se vocationem fidelium ad fidem dependere, quæ sine dubio maxima esset gloriatio. Vnde magis ac magis hanc inanem gloriam ministrorum enervans protinus subjungit. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; itaque nec qui plantat est aliquid nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Nonne Apostolus hoc agit ut humilietur homo, ut humilietur Evangelij minister, & exaltetur Deus solus? Quandoquidem in eis qui plantantur & qui rigantur, nec ipsum plantatorem & rigatorem dicit esse aliquid sed ejus qui incrementum dat Deus, quia hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis sed Domino tribuit, dicens sicut præmissum est; *Vnicuique sicut Dominus dedit.* Quod si nihil est plantator, nihil rigator, nihil Ecclesiæ minister, etiamsi Apostolus sit, quomodo ab hoc dependere Deus dicitur invocando homines ad fidem?

Digitized by Google

164 Vnde mirabiliter concludit Apostolus *cap. 4. Hæc autem fratres transfiguravi in me & Apollo propter vos, & in nobis discatis, ne supra quam scriptum est unus pro altero insletur adversus alterum. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* In hac Apostoli evidentissima intentione, quâ contra humanam superbiam loquitur ne quisquam in prædicatoribus glorietur; suspicari internam vocationem ad fidem; vel Deum sic vocando multum pendere à ministris Ecclesiæ non potest non esse falsissimum. Prædicatores Evangelij, qui Apostolicam sequuntur doctrinam, non dicent certè multum à se ipsis internam vocationem ad fidem pendere; sed potius cum Paulo clamabunt, nec qui plantat, neque qui rigat aliquid est, & totum dabunt Deo. Omitto quod si vera philosophia prohibet dicere causam principalem à suo instrumento pendere, quia potius docet instrumenta pendere ab illa à qua moventur & applicantur, quanto absurdius erit contendere Deum omnium primam causam & infinitam à suis ministris & instrumentis pendere, cum eos moveat, applicet, & eis omnia tribuat quæ ministraliter operantur, potissimè in ordine ad finem supernaturalem & excedentem totam capacitatem naturæ?

165 Nec obstat quod historiam nobis objiciunt Eunuchi qui sedens in curru Esaïam legebat, qui per Philippum de fide instructus est; hinc enim volunt Eunuchi conversionem ad fidem dependentem fuisse à prædicatione Philippi. Similiter opponunt conversionem S. P. Augustini pendentem fuisse ex lectione librorum, & idem possent de omni conversione inducere.

166 Ad hæc enim plenè ex dictis manet responsum, videlicet non ab homine sed à Deo conversionem Eunuchi ad fidem fuisse pendentem, qui eam gratiâ suâ in corde illius firmavit, instrumentum sumens Philippum, cui & præcepit ut jungeret se ad currum illum, eique verba dabat, ut exterius credenda proponeret, & intus suâ gratiâ efficaciter cor movebat, ut fidem reciperet. Omnia ergo à Deo volente efficaciter quod Eunuchus fidem reciperet, dependebant ordine suo, & Philippus prædicans, & cor Eunuchi attendens atque consentiens? Deus autem invocando illum ad fidem à nullo dependens erat ob rationes factas. Et eadem responsio adhiberi debet ad conversionem Sancti Patris Augustini, & ad omnem aliam quamcunque similem, ut totum Evangelij ministri Deo tribuant, cum aliquid boni Deus operatur per eos, ne contra prædictum Apostoli testimonium in seipsis, vel in sua industria glorientur.

CAPVT XI.

Gratiam excitantem non esse solùm sanctam cogitationem, vel motum indeliberatum voluntatis, cui se Deus inserat.

167 QVartum, quod à principio disputationis hujus de gratia præveniente ex assertionibus horum authorum ibi relatis prænotabamus, erat, excitantem gratiam, quam esse solùm prevenientem ipsi affirmant, esse tantum quandam cogitationem, vel per eam excitatam affectionem voluntatis sic enim illorum verba habent, ut iterum in memoriam reducantur; alterius quidem, *Ex cogitatione verò & penetratione earum rerum quæ ad fidem spectant oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitas, quo allicitur & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur.* Alterius autem, qui post modum hoc magis interpretatus est. *Hinc ergo theologi diffiniunt hanc gratiam*) scilicet excitantem quam solam dicunt esse prævenientem) *nihil aliud esse, quam motum aliquem intellectus, vel voluntatis infusum à Deo, vel illuminantem intellectum, & sanctam aliquam cogitationem in eo operantem circa objectum aliquod vel veritatem ad salutem anima pertinentem, vel per eam motionem inspirantem voluntati, & excitantem in illa affectionem aliquam amoris, timoris, vel alterius similis affectus, supernaturalis quidem, sed in eo ordine imperfecti, & non liberi sed necessarij.* Hic posterior author utpote prioris interpres atque defensor clarius exponit, quam ipsi dicant excitantem gratiam, quæ est apud illos adæquata gratia prævenies; nullam enim aliam prævenientem gratiam ipsi admittunt præter hanc excitantem, quam modo exposuerunt.

Quia verò illius prioris authoris verba satis clara sunt, hujus posterioris similia veniunt considerandа; quibus licet verbis à priori discedere videatur, re tamen ipsa minimè recedit. Verbis quidem dictam illam affectionem ex parte voluntatis, sive timoris, sive amoris, esse supernaturalem, at re ipsa illam naturalem constituit sicut & ille prior, quia dicit hanc, quam supernaturalem vocat affectionem, ex parte voluntatis fieri per illam illuminationem & sanctam cogitationem tenentem se ex parte intellectus. Vel per eam motionem inspirantem voluntati, & excitantem in illa affectionem aliquam amoris, timoris vel alterius similis affectus, supernaturalis quidem, per eam; inquam, motionem scilicet illuminationem sanctam causantem & efficientem cogitationem, quam expressis verbis constituit. Igitur illa affectio voluntatis vocatur ab ipso supernaturalis; tantum & solum sit per illuminationem supernaturalem infusam à Deo & efficientem sanctam cogitationem; ergo ex parte voluntatis nullum supernaturale auxilium constituit distinctum ab illuminatione supernaturali intellectus, quo Deus efficiat immediatè illam supernaturalem affectionem; sicut & prior ille author constituit. Igitur tota prævenies gratia secundùm ipsos nihil est aliud quam illuminatio à Deo immissa in hominis intellectum, quâ Deus in ipso operatur sanctam cogitationem, vel est indeliberatus actus voluntatis amoris vel timoris aut alterius similis affectus hæc illorum sententia est. 168

Circa quod advertendum nos modo non agere, 169
an excitans gratia, quando rectè ab eis assignata esset, sit tantum prævenies gratia, de hoc enim infra erit agendum; sed illud tractamus modo, an rectè ab ipsis excitans gratia constituatur, secundum quod aliquâ ratione ab adjuvante distinguitur?

Dicendum ergo est; excitans gratia seu auxilium 170
gratiæ excitantis non est cogitatio naturæ viribus habita cui se inserat Deus per supernaturale auxilium, nec est indeliberata affectio voluntatis naturaliter resultans ex illa supernaturali cogitatione cui etiam per auxilium supernaturale se inserat Deus itaque nec unum, nec aliud, nec utrumque simul est excitans gratia. Hæc veritas est contra priorem illum authorem citatum, quæ magna ex parte in superioribus manet monstrata, ostensum fuit enim impossibilem esse modum illum se inserendi per auxilium gratiæ prioribus notitiis naturæ viribus elicitis, essèque illum quem Iulianus, Cassianus & Faustus priùs posuerunt. Vnde nunc de illa affectione voluntatis, quæ dicitur sequi naturaliter ad illam primam cogitationem pauca dicemus, aperientes

Digitized by Google

rientes simul quam impossibiliter illa affectio constituatur.

172 Illa cogitatiò, quæ dicitur gratia præveniens ex parte intellectus, est jam facta supernaturalis per auxilium gratiæ prævenientis, ut aiunt: ergo ex illa ut facta jam supernaturali non potest naturaliter oriri affectio merè naturalis, cui postea Deus auxilio gratiæ se inserat, ut constituitur. Patet consequentia, quia ex cogitatione supernaturali, si naturaliter oritur affectio in voluntate, illa debet esse etiam supernaturalis, & ejusdem ordinis cum eo à quo naturaliter resultat. Manifestum est enim, quod id quod ex alio naturaliter resultat vel per simplicem emanationem, ejusdem ordinis debet esse cum eo à quo resultat. Sicut ergo cogitatio naturalis infert affectionem naturalem, ita cogitatio facta supernaturalis inferre debet affectionem supernaturalem, si aliquam infert: ergo supernaturalis cogitatio, quæ supponitur, non potest in voluntate inferre affectionem naturalem. Et ratio est iterum manifesta, quia voluntas non fertur nisi in id quod sibi per intellectum proponitur: cum ergo intellectus per supernaturalem cogitationem, objectum supernaturale proponat indeliberatè voluntati, voluntas supernaturalem affectionem, indeliberatam debet elicere, vel nullam; sed supernaturalem non potest, quia voluntas ut dictum est supra, sine auxilio supernaturali non potest etiam indeliberatè actum supernaturalem vitaliter elicere: ergo nullam affectionem indeliberatam efficit, cui postea se inserat Deus, & sic impossibiliter id statuitur, & re ipsa nulla affectio ex parte voluntatis ponitur, quæ sit gratia præveniens ex parte voluntatis.

173 Quod si dicant illam cogitationem, quæ ex parte intellectus ab eis ponitur gratia præveniens, esse quoad substantiam supernaturalem & solum quoad modum supernaturalem; ac proindè posse naturaliter ex illa oriri affectionem voluntatis quoad substantiam etiam naturalem, quæ post modum quoad modum fiat supernaturalis; per hoc vis rationis factæ minimè infringitur: nam illa cogitatio, quæ ponitur naturalis quoad substantiam est jam habens inseparabiliter illum modum, quo facta est supernaturalis: ergo sicut ex illa, quia naturalis est, quoad substantiam resultat affectio naturalis, ita resultabit affectio quoad modum supernaturalis; vel si hoc secundum in affectione voluntatis oriri non potest, nec illud primum, cum quo hoc secundum est inseparabiliter conjunctum, loquendo potissimè de motibus indeliberatis, qui ex necessitate naturæ adinvicem consequentur.

174 Præterea illa cogitatio quoad substantiam naturalis, facta jam modo prædicto supernaturalis, vel voluntati proponit objectum naturale absolutè & simpliciter, vel objectum absolutè supernaturale? Non primum, ut est manifestum, & ipsi authores dicunt: ergo secundum. Si autem objectum supernaturale absolutè proponit; (nam objectum à parte rei vel est absolutè naturale vel absolutè supernaturale): ergo voluntas sine aliquo auxilio supernaturali quo elevetur, non potest circa tale objectum actum elicere etiam indeliberatum. Profectò si penetretur iste modus constituendi gratiam prævenientem ex parte voluntatis, dici non potest nisi cum Iuliano, Cassiano & Fausto, & aliis Massilienſibus Deum se inserere auxilio suæ gratiæ illi priori affectioni voluntatis elicitæ ex sola facultate naturali voluntatis, quia jam voluntas hominis præcederet, & gratia divina sequeretur, in quo secundum S. P. Augustinum *epist. 107. ad Vitalem*, error Pelagianorum positus esse cognoscitur.

175 Tandem iste modus constituens resultare naturaliter (id est ex ipsa natura rei vel ex necessitate) sic enim prædictus author sumit *naturaliter*, ut ex verbis ipsius constat affectionem seu excitationem in voluntate ex cogitatione & illuminatione intellectus, non videtur differre ab illo quem S. P. Augustinus refert & impugnat *libro de gratia Christi cap.* 10. quem & Pelagius ipse his verbis expressit. *Operatur in nobis velle quod bonum est; velle quod sanctum est, dum nos his ejus cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem.*

Admittebat ergo Pelagius ex parte intellectus 176
sanctam cogitationem, & divinam revelationem supernaturalem, quâ Deus suscitabat stupentem voluntatem, & ex qua naturaliter sequebatur exercitatio voluntatis, non tamen constituebat ex parte voluntatis auxilium supernaturale, per quod ipsa voluntas excitaretur; quia ipse constituebat liberum arbitrium sanum & forte ad volendum quidquid per intellectus revelationem ei proponebatur; (ut in primo libro aperiendo mentem ipsius, clariùs ostendimus:) sed ista sententia quam impugnamus idem proponit, dum asserit quod excitante sancta cogitatione & revelatione ex parte intellectus, per auxilium illuminans & revelans aliquid supernaturale, & ad salutem pertinens, naturaliter resultat in voluntate affectio indeliberata naturalis ad illud volendum; ita quod sine auxilio supernaturali ex parte voluntatis ipsa suscitatur per illam supernaturalem revelationem intellectus.

Quod enim postea addit, quod jam excitatæ vo- 177
luntati per illam revelationem positam in intellectu, Deus se inserit auxilio gratiæ, in quo videtur à Pelagio differre, qui illud non addidit, nec excusat. Tum quia illud gratiæ auxilium datur, quia voluntas sic excitatur naturaliter & per naturam suam, & sic illud auxilium gratiæ ponitur naturæ debitum, unde gratiæ auxilium non est. Tum quia ponitur modo impossibili illa insertio, unde habenda est pro non posita, quia verbis solùm id astruitur, ut aliqua vel in cortice differentia appareret. Tum quia, si possibilis esset; nec illam negaret Pelagius ut alibi dictum est. Tum denique quia jam ponitur voluntas excitata à se ipsa sine gratiæ auxilio in illa recepto, posita tantum revelatione & propositione objecti supernaturalis ex parte intellectus ut sententia Pelagij constituebat. Ex quibus omnibus constat non poni in sententia, quam impugnamus, prævenientem aliquam gratiam ex parte voluntatis, ut ipsa excitetur ad salutem, sed sufficere sanctam cogitationem & revelationem ex parte intellectus proponentis ei tale objectum pertinens ad salutem.

Dicendum secundò: multominus gratia excitans 178
consistit disjunctivè in motu aliquo intellectus, vel voluntatis, id est in illuminatione & sancta cogitatione, vel affectione aliqua voluntatis indeliberata. Veritas ista pugnat contra illum secundum authorem relatum. Si namque, ut probatum est modò contra priorem, consistere nequit vera gratia excitans in utroque illo actu simul intellectus & voluntatis, quantò minus consistere poterit in uno vel altero illorum tantùm? An iste author alio modo constituit fieri gratiam prævenientem diverso ab illo, qui in priori impugnatus est? Cum ergo eodem modo ipse constituat gratiam prævenientem, ac ille primus, & insuper per disjunctionem dicat consistere excitantem gratiam in motu intellectus vel voluntatis, constat quod magis ipse à veritate aberrat.

Digitized by Google

179 Dicet fortè aliquis authorem istum affirmare illam affectionem voluntatis & excitationem esse amoris, vel timoris supernaturalis, non autem naturalis, ut de primo dictum est. Ad quod dicendum quod ipse tenet esse illam indeliberatam excitationem sequutam ad sanctam cogitationem amoris, vel timoris, vel similis alterius affectus supernaturalem eo modo, quo eam etiam primus Author supernaturalem constituit, nimirum per hoc quod Deus illi jam elicita à sola facultate naturæ se inserat. Et sic ut voluntas eam quoad substantiam eliciat, non indigebit auxilio supernaturali. Vnde sicut cum priori authore convenit, ita & cum illo illius sententia expugnata manet. Imò clariùs ipse exponit, quod Deus illam excitationem indeliberatam voluntatis efficiat per motionem illam, qua intellectui impressit sanctam cogitationem quæ illuminatio est; & sic apertiùs manifestat quod objectivè tantùm & proponendo objectum Deus causet illam indeliberatam excitationem; ipsa autem voluntas se solâ effectivè eam eliciat proposito sibi per illuminationem & revelationem & per sanctam cogitationem objecto salutari, sive ad fidem sive ad pœnitentiam ipsum pertineat.

180 Daro autem ipse teneret illum motum indeliberatum voluntatis fieri supernaturalem à supernaturali priori auxilio in voluntate recepto, quomodo disjunctivè potuit asserere excitantem gratiam (quæ secundum illos est tantùm præveniens, ita quod alia præveniens non est) consistere in motu intellectus, vel voluntatis? Si namque in motu voluntatis consistit: ergo ex parte intellectus necessaria non erit gratia excitans sive præveniens: si autem in actu intellectus posita sit: ergo ex parte voluntatis necessaria non erit excitans sive præveniens gratia. Quorum utrumque enervat veram gratiam excitantem & prævenientem. Quod si tandem contendat sumere, *vel*, conjunctim, ita ut sonet idem quod (*&*) vel ut sit disjunctum confusè supponens, non disjunctiva propositio, non multùm de hoc curandum videtur, ne videamur instantiam facere in solis verbis, quamvis ipsa quæ modò inducta sunt contrarium non obscurè testentur. Cæterum id gratis admisso quod utrumque requirit, cum illo priori relato in omnibus consentiet, unde cum illius sententia supra impugnata manet pariter reprobata posterioris hujus opinio.

181 Fateor quod ultimus author qui ex his authoribus in hac materia scripsit Leonardus Lessius in suo libro, quem inscripsit de gratia efficaci, cum totus gratiam efficacem de medio tollat, *pag. 6.* asserit auxilium prævenientis gratiæ consistere in variis inspirationibus & illuminationibus intellectus, & in variis affectionibus voluntati immissis. Quæ affectiones, inquit, impulsus, & incitationes non nascuntur præcisè ex propositione objecti, sed proposito objecto divinitus excitantur in voluntate; sunt enim persæpe supernaturales in substantia; in quo ultimo sicut à sententia illius prioris recedit, ita in primo, in quo copulativè loquitur, hujus posterioris sententiam videtur relinquere. Quamvis autem ab utroque bene in hoc dissentiat, in aliis tamen valdè deficit: primò quia nullam aliam agnovit gratiam prævenientem præter illam excitantem, unde adjuvantem, qua ratione distinguitur ab excitante, negat gratiam, quæ est omnibus doctrina communis inferiùs expugnanda. Secundò quia tales illuminationes & excitationes voluntatis dicit à Deo dari facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, per quod gratiam illam excitantem evacuat. Tertiò quia nec explicat an ante illos actus intellectus & voluntatis detur omnium, prima divina motio, atque divinus influxus, quo effectivè & intellectum & voluntatem afficiat, & moveat ad illos actus habendos.

Quare illi duo priores nullum supernaturale auxilium ex parte voluntatis necessarium admittunt ad voluntatem excitandam respectu actus indeliberati, & multo minus ad efficiendum actus liberos. Ast ultimus author tandem videns id nihil aliud esse quam cum Pelagio dicere Deum revelatione supernâ stupentem suscitare voluntatem: auxilium imperiale addidit ad efficiendum illos actus indeliberatos ipsumque ex parte voluntatis constituit: verum nec per hoc recedit ab illa doctrina, quoad actus liberos admittebat solam necessariam excitantem gratiam moraliter & objective tantùm voluntati res proponentem, quid quid dicat de actibus indeliberatis, de quibus nulla Catholicis cum Pelagianis controversia fuit, ut diximus sæpè. 182

Dicendum tertiò prima omnium vera excitans gratia, secundum quod aliquo modo distinguitur ab adjuvante, consistit in motione Dei supernaturali, quo illuminat intellectum ut sanctam cogitationem habeat, & supernaturali auxilio, quo afficit voluntatem ut indeliberatam affectionem eliciat. 183

Deindè ipsa sancta cogitatio & indeliberata supernaturalis affectio sunt gratia excitans in actu primo. Rursus illa cogitatio seu indeliberatus actus voluntatis sunt gratia excitans formaliter: per ipsos enim tam intellectus quam voluntas formaliter excitantur; at illa omnium prima motio est excitans effectivè sive intellectum, sive voluntatem ipsam. Itaque, quod est maximè considerandum, non solùm est statuenda gratia excitans ex parte intellectus movens objectivè & finaliter voluntatem, ita ut voluntas sic objectivè mota se moveat naturæ suæ viribus, & eliciat actum indeliberatum, quo formaliter excitetur: perversa enim ista sententia est quomodolibet id dicatur & explicetur, ut visum est modò, sed verè ex parte ipsius voluntatis constituenda est gratia excitans, quæ voluntatem quoad exercitium moveat respectu illius actus indeliberati, per quem ipsa formaliter excitari debet. Et hoc in conclusione ista tradimus & affirmamus. 184

CAPVT XII.

Idem magis explicatur ostendendo quid sit excitare seu excitatio, & satisfit argumentis.

QVæ ut magis innotescat & æquivocationes magis in hac parte præscindantur, oportet considerare quod ista vox excitatio, vel excitare, vel excitans gratia potest quadrupliciter sumi. Primo modo pro excitatione ex parte intellectus supernaturali, movente objectivè sive formaliter, sive metaphoricè voluntatem, & pro affectione voluntatis naturaliter sequuta ex illa, (sicut à multis ex doctoribus cum quibus agimus constituitur, ut relatum est modò): non autem pro impulsu voluntatis supernaturali ipsam movente ex parte voluntatis, & quoad exercitium actus. Et ista non est gratia excitans absolutè: de ipsaque verificatur quod non secedit à lege atque doctrina, ut S. P. Augustinus expressè docet *contra Pelagium lib. de gratia Christi citato cap.* 10. Et ratio est manifesta, quia illa tantùm objectivè movet, & proponendo objectum, quod ad legem & doctrinam pertinere perspicuum est. 185

Secundo modo sumitur excitans gratia pro supernaturali 186

Digitized by Google

naturali auxilio, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis in ipsa recepto, intellectum movente ad sanctam cogitationem, & voluntatem applicante effectivè ad illam supernaturalem actionem quoad exercitium actus, prout in conclusione explicatum est modò. Et hæc est vera prima gratia excitans, secundum quod ab adjuvante aliquâ ratione distinguitur, & solet appellari auxilium tantum sufficiens, prout infra explicabitur magis, sufficiens, inquam, respectu subsequentis actus liberi; nam respectu sanctæ illius cogitationis intellectus, & respectu actus indeliberati voluntatis efficax Dei motio est.

187 Tertio modo dicitur gratia excitans ipsa sancta cogitatio & actus voluntatis indeliberatus, quibus, ut dictum est, formaliter tum intellectus tum voluntas excitantur. Quarto modo, quod amplius est, solet aliquando à Sanctis Patribus sumi gratia excitans pro efficaci auxilio prævenientis gratiæ, quod verè facit nos facere, & hoc modo includit gratia excitans etiam ipsam verè adjuvantem, & hac ratione dicit Ecclesia, *Excita Domine corda nostra ad præparandas unigeniti tui vias.* Quis enim dubitet postulare Ecclesiam tali nomine excitationis talem præparationem, qua de facto & efficaciter corda nostra præparantur. Et tunc idem est gratia excitans quod gratia præveniens efficax. Ideo autem talis efficax gratia præveniens nomine excitationis appellatur vel significatur, quia excitatio est primum fundamentum illius efficacis gratiæ, & ut venit à Deo dicit ordinem & conjunctionem illa excitatio cum efficia operationis divinæ, & includit gratiam adjuvantem; sicut in scriptura dici solet, quod fides justificat. Id autem Concilium Tridentinum docet & explicat; quia fides est initium justificationis; & cum dicitur, quod fides justificat nomine fidei comprehenditur etiam gratia & charitas, sed quia fides est illarum fundamentum justificatio eidem sicut primæ radici tribuitur.

188 Superest explicare supposito quod Deus non tribuit auxilium excitantis gratiæ expendenti jam ex suis viribus credenda, vel alia pertinentia ad salutem, quomodo Deus sic nos moveat per suam excitantem gratiam. Ad quod dicendum est quartò; dupliciter nos Deus movet interius, cum nobis suam excitantem gratiam tribuit; primò objectivè sive ex parte objecti applicando & representando illud sub rationibus convenientibus ut in ipsum ferantur intellectus & voluntas; alio modo verè efficienter, sive ex parte principij efficientis dando vires, virtutem, & inclinationem ut potentiæ actus supernaturales eliciant. Rursus dupliciter adhuc nos Deus movet objectivè, seu ex parte objecti. Primò modo per immissionem novarum specierum, quibus repræsentatur objectum secundum rationem convenientis ad movendum potentiam tam intellectivam quam appetitivam. Secundo modo ordinando & disponendo species præexistentes, easque elevando ad esse supernaturale ut objectum supernaturale intellectui repræsentet.

189 Sed in hoc secundo modo est advertendum. Primò quod non quoties habet homo tales species, Deus eas sic ordinat & elevat, sed quando sibi placet. Secundò est advertendū quod si species fuerint naturalis ordinis, non eas ordinat Deus ad repræsentandum objectum ordinis supernaturalis; sed ut sic à Deo ordinentur supernaturaliter debent ipsæ fieri ordinis supernaturalis, saltem quantùm ad motum. Vbi etiam est considerandum quod ita illas elevat ad esse supernaturale ut non faciliùs dumtaxat seu dilucidius objectum supernaturale proponant, sed ut simpliciter & absolutè illud repræsentent; quia sine tali elevatione nullo modo illud repræsentare possunt, ut est satis notum. Tertiò est attendendum quod similes species aliquando Deus ordinat, & sic objectivè movet immediatè & per seipsum immutando & ordinando ipsas species; aliquando verò ministerio Angelorum qui commovent species intelligibiles secundum quas variæ in nobis excitantur cogitationes & affectiones. Quod docuit Sanctus Pater Augustinus. *lib. de grat. & libero arbit. cap. 21. in fine*, cum ait, si autem potens est (Deus scilicet) sive per Angelos bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, operatur enim per illos objectivè, & commovendo species, ut dictum est.

Et quidem quod sic operetur in cordibus malo- 190
rum nulla est difficultas; in cordibus autem bonorum operationes naturales bonas, etiam difficultas non est. Respectu verò operationum supernaturalium ipse immediatè tribuit supernaturales species; vel præexistentes naturales; supernaturales efficit ut dictum est. Nam secundùm alium modum operandi ex parte principij elicientis & verè effectivè movendo voluntatem, solus ipse Deus per se ipsum sic potest operari interiùs in cordibus hominum & ad istum modum operandi ex parte principij elicientis, qui soli Deo proprius est; duo concurrunt, alterum est infundere lumen intellectui ut præbeat assensum suum objecto præsentato, alterum inclinare voluntatem per actualem supernaturalem virtuosam motionem ad illud prosequendum, vel fugiendum, secundum quod ad salutem oportet. Itaque ut non semel dictum est, & species tribuit & lumen accendit, & intellectum efficaciter movet, ut illud objectum apprehendat & practicè voluntati proponat, & hoc fit ex parte intellectus; ex parte autem voluntatis auxilium tribuit supernaturale quo ipsam constituit in actu primo supernaturali & ipsam efficaciter movet ad actum indeliberatum & secundum, dando simul sufficientes & potentes supernaturales vires respectu ulteriotis actus liberi.

CAPVT XIII.

Gratiam prævenientem non solùm moraliter excitare ostenditur.

AVthores omnes cum quibus agimus in hac 191
parte conveniunt, solam excitantem gratiam esse prævenientem; nec adjuvantem quatenus distinguitur ab excitante ad gratiam prævenientem pertinere, de quo sequenti capite copiosè dicemus.

Dicunt secundò totam causalitatem excitantis suæ 191
prævenientis gratiæ esse moralem: quod illorum quidam expresè affirmarunt; ut ex assertionibus 72. 73. & 74. *num. 1. lib. relatis 1. p. tract. 6.* constat apertè, ut est Ludovicus Molina, & Franciscus Suarez ibi citati. Nam Franciscí Suarez verba sunt. *Denique tota hac causalitas reducitur ad motionem finis, qua metaphorica est, nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat, & quod timendum, horribilius, quod odio habendum, turpius.* Idem priùs re ipsa, licet non tam expresè author concordiæ proposuerat; *disputat. 39.* alias in impressione alia 40. §. *ex dictis.* Vbi sic habet *ex dictis intelligitur facilè unam, & eandem numero gratiam, quatenus excitat, allicit, & invitat arbitrium nostrum*

Digitized by Google

ad actus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi, appellari prævenientem & excitantem gratiam, eaque consideratione prævenire arbitrium nostrum ad hujusmodi actus.

193 Circa quæ illorum verba illud advertendum & diligentiùs considerandum, qua veritate à nobis dictum sit in fine secundi lib. in responsione ad objecta per Leonardum Lessium posteriùs in lucem edita eos qui dicunt gratiam prævenientem excitare tantùm moraliter, eam re ipsa ex parte voluntatis non constituere, quæ illi det veras sufficientes vires & verum posse supernaturale: ac per consequens nec verum prævenientis gratiæ auxilium sufficiens admittere, sed voce tantùm: sed illam ex parte intellectus collocare quæ objectivè solùm moveat, quod uterque supradictus Author modò relatus inductis nunc verbis satis expressit.

Quod si eam ex parte voluntatis ponant, est tantùm ut vires tribuat respectu actus indeliberati, nam comparatione ulterioris actus liberi eam solùm moraliter excitare constituunt; non verò quod ad illam sufficientes veras vires tribuat ut in suis libris semper tradiderunt. Cum Ludovicus Molina & Franciscus Suarez modò relatis consentit & supradictus Leonardus Lessius cujus & verba inducta sunt *primo nostro libro & secundo.*

194 Advertendum secundò quod per hoc non negant prævenientem gratiam esse in se quid physicum, cum dicunt illam consistere in sancta cogitatione & motu indeliberato voluntatis: qui actus absque dubio physici sunt in seipsis: sed tantùm asserunt quod respectu sequentis actus liberi voluntatem tantùm moraliter movent modo satis ab ipsis explicato. Imò quamvis dicant illam prævenientem gratiam, sive excitantem sive illos actus indeliberatos dare voluntati sufficientes vires, & verum supernaturale posse, verumque esse auxilium sufficiens; hoc tamen non rèipsa, sed sola voce publicant. Diximus, quamvis dicant saltem verbis illam prævenientem gratiam dare sufficientes vires voluntati: quia in supra relata & impugnata sententia Authoris concordiæ, quam & omnes alij nomine societatis defensarunt; auxilium prævenientis gratiæ non dat simpliciter vires voluntati ad operandum pietatis opera: sed tantùm ad faciliùs & meliùs ut manet denudatum.

195 Itaque cum dicunt gratiam prævenientem, quam solam excitantem constituerunt dare voluntati veras supernaturales vires sufficientes, ac verum supernaturale posse animæ tribuere respectu operationum supernaturalium ac per consequens verum esse auxilium gratiæ sufficiens; cum hoc supradictis eorum assertionibus apertè repugnet, vel id solis verbis affirmant, quia talis res est quod palam & apertè profiteri nequit: vel id intelligunt, dare nempè sufficientes vires ad meliùs & ad faciliùs, ut dictum est, vel tertiò asserunt dare veras sufficientes supernaturales vires respectu actus indeliberati; non autem respectu ulterioris actus liberi, sed respectu ejus tantùm objectivè, metaphoricè & moraliter, ut aiunt, movere, ut etiam *nostro primo libro* agentes de erroribus Pelagij, & Semipelagianorum notum dedimus alias sibi ipsis adinvicem contradicunt, dum ex una parte gratiam excitantem tantùm objectivè & moraliter asserunt movere arbitrium nostrum: ex alia contendunt illam verum supernaturale posse, & veras voluntati vires tribuere, ac verum esse auxilium sufficiens. Si enim veras sufficientes vires supernaturales voluntati tribuit ad actum liberum efficiendum, quomodo dicunt ad illum solùm movere moraliter? etenim movere moraliter solùm est movere per modum legis atque doctrinæ, ut ex Sancto Patre Augustino dictum est sæpiùs: quæ motio proindè veras vires voluntati non potest tribuere.

Motio enim solùm objectivè movens, quomodo 196
potest veras sufficientes vires voluntati tribuere; & quomodo potest id quod solùm movet per modum legis atque doctrinæ veras sufficientes supernaturales vires voluntati tribuere: Imò nec vires sufficientes etiam ad faciliùs potest dari motio solùm moraliter, objectivè, & metaphoricè movens, nec illa quæ tantum est moraliter movens etiam effectivè potest actum indeliberatum efficere, ut dictum est. 197

Vnde contra ipsos veritas est quam non semel in his operibus nostris tradidimus, quam nec repetere inutile putamus; quod nempè gratia excitans quatenus ab adjuvante distinguitur, sicut efficaciter movet voluntatem ut natura est ad actum indeliberatum; ita etiam sufficientes vires supernaturales voluntati tribuit ad actum liberum, ac proindè est verum auxilium sufficiens, ut jam 1. *nostro lib.* agentes breviter de excitante & adjuvante gratia, tetigimus, & ex insigni Salmanticensi Academia probavimus, & insuper excitat moraliter suadendo, de quo etiam *nostro* 1. *lib.* agimus contra errores Pelagianorum & Semipelagianorum & disputantes contra mediam scientiam.

Quare sine fundamento Leonardus Lessius dixit 198
omnes cum Molina convenire in hoc quod gratia excitans sit quid physicum, physicèque voluntatem moveat; & trahat atque inclinet ad consensum quomodo enim omnes cum Molina in hoc conveniunt; cum Molina ipse verbis expressis jam supra relatis solùm in excitante gratia, quatenus excitans moralem solùm causalitatem admittat, & clariùs Suarez aliàs relatus totam hanc causalitatem excitantis gratiæ dicat esse moralem, & methaphoricam solùm objectivè mouentem.

Quod verò nunc diximus quod auxilium quod 199
tribuit sufficientes vires voluntati, insuper excitat suadendo; non intelligimus, quod illud auxilium illa sui excitatione quæ se tenet ex parte voluntatis & tribuit vires sufficientes excitat suadendo, sed intendimus quod consilium quod sequitur ad illam excitat, & quod divina motio qua Deus movet ad illud Consilium moraliter & objective moveat suadendo, ut in 1. *nostro lib.* citato loco probavimus.

Nec juvat quod idem Leonardus Lessius intelli- 200
gat & explicare contendat supradictum nunc relatum authorem [qui expressè dixit totam hanc causalitatem esse moralem] de concursu quo gratia prævenies concurrit cum libero hominis arbitrio jam consentiente ad actum efficiendum; respectu cujus consensus asseruit non concurrere physicè ad consensum quatenus prævenies est, hæc enim explicatio primò contra aperta verba illius authoris relata procedit, in quibus palam ipse loquitur de gratia prævenient & excitante quatenus prævenies arbitrium est, non quatenus postea cum arbitrio jam consentiente, ipsa quasi novo influxu concurrit, & ut sic dicit totam ejus prævenientem causalitatem esse moralem. Secundò quia si ipse sentiret causalitatem illius prævenientis gratiæ quatenus prævenies est, physicam esse & physicè attrahere voluntatem ad actum; non negaret, quod postea consentiente jam arbitrio concurrit cum ipso etiam physicè. Imò ideo ipse negaret istum cum voluntate jam consentiente concursum physicum in illa gratia excitante; quia vidit quod quatenus est excitans solùm movebat moraliter; nec potuit postea in prævenient gratia solùm moraliter movente voluntatem, invenire concursum physicum ut cum voluntate actum efficeret; quia eadem virtute actum

cum

Digitized by Google

cum voluntate efficit, qua voluntatem ad illum efficiendum movet. Tertiò quia prædictus Author ad explicandum totam causalitatem, quam dixit esse solam moralem, esse causalitatem prævenientis gratiæ, quatenus præveniens est, illo utitur exemplo de Dracone *Apocal.12. Draco trahebat secum tertiam partem stellarum, non physica predeterminatione sed suasione*, quæ sunt illius verba. Demon autem solùm excitando ad malum, seu ad malum præveniendo, sic trahit ad malum, non autem simul influxu physico concurrendo tandem quia idem author, ut constat *ex 72. assertione superius relata*, addidit quod motus gratiæ excitantis non semper concurrit simul tempore cum concursu voluntatis, interdum enim præcessit gratia excitans per sanctam cogitationem & timorem, & postea sola recordatione illius timoris & motionis homo liberè convertitur, & incipit pœnitentiam agere, non est autem verisimile solam illam memoriam esse sufficiens principium supernaturale ad efficiendam conversionem, sed tantum concurrere proponendo objectum, igitur duo Author ille expressè asseruit. Primò prævenientem gratiam quatenus præveniens est, non movere voluntatem ad physicè agendum, sed solùm moraliter. Secundò ex hoc intulit, quod nec cum voluntate jam consentiente concurrit ut principium efficiens supernaturale, sed recurrit ad aliud principium supernaturale investigandum quod sit illius actus comprincipium effectivum; nempè ad Deum intimè assistentem, ut dictum est, supra, in quo dicendi modo author iste consequenter quidem loquitur, inferens quod si præveniens gratia quatenus præveniens solùm movet voluntatem ad actum liberum moraliter, quod eadem non potest esse principium effectivum simul cum voluntate ejusdem actus liberi.

201 Sed quod magis est nec Leonardus Lessius aliam prævenientem gratiam admittit nisi quæ moraliter tantum invitet, ut ex toto illo ejus libro citato redditur apertissimum. Vnde solis verbis asserit illam physicè movere, æquivocatione enim utitur hac videlicet, quod nimirum talis excitatio in se ipsa entitas physica sit & ut entitas physica moveat; non tamen quod efficienter & actu propriè seu causalitate physica voluntatem moveat ad consensum.

202 Sed adversus eum dicendum est primò, sustineri nullo modo potest causalitatem prævenientis gratiæ quatenus præveniens est, esse moraliter solùm suadentem, invitantem & allicientem, quod etiam asseremus contra illum priorem authorem concordiæ, quidem sentit, ut visum est, imò adversus omnes alios qui negant efficacem prævenientis gratiæ ex Deo esse efficacem independenter à libero hominis arbitrio, inter quos est Leonardus Lessius & alij plures.

203 Probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 6.* ubi expressè docet ut expendemus quæstione sequenti, ad gratiam prævenientem pertinere gratiam adjuvantem, supra excitantem, gratia autem adjuvans, ut manifestum est, non movet moraliter, sed verè adjuvat, verè dat vires voluntati ad consentiendum, imò verè efficienter facit consentire. Vnde non dubium, quin istorum sententia Concilio Tridentino contradicat, quod infra probandum est efficaciùs. Secundò non apparet in quo ista sententia ab illa per S. P. Augustinum ex Pelagio relata *lib. de gratia Christi à cap. 7. & sequentibus* distinguatur.

204 Quæstio enim cum illo fuit de vero adjutorio prævenientis gratiæ efficiente ut arbitrium consentiret, non de adjutorio sequente jam consensum arbitrij, de hoc enim nec quæstio fuit, nec potuit esse; nec per illud etiam stultissimi possent contendere, libertatem nostram tolli, sicut Pelagius contendebat. De illo ergo prævenientis gratiæ adjutorio, quo scriptura dicit quod Deus in nobis operatur & velle, quod Pelagius dogmati suo vehementer esse contrarium, hæc ipse concedebat. *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos & mutorum morè animalium tantùm modo præsentia diligentes futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est*, quibus verbis sicut illud Apostoli testimonium, (*Deus est qui operatur in nobis velle*) ex necessitate admittebat Pelagius, & non tantùm ad faciliùs ne dicatur (quod nimia contentione defenditur) non admisisse Pelagium ut simpliciter necessariam aliquam internam divinam revelationem. Confessus ergo tandem fuit Pelagius, necessarium gratiæ auxilium prævenies, quo Deus operaretur in nobis velle, sed illud dixit esse illuminationem, & interiorem revelationem, qua Deus proponendo beatitudinem & præmia, succendit voluntatem in ejus amorem; & qua proponendo timorem, retrahit à malo, & qua denique proponendo objectum, suadet omne quod bonum est, quod in 1. *nostro lib.* à principio ut arbitramur ex ipsius verbis Pelagij dedimus manifestum an verò hoc idem prævenies, adjutorium sit quod ab hoc authore exprimitur, ipsa sua verba testentur, quæ relata jam sunt, *quod per gratiam excitantem* (quam ipse dicit solam prævenientem) *fit ut objectum quod amandum proponitur honestius & amore dignius appareat.* Imò efficaciora sunt relata à S. Augustino verba, quibus dicebatur Deum sua revelatione in desiderium Dei stupentem hominis suscitare voluntatem; & illa alia relata quibus Pelagius dicebat. *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum Diabolo pandit insidias, dum nos multiformi & inefabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Quis dubitet utraque verba relata majorem energiam habere, pluraque de illo adjutorio prævenientis gratiæ dicere, quo Deus in nobis operatur & velle, quàm ista alia quibus supradictus Author prævenientis gratiæ adjutorium exponit? cum enim utraque adjutorium prævenientis gratiæ admittant quod tantum moraliter attrahat suadendo & proponendo objectum; illius tamen antiquioris verba hoc efficaciori modo explicant & plura de illo adjutorio proponunt.

Sed attendamus quid de illis prioribus verbis dicat S. P. Augustinus; & idem multo magis de his posterioribus dictum intelligamus, immediatè post primo loco citata verba, subdit Sanctus Doctor, *quid manifestius eum nihil aliud dicere gratiam, qua Deus operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam*, & post illa alia secundo loco inducta continuo Sanctus Doctor adjunxit. *In his omnibus non recessit à commendatione legis atque Doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans & hoc exequens quod promiserat, sed in Dei esse adjutorio confitemur. Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam & revelationem; & oculorum cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem Diabolicarum insidiarum, & multiformi & inefabili dono gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus, hoc est ergo Dei gratiam ponere in lege atque doctrina*, eadem omnino ratione cum modo audimus totam causalitatem prævenientis adjutorij 205

Digitized by Google

torij esse moralem, quia per hanc gratiam fit ut objectum quod amandum proponitur, honestiùs & amore digniùs appareat, quod timendum, horribiliùs, quod odio habendum, turpiùs; necesse est ut dicamus, manifestiùs eum nihil aliud dicere prævenientem gratiam, qua Deus in nobis operatur, quod bonum est: quam aliquid non recedens à lege atque doctrina; ad legem namque, atque doctrinam pertinet moraliter tantùm movere, metaphorice & finaliter, proponendo objectum amandum, per quod allicitur voluntas, excitatur, & invitatur ad illum volendum.

206 Præterea quomodo dicitur ab authore prædicto quod in Scriptura sicut dicitur Deus trahere ad bonum, ita Demon ad malum *Apocalip.* 12. *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum, non physica prædeterminatione, sed suasione.* An vult quod non ampliùs Deus trahat ad bonúm quàm Diabolus ad malum, nempè suasione & objecti propositione? Profectò hoc vult. Imò hoc expressè proponit: sed absit talis comparatio, procul à fidelium cordibus, sive hæc similitudo. Angelus enim malus objectum potest proponere, potest suadere, & sic invitare ad malum; at solus Deus est, qui intimè operatur in cordibus hominis, non suadendo vel revelando tantum, sed voluntatem inclinando, ipsam mutando, & transferendo de mala in bonam, & hoc modo ipse attrahit ad se quicumque ab eo attrahuntur; quæ est doctrina expressa S. P. Augustini contra Pelagium, Sancti Thomæ, Conciliorum antiquorum Milevitani Arausicani, & ultimi Tridentini; imò expressè in scriptura habetur, ut agentes infrà de efficacia gratiæ ostensuri sumus manifestè, nihil certè duriùs iste author potuit asserere contra divinam virtutem, potentiam, & gratiam, quàm nihil ampliùs dare divinæ attractioni ad bonum, quam diabolicæ suggestioni tribuit ad malum. Mirum est valdè ad quod præcipitium illos traxit illa contentio, qua virtutem & potentiam ac efficaciam divinæ prævenientis & prædeterminantis gratiæ auferre conati sunt. Quando enim nihil aliud esset quod eos à sua doctrina deterreret, meritò hoc solùm, quod ex illa oriri inspiciebant, eos debuerat totaliter ab illa separare; sed maluerunt potiùs nihil magis omnipotenti Deo tribuere quo homines attrahat ad bonum, quàm Diabolo concedunt per suggestionem attrahenti ad malum; & quam Dei efficacem virtutem confiteri. Profectò quod S. P. Augustinus alibi ad aliud non dissimile propositum dicit, *hanc doctrinam magis committo gemitibus Ecclesiæ confundendam, quam disputationibus meis.*

207 Dicet fortè se aliud Deo tribuere attrahenti ad bonum, quàm Diabolo incitanti ad malum, nempè illam intimam assistentiam, qua Deus cum voluntate bonum efficit actum: sed hoc nihil penitus excusat. Tum quia loquendo de attractione prævenient; de qua sermo est: nihil penitus Deo sic attrahenti tribuit ad bonum, quod Diabolo non concedat incitanti ad malum. Secundò quia ut supra denudatum est, & probatum, illa intima assistentia Dei quæ ad hunc finem confingitur, nihil penitus est; unde sic se habet ac si nunquam poneretur, & per consequens in omnibus nihil aliud Deo tribuit ad bonum actum attrahenti, illudque efficienti; quod Diabolo non concedat ad malum incitanti.

208 Tandem quod consequenter apponit in *assertione* 74. relata *libro* 1. ex dictis manet perfectè refutatum, qua asseruit. *Multum à Sanctorum Patrum, potissimè Augustini mente aberrare, qui de physica prædeterminatione interpretantur loquutiones illas, quæ ex Divina Scriptura sumuntur, & apud Sanctum Augustinum sunt frequentes, Deus facit ut velimus, facit ut faciamus, operatur in nobis velle, & similes: hæc enim omnia quatenus aliqua ratione soli Deo tribuuntur, dicta sunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter regentis & dirigentis gressus nostros, vocando, excitando, & inspirando. Quatenus vero nostra cooperatio, & liber consensus requiritur, tribuuntur Deo ut principali cooperatori.* Quatenus inquit soli Deo tribuuntur, id est quatenus prævenientem gratiam important; ut sic enim soli Deo tribuuntur, dicta sunt ratione gratiæ excitantis & moraliter attrahentis; unde semper in fundamentali sua doctrina perseverat, quod videlicet gratia præveniens, quatenus præveniens, sit tantum moraliter & objectivè movens. Vnde quatenus sonant illa scripturæ testimonia ab ipso allata prævenientem gratiam (ipsam enim patentissimè sonant) secundum authorem istum solùm Deo moraliter attrahenti tribuuntur. Quatenus autem nostra libera cooperatio requiritur, Deo ait tribui sicut principali cooperatori.

Sed hanc quam dicit principalem Dei cooperationem pro actibus antecedentibus justificationem, 209
constituit ipse per illam intimam Dei assistentiam superiùs impugnatam, quæ nulla cooperatio est; respectu autem actuum sequentium justificationem, per habitus infusos dicit fieri hanc cooperationem quæ etiam est cooperatio sequens consensum arbitrij applicantis habitus illos ad cooperandum, ut dicemus infrà. Vnde nullam veram Dei cooperationem admittit; sed vel nullam in priori casu, vel naturæ debitam & sequentem arbitrij consensum in hoc secundo quod ampliùs redditur manifestum ex tota ipsorum fundamentali doctrina. Ipsi enim prævenientem gratiam, ut dictum est; ponunt solum moraliter, objectivè & metaphoricè movere ad actum liberum: adjuvantem verò seu cooperantem gratiam, quam vocant: dicunt non influere in voluntatem, sed cum ipsa immediatè in actum & operationem ejus: ergo nullo modo ponunt auxilium dare veras vires supernaturales etiam sufficientes voluntati: nam illa prævenient, cum tantum moraliter & objectivè objectum proponat: per hoc vires supernaturales voluntati non tribuit: quis enim dicat quod proponens objectum potentiæ, per solam hanc objecti propositionem vires tribuat potentiæ; si illas ipsa non habeat; per adjuvantem autem gratiam quam dicunt comitem seu cooperantem, clariùs constat quod vires voluntati non tribuat cum illa Dei cooperatio in voluntate non ponatur sed in actionem, & operationem ipsam voluntatis dicatur immediatè influere. Sed redeundo ad explicationem illorum testimoniorum, quatenus prævenientem gratiam important; quis non videat authorem hunc, illud Apostoli testimonium, Deus est qui operatur in nobis velle, cum aliis similibus, quæ in scriptura inveniuntur; eodem prorsus modo explicare, quo illud priùs exposuit Pelagius relatis nunc locis. Quid dicebat Pelagius cum sibi opponebatur illud Apostolicum testimonium, quod videbat dogmati suo vehementer esse contrarium? *operatur, asserebat, in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorũ pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est:* & sic prædictum testimonium exponebat. Quid modo hic author asserit, & quomodo idem testimonium exponit, quod etiam sententiæ suæ videt esse contrarium? *hæc*, inquit, *dicta sunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter regentis*, quam moralitatem exposuit consistere in propositione objecti, in illuminatione & revelatione, seu voluntatis suscitatione.

Digitized by Google

citatione. An non eadem in omnibus & per omnia explicatio est, de qua superiùs inducta S. P. Augustini verba testantur atque convincunt, quod non recedit à lege atque doctrina, nec veram Christi gratiam agnoscit? Contendit multum à S. P. Augustini mente aberrare qui prædictum testimonium exponunt de vera & efficaci præveniente gratia physicè, seu verè effectivè prædeterminante qua Deus operatur in nobis velle. Sed dolendum est quod ipse non videat expositionem suam tanto S.P. Augustino esse contrariam, quanto eadem prorsus est cum illa, quam Sanctus Doctor tam patenter expugnavit.

210 Ludovicus itaque Molina & Franciscus Suarez, ut ostensum est supra dixerunt nullam excitantem gratiam supernaturalem ex parte voluntatis requiri, quia quæ tantum objectivè movet per intellectum constituerunt; at Leonardus Lessius & si qui sunt alij qui illam ex parte voluntatis admittant, asserunt illam duplex officium exercere, unum respectu actus indeliberati, alterum respectu actus subsequentis liberi; respectu quidem actus indeliberati, ad quem immediatè excitat, dicunt illam physicè seu efficaciter illum efficere & voluntatem ut natura est, ad illum physicè seu verè efficaciter movere. Comparatione verò subsequentis actus liberi tantum moraliter invitare; quia voluntas per illum actum indeliberatum afficitur & moraliter excitatur ad actum liberum producendum, cum ad ipsum afficiatur & inclinetur. Vndè cum omnes hi authores dicant illam excitantem gratiam solùm moraliter excitare apertè loquuntur respectu subsequentis actus liberi, comparatione cujus nullam aliam ei tribuunt causalitatem præter solam moralem; non autem negant aliam physicam & veram efficacem respectu actus indeliberati, ad quem immediatè excitat physicè seu verè efficienter; quod etiam ut dictum est sæpè sola voce videntur asserere, sed dato id reipsa constituant, nihil omnino retulerit. Sed nec in hoc ultimo insistamus, sed eis demus quod non solùm verbis sed reipsa admittãt excitationem qua voluntas effectivè movetur ad actum indeliberatum, quod ille talis indeliberatus actus largo modo moraliter moveat voluntatem. Hoc enim nihil omnino facit ad rem de qua cum ipsis agimus. Sed in hoc instamus, quod nullam prævenientem gratiam admittunt quæ det vires nedum efficaces, sed nec sufficientes voluntati, & sic quod negent verum auxilium sufficiens ut probatum est; quia excitatio moralis objectivè movens, vires voluntati non tribuit, nec per adjuvantem gratiam quam dicunt simul cum voluntate actum efficere, vires dantur voluntati, cum secundum eos illa non agat in voluntatem sed tantùm in actum producendum.

CAPVT XIV.

Idem amplius ostenditur.

211 PRæcipuus finis ad quem prædictus author ordinat supradictorum testimoniorum præfatam explicationem, ille est, quem & ipse in sua assertione proposuit, nempè ut neget prædeterminantem gratiam de qua testimonia illa illi videbantur procedere.

212 Si ergo ut prædeterminans gratia negetur, necesse est prædicta scripturæ testimonia intelligere & explicare de morali illa excitatione & objecti propositione, quam statuit, & ista explicatio ut manet denudatum, eadem in terminis est cum antiqua illa relata, quam Sanctus Pater Augustinus refert & impugnat, manifestum est quod sicut ista moralis excitatio à S. Augustino damnatur; ita apposita prædeterminans gratia approbatur atque defenditur.

Deinde, nulli poterit esse dubium quin idem omnino sit movere Deum moraliter, vel adjuvare moraliter, & movere seu adjuvare per modum legis atque Doctrinæ. Hæc enim duo planè æquivalentia sunt, ut omnes etiam grammatici norunt: quia movere per modum legis atque doctrinæ est movere finaliter, metaphoricè & objectivè proponendo objectum quo allicitur, excitatur, & invitatur voluntas: omnia enim ista lex atque doctrina facit ut est apertissimum. Cum ergo secundum hos authores movere seu adjuvare moraliter; sit finaliter & metaphoricè & objectivè movere proponendo objectum, quo voluntas allicitur, excitatur, & invitatur: fit manifestum movere moraliter esse movere per modum legis atque doctrinæ, quod cum præcipua sit damnata sententia Pelagij, etiam movere tantùm moraliter ipsissima erit illius sententia damnata addendo, ut diximus, quod nullam aliam veram cooperationem hic author admittit sicut nec Pelagius, pro actibus antecedentibus justificationem. Quod si pro operibus sequentibus justificationem cooperationem habitoum admittit, quam Pelagius non posuit, illam tamen Iulianus constituit, cum quo & reliquis scilicet Cassiano & Fausto convincitur in hoc ultimo convenire ut supra nostro primo libro dedimus manifestum. 213

Tandem omnia illa scripturæ testimonia, quæ ut diximus apertè sonant gratiam prævenientem, velle explicare de impropria & metaphorica causalitate, non de activa & propria; est totam scripturam quæ illis locutionibus abundat, ad improprium & metaphoricum sensum coarctare, & illius proprium sensum auferendo, negare undè facilimè poterit quæstio tota ista terminari declarando scripturam in illis locutionibus non in sensu improprio & metaphorico, sed in proprio sensu, prout verba sonant procedere, hac enim determinatione omnia quæ tanta concertatione ventilantur, penitus auferrentur. 214

Hinc convincitur quantùm Leonardus Lessius à veritate declinet, & quam evitandam doctrinam proponat, cum ait parum referre ad Ecclesiæ doctrinam, utrum dicas auxilium prævenies Physicum influxum habere in opus, aut solùm moralem suadendo & alliciendo: de hac enim nunquam fuisse quæstionem in Ecclesia: & satis esse confiteri nos nihil boni posse nisi auxilio divino præventi & adjuti fuerimus: utrum vero auxilium præveniens adjuvet physicè aut moraliter, relinqui scholis disputandum. Constat enim ex dictis ad Ecclesiæ doctrinam pertinere prævenientis gratiæ auxilium, non per modum moralitatis, seu legis atque doctrinæ tantùm hominum adjuvare voluntates, sed verâ ac propriâ efficientiâ & causalitate nostras adjuvare voluntates. Constat hanc fuisse olim veritatem à sanctis Patribus contra Pelagianos traditam: constat de hoc præcipuam olim fuisse ventilatam quæstionem, & infra constabit apertiùs eam per sanctos Patres, Summos Pontifices, & Concilia fuisse definitam: Constat denique id quod supra ex ipso posuimus; ipsum videlicet nullo modo influxum verè efficientem seu physicum gratiæ prævenienti tribuere, quo verè physicè seu actu propriè voluntatem moveat ad consensum liberum: sed tantùm admittere influxum, seu causalitatem moraliter; quam sicut cum omnibus suis communem admittit. Ita per illam non recedere commen- 215

Digitized by Google

datione legis atque doctrinæ pariter monstratum est. Vnde hujus authoris commentum ab omnibus est penitus rejiciendum, & longè à scholis eliminandum, quia hâc brevi sententia (ut cum sancto Prospero in simili dicam) penè totum Pelagianum dogma confirmat.

216 Dicendum deinde: quoties homo convertitur simul tempore gratiâ Dei prævenitur. Nec modo disputamus, quæ gratia sit ista præveniens, quia de hoc infra copiosiùs tractaturi sumus: sed solum asserimus contra relatam illius authoris citati sententiam, prævenientem gratiam, semper simul tempore esse quando homo convertitur, nec tempore antecedere & solam illius posteà memoriam concurrere simul ac convertitur homo. Et ratio est manifesta: quia ipsa conversio effectus est prævenientis gratiæ: ergo semper adest præveniens gratia quando ille effectus fit. Dices sat esse quod moveat virtualiter ex eo quod tempore præcessit talis præveniens gratia, & maneat virtualiter in memoria ex recordatione illius, ut prædictus author opinatur.

217 Ad quod tamen respondendum solam memoriam & recordationem prævenientis gratiæ non continere prævenientem gratiam in virtute, unde nec per illam posse effici conversionem. Itaque ut clariùs id constet, supponamus ante unam horam Deum suâ gratiâ excitasse Petrum ad pœnitentiam, cui excitationi ille tunc restitit: & post horam solis suis naturæ viribus sine alio gratiæ adjutorio recordatur illius excitationis: certè manifestum est, quod si tunc ille convertitur, solis suis naturæ viribus absque alio gratiæ adjutorio recordatur illius excitationis, certè manifestum est: quod si tunc ille convertitur, solis suis naturæ viribus convertatur; quia nullum prorsus habet supernaturale principium ut converti possit; imo nullam supernaturalem excitationem, recordatio enim præteritæ excitationis voluntatem supernaturaliter non excitat, nec excitare potest, aut aliquas supernaturales etiam minores vires voluntati ad convertionem tribuere.

218 Secundò quod amplius est, quando realiter est illa excitatio, si ampliori auxilio non prævenitur voluntas, nempe verâ gratiâ adjuvante, homo non convertitur, quod infra demonstrandum erit copiosiùs; ergo multominus convertitur solâ & præcisâ illius recordatione. Non tamen negamus quod transactâ excitatione per aliquod tempus, homo converta tur, cum iterum reducit in memoriam illam excitationem: sed quod asserimus est: non ex vi illius memoriæ vel recordationis converti de facto, aut converti posse; imò nec ex vi alterius excitationis, quam Deus illi infundat per talem recordationem, convertitur homo, sed ex vi efficacis prævenientis gratiæ, ideſt, excitantis & adjuvantis gratiæ, ut docet Tridentinum Concil. *sess. 6. de justif. cap. 5.* quam efficacem gratiam potest Deus tribuere faciendo eum recordari illius excitationis ad pœnitentiam, & suæ pravæ resistentiæ, & faciendo per excitantem & adjuvantem gratiam quod de hoc pœniteat, & de facto convertatur.

219 Dicendum tertiò minùs consequenter loquitur author Concordiæ, cum ait, prævenientem gratiam solùm moraliter excitare ad actum liberum, suadendo, invitando, & alliciendo tantùm; & posteà consentiente jam libero arbitrio; illa præveniens gratia cooperatur physicè eundem actum. Probatur primò quia præveniens gratia ita cooperatur arbitrio, sicut ipsum prævenit: si ergo illud tantùm moraliter prævenit, moraliter & non aliter dicetur ei cooperari. Vnde alius author supra relatus in hoc consequentius loquutus fuit falsitatem ex falsitate consequenter inferendo. Itaque quamvis ipsi sentiant illam prævenientem gratiam esse actus physicos & reales in seipsis, tamen asserunt in ordine ad inclinandum arbitrium in actum liberum moraliter tantùm movere, sicut proposita alicui doctrina in se quid reale & physicum est, tamen solum moraliter movet voluntatem ad agendum.

Secundò, illa cooperatio gratiæ, quæ dicitur 220
physica, quando possibilis esset, cooperaretur arbitrio, quia arbitrium ex se vult excitationi consentire, quod planè dicunt, cum aiunt, quod consentiente jam arbitrio gratiæ excitanti, illi cooperatur gratia prædicta: ergo ex priori merito ipsa daretur & sic non esset gratia, sed naturæ debita; adjuvaretur enim arbitrium, quia consentire voluit, non autem adjuvaretur per eam ut consentire vellet, quæ est illorum doctrina, quos sanctus Prosper & Hylarius referunt *Epistolis ad Augustinum*, ut *nostro 1. libro* diximus & alibi non semel.

Tertiò ponitur per talem cooperationem, quæ non 221
agit in arbitrium sed immediatè in actum illius, liberum hominis arbitrium firmum & forte ad consentiendum solis suis naturalibus excitationi morali seu interiori legi, atque doctrinæ, quæ doctrina à quo primo tradita fuerit manet 1 *nostro lib.* satis ostensum. Sed quod addendum est, illa cooperatio ponitur penitus impossibilis: si enim jam inchoat arbitrium sine illa cooperatione suum consensum, sicut sine illa inchoare potuit, ita & eundem actum potest perficere: Imò de facto eum perficit, quia cum simplex & indivisibilis sit consensus voluntatis; vel totus vel nihil attingitur. Si ergo ab arbitrio antè gratiæ cooperationem inchoatur, totus attingitur; unde nihil posteà efficiet subsequens illa gratiæ cooperatio, sed verbis tantùm astruitur.

De hac ratione, quæ S. P. Augustini est *lib. de* 222
prædest. sanct. cap. 2. plura nos dixisse recordamur 3. *lib.* quibus hanc rationem efficacius fundavimus, quæ proindè ibi videnda sunt. Vnde convincitur non poni gratiam cooperantem hanc ut necessariam ad singulos actus, cum ad potissimum, qui est ille consensus arbitrij, necessario non ponatur, supposito quod illum ex se solum arbitrium potest elicere.

Vltimò, quod jam insuperioribus satis ostendi- 223
mus, modo omnino impossibili illa cooperatio statuitur, ut nempè jam consensui libero à voluntate inchoato ipsa ab extrinseco copuletur, quasi superveſtiendo talem assensum, quod planè vitali operationi elicitur à potentia repugnat. Nec enim ei ab extrinseco quidquam potest adjungi; unde sicut supra etiam ex authore quodam contrariæ sententiæ relatum est, gratia illa quæ in actu ab arbitrio non fit, non potest actum reddere supernaturalem, sed voce tantùm dicitur per illam supernaturalis actus & sic Concilia eluduntur, & gratia pro supernaturalibus actibus necessaria penitus enervatur, ut rectè ille author astruxit.

Dicendum quartò: qui ex istis authoribus dicunt 224
gratiam excitantem duo efficere, primum dare sufficientes vires voluntati. Secundum moraliter allicere, suadere & invitare, sicut posuit Leonardus Lessius, conformiùs ad veritatem loquuntur, si non solis verbis sed re ipsa & in veritate id constituant. Probatur primum: vera enim gratia excitans ex parte voluntatis utrumque debet efficere ut recedat à commendatione legis atque doctrinæ; nec enim id præstare poterit si solùm & præcisè moraliter tantum alliciat, ut probatum est supra. Deindè vera gratia excitans est verum auxilium sufficiens gratiæ: ergo veras debet dare voluntati sufficientes

Digitized by Google

ficientes vires, quia auxilium verum gratiæ veras animæ vires tribuit, vel sufficientes, si tantum fuerit sufficiens: vel efficaces, si fuerit efficax.

225 Dixi, si in veritate ponant gratiam excitantem dare veras animæ vires, & non voce tantùm; quia cum alias ipse author sicut & cæteri familiæ suæ teneat, quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus in eodem actu vel opere gratia excitans tribuatur, & iste modus constituendi gratiam excitantem sit impossibilis, ut nunc & supra ostensum est, sit consequens reipsa & in veritate eos non admittere veram excitantem gratiam quæ veras supernaturales det animæ vires.

226 Est, inquam impossibilis, quia illam gratiam sub priori merito ponit & naturæ debitum: quæ gratia nullo modo est, licet voce dumtaxat gratia excitans appelletur. Etenim cum ab ipsis omnibus constituatur solùm moraliter, sive per modum interioris legis atque doctrinæ movere hominis arbitrium ad liberum consensum, quomodo ei tribuit sufficientes vires ad efficiendum illum liberum actum? Nec enim excitatio movens ad normam legis atque doctrinæ veras vires potest voluntati tribuere.

227 Vt igitur quasi in epilogum redigamus quæ ipsi affirmant de excitante gratia, quam solùm ad prævenientem volunt pertinere, hæc de illa ipsi constituunt: primò gratiam excitantem ex parte intellectus infallibiliter dari facienti quod in se est per naturalem cogitationem circa ea quæ ad fidem, vel pœnitentiam pertinent, in quo duo impossibilia asserunt: Primum illam excitantem gratiam veram gratiam non esse, sed naturæ debitam, & ex priori illo merito bonæ voluntatis reddi reipsa affirmant. Secundum modo impossibili componi ab extrinseco cum actu à potentia vitali elicito.

228 Asserunt secundò illud auxilium prævenientis gratiæ ex parte intellectus dari, ut meliùs & dilucidiùs res pertinentes ad salutem expendantur. In quo non ad simpliciter, sed ad faciliùs seu meliùs dicunt necessariam esse talem excitationem ex parte intellectus.

229 Tertiò dicunt, præsupposita illa sic facta supernaturali cogitatione oriri in voluntate affectum naturaliter, cui etiam ab homine incepto se inserit Deus per auxilium gratiæ excitantis ex parte voluntatis. In quo duo impossibilia etiam dicunt: Primum, ad illum affectum inchoandum non esse necessariam gratiam, sed posse solum arbitrium sine illa positum supernaturali revelatione, illum habere circa revelationem talem. Secundum etiam constituunt modo impossibili illam compositionem auxilij cum illo actu jam incepto à voluntate. Affirmant quartò multùm pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur prædictam gratiam excitantem.

230 Dicunt quintò illam esse tantùm prævenientem gratiam excitantem. Asserunt sextò totam causalitatem gratiæ prævenientis esse moralem, videlicet suadendo, invitando & alliciendo præcisè ad actum liberum.

231 Contra quam excitantem gratiam, quæ ut visum est, multiplici ex capite gratia excitans vera non est, etiam nos breviter reassumendum arbitramur, quæ sit vera gratia excitans, & quomodo fiat.

Vt ergo quæ de illa rectè sunt dicta, quasi ad praxim reducamus; omnium primò Deus objectivè movet intellectum, vel novas immittendo species, vel præexistentes ordinando ad repræsentandum, ut conveniens id quod ad salutem oportet, sive pertinens sit ad fidem, sive ad pœnitentiam.

232 Secundò lumen supernaturale intellectui infundit illi objecto proportionatum, quo intellectum facit attendere ad objectum tale, ut illud sicut convenientiùs apprehendat. Tertiò intellectum movet ut practicè tale objectum voluntati sine discussione proponat sub illa ratione convenientis, & hæc est gratia excitans ex parte intellectus. Quartò voluntati vires tribuit supernaturales per illam virtuosam motionem, ipsamque applicat & inclinat, ut actum indeliberatum circa tale objectum sibi repræsentatum eliciat, quo indeliberatè illud objectum sub ratione convenientis appetat.

Quintò sicut efficaciter movet illâ excitatione ad 233
actum non deliberatum, ita per eundem veras sufficientes vires tribuunt ad actum liberum. Per talem volitionem seu intentionem boni convenientis voluntas intellectum movet ut judicet, an sit liberè illi excitationi consentiendum. Vel ut formaliter sit sermo ipse Deus suâ excitatione & efficaci motione voluntatem actuatam illa indeliberata volitione efficaciter movet, ut intellectum applicet ad consiliandum: qua ratione illud primum consilium non voluntati aut homini ipsi sed Deo tribuitur.

Septimo & ultimo movet ut intellectus practicè 234
per Imperium voluntati proponat consentiendum esse illi divinæ excitationi & hîc finitur totus discursus totumque officium gratiæ excitantis: nam, ut infrà explicandum erit copiosè, post hæc incipit officium & munus adjuvantis gratiæ.

CAPVT XV.

Quisnam sit proprius effectus gratiæ excitantis quatenus excitans est.

QVamvis ex modo dictis satis constet quis effe- 235
ctus proprius sit excitantis gratiæ quatenus est excitans, id tamen libet paulò ampliùs explicare, nec hic agimus de gratia excitante exteriore secundum quam ut S. P. Augustinus docet invitationibus & suasionibus agit Deus ut velimus & credamus, de qua etiam extrinseca excitatione quæ fit per sermonem vel aliud simile extrinsecum alibi loquitur: hæc enim est excitans tantùm secundùm quid, ut est satis notum. Nec etiam de gratia excitante interiori tenente se solùm ex parte intellectus, quæ est illuminatio seu revelatio; quæ licet perfectior sit illa exteriore, non tamen est absolutè & simpliciter gratia excitans, sed cum addito excitans ex parte intellectus. Sermo itaque fit de vera & completa gratia excitante, quæ proindè absolutè & simpliciter dicitur gratia excitans quæ comprehendit primò motionem quâ Deus intellectum illuminat, & secundò impulsum quo voluntatem excitat ad aliquod bonum efficiendum, ut copiosè dictum est supra.

De hac ergo excitante gratia completa loquendo, 236
dicendum primò quod quâ parte excitat intellectum, habet pro proprio effectu, facere intellectum subitò evigilare ut attendat ad illa quæ ad amplectendum bonum & fugiendum malum conducere possunt: per illam enim illuminat Deus intellectum ut videat quam malum sit peccatum; & quam bonum ad Deum converti, & similia. Itaque subitaneus, & indeliberatus ille actus quo ipse evigilat & attendit ad ea quæ pertinent ad salutem, & illa sine deliberatione proponit voluntati ut convenientia, est effectus proprius excitantis gratiæ ex parte intellectus: effectivè enim ipsum, & efficaciter sic excitat, excitatusque intellectus id quod ad salutem pertinet apprehendit, & practicè voluntati ut conveniens, sine deliberatione tamen,

Digitized by Google

ut necessariò amandum proponit: atque initiativè, radicaliter seu originaliter moraliter excitat.

237 Quâ parte verò est excitans ex parte voluntatis, per eam Deus causat quosdam supernaturales motus etiam indeliberatos voluntatis quibus remotè & initiativè disponit hominem ad justificationis gratiam; vel si jam est justificatus ipsum excitat, ut de facto habeat alios indeliberatos actus, quibus eum etiam excitando disponit, vel ad opera pia exercenda, vel ad perseverandum in justitia: hujusmodi sunt indeliberati & subitanei motus timoris inferni, spei beatitudinis, pia desideria alia, & affectiones variæ quæ liberum consensum antecedunt. Itaque omnium prima gratia excitans, quatenus est primo excitans tam ex parte intellectus quam voluntatis, semper habet pro immediato effectu supradictos actus indeliberatos, semperque talis excitans gratia habet inseparabiliter illos effectus conjunctos. Vnde respectu illorum semper est efficax, semperque illum sortitur effectum. In hac communis convenientia est.

238 Sicut autem est efficax ad illos actus indeliberatos causandum: ita sufficiens est ad ulteriores actus liberos efficiendum; respectu enim actus indeliberati dat efficaces vires, & efficaciter movet ad illum: comparatione verò actus ulterioris liberi dat vires sufficientes.

239 Dicendum secundò illi indeliberati actus qui immediati effectus sunt illius primæ gratiæ excitantis, quique dicuntur gratia excitans secundariò, seu in actu secundo, sunt quibus voluntas applicat intellectum ad consiliandum an illis sit consentiendum. Et hunc effectum semper infallibiliter sibi habent conjunctum. Vnde etiam respectu hujus semper illa gratia excitans est efficax; efficaciter enim illa inducit effectum. Nam actuata voluntas per illam indeliberatam volitionem intellectum applicat efficaciter ut judicet an illi sit consentiendum: ergo ille effectus semper cum illa excitante gratia conjungitur. Patet antecedens, nam qui indeliberatè vult aliquid per modum finis, si illud efficaciter vult, eo ipso necesse est ut velit ea quibus obtineri potest. Vnde eo ipso debet movere intellectum ut judicet an illi sit consentiendum, quia per talem consensum ille obtinetur.

240 Vnde quod intellectus deliberet, habet à voluntate sic efficaciter à Deo excitata per suum indeliberatum actum, & à Deo qui excitatione suâ fecit voluntatem habere talem actum indeliberatum. Quâ ratione illa prima intellectus deliberatio, seu illud primum consilium non tam voluntati ipsi, quam Deo tribuitur, ut ex Aristotele tradit S. Thomas *cap. 2. quæst. 9. art. 4. & 109. art. secundo ad secundum.* Quare sicut in fine præcedentis capitis diximus, ut proprius & formalis sermo sit, non ipsa voluntas sic excitata & affecta actu indeliberato, sed ipse Deus per auxilium, quo illum sic excitaverit intellectum, movet ad primum illud consilium, & hac ratione tale primum consilium ut S. Thomas *citato nunc loco* docet non voluntati seu homini ipsi sed Deo tribuitur, quia non voluntas sed ipse Deus ad illud movet; ad alia autem consilia sequentia præter illud primum voluntas se movit per priorem volitionem finis liberam quoad exercitium, & talia consilia hominis voluntati, & ipsi homini tribuuntur, ut perpetua doctrina S. Thomæ est *1. 2. quæst. 12. 13. & 14.*

241 Dicendum tertiò hanc efficaciam habet, tam illa omnium prima gratia excitans in actu primo quam illa in actu secundo, ex absoluta & efficaci voluntate Dei, quâ vult ut ille effectus infallibiliter obtineatur. Probatur: quia quod de facto aliquis bonus actus sive effectus habeatur, ex Dei absoluta voluntate id efficere volente obtinetur: ergo hanc efficaciam habet utraque illa gratia excitans explicata in virtute absolutæ Dei voluntatis id efficaciter volentis, & efficaciter per illam gratiam excitantem applicantis & moventis tum intellectum, tum voluntatem ad illos effectus producendos.

Dicendum quartò: tota hæc relata & explicata 242
efficacia est efficacia secundum quid tantùm, non autem absolutè simpliciter probatur nam efficacia gratiæ, quæ absolutè efficax dicitur, est illa, quæ nos facit liberè excitationi consentire, vel quâ nos facit ad Deum converti, ut justificemur, vel quæ efficit nos post justificationem piè & sanctè operari, vel denique quæ nos perseverantes facit, quæ omnium est perfectissima gratia efficax; his enim quatuor modis (ut infrà suo loco dicetur) datur gratia efficax, quæ simpliciter & absolutè efficax est, licet inter illas una alia sit magis perfecta secundum quod magis vel minus perfectum actum in nobis efficit. Igitur gratia efficax simpliciter & absolutè in hoc substantialiter consistit, quod efficaciter efficiat nos liberè consentire: variatur autem secundùm majorem vel minorem perfectionem, secundùm quod perfectiorem, vel minùs perfectum actum liberum in nobis efficit.

Vnde cum Doctores communiter in hac materia 243
loquantur de efficacia gratiæ, non loquuntur de ista, quæ secundum quid est, sed de illa quæ est absolutè & simpliciter talis, quam & modo brevissimè tetigimus copiosiùs infrà suo proprio loco explicandum. Et cum efficacia gratiæ simpliciter & absolutè in hac materia profertur, pro illa quæ absolutè talis est non pro ista, quæ tantum est secundum quid, manifestè supponit. Quod ex eo fit manifestum, quia efficacia gratiæ simpliciter prolata condistinguitur contra gratiam, quæ solet dici sufficiens; sed ista sic nominata sufficiens est illa excitans gratia quæ explicata est, ut sequenti capite ostendetur, & ista excitans & sufficiens gratia habet illam efficaciam secundùm quid explicatam: ergo efficacia gratiæ contra istam condistincta non potest esse ista secundum quid, nec potest pro illa supponere, sed pro alia quæ simpliciter & absolutè efficax gratiæ est.

Præterea id constat, quia efficacia gratiæ simpli- 244
citer & absolutè prolata est propriè gratia adjuvans ut distinguitur ab excitante: ergo est alia efficacia ab illa, quæ pertinet ad excitantem, nimirum absolutè & simpliciter gratia efficax distincta ab hac secundum quid, quæ in excitante gratia comprehenditur.

Dices: divina voluntas ut causans hanc efficaciam 245
secundum quid, eritne dicenda voluntas Dei efficax secundum quid? Ad quod dicendum, quod in se ipsa divina voluntas absolutè, & efficaciter volens aliquid non potest dici efficax secundum quid, sed respectu voliti, quod non est efficax absolutè & simpliciter seu comparatione gratiæ tributæ, quæ non est efficax absolutè atque simpliciter, poterit dici efficax secundùm quid, id est tribuens gratiam efficacem secundum quid.

Hinc dicendum est quintò & ultimò: actus deli- 246
berati timoris, fidei, vel spei, vel quicumque alij deliberati, quantumvis imperfecti, quibus excitatur, & allicitur seu disponitur remotè homo ad alios perfectiores habendos, nempè ad contritionem, seu ad actum charitatis (quos propterea supra nos dixisse recordamur posse dici gratiam excitantem respectu illorum sequentium perfectorum) non sunt effectus gratiæ excitantis quatenus excitans est, sed effectus sunt gratiæ adjuvantis, & illius

quæ

Digitized by Google

quæ absolutè & simpliciter efficax est.

247 Itaque gratia excitans quatenus excitans nullum actum deliberatum, etiam imperfectum, dummodo sit actus absolutus, habet pro effectu, nec aliquem talem de facto sola illa producit: diximus, dummodo sit actus absolutus; nam forsan non repugnat quod velleitates liberæ, quæ etiam possunt esse de re impossibili, à gratia solùm excitante habeantur, quod ad præsens, quia minus necessarium est, disçutere nolumus.

248 Probatur ista veritas, nam per hujusmodi actum deliberatum & imperfectum nos non vocamur à Deo, nec per illos excitamur ut credamus, speremus, seu diligamus; sed potius per illos nos Deo jam vocanti & excitanti respondemus, consentiendo & cooperando eosdem actus liberos licet imperfectos; sed quod consentiamus & cooperemur Deo vocanti & excitanti, est effectus gratiæ adjuvantis, per hanc enim propriè adjuvamur ut excitanti consentiamus, & sine hac illi de facto non consentimus, ergo illi actus deliberati, licet imperfecti, non sunt effectus excitantis gratiæ, quatenus excitans est, sed adjuvantis, quatenus propriè adjuvans est. Major manifesta est. Nam gratia excitans quatenus excitans non procedit à libero arbitrio quatenus liberum est, sed vel à solo Deo, ut de omnium prima gratia excitante est dictum, vel à Deo & voluntate indeliberata ut de gratia secundaria, vel in actu secundo etiam manet explicatum, ergo actus illi indeliberati, nec sunt propriè gratia excitans respectu posteriorum, nec sunt effectus prioris veræ gratiæ excitantis. Unde quod supra præmisimus illos actus imperfectos deliberatos posse dici gratiam excitantem: *posse* consulto diximus, quia extenso vocabulo sic nominari possunt, quatenus per ipsos allicimur & invitamur ad alios sequentes posteriores; sed propriè loquendo, sicut in his materiis propriè loquendum est, illi non sunt dicendi gratia excitans respectu sequentium perfectorum ob rationem factam. Dicuntur tamen propriè dispositiones remotæ ad illos perfectiores actus.

CAPUT XVI.

Quâ ratione gratia excitans à sufficienti distinguatur, vel sit eadem cum illa, ostenditur.

249 Videtur quod gratia excitans non sit idem quod gratia quæ dici solet sufficiens; primo quia gratia sufficiens, ut sonat nomen, tribuit homini veras sufficientes vires, quibus possit ad Deum converti; sed gratia excitans has vires non tribuit, quia excitare infirmum ad ambulandum, non est ei dare vires ad ambulandum, sed tantùm excitare ut evigilet, & consideret quam benè sit ambulare; ergo gratia excitans non est sufficiens.

250 Secundò voluntas nec per actus indeliberatos, in quibus consistit gratia excitans in actu secundo, nec per illam, quæ est in actu primo effectivè, vel non excitans, constituitur sufficiens principium actuum deliberatorum; ergo gratia excitans non est gratia sufficiens. Antecedens probatur; quia actus indeliberati supernaturales non possunt esse formalia principia actuum deliberatorum, tum quia unus actus elicitus ab una potentia non est principium effectivum alteriùs, sed tantum est terminus principij effectivi, tum etiam quia actus indeliberati supernaturales sunt imperfectiores actibus supernaturalibus deliberatis; ergo non possunt illi esse efficiens principium horum. Patet consequentia, nam principium efficiens saltem debet esse æquè perfectum ac effectus quem producit; cum tota perfectio effectus à sua effectiva causa proveniat.

Tertiò ad conversionem in Deum ultra gratiam excitantem necessaria est gratia adjuvans ex Concilio Tridentino; ergo gratia excitans non est sufficiens ad conversionem; illud enim dicitur sufficiens ad aliquem effectum ultra quod non requiritur aliud ad eundem effectum producendum. 251

Sed contra est, quia Concilium Tridentinum sufficienter dividit prævenientem gratiam in excitantem & adjuvantem; ergo gratia sufficiens, cum verè sit gratia præveniens, debet ad aliquod membrum ex illis duobus reduci, non autem reducitur ad gratiam adjuvantem; nam gratia adjuvans semper est efficax, qui enim adjuvatur, aliquid agit, ut frequenter docet Sanctus Pater Augustinus; ergo gratia sufficiens reduci debet ad gratiam excitantem sicut vera gratia excitans condistincta contra efficacem adjuvantem. Unde & insignis Salmanticensis Academia non semel à nobis citata; in *sua censura prop.* 1. gratiam dividit per excitantem & adjuvantem, sicut per sufficientem, & efficacem, quod ex Sacro Concilio Tridentino probat. 252

Brevissimè dicendum est primò: quod gratia excitans exterior (de qua in præcedenti capite) non est eadem cum gratia sufficiente simpliciter loquendo. Hoc manifestum est; quia illa exterior non dat vires sufficientes voluntati, quibus se possit in Deum convertere, nec aliud intrinsecum in voluntate constituit; imò est lex atque doctrina, cum vera gratia sit; ergo illa excitans exterior non est gratia sufficiens simpliciter loquendo. Diximus, simpliciter loquendo, quia potest concedi gratiam excitantem exteriùs esse sufficientem secundùm quid ad salutem & in suo genere, quatenus aliquod posse extrinsecum tribuit, per quod aliquo modo potest homo venire ad salutem; quod extrinsecum posse non habet ille, qui exteriùs non vocatur. 253

Dicendum secundò etiam gratia excitans interior, quâ illuminatur intellectus, non est idem quod gratia sufficiens simpliciter loquendo. Probatur; quia etiam hæc interior illuminatio, sive revelatio, licet perfectior sit quam externa excitatio, utpotè in intellectum à Deo immissa, non tamen ipsa vires sufficientes dat voluntati ad suam conversionem, nec aliquid in voluntate constituit, per quod potens ipsa ad se convertendum in Deum reddatur. Imò ut *lib. nostro primo* ex S. P. Augustino probatum est, nec illa recedit officio & munere à lege atque doctrina. Unde & illam tandem Pelagius admisit, ut ibi visum fuit, qui tamen non recessit à commendatione legis atque doctrinæ; nec aliquam gratiam in voluntate necessariam esse dicebat, sed forte ac firmum constituebat arbitrium positâ per intellectum revelatione, vel illuminatione; at gratia sufficiens aliquid est intrinsecum voluntati, recedens à lege atque doctrina; cum sit vera gratia. Ergo illa excitans ex parte intellectus non est gratia sufficiens simpliciter loquendo, est tamen secundum quid sufficiens, nempè ex parte intellectus, & multo magis secundum quid sufficiens, quam illa purè exterior excitatio. 254

Dicendum tertiò gratia excitans completa, id est, illa quæ se tenet ex parte intellectus, & illa quæ se tenet ex parte voluntatis, idem est re ipsa quod gratia sufficiens; ita ut omnis gratia excitans completivè sumpta sit verè gratia sufficiens comparatione actus liberi ad quem excitat. Probatur; quia hæc revera dat voluntati sufficientes vires ad actum illum ad quem excitat, quia ponit 255

Digitized by Google

nit in voluntate aliquid ſupernaturale intrinſecum, per quod homo poteſt operari, ſi velit, id ad quod excitatur; ergo eſt verè gratia ſufficiens. Nec enim ſe habet ac ille qui tantum dormientem excitat, ei vires non dando.

256 Duo itaque efficit Deus per gratiam excitantem completè ſumptam ex parte intellectus & voluntatis, ſive per illam quæ in voluntate eſt præſupponentem illam quæ eſt in intellectu. Primò voluntatem conſtituit in ratione principij ſupernaturalis producentis de facto & cum efficacia ad actum indeliberatum voluntatis. Secundò per eandem ipſam voluntatem conſtituit in ratione principij ſufficientis reſpectu actus ſubſequentis liberi, dando volunrati ad talem liberum actum ſufficientes vires. Gratia itaque excitans quæ à Conciliis traditur aliqua ratione condiſtincta contra veram adjuvantem has tribuit ſufficientes vires voluntati. At illa alia quæ metaphoricè, & objectivè, ſeu moraliter tantùm ab aliquibus ponitur voluntatem excitare (ut dictum eſt ſæpè tum *primo noſtro lib.* tum ſecundò tum etiam in *hoc* 4. *ſupra*) cum vires vel ſufficientes non tribuat, nec verè ſufficiens gratia eſt; nec recedit à commendatione legis atque doctrinæ.

257 Ad primum ergo dicendum quod gratia excitans completivè, de qua Concilium Tridentinum loquitur, non eſt pura excitatio extrinſeca, qualis eſt illa quâ homo alium dormientem excitat, nihil virium ei tribuendo ut ambulare poſſit; ſed taliter interiùs excitat ad ſalutem, quod ei tribuit ſufficientes vires, quibus eam apprehendere poſſit ſi velit, & hac ratione eſt illa quæ dici ſolet ſufficiens.

258 Ad ſecundum dicendum quod gratia omnium prima excitans non conſiſtit eſſentialiter in illis actibus indeliberatis, ſed in quadam prævia antecedente motione, quâ actus efficitur; & per illam præviam virtuoſam motionem eſt voluntas effectivum principium ſufficiens ad eliciendum actus deliberatos & perfectos.

259 Ad tertium dicendum gratiam prædicto modo excitantem non eſſe omnibus modis & completè ſufficientem ad noſtram converſionem, ſed eſſe ſufficientem in genere ſuo, ideſt, in genere gratiæ, quæ tribuit homini poſſe benè operari ſi ipſe voluerit, de quo copioſius poſtea ſermo redibit, cum illam tractabimus quæſtionem de diviſione gratiæ in ſufficientem & efficacem explicando quid comprehendatur ſub illo primo membro vocato gratia ſufficiens.

260 Itaque ut concludamus cum gratia excitante ex parte voluntatis, & præſupponente aliam ex parte intellectus, dicendum quod Deus per illam quinque facit primò voluntatem conſtituit in eſſe ſupernaturali, ut poſſit actum ſupernaturalem indeliberatum efficere. Secundo illam movit efficaciter ad illum producendum. Tertiò ſimul cum illa actum indeliberatum producit. Quartò intellectum ad primum conſilium, movit. Quintò & ultimo ſufficientes vires voluntati tribuit ad actum liberum qua ratione eſt auxilium ſufficiens.

261 Sed quia de gratia excitante dictum eſt ſatis, jam de gratia adjuvante dicamus oportet, & ſicut veram gratiam excitantem diximus verè eſſe prævenientem, & nullo modo ab arbitrio præventam ita veram adjuvantem gratiam oſtendamus prævenientem eſſe & ita adjuvare præveniendo ut homines faciat excitanti conſentire.

CAPVT XVII.

Non pertinere ſolùm ad gratiam prævenientem gratiam excitantem, ſed verè adjuvantem etiam eſſe prævenientem.

QVintò & ultimo loco à principio diſputationis hujus de gratia prævenient illud ex relatis aſſertionibus horum authorum colligebamus eos aſſerere ſolam excitantem gratiam eſſe prævenientem; adjuvantem autem gratiam ad prævenientem non attinere, ſed eſſe comitem ſeu concomitantem. Et quia hoc eſt præcipuum & principale doctrinæ illorum fundamentum, ut efficaciùs poſſit refutari, verba quibus illud ſtatuunt, recenſenda ſunt priùs. Sic enim habet in primis 69. aſſertio ex ipſis inducta tum *lib. noſtro* 1. tum in hoc ſecundo à principio diſputationis hujus. *Vt peccator poſſit converti non eſt neceſſarium ut recipiat utrumque auxilium, prævenions ſcilicet & concomitans in actu ſecundo, ſed ſatis eſt ut recipiat auxilium præveniens in actu ſecundo, & tunc non habet auxilium ſufficiens ad actualem converſionem.* In qua aſſertione nomine auxilij prævenientis intelligunt auxilium excitans; nomine autem auxilij concomitantis intelligunt auxilium gratiæ adjuvantis, prout apertiùs in omni ſua doctrina clariſſimè tradunt, præſertim author concordiæ in *ipſa diſput.* 39. *Oliſſipona*, in qua contra Dominicum Soto, & Vega diſputat, non eſſe neceſſarium ut arbitrium actum ſupernaturalem eliciat, niſi auxilium prævenies excitantis gratiæ, non autem gratiam adjuvantem & ibi §. *deindè falſum*, gratiam excitantem dicit prævenire arbitrium; adjuvantem autem, quam & ibi cooperantem appellat, aſſerit cooperari cum arbitrio jam cooperante. Quibus verbis eam non prævenientem ſed comitem manifeſtè conſtituit. Idem per *totam diſput.* 40. fundat & explicat, & *diſput.* 41. ex quibus ut teſtimonia plura omittantur, illud unum ſufficiat ex *diſp.* 40. §. *ex dictis* cujus verba ſunt; *Ex dictis intelligitur facilè unam & eandem numero gratiam, quatenus excitat, allicit & invitat arbitrium noſtrum ad actus credendi, ſperandi, diligendi ac pœnitendi appellari prævenientem ac excitantem gratiam, eaque conſideratione prævenire arbitrium noſtrum ad hujuſmodi actus; quatenus verò conſentiente jam noſtro arbitrio, & cooperante actus, ad quos illa invitat & allicit, ipſa quoque novo influxu, & actione cooperatur eoſdem actus, appellari adjuvantem ac cooperantem gratiam.* Vbi luce clariùs negat gratiam adjuvantem, quam & cooperantem appellat eſſe prævenientem, ſed eam concomitantem arbitrium jam conſentiens apertè conſtituit. In ſumma omnes hujus Doctrinæ defenſores hoc jaciunt fundamentum, quia vident quod ſi adjuvantem gratiam etiam prævenientem conſtituant ac excitantem, penitus illorum doctrina ruit, & efficacia auxilij prævenientis gratiæ prout venit à Deo manifeſtè firmatur, adeo enim hoc eſt manifeſtum, ut aliquando qui hanc defendebant doctrinam ſpontè conſenſerint, quod ſi adjuvans gratia qua ratione diſtinguitur ab excitante, convinceretur eſſe prævenies, etiam convinci & nullo modo poſſe negari efficaciam prævenientis gratiæ ut venit à Deo independenter à noſtra cooperatione arbitrij, & auxilium phyſicè prædeterminans. Vnde qua ratione negant auxilium gratiæ verè efficienter prædeterminans voluntatem ad actum, negant adjuvantem gratiam eſſe prævenientem, & quæ argumenta opponunt contra illam, &

contra

Digitized by Google

contra istam objiciunt; quia utraque diversis nominibus significata, una & eadem gratia re ipsa est. Quæ argumenta jam libro tertio relata sunt & copiosè soluta, tractantes materiam de influxu Dei prævio in causas, & prædeterminante voluntatem pro actionibus ordinis naturalis, & infra in hoc quarto quatenus oppugnant in specie hanc prævenientem adjuvantem gratiam, seu verè efficienter prædeterminantem repetenda sunt, & efficacius ac clarius diluenda; à quibus modo ut doctrinæ ordo rectius procedat, duximus abstinendum.

263 Notandum est autem prædictos authores asserentes adjuvantem gratiam non esse prævenientem, sed comitem loqui de adjuvante gratia secundum quod distinguitur ab excitante; hæc enim propriè gratia adjuvans est quæ nimirum aliqua ratione distinguitur ab excitante & ad illam addit. Nam quod illorum quidam Leonardus Lessius in suo citato libro dicit gratiam adjuvantem disponere ad actum, & ex consequenti esse prævenientem non loquitur de gratia adjuvante ut distinguitur ab excitante, sive realiter, sive formaliter, & officio tantùm distinguitur; sed loquitur de excitante quatenus præcisè excitans est, ad illam enim ut est excitans dicit duo pertinere, primum allicere & invitare moraliter ad actum liberum, secundum adjuvare dando vires sufficientes animæ, & secundum utrumque dicit prævenire, sed illa est adjuvans secundum quid, vel formalius loquendo est tantùm excitans, non est autem vera gratia adjuvans quæ distinguitur ab excitante, & addit ad illam de qua sermo noster procedit. Verum est authorem hunc verum admittere auxilium gratiæ sufficiens actuale; quod tamen alij non admittunt, ut notatum est sæpè, per illam suam excitationem, quam solum movere ad actum liberum dicunt moraliter, objectivè, & metaphoricè tantùm, quæ ut sic non recedit à commendatione legis, atque doctrinæ nullas veras tribuens animæ vires sufficientes.

264 Igitur ad præsens quod nostræ intentionis præcipuum est, ex Doctrina Sanctorum Patrum, ac Conciliorum, quibus antiqui Scholastici consentiunt, ostendendum est apertissimè gratiam adjuvantem qua ratione distinguitur ab excitante; esse verè prævenientem, ita quod præveniens gratia non sit solùm excitans, verùm etiam adjuvans sit præveniens; imò ita adjuvantem esse prævenientem, ut sine illa, posita excitante sola, nullo modo homo convertatur, aut opera salutis exerceat; imò incompossibilè sit illam non prævenire & hominem de facto converti, diximus, qua ratione distinguitur ab excitante. Nam sive realiter sive formaliter tantùm distinguitur, quæstio metaphysica est nihil omnino ad dogma pertinens, quidquid sive sic, sive sic dicatur. Imò arbitramur non distingui inter se realiter sicut res à re, sed diverso officio, munere, seu formaliter tantùm aut formalitate diversa.

265 Vt ergo à Sancto Patre Augustino incipiamus qui in hac potissimum materia securus & singularis debet Magister existere, quia illius sententia in hac causa ipsa est fides Ecclesiæ, ut etiam ij Authores, vel illorum dignitate præcipuus fatetur expressè, illius Sanctissimi Patris & Doctoris eximij est manifesta multiplicitérque repetita sententia, gratiam adjuvantem ad prævenientem pertinere nec solùm simultaneam aut comitem esse vel subsequentem. Imprimis *lib. 2. de pecca. merit. & remiss.* in quo incepit de adjutorio gratiæ ad non peccandum contra Pelagianos disputare, *in cap. 5* hoc manifestissimè docet: postquam enim ibi asserit quod sicut ut videat oculus, adjuvatur à luce, nec videre omnino nisi illa adjuverit, potest. *Ita Deus qui lux est hominis interioris adjuvat*, inquit, *nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram sed secundum Dei justitiam boni aliquid operemur.* Et statim ad exprimendum quod illud gratiæ adjutorium sit prævenies; subdit. *Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertantur ipse adjuvat, quod certè oculis lux ista non præstat.* Vbi clarissimè & patentissimè dicit esse prævenientem adjuvantem gratiam, quia adjuvat ut convertamur, & non solùm cum jam convertimur: quam præventionem luci corporali non tribuit respectu visionis corporalis, quia lux non adjuvat, ut oculos aperiamus. Et per totum illud caput de hoc adjutorio gratiæ prævenientis sermonem facit. Nec aliquis fallatur, sicut falli quosdam vidi, ex isto capite, ex illis verbis quæ Sanctus Doctor adhibuit: *Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* Ex quibus malè aliquando inferebatur gratiam adjuvantem esse tantum comitem, quia adjuvat eum qui sponte conatur; ergo concomitatur solùm sponte conantem, nec advertunt qui ista opponunt, ideo verba prædicta à Sancto Doctore proposita, ut declararet illud adjutorium prævenientis gratiæ duo efficere quæ in illo capite sunt satis aperta alterum est adjuvare præveniendo ut benè operemur; aliud nos benè operantes & conantes liberè, etiam simul adjuvare, nec enim nisi nos operaturi essemus liberè, ipsa adjuvans gratia adjuvaret prævenitndo; nec nisi operantes & conantes adjuvaret simul nobiscum concurrendo. Igitur adjuvat Deus ut operemur; & adjuvat cùm operamur, & operantes in ipsa sua operatione adjuvat. Quod clariùs ex sententia & verbis, Sancti Patris Augustini Concilium Arausicanum exposuit *can. 9. Quoties enim bona agimus Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur.* In quo nos adjuvans gratia prævenit, ut verba ipsa sonant, operatur etiam eodem gratiæ adjutorio nobiscum operantibus.

Idem ostendit in *cap. 6.* dicens. *Atque ita Dei gratia non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adjuvat etiam ut possit fieri*, præveniendo manifestè adjuvat. 266

In capite verò 17. Explicando illud Hierem. *Scio Domine quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos. Corripe me Domine veruntamen in judicio & non in furore tuo*, ait. *Tanquam diceret, scio ad correptionem meam pertinere quod minus abs te adjuvor, ut perfectè dirigantur gressus mei.* Docet ergo manifestè quod Deus per adjuvantem gratiam adjuvat ut perfectè gressus hominis dirigantur, quando homo ex culpa sua id non impedit; ergo docet esse prævenientem gratiam adjuvantem quomodo enim potest nisi præveniendo adjuvare, ut perfectè dirigantur gressus hominis. Si enim adjuvat ut homo perfectè dirigat gressus; ergo adjuvando prævenit, ut perfectè ipse gressus suos dirigat. 267

Ne autem quis ita fortè contenderet explicare, quod nomine adjutorij gratiæ intelligeret gratiam excitantem, quæ generalitate vocabuli potest dici gratiæ adjutorium, quia adjuvat Deus excitando quamvis hanc siniſtram explicationem verba inducta satis rejiciant, quæ procedunt de illo proprio adjutorio quo homo convertitur & quo adjuvatur ut perfectè gressus suos de facto dirigat; quod non est sola gratia excitans: hæc enim excitat ut convertatur homo, & perfectos gressus habeat, sed non adjuvat ut eos de facto perfectè dirigat. Quamvis inquam satis illa explicatio per hæc verba esset exclusa, clariùs tamen illam excudit in cap. 18. eandem 268

tradendo

Digitized by Google

tradendo doctrinam, dum ita concludit. *Quo circa quod à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala; quod verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona.* Vbi verbum, *non poſſumus*, ſumit manifeſtè in ſenſu compoſito, quia loquitur de potentia conjuncta bonæ voluntati, & hanc bonam voluntatem nos habere, dicit impoſſibile eſſe niſi excitante & adjuvante Deo. Igitur bonam voluntatem habemus non ſolùm Deo excitante, ſed Deo adjuvante, quia per excitantem & adjuvantem gratiam facit Deus, ut habeamus voluntatem bonam.

269 Præterea in *cap.* 19. magis iſta clarificans, inquit, *cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam: quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat.* Igitur ad faciendum juſtitiam deprecamur adjutorium: per illud ergo nos ad juſtitiam movemur, & ſic nos prævenit ut juſtitiam faciamus, & iterum ibi. *Quod vitium niſi adjuvante gratia ſuperetur, ad juſtitiam nemo convertitur.* Igitur per adjuvantem gratiam ad juſtitiam homo convertitur, ſed jam relinquamus illos tres libros de peccat. merit. Quos primò contra Pelagianos fuiſſe compoſitos conſtat, & breviter ex aliis ipſius libris pauca referamus. Pauca dixerim, quia ſi plenariè eſſent recenſenda magna ex parte, illius libri tranſcribendi eſſent.

270 In *libro de natura & gratia cap.* 18. refert de Pelagio quod fateretur orandum Dominum, ut adjuvet voluntatem, ut peccata jam commiſſa remittantur, *ut autem adjuvetur ne peccet nuſquam* inquit Sanctus Auguſtinus, *Pelagius dixit non hic legi mirum de hac re ſilentium, cum Oratio Dominica utrumque petendum eſſe commoneat, & ut dimittantur nobis debita noſtra, & ut non inferamur in tentationem. Illud ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur. Quodlibet non fiat niſi voluntas adſit, tamen ut fiat voluntas ſola non ſufficit.* Igitur ut fiat hoc quod per voluntatem peccata evitentur, neceſſaria eſt gratia adjuvans, quæ voluntatem prævenit, ut futura peccata ipſa deviter. Deindè in *cap.* 59. iterum ait. *Ipſa eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua omninò iſte nos orantes adjuvari ut non peccemus nuſquam dicere voluit.* Et *cap.* 67. tandem concludit. *Poteſt ergo ei cauſa quæcumque illa ſit, reſiſti, poteſt planè: nam in hoc adjutorium poſtulamus, dicentes ne nos inferas in tentationem, quod adjutorium non poſceremus ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus.* Quid clariùs quam ſemper S.P. Auguſtinum totum verſari in docendo contra Pelagianos gratiam adjuvantem qua detinemur ne cadamus in tentationem, quæ propterea propriè gratia adjuvans eſt, eſſe prævenientem gratiam detinentem nos, ne in tentationem inducamur? Sed etiam hæc pauca ex iſto libro ſufficiant.

271 Et venio ad illum inſignem *de gratia Chriſti contra Pelagium*, in quo ex præcipua intentione defendere & fundare nititur Sanctiſſimus Doctor gratiam, quæ propriè Chriſti gratia eſt, & propria Redemptoris, excluſâ illâ quæ ſolùm revelans eſt, aut excitans ſtupentem voluntatem (quam tandem in ultimo ſuæ perfidiæ ſtatu confeſſum fuiſſe Pelagium *noſtro primo libro* dedimus ſatis notum) verè eſſe adjuvantem ſupra puram excitantem: ad hoc enim ſuadendum totus contextus libri procedit, ut appareat quâ claritate & efficaciâ Sanctus Pater & Doctor convincat illam adjuvantem gratiam eſſe verè prævenientem. At etiam ex hoc libro pauca proponam; qui enim plura videre deſiderat, legat totum librum, quia ferè per totum illius contextum de ea facit mentionem.

In capite enim tertio illa verba proponit, quæ 272
pro hac convincenda veritate ſatis ſufficiunt. Referendo enim ut ſolet, Pelagij ſententiam, ait: *Nam gratiam Dei & adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque Doctrina, ut videlicet cum adjuvat Deus hominem, declinet à malo & faciat bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat adjuvare credatur; non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat.* In qua planè ſententia multiplicatis verbis adjuvantem gratiam ſupra excitantem docet eſſe prævenientem. Primò namquè illam copulativam conſultiſſimè appoſuit, *gratiam Dei, & ejus adjutorium*: ut oſtenderet ſe loqui de proprio adjutorio gratiæ adjuvantis, quod addit ſupra aliam gratiam, ſeu revelantem, ſeu excitantem, & hoc proprium adjuvantis gratiæ auxilium dicit nos adjuvare ad non peccandum, in quo gratiam adjuvantem eſſe prævenientem oſtendit.

Secundò cum ait ex ſententia Pelagij: *ut cum* 273
adjuvat Deus hominem ut declinet à malo & faciat bonum revelando & oſtendendo quid fieri debeat adjuvare credatur, non etiam operando, & dilectionem inſpirando, ut quod faciendum cognoverit, faciat. Igitur docet Sanctus Pater Auguſtinus contra Pelagianos, nos confiteri & defendere debere quod adjuvans gratia, quæ nos prævenit ut declinemus à malo & faciamus bonum, prævenit non ſolùm revelando & oſtendendo quid faciendum eſt (hanc enim prævenientem gratiam Pelagius fatebatur) ſed nos prævenit inſpirando dilectionem, & verè cooperando ut faciamus quæ facienda eſſe cognoverimus. Vbi cooperantem gratiam dicit in terminis prævenientem; quia cooperatur ut faciamus. Hæc autem cooperans gratia præveniens ut faciamus eſt gratia verè adjuvans (etiam ut ij authores fatentur) qui ut relatum eſt ſupra, pro eodem ſumunt adjuvantem & cooperantem gratiam. Nihil ergo clariùs, nihil manifeſtiùs in Sancto Doctore Auguſtino, quàm verè adjuvantem gratiam ſupra revelantem ſeu puram excitantem eſſe verè prævenientem. Imò in hoc ſitam eſſe contra Pelagianos Catholicam Doctrinam ſupradictis verbis teſtatur.

Præterea *in eodem libro cap.* 41. impugnat iterum 274
Pelagium quia contendebat, *ipſas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas, niſi ut nobis Doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* Igitur ſententia Pelagij eſt non dari verum adjutorium præveniens, quo homo faciat quod faciendum eſt, & doctrina Catholica eſt illi oppoſita dari præter divinam revelationem hanc veram adjuvantem gratiam quæ præveniat, & hominem faciat operari quod faciendum eſt.

Poſtremò *in libro de gratia Chriſti*, de gratia ad- 275
juvante, ait. *Hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt eſſe niſi adjutum ſi venit.*

Vnum tamen pro ſe poſſunt ij Authores indu- 276
cere Sancti Doctoris teſtimonium, quod adjuvans gratia ſit non prævenies, ſed Comes *ex Enchirid. cap.* 32. *Hominis voluntatem* inquit *præparat*, ſcilicet Deus, *adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Ex quo colligunt quod præparat per gratiam prævenientem voluntatem adjuvandam per adjuvantem ſequentem, ſed nihil omninò eis favet hoc teſtimonium, & extorta eſt explicatio adhibita, quia planus ſenſus eſt, quod Deus præparat per gratiam excitantem voluntatem, & taliter præparatam movet ad conſenſum faciendo eam conſentire: & ſic utramque prævenientem conſtituit. Ideò autem dicit, quod per gratiam excitantem præparat adjuvandam:

Digitized by Google

dam: quia adjuvans gratia non datur, nisi sic fuerit præparata voluntas per excitantem.

277 Et tandem in *cap.* 47. concludit: *si ergo consenserit nobis* nempè Pelagius, *non solam possibilitatem in homine etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut bene velimus & bene agamus; qua non sunt in homine nisi quando bene vult, & bene agit; si ut dixi consenserit etiã ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, vel agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum in qua nos sua non nostra justitia justos facit; ut ea sit vera nostra justitia, quæ ex illo est nihil de adjutorio gratiæ Dei quantum arbitror, inter nos controversia relinquetur.* Hoc testimonium infrà expendendum est diligentiùs pro efficacia adjutorij divinæ gratiæ. Nunc quantum attinet ad præsentem quæstionem, ex eo manifestè constat admittendam esse contra Pelagium, præter revelationem, adjuvantem gratiam ut velimus, & operemur, & admittendam esse adjuvantem gratiam prævenientem, hæc enim est quæ adjuvat ut velimus, & operemur, ut notissimum est.

278 Si autem quis attentè legerit sex illos libros contra Iulianum, & alios quatuor ad Bonifacium, passim inveniet in Sancto Doctore Augustino hanc adjuvantem gratiam prævenientem, & facientem nos facere, prædicatam, & contra Pelagianos fundatam. Quorum nec testimonia, ne in immensum protrahatur disputatio, inducenda videntur. Eadem adjuvans præveniens gratia defenditur contra Cœlestium in *toto lib. de perfectione justitiæ.* Signanter in *libro de gratia & libero arbitrio à cap.* 4. *& deinceps* mirificè hæc prævenies adjuvans gratia sæpiùs explicatur, ut est illud in *cap.* 4. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, quod tamen ut fiat gratia adjuvat.* Et illud ibi expositum: *Cum verò addidit* scilicet salvator, *& orate, ostendit Deum adjuvare ne intretur in tentationem,* & cap. 15. *Quare dat si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat quod jubet.* Et iterum ibi: *sic quippè adjuvatur, ut faciat quod jubetur.* Cætera similia plura in eodem libro legantur.

279 In libro etiam S. P. Augustini de gestis Pelagij contra adversarios gratiæ nuper excuso habetur insigne testimonium, quo ostenditur gratiam verè adjuvantem, semper secundùm Doctrinam Sancti Doctoris Augustini, esse verè prævenientem. In cap. enim illius lib. 3. ut probaret contra Pelagium hominem non propriâ voluntate regi, sed regi à Deo, sic ait: *Nam proculdubio plus est agi quam regi, qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid vix ipse intelligitur, & tamen tantùm præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris: ut non dubitet Apostolus dicere quotquot Spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt; nec enim aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet qui malè agere non potest; & hoc cum fecerit ab illo ut faceret adjutum non dubitet, cui dicitur in psalm. Deus meus misericordia ejus præveniet me.* Manifestissimè his verbis adjuvantem gratiam dicit prævenientem, quia dicit eam adjuvare ut homo faciat, secundùm illud, misericordia ejus scilicet adiuvans prævenit me; sic enim illum locum Scripturæ intelligit.

280 *Epistola etiam* 89. inquit. *Qui autem sic audiunt quod ait lex non concupisces, ut hoc quia didicerint sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio Dei gratia ad faciendum quod jussum est, dari sibi virtutem credant, & petant ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum, quod dictum est de Iudæis.* Ecce adiuvans gratia datur secundùm S. Aug. ad faciendum quod jussum est: ergo est præveniens adjuvans ut faciat homo quod jussum est. Similiter *epist.* 105. loquens de vero adiutorio adiuvantis gratiæ inquit: *adjutorium igitur Spiritus Sancti, sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.* Igitur per adiuvantem gratiam facit Deus ut faciamus, & sic illa apertissimè præveniens est in tota S. P. Augustini doctrina.

Et quia hæc adiuvans præveniens gratia in *libro* 281
de correct. & grat. de prædest. Sanct. & *de dono perseverantiæ* frequentissimè prædicatur, ut omnibus est manifestum, nec testimonia inducimus: concludentes nihil clariùs nihil frequentiùs nihil ita à Sancto Doctore Augustino fundatum & explicatum, quam adiuvantem Dei gratiam prævenientem esse, & nos adiuvare ut bene velimus & agamus. Si ergo verum est (ut ij authores cum quibus ista tractamus concedunt, revera concesserunt, & in sua doctrina concedere tenentur:) quod si convincitur gratiam adiuvantem esse prævenientem, convincitur illam esse verè efficienter prædeterminantem; & ut visum est in Doctrina Sancti Patris Augustini nihil est manifestiùs quam esse prævenientem adiuvantem gratiam; nihil manifestiùs erit in Doctrina eius re ipsa, quam gratiam adiuvantem esse verè efficienter prædeterminantem.

Similiter Sanctus Bernardus *libro de gratia & li-* 282
bero arbitrio inquit *Conatus liberi arbitrij, & cassi sunt si non adjuventur, & nulli si non excitentur.* Quia illæ indeliberatæ actiones nisi à gratia excitarentur, nullæ essent; & si postquam excitatæ sunt non adjuvarentur à gratia adiuvante, quæ adiuvaret arbitrium ut eis consentiret, cassæ utique redderentur.

Vnde non apparet quomodo cum Cardinalis 283
Bellarminus *lib.* 4. *de gratia & lib. arbit. cap.* 10. *in* §. *septima sententia*, rectè dixerit, ad assentiendum gratiæ excitanti seu internæ divinæ vocationi requiri necessariò gratiam adiuvantem, in quo adiuvantem prævenientem dicit ad actum liberi consensus, postquam movet ad illam, in *cap.* 14. *antecedenti* præmiserit gratiam adiuvantem esse comitem, non prævenientem nisi exponat esse comitem ad gratiam excitantem, non ad consensum arbitrij.

CAPVT XVIII.

Gratiam adjuvantem prævenientem esse amplius demonstratur.

QVamvis quæ sunt inducta ex Sancto Patre 284
Augustino manifestè convincant adiuvantem gratiam prævenientem esse, & adiuvare hominis voluntatem, eam præveniendo in benedictionibus dulcedinis, idipsum tamen amplius convenit comprobare, quia ut dictum est, fundamentum magnæ veritatis est, sicut id negare falsitatis superbæ fulcimentum. Igitur post Sanctum Doctorem Augustinum Sanctus Prosper eius discipulus, & doctrinæ ipsius defensor acerrimus hanc veritatem explicuit in *Epistola ad eundem S. Augustinum versus finem*: cum recapitulando Semipelagianorum errores, ita concludit. *Vnde quiain istis Pelagiana pravitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò quia adjuvatur velit.* Igitur sententia Pelagianorum est, ut quis adiuvetur, quia voluit: ergo illorum sententia est adiuvantem gratiam esse comitem ad priorem voluntatis

Digitized by Google

consensum, nec arbitrium præveniendo adiuvare ut velit. Et per oppositum Catholicorum sententia est, quod ideo homo vult, quia adiuvatur, ut velit; ita quod adiuvans gratia præveniat arbitrium adiuvando, & adiuvet præveniendo. Alia ex eodem Sancto Prospero propter brevitatem omittimus.

285 Sanctus etiam Hilarius in alia sua Epistola idem satis clarè constituit illis verbis. *Nam illa testimonia, ut est illud sicut unicuique partitus est mensuram fidei & similia ad id volunt valere ut adjuvetur, qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit.* Et rursus *Alia autem* (scilicet scripturæ testimonia) *ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, quâ unusquisque post voluntatem juvatur.* Ecce consentiente jam libero arbitrio dicunt voluntatem iuvari.

286 Nec in his testimoniis (quod aliquis primâ facie prætendere potest) solum sancti relati referunt de Pelagianis, quod sentiant post actum merè naturalem iuvari hominis voluntatem per excitantem gratiam, quæ illis operibus naturalibus ab eis concedebatur; non autem quod loquantur de gratiâ propriè adiuvante, quæ detur consentiente iam libero arbitrio gratiæ excitanti, ita ut talis adiuvans ponatur Pelagianis dari quia arbitrium consentire vult gratiæ excitanti; quia Sancti illi Doctores in illa propositione ex Pelagianis relata, (scilicet, *non adjuvatur arbitrium ut velit sed adjuvatur quia vult*) totum adæquatum illorum errorem referunt, qui in hoc consistebat, quod sicut à principio, quia homo vult actu merè naturali adiuvatur per gratiam excitantem, ita quia arbitrium ex se consentire vult præexistenti excitanti adiuvatur per gratiam adiuvantem. Deindè quia id Sanctus Prosper in prædicta Epistola expressit, cum dixit. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* In quo testimonio (quod planè egregium est pro efficacia auxilij ut venit à Deo, quod propterea infra expendendum est diligentius) apertissimè Sanctus Prosper loquens de gratiâ excitante, quâ Pelagiani dicebant hominis præveniri voluntatem, secundùm illam suam phantasiam quâ contendebant dari priori actui humano; asserit quod illam gratiam subdebant hominis voluntati; quatenus dicebant quod non adjuvatur à Deo arbitrium ut illi consentiret; ita quod gratia adiuvans non præveniret arbitrium ipsum sibi subdendo ut consentiret, sed potiùs quod arbitrium subdebat sibi illam excitantem gratiam, ex se illi quia volebat consentiendo, & efficacem reddendo, vel dissentiendo, & constituendo inefficacem. Hoc enim modo arbitrium gratiam sibi, sive quoad efficaciam, sive quoad inefficaciam subdebat. Vbi ex negatione adiuvantis gratiæ, quæ præveniret arbitrium ad consentiendum excitanti, id totum Pelagiani deducebant. Et sic constat illorum fundamentum fuisse hanc negare adiuvantem gratiam, quæ arbitrium præveniendo illud sibi subderet faciens illud excitationi consentire.

287 Eadem Doctrinæ conformitate accedit Fulgentius *libro 1. de prædest. ad Monimum cap. 4.* ubi sic habet; *Quoniam ut veritati obedire, atque consentire valeamus, ipsa veritas illuminat, ipsa adjuvat, atque confirmat.* Non ergo ut veritati consentiamus nos Deus prævenit solùm illuminando sed prævenit adjuvando. Et *cap. 8. ejusdem libri*, ait; *primo inchoat* (scilicet Deus) *in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adjuvat inchoatam, ut eadem voluntas & divino dono bona sit, & divino adjutorio malam superare concupiscentiam possit.* Ecce adjuvantem gratiam manifestè ponit prævenientem in ordine ad vincendam concupiscentiam.

Clariùs autem id tradit libro de Incarnatione 288
Domini nostri Iesu Christi pag. 751. dicens. *Non dicat* (scilicet humana voluntas) *meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare, sed dicat gratia Dei est adjuvare ut sit meum velle credere. Tunc enim verè rectèque ait ejus hoc velle, cum eum gratia præveniens cœperit adjuvare.* Et pag. 764. respondens ad illud argumentum, quod præveniens adjuvans gratia impediat arbitrij libertatem; hæc verba subdit. *Quâ gratiâ humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non removetur, sed illuminatur, non evacuatur, sed adjuvatur, atque servatur arbitrium.*

Facilè poteramus per plures Sanctos Patres dis- 289
currere, per Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Anselmum & alios. Legatur potissimè Sanctus Hieronymus in *Epistolâ ad Ctesiphontem*, & in *libris illis tribus contra Pelagianos*, & aperta erit veritas quam fundamus. Sed per omnes discurrere, eosque in confirmationem hujus veritatis inducere, minus necessarium putamus. Vnde priusquam ad summos Pontifices, & Concilia sacra, (quod potissimum est) veniamus, unum Angelicum Doctorem Thomam vel semel inducere visum fuit, qui 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. *ad* 3. Ita habet. *Ad tertium dicendum quod cooperari dicitur aliquis alicui non solum sicut secundarium agens principali agenti, sed sicut adjuvans ad præsuppositum finem homo autem per gratiam operantem adjuvatur à Deo ut bonum velit, & ideo præsuppositio jam fine consequens est ut gratia nobiscum cooperetur.* Quibus verbis plura valde scitu necessaria Sanctissimus præceptor comprehendit. Dicit namque quod gratia adjuvans hominem ad præsuppositum finem est cooperans nobiscum. Hoc expressè habet. Dicit secundò eisdem verbis, quod illa gratia cooperans, cum cooperetur ad propositum finem consequendum est præveniens. Dicit tertiò quod ista præveniens cooperans gratia est gratia adjuvans & sic gratia adjuvans est præveniens. Dicit quartò quod gratia adjuvans non solùm est præveniens cooperans ad propositum finem, sed etiam est gratia operans ut bonum velit homo; ita quod gratia adjuvans præveniens distinguitur in operantem, & cooperantem; adjuvat enim operando ut bonum homo velit, & adjuvat cooperando ad propositum finem.

Item super *Epistolam ad Rom. cap.* 8. ad illa verba 290
Apostoli, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram in lect.* 5. & 6. multipliciter Sanctus Doctor asserit adjuvantem Spiritus Sancti gratiam esse prævenientem: quia adjuvat infirmitatem nostram faciendo nos orare sicut oportet, & adjuvat nostram infirmitatem faciendo omnia nobis cooperari in bonum; quæ duo officia adjuvantis gratiæ Spiritus Sancti constat quod præveniendo efficit, non concomitando, vel subsequendo.

Imò ipsa litera Apostoli hoc satis apertè proponit 291
sic enim legimus. *Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* id est postulantes nos facit, ut communis est explicatio. Si ergo Apostolus dicit quod Spiritus Sanctus hoc modo adjuvat per suam adjuvantem gratiam infirmitatem nostram, quod facit nos postulare gemitibus inenarrabilibus, profecto docet hanc adjuvantem gratiam Spiritus Sancti gratiam verè esse prævenientem. Quomodo enim nisi præveniendo potest facere nos postulare gemitibus inenarrabilibus?

Verùm

Digitized by Google

292 Verùm prædictam veritatem in Conciliis sacris, & summis Pontificibus traditam fuisse ostendamus. Et primò ab isto testimonio Apostoli, quo usi sunt Patres in Concilio Carthaginensi incipiamus. Sic enim in Concilio primo scribunt. *Sed quid aliud agunt cum hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam & Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes, quod scriptum est spiritus adjuvat infirmitatem nostram* &c. cum ergo Concilij Patres ex hoc testimonio inter alia probent nos indigere divino adjutorio ad perficiendam justitiam, manifestè tradunt talè adjutorium divinum, seu adjuvantem gratiam esse prævenientem, quia per ipsam perficere possumus justitiam. Vnde in eodem sensu quo ab Apostolo prolatum fuit, testimonium; nimirum de præveniente Spiritus Sancti adjuvante gratia, ut fuit dictum, illo utuntur Patres Concilij ad probandam necessitatem hujus adjuvantis gratiæ ad perficienda divina mandata; quia per talem adjuvantem gratiam illa perficere valemus.

293 Similiter Innocentius primus eisdem respondens, eodem modo sumit, & intelligit, & ad hoc propositum affert illud Davidicum. *Adjutor meus esto ne derelinquas me, neque despicias me salutaris meus.* Dum sic subjungit. *Nos liberum arbitrium, ille Deum postulat adjutorem, quod nati sumus, posse sufficere nobis dicimus, ille Deum ne derelinquatur exorat.* Quod si Deum adjuvantem ne derelinquatur exorat, sentit adjuvantem Dei gratiam arbitrium prævenire ne derelictus cadat.

294 Deindè Patres Concilij Milevitani eidem Innocentio aliam consimilem epistolam destinantes, eandem adjuvantem Dei gratiam prævenientem esse his verbis confessi sunt. *Illud verò quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem. Cum ergo necessarium dicant adjutorium Dei, sive Dei adjuvantem gratiam, ne in tentationem tentati incidamus, ipsam Dei adjuvantem gratiam prævenientem esse fatentur arbitriumque adjuvando prævenire, ne in tentationes cadat.* Quibus respondens ipse Innocentius in Epistola altera, illorum sententiam sub his verbis confirmat. *Quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt quàm cùm adjutoria divina cessarent, causamque quotidiana precationis auferrent? Hoc est dicere; quid mihi opus est Deo? Merito in his dicat Hymnidicus, ecce homines qui non posuerunt Deum adjutorem suum.* Quam causam quotidianæ precationis eos dicit auferre, nisi illam qua quotidie orare jubemur, ne nos inducas in tentationem? Quomodo autem hanc precationis causam auferre dicuntur, nisi quia adjutorium divinum, sive divinam adjuvantem gratiam necessariam negabant, ut nos præveniendo, ne in tentationem cadamus, quotidie adjuvet?

295 Apertiùs Concilium Arausicanum Can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum prævenire, vel in bono possint opere perdurare.* Vbi adjuvantem gratiam planè dicunt prævenientem.

296 Eandem adjuvantem gratiam prævenientem nostrum arbitrium, ut quod faciendum esse cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus. Concilium Milevitanum *Can.* 4 expressit, verum est, ibi sermonem fieri de gratia justificante, quæ & prævenit, ut facere diligamus. Nos autem in hac disputatione potissimè de actuali auxilio gratiæ adjuvantis sermonem facimus.

Cum ergo tam apertè Concilia & Patres doceant 297
adjuvantem gratiam esse prævenientem, & authores, cum quibus agimus concedant, quod si adjuvans gratia convincatur esse præveniens, eò ipso convincitur gratia physicè sed verè efficienter prædeterminans; convincitur pariter Sanctos Patres & Concilia reipsa gratiam physicè seu verè efficienter prædeterminare semper docuisse.

Nec enim iuvat quod alius postea scripsit, nimi- 298
rum gratiam ipsam excitantem esse adjuvantem dando vires sufficientes voluntati, nam sermo noster est de gratia adjuvante prout, sive realiter, sive formaliter (quod magis credimus) distinguitur ab excitante; quam sub hac ratione illi nolunt esse prævenientem, sed comitem consentiente jam ex se arbitrio rectæ excitationi, de qua proindè, dum ipsi cum magno studio causam istam defendebant, rectè sine dubio concesserunt; quod si illa sub hac ratione est præveniens, est physicè prædeterminans; sed sicut unum ita & alterum negant.

Rationes etiam quas commodius infra agentes 299
de efficacia gratiæ inducemus, id convincunt. Etenim primò (ut modo sub brevitate tangantur) de hac adiuvante gratia, seu verò adiutorio gratiæ supra moraliter excitantem quæstio antiquitus à Sanctis Patribus, Summis Pontificibus, & Conciliis cum Pelagianis fuit. Quia isti hanc veram adiuvantem gratiam supra excitantem prævenientem esse negabant; id autem Sancti Patres concluserunt, quod patet ex omnibus libris Sancti Augustini, Prosperi, & Hilarij, in quibus passim docent, quod in libris Fausti & Cassiani est manifestum ipsos admisisse gratiam moraliter excitantem, quam Sancti Patres ostenderunt non recedere à lege atque doctrina. Imò Pelagius ipse hanc excitantem admisit ut refert S. P. Augustinus *lib. de gratia Christi c.* 10. Quod inferiùs citato loco clariùs ostendetur. Si ergo modo solum gratia excitans prævenies ponatur, ab illis non receditur; sed in eadem quæstione cum illis sumus. Præterea gratia solùm moraliter excitans est imperfecta causa, sed gratia prævenies perfecta causa est; ergo non solùm gratia prævenies est moraliter excitans. Minor constat ex S. Thoma *quæst.* 3. *de malo art.* 3. cuius verba sunt. *Causa aliquid movens multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur causa id quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est præcipiens. Quandoque verò dicitur causa id quod est perficiens, & hæc propriè & verè causa dicitur, quia causa est ad quam sequitur effectus. Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis, & idem omnino judicium est de qualibet interiori suasione seu excitatione moraliter attrahente ad quam non statim ex vi illius sequitur effectus.*

Quæ Doctrina frequenter à Sancto Doctore aliàs 300
traditur, in qua condistinguit causare per modum agentis, seu perficientis contra causare consiliando vel suadendo, seu quolibet alio modo movendo moraliter, & illud primum genus causandi, appellat verè & propriè causare ratione inducta, hoc autem secundum vocat imperfectum genus causandi. Quod adeò clarum est, ut illud authores oppositæ sententiæ, qui gratiam prævenientem in sola morali excitatione constituunt, etiam fateantur. Franciscus enim Suarez *lib.* 2. *de prædest. cap.* 3. *num.* 1. asserit quod causalitas moralis tantùm dicit imperfectionem. Igitur, major est manifesta, quod gratia solum moraliter existens est imperfecta causa. Minor autem probatur, quia gratia prævenies est quâ Deus verè facit homines benè operari, hoc enim passim scriptura docet; ergo verè est causa ad

Digitized by Google

quam sequitur effectus; ergo non solùm est moraliter excitans. Si enim contendant, quod ad gratiam prævenientem numquam sequitur effectus, ita quod perfectè non moveat; ergo effectus bonus, ideſt bonus supernaturalis consensus, non ad gratiam prævenientem, nec ex virtute illius; sed ex virtute humanæ voluntatis sequitur. Ad alterum enim ex his duobus debet statim sequi effectus. Si autem sequitur ex vi humanæ voluntatis, ipsa erit perfecta causa sui boni consensus; non autem Deus, nec Deus verè efficiet quod voluntas faciat. Sed potius è contra humana voluntas verè efficiet quod secum illa excitans gratia cooperetur, quod nullo modo posse admitti infra dicendum est copiosius.

CAPVT XIX.

Adjuvantem gratiam esse prævenientem expresè Concilium Tridentinum tradit.

301 QVamvis omnia quæ ex summis Pontificibus, Conciliis, ac Sanctis Patribus relata sunt supra penitus deessent, solum Concilium Tridentinum pro hac, quam tractamus, quæstione, ad illam convincendã sufficeret; quippè quod apertis terminis adjuvantem gratiam docet esse prævenientem simul cum excitante, & manifestè tradit non solùm excitantem esse prævenientem, ut authores ij contendunt, sed pariter cum excitante adjuvantem gratiam nostram asserit prævenire voluntatem. Quod licet primo nostro libro satis (ut arbitramur) fuerit ostensum, efficacius tamen & clariùs hic est demonstrandum.

302 Primò igitur id clarissimè tradit *sess. 6. cap. 5.* Sic enim habet; *Declarat præterea Sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* In his verbis manifestè tradit non solum gratiam excitantem esse prævenientem, sed veram adjuvantem prævenientem esse; nam loquens de præveniente gratia quæ est exordium nostræ justificationis, docet eam esse Dei vocationem, & hac vocatione vocare Deum per excitantem & adjuvantem gratiam homines ad suam justificationem. Ergo docet tam excitantem quàm adjuvantem gratiam esse vocationem seu gratiam prævenientem. Item quia apertè docet quod per excitãtem & adjuvantem gratiam disponuntur homines ad convertendum se ad suam justificationem, sed gratia qua homines disponuntur ad convertendum se, est sine dubio præveniens, ergo excitans & adiuvans gratia est præveniens secundùm apertam mentem Concilij. Maior est ipsa Concilij litera; minor est evidens, quia gratia quæ hominem disponit ad se convertendũ præveniens debet esse, quia præveniendo disponit, & disponendo prævenit; quod est satis manifestum, nec enim intelligi potest quod per excitantem, & adiuvantem gratiam homines disponantur ad se convertendum, & quod ab utraque non præveniantur in illa illorum dispositione, qua ut se convertant disponuntur. Deindè quia apertè Concilium docet quod homines hoc modo disponuntur per excitantem, & adiuvantem gratiam, quod per utramque habent actum quo liberè utrique assentiuntur, & cooperantur: ergo cooperatio & assensus liber effectus est excitantis & adiuvantis gratiæ, ergo utraque est prævenies assensum quem causat.

Adeo autem verum est, ut exordium justificatio- 303
nis sumendum sit ab excitante & adiuvante gratia prævenient, ut Concilium apertè statuit, ut ij authores qui negant adiuvantem gratiam esse prævenientem, compellantur concedere ex excitante tantùm gratia, quam solùm prævenientem esse admittunt; non oriri exordium iustificationis. Sic enim illorum quidam habet *libro 3. de auxilijs divinæ gratiæ cap. 13. §. Præterea: Præterea ubicumque sancti de libertate arbitrij loquuntur, dicunt ita se gerere Deum cum voluntate nostra, ut nullam vim ei ingerat, sed in potestate eius motum eius constituat: Ita ut eum inchoare possit si velit. Non igitur inchoatur motus bonæ voluntatis*, ut ait ab illa gratia prævenient: Ergo ab illa prævenient gratia non sumitur exordium iustificationis, si ipsa non facit ut homo incipit bonum motum, per quem incipit iustificari. Et statim subdit. *Hæ autem locutiones omnes, quæ non solùm sanctorum sunt, sed etiam divina scriptura, non possunt satis intelligi, & ad veram praxim reduci, si supernaturalis consensus etiam posita excitatione, & aliys ex parte hominis prærequisitis, inchoandus est ab illa efficaci Dei voluntate prædeterminante.* Quid clariùs proferre potuit; ut exponeneret consensum liberum supernaturalem non inchoari vel à gratia prævenient, vel à divina voluntate volente efficaciter quod eum homo inchoet & faciente quod incohet illum?

Quomodo ergo sumitur exordium iustificationis 304
de facto à gratia prævenient, vel à divina voluntate, si ab ipsa non inchoatur consensus liber quo homo incipit iustificari? proculdubio si ab homine non à gratia inchoatur bonus consensus quo incipit homo ad iustitiam moveri; ab homine & non à gratia erit exordium iustificationis. Ecce quam ex eo quod negant gratiam adjuvantem esse prævenientem, quam tamen prævenientem esse Concilium expressit, coacti sunt etiam contra Concilium concedere consensum liberum à gratia non inchoari sed à solo arbitrio, ex quo convincitur à gratia prævenient non sumi exordium iustificationis. Vt igitur hoc vitetur, necessariò cum Concilio statuendum est gratiam adjuvantem esse prævenientem.

Imò semper Concilium sacrum cum loquitur 305
de gratia prævenient, & consensu liberi arbitrij, qui ab ipsa fit, duo statuit ex parte prævenientis gratiæ, & duo alia proportionata in effectu ejus, qui est liber consensus arbitrij. Ex parte quidem gratiæ prævenientis, ut visum est modo statuit gratiam excitantem & adjuvantem; ex parte autem consensus arbitrij, qui effectus illius est, consensum & cooperationem, ut ista duo quæ sunt in effectu, aliis duobus qui sunt in causa, proportionabiliter correspondeant. Actus enim liberi arbitrij & dicitur assensus & cooperatio; assensus quidem dicitur per respectum ad gratiam excitantem, cooperatio autem per comparationem ad gratiam adjuvantem; sicut enim excitanti gratiæ assentimus, ita adjuvanti cooperamur.

Meritò autem loquendo de prævenient gratia 306
quæ exordium est justificationis, illam docuit esse excitantem & adjuvantem quia exordium justificationis à sola excitante gratia non sumitur sed ab illa, & ab adjuvante. Cum enim hæc adjuvans deficeret, potest quidem excitans gratia præveniendo excitare hominem, sed de facto ex illa exordium justificationis non sumitur, quia de facto arbitrium illi resistet, vel si ei consentiat hoc erit quia arbitrium ex se solo illi excitationi vult consentire; &

sic

Digitized by Google

sic exordium justificationis de facto non erit ex gratia sed ex hominis arbitrio. Igitur præveniens gratia à qua justificationis exordium sumitur non solùm excitans est, sed etiam adjuvans, ut aperta verba Concilij testantur.

307 Deindè Concilium idem statim post inducta verba subjungit. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippè qui illam & abjicere potest; nec tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Quæ verba *primo nostro libro exp.* 140. diligenter, ut putamus, expendimus. Vnde quæ ibi sunt dicta, breviter reassumentes asserimus in his verbis duo manifestè Concilium tradere primum est posse nos abjicere illuminationem, & inspirationem; ideſt excitantem gratiam qua primo Deus cor nostrum tangit habereque hominem efficaciter adjutum; imò jam illam inspirationem recipientem potentiam ad conjungendum cum tali inspiratione contrarium dissensum, non autem vel cum consensu suo, vel cum Dei efficaci adiutorio prout ibi explicatum est, quia verbum abjicere, compositionem videtur importare, cum supponat id quod abjicitur juxta regulam Sancti Thomæ traditam eodem *primo libro cap.* 137. Alterum est sine gratia adiuvante etiam posita illuminatione, & inspiratione seu gratia excitante non posse homines se movere ad iustitiam coram Deo; hoc enim intelligit, cum ait. *Nec tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Itaque illuminationem & inspirationem in quibus consistit gratia excitans, abjicere libera voluntate possumus; quia hoc cum malum sit ex nobis efficere valemus; sed illi consentire, & sic consentiendo movere nos ad iustitiam coram Deo liberâ nostra voluntate non possumus, sine ampliori gratia Dei, id est sine adiuvante, qua adiuvat ut possimus, & adiuvando facit ut consentiamus. Vbi iterum docet adiuvantem gratiam esse prævenientem; si enim homo sine illa non se potest movere ad iustitiam: ergo per illam ad iustitiam movetur homo: ergo illa movet hominem ad iustitiam: ergo illa præveniens gratia est. Quod enim hominem ad iustitiam movet, necesse est, quod præveniendo ipsum ad iustitiam moveat, ut est apertissimum.

308 Præterea in fine illius capitis ita Concilium concludit: *Vnde in sacris literis cum dicitur convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostra admonemur: cum respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.* Attentiùs hæc verba sunt consideranda & expendenda, unde inferat Concilium hæc verba modo relata, proculdubio ex his quæ in illo capite præmiserat. Præmiserat autem Deum primo tangere cor hominis per gratiam excitantem prævenientem. Præmiserat posse hominem illum sua sola libertate abiicere: Præmiserat quod si ampliori gratia, id est, adiuvante non iuvatur, non potest homo se ad iustitiam sola sua libertate movere, & ex his infert, unde cum in sacris literis, &c. quasi clariùs dicat. Cum in sacris literis dicitur quod Deus non illuminat & excitat per hanc illuminationem, & excitationem libertatis nostræ admonemur, quia si libertatem non haberemus, nec Deus nos illuminaret, & excitaret ad bonum. Cum autem nos respondemus. Converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur, id est confitemur nos præveniri gratia adiuvante; qua verè nos Deus adiuvat, ut convertamur, & ita adiuvat, ut per eam de facto convertamur, ubi clarissimè tradit gratiam adiuvantem qua nos Deus ad se convertit esse prævenientem, & prævenientem esse nos fateri; cum dicimus: converte nos Domine, & convertemur. Quæ omnia diffusiùs probata & manifestata sunt citato nostro *primo libro cap.* 140. relato.

Ampliùs Concilium idem in *cap. 6. illius sessionis* 6. idipsum iterum manifestat, dum ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adiuti fidem ex auditu concipientis liberè moventur in Deum.* Per quæ verba clarissimè iterum non solùm excitantem gratiam, sed etiam verè adiuvantem tradit esse prævenientem, siquidem ut fidem ex auditu concipiant, per quam liberè moventur in Deum præsupponit quod sint divina gratia non solùm excitati, sed adiuti, & per utramque disponi ad ipsam iustificationem ut præcedenti *capite* 5. præmiserat. Proculdubio nihil clariùs in Concilio habetur illo *cap.* 5. & 6. quam tum excitantem, tum adiuvantem gratiam esse prævenientem hominis voluntatem, ipsamque ad iustitiam disponentem, atque moventem. Quis enim non videat quod si Concilium sentiret solam excitantem gratiam esse prævenientem, diceret tantùm exordium iustificationis sumendum à præveniente Dei per Iesum Christum gratiâ, id est ab eius vocatione, qua nullis existentibus eorum meritis à Deo vocantur, ut per excitantem gratiam ad suam iustificationem eidem assentiendo disponantur? Cùm ergo hoc non dicat, sed loquendo de præveniente gratia, quæ est exordium iustificationis introducat supra excitantem ipsam adiuvantem, fit manifestum docere Concilium etiam adiuvantem gratiam esse prævenientem. 309

Tandem in Canone tertio diffinit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio præveniente etiam; Hæc enim palmaria litera est Adiutorium autem prævenies supra inspirationem apertè gratiam adiuvantem sonat supra excitantem. 310

Vt autem perfecta intelligentia huius Canonis comprehendatur, oportet advertere Concilium antequam diffiniret veritatem contra Lutherum, & Calvinum, quod principaliter intendebat diffinire prius contra Pelagianorum omnium errores, ut ostenderet Ecclesiam damnando Lutheranos, & Calvinistas, non declinare, ad aliud extremum Pelagianorum; quod impudenter illi Ecclesiæ opponebant, propter aliquos paucos quos vident incautè id facere dum ut Calvinum impugnent ad aliud divertunt Pelagianorum errorem: sed media recta via inter utrumque versari, & utrumque æqualiter Ecclesiam sanctam expugnare. Et hac ratione in Canone primo damnat primum errorem Pelagii, ut notum est, & in secundo anathematizat illius secundum errorem vel secundum statum erroris illius, quod gratia sit tantùm necessaria ad facilius: In tertio autem nunc relato canone damnat tertium statum erroris Pelagii, cui pertinaciter adhæserunt Iulianus, Cassianus, Faustus & alij diffiniens non sufficere prævenientem illam indeliberatam inspirationem, & excitationem, ut homo convertatur; sed præter illam necessarium esse gratiæ verum, & proprium adiutorium præveniens. Vnde ait: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adjutorio*, scilicet præveniente, &c. De quo prævenient adiutorio supra excitationem fuerat præcipua quæstio sancti Patris Augustini, & aliorum sanctorum Patrum contra Pelagianos omnes Catholicis 311

Digitized by Google

defendentibus ut neceſſarium tale auxilium gratiæ; Pelagianis autem illud negantibus, ut ſæpiſſimè demonſtratum eſt, itaque illam gratiam quam in *cap. 5. & 6.* præmiſerat Concilium eſſe excitantem, & adiuuantem, & utramque prevenientem ut oſtenſum manet ex Canone tertio diffinit eſſe præveniens adiutorium ſupra prævenientem inſpirationem & excitationem.

312 Quo fundato prævenienti adiutorio propriæ gratiæ ſupra excitantem, ſtatim in *Canone* 4. iterum illud efficacioribus verbis ſtatuit dicens. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari* &c. Vbi iterum diffinit liberũ hominis arbitrium ut cooperetur conſentiendo Deo revelanti & excitanti, debere prius eſſe nec dum excitatum, ſed motum, & verè adiutum per veram, & propriam motionem, & adiuvantem gratiam, & ex conſequenti docet apertè illam excitatiõnem, & motionem, qua debet arbitrium excitari, & moveri ad cooperandum conſentiendo Deo vocanti, & excitanti utramque eſſe prævenientem. Et ex illa diffinit contra Calvinum, & Lutherum non tolli libertatem, ſed optimè cum illa noſtram libertatem ſtare; poſſeque liberum arbitrium ſic motum & excitatum diſſentire ſi velit; prout copiosè oſtenſuri ſumus infra explicantes & oſtendentes hanc Dei prævenientem gratiam adiuvantem, ſive præmotionem veram ſupra excitationem efficacem eſſe prout ex Deo venit independenter à libero creato arbitrio. Nunc enim iuxta propoſitum inſtitutum tantum intendimus convincere, Concilium ſacrum Tridentinum manifeſtè tradere, idque ſæpe gratiam adiuvantem eſſe prævenientem, & non ſolùm excitantem.

313 Quod denique à fine ipſius Concilij ſicut à potiſſima cauſa liquet. Finis enim illius fuit Lutheri, & Calvini; & ſimilium dogma confundere, quod omnes ſciunt, ſed iſti Hæretici in hoc errabant quod Dei efficacem motionem ponebant noſtram tollentem libertatem. Ergo Concilium oppoſitum diffinivit, nempe efficacem Dei motionem, ſeu verè adiuvantem gratiam hominis libertatem non lædere. Quod enim illorum Hæreticorum error ſit, ponere efficacem quandam Dei motionem noſtram tollentem libertatem evidens eſt; nam de inefficaci id nunquam dicerent nec dicere potuiſſent: imò nullam talem inefficacem ipſi admiſerunt, ut probatum dedimus *primo noſtro libro cap.* 139. Per oppoſitum autem Concilium talem efficacem Dei motionem & adjuvantem gratiam ſtatuit, quæ libertatem non lædat, ſed ſalvet, atque perficiat. Et hanc diffinit eſſe ſimul excitantem & adjuvantem gratiam prævenientem ſeu excitationem, & motionem. Quomodo autem Calvinus negaverit veram gratiam adjuvantem; ponendo aliam motionem efficacem tollentem libertatem ſatis aperuimus noſtro primo libro *cap.* 139. quod nec repetere oportet. Sed tantùm advertere quod illam motionem efficacem tollentem libertatem, quam Calvinus poſuit, Concilium damnavit, & veram efficacem Dei prævenientem gratiam ſtatuit, quæ eſt ſimul excitans & adjuvans, ſive excitans & movens; non autem movens tantùm ſine excitante, ut Calvinus delirabat. Igitur eſt manifeſtum in ſacro Tridentino Concilio gratiam adiuvantem ſive moventem ſupra excitantem eſſe prævenientem, & hominis ſalvare libertatem, ut ex ipſo clariùs oſtendemus, & ita id in Concilio eſt manifeſtum, ut nec in hoc eſſet immorandum, niſi quidam modo contenderent ſolam excitantem gratiam eſſe prævenientem. Quamvis autem & nunc & primo noſtro libro citato loco mentem ſacri Concilij ſufficienter oppoſuerimus; adhuc perfectè & ultimatè in capite 169. eam declaramus, & omnia argumenta quæ ex Canone objici ſolent ex profeſſo ſolvimus.

Cum ergo gratia adiuvans ſit prævenies ſecundùm apertam ſententiam Concilij Tridentini citatis 314
locis, & ij authores fatentur, quod ſi adiuvans gratia in Concilio prævenies eſſe convincatur, illa erit phyſicè ſeu verè efficienter prædeterminans; liquet ſacrum illud Concilium re ipſa gratiam phyſicè ſeu verè efficienter prædeterminantè tradidiſſe.

CAPVT XX.

Gratiam adjuvantem ut diſtinctam ab excitante eſſe prævenientem ex actis Concilij Tridentini fit manifeſtum.

QVamvis quæ ex Concilio Tridentino inducta 315
ſunt tam ex capitibus quam ex regulis fidei illius ſeſſionis ſextæ de juſtificatione ſatis oſtendant non ſolùm excitantem gratiam qua ratione excitans eſt, ſed etiam gratiam adiuvantem quatenus adjuvans, & quatenus addit ad puram excitantem; eſſe verè prævenientem ad abundantiorem tamen Doctrinam id ipſum ex actis ejuſdem Concilij, quæ Romæ aſſervantur, quæ ex particulari commiſſione vidimus, & legimus viſum fuit clariùs, & efficaciùs aperire. Referemus autem fideliter quæ licet ſingulariter à Patribus proponebantur, dum quilibet ſuum ſuffragium proponebat communi tamen ſuffragio acceptabantur.

Igitur in Congregatione Theologorum die lunæ 316
28. Iunij, *fol. 9. pag. 2.* in reſponſione Theologorum ad illa duo requiſita; primum, quid efficiat Deus; ſecundum quid requiratur ex parte hominis, hæc habentur: *Ex parte Dei requiritur concurſus non ſolùm generalis, ſed etiam qui non deſtruit ſed perficit liberum arbitrium. Ex parte noſtra requiritur bonus motus voluntatis & non reſiſtere Deo moventi.* Et infrà: *Ex parte hominis requiritur ut ei aperiamus & non repugnemus.*

Fol. 10. *pag.* 2. Reſponderunt ijdem Theologi. 317
Primum in juſtificatione eſt gratia Dei movens, cui ſuccedunt actus liberi arbitrij non renuentis, ſed aſſentientis. Vbi conſultò dicunt gratiam Dei moventem, nec dicunt tantùm excitantem, ut oſtendant quod præter excitantem movens gratia requiritur, id eſt excitans & adiuvans, ſeu excitans, & movens eſt primum in iuſtificatione, quia eſt unde ſumitur iuſtificationis exordium, ut poſtea Concilium diffinivit. Si autem eſt primum in iuſtificatione hæc excitans & movens gratia proculdubio prævenies eſt, quia primum in iuſtificatione neceſſariò debet eſſe prævenies.

In Congregatione generali die lunæ 5. Iulij cæ- 318
perunt Patres ſuper articulos de iuſtificatione ſententias dicere, & quidam Reverendiſſimus Epiſcopus Materan. ut habetur folio 14. dixit. *Si quis ſanè audiens ſermonem veri prophetæ velit recipere, aut nolit amplecti onus ejus, id eſt, mandata vitæ habet in ſua poteſtate; liberi enim ſumus arbitrij, nam ſi hoc eſſet ut audientes ea jam non haberent facultatem aliud faciendi quam audierant, vis erat quædam natura per quam liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam.* Quod ſuffragium pro ſe ij Authores inducunt, non attendentes, quod idem Reverendiſſimus Epiſcopus quod *folio* 15. refertur *pagina* 2. poſt multa ex ſacris literis allata teſtimonia quæ non ſolùm auditionem ſermonis veri Prophetæ: ſed veram Dei gratiam neceſſariam ad amplectendum onus illius

teſtifican

Digitized by Google

testificantur. Ita concludit; *Ex quibus intelligitur gratia præveniens, coadjuvans liberum arbitrium infidelis illuminati, & voluntatis non coacta, sed promptè accepturis gratiam Dei.* Igitur ut infidelis liberè gratiam Dei acceptet, non solum auditio sermonis exterioris sufficit, sed est necessaria gratia præveniens & coadjuvans liberum arbitrium; illa nempè, quæ in superioribus ab omnibus acceptata fuerat, nempè specialis, & non generalis, seu gratia movens, & non solùm excitans. Qua posita licet de facto consentiat arbitrium, tamen liberè gratiam acceptat, & non coactè, potentiamque seu potestatem habet aliud faciendi, vel ad aliam migrare sententiam. Vnde hoc suffragium in nullo his authoribus suffragatur, sed priorum jam inductorum sententiam confirmat.

319 In *folio* 18. *pagina* 2. dicitur; *Quod audito verbo Dei illabitur in homine gratia Dei præveniens excitans liberum arbitrium ad assentiendum legi Dei, qua excitatione movente erigitur ut assentiatur & cooperetur gratia Dei ex cujus radice cooperante libero arbitrio activè producit jam gemmas fructuum.* Vbi primum dicit Deum excitare arbitrium. Deindè quod illa excitatione movente erigitur ut assentiatur, & cooperetur gratiæ Dei in qua motione non obscurè asserit non solùm fieri excitationem moralem, sed verè, & activè moventem ad assentiendum, & cooperandum; quia dicitur quod per talem motionem assentitur, & cooperatur arbitrium gratiæ Dei. Si autem motio solum esset excitans moraliter, sufficeret dicere, quod illi assentitur arbitrium, sed quia dicitur, quod cooperatur arbitrium eidem gratiæ Dei, necesse est dicere, quod illa gratia verè operetur.

320 *Folio* 19. *pagina* 1. dicitur; *Quod Deus omnia in omnibus operatur & quod prius seminare facit verbum salutis; secundò liberum excitat arbitrium, & extollit ad credendum & consentiendum; tertiò ad cooperandum.* Vbi post excitationem liberi arbitrij ponitur quod Deus ipsum extollat ad credendum, & assentiendum; id est, ipsum verè adjuvet, extollendo arbitrium supra se ad credendum & assentiendum imò addit quod tertiò illud extollit ad cooperandum, nimirum faciendo eum cooperari.

321 In Congregatione Generali die Martis 6. Iulij folio 23. pagina 2. habentur hæc verba. *Dominus vocat, monet, & trahit, modo quis vocationi, & tractioni pertinaciter, & obstinatè non resistat.* Et folio 24. pagina 1. *Ex parte hominis requiritur quod divinæ vocationi consensum præbeat, nec attractioni pertinaciter resistat.* Et infra. *Posse autem hominem reluctare divinæ vocationi, ejusque auxilium renuere satis constat, ex eo quod habetur* proverb. 1. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui audiret.* Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti.* Et folio 25. refertur illud quod Sancto Patri Augustino tribuitur, *initium salutis nostræ Deo miserante habemus, ut autem acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est.* Quæ verba, quæ pro se ab his authoribus inducuntur, fatemur, esse intelligenda de sola gratia excitante, quatenus præcisè excitans est; vel quod idem est de communi & generali tantùm vocatione constat, tum ex verbis illis; excitat, monet, attrahit (id est moraliter vocat) tum ex utroque allato scripturæ testimonio; quod secundum omnium Theologorum sententiam; de gratia tantùm sufficiente, seu solùm excitante, sive de communi & generali vocatione procedit, cui proindè homo reluctatur, atque resistit.

322 Imò ut omnis difficultas penitus auferretur, & omnis contentio dirimeretur, statim *folio* 26. *pagina* 1. respondent Theologi ad illud quod fuerat in Concilio propositum & quæsitum (quid videlicet faciat homo in sua justificatione) ita dicitur & à toto Concilio acceptatur. *Quid faciat homo, dico quod homines præveniuntur & moventur per gratiam Dei, si tamen quidam sunt sic obstinati sapius præveniuntur; & tandem Dominus magna sua misericordia sicut Concilio suo ait ergo prædestinavit, inclinat, & movet forti suo favore, ut in Paulo nec sequitur injustitia in Deo quia omnibus dat sufficienter per talem prævenientem gratiam; si tamen quempiam fortius movet maximè est sua misericordia.* Quid clariùs vel quid apertius dici potuit, ad ostendendum præter excitantem & sufficientem gratiam dare Deum fortius auxilium his, qui de facto convertuntur, quod fortiori auxilio dicitur, quod Deus movet & inclinat hominem ut convertatur? Planè nihil efficacius & apertius proponi potuit. Auxilium enim præveniens adjuvantis gratiæ supra excitantem, quod nos efficax dicimus supra sufficiens, Patres Concilij illud distinguentes à sufficienti vocant forte auxilium imò fortius, quæ voces fortiores sunt & efficaciores, quàm vox, efficax auxilium; sed & aliud in prædicto testimonio considerandum; cum dicitur quod Deus omnibus dat auxilium sufficiens quod non intelligit de omnibus hominibus nullo dempto, sed de omnibus vocatis, quibus dat auxilium sufficiens ad vocationi consentiendum de hoc enim sermo erat, non autem quod nulli omnino hominum illud neget; quod nec ibi tractabatur; nec id dicendum est; ut constabit infra, cum de auxilio sufficienti an omnibus detur sermonem instituemus.

Ad hoc testimonium noluerunt hi authores at- 323
tendere, vel illud considerare, imò illud consulto tacuerunt nec induxerunt inter alia, quæ etiam illi ex actis Concilij collegerunt prædicti, quia videbant minus illud explicare se posse; non attendentes, quod omissum ab illis testimonium; deesse non poterat qui illud induceret, & per ipsum eos totaliter expugnaret.

In Congregatione Generali die veneris 9. Iulij 324
folio 43. *pagina* 2. sic dicitur; opera facta post primam illam vocationem; id est post gratiam prævenientem disponunt ad justificationem, & homo tunc potest, & non potest consentire. Quorum verborum sensus est; potest consentire, & non consentire potest, sed quia ex isto etiam loco authores cum quibus agimus suam sibi videntur colligere sententiam de excitante quæ sit sola præveniens gratia, cui consentire & non consentire homo possit. Advertant, quod ut hanc falsam intelligentiam præcluderet, qui supra priora verba proposuit statim *folio* 44. in initio illud proponit; qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei, & id dicendum esse docet de spiritu cooperante, illud etiam non est volentis, nec currentis, sed miserentis, id est principaliter. Vbi duo simul convertit primum quod post primam vocationem homo potest consentire, & non consentire. Secundum quod cum hoc optimè stat, quod qui spiritu Dei cooperante aguntur, hi sunt filij Dei ubi planè per spiritum cooperantem intelligit prævenientem, siquidem per illum aguntur filij Dei; agere enim præeuntis est, non subsequentis, & nos infra ostendemus gratiam cooperantem, nec esse subsequentem, vel simul natura cum arbitrio concurrente, sed esse prævenientem ad volitionem mediorum. Et primò & principaliter non est currentis currere, sed primò & principaliter est Dei sua præventione miserentis, ut velit, & currat. Vnde nihil per illa prima verba rectè exposita per posteriora habetur, quod istis authoribus favere possit.

Quod

Digitized by Google

325 Quod autem ista sit ipsissima illorum Patrum intelligentia apertissimè constat nam illico *fol.46.pag. 1.* Quandam sententiam proponunt in qua etiam contentiosos quosque atque protervos convincunt quod ad consentiendum, vocationi, seu excitanti gratiæ requiratur præveniens adjutorium, id est, illud fortius auxilium, de quo jam supra mentionem fecerunt, verba enim sunt; *Sentimus quemdam interiorem motum nos ad meliora vocantem, nobisque antè oculos proponentem crucem. Cui quidem motui sæpè sapiùs pulsanti requiritur quod ex parte nostra adsit assensus, sed quia hominis natura pronior est ad malum; sine dubio vinceret caro continuo spiritui repugnans; rejiceretur que motus ille sanctus, nullus præstaretur assensus nisi gratia illa dispositione illâ divinâ, quam primum consideravi, præstitisset ut diffusa in corde hominis, ita voluntatem & assensum ejus affecisset, ut libenter nulla obstante vi, & repugnantia carnis, qua foras mittenda est per novi hominis indutionem liberè & ex animo huic motui assentiretur.* Necessaria est ergo divina gratia, quæ faciat assentiri vocationi atque excitationi hæc autem gratia proculdubio adjuvans est quæ ita afficit voluntatem, ut assensum velit præstare omni superatâ difficultate carnis; quæ si non adjuvet sic hominis voluntatem ad assensum eliciendum, sine dubio assensus non præstabitur, sed omnis prior motus excitantis gratiæ rejicietur, ut apertis verbis Patres nos docent; qui in eadem præveniente gratia, & in eadem entitate duas formalitates, seu rationes, vel officia considerant. Primò motum gratiæ excitantis nos ad bonum. Secundò quod ut non rejiciatur ille excitationis motus, ipsa prior gratia adjuvet voluntatem ipsam amplius præveniat, ipsam fortificet, ipsam corroboret, ut non velit rejicere vocationem excitantis gratiæ: sed ut ei velit consentire. Ex quo testimonio ego colligo excitantem & adjuvantem gratiam realitate eandem esse, sed formalitate, & officio diversam. Quod clariùs postea idem Concilium firmavit *sess.6. cap.5.* dum postquam excitantem, & adjuvantem gratiam expressit statim ait. *Vt eidem gratiæ assentiendo & cooperando disponantur.* Eadem ergo est gratia cui assentimur, & cooperamur, sed assentimur excitante & cooperamur adjuvante. Ergo excitans, & adjuvans eadem in realitate & entitate gratia est quamvis in eadem gratiæ entitate sit diversa ratio, & diversum officium excitantis, & adjuvantis: illius est etiam ad bonum consensum excitare, istius adjuvare ut excitanti consentiamus, sicut ex Patribus modo apparet. Proculdubio, vel hæc sola Patrum sententia sufficere deberet, & ij authores à sua opinione desisterent, & cum Patribus illius Concilij faterentur posita excitante gratia quatenus præcisè excitans est, nullo modo consensum liberum illi præstari, nisi amplior vel fortior gratia adiuvet, vincendo difficultates carnis, & faciendo arbitrium liberè consentire.

326 In eadem Congregatione *folio 48. pagina 2.* dicitur; *Infidelis primum vocatur, & excitatur à Deo, qui si est infidelis tantùm facilè aperiet, si autem est infidelis cum malis moribus difficiliùs surget, & aperiet; uterque tamen potest, & non potest consentire, qui consensus licet à Deo primùm proveniat, tamen merè voluntarius est in homine.* Sensus priorum verborum est; (ut diximus) potest consentire, & non consentire potest; in eo autem quod ait consensum esse principaliter à Deo, istorum Authorum doctrina amputatur; qui volunt quod consensus, ut est influxus arbitrij à Deo non venit, quod & in sua sententia infra erit demonstrandum, dicere tenentur. Sed tantùm ab arbitrio. Citant quidem pro se ij Authores verba ista, sed quam contra se iam patet, sed & consulto alia verba quæ ibi habentur omiserunt, quia illa videbant apertè suæ sententiæ esse contraria, sic enim habet eodem *folio 48. pagina 1.* linea secunda.

Hinc patet quid facit Deus, & quid homo, Deus 327
enim duo in nobis sine nobis facit. Primum est vocare nos, seu excitare, cum dormimus; secundum est infundere donum iustitiæ, quo regeneramur, & iustificamur, nos verò etsi non soli sed Deo cooperante acceptamus utrumque donum, scilicet primam gratiam vocationis prævenientem & gratiam ipsam inhærentem, in usu verò horum talentorum tam primi, quàm secundi gratia & liberum operantur. Ita quod omnia opera tota sunt Dei, & tota nostra, sed Dei principalius nostri verò minus principaliter. Notanda illa verba nostrumque donum acceptamus, etsi non soli sed Deo cooperante. Igitur ad acceptandam primam vocationem Deus in nobis cooperatur, ubi cooperationem sumit pro adiuvante gratia, qua ad consentiendum & acceptandum primam gratiam movemur & adiuvamur.

Notanda illa alia sunt, omnia opera nostra tota 328
sunt Dei, & tota nostri, & Dei principaliter nobis minus principaliter. Igitur consensus quo excitanti vocationi consentimus totus est Dei, & totus nostri, & Dei magis principalis. Quomodo autem totus potest esse Dei in sententia horum Doctorum, qui dicunt quod posita gratia excitante Deus expectat ut homo inchoet suum consensum, quem adjuvet cooperando subsequenter? Profecto si illa inchoatio consensus à solo arbitrio fit totus consensus non fit à Deo, tantùm abest quod ab illo magis principaliter fiat, quam ab homine. Sententias istas nec referunt, nec considerant authores ij, quibus per Patres Concilij authores ij, tam patenter expugnantur.

Eodem *folio 48. pagina 2.* sic dicitur: *Homo mi-* 329
sericorditer prævenitur à Deo gratiâ suâ, quia primum excitat ad fidem, huic autem vocationi potest homo adjutus obedire & reniti. Vbi clariùs proponitur gratia adjuvans præveniens, qua adjutus homo potest obedire, & potest reniti. Per quod explicatur Canon 4. ejusdem Concilij diffinientis quod arbitrium excitatum & motum consentit Deo vocanti & excitanti, & potest dissentire si velit, scilicet eidem Deo vocanti & excitanti; de quo primo nostro libro egimus, & infra copiosè dicturi sumus.

In Congregatione generali die Martis 13. Iulij 340
fol.51. pag. 2. habetur; *liberum arbitrium non cogitur a gratia Dei, imò non potest cogi; gratia tamen in homine operatur ut liberum arbitrium benè velit, hoc tamen non coactè, sed mitè, & miro quodam modo, adeo quod liberum arbitrium ex se ipso velit, & agat.* Ecce docemur quod gratia in homine operatur ut arbitrium benè velit; quod profecto de sola excitante, quatenus purè excitans est intelligi nequit; quia hæc non magis operatur ut velit in eo qui convertitur, ac in eo qui non convertitur, cum utrique communis sit. Vnde attendentes Patres hanc operationem gratiæ; qua Deus per adiuvantem gratiam verè operatur ut velimus efficaciter hominem converti statim responderunt ad id quod poterat opponi, quod sine libertate operatur arbitrium, dicentes quod Deus mitè & suaviter sic operatur, ut arbitrium liberè velit.

Folio 86. linea penultima habetur. *Si quis dixe-* 341
rit in hujusmodi bonis operibus, quibus homines Dei justificati sunt, justificantur, & justificabuntur in Christo, nos nihil agere sed tantùm agi à Spiritu Sancto, Anathema sit. Quia qui dicit faciam ut faciatis, & nos facere, & sine illo facere non posse manifestè dicit.

In

Digitized by Google

332 In folio 99. & sequentibus, omitto quod Canon ille 4. *sessionis* 6. Qui in Concilio habetur semel sub una formâ propositum fuit, nec Concilio placuit: sed & secundò reformatus, & iterum Concilio propositus etiam non placuit: donec tertiò reformatus sub eadem forma, quâ nunc in Concilio diffinitur, qui omnibus placuit.

333 Illud etiam ultimò notaverim, quod *folio* 133. habetur, quod Pater Lainez & duo alij loco illorum verborum, *liberum arbitrium excitatum & motum*: dicebant non *liberum arbitrium motum*, sed *mens*, id est *intellectus*, *excitata & mota poneretur*: Vt appareat quam antiquitùs sij patres negent motionem veram, quâ Deus voluntatem movet ad agendum. Postquam etiam tunc instabant: *Vt mens & intellectus motus & excitatus* ponerètur, non verò liberum arbitrium seu voluntas.

334 Similiter insistebant, ut poneretur posse arbitrium dissentire communi vocationi; quod Concilium non admisit, non ut quidam opponunt, ne videretur sentire cum illis, qui voluntatem dicunt alicui speciali motioni dissentire non posse: nulli enim sunt, qui dicant voluntatem cuicumque vocationi dissentire non posse; imò dicunt quod etiam motum, & efficaciter adjutum potest arbitrium dissentire Deo vocanti & excitanti; ut canon. 4. ejusdem Concilij apertè definit, de quo tamen infrà, nunc enim tantùm ostendimus Patres Concilij præter excitantem gratiam, quatenus excitans est, admisisse & statuisse gratiam adjuvantem quæ fortiùs juvaret arbitrium, & ipsum præveniendo faceret vocanti seu excitanti gratiæ consentire.

335 Præterea Concilium provinciale Colonienſe *in Enchiridio tract. de Sacramento pœnitentiæ §. sed interim*, gratiam prævenientem duplicem esse statuit; unam quidem, quâ Deus prævenit peccatorem, ut resurgat; alteram verò quâ peccator prævenienti Deo assentiens jam resurgit, & iterum ibi. *Vtrâque voluntatem nostram prævenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur: in altera voluntas nostra Deum prævenientem subsequens ei per velle seu assensum cooperatur.* Non igitur est gratia excitans solùm prævèniens; sed alia est etiam prævèniens, scilicet gratia adjuvans: præter excitantem enim nulla alia esse potest prævèniens nisi adjuvans gratia, quæ dividitur per operantem, & cooperantem. Imò prædictum Concilium utramque clariùs exposuit, officium utriusque explicando. Illa enim quâ Deus prævenit peccatorem ut resurgat, excitans est: illa autem quâ peccator assentitur Deo sic excitanti est adiuvans; quam etiam Concilium dixit semel & iterum esse prævenientem. De excitante verificatur, quod illam solus Deus subministret; de adiuvante verò quod illam sequens nostrum arbitrium per suum consensum ei cooperetur. Est autem maxima authoritas hujus provincialis Concilij, quia immediatè fuit celebratum post illam sessionem 6. Concilij Tridentini. Vnde videtur quasi illius explicatio.

336 Quod autem dicit duplicem esse illam gratiam prævenientem; videlicet excitantem & adiuvantem, non intelligit esse duas realiter distinctas, sed esse duas formalitate, officio, & munere diversas.

CAPVT XXI.

Ex necessitate dicendum est excitantem & adjuvantem gratiam esse prævenientem.

337 REvocanda in memoriam sunt, quæ *nostro primo libro* de Calvino & eius erroribus circa negandum verum auxilium prævenientis gratiæ, & nostri arbitrij libertatem præmisimus, ut clariùs constet quomodo ipsum cum erroribus suis perfectè damnaverit Concilium Tridentinum. Tradita enim ibi sunt septem vel octo, quibus completè omnis Calvini hæresis comprehenditur. Primum fuit admisisse Calvinum in homine deliberationem rationis ex parte intellectus, sed adhuc illâ præhabitâ dixisse, movere Deum illius voluntatem efficaci quadam motione tollente illius libertatem. Quia enim ipse asseruit post primi hominis peccatum mansisse hominis arbitrium quoad suam libertatem extinctum: ideò similem & proportionatam motionem efficacem constituebat, quæ nullo modo libertatem causaret, sed arbitrium motu naturali, sive ad modum motus primo primi ad actum spontaneum sine libertate moveret, miserè errans in constituendo arbitrium liberum extinctum post peccatum primi parentis. Quamvis enim læsum manserit, ut Concilium Tridentinum definit, non tamen extinctum in libertate sua fuit. Erravit enim minus consequenter loquens, dum positâ ex parte intellectus ratione deliberante, ex qua infallibiliter arbitrij libertas consequitur sicut ex prima sua radice, ipse per oppositum illâ præmissâ arbitrij libertatem negavit.

338 Vt autem constitueret hanc Dei efficacem motionem quasi violentam & rapidam libertatem tollentem, seu (ut formaliùs loquamur) nullam in homine libertatem supponentem sive causantem; asseruit secundò nullam esse excitantem gratiam, quæ invitaret, suaderet, alliceretve arbitrium moraliter ad operandum, quia videbat quod excitatio sic alliciens, suadens, & invitans morali modo non fit nisi habenti liberum arbitrium in ordine ad actum liberum producendum, qua ratione brutis talis moralis excitatio non fit.

339 Tertiò pari ratione negavit veram adiuvantem gratiam, quia considerabat, quod sicut S. P. Augustinus contra Pelagianos demonstrat, & Ecclesia confitetur, non adiuvatur nisi qui aliquid ipse facit: unde si liberum hominis arbitrium adiuvari admitteret per veram adiuvantem gratiam, fateri convincebatur quod liberum ipsum arbitrium aliquid liberè efficeret.

340 Qartò sicut negavit arbitrium cooperari gratiæ, ita cooperantem gratiam negavit; quod ex eodem fundamento deducebat, ut videlicet nostram libertatem in consentiendo auferret. Cognoscebat enim quod si Dei gratia arbitrio nostro cooperatur, & nostrum arbitrium eidem gratiæ cooperans est, fateri tenebatur ipsum liberè in tali cooperatione assentiri. Vnde contra Sanctum Augustinum docentem quod omne opus bonum gratia præcedit, comitante non ducente, pedissequa non prævia voluntate, ipse per oppositum asseruit perperam homini tribui, quod gratiam prævenientem pedissequâ voluntate sequatur.

341 Hæc quatuor Calvinus manifestè constituit: ex quibus illud quinto loco deducitur, non admisisse hæreticum illum aliquod verum auxilium gratiæ sufficiens,

Digitized by Google

sufficiens, quod consistit in illa excitatione, quæ & vires sufficientes voluntati tribuit, & ipsam allicit, suadet & invitat moraliter ad actum liberum efficiendum, quem potest, si velit per prædictas sufficientes vires producere.

342 Sextò etiam manifestè convincitur eum non admisisse aliquam veram prævenientem Dei efficacem motionem, hæc enim vera præveniens gratia efficax est gratia excitans, & simul adiuvans (ut ex Concilio Tridentino jam manet ostensum) quam tamen ille, ut relatum est modo, non admisit, sed quandam aliam efficacem prævenientem motionem finxit, quæ ita efficaciter voluntatem ad actum spontaneum impellat, ut illam non excitet, nec adiuvet, nec sibi faciat cooperari.

343 Septimò illud pari ratione concluditur, non modo Calvinum errasse in consequenti, scilicet in hoc, quod ex efficaci Dei prævenienti motione intulit ablationem nostræ libertatis, quod à multis audio defendi, putantibus ipsum tantùm in illatione & consequenti errasse; sed etiam errasse in antecedenti, quia veram Dei efficacem gratiam, seu veram prævenientem motionem, sive verum præveniens gratiæ adiutorium non admisit. Quia admissâ omnium primò per eum ratione deliberante in homine, debuit inferre, pro operibus naturalis ordinis motionem præviam proportionatam illi rationi deliberanti, ac proindè causantem hominis libertatem. Pro operibus autem gratiæ excitantem & verè adiuvantem gratiam, non autem aliam motionem tollentem libertatem: quod quia non fecit, ut dictum est, in hoc erravit etiam consequenter non loquens. Ex hoc autem errore consequenter alium intulit, nempè negationem actualem nostræ libertatis; quia motio efficax, quæ nec est excitans, nec adiuvans pro operibus supernaturalibus, nec est proportionata rationi deliberatæ pro operationibus ordinis naturalis, sed ipsi adversa atque contraria, non mirum quod libertatem hominis non causet, sed eius dicatur tollere libertatem, vel supponat arbitrium extinctum ad liberè operandum, ut ille supponebat.

344 Octavò, quod est attentiùs considerandum, in negatione gratiæ prævenientis verè adiuvantis, sive in negando vero adjutorio prævenientis gratiæ communis causa Pelagianis, Lutheranis & Calvinistis fuit, licet ad illud negandum moveantur fine & intentione diversa. Nam Pelagius & sequentes eum omnes Pelagiani; ideò illud verum prævenientis gratiæ adiutorium negant, quia putant per illud tolli arbitrij voluntatem, quam illi defendere ostentabant. Lutherus & qui illius sequuntur insaniam ideò illud inficiantur, quia dicunt hominem merè passivè se habere in justificatione: unde superfluum in eo poneretur tale adiutorium. Calvinus verò, & qui illius adhærent errori, propterea non admittunt illius veræ gratiæ prævenientis adjutorium, ne si illud admitterent, convincerentur fateri liberum arbitrium, quod sic adjuvatur, aliquid suâ libertate efficere: cum videant id per sanctum Augustinum aliosque Sanctos Patres contra Pelagianos fuisse convictum.

345 Nonò & ultimò id omnes perpendant: cum quibus ex relatis consentiant modo, qui nimis contendunt non dari illud prævenientis gratiæ verum adjutorium, seu veram prævenientem gratiam adjuvantem. Cum enim publicent, quod ideò illam negant, ne nostra lædatur arbitrij libertas, quam tolli, vel impediri per illam arbitrantur; constat quod cum prioribus in omnibus convenientia est, & in negatione illius. Veri adiutorij, & in fine propter quem illud inficiantur, sed & cum Calvino, quod sæpius in his operibus ostendemus, convenire noscuntur: primò quia illud adjutorium veræ gratiæ cum illo abnegant. Secundo quia si illud daretur, per illud tolli libertatem asserant, approbantes in hoc doctrinam Calvini, qui per Dei motionem auferri libertatem asseruit. Imò tertiò, ut apparenter id persuadeant, illud divinum prævenientis gratiæ adjutorium eodem modo, quo Calvinus intelligunt, nempè prævenientem quandam Dei motionem ex natura sua efficacem, & per modum naturæ moventem arbitrium sine libertate aliqua. Hoc enim sic semper exponunt, opponentes deffensoribus gratiæ, quod tale præveniens adjutorium admittant, quale illi cum Calvino commentantur. Hæc intelligunt, aut intelligere valent hoc prævenientis gratiæ adjutorium non ex natura sua, aut ex entitate sua præcisè secluså divinâ voluntate, cujus actualis motio est, sive per modum naturæ voluntatem adjuvare; sed esse actuale, divinum instrumentum, & actualem divinam virtuosam motionem, quâ Deus voluntatem præparatam morali & humano ac libero modo per gratiam adjuvantem adjuvat, præbendo vires efficacissimas voluntati, ut de facto velit id quod gratia excitans suaviter suadet; ac ut feratur in id quod eam allicit, invitat, atque delectat.

Itaque & istis Authoribus & Calvino concedimus, quod si hæc præveniens adjuvans gratia 346
nullo modo præsupponeret excitantem, sed absque omni excitatione Deus voluntatem moveret, seu impelleret ad actum supernaturalem, illa motio non esset adjuvans gratia, quia gratia adjuvans præsupponit essentialiter excitantem. Vnde sicut non esset tunc excitans, ita nec verè esset adjuvans, sed esset alterius ordinis motio, non per modum liberum & humano modo, sed per modum naturæ voluntatem movens ad actum. Verum est quod in tali casu omni negatâ gratiâ excitante, ut etiam verè adjuvante, illa motio præveniret omne auxilium, & omnem deliberationem circa tale objectum supernaturale, & sic moveret per modum naturæ, & actus à voluntate elicitus se haberet ad modum actus primo primi: hoc videtur sæpe dictum à S. P. Augustino. Primò id expressè docet *libro 2. de peccat. merit. & remiss. cap.* 18. dicens: *Quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus.* Igitur utraque deficiente ad Deum converti non possumus. Deficit autem utraque si prima excitans deficiat, ut dictum est. Secundò *in Enchirid. cap.* 33. superiùs citato cum dicit: *quod Dominus præparat voluntatem adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Cujus non est sensus, quod solùm præparatur voluntas per excitantem adjuvanda consentiente jam ipsa per comitem adjuvantem, ut ij authores extortè exponunt, sed sensus est duplex: Primus quod Deus præparat voluntatem per excitantem & adiuvantem gratiam prævenientem quâ facit ut velimus, & adiuvat sic præparatam voluntatem per cooperantem ut perficiamus quod volumus: quia enim adiuvans gratia dividitur per operantem & cooperantem, ut infrà monstrabimus, sumitur aliquando pro cooperante sicut in testimonio citato. Et eodem modo adiuvantem sumit pro cooperante *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.* Dicens: *An quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus, adjuvet Deus.* Vbi constat sumere S. D. adiutorium pro gratia cooperante, quâ Deus in nobis perficit, quod per operantem incœpit, ut apertè ipse declarat *lib. de gratia & libero arbitrio cap.* 16. & 17.

Secundus sensus etiam legitimus est, nimirum 347
quod Dominus per excitantem gratiam præparat

voluntatem

Digitized by Google

voluntatem adjuvandam per ulteriorem adjuvantem prævenientem, & adjuvat per prævenientem voluntatem priùs præparatam per excitantem, ita ut excitans gratia præparatio sit respectu ulterioris adjuvantis prævenientis, sine qua excitante præparante adjuvans gratia non detur, sicut adjuvans gratia etiam voluntatem efficaciter præparat ad liberum consensum, quo excitanti consentimus.

348 Vnde duplex est distinguenda voluntatis præparatio. Altera quæ fit per excitantem respectu adjuvantis; altera quæ multo perfectior est, fit per adjuvantem respectu liberi consensus. De illa prima procedit testimonium ex Enchiridion sicut de hac secunda illud scripturæ testimonium, præparatur voluntas à Domino, quod SS. Patres exponunt de efficaci præparatione ad actum liberum, quæ per solam excitantem non fit; sed per adjuvantem simul. Vtraque assignata & exposita intelligentia est ad mentem S. P. Augustini in illo loco, sed hæc secunda nostræ intentioni deservit, qua habetur per excitantem gratiam præparari voluntatem ad habendam adjuvantem, quæ de facto velit bonum, ita quod sine excitante sic voluntatem hominis præparante non ei datur adjuvans, quæ faciat ipsum benè velle.

349 Clariùs *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17.* docet *quod nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat*, imò impossibilè est quod voluntas velit bonum quod se latet, vel quod eam non delectat. Si autem omnis cessaret gratia excitans, & ex parte intellectus, & ex parte voluntatis respectu alicujus supernaturalis objecti, illud bonum lateret, nec delectaret. Vnde voluntas in illud liberè non ferretur, nec aliquâ verâ gratiâ adjuvante ad illud appetendum posset adjuvari, imò ut per modum naturæ in illud tenderet, per modum naturæ per intellectum ei deberet proponi. Vnde non semel docet; *quod Deus operatur in cordibus hominum non solùm veras revelationes sed etiam bonas voluntates.* Vtrumque enim intùs operatur, & primò revelationes, & excitationes, deindè bonas voluntates; quia hoc secundum sine illo primo non fit. Hinc etiam docet, quod miris modis Deus operatur in cordibus hominum; quia nempè excitationes miris modis fiunt, prout diversæ sunt hominum inclinationes. Illa enim excitatio quæ unum alliceret & invitaret, alterum nec invitaret, nec alliceret, & ex consequenti nec eum adjuvans gratia adjuvaret.

350 Præterea hoc docet Sanctus Doctor *epist. 95. ad Innocentium* illis verbis. *Lex jubere novit gratia juvare; nec lex juberet si non esset voluntas*, scilicet libera; *nec gratia juvaret, si satis esset voluntas.* Et infra, *sicut ergo agnoscimus voluntatem cum hæc præcipiuntur, sic & ipse* (scilicet Pelagius) *agnoscat gratiam cum petuntur.* Igitur lex præcipiens liberam ostendit voluntatem, oratio autem divinam gratiam manifestat. Et sicut si non esset libera voluntas, lex non præciperet, ita si voluntas sufficeret, non esset necessaria gratia. Nomine autem legis, quod in Sancto Doctore est frequentissimum, intelligit omne illud quod non recedit à lege atque doctrina, qualis est interior revelatio, & moralis suasio, quæ revera non esset, si libera hominis voluntas non esset; ad quid enim moraliter excitaretur, qui libere nequiret operari. Proculdubio hac sola ratione animalia bruta nec excitantur moraliter, nec eis per legem præcepta proponuntur, quia libertate carent. Ex hoc sic fit argumentum sicut negatio ad negationem, sic affirmatio se habet ad affirmationem; excitatio moralis non fit nisi potenti liberè operari; ergo omne liberè operans debet moraliter excitari, sive excitatione naturali pro operibus ordinis naturalis, sive supernaturali pro operibus gratiæ; ergo cessante omni excitatione morali cessaret in illo actu libertas, ergo cessaret pro eodem actu gratia verè arbitrium adjuvans, quia hæc non adjuvat nisi arbitrium aliquid suâ libertate operetur, ut ex Sancto Patre Augustino relatum est supra.

Idipsum docet libro de prædest. sanct. cap. 11. 351
Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur; ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit ut faciamus. Eodem prorsus modo ideo ad hæc moraliter excitamur, & dona Dei esse monstrantur; ut sciamus ex primo, quod nos ea liberè facimus, nostram enim libertatem moralis excitatio ostendit; & ex secundo sciamus quod Deus facit per adjuvantem suam gratiam ut ea faciamus. Quia enim duo sunt in actu nostræ voluntatis, quo justitiæ Dei consentimus, nempè & quod infallibiliter consentiamus, & quod liberè consentiamus; ita duo debent esse ex parte gratiæ nos moventis ad consensum; & quod nos morali modo excitet ad ostendendam nostram libertatem, & quod infirmitatem nostram adjuvet, ad ostendendum quod Deus facit, ut faciamus, & quod donum Dei est quod sic benè consentiamus; ut sic omne quod est in effectu, ideſt in actu nostræ voluntatis, præcedat in causa, ideſt in excitante & adjuvante gratia.

Hoc ipsum S. Thomas docet 1. *part. q. 103. art. 5.* 352
ad 2. Vbi ait quod oportet diversa nobilia diversimodè moveri, etiam secundum motionem unius motoris. *Quædam enim*, ait, *secundum suam naturam sunt per se agentia tanquam habentia dominium sui actus; & ista gubernantur à Deo non solum per hoc quod moventur ab ipso Deo in eis interius operante, sed etiam per hoc quod ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo per præcepta & prohibitiones, præmia & pœnas*, & idem est de interiori excitatione ad hæc incitante; *hoc autem modo non gubernantur à Deo creatura irrationales.* Per illa verba autem, *Deo in eis interiùs operante*, intelligit operationem propriam ex parte potentiæ, & quoad exercitium actus non objectivum, ut ipse se manifestè declarat *q. sequente 106. art. 2.* Igitur proprium est creaturæ rationalis quod Deus utroque modo eam moveat, scilicet objectivè & effectivè; primum quia ipsa libera est, & habet dominium sui actus, secundum quia Deus habet dominium libertatis illius, & illius liberi actus. Vnde si prima motio objectiva seu excitans moraliter deesset respectu alicujus actus, nec respectu illius voluntas suo modo proprio, videlicet liberè moveretur.

Quia ergo ad hoc quod homo se disponat liberè 353
ad suam justificationem necesse est, primo quod supernaturaliter excitetur, alliciatur, & invitetur, quod ejus libertatem ostendit; secundò quod vires supernaturales habeat, quibus non solùm possit sed velit converti, quod Dei adjutorium tribuat prævium, ideo Concilium Tridentinum, ut visum est copiosè, utramque gratiam dicit esse necessariam, ut ab ipsa exordium justificationis cum effectu desumatur, scilicet excitantem & adjuvantem; illam ut nostram ostendat libertatem; hanc ut verè faciat nos illi libera voluntate consentire & utramque docet esse prævenientem voluntatem ad actum liberum ut monstratum est.

Et per hoc perfectè omnes supra relatos errores 354
damnat, viam mediam Catholicam tenendo inter utrumque extremum errorem, Pelagianorum videlicet, & Calvinistarum, dum adversus illos priores verum adjutorium gratiæ supra excitationem tradit, & contra istos veram excitantem & adiu-

Digitized by Google

vantem gratiam determinat, & adversus utrosque per hanc excitantem & adiuvantem gratiam non tolli, aut in minimo lædi, sed optimè salvari subsequentem libertatem ostendit.

355 Quod totum negotium pertinens ad gratiam mirifice S. Bernardus exposuit *lib. de gra. & lib. arb. circa finem*, dicens, Deum tria hæc operari, scilicet cogitare, velle, & perficere bonum, & opus pium. Vbi gratiam excitantem intellexit per *cogitare*; est enim cogitatio sancta effectus primæ gratiæ excitantis, ut dictum est supra. Per *velle bonum* gratiam operantem, quæ facit bonum velle; per *perficere*, gratiam cooperantem, ut etiam infra monstrabimus. Vnde continuo subdit; *Primum profecto sine nobis secundum, nobiscum, tertium per nos facit.* Ideo enim asserit perfici, *cogitare* sine nobis, quia sine nobis liberè consentientibus fit; *velle* autem ait perfici nobiscum, quia non fit nisi nobis liberè consentientibus, *perficere* autem per nos, quia cooperatur nobiscum.

356 Ne autem aliquis judicaret Sanctum Doctorem tenuisse, velle Deum nobiscum simul efficere per operantem gratiam; non autem prævie nos movere ad illud velle, statim subdit se declarans. *A Deo igitur sine dubio nostræ fit salutis exordium nec per nos utique, nec nobiscum; verum consensus & opus non ex nobis, non jam tamen sine nobis.* Et hoc ideo, quia illud primum scilicet cogitare, ex Deo est sine dubio, quod est primum salutis exordium, nec nobiscum fit, nec per nos; at consensus & opus, scilicet velle, & perficere, licet non sint ex nobis, non tamen fiunt sine nobis. In primis verbis manifestè dicit quod ex Deo fit, quod consensum bonum habeamus, & opus pium, quia Deus nos movet ad illa, licet non fiant sine nobis, quia liberè nos consentimus & cooperamur.

357 Vnde postea subjungit, iterum officium illorum trium exponendo. *Gratia excitat liberum arbitrium cum seminat cogitatum; sanat cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum.* Igitur post excitationem gratia scilicet operans, immutat affectum causando bonum velle, quo anima sanari incipit, & postea per cooperantem roborat voluntatem ut ad actum perveniat. Quare tandem concludit. *Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo, præveniat, in cæteris comitetur, ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur.* Quæ verba juxta præcedentia sic debent intelligi, quod in primo, idest in *cogitare*, Deus solùm præveniat, non autem etiam comitetur arbitrium. In cæteris verò scilicet in *velle* & *operari* etiam non solum præveniat, ut præmiserat, sed etiam comitetur, quia ita Deus per operantem gratiam nos præmovet ad velle, quod etiam comitatur nobiscum ipsum velle efficiendo. Et similiter ita per cooperantem gratiam cooperatur opus quod simul nos comitatur efficiendo nobiscum ipsum opus, & afficiendo quod sibi nostrum arbitrium cooperetur. Quod autem intelligat quod non solum præveniat, sed concomitetur, etiam patet ex subjunctis; subdit namque. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Verbum autem *ex illa* repetitum, sonat prioritatem rationis & causalitatis in gratia, ex qua primò provenit, quod totum efficiat liberum arbitrium.

CAPVT XXII.

Quomodo gratia excitans & adjuvans inter se adinvicem distinguantur.

QVod gratia excitans & adjuvans aliqua ratione inter se distinguatur omnes fateri debent; quia Concilia Sacra Maguntinum, & Colonienſe, sed præcipuè Sacrum Tridentinum utramque nominat dicens quod homines per excitantem atque adjuvantem gratiam ad suam justificationem disponantur. An verò realiter sicut res à re inter se distinguantur, ita quod duæ reales motiones sint, sive duo realia auxilia gratiæ distincta gratia excitans & adjuvans; an verò solùm ratione seu formaliter distinguente, non ita clarè ex Sacris Conciliis potest convinci. Vnde Doctores aliqui utramque gratiam, & excitantem & adjuvantem tantum ratione seu formaliter distingui asseruerunt, ut author concordiæ *quæst. 14. art. 13. disput. 39.* aliàs 37. §. *verum multa*, prout etiam *nostro 1. libro parte 1. tract. 6.* relatum est. Eandem sententiam tenuit Archiepiscopus Armacan. & Mag. Fr. Ioannes Gonzales ut retulit nobis liber ipsius. Alij verò Doctores utramque gratiam & excitantem & adjuvantem realiter, sicut res distinguitur à re distingui affirmarunt, sicut Andreas Vega *in Concil. Trident.* 358

Vt autem ex his duabus sententiis quæ verior sit & magis Sacris Conciliis consona explicemus, itaque præsupponendum est; quod cum Deus vult hominem ad se convertere, priùs per illustrationem illum movet ad indeliberatum actum eliciendum, illudque indeliberatè voluntati proponendum parique ratione per excitationem voluntatem movet, ut etiam indeliberatum actum producat. Deindè intellectum ad consilium movet per excitationem moralem suadendo, invitando, & alliciendo, & ex parte objecti illud cum deliberatione, & judicio rationis voluntati proponendo; ac tandem voluntatem ipsam per gratiam adjuvantem efficaciter præmovet seu prædeterminat ad actum liberum eliciendum, simulque cum ipsa liberum actum causat. 359

Quo supposito dicendum est primo quod gratia aduvans efficaciter voluntatem ad actum liberum realiter sicut res à re distinguitur à gratia excitante, quæ moraliter tantùm movet, suadendo, invitando, seu objectum proponendo, hoc certum debet esse, nam illa gratia excitans moraliter tantùm, solùm suadet & invitat, non autem efficit realiter movendo voluntatem, gratia verò adjuvans ipsam voluntatem realiter & efficaciter movet ad actum liberum igitur utraque abinvicem realiter distinguitur, potissimè quia illa gratia moraliter tantùm excitans tenet se ex parte objecti & ex parte illius objectum proponentis; adjuvans verò gratia tenet se ex parte voluntatis ipsam efficaciter ad actū liberum movendo, & cum voluntate ipsum actum liberum efficiendo, prout utraque realiter abinvicem distinguitur, sicut intellectus & voluntas duæ potentiæ realiter distinctæ sunt, ita & motio tenens se ex parte intellectus, & motio tenens se ex parte voluntatis realiter abinvicem distingui debent. 360

Dicendum secundò quod gratia verè adjuvans voluntatem, & ipsam realiter & efficaciter ad actum liberum movens, realiter distinguitur ab excitante gratia, quæ consistit in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis. (solent enim isti actus gratia excitans vocari) Hanc veritatem contra quosdam Thomistas 361

Digitized by Google

Thomistas non semel in istis nostris operibus manifestam dedimus, quæ modò brevissimè probatur: nam gratia adiuvans sicut efficaciter movet voluntatem ad actum liberum; ita simul in eodem instanti cum voluntate actum liberum producit: si ergo actus indeliberatus eiusdem voluntatis est gratia adjuvans, simul in eodem instanti cum voluntate actum liberum producit. Impossibile est autem, ut in uno & eodem instanti actus indeliberatus sit in eadem voluntate cum actu libero, cum isti actus contradictoriè adinvicem opponantur: ergo impossibile est quod actus indeliberatus sit gratia adjuvans: Præterea quomodo potest actus indeliberatus esse immediata causa efficax actus liberi?

362 Deinde voluntas, ut actuata actu indeliberato, indeliberata manet & sine libertate: ergo ut sic actuata actu indeliberato non potest liberè operari efficaciter, nec liberum actum producere; gratia autem adjuvans simul cum voluntate efficit actum efficaciter liberum. Tandem gratia adjuvans est divinum auxilium, ut est manifestum; divinum autem auxilium à solo Deo est, ut etiam est clarum: ergo gratia adiuvans non est actus indeliberatus; hic enim non est à solo Deo, ut est apertissimum, cum sit actus vitalis noster: repugnat ergo quod actus indeliberatus sit gratia adiuvans.

363 An verò gratia adiuvans sit realiter eadem cum illa priori gratia excitante, quâ Deus à principio efficaciter movet voluntatem ad actum indeliberatum eliciendum, non ita manifestum est. Vnde & auctores supra relati affirmant adiuvantem gratiam esse realiter eandem cum illa priori excitante ad actum indeliberatum, & ab ea solùm ratione formaliter distingui. Quod probant primò nam Concil. Tridentinum *sess. 6. de justif. cap. 5.* Postquam docuit homines per excitantem atque adiuvantem gratiam disponi ad suam iustificationem, hoc explicando sic ait: *Vt qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuuantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur,* sentire videtur quia gratia excitans & adiuvans eadem gratia sit, idemque divinum auxilium; non autem quod sit secundum reale auxilium distinctum.

364 Secundò probant: nam Patres Concilij, ut refertur in actis, explicando quomodo movet Deus hominem ad iustificationem, hæc verba proponunt; *Sentimus quemdam interiorem motum nos ad meliora vocantem, nobisque ante oculos proponentem, cui quidem motui sæpe sæpius pulsanti requiritur quod ex parte nostra adsit consensus, sed quia hominis natura pronior est ad malum, sine dubio vinceret caro continuò spiritui repugnans, nisi gratia illa, dispositio illa divina quam primùm considerauit præstitisset, ut diffusa in corde hominis, ita voluntatem & assensum ejus affecisset, ut liberè huic motui assentiretur.* Quibus verbis videntur asserere eandem esse gratiam excitantem & adjuvantem, cum postquam præmiserunt excitantem, statim addiderint: *Nisi gratia illa, dispositio illa divina.*

365 Tertiò probant ex D. Augustino *lib. 1. ad Simp. qu. 2.* dicente: *Noluit Esau, & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui ei etiam velle & currere vocando præstaret.* Vti vocanti, excitantique gratiæ videtur tribuere quod præstet assensum: ergo adjutorium ab illa excitante non distinguitur. Item *de prædest. sanct. cap. 15.* clarè dixit: *Quâ vocante fit credens.* Et *libro de gratia & lib. arb. cap. 5. tam magna & efficacissima vocatione converteretur.* Et *epist. 107. nec vocatione illa alta, atque secreta sic eius ageret sensum, ut eidem legi, atque doctrinæ accomodaret assensum.* Cum ergo vocationi conversionem attribuat, quæ vocatio est gratia excitans, ibi videtur asserere eandem esse adjuvantem.

Quartò id confirmant ex S. Thoma *1. 2. quæst. 113.* 366
vbi una infusione gratiæ, & una divina motione docet Deum perficere omnia quæ ad justificationem spectant; pertinet vero ad justificationem ex parte Dei moventis gratia excitans, & adjuvans: ergo una gratiæ infusio est gratia excitans & adjuvans. Tandem ratione id suadent, quia cum Deus sit infinitæ virtutis, non indiget secunda motione reali distincta, sed unâ & eâdem causat in nobis assensum & omne id quod vult in nobis operari.

Quibus tamen non obstantibus dicendum est 367
tertiò gratiam adjuvantem quâ Deus efficaciter nos movet ad consentiendum & operandum, simul cum voluntate nostra eundem actum efficiens, realiter distingui ab illa priori gratia excitante, quâ Deus à principio efficaciter voluntatem movet ad actum indeliberatum eliciendum. Quam sententiam sicut magis veram, magisque sacris Conciliis consonam, ac magis inter Theologos communem amplectimur.

Probatur primò ex sacro Tridentino Concilio 368
cit. sess. 6. de iustificatione, in qua postquam *cap. 5. & 6.* præmiserat homines disponi ad suam justificationem per excitantem atque adjuvantem gratiam, hoc magis declarans *Canon. 3.* diffinit, *non posse hominem credere, sperare, diligere, & pœnitere, prout ad salutem oportet sine Spiritus sancti inspiratione: atque eius adiutorio.* Vbi videtur illud adjutorium sive illam gratiam adjuvantem distinctam reipsa ponere ab inspiratione, seu excitante gratia. Si enim sentiret unam & eandem esse, utramque (cum perfectissimè semper loquatur) diceret, non posse homines credere sine Spiritus sancti inspiratione excitante & adjuvante. Cum ergo hoc non dicat sed potiùs asserat non posse hominem credere sine Spiritus sancti inspiratione, atque eius adjutorio, non obscurè videtur docere illud adjutorium sive gratiam.

Quod ampliùs probatur, nam idem sacrum Con- 369
cilium *cit. sess. 6.* Postquam docuit, quod Deus tangit corda hominum per Spiritus sancti inspirationem, (quæ est excitans gratia) statim subdit, *non tamen sine gratia Dei ad iustitiam se coram illo movere potest.* Vbi adiuvantem gratiam absolutè gratiam vocat; sanctam verò inspirationem, non sic gratiam nominavit. Sentire igitur videtur quod gratia adiuvans nempe sine qua homo non convertitur, reipsâ ab illa inspiratione superiùs nominata distinguatur.

Confirmatur, quia in actis eiusdem Concilij ha- 370
betur, quod cum Patres inquirerent quid Deus facit cum hominem vult convertere, hæc verba apposuerunt respondentes: *Duo facit Deus, primò hominem excitat suadendo, & invitando, deinde fortius auxilium dat quo hominem convertit.* Vbi etiam magis clarè videntur asserere distingui illud fortius auxilium, quod secundò dat, ab illa priori gratia excitante, quam primò dedit Concilium etiam Maguntinum sic ait: *Talis autem iustificationis initium ex Dei gratia provenire, quâ ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores sunt excitati & adjuti, eidem gratiæ sic excitanti & adjuvanti consentientes & cooperantes ad justificationem disponuntur.* Concilium etiam Colonienſe, quod celebratum fuit *post sess. 6. in tract. de pœnitentia*, sic dicit: *Duplex est gratia, una quâ Deus prævenit peccatorem, ut resurgat, altera verò quâ peccator prævenienti Deo assentiens resurgit?* Quibus verbis duplicem esse gratiam excitantem & adiuvantem apertè docet: Ergo secunda est illud auxilium & sic dicendum est esse non unum auxilium sed duplex.

Digitized by Google

371 Quod autem loquatur de excitante & adjuvante manifestum est, nam per priorem dicit quod Deus prævenit ut resurgat quod pertinet ad excitantem, per aliam autem dicit quod homo iam resurgit, quod est officium adjuvantis facientis hominem resurgere; quod etiam ex eo redditur manifestum quia, postquam Concilium Tridentinum *sess. 6.* de gratia excitante & adiuvante sermonem fecit, utramque magis explicans Colonienſe asserit secundam gratiam seu secundum auxilium esse, in quo distinctionem realem utriusque non obscurè affirmare videtur.

372 Ratio id suadere videtur: nam Deus tribuit auxilia gratiæ suæ proportionata actibus ad quos dantur. Cum ergo gratia excitans detur ad actum indeliberatum efficiendum, qui realiter distinguitur à subsequenti actu libero, etiam gratia adiuvans quæ datur ad eundem actum liberum, distincta erit reipsa à priori illa excitante quæ datur ad actum indeliberatum. Et sicut unus & idem actus nequit esse indeliberatus & liber, ita nec auxilia quæ illi sunt proportionata erunt unum & idem, sed diversa & reipsa distincta. Potissimè quia non satis intelligitur quomodo in uno & eodem reali auxilio sit secunda illa ratio seu formalitas contradictoriè sibi opposita de indeliberatione, & libertate quod ex eo confirmatur, quia in illo instanti quo Deus movet efficaciter ad actum liberum, iam in voluntate in illo instanti non est actus indeliberatus, ergo etiam non est gratia illa excitans quæ dabatur ad illum cessante enim actu ad quem datur auxilium cessat auxilium ipsum.

373 Quod si quis opponat, quod sicut illa prior gratia excitans ad obiectum quod efficaciter movet ad actum indeliberatum, est auxilium sufficiens dans sufficientes vires ad actum liberum, ita non obstante quod gratia excitans efficaciter movet ad actum indeliberatum, efficax gratia est seu adjuvans gratia dans efficaces vires ad actum liberum: Respondetur rationem esse valdè diversam; ideo enim illa prior gratia excitans quæ primò movet ad actum, indeliberatum est auxilium sufficiens ad actum liberum, quia qui movet efficaciter ad voluntatem finis quamvis indeliberatam per hoc ipsum dat sufficientes vires ad actum liberum. Respondeo talis finis sicut & qui movet efficaciter ad volitionem finis liberam quoad exercitium, eo ipso dat sufficientes vires ad volitionem mediorum quæ vertitur, clauditur in talis finis volitione, nullo autem modo sive in uno sive in altero casu, qui sic movet, sive ad unam sive ad alteram finis volitionem efficaces vires dat, & efficaciter movet ad subsequentem actum liberum, quod est manifestum, imò in hac eadem oppositione alia ratio sumitur pro sententia nostra supra explicata: cum enim illa gratia excitans ad actum indeliberatum sit etiam sufficiens ad actum liberum realiter distinctum ab adjuvante seu efficaci gratia; Etenim auxilium quod est sufficiens reipsa distinguitur ab auxilio efficaci, quia sufficiens auxilium dat tantum vires sufficientes, quo homo potest bene operari, auxilium autem efficax dat efficaces vires, ut homo de facto bene operetur, ergo illud sufficiens ab isto efficaci distinguitur.

374 Ad primum ergo oppositæ sententiæ dicendum quod cum Concilium Tridentinum *sess.* illa *6. cit. de justific. cap. 5.* docet quod homines per excitantem atque adjuvantem gratiam ad suam ipsorum iustificationem disponuntur eidem gratiæ assentiendo, & cooperando, non est sensus quod eidem uni excitanti & adjuvanti assentiendo & cooperando, disponantur; sed sensus est quod disponuntur assentiendo eidem gratiæ excitanti, & alteri adjuvanti cooperando: & quod iste sit sensus Concilij sacri ex jam dictis constare videtur, quod & potissimè confertur, quia Concilium Magunt. *cit. cap. 7.* hoc magis explicans sic habet: talis autem iustificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante meritum dum adhuc inimici & peccatores sunt excitati & adjuti, & eidem gratiæ sic excitanti & adjuvanti consentientes & cooperantes ad iustificationem disponantur.

Ad secundum dicendum quod Patres Concilij in allatis verbis non dicunt unam & eandem gratiam realiter esse excitantem & adjuvantem, sed docet quod eadem gratia seu misericordia Dei operatur in utroque auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis, & quod ita senserint, etiam ex relatis supra verbis redditur fere manifestum, cum dicunt quod duo Deus facit cum vult convertere peccatorem, alterum invitando, alterum vero fortius auxilium præbendo, fortius inquam, idest, aliud fortius supra excitationem, ut supra manet declaratum. 375

Ad tertium dicendum quod S. Augustinus in inductis illis locis, se declarans affirmat se loqui de vocatione efficaci seu efficacissima cum eidem tribuit conversionem hominis: vocatio autem efficax, sicut duo sonat expresè, & vocationem & efficaciam, ita vocatio, quæ in excitatione essentialiter consistit habet sibi adjunctum efficacem gratiam adjuvantem, per quam & ipsa vocatio suum sortitur effectum, & efficax fit ac efficax redditur, quam esse expressam sententiam D. Augustini infra agentes de efficacia gratiæ, ex plurimis testimoniis ejusdem sancti doctoris dabimus manifestum. 376

Ad quartum dicendum quod cum S. Thomas loco citato docet, quod Deus infusione una gratiæ operatur omnia quæ requiruntur ad iustificationem, intelligit ac docet quod in eodem instanti temporis, quo Deus sua infusione gratiæ iustificat hominem, in eodem temporis instanti unica infusione causat omnia quæ requiruntur ad iustificationem, id est causat actum dilectionis Dei & contritionis, simulque eadem infusione omnes habitus infusos infundit, qui inter se realiter distinguntur, non autem est sensus quod eadem unica infusione quæ in uno instanti fit, causet Deus actum indeliberatum & liberum, qui duo actus in eodem instanti temporis quo fit infusio gratiæ esse in voluntate non possunt. Vnde in summa sensus est quod postquam Deus in priori instanti temporis per gratiam excitantem voluntatem movet ad actum indeliberatum, postea in alio instanti, unica gratiæ infusione omnia causat quæ ad iustificationem requiruntur ut dictum est, id est actum contritionis & dilectionis Dei, & alios habitus infusos. 377

Ad quintum quod ex ratione procedebat, dicendum, non esse dubium, quia Deus cum sit agens infinitæ virtutis possit uno & eodem auxilio solùm voluntatem movere, & ad actum indeliberatum, & ad actum liberum, sed quod dicimus est quod cum Deus moveat omnia fortiter & suaviter per auxilium excitantis gratiæ, necessario & sine libertate, voluntatem movet ad actum indeliberatum, & per aliud efficax adiuvantis gratiæ voluntatem cum libertate moveat ad actum liberum, ut sic secundum fortem & suavem Dei dispositionem auxilia prævenientis gratiæ secundum ordinarium modum iustificandi actibus ad quos dantur sint proportionata. 378

Quod autem Author concordiæ asserit quod gratia excitans & adiuvans ratione distinguantur, quod est eius primum dictu, & secundo asserit in hoc distingui ratione seu formaliter gratiam excitantem & adiuvantem, quod excitans prævenit arbitrium alliciendo 379

Digitized by Google

alliciendo & invitando, at consentienti iam ex se ipso arbitrio illi excitationi, ipsa prior gratia quæ à principio fuerat excitans postea fiat adiuvans, non influendo ut adiuvans in ipsum arbitrium, sed solum in actum ab ipso arbitrio productum: hoc inquam eius secundum dictum, sicut est fundamentum totius suæ doctrinæ, ita absque dubio falsissimum est, & veram gratiam adiuvantem omninò negat, & illam non prævenientem constituit, sicut apertè Concilium Tridentinum *sess. 6.* docet, quod in primo libro nostro apertiùs demonstravimus, & infrà in hoc agentes de efficacia gratiæ clariùs ostendemus. Constituit enim, quod arbitrium ex se solo excitanti consentit, & non ex gratia Dei quæ facit ipsum consentire, unde veram gratiam Dei negat ut in istis nostris operibus semper manifestum dedimus; ponit enim adjuvantem gratiam comitem & pedissequam & non facientem ut faciamus, quod non breviter tangimus, & nihil aliud magis in his nostris operibus impugnamus.

Et per hoc manet impugnatum ejus tertium dictum quo asserit non requiri gratiam adjuvantem, ut arbitrium actum supernaturalem eliciat. Vnde arbitrium ipsum ex sola sua natura actum supernaturalem eliciet, quod ex se ipso excitationi consentiet, quo nihil falsiùs, & impossibiliùs in hac materia gratiæ potest affirmari, & ut diximus est negare veram gratiam adiuvantem. 380

TRACTATVS VIII.

DE GRATIA OPERANTE & cooperante.

CAPVT PRIMVM.

Gratiam adjuvantem dividi per operantem, & cooperantem.

1 SICVT ex Concilio Tridentino visum est, gratia dividitur in excitantem & adjuvantem, seu quod alias dicitur in sufficientem & efficacem nomine enim excitantis, ut supra dicitur, intelligiturque, dicitur sufficiens, sicut nomine adjuvantis, efficax; ita gratia adjuvans dividitur in operantem, & cooperantem, utraque enim est adjuvans prævenienſque arbitrium, nostrumque actum liberum ad quem datur.

2 Vbi primo considerandum tripliciter dici Deum operari in nobis primo ut est quid genericum ad operantem & cooperantem gratiam, & sic aliquando sumitur Scriptura ac Conc. ut Is. 26. *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* 1. Corint. 12. *idem verò Deus qui operatur omnia in nobis*: sic Arausic. 2. *Quoties bona agimus Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*; Accipe enim in prædictis locis, ut auxilium est commune ad utramque gratiam. Secundò sumitur Deum operari in nobis qua in nobis operatur, ut simul in particulari utramque gratiam & operantem & cooperantem importet, & hoc modo dixit Apostolus, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere, seu ut alia littera habet, operatur in nobis & velle & operari. Illud enim primum operatur in nobis velle sonat gratiam operantem. Illud verò secundum, operatur in nobis perficere, accipitur pro cooperante; ut apertè S. P. Augustinus exposuit *libro de gratia & libero arbitrio cap.* 17.

3 Tertiò sumitur gratia operans, seu quod Deus in nobis operetur: ut sonat tantum gratiam operantem ut distinctam à cooperante, qua ratione dividitur gratia adjuvans scilicet, ut diximus in operantem & cooperantem: sicut etiam dispositio aliquando sumitur pro dispositione genericè, ut est quid superiùs, & commune ad habitum & dispositionem propriè dictam: aliquando vero accipitur pro dispositione propriè & particulariter capta, ut est superius condistincta contra habitum.

Hac suppositâ distinctione dicendum est rectè 4 dividi gratiam adjuvantem in operantem & cooperantem ex expressa sententia S. Thomæ 1. 2. *qu.* 111. *art.* 2. *ad* 3. sic habet. *Ad tertium dicendum quod cooperari dicitur aliquis alicui, non solum sicut secundarium agens principali agenti, sed sicut adjuvans ad præsuppositum finem. Homo autem per gratiam operantem adjuvatur à Deo, ut bonum velit: & ideò præsupposito jam fine consequens est, ut gratia nobis cooperetur.* Quibus manifestè docet quod dupliciter nos adjuvet Deus per gratiam adjuvantem: Primò per gratiam operantem: operando nimirum, quod bonum velimus. Secundò per adjuvantem cooperantem, cooperando videlicet præsuppositò fine ad volitionem mediorum: ut statim magis ex sancti Doctoris mente explicaturi sumus: & iterum ibi in principio corporis articuli. *Gratia dupliciter dici potest, uno modo divinum auxilium, quo Deus nos movet ad benè volendum, & agendum. Alio modo habituale donum nobis divinitus inditum: utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem & cooperantem.* Nomine autem auxilij divini intelligit actualem gratiam adjuvantem, ut patet ex littera; nam loquitur de auxilio, per quod voluntas de facto actualiter movetur, ut benè velit & operetur; hoc verò auxilium gratia adjuvans est, quæ semper habet conjunctum liberum actum nostræ voluntatis, qui enim adiuvatur, aliquid & ipse facit, ut sæpè docet S. P. Augustinus.

Igitur actualis gratia adiuvans rectè dividitur per actualem operantem & cooperantem. Idem 5 tradit S. Thomas *art.* 3. *quæstionis illius.* Idem etiam docet *in* 2. *sent. d.* 26. *art.* 5. §. *quæst.* 27. *de ver. art.* 5. *potissimè in solutione ad primum.*

Eodem modo prius S. P. Augustinus gratiam 6 quæ nos adiuvat ad bonum, id est veram adiuvantem gratiam divisit per operantem, & cooperantem, *libro* enim *de gratia & libero arbitrio, cap.* 17. inquit, quòd *Deus cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus, certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet, usque in diem Christi Iesu: ut*

ergo

Digitized by Google

ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus; de operante illo ut velimus dictum est, Deus est enim qui operatur in nobis & velle de cooperante illo cum jam volumus, & volendo facimus; scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quibus verbis clarissimè docet hoc adjutorium operantis & cooperantis gratiæ esse illud verum gratiæ adjuvantis auxilium, quo efficaciter nos Deus adjuvat vel operando in nobis velle, vel nobis cooperantibus operando, quia illa inducit Apostoli testimonia, quæ hanc efficacem gratiam adjuvantem ostendunt; ut est illud notissimum Deus est qui operatur in nobis velle. Item quia dicit per operantem gratiam Deum in nobis operari ut velimus, idest ut velimus consentire gratiæ excitanti, quod est proprium munus gratiæ adjuvantis: gratia enim excitans non operatur in nobis velle, seu ut velimus.

7 Hanc eandem distinctionem, qua adjuvans gratia dividitur per operatem & cooperantem etiam manifestè tradit S. Prosper, cum à S. P. Augustino instrui desiderat inter alia: *Quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impeditur arbitrium*: Quæ sunt illius verba formalia. Vbi primo quam nos appellamus operantem, ille consulto vocavit præoperantem ad clariùs explicandum prævenientem rationem gratiæ operantis, ne videlicet aliqui putarent esse operantem simul nobiscum & ideo eam vocavit præoperantem; petendo secundo sibi aperiri quomodo per illam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium, clarius ostendit utrumque esse non quomodolibet prævenientem, sed prævenientem adjuvantem; quia ita arbitrium adjuvatur, ut ex vi illius semper cum effectu arbitrium consentiat; hoc enim controvertebatur inter ipsum & illos quos ibi refert, quia illi per hanc prævenientem adjuvantem gratiam. Ita operantem & cooperantem, ut semper ex vi illius arbitrium consentiret, contendebant impediri liberum hominis arbitrium sicut & modo idem contentiosissimè prætenditur S. autem Prosper firmiter tenens per utramque illam prævenientem gratiam adjuvantem, operantem & cooperantem, liberum arbitrium non impediri, non tamen plenè assequutus modum, quo per efficaciam utriusque prævenientis gratiæ & operantis & cooperantis non impeditur arbitrium, de hoc à S. P. Augustino perfectius informari desiderat, ut sic magis edoctus efficacius posset contradictores revincere; si enim non cognosceret S. Prosper efficacem esse illam adjuvantem gratiam prævenientem qua Deus operatur & cooperatur nobiscum, ridiculum planè esset de hoc velle à S. Augustino edoceri, cum esset palmarium & apertissimum quod si præoperans gratia non erat præveniens adjuvans, sed tantum præveniens excitans moraliter, nec tantillum apparentiæ remaneret, quod per illam liberum, impediretur arbitrium, quia illam prævenientem excitantem tantum contradictores libenter admittebant; similiter si cooperans non esset præveniens adjuvans respectu actus, ad quem datur; sed tantum esset concomitans vel solum subsequens ad arbitrium, jam ex se excitanti consentiens, etiam erat evidentissimum per illam nulla ratione posse arbitrium impediri, cum ad libertatem ejus ipsa consequeretur, & ei daretur quia ipsum ex se consentire vellet; unde & illi cum quibus ipse agebat, hanc adjuvantem cooperantem solam comitem, seu pure subsequentem admittebant datam quia arbitrium ex se jam consentiebat, ut ex illa epist. apertissimè constat. Igitur fit manifestum in illis relatis verbis S. Prosperum tradidisse præoperantem & cooperantem gratiam esse verè prævenientem & adjuvantem arbitrium, ut infallibiliter consentiat; & per consequens est manifestum dividi ab ipso gratiam adjuvantem & cooperantem.

In Inchiridio etiam Synodi Colonienſis de sacra- 8
mento pœnitentiæ, sic habetur. Hæc gratia distinguitur per operantem & cooperantem, seu in prævenientem, & subsequentem. Vtraque in sacris eloquiis expressam legimus Psaltes ait: *& misericordia ejus præveniet me, & misericordia Dei subsequetur me.* Deus enim nocentem prævenit, ut benè velit, & volentem subsequitur, ne frustra velit, sed perficere valeat, operans ergo gratia est quæ prævenit & præparat voluntatem, ut voluntas bona fiat, & quæ prius erat serva peccati, liberetur; cooperans verò gratia voluntatem jam bonam factam subsequitur, ut quod jam vult bonum perficere possit. Et iterum ibi illud *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*; ita exponit, *non est volentis principaliter benè velle nec currentis currere sed miserentis Dei qui operatur in nobis velle, idest ut assentiamur vocationi, & currere, idest operari pro sua bona voluntate.*

Aperta etiam sunt scripturæ testimonia quæ 9
gratiam dividunt in operantem & cooperantem, utrumque enim tradit Apostolus cum ait, *Deus est qui operatur* in nobis velle & perficere; per illam enim qua operatur in nobis velle, intellexit S. P. Augustinus operantem, per illam qua operatur perficere cooperantem, sicut expressè ipse dicit *libro de gratia & libero arbitrio cap.* 17. dicens. *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apostolus; certus sum quoniam qui operatur in vobis bonum perficiet usque in diem Christi Iesu.* Ecce ad probandum utrumque, & quod Deus operatur ut velimus, & cooperatur cum volumus, illud inducit Apostoli testimonium quod utrumque ut dictum est probat. Vnde cum Augustinus alibi dicit tunc locum procedere de gratia operante, intelligit manifestè id esse verum respectu illorum priorum verborum, *Deus est qui operatur in nobis velle*, non respectu illius sequentis, *& perficere*; primo, quia cum citato loco inducit illud testimonium pro gratia operante, solum refert ex illo illa priora verba Deus est qui operatur in nobis velle. Secundò quia ut perficiamus dicit esse opus cooperantis, quod verbum sumit ex illo verbo, perficere; quod Apostolus secundo loco posuit; declarans per hoc *illud perficere* esse opus cooperantis gratiæ, & utramque simul tradidisse Apostolum; hæc est sine dubio S.P. Augustini mens, & sententia.

Item illud aliud Apostolicum testimonium, 1. *ad* 10
Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboravi, non ego sed gratia Dei mecum*, utramque etiam, & operantem & cooperantem includit; nam illa priora verba, *gratia Dei sum id quod sum*, non obscurè gratiam operantem important; per sequentia autem denotatur gratia cooperans, ut planè colligitur ex S. Anselmo ad illum locum, & ex S. Gregorio 16. *moral. cap.* 12. ex S. Bernardo *libro de gra. & lib. arb.* circa principium. De cooperante autem gratia expressè fit mentio *ad Rom.* 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; secundum S.P. Augustinum ubi supra declarat; & illud Domino cooperante & sermonem confirmante.

Item illud & misericordia ejus præveniet me, & 11
subsequetur me, utramque gratiam & operantem & cooperantem

Digitized by Google

cooperantem tradit; per misericordiam enim prævenientem operantem gratiam significat, per subsequentem autem cooperantem quæ subsequitur ad operantem ut infra dicemus.

12 Similiter illud aliud Apostoli testimonium *non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis*, juxta explicationem traditam Concilij Colonienſis relatam, utramque importat, & operantem & cooperantem, quia ex Dei misericordia, & gratia primo est, quod bonum velimus, & quod fit per operantem, & quod curramus, quod per cooperantem obtinemus.

13 Quidam ex doctissimis S. Thomæ discipulis de operante & cooperante intelligunt illud Concilij Arausicani *can. 9: quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*; ita ut per illa priora verba *in nobis operatur*, denotetur cooperans; ita ut utraque in omni bona operatione nostra concurrat. Quod tamen salva venia dici non potest quod in omni nostra operatione gratia operans & cooperans concurrat, ut infra clarius ex S.P. Augustino & Thoma ostensuri sumus. Vnde Canon ille sicut omnem nostram bonam operationem comprehendit; ita comprehendit illam, in qua gratia operatur in nobis velle simul illud nobiscum efficiendo, & etiam illam qua Deus per cooperantem gratiam nos movet ut faciamus & perficiamus simul nobiscum producendo illam perfectionem, quam statim dabimus manifestam.

14 Similiter illum alterum Canonem 2. multa *in homine bona fiunt, quæ non facit homo multa verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo*, eodem modo exponunt, ut per priora verba significetur gratia operans, per posteriora gratia cooperans; quia ut ajunt per operantem gratiam facit Deus bona quæ non facit homo, per cooperantem autem facit ut faciat bona homo, hoc autem ipsi ideo sic exponunt, quia putant per gratiam operantem tantum præmovere Deum voluntatem, & volũtatem ut sic solum motam esse effectum gratiæ operantis, non autem per operantem efficere Deum aliquem nostrum primum actum liberum: quod si satis est gratia operans, consequenter dicunt gratiam operantem in omni nostra operatione inveniri, & consequenter prædictos canones exponunt. Sed quia statim ostensuri sumus ex aperta S. P. Augustini & Thomæ sententia, & aliorum sanctorum gratiæ operantis effectum non solum esse præmovere voluntatem, vel voluntatem solum motam esse effectum illius, sed etiam effectum ejus esse efficere nostrum primum liberum velle, & hoc non fit in omni operatione nostra, ut est apertissimum, ideo dici non potest quod in omni nostra operatione operetur gratia operans nec prædictæ explicationes subsistunt, sicut ergo priorem canonem in vera intelligentia exposuimus, ita & hunc secundum verè intelligamus, dicentes, quod in illis verbis *nulla bona in homine fiunt, quæ non facit homo*, comprehendit Concilium tam gratiam operantem quam cooperantem, quantum ad illum primum quod in nobis efficiunt, quod est nos præmovere, ut quamlibet ad suum proprium actum, quem explicabimus statim, per illa autem alia, *nulla autem bona facit homo, quod Deus non præstet, ut faciat homo*, comprehendat etiam & operantem & cooperantem: quarum una quælibet respectu sui proprij actus efficit hominem habere actum, & simul cum homine illum producit, sed omnia hæc clarius statim expendentur.

15 Concilium autem Tridentinum sicut nomine excitantis gratiæ intelligit illam quæ sufficiens solet vocari, ita nomine adjuvantis, ut dictum est, comprehendit omnem verè adjuvantem, sive illa operans sit, sive cooperans.

Verum totum hoc est contra hos authores cum 16
quibus agimus, sicut enim ipsi non admittunt gratiam adjuvantem qua ratione distinguitur ab excitante, esse prævenientem; ita non admittunt quod adjuvans gratia dividatur per operantem & cooperantem; imò asserunt Concilium Tridentinum per excitantem gratiam intellexisse operantem, & per adjuvantem cooperantem; unde illorum verba superiùs inducta sunt. Est ergo idem munus operantis, & excitantis gratiæ, & consequenter idem erit etiam cooperantis, & adjuvantis, & subdunt quod denominatio cooperantis gratiæ aptissimè quadrat in gratia adjuvante *qua studiis cooperatur humanis*, ut rectè dicit Ambrosius *lib. 2. in Lucam.*

Quia verò jam ex superioribus ex aperta littera 17
Concilij Tridentini & Sanctorum Patrum redditur manifestum non solum excitantem gratiam esse prævenientem, sed etiam veram adjuvantem: nec hoc iterum probandum est, similiter quia ex S.Patribus Augustino, Prospero, & Thoma modo ostensum fuit veram gratiam adjuvantem, qua ratione distinguitur ab excitante, dividi per veram operantem, nec iterum id probamus, sed solum id manifeste colligi, & expresè tradi in Concilio Tridentino *sessione* 6. affirmamus. Quod enim dividat gratiam verè adjuvantem per operantem, & cooperantem ex eo constat, quod gratiam adjuvantem supra excitantem dicit dare initium justificationis *cap. 5. 6. & 7.* gratia autem adjuvans, quæ initium dat justificationis, gratia operans est, quæ facit excitationi consentire; & *cap. 11.* ait quod Deus adjuvat ut possis, ubi præveniens gratia satis apertè monstratur. Quod autem adjuvantem gratiam dicat esse cooperantem tradit *cap. 10. ejusdem sessionis* dicens, quod justificati cooperante fide bonis operibus crescunt &c. Clarius autem *cap. 16.* illis verbis; *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur*; quibus verbis manifestè adjutorium gratiæ cooperantis statuit, qua Deus cooperatur cum justificatis eorum bona opera, & hanc dicit esse prævenientem comitem & subsequentem prout infra explicabimus.

Vnde quod citatus author dicit gratiam adjuvantem esse solum cooperantem, Concilio adversari videtur. Parique ratione quod asserit rationem gratiæ adjuvantis convenire rectè cooperanti, quæ secundum Ambrosium studiis cooperatur humanis; non dubitamus quod rectè ipsi cooperanti conveniat, sed etiam rectè convenire operanti affirmamus, sicut enim adiuvat Deus cooperando studiis humanis, ita verè adjuvat ut possimus; ut ait Concilium Tridentinum, quod pertinet ad gratiam prævenientem, & adiuvat ut velimus faciendo nos benè velle, quod est proprium munus gratiæ operantis, ut infra dicemus.

Illud etiam addendum, quod inferius magis con- 18
firmabimus, quod gratia cooperans cooperatur studiis humanis non subsequendo tantum vel concomitando solum, ut isti auctores semper exponunt, sed etiam antecedendo, & præveniendo, ut ex testimonio citato nunc ex Tridentino Concilio fit manifestum.

Vbi illud ultimo venit considerandum non rectè 19
à quodam S. Thomæ discipulo multoties dici, gratiam adjuvantem seu cooperantem, quibus denotare videtur eandem omnino esse adiuvantem, & cooperantem; si enim sic esset, præter supradicta,

Digitized by Google

ſequitur quod gratia operans non eſſet gratia adjuvans, nec ſub adjuvante contineretur. Et cum rurſus gratia operans phyſicè, realiter ab excitante moraliter diſtinguatur: plane ſequitur, vel quod nulla gratia operans phyſicè ſit: quod eſt contra eundem authorem: vel ſi talis gratia operans phyſicè datur, quod ipſa nec ſub excitante à qua realiter diſtinguitur, nec ſub adjuvante comprehendatur. Quod tamen dici nullo modo poteſt: quia jam aliqua vera gratia daretur, quæ nec ſub excitante, nec ſub adjuvante comprehenderetur, cum tamen Tridentinum Concilium *cap.* 5. omnem gratiam rectè dividat per excitantem & adjuvantem neceſſe eſt quod omnis gratia ſive ſub excitante ſive ſub adjuvante comprehendatur.

CAPVT II.

Quæ ſit gratia operans & in quo ejus ratio conſiſtat?

20 COgnito gratiam operantem ſeu præoperantem eſſe verè adjuvantem, utpotè cujus diviſionis eſt alterum membrum: cognito etiam ut probatum eſt ſupra, adjuvantem eſſe verè prævenientem, ſimul manet probatum gratiam operantem ſeu præoperantem eſſe verè prævenientem, nec pertinere ad prævenientem excitantem, ſed ſub adjuvante præveniente comprehendi.

21 Veritas iſta fundamentalis debet eſſe apud Theologos veros defenſores gratiæ contra hos authores cum quibus agimus, ipſi enim admittunt quidem gratiam operantem ſeu præoperantem eſſe prævenientem, negant autem eſſe adjuvantem prævenientem, ſed prævenientem tantum excitantem, ita quod apud illos idem omnino eſt gratia operans, ſeu præoperans, & excitans gratia. Sic enim dicit author concordiæ *in ipſa diſput.* 40. *Antuerpiæ* §. *ex dictis* Franciſcus Suarez *libro tertio de auxilijs divinæ gratiæ cap.* 5. *num.* 4. §. *habemus* ubi ait explicando locum ſancti P. Auguſtini, *ipſe ut vetimus operatur incipiens*, inquit, *id dictum eſſe, quia Deus operatur in nobis initium juſtificationis, non operatur autem* inquit, *Deus in nobis initium juſtificationis niſi per excitantem gratiam, ut ex Concilio Tridentino ſupra oſtendimus*; *Eſt ergo idem munus*, ait, *operantis & excitantis gratiæ, & conſequenter idem erit etiam cooperantis & adjuvantis.* Et quidem nec aliud in doctrina ſua poſſunt aſſerere: vident namque ipſi quod ſi gratia operans ſeu præoperans, & præveniens adjuvans, ut diſtinguitur ab excitante: quod ex neceſſitate datur præter excitantem alia præveniens verè operans ſeu præoperans, quæ nulla ratione negari poſſet eſſe verè præveniens efficax, ut à Deo venit: per quam Deus verè & propriè in nobis operaretur & velle. Quia verò hanc prævenientem ex Deo efficacem negant, ideo conſequenter nec admittunt operantem ſeu præoperantem gratiam eſſe adjuvantem prævenientem: imò negant univerſaliter aliquam eſſe prævenientem adjuvantem, ut adjuvans diſtinguitur ab excitante, pro ut viſum eſt ſupra. In quo ultimo ſicut contra ſanctos Patres; imò contra Concilium Tridentinum loquuntur, ut manet probatum, ita in hoc quod adjuvantem gratiam prævenientem inficiantur dividi in operantem & cooperantem, citatos doctores ſanctos impugnant; in hoc autem particulari: quo pro eodem confundunt gratiam operantem, & excitantem nullam aliam operantem admittentes præter excitantem, adverſus omnes relatos ſanctos Patres manifeſtè procedunt.

22 Quod ſic oſtenditur. Sancti Patres inducti manifeſtè docent quod Deus per gratiam operantem, actualem ſcilicet, nam datur gratia operans habitualis, de qua infra erit agendum copioſè cum ſancto Thoma, operatur in nobis velle; ſed per excitantem ſolam, qua ratione excitans eſt, non operatur Deus in nobis velle: ergo gratia operans non eſt excitans quatenus excitans eſt. Major ex relatis ſanctorum verbis ſatis liquet. Minor patet, quia excitans gratia excitat quidem moraliter ad velle, ſed nunquam ipſa operatur, ſeu facit in nobis velle, ut ex Patribus Concilij Tridentini allatis relatum eſt; qui docent quod niſi per excitantem gratiam Deus amplius adjuvet, nos nunquam volumus, nunquam excitanti præſtamus aſſenſum: ergo illa excitans ſecundùm Patres non eſt operans, ſed aliquid addit gratia operans ſupra excitantem, quatenus excitans eſt.

Quod ſi reſpondeant, quod cum ſancti Patres 23
dicunt per operantem gratiam Deum operari in nobis velle, & ſimiliter cum Apoſtolus docet Deum operari in nobis velle, eos non aſſerere operari efficaciter noſtrum velle, ſed tantùm operari quantum eſt de ſe, ut velimus, ſi nos voluerimus aſſenſum præſtare: hoc autem eſt operari Deum per gratiam excitantem, unde operantem eſſe excitantem: nec aliquid addere operantem ſupra excitantem. *Si*, inquam, ſic reſpondeant ut revera reſpondent, nec enim aliud habent quod reſpondere poſſint: contra hoc eſt, quod eodem modo illud dictum Apoſtoli, quod dogmati ſuo valde videbant eſſe contrarium, priùs Pelagius expoſuit dicens: operari Deum in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt per revelationem ſuſcitantem ſtupentem voluntatem. Quâ ſua explicatione veram gratiam operantem quâ Deus verè operabatur noſtrum velle ſupra excitantem moraliter ipſe negavit, & illam excitantem objectivè & moraliter tantùm admiſit in qua explicatione convictus fuit per ſanctum Auguſtinum, quod veram Chriſti gratiam operantem in nobis velle negaret, & quod nihil aliud admitteret, niſi aliquid per modum legis, atque Doctrinæ; quod idem eſt, ac aliquid tantùm moraliter invitans, ut modo affirmatur. Cum ergo hoc ipſum alijs æquivalentibus verbis modò pronunciatur, conſtat quod contra ſanctos Patres; imò contra Apoſtolum in citato teſtimonio loquantur, nec veram Chriſti gratiam operantem verè in nobis velle ipſi admittant. Igitur vera gratia Chriſti, de qua Apoſtolus, & poſt illum ſancti Patres affirmant, quod per eam Deus operatur in nobis velle, non eſt nec eſſe poteſt ſola excitans, quâ ratione excitans eſt, ſed ex neceſſitate debet eſſe præter illam excitantem moraliter verè operans, ſeu verè, & activè propriè præoperans in nobis velle.

Si autem & huic reſpondeant Pelagium *citato* 24
loco non in hoc erraſſe, quia negavit Apoſtolum loqui in relato teſtimonio de vera gratia operante addita ſupra veram excitantem; ſed in hoc, quod nec illud expoſuit de vera excitante tenente ſe ex parte voluntatis, ſed tantum illum intellexit de revelatione objectivè tantum movente voluntatem; nec enim aliud ipſi dicunt, aut dicere poſſunt.

Ad hoc dicendum quod vel in hoc debebant ad- 25
vertere, in quo ab illo differant, qui tantùm excitantem gratiam contendunt operari in nobis velle objectivè tantùm, ſed finaliter, & metaphoricè, ſeu moraliter invitando, alliciendo, ſuadendo, quæ omnia revelatio efficit; & ſic objectivè voluntatem movet ad agendum. Qui autem ſint, qui ſic opinantur, relatum eſt ſupra in tractatu de gratia excitante ſecundum quod ab his authoribus conſtituitur eſſe ſola præveniens.

Dicen

Digitized by Google

26 Dicendum præterea, admisso quod illorum aliqui ponant, seu prætendant se ponere ex parte voluntatis veram prævenientem gratiam præter revelationem ex parte intellectus, & in hoc à Pelagio recedant, qui tantùm illam revelationem objectivè moventem admisit, ac de illa prædictum exposuit Apostoli testimonium: nulla tamen ratione à Iuliano, Cassiano, & Fausto, & alijs similibus differunt, qui excitationem ex parte voluntatis admittentes supra revelationes illam dicebant esse solam prævenientem & operantem gratiam, & de illa præcisè exponebant prædictum testimonium Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis velle*, & tamen de hac sua prætensa explicatione atque perversa, tanquam negantes veram Christi gratiam verè operantem in nobis velle, & admittentes tantùm illam moralem excitationem damnati sunt, & prætendentes per veram operantem gratiam prævenientem impediri liberum arbitrium, sicut & modò prætenditur, etiam damnati sunt.

27 Quicumque ergo ab illorum fugere sententiâ desiderant, prout omnes desiderare tenentur, firmiter teneant præter excitantem moraliter prevenientem gratiam dari veram adjuvantem etiam prævenientem, ut Concilium Tridentinum docet, & hanc dividi per operantem, & cooperantem, ita quod gratia operans sit verè adjuvans, & ita adjuvet ut per eam, ut ait Apostolus, Deus operetur, in nobis & velle. Quod magis explicans sanctus Pater Augustinus dixit, quod per gratiam operantem Deus facit, ut velimus, id est, verè & activè propriè facit ut velimus, & sanctus Thomas docet quod per illam facit nos Deus bonum velle.

28 Præterea condividitur gratia operans contra cooperantem. Sicut ergo cooperans semper conjunctum habet consensum arbitrij, ita operans seu præoperans arbitrij consensum debet habere sibi conjunctum. Excitans autem gratia, quâ ratione excitans est, hoc non habet: igitur nec illa est gratia operans contra cooperantem distincta. Doctores enim, quod infrà explicandum venit, in hoc distinguunt operantem à cooperante, quod operans movet voluntatem in ordine ad volendum finem, efficitquè ut efficaciter velit: cooperans autem est respectu volitionis mediorum. Vnde sicut cooperans verè efficit ut voluntas in ordine ad finem prævolitum efficaciter velit media ne frustra aliàs fuerit finis volitio; ita operans gratia, quæ prior est, efficaciter movet voluntatem ad finem appetendum. Cum autem excitans gratia non sic sufficienter voluntatem moveat, constat apertè ipsam quatenus excitans est non esse operantem; Ratio ista infra expendenda clariùs est.

29 Tandem ex aliâ divisione habitualis gratiæ in operantem & cooperantem hoc etiam deducitur; ut enim infra dicetur ex aperta sententia S. Thomæ, & Scholasticorum, ipse habitus gratiæ justificantis & habet rationem gratiæ operantis, quatenus sanat animam, ipsamque justificat; & rationem cooperantis, quatenus cum voluntate est principium actus meritorij; sed primum, nempe animam sanare, & justificare efficaciter efficit habitus gratiæ: Ergo gratia habitualis efficax gratia operans est; ergo non est gratia excitans: ergo à simili actualis gratia operans est, ergo in ordine ad suum proprium effectum efficax est: ergo non est gratia excitans, quæ hanc efficaciam non habet.

30 Vnde mirandum planè est de aliquibus sancti Thomæ discipulis, qui cum aliàs rectè prævenientem gratiam efficacem defendant; asserunt tamen gratiam operantem esse excitantem, qui si intelligunt esse realiter, & initiativè excitantem, benè quidem; si autem formaliter loquendo de excitante hoc dicant, nec loquuntur consequenter; & magna ex parte, imò re ipsa sententiæ, quam impugnant, adhærent sententia enim quam impugnant hoc habet fundamentum, quod gratia operans, quam prævenientem esse negare non potuerunt, solum sit excitans, quatenus excitans est; qui consequenter loquuntur ad sententiam suam: hoc enim præfixo fit manifestum nullam dari operantem gratiam efficacem. Imò sancti Thomæ discipuli defendentes efficaciam prævenientis gratiæ, quatenus præveniens est, necesse est quod hoc deducant ex alijs æquivalentibus terminis Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Scholasticorum ex nullis autem id æquivalenter deducitur nisi ex adjuvante gratia supra excitantem moraliter, quam Concilium Tridentinum tradit apertè. Et similiter præveniens efficax gratia, quæ nos faciat bonum velle, vel velle finem; ex nulla alia voce potest per æquivalentem inferri; nisi ex gratia operante: si enim in suo conceptu hoc gratia operans non dicit, non erit vox antiqua, & ab omnibus recepta ex qua id possit inferri; ut sic antiqua sit Doctrina sicut revera est de gratiæ prævenientis efficacia.

31 Pariquè ratione quod Deus nos præveniat efficaciter faciendo nos ad prævolitum jam finem volitionem mediorum habere, ex nulla antiqua & ab omnibus communi voce recepta, colligitur æquivalenter nisi ex gratia cooperante, quia si per hanc reipsa & in sua ratione hæc efficacia prævenientis gratiæ respectu volitionis mediorum non importatur; nec erit vox antiqua, ex qua antiqua & vera ista doctrina colligi possit. Non ergo potest stare quod quidam discipulus sancti Thomæ dicit: *Quo circa sicut gratia præveniens juxta superius dicta coincidit cum excitante & vocante, sic concomitans juxta coincidit cum adjuvante, quia gratia operans est excitans, cooperans verò est adjuvans.*

32 Quibus paucis verbis falsa multa continentur. Primum est gratiam prævenientem coincidere cum excitante, si enim præveniens gratia secundùm illum est tantum excitans, ut plane affirmat, & excitans est moraliter attrahês: ubinam est efficacia prævenientis gratiæ, quam ipse defendit? Secundum in eo quod dicit gratiam adjuvantem esse concomitantem, quam ipse distinguit contra prævenientem, cum ex dictis satis constet, & efficaciter maneat probatum gratiam adjuvantem etiam esse prævenientem, & adjuvare arbitrium ut consentiat faciendo illud excitationi consentire, quod prædictus author alibi sæpè asserit. Tertiò in eo quod affirmat cooperantem gratiam coincidere cum adjuvante; cùm, ut patet ex modò probatis, gratia adjuvans dividatur secundùm S. P. Augustinum & D. Thomam in operantem, & cooperantem. Imò qui in his principiis errat; necesse est quod in multis consequenter à veritate recedat: aut consequenter non loquatur.

CAPVT III.

Proprius effectus gratiæ operantis explicatur.

33 SEd tunc major surgit difficultas in exponendo quisnam sit proprius effectus hujus operantis gratiæ. In quo ut visum est supra etiam cum Discipulis Sancti Thomæ quæstionem habemus. Nam aliqui arbitrantur gratiam operantem referri ad actus subitos & indeliberatos, ita quod effectus illius proprius sint indeliberati actus. Et sic intelligunt illud Sancti Patris Augustini, *Deus in nobis*

Digitized by Google

ſine nobis operatur, ut velimus, id eſt, ut velimus indeliberatè, Deus in nobis ſine nobis operatur, ut velimus, inquam, id eſt ut velimus indeliberatè, Deus in nobis ſine nobis liberè concurrentibus operatur per gratiam operantem.

34 Hæc ſententia, licet à quodam Diſcipulo Sancti Thomæ alias Doctiſſimo Cajetano tribuatur 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 2. Non tamen Cajetani eſt: Imò ibi oppoſitum docet in utraque ſolutione, in utraque enim dicit gratiam operantem efficere in nobis primum actum liberum, quem videlicet ſine prævia noſtra deliberatione moti à Deo liberè exercemus. A quocumque autem ſupradicta interpretatio ſit, illa planè eſt falſa, & contra mentem Sancti Patris Auguſtini & Thomæ procedit, ne iterum ad illam impugnandam revertamur; quia illi actus indeliberati, ut dictum eſt ſupra, effectus ſunt ſolius gratiæ excitantis: cum ergo operans gratia, ut demonſtratum eſt, non ſit ſola gratia excitans, fit manifeſtum, quod nec pro effectu habet illos actus indeliberatos. Quod autem ſit contra utrumque Doctorem Sanctum Auguſtinum & Thomam infrà probandum eſt, oſtendendo, cum dicunt per gratiam operantem Deum in nobis ſine nobis operari ut velimus, loqui de velle noſtro libero, ut Cajetanus advertit.

35 Secunda expoſitio Cajetani eſt *in ſecunda reſolutione*, quod gratia operans ſit reſpectu actus meritorij, ſimiliter & cooperans modo ab ipſo explicato, quem modo non referre viſum eſt fundamentum hujus ſententiæ eſt quod Sanctus Thomas *ubi ſupra quæſt.* 111. *art.* 2. loquendo de actuali auxilio, quo Deus nos movet ad bonum, poſtquam illud diviſit per operantem, & cooperantem gratiam, ut oſtenderet, quod per illud bonum ad quod Deus movet, intelligit bonum meritorium, apponit hæc verba: *Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione qua movet nos ad bonum meritorium convenienter dividitur per operantem, & cooperantem.*

36 Cæterùm magis conformis menti Sancti Thomæ eſt prima Cajetani explicatio, quæ generaliter de omni bono, ad quod nos Deus movet per gratiam operantem procedit; nec enim reſtringenda eſt, aut reſtringi poteſt gratia operans ad ſolum bonum meritorium. Et ratio eſt, ut videtur ſatis nota: quia cum Deus movet hominem ad attritionem, qui ante malum volebat, illum planè per gratiam movet ad bonum, & per gratiam operantem, ut ex Sancto Thoma *in illo art.* 2. ſatis conſtat, cum ad illam primam attritionem voluntas non ſe moveat per priorem ſuam deliberationem, ſed à ſolo Deo moveatur; & tamen attritio illa meritoria non eſt. Vnde quod Sanctus Thomas diviſâ gratiâ per operantem, & cooperantem poſtea ſpecificavit de bono meritorio in verbis allatis, non intendit reſtringere omnem in univerſum gratiam operantem ad ſolum bonum meritorium, ſed id fecit ut inſinuaret, quod præcipuus finis ob quem Deus movet hominem ad bonum ille eſt, ut tandem hominem ſic motum perducat ad bonum meritorium.

37 Itaque actualis gratia operans reſpectu duplicis objecti debet diſtingui: Primò reſpectu boni quod homo motus à Deo efficaciter vult per modum finis ſine priori ſua deliberatione, qualis eſt attritio, vel quid ſimile, quo homo remotè diſponitur ad juſtificationem: ſecundò reſpectu contritionis, ad quam etiam Deus movet per modum finis ſine priori hominis deliberatione, quæ ut ſubſequitur gratiam juſtificantem meritoria gloriæ eſt, & talis contritio ab operante gratia in homine fit, qua Deus movet hominem ut velit hoc bonum quod eſt ad Deum converti: nec ad illud ſe homo per puram deliberationem movet.

Diximus, tantùm illo duplici modo dari gratiam 38
actualem operantem, quia poſtquam homo eſt juſtificatus, non dicitur ordinariè gratia operans, ſed tantùm excitans, & præveniens cooperans: niſi homo juſtificatus aliquando aliquod bonum velle incipiat per modum finis particularis ſine priore aliqua deliberatione; tunc enim erit actualis gratia operans, & actus ille meritorius erit non ex ipſa actuali gratia operante, ſed ex habituali gratia cooperante, ut infrà dicetur.

Tertia expoſitio aliorum diſcipulorum Sancti 39
Thomæ eſt (qui in hac materia ultimò ſcripſerunt) quod effectus gratiæ operantis eſt, voluntatem noſtram eſſe tantùm à Deo motam, & non ſe moventem ad bonum: quatenus verò voluntate ſic motâ per divinam præmotionem ipſa divina præmotio ſimul cum voluntate producit ipſum velle, bonum velle, eſt jam gratia cooperans. In qua ſententia ipſum bonum velle nullo modo eſt effectus gratiæ operantis, ſed ſemper quodcumque velle ſit abſolutè, & per modum finis ſemper producitur à gratia cooperante. Imò in hac ſententia in omni noſtra libera operatione, etiam cum tantùm eſt *libera* quoad exercitium, ſemper duplex gratia concurrit, & operans & cooperans; illa ut per eam voluntas ſit mota, hæc ſimul cum voluntate mota ad effectum, ſeu velle ipſum producendum. In qua etiam ſententia gratia cooperans non ponitur eſſe præveniens ſed ſimultanea ſolum, ſimultate nempè naturæ cum voluntate actum ſimul efficiendo.

Revera dico, quia non apparet quomodo qui ſic 40
ſentiunt ſalvare poſſint cooperantem gratiam eſſe prævenientem. Si enim in omni operatione operans gratia ſemper movet, applicat, & prædeterminat voluntatem, ibi ceſſat: & ſtatim cooperans gratia ſimul cum voluntate præmota omne noſtrum efficit velle liberum, & cum totum officium præveniendi tribuatur gratiæ operanti, neceſſe erit, quod cooperans nullo modo præveniat: illa enim gratia quæ poſtquam voluntas eſt mota, præventa, & prædeterminata, ſimul cum illa concurrit & ſimul cum illa actum producit, præveniens non eſt, ſed ut nomen ipſum ſonat, ſimultanea eſt ſeu concomitans. Quod etiam in concurſu ordinis naturalis apparet, qui ſimul eſt prævius & ſimultaneus, & quatenus prævius movet, applicat, & prædeterminat voluntatem; quatenus verò ſimultaneus, ſimul naturâ cum voluntate efficit actum. Si ergo operans gratia præmovet voluntatem, ipſam applicat & ad agendum prædeterminat, cooperans verò ſimul cum voluntate ſic mota actum producit: cooperans præveniens eſſe non poteſt: quod tamen rectè ijdem Authores negant, concedentes gratiam cooperantem eſſe prævenientem; niſi velint duas prævenientes gratias aſſignare pro qualibet libera noſtra operatione, operantem ſcilicet & cooperantem, quod nec concedent. Nec etiam ſi id dicant poteſt intelligi quomodo ſit gratia cooperans præveniens, cum ſolum ponatur ſimul cum voluntate actum efficere, uti dictum eſt.

Tria ergo in ſumma dicunt: primum ad omnem 41
actum voluntatis, ſive ſit volitus finis ſive non, utramque gratiam concurrere, operantem & cooperantem Secundum cooperantem ut ſic prævenientem non eſſe. Tertium operantem actum voluntatis non efficere, ſed ſolùm ad illum movere: quæ tria profectò contra S. P. Auguſtinum, & contra Sanctum Thomam procedunt, ut ſtatim oſtendemus. Et quidem ut ab hoc ultimo incipiamus, aſſerere operantem gratiam quatenus operans eſt, nullum

Digitized by Google

nullum producere cum voluntate actum contra sententiam Sancti Patris Augustini & Thomæ est, Sanctus enim Augustinus expressè docet, quod per gratiam operantem Deus operatur in nobis velle, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus Deus nobiscum cooperatur, quod isti Authores in Sancto Patre Augustino vident esse apertissimum. Vt velimus, inquam, id est, ut habeamus primum nostrum velle, quod Sanctus Thomas postea, ut dicemus, rectè explicavit. Ergo illud primum velle per modum finis, qui vocatur simplex volitio ut distinguitur ab intentione & volitione effectus est gratiæ operantis, ut docet S. P. Augustinus relatis verbis. Ad facere autem, postquam jam volumus, solam cooperantem requirit; non ergo admittit ad omne velle liberum operantem & cooperantem simul, ut illi exponunt; nec ad omne facere liberum etiam operantem & cooperantem conjunctim, ut illi opinantur.

42 Proculdubio non obscura sunt ista sed in S.P.Augustino satis manifesta in illis ipsius verbis; *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Vt velimus, inquit, operatur incipiens; sed non operatur ut velimus solum excitando moraliter, ut illi nobiscum fatentur; ergo necesse est quod operetur verè & activè propriè ut velimus; ita quod nostrum illud velle effectus sit gratiæ operantis, & non cooperantis ut hi authores exponunt. Et iterum; *Vt ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur.* Igitur ut habeamus hunc actum, qui est velle bonum, Deus operatur in nobis per operantem gratiam; ergo ad istum actum habendum non ponit gratiam cooperantem; non ergo in omni nostro bono actu, seu bono velle operans & cooperans simul concurrunt, ut isti authores explicant. Tandem quia ipse Sanctus Doctor *ibi* declarat idem esse quod Deus per operantem gratiam operatur ut velimus, & operatur in nobis velle; quia ad hunc finem inducit illud Apostoli; *Deus est qui operatur in nobis & velle*; ergo ipsum nostrum velle dicit effectum esse solius operantis gratiæ.

43 Sed dicunt, quomodo, si illud velle est nostet actus liber, dicit S. P. Augustinus, quod illum Deus sine nobis operatur. Ad hoc eis non nos sed Sanctus Thomas respondet 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. quod licet ille actus liber à nobis fiat, tamen sine nobis nos præmoventibus ad illum habendum per priorem deliberationem, Deus illum causat in nobis. Itaque non fit ille actus liber sine nobis liberè illum elicientibus, hoc enim sicut implicat, ita à mente S. P. Augustini est alienissimum; benè autem fit ille actus liber à nobis sine nobis ad illum nos præmoventibus, sed moti à Deo tantum illi consensimus liberè, illum actum liberè eliciendo; quod S. P. Augustinus, & Sanctus Thomas docent, & optimè Cajetanus ad illum locum 1. 2. explicat exemplo gravis, de quo hæc duo vera sunt, quod grave per gravitatem descendit, non tamen se movet ad descensum, sed movetur à generante, ita liberum arbitrium liberè vult illud velle eliciendo, non tamen se præmovet ad illud velle habendum. Sunt enim hæc duo valde diversa, quæ inferiùs explicanda sunt magis. Vnde sicut qui citata S.P.Augustini verba exponunt de actibus indeliberatis, prætendendo illos à Deo in nobis fieri sine nobis liberè concurrentibus, non sine nobis effectivè elicientibus, mentem Sancti Augustini non attingunt, cum actus indeliberati, quod ostensum est supra, effectus sint gratiæ excitantis, non operantis, de qua operante gratia ibi Sanctus Augustinus loquitur manifestè, ita nec illius mentem & Doctrinam salvant, qui illa verba declarant de sola præmotione, dicentes voluntatem esse præmotam, esse solùm effectum gratiæ operantis. Quia, ut visum est, ad gratiam operantem vult Sanctus Doctor pertinere quod Deus per illam efficiat immediatè nostrum velle aliquod quod quale sit, sequenti capite denudabimus. Modo enim solùm intendimus esse contra sententiam illius magni Doctoris Augustini, asserere quod gratia operans solùm habet præmovere, non autem cum voluntate immediatè efficere aliquod velle illius, quodcumque illud sit.

Præterea id clariùs idem Sanctus Doctor tradit 44
citato nunc loco continuo subjungens. *De operante illo, ut velimus dictum est, Deus est enim qui operatur in nobis & velle.* Quid clariùs? per operantem gratiam ait Deum operari in nobis ipsum nostrum velle; ergo velle nostrum fit à gratia operante secundum Augustinum; imò à sola operante quia ibi illam distinguebat à cooperante gratia. Ergo non operatur in nobis Deus velle per cooperantem, sed per operantem gratiam.

Et adhuc clarissimè *eodem libro cap.* 16. præmise- 45
rat; *certum est nos velle cum volumus* (ubi apertè loquitur de velle nostro libero, quod nullus negabit) Et inquirens illius causam subdit; *sed ille facit ut velimus bonum de quo dictum est, quod Paulò antea posui, præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet; de quo dictum est, Deus est qui operatur in nobis, & velle.* Si solum Sanctus Doctor assereret, *ille facit ut velimus, de quo dictum est, præparatur voluntas à Domino*, possent forsan cum aliqua verisimilitudine dicere gratiam operantem efficere tantùm voluntatem esse præmotam, seu præparatam solùm; cum autem Sanctus Doctor apposuerit etiam illud ex Apostolo citatum, *Deus est qui operatur in nobis velle*, ut intelligeremus utrumque simul efficere operantem gratiam respectu alicujus nostri velle, & præparare seu præmovere voluntatem, & simul cum illa sic præparata & præmota efficere velle illud satis constat docuisse aliquod velle effectum gratiæ prævenientis.

Verum id apertiùs Sanctum Thomam docere 46
aperiendum est modo. Etenim 1.2.*quæst.* 111.*art.*2. Agens de hoc expressè, ubi pro actu interiori voluntatis quo voluntas bonum vult, quicumque ille sit, (de hoc enim modo non tractamus, sed infra id explicabimus;) ut nempè voluntas illum interiorem actum eliciat quo bonum vult, apertissimè statuit gratiam operantem, non cooperantem; nam hanc posteriorem docet expressè concurrere ad efficiendum cum voluntate actum exteriorem quicumque etiam ille sit, quem etiam infra explicaturi sumus. Ergo ut voluntas de facto eliciat illum talem actum interiorem non indiget nisi gratia operante. Ergo ad illum efficiendum non indiget gratia operante & cooperante simul; alterâ ut præmoveat applicet, & prædeterminet volũtatem; alterâ ut cum voluntate præmota simul actum eliciat; sed ad illum actum habendum sola operans gratia concurrit. Et idem argumentum fit de actu exteriori quod nempè ad illum producendum solam cooperantem gratiam dicit esse necessariam non operantem; ergo ad illum actum operans nullo modo concurrit planè cum illi actus interior & exterior distincti sint, & ad unum gratiam operantem Sanctus Thomas requirat; ad alium cooperantem: quomodo ejus discipuli dicunt in ordine ad quemlibet illorum requiri & operantem gratiam & cooperantem? Sine dubio potius hoc modo gratia operans & cooperans confunderentur, quam distinguerentur.

Digitized by Google

47 Clariùs id docet Sanctiſſimus Doctor *ſolutione ad* 3. Sic dicens. *Ad tertium dicendum quod cooperari dicitur aliquis alicui non ſolùm ſicut ſecundarium agens principali agenti, ſed ſicut adjuvans ad præſuppoſitum finem; homo autem per gratiam operantem adjuvatur à Deo ut bonum velit. Et ideo præſuppoſito jam fine conſequens eſt ut gratia nobis cooperetur*; Ecce gratia operans adjuvat hominem ut bonum velit, & præſuppoſito jam hoc fine volito per operantem gratiam, ſecundum expreſſam Sancti Thomæ ſententiam, conſequenter gratia nobis cooperatur. Docet igitur expreſsè quod illa ſimplex volitio finis, quam intelligit per *bonum velle*, effectus eſt productus à voluntate & à gratia operante. Vbi pariter exponit ſe per actum interiorem ad quem dicit pertinere gratiam operantem; intelligere ſimplicem volitionem effectum eſſe gratiæ operantis, & illam cum voluntate gratiam operantem efficere.

48 Accedat & aliud Sancti Thomæ teſtimonium, in quo eandem tradit doctrinam, & prædictam ſuorum diſcipulorum intelligentiam & explicationem rejiciat. In 2. enim *ſent. diſt.* 26. *art.* 5. *ad* 3. reſpondens huic argumento, quomodo actus liber, cum fiat à libero arbitrio, poteſt eſſe effectus gratiæ operantis; propter quod argumentum citati ejus diſcipuli refugiunt illum liberum actum tribuere gratiæ operanti, recurrentes ad cooperantem gratiam, ita reſpondet. *Licet ipſe motus voluntatis non eſt à gratia ſine libero arbitrio & tamen quia ſe habet gratia, ut principale, quia inclinat in talem actum per modum cujus damnatura; ideo ipſa ſola talem actum dicitur operari, non quod ſine libero arbitrio operetur, ſed quia eſt principalior cauſa; ſicut gravitas dicitur operari motum deorſum.* Hîc planè in omnibus Sancti Thomæ controverſia ceſſare debet, omneſque fateri tenentur per gratiam operantem effici immediatè ſimul cum voluntate aliquem actum liberum noſtræ voluntatis, ita quod ad illum nulla requiratur gratia cooperans.

49 Explicans autem quiſnam ille actus ſit, ait eſſe illum, in quem gratia inclinat per modum cujuſdam naturæ, ideſt, illum ad quem voluntas per priorem deliberationem ſe non movet, ſed per modum naturæ, quatenus ſcilicet mota à ſolo Deo illum liberum actum elicit. Quod & exemplo gravitatis declarat, ad oſtendendum quod ſicut deſcendere eſt motus gravis, licet ſe grave non moveat, ſed ſolum à generante moveatur; ita velle, nimirum finem, ut infra dicetur, elicitivè eſt à voluntate licet voluntas ſe ad illud velle non moveat; quod Dominus Cajetanus ad illum *art.* 2. *ex* 1. 2. *q.* 111. optimè explicat.

50 Vnde penitus ceſſat explicatio, qua aliqui Diſcipuli Sancti Thomæ Cajetanum ipſum, & Sotum contra hanc illorum apertam doctrinam aliter explicant, nec aliquem moveat quod dicit inclinare illius gratiam ad illum actum per modum naturæ; non enim id dicitur ut moveat ad motum non liberum quod totum contra nos habetur in actu dum dicitur quod liberum arbitrium liberè illum actum producit; ſed dicit nullum per modum naturæ ideſt ſine prævia deliberatione qua voluntas ſe ad illum præmoveat; ſed ſolummodo movetur conformiter ad ſuam liberam naturam.

51 Idem etiam manifeſtè Sanctus Thomas docet 3. p. quæſt. 86. art 6. ad 1. *Ad primum ergo* inquit, *dicendum quod effectus gratia operantis eſt juſtificatio impij, ut in ſecunda parte dictum eſt in qua ut ibidem dictum eſt, non ſolum eſt gratia infuſio, & remiſſio culpæ, ſed etiam motus liberi arbitrij in Deum qui eſt actus fidei formata, & motus liberi arbitrij in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ, hi tamen actus humani ſunt ibi ut effectus gratiæ operantis ſimul producti cum remiſſione culpæ.* Hucuſque Sanctus Thomas quid clariùs ecce formalibus & expreſſis verbis docet actus noſtros humanos fidei, & pœnitentiæ quos in juſtificatione habemus effectus eſſe gratiæ operantis. Quod etiam docuit citato loco ex 12. *ſolut. ad* 2. dicens, quod ille motus, quo in noſtra juſtificatione Dei juſtitiæ conſentimus non eſt cauſa gratiæ ſed effectus unde tota operatio noſtra pertinet ad gratiam in principio autem corporis præmiſerat, quod illa gratia ad quam pertinet tota operatio eſt gratia operans.

Ratio inſuper hoc ſuadet, imò perſuadet ſatis, 52
quia alias cooperans gratia nunquam erit præveniens quod in ſuperioribus eſt tactum, quod tamen contra ſupradictos Authores militat, ſed ſemper erit ſimultanea, ſeu concomitans ſimul cum libero arbitrio actum efficiens. Probatur quia ſola illa gratia, quæ applicat, præmovet, & prædeterminat voluntatem poſt excitationem etiam prævenientem; eſt præveniens ſed ſola gratia operans poſt excitationem prævenientem verè ac propriè præmovet, applicat, & prædeterminat voluntatem ad agendum ut relati Authores dicunt. Ergo illa ſola erit poſt excitantem præveniens. Et ſic cooperans non erit præveniens, cum non ponatur ab eis applicare, præmovere, & prædeterminare voluntatem poſt excitationem; quod ſi dicant etiam cooperantem præmovere jam duplicem prævenientem gratiam poſt moralem excitationem ad eundem actum aſſignant. Quod dicendum non eſt, nec in illorum ſententia dici poteſt; cum dicant illam ſolum cum voluntate præmota ſeu præventa ſimul natura operationem producere. Circa illud verò quod docet S. Thomas voluntatem non ſe movere ad actum interiorem, ideſt ad finis volitionem, dubitare quis poſſit, an id ſolum doceat de ſimplici finis volitione, an verò id etiam intelligat de finis intentione.

Pro quo ſupponendum dupliciter poſſe voluntatem velle finem; primò ſimplici volitione ipſum abſolutè & ſecundùm ſe volendo. Secundò actu intentionis, finem volendo ut rationem volendi media ſeu quod idem eſt, intendendo ipſum per media, in confuſo tamen, per hunc nimirum actum, *intendo finem per aliqua media ſic in confuſo explicata.* Tertiò actu intentionis perfectè volendo nempè ſeu intendendo finem per hoc determinatum medium. 53

Reſpectu ergo primi actus, id eſt ſimplicis volitionis finis certum eſt non ſe movere voluntatem per puram deliberationem, cum hæc finem jam volitum præſupponat ut clariùs Sanctus Doctor expoſuit *eadem* 1. 2. *queſt.* 9. *art.* 3. & de iſto interiori actu qui eſt ſimplex finis volitio intelligit Sanctus Thomas quod ad illum ſe voluntas non movet per puram nempè deliberationem. Cæterum actuata jam voluntate per illam ſimplicis finis volitionem ſe movere poteſt ad ſecundum actum modo ſignatum deliberando videlicet ſe velle illum finem ſimpliciter volitum per media aliqua obtinere. Et tandem rurſus perfectiori modo habet intentionis actum; intendo finem per hoc certum, & determinatum medium. Quod verò diximus tripliciter poſſe voluntatem ferri in finem non eſt contrarium Doctrinæ Sancti Thomæ 1. 2. *citata queſt.* 9. *art.* 3. Vbi docet dupliciter ferri poſſe voluntatem in finem; quia per illum ſecundum intentionis actum comprehendit intentionem omnem ſive primam ſive ſecundam magis perfectam modo expoſitam. 54

Quod verò in *eodem art.* de gratia operante, & 55
cooperante docet in actu exteriori voluntatem ſe

movere;

Digitized by Google

movere; per actum exteriorem volitionem intelligit mediorum, seu electionis actum ut ipse Doctor Sanctus clariùs exponit solutione ad tertium illius articuli quod & præmiserat *eadem prima secundæ quæst. 8. art. 3.* sed ad principale intentum revertamur.

56 De distinctione verò gratiæ operantis & cooperantis dicendum quod si sermo fiat de gratuita Dei motione quæ in utramque dividitur, realiter distinguuntur quia operans & cooperans sicut actus voluntatis ad quos dantur realiter distincti sunt quæ videtur sententia Sancti Thomæ *citato art. 2. ex quæst. 111. 1. 2. in corpore*, ubi postquam assignavit distinctos actus, ad quos datur operans & cooperans gratia; hæc verba habet. *Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, quæ movet eos ad bonum meritorium convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem; si verò accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut & cujuslibet alterius formæ.* Quod si Sanctus Thomas sentiret etiam motionem gratuitam gratiæ operantis & cooperantis unam realiter esse cum duplici effectu hoc non limitasset ad solam habitualem gratiam, sic dixisset quod omnis operans & cooperans gratia seu habitualis seu actualis est una & eadem cum duplici effectu: sentit ergo quod si actus ad quos dantur gratia actualis operans & cooperans realiter distinguuntur; ita realiter etiam illæ duæ gratuitæ motiones distinctæ sunt. Et ratio id persuadet sæpè enim contingit quod quis per breve aliquod tempus motus ab actuali motione gratiæ operantis sistit in finis volitione, & quod cessat statim ab illa in quo casu cessat sine dubio & motio operantis gratiæ quæ ad illam movebat, & postea post aliud etiam brevè tempus moveatur à cooperante gratia ad volitionem mediorum ad talem prævolitum finem; tunc necesse est dicere; quod alia realiter distincta sit motio cooperantis gratiæ à motione prioris gratiæ operantis. Nec Sanctus Thomas *solutione ad 4. oppositum*, docet cum ait *quod gratia operans & cooperans est eadem gratia, sed distinguitur secundum diversos effectus; ut ex supradictis patet* nempè *in corpore articuli*; quia ibi tantùm loquitur de gratia habituali de qua præmiserat in corpore articuli quod est eadem gratia cum duplici effectu quæ verba iterum repetit *solutione ad 4.* in qua ad illa se refert; quæ ut docuit solum de habituali gratia procedunt, & præterea argumentum illud quartum ad quod respondebat id satis ostendit, non enim opponebat quod semper idem operetur & cooperetur. Sed tantum quod idem potest operari & cooperari nimirum habitualis gratia unde illa solum solutio argumenti procedebat.

57 Igitur stare non potest cum Doctrina Sancti Patris Augustini & Sancti Thomæ, ac veritate ipsa quod dicitur gratiam operantem præmovere seu prædeterminare nos ad omnem nostrum liberum consensum, cooperantem autem dici secundum quod concurrit cum eadem nostra voluntate & libero arbitrio ad quemlibet actum liberum, qui simul est cum gratia cooperante sive hoc sit antè justificationem hominis sive post justificationem.

58 Præterea sicut ipsi authores consequenter loquuntur ad id quod de influxu prævio & simultaneo dixerunt quod prævius habet pro termino applicationem voluntatis & simultaneus simul cum illa applicata illius actionem producere, quod & *lib. 3.* modo ex ipsis retulimus: ita & nos è contra consequenter asserimus, quod sicut divinus influxus habet pro termino actionem causæ secundæ cum termino actionis talis; ita gratia operans habet pro termino ipsum nostrum primum velle jam explicatum imò cum homo ex infusione operantis gratiæ justificatur, non solum contritio & dilectio Dei sunt terminus illius infusionis gratiæ quæ est gratia operans sed etiam talis operans gratia habet pro termino remissionem culpæ. Vt aperta sententia Sancti Thomæ *in 1. 2. quæst. 113. art. 6. & 8.* Cujus verba *3. nostro libro* legentes de influxu prævio inducta sunt hic nec referuntur, ibi videantur, & potissimè in utroque *illo art.* modo citato.

Nec rationes, quibus ad id tenendum prædicti 59
Authores moventur id probant sic enim opponunt primo secundum S. P. Augustinum *de gratia & lib. arb. cap. 17.* Ad gratiam operantem pertinet incipere negotium nostræ salutis, ad cooperantem autem spectat perficere quod per operantem gratiam inceptum est, sed per hoc solum quod Deus nos moveat ad salutem ante omnem nostrum liberum consensum verè inchoatum est nostræ salutis negotium; per hoc verò quod nos præbeamus consensum tenditur ad consummationem & perfectionem salutis. Ergo cum omni proprietate & in omni rigore sermonis dicitur gratia operans secundùm quod hos movet ad salutem antecedenter ad nostrum liberum consensum, cooperans autem dicitur secundùm quod simul cum voluntate nostrum producit consensum. Ad hoc dicendum Sanctum Patrem Augustinum citato loco dixisse ad gratiam operantem pertinere quod incipiat aliquod bonum in nobis, sed ipse ibi apertis verbis exposuit, ita ut explicatione non indigeat, quod sit illud bonum quod in nobis inchoat gratia operans dicens, quod est bonum velle. *Et quis* inquit, *istam etsi parvam dare cœperat Charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Igitur habere parvam charitatem est illud bonum inceptum, quod in nobis efficit gratia operans præparando voluntatem & rursus. *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens.* Et statim explicans quid intelligit per verbum, *ut velimus*, dicit quod est ipsum nostrum velle, quod Deus operatur incipiens. Imò quod magis est hoc ex Apostolo probat manifestè. Est ergo Sancti Patris Augustini sententia, quod ad gratiam operantem pertinet non quodlibet salutis exordium sed illud quod habetur per bonum velle sive per simplicem volitionem finis, quod bonum velle operatur gratia operans: est enim vel distingui potest duplex nostræ salutis initium partiale & integrum atque totale; partiale seu incompletum est divina Dei efficax motio movens ad agendum: completum autem integrum ac totale initium nostræ salutis est ipsa gratia operans causans primum nostrum velle quod ex Sacro Concilio Tridentino *sess. 6. de justif. cap. 5.* clariùs deducitur ab illis verbis *declarat præterea* usque ad illa *disponuntur.* S. verò P. Augustinus de initio salutis nostræ totali & completo loquitur cum dicit illud haberi per gratiam operantem; non de incompleto jam exposito; quod ideo solum partiale appellamus, non quia causa partialis sit partialiter causans consensum quod semper reprobamus, sed quia ex ipso & consensu quem efficaciter causat quasi integratur completum nostræ salutis initium.

Secundò opponunt quia in sacris literis & Con- 60
cilio Tridentino operatio nostri arbitrij requiritur ad assentiendum excitationi ante justificationem sed cooperatio nostri arbitrij est respectu gratiæ cooperantis; ergo gratia cooperans est qua sic assentimur justificationi. Major certa est, & minor illis aperta videtur, quia certum arbitrantur quod semper cooperatio arbitrij nostri sit respectu gratiæ cooperantis.

Verùm ad hoc dicendum arbitrij nostri coopera- 61
tionem

Digitized by Google

tionem non solùm esse respectu gratiæ cooperantis, sed etiam respectu gratiæ operantis. Cooperatur enim arbitrium nostrum non solum gratiæ cooperanti, sed etiam gratiæ operanti. Quod ex S. P. Augustino, Sancto Thoma, imò sacro Concilio Tridentino infrà dabimus manifestum. Imò jam supra ex Sancto Thoma manet ostensum tum ex illo loco 2. *sent.* tum *ex alio ex* 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. relato in solutione ad secundum & tertium & clariùs ex alio inducto *ex tertia parte q.* 86. *art.* 6. *ad primum.*

62 Opponunt tertiò sententiam suam prædictam esse Sancti Thomæ doctrinam 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. cum dicit quod gratia dicitur operans in ordine ad illum effectum gratuitum, in quo Deus solus est movens, & voluntas nostra mota: quandò verò actum efficit jam non est solum mota. Ergo respectu illius actus non est gratia operans, quæ illum simul cum voluntate efficiat.

63 At ad hoc jam patet ex dictis quia *in illo art.* expressè S. Thomas docet primum nostrum bonum velle esse effectum gratiæ operantis, nec huic contrarium est quod ibi asserit operantem gratiam esse respectu illius effectus in quo voluntas est tantùm mota: nam ad illud primum velle voluntas non se movet, sed tantùm à Deo est mota, ut illum efficaciter efficiat: itaque non se movet voluntas nostra per puram deliberationem finis ad illud velle, sed tantùm est mota à Deo, licet sic mota illud velle verè efficienter eliciat ipsa voluntas per gratiam operantem.

64 Quartò opponunt quod voluntas nostra in ordine ad prævium Dei motionem respectu actuum supernaturalium habet se passivè cum talis motio non producatur à nostro arbitrio: ergo in ordine ad talem effectum gratia sola operatur, & ita erit gratia operans respectu illius effectus, in quo voluntas est tantùm passivè mota. Quod enim postquam est passivè à Deo mota ipsa postmodum effectivè producat supernaturales operationes à gratia cooperante erit. Ad hoc dicendum est primò quod cum ab his authoribus ponatur gratiam cooperantẽ esse prævenientem, ponitur reipsa quod per illam nostra voluntas etiam sit mota passivè. Cum voluntas nostra illam præventionem non effectivè eliciat, sed solus Deus illam producat & per consequens si in hoc consistit, ut aiunt gratia operans, illa erit gratia operans. Dicendum secundò quod non est operans gratia, illa in qua voluntas est tantùm mota quomodocumque seu in qua est solùm passivè mota, sed in qua ita est mota, quod ipsa se per puram deliberationem non movet, ut ex Sancto Thoma dictum est *supra*, licet sic mota efficienter nostrum primum velle efficiat per eandem operantem gratiam, quæ utrumque simul efficit, & voluntatem per illam passivè esse motam, & simul cum voluntate sic mota efficienter nostrum primum bonum velle efficere ut explicatum est satis & ampliùs exponetur.

65 Possumus autem nos majori cum apparentia in favorem supradictæ ipsorum sententiæ sic opponere contra nostram. Si volitio finis sit à gratia operante & non à cooperante, cum illa volitio sit libera quoad exercitium si habuerit alia requisita ad meritum illa erit meritoria, & sic actio meritoria erit effectus gratiæ operantis quod est contra Sanctum Thomam 1. 2. *quæst.* 14. *in* 1. 2. ubi sic habet in quæstionis titulo. *Quæstio* 114. *de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.* Ergo meritum seu meritoria actio non est effectus gratiæ operantis. Ad quod tamen dicendum verissimum esse quod meritum non est effectus gratiæ operantis, sed cooperantis, ut ex Sancto Thoma modo relatum est. Volitio autem finis libera quoad exercitium, quæ procedit à gratia operante meritoria non est ut præcisè à gratia operante producitur, sed secundùm quod ei gratia cooperans conjungitur utrumque enim S. Thomas expressè docet, & quod primum nostrum velle quo in nostra justificatione justitiæ Dei consentimus, quæ contritio est fit à gratia operante ut apertè docuit *in* 2. *sent. &* 1. 2. *ac* 3. *part. locis citatis*, & quod talis contritio ut in illo testimonio *ex* 3. *part. quæst.* 86. *art.* 6. clariùs explicavit non est meritoria ut procedit à gratia operante, quia ut sic antecedit ipsam justificationem, & disponit ad illam, sed meritoria est secundùm quod sequitur gratiam justificantem, secundum quam rationem justificans gratia ad illum meritum concurrens cooperans est, ut idem S. Thomas docet in *illo art.* 2. *ex quæst.* 111. *in prima* 2. Contritio ergo est illud bonum velle quod S. Thomas docet haberi per gratiam operantem cum voluntas antea malum volebat.

Sed quia *in illo art.* 2. *ex cit. quæst.* 111. adhibet 66
illa verba *præsertim cum voluntas incipit bonum velle quæ priùs malum volebat.* In quibus asserit, quod potest voluntas incipere bonum velle per gratiam operantem etiam si priùs malum volebat. Vnde de hoc secundo bono velle fit argumentum etiamsi voluntas priùs volebat malum potest incipere bonum velle per gratiam operantem: ergo voluntas habens gratiam & charitatem potest incipere velle bonum per gratiam operantem: ergo tunc illa operatio non erit meritoria cum fiat à gratia operante. Quod tamen dicendum non est. Ad hoc dicendum quod potest quidem habens charitatem incipere aliquod bonum velle per modum finis particularis, sine eo quod per priorem deliberationem se ad illud moveat, sed ad illud à Deo per operantem gratiam moveatur: ut S. Thomas relatis modo verbis reipsa & implicitè dicit, sed tunc dicendum quod etiam illa volitio illius finis particularis, qua homo incipit illud bonum velle est quidem meritoria cum libera sit saltem quoad exercitium, sed meritoria non est secundum quod à gratia operante fit, sed secundum quod gratia & charitas ad illam cooperatur præbendo ei rationem meriti per relationem in Deum saltem virtualiter, & sic meritum semper à gratia cooperante est, ut S. Thomas superiùs inductus affirmat.

Addendum quod etiam habens justificationem 67
& charitatem sæpe per actualem gratiam cooperantem se movet ad aliquod bonum: qui actus est sine dubio meritorius, sed meritorius non est secundum quod fit ab illa gratia actuali cooperante, sed secundum quod fit ab habituali gratia justificante quæ quatenus est principium illius actus meritorij dicitur, & est habitualis gratia operans ut expressè Sanctus Thomas docet in illo *art.* 2. *quæst.* 111. *citato.* Vnde in summa actus meritorius ut meritorius nec fit ab aliqua gratia operante, nec ab operante actuali; sed tantum est effectus gratiæ cooperantis habitualis sive quod idem est, effectus est gratiæ justificantis secundum quod est principium illius actus ut meritorius est.

Nec contra hoc est quod S. Thomas dicit *citato* 68
art. in illa quæst. 111. quod si accipiatur gratia pro actuali motione quatenus nos movet ad bonum meritorium, dividitur gratia per operantem & cooperantem: quibus vult asserere quod per gratiam cooperantem nos movet Deus ad bonum meritorium; intelligit autem quod per gratiam actualem operantem seu cooperantem movet nos Deus ad bonum meritorium sive immediatè sive mediatè, quia tandem Deus ordinat illam operantem actualem gratiam

Digitized by Google

gratiam & homines justificat vel justificat bonum meritorium operantem.

69 Opponunt tandem quintò pro sua sententia relati Doctores opinionem suam esse Sancti Bernardi doctrinam non obscuram *lib. de gratia & libero arbitrio* circa finem. Cum enim dixisset Deum tria hæc operari in nobis scilicet cogitare, velle, & perficere bonum & pium opus subjungit *primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos perfici* & statim inferiùs. *A Deo igitur sine dubio nostræ fit salutis exordium, neque per nos utique nec nobiscum: verum consensus & opus & si non ex nobis non jam tamen sine nobis.* Et paulo post. *Gratia liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum. Sic autem ista operatur ut tamen illud in primo & in principio præveniat, in cæteris verò comitetur ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur.*

70 At minus rectè hæc verba Sancti Bernardi inducuntur, ut gratia operans tantùm præmoveat ad actum nullum tamen efficiat. Quia cogitare quod primo loco ponit Bernardus fit à gatia excitante quatenus excitans est, de quo nulla esse potest inter Theologos disputatio. Velle autem licet à gratia operante fiat, non tamen fit sine nobis liberè consentientibus, quod verissimum est, & verissimè à Sancto Doctore dicitur; perficere autem fit, ut inquit per nos itaque ex illis tribus; cogitare Deus sine nobis liberè consentientibus perficit in nobis, velle non efficit sine nobis liberè consentientibus; perficere autem efficit per nos. Imò hanc esse illius apertam mentem & verba supradicta declarant, & illa posteriora quibus explicando eadem tria, nempè cogitare, velle & perficere subjungit de cogitare. *Gratia liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum.* De velle autem subdit. *Sanat cum immutat affectum.* Igitur immutare affectum efficiendo bonum velle est officium gratiæ sanantis sive operantis, & de perficere inquit. *Roborat ut perducat ad actum.* Vbi prævenientem constituit operantem gratiam perducentem ad actum, quod infrà explicabimus. In præcedentibus verò verbis præmiserat. *Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc solum ejus est meritum quod consentit? est prorsus, non equidem quod vel ipse consensus in quo omne meritum consistit ab ipso sit cum nec cogitare (quod minus est quam consentire) aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus verba sunt non mea sed Apostoli qui omne quod boni esse potest, id cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate attribuit Deo non suo arbitrio.* Cum enim dicat quod consensus seu velle sit opus liberi arbitrij simulque quod non habetur bonus consensus ex nobis tanquam ex nobis: manifestè docet quod illud primum velle fit à gratia operante quia præficere fit à gratia cooperante. Vnde non rectè prædictus author *disp. 2. var. disput. in 3. lib. §. ex dictis colligo* redarguit Card. Bellarm. quod dixerit 1. *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 14. Conversionem deliberatam esse opus gratiæ operantis. In hoc enim rectè dixit Card. Bellarm. & ratio quam contra ipsum opponit nulla est, quia dicit quod cum consensus ille sit liber, fit à cooperante arbitrio & ex consequenti à gratia cooperante, non attendens quod arbitrium verè liberè tunc in sua conversione cooperatur, sed gratiæ operanti, non cooperanti ut dictum est. Quod si opponatur ex eodem Bernardo subjungente hæc verba. *Sic autem ista* (scilicet cogitare, velle, & perficere) *cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur.* Ergo solum prævenit nostrum cogitare, velle autem & perficere non prævenit gratia operans, sed tantum comitatur. Ad hoc dicendum mentem & sensum Sancti Bernardi esse quod prævenit Deus imprimendo nobis bene cogitare totale nostrum arbitrium: ita quod arbitrium in illo actu non cooperatur, at in velle & perficere ita prævenit nostrum arbitrium Deus, quod etiam arbitrium liberè cooperans concomitatur, quæ sicut est indubitata sententia, ita est Sancti Bernardi, si omnia ejus dicta considerentur.

CAPVT IV.

Cujusdam Doctoris sententia circa effectum gratiæ operantis explicatur.

EX dictis constat quam falsa sit sententia author- 71
tis opusc. *lib. 3. de aux. divinæ gratiæ cap. 5.* asserentis solam excitantem esse gratiam operantem, & quam contra sententiam S. P. Augustini manifestè procedat dicendo aliud esse Deum sine nobis operari ut velimus, & operari in nobis velle. Nam verba illius sunt. *Alterum observandum, aliud enim ut velimus, aliud operari ipsum velle: operari enim ipsum velle nihil aliud est quam operari in nobis aliquid quo disponamur ad volendum, & eo animo & intentione ut velimus: operari autem in nobis ipsum velle, est efficere in nobis ipsum actum volendi. Sic igitur ait Augustinus Deum operari in nobis sine nobis ut velimus quia ipse solus sine consensu libero nostro efficit in nobis gratiam excitantem, qua disponimur, & inclinamur ad volendum.* Hæc ille, constat, inquam, quam manifestè contra apertam literam Sancti Augustini hæc dicat. Testatur enim expressis verbis S. P. Augustinus se pro eodem sumere quod Deus sine nobis operetur ut velimus, & quod Deus operetur in nobis velle: ergo inter ista velle distinguere, ut conatur prædictus Author est literæ S. P. Augustini, dum eam explicat, apertè contradicere. Verba S. P. Augustini sunt *lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* De operante illo ut velimus dictum est, Deus est enim qui operatur in nobis & velle, legit iste author in Sancto Patre Augustino de operante illo ut velimus, dictum ab Apostolo esse, Deus est qui operatur in nobis velle; & ipse per oppositum interpretatur non esse idem in Sancto Patre Augustino operari ut velimus & operari in nobis velle? Planè quomodo id potuerit asserere legens illum locum in quo Sanctus Doctor expressis verbis totum contrarium docet; nec nos videre possumus Non enim potuit S. Augustinus etiam si ipse vellet, clariori modo explicare quod pro eodem sumebat operari in nobis ut velimus, & operari in nobis velle; quam dicendo quod operari in nobis ut velimus est id quod dixit Apostolus Deus est qui operatur in nobis velle; & verbis immediatè antecedentibus iterum ex eodem Apostoli testimonio idem probarat. Imò *in fine cap.* 16. sic tertiò præmiserat. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est quod paulò ante posui, præparatur voluntas à Domino, & de quo dictum est, à Domino gressus hominis diriguntur & viam ejus volet, de quo dictum est, Deus est qui operatur in nobis & velle.* Ecce semel secundò & tertiò repetit & confirmat Sanctus Pater Augustinus idem esse, quod Deus in nobis operetur ut velimus, & quod Deus operetur in nobis & velle, & tamen prædictus author contra tam apertam & repetitam Sancti Au-

Digitized by Google

gustini sententiam, ut suam fundet quod gratia excitans solùm sit præveniens, totum oppositum interpretatur. An autem ex inadvertentia hoc faciat vel potiùs ex scientia, aliis relinquo judicandum & solùm adverto quod quando aliud nihil esset quo ostenderetur falsissimè hos Authores pro se inducere Augustinum Sanctum, vel ex hoc solo testimonio & explicatione redderetur apertissimum.

72 Id etiam Sanctus Pater Augustinus magis declarat *lib. primo ad Simplic. quæst.* 2. dicens. *Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter quod voluerimus; ut velimus enim & suum voluit esse & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo, quod autem voluerimus solus præstat, id est posse bene agere & semper beatè vivere.* Dicendo enim quod ut velimus, & est Dei & nostrum manifestè docet sumere ut velimus pro ipso actu volendi, hic enim Dei & nostrum est, Dei quidem vocando & efficiendo suo efficaci adjutorio quod velimus, nobiscum pariter simul efficiendo ipsum nostrum velle; nostrum autem quia liberè volumus. Quid autem intelligat per sequentia verba, quod autem voluerimus solus præstat, non ita omnibus conspicuum est. Quidam dicunt. Illud verbum (quod) non esse adverbium, sed relatiuum & hunc sensum efficere: id quod volumus consentiendo Dei inspirationi solus Deus præstat, sicut cum vocamur ad contritionem illam, habendo voluntatem remissionis peccatorum, quam tamen in nobis solus Deus efficit. Similiter consentiendo homo vocationi Dei vult consequi ultimam salutem: quam tamen solus Deus nobis tribuit. Quæ intelligentia tradi videtur *libro de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 21. Vt adipiscamur quod consentiendo admonitioni cupimus divini est muneris.* Verum ista interpretatio licet in se vera sit, & fundamentum habeat in illis antecedentibus verbis. *Non tamen volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei ut quod volumus adipiscamur, & quò volumus perveniamus.* Tamen quia idem Sanctus Doctor defendit illa verba, non est volentis nec currentis; sed miserentis est Dei, non propterea dicta fuisse, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus, sed etiam ex illa intentione qua alio loco dicit: *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Ideò consequenter juxta hanc intentionem Apostoli ultimo loco traditam à Sancto Augustino, illa verba Sancti Doctoris intelligenda sunt, quod voluerimus solus Deus præstat, nimirum ut non solùm præstet posse bene agere, & posse semper beatè vivere, quod sine dubio ipse solus præstat, ut ibi Sanctus Doctor affirmat; nec tantùm quod voluerimus solus præstet Deus tribuendo ut adipiscamur quod volumus, & ut præveniamus quo volumus, quod etiam sine dubio solus Deus præstat: verùm etiam tertio modo, quod voluerimus solus Deus præstat, quia licet nos velimus tamen quod ad volendum bonum moveremur & applicaremur solus Deus per operantem gratiam operatur in nobis; non enim nos prævovemus nos ipsos ad sic volendum bonum; sed à solo Deo ad id prævovemur, & in hoc sensu etiam dixit: quod voluerimus, id est quod nos moveremur & applicaremur ad volendum solus Deus præstat. Itaque advertenter dicimus, quod etiam in hoc tertio sensu illa verba sunt dicta, quia & in primo & secundo nunc relata dicta etiam fuisse à Sancto Doctore habet textus ipse. Triplicitèr ergo illa verba debent intelligi & exponi, & ille triplex sensus pariter ex litera constat. In tertio autem sensu explicato idem illis verbis Sanctus Augustinus docet quod in Concilio Arausicano can. 20. diffinitum est: *Multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo*: excepto hoc uno, quod Concilium universaliter loquitur de bonis quæ non facit homo, sive fiant in illo per operantem, sive per cooperantem gratiam, ut infrà etiè apertè monstrandum. At S. P. Augustinus in illis verbis solùm loquitur de illo bono quod solus Deus facit in nobis per gratiam operantem movendo nos ad bonum volendum, quæ omnia copiosè in sequentibus explicanda sunt.

CAPVT V.

Quorundam Discipulorum D. Thomæ sententia circa effectum gratiæ operantis explicatur.

73 POst tres relatas sententias quæ minùs propriè seu rectè proprium effectum operantis gratiæ exponunt, ut visum est supra, est aliorum discipulorum Sancti Thomæ quarta sententia nempè Cajetani *ad* 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. *in prima solutione* & Magistri Soto *libro* 1. *de natura & gratia cap.* 16. qui docent quod gratia dicitur operans secundùm quod in nobis causat intentionem finis. Nec ab hac est diversa illa quæ docet gratiam operantem causare in nobis actum interiorem, sicut aliqui ex Sancti Thomæ discipulis illas distinctas judicant, & pro distinctis eas referunt. Imò eadem omninò sententia est, quæ dicit gratiam operantem efficere actum interiorem voluntatis nostræ, & efficere intentionem finis, ut statim aperiemus. Vbi etiam breviter adnotaverim: non debuisse à discipulis Sancti Thomæ referri illam sententiam, quæ asserit gratiam operantem dici respectu actus interioris, sub his verbis. Prima est asserentium quod gratia dicitur operans in ordine ad actus interiores, cum illa sit in terminis expressa sententia Sancti Thomæ 1. 2. *quæst.* 111. *citato art.* 2. sub nomine ergo Sancti Thomæ referri debuit, & non sub nomine confuso asserentium, &c. sed cum illam ipsi non recipiant, nec mirum quod illam esse expressam Sancti Thomæ minus agnoscant.

74 Quomodo autem in hoc Sancti Thomæ doctrinæ adversentur ipsius Sancti Doctoris expressa verba convincunt in corpore illius articuli. *Est autem*, inquit, *in nobis duplex actus primus quidem interior voluntatis, & quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, & præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat, & ideò secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum dicitur gratia operans.* Potuitne S. Thomas clarioribus verbis declarare gratiam operantem dici in ordine ad actus interiores? Igitur illius expressa sententia est, non aliorum asserentium, &c. Quid autem huic tam literali doctrinæ ipsi valeant respondere, ipsi viderint. Nam ego planè non video quid à Sancti Thomæ Discipulis responderi possit. Si enim dicant ideò sub aliorum nomine ab eis fuisse relatam; quia illi non solùm asserunt gratiam operantem dici per ordinem ad actus interiores ad quos movet, ut S. Thomas asserit; sed insuper illos in nobis efficere: quod in illo articulo S. Thomas expresè non docet, eis dicendum est primò: quod cum nomine aliorum illam sententiam referunt: sub illis præcisè verbis referunt eam, sub quibus à Sancto Thoma traditur; nimirum quod gratia operans sit per ordinem ad actus interiores, quod est primum. Secundò quia etiamsi illam referrent, quod operans gratia sit per ordinem ad actus interiores, quos in nobis efficit, non sub nomine aliorum id asserentium, sed sub nomine Sancti Thomæ id tradentis, potissimè in illo

Digitized by Google

illo loco *ex 2. sent. dist. 26.* supra relato esset referenda & ut talis defendenda, ut supra jam manet ostensum.

75 Cum ergo sit manifestum sententiam expressam Sancti Thomæ esse gratiam operantem desumi per ordinem ad actus interiores nostræ voluntatis, ut litera *in illo art. quæst. 111. ex 1. 2. habet.* Similiter cum sit manifestum dici gratiam operantem per ordinem ad illos actus quos in nobis ipsa efficit, ut expresse idem tradit S. Thomas *in 2. sent. dist. 26. art. 5. allato* ac in omnibus locis præcedenti capite inductis; ostendendum est modo ex eadem sanctissimi præceptoris aperta sententia, idem omnino esse gratiam operantem dici per ordinem ad actus interiores quos efficit in nobis, & in ordine ad volitiones finis quas in nobis talis operans gratia operatur; nec istas esse duas sententias sed unam omnino. Id enim Sanctus Thomas in aliis testimoniis suæ doctrinæ, quæ præmiserat in eadem 1. 2. satis declaravit præsupponit namque *in illa quæst. 111. art. 2.* quæ à se dicta & tradita fuerant *in eadem 1. 2. quæst. 9. art. 3. & potissimè 4.* cui iste secundus articulus *ex quæst. 111.* correspondet. Ibi enim *in illo articulo 4.* docuerat. *Quod ad volendum finem voluntas non se movet, quia oporteret, ut hoc medio aliquo consilio ageret ex aliqua voluntate præsuppositâ; hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, ait, quod in primum motum voluntatis voluntas pendeat ex instinctu alicujus moventis* (quod est Deus) *ut Aristoteles concludit in quodam capitulo Ethica Eudemiæ;* Quam doctrinam generalem supponens *in quæst. 111. art. 2. citato* sic ait. *In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; & secundùm hoc dicitur gratia operans.* Ex his duobus articulis concluditur; quod secundum apertam Sancti Thomæ sententiam. *Et in art. 3. illius quæst. 9.* præmiserat. Hoc modo se habet finis in appetibilibus sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem quod intellectus per hoc quod cognoscit principium reducit seipsum de potentia in actum quantum ad cognitionem conclusionis & hoc modo movet seipsum. Et similiter voluntas per hoc quod vult finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Ex his inquam duobus articulis concluditur quod secundum apertam Sancti Thomæ sententiam gratia operans dicatur respectu volitionis finis hoc modo. Ad volitionem finis voluntas non se movet, sed movetur à Deo ut docet *illa quæst. 9. art. 4.* sed in illo actu ad quem voluntas non se movet, sed movetur à Deo, dicitur gratia operans ut ait *citato art. 2. ex quæst. 111.* Ergo gratia operans dicitur in ordine ad volitionem finis. Hoc argumentum tenet ex puris particularibus, quia præmissæ doctrinales, sunt æquivalentes universalibus; ad omnem enim & solam finis volitionem non se movet voluntas sed movetur à Deo.

76 Quod autem ille actus ad quem non se movet voluntas, qui est volitio finis, sit & dicatur actus interior voluntatis, idem Sanctus Præceptor clarè proponit & explicat *eadem 1. 2. quæst. 18. art. 6. in corpore* quod etiam præsupposuit à se ibi declaratum *in illa quæst. 111. art. 2.* sic enim habet in citato illo art. 6. *In actu voluntario invenitur duplex actus scilicet actus interior voluntatis & actus exterior, & uterque horum actuum habet suum objectum; finis autem propriè est objectum interioris actus voluntarij.* Quibus verbis manifestè docet quod actus interior voluntatis ille est, qui habet pro objecto finem, & ex consequenti eadem manifestatione docet, quod volitio finis est actus interior voluntatis. Unde Cajetani explicatione adhoc non indigemus; cum litera ipsa Sancti Thomæ nota sit. *Et solutione ad 2.* iterum ait; *Quod ordinari ad talem finem etsi accidat exteriori actui; non tamen accidit actui interiori voluntatis qui comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale.* Igitur cum Sanctus Thomas *quæst. 111. art. 2. citato*, ait quod ad actum interiorem voluntatis datur gratia operans per actum interiorem voluntatis, planè intelligit volitionem finis, hanc enim finis volitionem interiorem voluntatis actum appellarat priùs *eadem 1. 2. quæst. 18. art. 6.* Ex tribus ergo istis articulis ad invicem comparatis nempè *ex art. 4. 9. ex art. 6. quæst. 18. & ex art. 2. quæst. 111.* manifesta colligitur Sancti Thomæ Doctrina. Quæ ut summatim dicam, in hoc consistit, quod gratia operans dicitur in ordine ad actum supernaturalem interiorem qui est volitio finis ad quam voluntas non se movet sed tantum movetur à Deo. Igitur sententia expressa Sancti Thomæ est per gratiam operantem moveri nos ad supernaturalem finis volitionem, & nobiscum eam efficere, & ad hoc solum dari gratiam operantem; ut ex præcedenti capite & his quæ modo sunt dicta manifestè constat. Unde liberum arbitrium sic motum à Deo per gratiam operantem eidem cooperari subsequendo ex Concilio Tridentino *sess 6. cap. 5. & can. 4.* non obscurè deducitur nam *in cap. 5.* dicitur quod arbitrium cooperatur assentiendo excitanti & adjuvanti gratiæ quæ est initium justificationis; quæ adjuvans gratia initium justificationis sine dubio est gratia operans, cui arbitrium dicitur cooperari, & Sanctus Thomas *1. 2. quæst. 111. art. 2. ad secundum* docet quod Deus adjuvat hominem ut bonum velit, nempè per gratiam operantem; cui homo benè volendo cooperatur, scilicet subsequendo. Unde quod Cajetanus & Soto dicunt supra citati quod gratia operans datur respectu intentionis finis ita explicandi sunt ut per intentionem finis intelligant simplicem finis volitionem, nam si sermo sit de propria finis intentione ut distinguitur à simplici finis volitione, jam dictum est præcedenti cap. quod ad illam se homo movet per cooperantem gratiam.

Quæ modo sunt dicta de gratia operante actuali, 77
seu de auxilio actuali operantis gratiæ procedunt nam operans gratia habitualis (datur enim habitus qui gratia operans sit) alium distinctum valdéque diversum effectum habet, ut Sanctus Thomas exponit *citata quæst. 111. art. 2. in fine*; dicens quod habitualis gratia in quantum dat esse animæ, id est in quantum animam sanat vel justificat sive Deo gratam facit, dicitur gratia operans. In quo clarius apparet ratio gratiæ operantis; non etenim sunt ibi duo dantes esse animæ, illam sanantes, & justificantes scilicet Deus & homo; quia homo non se justificat; & sanat, nec sibi esse tribuit supernaturale, sed solus Deus id operatur in nobis; & sic magna cum proprietate dicitur in tali effectu gratia operans. Dicitur autem habitualis gratia justificans gratia operans, non quidem quod ipsa effectivè animam sanet; quia formaliter id efficit; sed quia Deus per illam effectivè operatur animæ salutem; & ei esse tribuit supernaturale per illam.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Vera gratiæ cooperantis ratio non consistit in hoc quod simul natura tantùm cum arbitrio concurrat.

78 QVia de operante gratia dictum est satis; nunc veram rationem cooperantis gratiæ expendamus, & in quo ab operante differat, & quomodo ab ipsa distinguatur, explicemus; Hæc enim tria de cooperante gratia cognoscere necessarium est; loquimur autem hic de actuali gratia cooperante; nam quid sit dicendum de habituali inferiùs apparebit.

79 Circa primum, illud omnium primò à veris Theologis dicendum est & defendendum; gratiam cooperantem non dici cooperantem quia tantùm simul natura cum arbitrio nostro concurrat, sicut aliquando authores cum quibus agimus, exponunt. Author opusculorum *lib. 3. de auxiliis divinæ gratiæ cap. 5. num. 4. §. habemus*, dicens. *Et quod valde notandum est indicatur in illa voce quadam simultanea conjunctio voluntatis ad eundem actum, & actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur; ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedat vel impellat.* Author concordiæ *in ipsa quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 7. §. in quarto argumento vers. quando autem. Quando autem*, ait, *quæritur cur sicut Deus cum voluntate simul natura dicitur producere effectum*; &c. Leonardus Lessius *cap. 10. sui libri de efficacia gratiæ §. ad cujus plenam*; *in fine*, inquit. *Vnde ulteriùs sequitur liberum arbitrium non priùs natura influere in opus, aut operari quàm gratiam, sed simul.* Diximus quod aliquando hoc dicunt, quia alibi sæpè in sua Doctrina asserunt, ut infra patebit, priorem esse voluntatis influxum ipso influxu gratiæ cooperantis, ubi etiam ostendemus nullam esse contradictionem in his duobus eorum dictis, quamvis inter se contraria esse videantur. Diximus etiam non consistere rationem cooperantis gratiæ in sola illa prætensa simultate naturæ; quia non est dubium quin simul natura cum voluntate actum ipsa efficiat, sed non solùm in hoc consistere rationem gratiæ cooperantis affirmamus.

80 Probatur prædicta conclusio, quia nec nomen cooperantis gratiæ hanc solam simultatem naturæ importat; nec authores cum quibus agimus hoc reipsa statuunt, aut statuere in sua doctrina possunt, nec in rei veritate illud possibile est; ergo ratio cooperantis gratiæ consistere non potest in illa tantùm simultate naturæ qua cum voluntate nostra ipsa concurrat. Singula manifestantur; & quidem primum quod per vocem ipsam id non importatur, constat, quia per illam vocem *cooperari*, etiam si grammaticaliter sumatur; solùm denotatur quod duo sint simul operantes, non autem quod simul natura operentur; hoc rectè per illam vocem non importatur; imò nec in illa denotatur quod simul tempore utrũque agens operari incipiat; constat enim quod si quis ad movendum lapidem per horam solus laboraret & post illam ab alio adjuvaretur, quod priori operanti ille secundus diceretur cooperari; similiter constat quod instrumentum cooperatur principali agenti etiam si ex necessitate priùs natura sit quod ab ipso moveatur, antequam illi cooperetur; igitur in voce, *cooperari* etiam grammaticaliter sumpta hanc solam simultatem naturæ in operando fundare non possunt.

Multo autem minus sumpta hac voce, *cooperari* 81
Theologicè, & prout à Theologis acceptatur & secundùm quod ea communiter utuntur. Cooperari enim aliquem alicui secundum expressam Sancti Thomæ sententiam 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. *ad* 3. dicitur dupliciter, uno modo sicut secundarium agens cooperatur agenti principali. Alio modo sicut adjuvans alium ad propositum finem secundarium autem agens cooperatur principali agenti sicut Ministerialis Architectonico ab eo directus & motus. Similiter qui alium adjuvat ad propositum finem; non est necesse quod simul natura adjuvet; dummodo enim ipsum quomodolibet adjuvet, salvatur quod illi cooperetur, idem clariùs docuit *opusc. 1. cap. 23.* dicens quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Vno modo sicut secundarium agens cooperatur quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem, sicut minister Domino, dum ejus præceptis obedit, & instrumentum artifici à quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui in quantum operatur eandem operationem cum ipso. sicut si diceretur de duobus portantibus aliquod pondus vel de pluribus trahentibus navim quod unum alteri cooperatur; & hoc secundo modo ait creaturam non cooperari creatori; sed primo modo. In quo primo modo constat quod subsequendo creatura cooperatur creatori, sicut minister Domino, & instrumentum agenti principali. Igitur attenta voce *cooperari* sive Theologicè, sive quod majus est grammaticaliter, non importatur in ipsa sola simultas naturæ inter duos operantes.

Quod autem hanc prætensam puram simultatem 82
naturæ inter gratiam cooperantem, & arbitrium in sua doctrina non teneant, nec tenere possint ij authores; infra copiosè in alia conclusione ostendendum est ex propriis eorum verbis, quibus passim affirmant priorem natura esse influxum voluntatis quatenus influxus voluntatis est; quàm cooperationem divinam. Ergo in sua doctrina salvare nequeunt hanc præcisam simultatem naturæ inter divinum, & humanum influxum; sed hunc posteriorem, ipsi priorem naturâ constituunt.

Illud autem tertium quod in rei veritate impossi- 83
bile sit ponere hanc priorem simultatem naturæ inter gratiæ cooperationem & nostram, ex eo primò patet quia simultas naturæ tunc est quando est mutua dependentia, ut patet in relativis, quæ ideo sunt simul natura quia mutuo ab invicem dependent; nec unum plus aut magis dependet ab alio, quàm aliud nec enim plus filiatio depẽdet à Paternitate quam Paternitas à filiatione, & idem est de filio & Patre; quatenus formaliter relativa sunt. Hanc autem mutuam & æqualem dependentiam ponere inter cooperantem gratiam & nostrum arbitrium absurdum est; tum quia æqualiter diceretur Deus cooperans cum homine, pendere ab homine, sicut homo à Deo, quod admitti non potest; tum quia si sic simul natura tantùm cooperantur gratia & arbitrium; vel erit ille concursus per accidens, quod etiam dici non potest; vel si per se simul natura concurrunt, assignandum est ex necessitate aliquod tertium in quo uniantur ad sic simul natura cooperandum. Aliud enim intelligi non potest; si enim duo æqui portantes currum; simul natura cooperantur, est quia à tertio scilicet auriga moventur ad sic simul concurrendum. Et si duo portantes lapidem simul natura portant, est quia vel ab alio sic uniuntur; vel à principio unus illorum priùs natura incepit, vel se applicavit; vel si simul natura incœperunt; & se ad portandum applicaverunt, Deus ita nos simul natura applicavit; quod si omnia ista deficiant,

necessario

Digitized by Google

necessario dicendum est, quod per accidens fuit ille simultaneus naturæ concursus; cum neuter habeat per se ordinem ad alium. Cùm ergo præter Deum per gratiam suam cooperantem, & arbitrium, non detur aliquod tertium in quo & per quod uniantur ad sic concurrendum simultate naturæ; si illorum alter non incipit trahendo post se alium; sed uterque simul natura dicatur concurrere, dicendum est per accidens, & non per se ordinari ad sic concurrendum quod dici non potest.

84 Præterea hoc Scotus planè demonstrat illa sua ratione, qua dicit, quod vel voluntas divina determinat humanam; vel humana divinam, vel neutra aliam quod ultimum in per se ordinatis cum impossibile sit ex necessitate intulit dicendum vel quod divina voluntas humanam determinat, vel quod humana determinat divinam sed quid nos ostendere laboramus gratiam cooperantem & arbitrium non tantum simul natura concurrere; cùm etiam ij authores cum quibus agimus apertè constituant non simul natura tantum cooperari; sed priorem esse influxum voluntatis humanæ cooperatione divina.

85 Dicendum secundò dato, possibilis esset illa præcisa cooperatio simultate naturæ inter gratiam cooperantem, & arbitrium nostrum, per illam non salvaretur vera ratio cooperantis gratiæ. Probatur quia inter ea quæ tantum sunt simul natura mutua dependentia est unius ab alio & è converso; ita quod non unum magis dependet ab altero quàm è contrario, ut constat in relativis secundum esse ut dictum est; sed dici non potest quod æqualiter pendeat Dei cooperatio ab homine, sicut cooperatio hominis pendet à Deo; ergo illa cooperatio simultate naturæ, etiamsi dari possit, veram rationem divinæ cooperationis non salvaret. Minor patet, quia sicut causa secunda pendet à prima, non prima à secunda, ita cooperatio secundæ causæ pendet à cooperatione causæ primæ, non autem primæ cautæ cooperatio pendet à cooperatione secundæ causæ. Præterea data illa cooperatione per simultatem tantum naturæ, cooperatio arbitrij non tribueretur Deo efficienti ipsam, sed solum ipsi arbitrio, quod adeo certum est & evidens, ut ij authores cum quibus agimus id expressè concedant, author concordiæ *in ipsa quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membro 7. §. ad 2. vers. si autem* ubi planè concedit quod determinatio voluntatis quæ se ad bonum determinat, simpliciter tantum tribuitur libero hominis arbitrio, Deo autem sicut ei qui dedit arbitrij facultatem, qua se determinat, & etiam sicut illi, qui arbitrium invitat ad sic se determinandum. Quod etiam ipsi clariùs exponunt in exemplo quo sæpè utuntur, de duobus portantibus lapidem, quem unus solus portare nequit; in quo est manifestum quod influxus & cooperatio unius ab alio non fit. Et quod id manifestè ex illa præcisa cooperatione per simultatem naturæ deducatur patet; quia tunc Deus non verè efficeret illam cooperationem arbitrij, sed simul natura cum illa effecta à solo arbitrio concurreret. Sed hoc concedere est apertè damnatum per Concilia Sacra, & per S. P. Augustinum, qui hanc sententiam Pelagij refutat *libro de gratia Christi ferè per totum sed expressius cap. 6.* ubi sic Sanctus Doctor affirmat; *Neque Pelagius hinc incautos fallat & simplices, vel etiam seipsum, quoniam cum dixisset; ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est; velut correxit atque addidit; imò & hominis & Dei non enim hoc propterea dixit, quia secundùm sanam doctrinam intelligi voluit, quod & velle & operari Deus operetur in nobis; sed cur hoc dixerit satis evidenter ostendit; continuo subjungendo; qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit.* Duo ergo admittebat Pelagius, primum quod in omni opere bono laus est hominis, & Dei secundò quod ideo est laus Dei, quia ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit similiter relatus author concordiæ eadem duo admittit, nempè quod in determinatione bona voluntatis quæ sine dubio bonum opus est, est laus hominis & Dei, secundò quod ideo est laus Dei quia ipse dedit arbitrij facultatem seu possibilitatem ad bonum. Non ergo incauti & simplices fallantur, cum audiunt Deum nobiscum cooperari per gratiam suam; sed simul natura tantum cum arbitrio concurrendo; hoc enim non ideo dicunt, quia intelligi volunt illam bonam cooperationem, seu arbitrij nostri determinationem Deum verè operari in nobis; imò hanc veram intelligentiam ipsi rejiciunt, ponendo illam tantum simultatem naturæ, illamque exponendo exemplo de duobus trahentibus lapidem; sed ideo dicunt, quia Deus dedit arbitrij facultatem & possibilitatem; qua ratione asserunt bonam hominis determinationem Deo esse tribuendam, & in illum referendam.

Dices. Quamvis in hoc aperta convenientia sit, 86
tamen aliud secundum addit relatus author concordiæ, nimirum bonam etiam arbitrij determinationem seu cooperationem, tribui insuper Deo ratione alia, nimirum quia allicit, invitat, & moraliter attrahit voluntatem, ut sic se ad bonum determinet, atque benè operetur. Hoc enim secundum ipse, ulterius adhibuit citato nunc loco. At nec in hoc à priori illo differt, quippè qui hanc invitationem, suasionem, moraliter stupentem suscitantem voluntatem etiam posuit, ratione cujus asserebat Deum in nobis operari, & velle, ut patet ex relatis *in eodem libro de gratia Christi cap. 7. 8. & 9. ac 10.* Imò ex illo eodem sextò nunc inducto in quo post allata verba, quibus Deo tribuit bonam hominis cooperationem, quia dedit arbitrij possibilitatem; statim etiam adjunxit. *Quique ipsam possibilitatem gratia sua adjuvat semper auxilio*, illo videlicet, quod per doctrinam & revelationem allicit, invitat, exhortatur, atque suadet omne quod bonum est, ut habetur expressè citatis locis libri de gratia Christi; ergo eandem arbitrij facultatem & possibilitatem uterque posuit semper eodem auxilio adjuvari, moraliter videlicet, seu per modum legis atque doctrinæ attrahente. Igitur bonam hominis cooperationem ratione duplici uterque Deo tribuit, & quia dedit arbitrij facultatem & possibilitatem, & quia eandem facultatem & possibilitatem adjuvat Deus, alliciendo invitando, & suadendo; uterque autem negat quod verè Deus in nobis operetur & velle, seu efficiat cooperationem, & determinationem arbitrij nostri. Vnde & in hac negativa, & in illis duobus primis, par, imò eadem convenientia est.

Adhuc instabis. Præter illa duo modo assignata 87
adhuc tertiò admittit illius authoris concordiæ doctrina, quod gratia simul realiter seu physicè cooperetur cum voluntate opus bonum, quod tamen Pelagius non admisit, à quo proindè sententia illius authoris diversa est, sed ad hoc jam supra agentes de gratia excitante pluribus ostendimus impossibiliter omnino talem realem cooperationem poni, & verbis dumtaxat; unde ac si non poneretur habenda est, consequentius loquutus Pelagius illam non admisit & impossibilem esse in sua sententia arbitratus est; si enim possibiliter videret posse constitui, nec dubium quin illam astrueret, cum per eam in nihilo videret suo errori contradici.

Digitized by Google

88 Deindè asserere illum bonæ voluntatis influxum, seu determinationem, seu cooperationem arbitrij (hæc enim tria formalissimè idem sunt, ut etiam authores isti fatentur) à solo arbitrio hominis effici; (quod in illa operatione quæ attingitur per simultatem tantum naturæ necesse est dicere) apertè est aliquod bonum in homine admittere illudque magnum, quod à Deo non fiat, quo nihil impossibilius, nihilque potest dici magis veritati contrarium, nihilque quod magis Pelagianam Doctrinam fundet. Vnde in Concilio Arausicano *can.* 20. sub illis verbis invenitur damnatum. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit bona homo, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Etenim illam bonam arbitrij determinationem, seu cooperationem non præstat Deus, ut illam habeat homo secundùm hanc sententiam, sed ex se solo homo eam habet, ut dicunt, quod apertè in citato canone damnatur.

89 Præterea nullus potest dubitare hanc gratiæ cooperationem simul natura cum arbitrio operantem, infringere illud Apostoli testimonium, *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*, cum manifestè constituat Deum in nobis nec velle, nec perficere operari; sed cooperari tantùm simul natura cum arbitrio ex se solo volente, & perficiente: Impugnatur etiam ista positio cooperantis gratiæ simul tantum natura cum arbitrio concurrens, ab illo alio Apostolico testimonio, *quid habes quod non accepisti*; Huic enim respondet ista positio habemus ex nobis ipsis influere, nos determinare, & bonum operari; quod non accepimus sed ex nobis ipsis habemus, & Deus simul naturâ nobiscum cooperatur. Tandem illud *non volentis, nec concurrentis, sed Dei est miserentis*, secundùm communem sanctorum expositionem hanc cooperationem tantum simul natura concurrentem evertit. Si enim ideo id dictum esset, quia voluntas hominis sola non sufficit, nisi sit simul natura voluntas Dei, & per gratiam suam cooperatio, ut positio ista defendit; ergo etiam è converso posset dici; non est miserentis Dei; quia sola illius misericordia cooperans simul natura non sufficit nisi etiam adsit voluntas hominis. Quod tamen secundum nisi contra apertam sententiam & literam Apostoli nullus potest asserere. Sed de hoc Apostoli testimonio, & illius plena intelligentia infra dicturi sumus defendentes efficaciam prævenientis gratiæ divinæ.

90 Omitto quod jàm in superioribus ostensum est in explicatione gratiæ excitantis, quod illa cooperatio gratiæ simul natura tantum concurrens nihil omnino efficit, nec efficere potest circa influxum à solo homine elicitum; unde ex superfluo penitus ponitur, si homo sine illa suum potest inchoare consensum & cooperationem.

CAPVT VII.

Tota negatur ratio gratiæ cooperantis si ponatur cooperari postquam arbitrium aliqua ratione priùs natura incepit suum consensum.

91 Dicendum tertiò, tota negatur ratio cooperantis gratiæ, si ponatur ut ab his authoribus ponitur, cooperari postquam arbitrium aliqua ratione priùs natura incepit suum consensum & cooperationem suam duo simul juxta tenorem conclusionis hujus sunt ostendenda. Primum ab his authoribus poni sine dubio gratiam cooperari, arbitrio priùs ratione, & natura inchoante suum consensum. Secundum quod per hoc tota vera gratia cooperans de medio tollitur, & naturæ debita constituitur. Primum non per illationes ex aliquibus principiis authorum horum deducendum est, sed ex expressis eorum verbis. Id imprimis author concordiæ, & priùs, & clariùs sub his verbis proposuit. *Ex dictis*, inquit, *intelligetur facilè, unam & eandem omnino gratiam, quatenus excitat, allicit, & invitat arbitrium ad actus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi, appellari prævenientem, & excitantem gratiam, eaque ratione prævenire arbitrium nostrum ad hujusmodi actus; quatenus verò consentiente jam nostro arbitrio, & cooperante actus ad quos illa invitat, & allicit, ipsa quoque novo influxu, & actione cooperatur eosdem actus, appellari adjuvantem & cooperantem.* Audit Theologus tam aperta illa verba *consentiente jam nostro arbitrio ipsa quoque novo influxu cooperatur*, & dubitare poterit, etiam si velit, statui ab eis gratiam cooperantem, postquam arbitrium incipit consentire saltem prioritate rationis vel naturæ? Quid enim aliud potest significare illud consentiente jam nostro arbitrio nisi prioritatem aliquam? Alius etiam admittit & expresè has causales proponit; primam negativam; secundam affirmativam; non quia Deus operatur voluntas nostra operatur, sed quia voluntas nostra operatur, Deus operatur; in quo nec clariùs potuit in prima negativa negare prioritatem causandi Deo; nec in secunda apertius eandem prioritatem causandi, Deo negatam, humanæ voluntati adscribere. Causalis enim prioritatem ex necessitate importat, ut ex Logicis, Physicis, & Metaphysicis evidentissimum est apud ipsos summulistas. Alius sæpè repetit quod Deus post excitantem gratiam expectat arbitrij consensum, ut cum illo cooperetur; ergo priùs natura est quod expectatus arbitrij consensus, incipiat esse, quàm quod Deus illi cooperetur. Quare enim gratia cooperatur huic, & non alteri, nisi quia iste expectatum à gratia consensum arbitrij protulit non alius? Ergo idem quod priùs. Et alibi eodem libro ait quod auxilium gratiæ subditur usui liberi arbitrij; ergo usus liberi arbitrij est subdens gratiam sibi, & per consequens prior est quàm quod gratia sibi subdatur in operatione sua, sicut ex necessitate priùs est agens quam patiens, subdens quàm id quod subdit. Alter autem posterior magis hoc exponens ait, quod auxilia gratiæ expectant causam liberam ut quasi inchoet actionem, ut tunc simul cum illa concurrat, non est ausus dicere absolutè quod inchoet priùs actionem, sed sententiam temperando dixit, ut quasi inchoet. Quomodolibet ergo dicatur, ponitur apertissimè inchoatio aliqua consensus arbitrij prioritate aliqua fieri, antequam gratia cum arbitrio simul cooperetur. Et alibi clariùs protulit ista verba, *Liberum arbitrium utitur gratia, item est causa cur gratia hic & nunc influat in opus.* Et alibi expressius concedit, quod liberum arbitrium est causa directa quoad influxus divini determinationem hic & nunc existendam. Itaque apertè concedit quod liberum arbitrium est causa directa determinans ut influxus divinus hic & nunc sit, & sic voluntas humana directa causa ponitur determinans gratiam ut secum concurrat.

92 Quæ cum ab illis clarissimè proponantur, mirum est quod in eisdem libris contendant asserere liberum arbitrium non priùs natura influere in opus quàm gratiam, sed quod simul natura influant. Sed ista responsio facillimè præcluditur, & ab eisdem explicatur nullam contradictionem in istis suis dictis,

Digitized by Google

ctis, quæ prima facie apparent contraria, reperiri. Ipsi namque apertè distinguunt in eodem opere bono bonæ voluntatis, seu in eodem voluntatis actu rationem influxus, determinationis, seu cooperationis, & rationem operis boni, seu bonæ actionis, dicunt enim ista, ratione esse diversa, & omnium primò asserunt esse, influxum, determinationem, sive cooperationem arbitrij. Hæc enim tria etiam ratione apud illos sunt idem, & sic cooperante jam arbitrio, seu inchoante suum influxum, statim gratiam cum illo cooperari & simul natura cum arbitrio opus bonum efficere, seu actum bonum quatenus bonus actus & opus bonum est. Hæc aperta sententia est authoris concordiæ; ubi in actione voluntatis, ratione distinguit influxum, & ipsam actionem in ratione rei, & operis boni. Vnde isti authores in omnibus locis, in quibus prætendunt, seu exponunt hanc simultatem naturæ, numquam dicunt influxum, seu determinationem, aut cooperationem voluntatis, & gratiam cooperantem simul natura incipere; nec asserunt influxum Dei influere in influxum voluntatis, sed potius id expresse negat author concordiæ ubi supra; sed tantum dicunt voluntatem per suum influxum, & gratiam cooperantem simul natura influere in opus bonum; optimè autem stat quod priùs natura incipiat influxus voluntatis, & quod statim cum illo gratia simul natura influat in opus bonum. Quod ipsi exemplo concursus habituum, quo semper in hac materia utuntur satis apertè intelligentibus explicant. Dicunt enim quod sunt habitus simul natura cum potentia influit in actum; ita gratia cooperans & arbitrium simul natura influunt in opus bonum: nec priùs natura, vel potentia, vel habitus sic influit in actum, sed simul natura. Verum in hoc clarè exponunt quod ex illorum mente denudamus. Certum est enim quod prius quam habitus & potentia simul natura influant in actum, omnium primò requiritur quod voluntas velit uti habitu ut secum pariter concurrat velitque applicare habitum ad secum simul concurrendum, quia habitibus utimur cum volumus. Itaque quia voluntas vult uti habitu; ideo habitus simul cum voluntate concurrit ad actum; quod autem voluntas velit uti habitu & ipsum applicare ad actum, à sola voluntate fit, non ab habitu, ut est apertissimum.

93 Sicut ergo in habitu videmus quod omnium primo requiritur quod voluntas velit uti habitu, & ille usus voluntatis ab habitu non fit, sed illo præsuppositio prioritate naturæ, statim habitus & voluntas simul natura efficiunt actum; ita prorsus in præsentiarum omnium primò constituunt quod gratia excitante velit benè uti arbitrium, qui bonus usus ex excitante gratia non fit; præsuppositio autem isto usu bono seu influxu arbitrij, statim eadem gratia cooperatur, & simul cum arbitrio opus efficit bonum, seu bonum actum non potuerunt melius ipsi explicare hanc suam doctrinam, quàm exemplo concursus habituum. Ille autem usus quo voluntas utitur, sive habitu, sive gratia excitante, non distinguitur realiter ab ipso actu, qui simul efficitur à potentia & habitu, sed solum ratione distinguitur, & omnium primò ille actus consideratur ut est usus quo voluntas utitur habitu, vel excitante gratia; & secundùm hanc rationem non fit ab habitu; deindè secundò habitus & voluntas simul natura actum efficiunt sub ratione actus.

94 Quare sicut de concursu habitus duo asserunt, & ab omnibus sunt affirmanda; quæ nullam prorsus inter se contrarietatem habent, imò unum sequitur ex necessitate ad aliud alterum, quod habitus & potentia simul natura efficiant actum ut actus est, nec enim priùs natura fit actus à potentia quàm ab habitu; alterum quod ante hanc simultatem naturæ datur omnium primo quædam naturæ prioritas in qua voluntas vult uti habitu, & quia ipsa ex se, & non ex habitu sic vult habitu uti, ideo postea habitus & potentia simul natura actum producunt; ita eadem omnino ratione duo asserunt de concursu gratiæ cooperantis cum voluntate, quæ adinvicem consequuntur. Alterum quod gratia cooperans & liberum arbitrium simul natura opus bonum efficiunt, nec enim opus bonum priùs natura fit ab arbitrio quàm à gratia cooperante. Alterum verò quod antè hanc simultatem naturæ datur omnium primò quædam naturæ prioritas, in qua voluntas vult uti gratia excitante ipsi consentiendo, & quia voluntas ex se, & non ex gratia excitante sic vult ei consentire; ideo postmodum ipsa cooperatur & simul natura cum voluntate opus bonum efficit.

Ratione ergo illius posterioris simultatis naturæ tam in habitu, quàm in gratia excitante jam explicata, ipsi asserunt esse simul natura istam cooperationem. Ratione autem illius prioris prioritatis qua voluntas vult uti & habitu, & gratia excitante salvant omnia superiùs dicta, nempè quod consentiente jam arbitrio gratia illi cooperatur, & quod ideo gratia cooperatur, quia voluntas consentire vult, & quod influxus gratiæ expectat ut arbitrium quasi inchoet suum concursum & cum illo simul actum efficiat, & quod arbitrium utitur gratia, & illam sibi subdit, quod est causa directa ut ipsa influat. Et hoc est quod alij ex ipsis dicunt, quod in hac causali quam ingenuè admittunt, quia voluntas vult Deus operatur, non è converso verbum *quia* non dicit prioritatem instantis naturæ *in quo*, benè tamen prioritatem naturæ *ut à quo*, id est ut à quo incipit actio, quia secundum illos quod Deus cooperetur, pendet ab hoc quod homo suam actionem incipiat. 95

Vnde mirum est quod Leonardus Lessius dicit. 96
Cum enim sic oppositisset contra illam simultatem naturæ. *Liberum arbitrium utitur gratia item est causa cur gratia hic & nunc influat. Ergo priùs natura operatur quàm gratia, usus enim quo utimur re aliqua, prior est quàm opus ad quod illa utimur; similiter id quod est causa cur alterum sit est priùs illo.* Ita respondet. *Respondeo negando consequentiam, nam arbitrium etiam utitur habitu Charitatis, & Spei, & est causa cur hic & nunc influant in opus, non tamen priùs natura operatur quàm illi habitus.* Vbi primò mirandum est, quòd Logicus, ne dicam Theologus negare possit illam consequentiam quæ evidentissima est, nihil enim evidentius quàm causam prioritatem aliquam habere supra id quod causat, quia causa pertinet ad post prædicamentum *priùs*, ut etiam summulistæ norunt, & tamen audimus modo negari hanc palmariam consequentiam, æquivocatione quadam prætensa de concursu habitu charitatis simul natura cum libero arbitrio ad opus bonum concurrente, non attendendo quod ante istum simultaneum concursum in quo nec gratia est causa influxus arbitrij, nec arbitrium est causa influxus habitus Charitatis, datur prioritate naturæ usus quo voluntas vult uti habitu Charitatis, & ipsum applicat ad secum concurrendum, in quo sicut est causa quod habitus Charitatis secum concurrat, ita apertissimè est natura prior quàm quod habitus concurrat, qui est illius effectus.

Rationem

Digitized by Google

97 Rationem etiam quam reddit illius à se negatæ consequentiæ nullius considerationis est, imò tandem ipse se declarat, & illa duo quæ diximus, distinguit in actu voluntatis, sic enim ait reddendo rationem negatæ consequentiæ. *Non enim alio actu utitur, aut dirigit gratiam in opus quàm eo ipso qui à gratia pariter & à libero arbitrio procedit; sicut neque in naturalibus voluntas alio actu se utitur, aut determinat ad consensum, quàm eo ipso consensu, quem in se elicit. Hic enim quatenus est actio, dicitur esse usus liberi arbitrij & determinatio & applicatio ad ipsummet consensum ut est opus productum.* Ecce apertissimè in consensu voluntatis distinguit rationem operis producti, quod est posterius, & effectum productum à voluntate & habitu, vel à voluntate & à gratia cooperante simul natura illud opus efficientibus; & rationem actionis determinationis, & applicationis, quo voluntas vel se ipsa utitur, vel habitu, vel cooperante gratia, quæ actio determinatio, & applicatio, prior ratione & natura est, quàm quod habitus vel gratia cooperentur ut *pag. 2. q. 16. art. 1. & potissimè 4. dicit.*

98 Non ergo cum æquivocatione procedant authores isti, nec contendendo simul natura gratiam cooperantem & arbitrium influere in opus, incautos in hac materia fallant, vel seipsos, sed clarè fateantur id quod non obscurè proponunt, ante talem simultatem naturæ in opus productum, dari sicut re vera ipsi etiam apertis verbis concedunt, aliam omnium primam naturæ prioritatem quâ arbitrium ex se consentire vult, & se determinat, & applicat ad consensum, quæ ut ajunt, est causa, imò directa causa quod gratia secum cooperetur simul natura efficiendo opus productum.

99 Denudata ergo illorum sententia facilè supradicta conclusio probatur, quod videlicet per sententiam hanc omnis vera gratia cooperans quæ in scripturis traditur, negetur & ponatur manifestè reddi ut naturæ debita, & ex priori voluntatis merito. Cum enim talis gratia ideo cooperetur arbitrio, quia arbitrium ex se vult excitanti consentire; jam ipsa datur quia arbitrium vult; non autem per ipsam adjuvatur ut velit, & ex consequenti datur ex illo priori merito quo arbitrium ex se voluit consentire sic enim consentiendo ex se trahit post se gratiam, & facit ut illa secum pariter cooperetur. Ponere autem quod gratia cooperans detur quia arbitrium vult excitanti consentire, est constituere dari gratiam cooperantem, quia volumus, & ex consequenti ex priori merito nostro ut *ex libro 3. Hipognost.* est manifestum. Item est ponere quod ideo adjuvetur arbitrium quia vult, non autem adjuvetur ut velit, sicut illi constituebant de quibus Sancto Patri Augustino loquitur Sanctus Prosper. Si enim gratia cooperatur nobiscum actum, quia nos incipimus, vel inchoamus nostrum consensum; procul dubio adjuvatur arbitrium per illam, quia arbitrium ex se vult talem inchoare consensum. Aperitur hoc manifestius. Nam posita excitante gratia, ex illa quatenus excitans est non inchoatur voluntatis consensus, (ut authores supradictæ sententiæ fatentur, qui dicunt quod arbitrium illam sibi subdit consentiendo, non autem ipsa efficit, ut arbitrium consentiat, licet ad id inviter.) Ergo inchoatio consensus ab excitante gratia quatenus excitans est non fit. Rursus, non inchoatur consensus à gratia illa quatenus cooperans est, quia ut ajunt & manifestum est, cooperans gratia consequitur ad inchoationem consensus in illo omnium priori natura jam explicato: ergo nullo modo inchoatio consensus fit à gratia aliqua, nec excitante, nec cooperante; quia ipsi nullam aliam admittunt. Ergo fit inchoatio illius consensus à sola facultate liberi arbitrij, sed si ex se inchoanti arbitrio suum consensum, vel sic se ex se ipso determinanti, ex necessitate gratia ei debeat cooperari, fit manifestum quod ideo cooperatur gratia, quia arbitrium vult, & ideo per illam adjuvatur quia vult, non autem adjuvatur, ut velit quæ est illorum, quos Sanctus Prosper refert, manifesta sententia. Rursus cum cooperans gratia detur quia arbitrium vult, datur ex priori merito illius bonæ voluntatis, quo arbitrium ex se voluit consentire gratiæ excitanti, & voluit influere, & se ad bonum determinare.

Deinde quis dubitet, damnatam illorum antiquorum sententiam per Sanctum Patrem Augustinum, & Pontifices, atque Concilia, in hoc positam fuisse, quod hominis voluntas antecedat, & sequatur gratia divina in hoc, in terminis asserente Sancto Patre Augustino sitam fuisse illorum damnatam sententiam, ex qua priori hominis voluntate convincebant Sancti Patres meritum subsequentis gratiæ. Cum ergo tam apertè respectu gratiæ cooperantis ponatur antecedere humana voluntas & ipsa cooperans gratia subsequi, dicendo quod consentiente jam arbitrio ipsi cooperatur gratia, & cætera quæ inducta sunt suprà, nec aliquis poterit dubitare talem subsequentem gratiam cooperantem ad nostræ voluntatis inchoatum consensum, posse retribui ex priori illo voluntatis merito, quo sic suum bonum voluit inchoare consensum, adjuvandum statim gratia cooperante. 100

Accedit quod ut Sanctus Thomas sæpissimè docet, ut in his operibus nostris passim retulimus; damnata olim sententia, quæ gratiam Domini negabat, in hoc posita erat, quod homo incipere et & inchoaret, & Deus perficeret subsequendo, quod etiam Sanctus Pater Augustinus docet *libro de prædest. Sanctorum capite 2. & sequentibus.* Sed in hac quam impugnamus sententiâ, hoc in terminis constituitur cum dicitur quod expectat gratia ut cooperetur cum arbitrio, quod ipsum arbitrium quasi inchoet & incipiat suum consensum, tunc enim inceptio & inchoatio consensus à solo arbitrio fit, perficere autem ipsum à cooperante; ergo sententia ista quæ sic constituit cooperantem gratiam, sicut & illa illorum antiquorum, veram gratiam cooperantem destruit, & naturæ debitam ponit, & ex priori merito inchoantè solo arbitrio consensum retribui, re ipsa statuit. 101

Præterea cum apertè dicant quod arbitrium suo consensu sibi subdit gratiam, ideo id dixerunt, quia sibi gratiam subdere arbitrium arbitrantur, quoad hoc quod illa ut secum cooperetur, efficit nec enim alio modo putandum est, eos dicere arbitrium sibi gratiam subdere; ergo arbitrium post se trahit gratiam, quam sibi subdit; non gratia trahit post se arbitrium. Hoc autem quid aliud est dicere nisi quod antiqui illi dicebant relati à Sancto Prospero epist. ad Sanctum Augustinum. *Ac sic cum in iis qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit fieri qui salvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pareat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* 102

Ecce

Digitized by Google

Ecce expresse negant quod gratia sibi subjiciat vel subdat humanam voluntatem, & fatentur expresse quod è converso humana voluntas sibi gratiam subjiciat vel subdat.

103 Postremo, cum apertè concedant quod arbitrium est causa, & causa directa ut hîc & nunc gratia secum cooperetur, quomodo negare possunt hominis voluntatem priorem esse, quam quod gratia secum cooperetur cum gratiam cooperari effectus sit liberi arbitrij non quomodolibet, sed illius ut causæ directæ efficientis quod hîc & nunc secum gratia cooperetur. Non verentur isti Authores expresse concedere quod arbitrium sit causa directa ut gratia secum cooperetur, quod sic expresse ab aliis antiquioribus concessum, non invenio; nec potuerunt etiamsi vellent, priorem constituere humanam voluntatem supra gratiam, & non quomodocumque priorem, sed trahentem post se gratiam, & facientem quod secum cooperetur; postquam gratiæ hîc & nunc cooperari, dicunt effectum esse arbitrij, & illius ut causæ directæ illum effectum producentis. Non est autem arbitrandum esse directè causam efficientem gratiam sibi cooperari, cum illa efficiatur à solo Deo, sed directè merentem ut Deus sua gratia sic arbitrio cooperetur. Iam ergo est arbitrium directa causa meritoria ut gratia cooperetur, & sic gratiam cooperari cum arbitrio cadit sub merito directo arbitrij liberi, ut nullo modo sit gratia sed naturæ debita.

104 Concludo quod Iulianus, & expressiùs Cassianus & Faustus gratiam cooperantem admiserunt, ut planè ex illorum opusculis passim constat, quomodo enim illam negarent, quam videbant in scriptura esse expressam? Et ex eo solum convicti sunt quod illam negarent re ipsa, quia subsequentem, & pedissequam ponebant ad arbitrij libertatem priorem: Cum ergo hoc in terminis modo dicatur, non dubium quod cum illis antiquioribus penitùs cooperans gratia negetur, unde revera & illud de his authoribus dicendum est. *Nec consideraverant se gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas*, ita habet S. Prosper epist. ad August. Quibus verbis de gratia cooperante sermo fit, quæ sicut olim, ita & nunc, non prævia, sed comes ponitur humanorum meritorum, quam non dubitant illi, voluntatibus subdere, cum dicunt quod arbitrium subdit sibi gratiam, quas secundum suam phantasiam ab ea non negant esse præventas: verè enim secundum suam phantasiam ab ea quatenus excitans est præveniri dicunt humanas voluntates, cum potiùs ut dictum est supra ab hominis voluntatibus etiam ipsam gratiam excitantem ponant esse præventam.

CAPVT VIII.

Gratia cooperans confirmat voluntatem, & eam perducit ad actum, quo finem volitum perficiat.

Sicut operans gratia verè prævenit hominis voluntatem respectu actus interioris sive volitionis finis, eamque movet ut velit finem, simulque natura cum illa volitionem finis efficit, quod jam supra dedimus manifestum; ita gratia cooperans quæ contra illam dividitur, verè hominis voluntatem confirmat in bona finis priori volitione, & præveniendo movet ut ipsa voluntas se moveat per deliberationem ad volitionem mediorum, & simul cum illa efficit ipsam mediorum volitionem pariter exteriùs facultatem præbendo, & in hoc vera ratio cooperantis gratiæ consistit quod probandum est modo; loquimur autem nunc de actuali gratia cooperante, nam de habituali infrà dicitur. Itaque tria sunt de ratione gratiæ actualis cooperantis. Primum ut sit respectu volitionis mediorum post præhabitam bonam volitionem finis quam in nobis confirmat. Secundum quod respectu talis mediorum volitionis præveniat hominis voluntatem movendo interiùs eam, ut ipsa per suam deliberationem se moveat ad illam. Tertium quod simul exteriùs præbeat facultatem operandi. Quæ tria expresse ad gratiam cooperantem pertinere Sanctus Thomas docet 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. Postquam enim actum proprium gratiæ operantis exposuit, quem dixit esse interiorem, seu finis volitionem, ut explicavimus sic immediatè subjungit: *Alius autem actus est exterior, qui cum à voluntate imperetur, ut supra habitum est, consequens est; quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati, & quia etiam ad hunc actum Deus non adjuvat & interiùs confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi prebendo, respectu hujusmodi actus dicitur gratia cooperans.* In prioribus verbis quibus docuit actum exteriorem esse imperatum, & ideò ad illum actum operationem tribuit voluntati duo manifestè proposuit; Primò illum exteriorem actum impetratum esse volitionem mediorum, quæ verè subditur imperio rationis, ut ipse Sanctus Doctor expresse præmiserat *eadem* 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 5. qui videndus & notandus est pro claritate hujus Doctrinæ. Secundò etiam sub actu exteriori imperato comprehendit actus exteriorum membrorum, qui imperio rationis subjacent ut exposuit *eadem quæstione* 17. *articulo* 9. In verbis autem posterioribus clariùs illa duo cum alio tertio expressit, nimirum cooperantem gratiam esse respectu volitionis mediorum. Secundò esse etiam respectu cujuscumque actus exterioris, qui imperio rationis subdatur. Tertiò esse prævenientem respectu talis mediorum volitionis, & respectu talis exterioris actus. Hæc enim tria illa verba manifestè sonant, *& quia etiam ad hunc actum* (scilicet exteriorem imperatum) *Deus non adjuvat & interiùs confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi prebendo, respectu hujusmodi actus dicitur gratia cooperans.* Docendo namque quod Deus interiùs confirmat voluntatem, ut ad illum actum perveniat per gratiam cooperantem, manifestè docet cooperantem

105

Digitized by Google

gratiam esse prævenientem ; quia confirmare voluntatem interiùs ut perveniat ad actum , apertè sonat prævenientem gratiam respectu actus talis. Parique ratione dicendo quod per gratiam cooperantem Deus exteriùs præbet facultatem operandi , etiam asserit talem cooperantem gratiam esse prævenientem comparatione illius facultatis quam præbet , ut verba notificant. Similiter dicendo illum actum esse exteriorem imperatum , docuit esse volitionem mediorum , vel quemcunque alium qui subdatur imperio rationis. Nam illa tria relata , & à Sancto Thoma exposita , cum præsupponant finem & ad illum perficiendum adjuvent rationem habent mediorum. Vndè rectè dixit Magister Soto & Cardinalis Bellarminus libro primo de gratia & libero arbitrio capite 14. gratiam cooperantem esse respectu volitionis mediorum , quidquid in contrarium dicat Magister Cumel ubi supra.

106 Sicut ergo actus volitionis finis vocatur primus actus voluntatis & actus voluntatis interior, & iste quia primus est (in cujus virtute imperium rationis habet movere efficaciter quoad exercitium actus ut *quæstione* 17. *citato articulo primo & quinto* docet Sanctus Thomas :) nullo modo subditur imperio rationis , vel imperatus esse potest , cum antecedat rationis imperium ut docuit idem Sanctus Thomas *citata quæstione* 17. *articulo quinto ad tertium* ; ita omnes alij voluntatis actus sive sint à voluntate eliciti & simul imperati , ut sunt volitiones mediorum ; sive sint solum à voluntate imperati , ut sunt actus exteriorum membrorum : omnes isti vocantur actus exteriores , & actus imperati : unde omnes comprehenduntur sub nomine actus exterioris imperati , ut omnes condistinguntur *in illo articulo* 2. *ex quæst.* 111. contra primum interiorem actum voluntatis , qui est volitio finis. Et ad omnem talem exteriorem & imperatum actum voluntatis dicitur dari gratia cooperans , quæ confirmet voluntatem interiùs ut ad actum illum perveniat , & exteriùs tribuat facultatem operandi. Itaque in summa gratia operans est respectu solius volitionis finis ad quam movet , & quam cum voluntate mota efficit : gratia autem cooperans est respectu cujuscumque alterius voluntatis actus, sive ab illa elicitus sit , & simul imperatus sit , sive ab ea tantùm imperatus , & est respectu cujuscumque facultatis requisitæ ut voluntas perveniat ad obtinendum quoad executionem finem prævolitum per gratiam operantem , & ad illum perficiendum. Quidquid enim necessarium est , ut voluntas bonum finem prævolitum per gratiam operantem perficiat , & quoad executionem obtineat, præstatur à gratia cooperante sive ille actus sit volitio mediorum , sive purus actus exteriorum membrorum , sive sit quælibet alia facultas bene operandi, qua finis prævolitus perfici & obtineri quoad executionem debet. Hæc vera & non obscura doctrina Sancti Thomæ est *in citato articulo ex prima secundæ quæstione* 111. *art.* 2. si tamen pauliper attendatur *& solutione ad* 3. idem docet , cum ait , quod *gratia cooperans adjuvat ad præsuppositum finem* : id est adjuvat voluntatem ut per media convenientia , quæcumque illa sint præsuppositum finem perficiendo in executione obtinent , sic enim prævolitus finis perficitur cum nempè per legitima media in executione obtinetur.

107 Quam doctrinam Sanctissimus Doctor ex Sancto Patre Augustino desumpsit *libro de gratia & libero arbitrio capite* 17. Vt sit secunda conclusionis probatio. Ibi enim Sanctus Doctor ita habet (ut simul verba quæ proponit pro gratia operante & cooperante referamus ; nam supra illa inducta sunt , quæ pro operante gratia faciebant) *& quis istam , etsi parvam , dare caperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem , & cooperando perficit quod operando incipit.* Igitur cooperans gratia perficit quod operans gratia incepit , incepit autem operans bonum velle id est volitionem finis : ergo officium gratiæ cooperantis est perficere hanc bonam finis priorem volitionem : Quomodo autem perficitur prior volitio finis : nisi cum magis confirmatur in voluntate & cum per legitima media quoad executionem obtinetur ? Igitur officium gratiæ cooperantis erit confirmare voluntatem in finis volitione & illam per legitima media perducere ut finem prævolitum quoad executionem obtineat. Dando ad id facultatem & vires & cætera quæ ad id necessaria sunt. Vnde prosequitur Sanctus Pater Augustinus *quoniam ipse ut velimus operatur incipiens , qui volentibus cooperatur perficiens.* Vbi iterum idem exponit ; quod videlicet gratia operans operatur ut velimus , id est ipsum bonum velle respectu finis & cooperans tandem priorem finis volitionem perficit : in ea voluntatem confirmando , & per legitima media perducendo ut ipsum quoad executionem obtineat ; hoc enim modo , ut iterum dicam prævolitus finis in intentione perficitur. Probat autem utrumque & quoad officium operantis & cooperantis gratiæ ex Apostolo idem Sanctus Doctor Augustinus statim subjungendo. *Propter quod ait Apostolus certus sum , quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi IESV.* Vbi Apostolum intellexit : quod per illa verba *qui operatur in vobis bonum* tradiderit Apostolus officium gratiæ operantis quæ dat bonum primum velle ; per illa alia sequentia *perficiet* , tradiderit munus cooperantis gratiæ , quod est perficere illud bonum primum velle : confirmando voluntatem in illo , & perducendo eam per media ad consequutionem illius.

Eodem modo semper intelligit illud aliud Apo- 108
stoli , *Deus est , qui operatur in nobis & velle & perficere* ; vel (ut alia littera habet) *velle & operari* ; ut nempè per *operari velle* , tradat gratiam operantem *per perficere autem seu operari* munus gratiæ cooperantis : unde statim subdit in hujus confirmationem idem Sanctus Pater Augustinus. *Vt ergo velimus , sine nobis operatur , cum autem volumus & sic volumus ut faciamus , nobiscum cooperatur.* Cooperatur ergo gratia cum volumus , nempè confirmando illud quod volumus & perducendo nos ut faciamus , id est , ut per convenientia media faciamus quoad executionem id quod necessarium est ad illud bonum velle executioni mandandum.

Et *cap.* 16. *precedenti* præmiserat officium utriusque 109
gratiæ & operantis , & cooperantis , dicens. *Certum est nos velle cum volumus , sed ille facit ut velimus bonum de quo dictum est , &c.* usque *Deus est qui operatur in nobis velle. Certum est nos facere cum facimus , sed ille facit ut faciamus , prabendo vires efficacissimas voluntati , qui dixit faciamus in justificationibus meis ambuletis , & judicia mea observetis & faciatis.* Per illa priora verba ; *certum est nos velle cum volumus , sed ille facit ut velimus ,*

manifestè

Digitized by Google

manifestè operantem gratiam & ejus proprium officium explicat. Per illa autem alia, *certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus*; tradit proprium munus cooperantis gratiæ, quod vellem omnes advertant. Cum autem docet quod Deus per cooperantem gratiam facit ut faciamus, patentissimè docuit prævenientem esse gratiam cooperantem quæ facit ut faciamus, in opere & executione id quod necessarium est ad perficiendum illud primum bonum velle habitum per gratiam operantem. Quod clariùs adhuc explicavit; cum ait quod Deus per cooperantem gratiam facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Quid apertiùs dici potuit ad ostendendum gratiam cooperantem esse prævenientem, & efficacissimè prævenientem.

110 In plurimis aliis suæ doctrinæ locis Sanctus Doctor tradit cooperantem gratiam esse prævenientem respectu actus ad quos datur, ut patet libro de gratia Christi, ubi refert negasse Pelagium Deum adjuvare cooperando, & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat; igitur gratia cooperatur ut faciat homo quod cognoverit esse faciendum, & ex consequenti præveniens est faciens ut homo faciat.

111 In Concilio etiam Colonienſi; superiùs inducto apertè ponitur gratia cooperans esse subsequens ad operantem, & præveniens respectu actus: quo ipsa debet perficere bonum præcedentem voluntatem, dicitur enim ibi: *Operans ergo gratia est, qua prævenit & præparat voluntatem, ut voluntas bona fiat, & qua priùs erat serva peccati, liberetur; cooperans verò gratia voluntatem jam factam bonam subsequitur, ut quod jam vult bonum perficere possit.* Et iterum ibi. *Non est*, inquit, *volentis nec currentis, sed miserentis Dei, hoc est, non est volentis principaliter bene velle, nec currentis currere, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle, id est ut assentiamur vocationi, & currere, id est operari pro bona voluntate.* Igitur officium operantis gratiæ est causare velle, id est, ut assentiamur vocationi; cooperantis verò gratiæ munus est, operari in nobis currere: seu operari in nobis ut curramus, seu ut operemur id, per quod prior voluntas facta jam bona per operantem, perfici debet.

112 Idipsum Concilium Arausicanum secundum definit canone 9. *Divini muneris est, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur.* Quoties, inquit, bona agimus: sed cum vocationi primæ assentimur bonum volendo, non dubium quin bonum agamus: ergo per illam operantem gratiam Deus in nobis atque nobiscum ipsum bonum velle operatur, quo vocationi assentimur. Pariquè ratione cum perficimus per cooperantem gratiam priorem bonam voluntatem, quæ jam bonum voluit, non dubium quin bonum faciamus: ergo etiam tunc Deus in nobis atque nobiscum operatur: ergo per eandem cooperantem gratiam operatur in nobis ut operemur: ergo prævenit gratia cooperans illam nostri arbitrij cooperationem, cum efficiat, ut illam nos faciamus.

113 Sanctus etiam Bernardus *libro de gratia & libero arbitrio circa finem.* Postquam docuit quod Deus perficit in nobis cogitare sine nobis, scilicet, liberè consentientibus: velle autem nobiscum perficere per nos, sicut jam in superioribus de ipsius mente dictum est, statim ait: *Gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat cum mutat affectum, roborat ut perducat ad actum.* In quo & gratiam excitantem intelligit in illo primo, scilicet *cogitare*; operantem in secundo, scilicet in *velle*, quem Deus sine nobis liberè consentientibus non efficit: cooperantem in tertio, quod est *perficere, & corroborare*, ubi cooperantem statuit prævenientem, dicendo quod corroborat ut perveniat ad actum.

Ratio autem est manifesta; etenim impossi- 114
bile est, quod ex nobis tanquam ex nobis habeamus perficere voluntatem jam per operantem gratiam bonam effectam; quia nullum bonum ex nobis tanquam ex nobis habere possumus, quod ex Deo nobis non detur nec primam bonam cogitationem ex nobis, sicut ex nobis habere possimus, ut Paulus testatur: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis.* Ergo quod perficiamus priorem nostram voluntatem jam bonam effectam, ex Deo nobis datur, sed perficimus priorem talem voluntatem per cooperantem gratiam, ut ex inductis fit manifestum: ergo per cooperantem gratiam Deus efficit ut perficiamus nostram priorem voluntatem jam bonam effectam: ergo prævenit Deus nostram voluntatem ut seipsam perficiat, & verè facit ut faciat, id per quod perfici debet, sicut Sanctus Thomas, Sanctus Pater Augustinus, & utrumque Concilium allatum docuerunt: Imò id expressè Apostolus tradit in illo, *non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, qui operatur in nobis velle per operantem gratiam, & currere per cooperantem, ut modo explanatum est. Et in illo, *Deus est qui operatur in nobis velle*, scilicet per operantem *& perficere* per cooperantem. Et in illo, *qui incœpit* scilicet per operantem, *perficiet usque in diem Christi Jesu*, nempè per cooperantem, & in illo, *gratia Dei sum id quod sum*, per operantem: *Et non ego, sed gratia Dei mecum* per cooperantem. Vnde illud *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*: Denotat quod bonam effectam voluntatem Apostolorum, qua optimum finem prædicandi Christum operante divina gratia jam habebant, per gratiam cooperantem Deus in illis perficiebat, faciens ut ipsi efficerent omnia, sive interna, sive externa; quæ necessaria erant, ut ille bonus finis quoad executionem obtineretur, & perficeretur, & sic qui eos omnium primo prævenit, ut bonam haberent voluntatem prædicandi Christum, & ipsam per operantem gratiam in eis efficit; effecit postmodum etiam in eis per cooperantem gratiam ut perficerent, eorum voluntatem ad hanc perfectionem præveniendo, & movendo, ut ipsi se ad illam moverent, simulque cum eis bonam illorum perfectionem efficiendo.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Cooperans gratia est subsequens respectu bonæ voluntatis, jam bonæ effectæ per operantem gratiam, sed est præveniens respectu actus ad quem ordinatur.

115 COnsulto dictum est supra cooperantem gratiam esse prævenientem respectu actus ad quem datur, quia comparatione gratiæ operantis, & voluntatis jam per illam bonæ effectæ, manifestè subsequens est. Vnde sicut respectu illius prioris bonæ voluntatis est subsequens, ita comparatione sui proprij actus, quem in nobis cooperans gratia efficit, est sine dubio præveniens. Primò id apertè constat ex illo Psalmi, *& misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me.* Vbi omnem Dei misericordiam & gratiam Psalmista dividit in prævenientem, & subsequentem, ideſt, in illam, quæ omnibus modis præveniens est, & nullo modo subsequens, & in illam quæ ad istam omnibus modis prævenientem subsequens est, sed respectu sui actus, quem in nobis efficit, est præveniens, ut ex allatis facilè constat, & infra clariùs constabit.

116 Hæc in primis aperta sententia est citati Concilij Colonienſis *in Inchiridio*, cum ait: *hæc gratia distinguitur in gratiam operantem & cooperantem, seu in prævenientem, & subsequentem; utramque in sacris litteris expressam legimus. Psaltes ait; & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me.* Quæ jam allata sunt supra.

117 Expressa etiam sententia Sancti Thomæ 1. 2. *quæstione* 111. *art.* 3. Cujus sola littera absque alio commento inducenda est, quia id apertissimè & clarissimè docet. *Respondeo dicendum quod sicut gratia dividitur in operantem & cooperantem secundùm diversos effectus; ita etiam in prævenientem & subsequentem, qualitercumque gratia accipiatur, sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est ut anima sanetur; secundus ut bonum velit, tertius, ut bonum quod vult, efficaciter operetur; quartus ut in bono perseveret; quintus est ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundùm quod causat in nobis primum effectum vocatur præveniens respectu secundi effectus, & prout causat in nobis secundum vocatur subsequens respectu primi effectus, & sicut unus effectus est posterior uno effectu, & prior alio; ita gratia potest dici præveniens & subsequens secundùm eundem effectum respectu diversorum, & hoc est quod Augustinus dicit in libro de natura & gratia, prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur, prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur.* Hæc Sanctus Thomas, quibus nihil clariùs potest adjungi, ad ostendendum cooperantem gratiam respectu prioris effectus, quem dat gratia cooperans, esse subsequentem; comparatione autem alterius effectus, quem ipsa causat esse prævenientem, & ita respectu diversorum subsequentem esse & prævenientem. Imò illud addendum etiam ipsam cooperantem gratiam respectu prioris sui effectus esse subsequentem, & comparatione posterioris esse prævenientem, ut ex littera citati articuli fit manifestum; quia gratia cooperans multiplex esse potest, & posterior respectu prioris subsequens etiam est.

118 Dubitabit fortè aliquis, cum Sanctus Thomas doceat primum omnium effectum gratiæ, videlicet operantis, quæ omnino, & omnibus modis prævenit, esse quod anima sanetur, secundum verò quod bonum velit; quomodo cum hoc stat, quod hucusque ex Sancto Patre Augustino & Sancto Thoma inductum est; primum effectum gratiæ operantis, esse ipsum velle, sive ut bonum velit, sive ut velimus, non autem ut sanetur. Ad hoc dicendum quod in hoc articulo Sanctus Thomas loquitur de gratia actuali, & etiam de habituali, utraque enim dividitur per operantem, & cooperantem, prævenientem & subsequentem, ut ex articulo isto tertio & præcedenti fit manifestum; & quia primus effectus gratiæ habitualis quatenus operans, est ut anima sanetur, ut expressè docuit citato articulo secundo. Ideo in illa ponit exemplum, & pro primo effectu statuit quod anima sanetur. In gratia autem actuali operante ponitur primus effectus bonum velle, quia est illud quod nos clarius cognoscimus, quamvis etiam ibi prius sit, quod voluntas inchoativè sanetur per operantem gratiam, ut sic possit illud bonum velle; cæterum quia illa inchoativa sanatio nobis minus cognita est, ideo in actuali gratia operante ponitur primus effectus id quod nobis magis est notum, nimirum bonum velle.

119 Dicendum præterea, quod cooperans gratia non solum respectu diversorum est prævenies, & subsequens, sed etiam concomitans; itaque respectu prioris effectus, ut dictum est, est subsequens, comparatione effectus quem ipsa causat est prævenies; movens videlicet voluntatem, ut seipsam moveat per deliberationem ad perficiendam priorem bonam suam voluntatem; est etiam concomitans simul cum eadem voluntate efficiendo talem actum bonum voluntatis, hoc ab omnibus sine contradictione dicendum est, quia illud tradit sub conceptis terminis Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 16. dicens; *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Ecce operatur Deus Cum justificatis, qui jam bonam & sanam voluntatem habent, sua virtute, quæ est antecedens illorum operationes; est eas simul concomitans, & est subsequens respectu prioris effectus, ut explanatum est.

120 Dicendum postremo liberum hominis arbitrium cooperatur, tam gratiæ operanti, quam cooperanti subsequendo; & simul cum illis effectus liberos producendo. Itaque sicut Deus operatur & cooperatur nobiscum nos præveniendo ad actus, qui effici debent vel per operantem, vel cooperantem gratiam, & simul natura illos nobiscum efficit; ita arbitrium nostrum utrique gratiæ cooperatur, primo subsequendo, deindè simul natura cum utraque effectum producendo, ad quem utraque ordinatur. Quod enim arbitrium nostrum cooperatur gratiæ operanti, constat primo ex Sancto Patre Augustino *libro de natura & gratia capite* 31. sic dicente; *Nullos enim videtur attendisse cum dixit, & ipse faciet, nisi eos qui dicunt nos facimus, ideſt nos ipsi nos ipsos justificamus, ubi quidem operamur & nos, sed illo operante cooperamur.* Ecce cooperamur Deo operanti in nobis justificationem, justificatio enim à Deo operante fit. Quod si operanti

Digitized by Google

ranti cooperamur, ſubſequendo planè coòperamur.

121 Idem docet Sanctus Thomas 1. 2. *quæſt.* 111. *articulo* 2. *ad ſecundum* dicens; *Quod Deus non ſine nobis nos juſtificat, quia per motum liberi arbitrij dum juſtificamur, Dei juſtitiæ conſentimus. Ille tamen motus, inquit, non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus; unde tota operatio pertinet ad gratiam.* Ecce gratiæ operanti tribuit juſtificationem, cum operanti gratiæ dicit, quod nos liberè conſentimus, ita quod ſatis noſter liber conſenſus effectus eſt operantis gratiæ, ſi autem conſentimus eliciendo liberum conſenſum, qui eſt effectus operantis gratiæ. Ergo ſubſequendo gratiam operantem cooperamur, effectus enim ſubſequitur cauſam, ut eſt manifeſtum.

122 Similiter Sanctus Bernardus *libro de gratia & libero arbitrio*, circa finem, tria enumerat, quæ Deus in nobis efficit, ſcilicet *cogitare*, *velle*, & *perficere*. Per quæ tria omnem gratiam mirifice comprehendit, per *cogitare* excitantem, per *velle* operantem, & per *perficere* cooperantem: unde ait, quod cogitare perficit ſine nobis ſcilicet libere concurrentibus, velle nobiſcum, perficere per nos, ut explicatum eſt ſupra, ubi pariter docet nos cooperari utique gratiæ & operanti & perficienti ſive cooperanti.

123 Idem traditur in Concilio citato Colonienſi, dum in *Inchiridio de Sacramento pœnitentiæ* dicitur, *Quod Deus operatur in nobis velle, ideſt ut aſſentiamur vocationi.* Vt autem ibi exponit, operatur in nobis Deus velle per gratiam operantem, ergo dum nos eliciendo ipſum velle aſſentimur Dei vocationi, eidem gratiæ vocanti & operanti liberè cooperamur. Imò hoc expreſſius ſacrum Concilium Tridentinum explanavit *ſeſſ. 6. cap. 5.* cum ait: *Vt per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur.* Diſponuntur ergo homines per excitantem & adjuvantem gratiam ad ſuam juſtificationem, quod ſi diſponuntur, ergo per eandem gratiam excitantem & adjuvantem præveniuntur ad juſtificationem ſuam, diſponuntur autem & præveniuntur per excitantem & adjuvantem gratiam ad ſuam juſtificationem, eidem gratiæ excitanti & adjuvanti liberè conſentiendo & cooperando, igitur cooperantur homines liberè conſentiendo prævenienti gratiæ excitanti, & adjuvanti, & ſic diſponuntur ad juſtificationem ſuam; gratia autem excitans & adjuvans diſponens ad juſtificationem, non cooperans eſt, ſed operans, ut dictum eſt ſupra, ergo illi operanti gratiæ homines conſentiendo operantur; & ſic ſubſequendo gratiam prævenientem & operantem, eidem homines cooperantur.

124 Idem dixit poſtmodum Concilium provinciale Colonienſe in Inchiridio de Sacramento pœnitentiæ, ubi poſtquam duplicem prævenientem gratiam ſtatuit; alteram qua Deus excitat peccatorem ut reſurgat, alteram, qua eum facit conſentire; ſubdit quod hanc ſequens arbitrium, ei per ſuum velle cooperatur; ergo cooperatur arbitrium prævenienti gratiæ, facienti ipſum ſuæ converſioni aſſentiri quæ eſt gratia cooperans.

125 Clariſſimè etiam Gelaſius in *Epiſtola ſacra ad univerſos Epiſcopos Picenos*, determinat nos cooperatores Dei eſſe ſubſequendo, cujus notanda verba ſunt; *Quis autem audeat dicere Chriſtianus aliquid habere boni ſine gratia? Quando magiſter gentium clamat cuncta breviter in ſe dona concludens, gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ut oſtenderet, quia donum gratia non ipſe præceſſerit, ſed fuerit ſubſequutus, atque monſtraret cooperatorem ſe eſſe gratiæ Dei ſubſequendo; ſed plus omnibus, inquit, laboravi, ac rurſus veritas ne de ſe præſumere videretur, adjunxit, non ego ſed gratia Dei mecum. Non dixit, ego, & gratia Dei mecum ſed præpoſuit gratiam præcedentem ſe, atque ſubjunxit.* In terminis etenim determinat Gelaſius nos eſſe cooperatores gratiæ Dei ſubſequendo, idque egregiè ex Apoſtolo docet, & illud prius Apoſtolum docuiſſe definit.

Ratio autem manifeſta eſt, quia gratia operans 126
prævenies eſt; ergo qui cooperatur gratiæ operanti neceſſe eſt quod prævenienti gratiæ cooperetur, ergo neceſſe eſt, quod ſubſequendo eam ei cooperetur. Impoſſibile eſt enim cooperari alteri priùs operanti, niſi ipſum ſubſequendo.

Item, quia ut ex Sancto Thoma dictum eſt ſu- 127
pra, homo cooperatur Deo, ſicut ſecundum agens agenti principali, vel ad modum quo inſtrumentum cooperatur principali agenti. Sed tam ſecundum agens, quam id quod ad modum inſtrumenti cooperatur principaliter agenti; ei cooperatur ut motum priùs ab agente principali; ergo ei cooperatur ſubſequendo illius motum.

Quod verò etiam ſubſequendo homo coope- 128
ratur gratiæ cooperanti; quæ dicta ſunt ſupra manifeſtant cum enim ex inductis gratia cooperans prævenies ſit reſpectu actus, quem in nobis cauſat, neceſſe eſt quod ſi homo illi cooperatur, quod ſubſequendo ejus prævention cooperetur quod præterea clariùs Sanctus Thomas docet, *citata quæſtione* 111. *ex* 1. 2. *art.* 2. ubi agens de cooperante gratia, ait, quod ipſa adjuvat hominis voluntatem eandem inferiùs confirmando, ut ad actum perveniat, quibus apertè docet eam eſſe prævenientem reſpectu actus ad quem facit voluntatem pervenire; & ex conſequenti voluntas ei cooperari debet ſubſequendo ipſam gratiam priùs, & deindè ſimul cum illa cooperationem eliciendo.

Sanctus etiam Pater Auguſtinus hoc ipſum ex- 129
preſsè tradit *libro de gratia Chriſti capite* 3. Cum refert Pelagium admiſiſſe, quod Deus adjuvat hominem ut declinet à malo, & faciat bonum revelando, & oſtendendo quid fieri debeat, non verò quod adjuvare credatur, cooperando ut id quod faciendum eſſe cognoverit faciat: igitur contra Pelagium tenendum eſt, Deum cooperando efficere ut homo faciat quod cognoverit eſſe faciendum; ergo cooperatur Deus præveniendo hominem ut homo faciat, ergo homo ſic faciens cooperatur gratiæ cooperanti ſubſequendo; quæ efficit ut cooperetur præeundo. Vnde cum Apoſtolus de ſe ex aliis coapoſtolis dicit quod ſunt coadjutores Dei, intelligi debet coadjutores Dei eſſe ſubſequendo, pro ut dictum & explanatum eſt modo.

Digitized by Google

CAPVT X.

Gratia actualis operans & cooperans in quo consistant explicatur.

130 HVcusque de gratia cooperante actuali, sive quæ datur per modum actualis auxilij dictum est. De cooperante autem habituali dicendum cum Sancto Thoma 1. 2. *quæstione* 111. *articulo* 2. In fine corporis *quod habitualis gratia in quantum animam sanat, vel justificat, sive gratam Deo facit, dicitur gratia operans in quantum verò est principium operis meritorij, quod ex libero procedit arbitrio, dicitur cooperans*; quæ sunt propria Sancti Thomæ verba ubi supra.

131 Sed advertendum, quod habitualis gratia dicitur cooperans simul natura cum arbitrio, non autem cooperatur arbitrium præveniendo; sicut de cooperante gratia actuali dictum est, & hoc ideo, quia habitualis gratia non potest præmovere arbitrium ad exercitium actus, sed cum arbitrio præmoto à gratia actuali cooperante; ipsa habitualis gratia simul cum arbitrio cooperatur. Itaque duplex tunc constituenda est gratia cooperans, prima actualis præveniens quæ movet arbitrium, ut se moveat, & motum jam sic arbitrium utitur habituali gratia, ut secum cooperetur actum meritorium: & tandem ipsa habitualis gratia simul cum arbitrio actum efficit meritorium. Vnde si quæramus quare hic & nunc habitualis gratia cooperatur cum arbitrio, dicendum est, quia arbitrium vult uti habitu gratiæ, ut secum concurrat, ideo autem arbitrium vult uti habitu gratiæ, quia ad hoc præmovetur ab actuali gratia cooperante quæ facit ut arbitrium sic velit uti habitu gratiæ; & in illa actuali cooperante gratia standum est sicut in primo. Hoc videtur manifestè tradi à Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 16.* superius relato illis verbis: *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur.* Ecce in justificatos jam per gratiam justificantem influit Christus virtutem, quæ antecedit, quæ virtus est sine dubio gratia actualis cooperans quæ antecedit bona opera justificatorum, & prævenit justificatos ut illa bona opera faciant. Quod sub alijs verbis prius dixerat Arausicanum Concilium Canone 25. dicens: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta post baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint & debeant; si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Indigent ergo justificati præter habitum gratiæ, quod Christus illis cooperetur & auxilietur, per illam actualem virtutem, quæ ex Tridentino Concilio manet exposita.

132 Et quidem quod hoc justificati indigeant, cum de facto benè utuntur habitu gratiæ, & ex dictis constat ratione facta, & utraque inducta Concilij authoritate. Quod autem omnes justificati quorum plurimi non perseverant in bono, habeant illam virtutem auxiliantem & cooperantem, ut Concilium posterius inductum tradit: majorem habet difficultatem, quomodo id debeat intelligi; unde dicendum aut quod habent paratam actualem gratiam cooperantem, & per illos stat, quod illam de facto non accipiant, vel quod de facto omnes habent actualem gratiam cooperantem tamen sufficienter non vero efficaciter; & in uno vel alio sensu Concilium loquitur.

Vltimo ut cum hac materia de gratia ope- 133
rante & cooperante concludamus, quæret aliquis quomodo ad invicem utraque distinguatur. Ad quod breviter dicendum gratia habitualis operans & cooperans, manifestum est quod ratione tantum distinguatur, & per ordinem ad diversos effectus ut aperta sententia est Sancti Thomæ 1. 2. *quæstione* 111. *articulo* 2. *in corpore & ad* 3. & in se ipsa est satis nota. Etenim idem habitus gratiæ est, qui justificat, & animam sanat, in quo ratio suæ operantis gratiæ consistit; & qui cum arbitrio efficit actum meritorium: in quo posita est ratio cooperationis illius quod majori explicatione non eget. De quo videatur Sanctus Thomas *in 2. dist. 26. & quæst. 27. de verit. art. 5.*

At de actuali gratia operante & cooperante 134
aliter videtur dicendum, nam gratia actualis operans efficit in nobis bonum velle, ut dictum est supra: cooperans actum actualis præsupposito illo bono velle voluntatem perficit, ut ad alium actum perveniat, quo perficienda bona voluntas est. Sicut ergo illi duo actus voluntatis secundum essentiam & realiter distincti sunt; ita & gratia operans quæ efficit priorem actum distincta est secundum essentiam & realiter à gratia cooperante quæ est causa alterius. Item quia sæpè contingit quod postquam homo vult bonum, quod causat gratia operans, post aliquod tempus velit perficere, quod habet à gratia cooperante: ergo de novo incipit tunc gratia cooperans, sicut de novo incipit actus qui est illius effectus. Et tandem quia certum videtur quod gratia operans actualis tantum duret, quantum durat actus illius benè volendi; ergo transacto ipso actu, transiit simul gratia actualis operans; ergo cum postmodum homo vult perficere priorem bonam voluntatem, necesse est quod de novo sit in illo actualis gratia cooperans illam perficiens. Imò hæc doctrina videtur sine dubio expressa Sancti Thomæ *quæstione 27. de veritate articulo 5. in fine corporis*, ubi postquam docuit habitualem gratiam operantem & cooperantem esse eandem gratiam, secundum essentiam sive realiter; ista verba subdit: *Sic igitur gratia secundum quod est quoddam donum habituale in nobis, est una tantum; secundum autem quod dicit effectum aliquem Dei in nobis ordinatum ad nostram salutem, possunt dici multæ gratiæ in nobis.* Vnde *in 2. sent. distinct. 26. artic. 5.* quando dicit operantem & cooperantem esse unam gratiam, semper exemplum ponit in habituali gratia non in actuali, nam de actuali operante & cooperante judicat esse distinctas, & sic intelligi debet 1. 2. *quæstione* 111. *articulo* 2. *ad* 3. Cum dicit operantem & cooperantem non distingui secundum essentiam: intelligit enim de habituali. Et ista sufficiant pro gratia operante & cooperante, quæ si quoad propria sua munera plane intelligerentur, cessaret plane in hac magna controversia contentio omnis.

Hinc manifestè patet quam falsa sit horum au- 135
thorum assertio 75. *primo nostro libro 1. parte tra-*

ctatu

Digitized by Google

statu 6. qua dicunt præter auxilium particulare gratiæ prævenientis & concursum Dei generalem ; necessarium non esse auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem actum possit elicere ex his quæ ad salutem oportet. Etenim illa tria unam integram & sufficientem causam illorum complere videntur: quare esto Deus quodcumque aliud particulare auxilium negaret ; ex illis solis sequeretur effectus. Ita author concordiæ *q.* 14. *art.* 13. *disput.* 39. *aliàs* 37. §. *verum multa.* Sequuntur alij relati *pradicto libro prima parte tract.* 6. Ex dictis namque fit manifestum falsissimam hanc illorum assertionem esse, & valde à veritate deviare, in multisque deficere, primo in eo quod proponit, præter auxilium particulare gratiæ prævenientis aliud supernaturale necessarium non esse ; intellecta enim hæc pars illius assertionis, pro ut ab eis intelligitur, de auxilio gratiæ solum excitantis, quam solam prævenientem esse volunt, ut dedimus manifestum : contra inducta ex Concilio Tridentino & Patribus procedit. Similiter cum negant aliud auxilium necessarium si negare intenderent aliud realiter ab excitante auxilio distinctum requiri, posset admitti, dummodo in realitate excitantis auxilij aliud munus cognoscerent gratiæ adjuvantis prævenientis, quod videlicet verè & propriè præveniendo, adjuvaret & veras ac efficaces vires voluntati tribueret. Quod tamen quia ex hac sua assertione sicut & in alijs relatis & confutatis nullo modo admittunt, etiam in hoc nimis à veritate recedunt ut visum est.

136 In eo autem quod superadiderunt, concursum generalem, esse necessarium valde deficiunt. Nam operans & cooperans gratia sufficiunt pro omni actu supernaturali efficiendo ; illa ut benè velimus, hæc ut benè agere & perficere valeamus, pro ut copiosè monstratum est. Nec Concilia & sancti Patres alium generalem concursum agnoverunt, præter particulare auxilium, vel operantis vel cooperantis gratiæ. Vtraque enim in suo ordine, & voluntatem prævenit, & vires efficacissimas ad operandum tribuit, & cum voluntate immediate supernaturalem operationem efficit : unde alium concursum generalem hic intromittere, est omnia confundere, & nihil quod admitti ; sed potius confutari debebat introducere.

137 Præterea, vel nomine generalis concursus ipsi intelligunt generalem in ordine gratiæ, vel generalem in ordine naturæ ; neutrum plane si rectè loquantur intelligere possunt, neuterque ad actum supernaturalem concurrere valet. Ergo ex superfluo hic talis intromittitur, & contra propriam naturam efficiendæ supernaturalis operationis. Primum probatur. Nam generalis concursus in ordine gratiæ vocatur & est auxilium sufficiens, seu gratia quatenus excitans est. Nec alius generalis concursus in ordine gratiæ potest assignari : cum autem ipsi admittunt gratiam excitantem esse necessariam, ibi admittunt auxilium sufficiens, sive generale auxilium in ordine gratiæ. Vnde non possunt alium generalem concursum in ordine gratiæ fingere distinctum à gratia excitante. Nec revera nomine concursus generalis ipsi admittunt in hac assertione aliquem generalem concursum, in ordine gratiæ : ut ex authore illius assertionis fit satis notum, qui semper in tota doctrina sua per generalem concursum intelligit eum, qui ordinis naturalis est, generaliter ad omnes naturales operationes necessarius. Intelligunt ergo per generalem concursum illum qui est ordinis naturalis ; sed istum intromittere ad supernaturales actiones, vel prima facie ab omnibus cognoscitur, quam impossibiliter admittatur ; quid enim habet, aut habere potest commune concursus generalis ordinis naturalis cum operatione supernaturali, ad illam efficiendam ; supernaturalis enim operatio, ut fiat, supernaturalia principia, & supernaturalem concursum de se postulat, naturalem verò qui multo illo inferior est : nec ad illam conducere potest.

Dicunt ideò requiri ; quia operatio 138
supernaturalis est quoad substantiam naturalis : unde ut operationis illius naturalis substantia fiat, esse necessarium generalem concursum ordinis naturalis. Sed hoc est falsitates & inconvenientia multiplicare : ut enim in principio hujus libri ad longum ostensum est, supernaturales actiones non sunt in sua substantia naturales ; sed supernaturales, ad quas proinde nullo modo generalis concursus naturalis ordinis concurrere potest.

Deinde generalis iste concursus vel ad- 139
mittitur in voluntate prævius ipsam movens ad substantiam illius actionis, quam reputant naturalem, efficiendam ; vel solùm influit simul in actionem cum voluntate : non primum in horum authorum doctrina, quia illum prævium naturalem concursum semper inficiantur, & odio prosequuntur : secundum autem stare nequit ; quia si voluntas se solâ

potest

Digitized by Google

poteſt inchoare actionem illam, quam dicunt naturalem, non dubium quin etiam ſe ſolâ illam poſſit conſummare, ut pleniùs in noſtro tertio libro probatum reliquimus. Nullo ergo modo ad ſupernaturales, actiones eſt intromittendus generalis concurſus ordinis naturalis; nec eſt dicendum hæc tria, ſcilicet gratiam excitantem, arbitrium, & generalem concurſum adimplere unam ſufficientem cauſam prædictarum operationum. Sed conſtanter eſt affirmandum ad omnes ſupernaturales actiones ſufficere operantem gratiam & cooperantem; illam, ut diximus, ad bene volendum & bonam efficiendam voluntatem; hanc ut bonam effectam per cætera bona opera perficiat. Vnde dici non poteſt, quod poſita ſola excitante gratia, quatenus nimirum excitans eſt, & illo generali Dei concurſu cum arbitrio, etiamſi Deus quodcumque aliud particulare gratiæ auxilium negaret; ex illis ſolis tribus ſequeretur effectus ſeu operatio ſupernaturalis. Imò poſitis illis ſolis, ſi Deus negaret gratiam verè operantem, & verè cooperantem, ſuperiùs aliundè explicatam nullus penitùs effectus aut operatio ſupernaturalis ſequeretur; quinimò impoſſibile eſſet ex illis tribus ſolis ſequi ſupernaturalē effectum, aut ſupernauralem operationem.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

PARS SECVNDA.

DE GRATIA DIVINA, PROVT HABET RATIONEM AVXILII.

TRACTATVS PRIMVS.

DE NECESSITATE ACTVALIS AVXILII divinæ gratiæ.

CAPVT PRIMVM.

Habentes Fidei, Spei, aut charitatis habitus indigent diuino actuali auxilio ad efficiendum actus illis habitibus proportionatos.

1 LIBRO noſtro primo *part.1. tract.6.* aliam horum Authorum aſſertionem retulimus in hunc modum. *Occaſione horum teſtimoniorum illud addendum erit hoc loco, quod & titulus diſp.37. propoſitus poſtulare videbatur, & paulò poſt erat ſubjiciendum, nempe habitus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturalis ſemel acquiſitos rationem habere gratiæ prævenientis, & cooperantis comparatione actuum, qui ab illis emanant.* Ita Author concordiæ in ipſa *diſput.8. §. ex dictis*, & *quæſt.14. art.13. diſput.41.* ac *quæſt.23. art.4. & 5. diſput.3. §. in titulo.*

2 Nullam itaque hi Authores admittunt actualem gratiam excitantem, nec cooperantem in habentibus habitus ſupernaturales, ſed cum ſolo generali Dei concurſu aſſerunt poſſe habentem habitus illos elicere actus illis proportionatos, quia putant illos habitus rationem gratiæ excitantis habere, qui proinde cum arbitrio benè vtente illis, ſimul eoſdem actus cooperantur.

3 Aliorum ſecunda ſententia eſt, hominem juſtum non indigere ordinariè gratia excitante; benè tamen adjuvante, vt bona opera ſupernaturalia ex habitibus infuſis eliciat. Et intelligit per adjuvantem gratiam illam cooperantem conſentiente iam libero arbitrio, quæ (vt ſæpiùs allatum eſt) ſubſequens eſt & pediſſequa.

4 Tertia ſententia eſt per oppoſitum ad actus ſupernaturales qui efficiuntur ab habitibus infuſis, eſſe quidem neceſſariam gratiam excitantem, & concurſum ſimultaneum ordinis gratiæ, ſed nullam aliam adjuvantem gratiam eſſe neceſſariam, quæ illis cooperetur: quia ipſi habitus habent rationem gratiæ cooperantis, poſtquam arbitrium eis benè ubi voluerit; licèt, ſi à Deo detur, utilis valdè ſit, ut ſuaviùs & faciliùs, magiſque perſeveranter illi actus fiant: augeret enim vires ad operandum. Fatetur tamen iſta ſententia, quod licet homini juſtificato non ſit neceſſaria nova gratia adjuvans ad ſingulos actus efficiendos, tamen homini exiſtenti in natura lapſa neceſſaria eſt, ut in gratia Dei perſeveret.

5 Fundamenta prioris ſententiæ, quæ in habentibus ſupernaturales habitus fidei, ſpei, & Charitatis nègat ſpeciale auxilium gratiæ excitantis & cooperantis, hæc ſunt. Quia ipſi ad hoc dicunt neceſſariam gratiam excitantem, ut jam arbitrio ex ſe illi conſentienti ipſa cooperetur, efficiendo actiones ſupernaturales: ergo ſimiliter poſitis habitibus ſupernaturalibus, cum arbitrium eis benè uti voluerit, illi cum arbitrio cooperabuntur actiones ſupernaturales: ergo aliud particulare auxilium ſupernaturale non erit neceſſarium. Itaque ſicut poſita excitante gratia actuali, ſecundùm ipſos, non ex illa provenit, ſed ex arbitrio quod illi velit conſentire, & ſic conſentiendo efficit quod illa ſecum cooperetur ſupernaturalem actionem, ita poſitis ſupernaturalibus habitibus, ſecundùm eoſdem, quia arbitrium ex ſe eis uti vult, ideo illi cooperantur actus ſupernaturales ſibi proportionatos. Hoc planè illius ſententiæ fundamentum eſt: & quidem ſatis conſequenter loquitur: & omnia argumenta, quibus utitur ad ſic ſentiendum de gratia actuali excitante, etiam de concurſu habituum militant. Quorum illud eſt præcipuum: quia nolunt admittere aliquod verum, & proprium adiutorium gratiæ, quæ voluntatem

Digitized by Google

verè adjuvet, eique veras tribuat, & efficaces vires, vel ad consentiendum gratiæ excitanti, vel ad bene utendum habitibus infusis.

6 Sed possumus nos hanc illorum sententiam sequentibus argumentis roborare: Primò ex illis verbis Concilij Milevitani secundi Can. 3. *Quicumque dixerit gratiam Dei, in qua justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, Anathema sit.* Ergo justificans gratia habitualis est adjutorium ut peccata non committantur: ergo præter hoc adjutorium Concilium aliud non assignat necessarium: non ergo necessarium aliud erit præter ipsum habitum gratiæ justificantis.

7 Secundò S. Thomas 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 6. 7. & 8. Sæpiùs docet quod primum, quod est in justificatione impij, est ipsa gratiæ infusio, à qua tota justificatio originatur; quia per eam liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur. Gratiæ autem infusio est habitus gratiæ infusus, ergo per talem habitum movetur arbitrium, & perficiuntur omnia, quæ necessaria sunt ad justificationem: ergo aliud speciale auxilium gratiæ præter talem gratiæ infusionem seu infusum habitum gratiæ non requiritur, secundùm expressam S. Thomæ sententiam: ergo similiter postquam in homine justificato est talis habitus gratiæ infusus, sufficiens erit ut homo per illum bene operetur, nec erit necessarium aliud gratiæ auxilium speciale. Patet hæc ultima consequentia: quia si habitus infusus gratiæ, cùm à principio infunditur, potest arbitrium movere ad actum, qui necessarius est in justificatione impij, poterit idem habitus postea manens in jam justificato homine ipsum etiam movere ad actus supernaturales sibi proportionatos.

8 Tertiò illud particulare auxilium gratiæ excitantis, & adjuvantis non est necessarium ut voluntatem præmoveat efficaciter ad actum: quia illa efficax antecedens præmotio libertati voluntatis contradiceret; nec est necessarium ut voluntati det vires ad utendum illis habitibus, quia voluntas ex se illas habet: habitibus enim utimur cum volumus: ergo sufficit voluntatem velle illis habitibus uti: per hoc enim velle potest illis uti. Nec etiam est necessarium ut voluntas excitetur ad illorum habituum usum: quia ipsa ex se sicut potest velle uti illis habitibus quos in se habet, ita potest seipsam excitare ad illorum bonum usum. Nec tandem est necessarium ut actus fiant supernaturales: ergo ad nihil prorsus est necessarium illud speciale auxilium excitantis, & adjuvantis gratiæ in habentibus habitus infusos; sed illi habitus solùm sufficient ad actus sibi similes eliciendum.

9 Secunda sententia illud potest habere fundamentum, quod habitus infusi sufficienter inclinant voluntatem in supernaturales actiones: ergo non est necessaria alia actualis gratia excitans, quæ hanc inclinationem efficiat.

10 Tertia sententia suaderi potest; quia excitata voluntas per actualem gratiam excitantem ut bene utatur habitibus, ipsa potest illis bene uti: ergo ad hoc non indiget alia gratia. Probatur consequentia, quia ex sententia S. Thomæ 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. 2. & 3. in eo qui habet habitus infusos, ut actus supernaturales efficiat, nulla alia videtur necessaria gratia adjuvans præter concursum ordinis gratiæ. Confirmatur, quia per habitus gratiæ habet potentia sufficientem virtutem in ratione causæ proximæ; & per concursum supernaturalem habet illa causa proxima sufficiens adjutorium causæ primæ in illo ordine. Nihil ergo aliud erit necessarium ut supernaturalem actum efficiat.

11 Secundò actus primus præsertim supernaturalis simpliciter est perfectior quam actus secundus; quia non solùm dat faciliùs operari, sed operari simpliciter; actus verò secundus tantùm secundùm quid perfectior dicitur; quia videlicet ultimus est, & non relinquit ulteriorem potentiam; sed quod est perfectiùs simpliciter potest efficere id quod absolutè inferiùs est, etiam si secundum quid videatur excedere: ergo poterit potentia cùm per habitum sit in actu primo supernaturali, efficere nullo alio addito supernaturalem actum illi habitui proportionatum.

12 Cæterum firmiter est tenendum contra primam sententiam in homine justo habente habitus infusos necessarium esse simpliciter & absolutè ad singulos actus efficiendos illis habitibus infusis proportionatos speciale auxilium gratiæ; ita quod sine tali speciali gratiæ auxilio actuali nunquam per habitum supernaturalem efficit supernaturalem actum aliquem. Probatur ex illo *Ioan.* 15. *Sine me nihil potestis facere*, quod dictum Apostolis fuit, qui justi erant. Et ex illo psal. 26. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*: quod dixit David justus nomine suo, & aliorum justorum. Ex quo utroque testimonio S. P. Augustinus hanc veritatem sub his verbis proponit. *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Nec ita ut cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potiùs ut ab illo audiens, sine me nihil potestis facere, dicat & ipse, adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Et immediatè subjungit. *Hanc fidem quæ sine dubio vera, & prophetica, & Apostolica fides est; etiam in fratre nostro Floro inveniisse, me gaudeo.* Quæ verba supra id quod prædixerat in illo capite, & etiam supra ultima verba proposita cadere manifestum est; ut omnes sciant, qua certitudine doceat S. P. Augustinus tenendum, hominem justum habentem habitus infusos indigere ad supernaturaliter operandum divino actuali auxilio.

13 Idem constat ex illo psal. 126. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Quæ verba à SS. Ambrosio, & Hieronymo de anima justi interpretantur, quæ sine speciali Dei auxilio nec bene operabitur, nec tentationibus resistet.

14 Idem apertè docet Innocentius Primus *epist.* ad Concilium Carthaginense. *Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse divino, qui dignè hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset, quippe cum vir beatus & jam electus à Domino nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus, nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adjutorem.* Vbi à fortiori arguendo hanc rationem format S. Pontifex: si David beatus, & justus adjutorium petit divinum, quantò magis liberum hominis arbitrium infirmum eo indigebit? Et sic utrumque simul diffinit, & liberum arbitrium infirmum adjutorio indigere divino, & etiam liberum arbitrium hominis justi: Et iterum *adjutorem sibi Deum, & assiduum adjutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando eum despiciat, orationibus promus exopetat, & per omne corpus psalterij hoc & prædicat & clamat.* Item in epistola alia ad Concilium sic dicit *audiat David dicentem, adjutorium nostrum in nomine Domini: & adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus: quæ in cassum dixerit, si tantum in ejus erat positum voluntate; quod à Domino flectibili sermone poscebat.* Ad quid autem David justus, & habens habitus virtutum infusos quotidianum auxilium poscebat exorando, ne aliquando, vel

ab

Digitized by Google

ab aliquo die à Deo deſpiceretur; niſi ad exercendum ex habitibus opera bona, ne ex defectu auxilij ab operibus bonis vacans, à juſtitia ipſa decideret.

15 Clariùs hoc ipſum Cœleſtinus definit notiſſima illa epiſtola, ad Epiſcopos Galliæ *cap.* 7. Vbi poſtquam determinavit juſtos homines inſtinctu Dei bona opera facere, ſubdit. *Ideò utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangat corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt, ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ, ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Quomodo iſta vel prima facie legentes dicere poſſunt juſtos habentes habitus infuſos, fidei, ſpei, & charitatis non indigere divino alio auxilio ad operandum ſupernaturales actus illis habitibus proportionatos; cum tam manifeſtè Pontifex ſummus diffiniat, homines juſtos habentes ſimiles habitus infuſos, ut boni aliquid agant, inſtinctu Dei moveri, & ipſorum corda paternis inſpirationibus tangi.

16 Quomodo poſſunt id ſuis libris proponere, cum apertiſſimè ſummus ille Pontifex diffiniat, in bonis quibuſcumque actibus, operibus, bonæ voluntatis motibus noſtrum non deeſſe arbitrium, ſed plus valere divinum auxilium. Ecce nedum dicit neceſſarium divinum auxilium in homine juſto habente habitus infuſos ad efficiendum quemcumque bonæ voluntatis motum ſeu actum, ſed etiam plus valere divinum auxilium ad illum bonum motum voluntatis efficiendum, quam noſtrum arbitrium.

17 Concilium denique Arauſicanum ſecundum *Canone* 10. expreſsè diffinit. *Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis, ſemper eſt implorandum ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Vbi ad perdurandum in bono dicit eſſe neceſſarium divinum auxilium renatis, ac ſanctis: Perdurant autem in bono bene utendo habitibus infuſis: ergo ad bene utendum illis; quo bono uſu perdurant in bono, indigent ſancti & renati divino auxilio.

18 Item ex S. Hieronymo *epiſtolâ ad Cteſiphont.* & ex S.P. Auguſtino *in libris contra Pelagianos*: paſſim enim docent contra ipſos gratiam Dei & ejus adjutorium ad ſingulos actus eſſe neceſſariam, quod illi negabant. Si autem ad ſingulos actus neceſſaria eſt: ergo eſt neceſſaria gratia, & illius adjutorium etiam ad actus qui ſunt ex habitibus infuſis, ut infrà magis oſtendemus.

CAPVT II.

Quod habentes fidei, ſpei, aut charitatis, habitum divino actuali indigeant auxilio ad efficiendos actus illis habitibus proportionatos ampliùs demonſtratur, tum authoritate, tum rationibus, præſertim ex D. Auguſtino.

19 PLurima ex S. P. Auguſtino, & aliis Sanctis Patribus induci poterant ad idem confirmandum egregia teſtimonia; ſed illud primum quod ex S. Auguſtino à principio allatum eſt, ſufficiat, ubi hanc dicit veram Prophetiam, Apoſtolicam & Catholicam fidem, quam proindè uterque citatus Pontifex diffinivit cui addatur & aliud ex 2. *cap. libri de correct. & gratia*, ubi loquens Sanctiſſimus Doctor de filiis Dei; de quibus, inquit Apoſtolus, quod *Spiritu Dei aguntur*, ita ait. *Intelligant ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi ut quod agendum eſt agant, & cum egerint, illi à quo aguntur gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Quo nihil poteſt clariùs opponi, quo iſtorum Authorum refutetur ſententia, negantium filios Dei, ideſt, juſtos agi à ſpiritu Dei ad bene utendum habitibus infuſis, & ad id auxilio indigere divino, cum clamet Apoſtolus quod qui filij ſunt Dei, ſpiritu Dei aguntur, & doceat Auguſtinus quod aguntur ut agant, non ut ipſi nihil agant. Concordat quod idem Sanctiſſimus Pater docet *libro de gratia Chriſti contra Pelagium cap.* 15. ubi idem exponens Apoſtoli teſtimonium, inquit. *Profectò ut agant quod bonum eſt* (ſcilicet juſti facti filij Dei) *ab illo aguntur qui bonus eſt*: Et iterum alio loco ait. *Juſtè vis agere à te ipſo vis agi, &c. Non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Reſpondendo, imò agis & ageris & tunc bene agis, ſi ab eo agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt; ipſum nomen adjutoris præſcribe tibi, quia & tunc ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, agnoſce quid confitearis, quando dicis adjutor meus eſto ne derelinquas me. Adjutorem utique vocas Deum; nemo adjuvatur, ſi ab eo nihil agatur; quotquot enim Spiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei.* Nihil planè tam reprobat hanc ſententiam, quæ dicit hominem juſtum, & jam factum filium Dei, habentem habitus infuſos nullo actuali Dei adjutorio indigere ut agatur, & agat ſupernaturales actus illis habitibus proportionatos, quam hæc modo inducta S. Patris Auguſtini memoranda ſententia. Reprehendit enim, graviterque reprehendit, quod qui filij Dei ſunt per juſtificantem gratiam habitualem nolint agi à Spiritu Dei, & ab illius divino adjutorio, ut agant ſupernaturales operationes, ſed quod à ſeipſis velint agi, velint moveri, velintque ſe determinare ad bene utendum habitibus infuſis.

Manifeſta eſt etiam in hac parte S. Thomæ ſen- 20
tentia ubique, ſignanter 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 9. ubi ſic dicit. *Homo ad rectè vivendum dupliciter Dei auxilio indiget: uno modo quantùm ad aliquod habituale donum; per quod natura humana corrupta ſanetur, & ſanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.* Vbi continuò ſubjungit: *Quod homo in gratia habituali conſtitutus non indiget quidem ad bene operandum* (opera ſupernaturalia ſcilicet) *alia gratia habituali, bene tamen indiget auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum.* Hæc autem, quaſi patenter ſcripta non eſſent, ſic ab aliis Authoribus non videntur: & quaſi non continerent apertam veritatem, ſic ab eis non acceptantur; ſed palam rejiciuntur. Sed advertant qua manifeſtatione hanc veritatem S. Doctor demonſtret ratione duplici.

Primò quidem, inquit *ratione generali*; *propter hoc* 21
quod ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, qua quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam quædam ignorantia obſcuritas in intellectu, ſecundum quam, ut etiam dicitur Rom. 8. quid oremus, ſicut oportet neſcimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam noſmetipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis

Digitized by Google

expediat, secundùm illud Sap. 9. cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Et ideò necesse est nobis ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem: & fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, & cætera quæ in Oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia. Hæc S. Thomas: cujus placuit omnia verba referre, ut omnibus notum sit, quam manifestè ij authores contra Doctorem Sanctum loquantur; itaque & generali ratione, & speciali veritatem istam S. Thomas probat: generali, quia sine divina motione nulla causa, licet perfecta, potest in actum exire: speciali propter infirmitatem naturæ, quæ manet in anima sanata per gratiam, quantùm ad obscuritatem mentis & concupiscentiam carnis, unde nisi speciali auxilio adjuvetur inter tot occurrentia infirmitas carnis, & obscuritas intellectus abducent animam à gratia, tollendo bonum illius usum, & eam trahendo ad infirma carnis.

22 Verùm, quia hi authores in sua doctrina utramque hanc rationem S. Thomæ non admittunt: ideò nec litera hujus articuli convincuntur, ut à sua sententia recedant: Negant enim ipsi, imò nihil magis inficiantur; quam non posse causam, seu potentiam perfectam (sicut per habitus perfecta fit) exire in actum nisi virtute divinæ motionis seu præmotionis, quæ illam ad agendum moveat, & applicet. Negant etiam post peccatum primi Parentis manere arbitrium læsum in naturalibus, quamvis illud dicant spoliatum gratuitis, prout pleniùs primo nostro libro expositum est, & per consequens: negant hanc obscuritatem in intellectu, & hanc infirmitatem in voluntate effectum esse peccati Originalis. Vnde in anima sanata per gratiam illos defectus non admittunt. Et sic negata utraque S. Thomæ ratione, nec ducti illius authoritate negant, indigere hominem justum sanatum per gratiam, & habentem habitus infusos, actuali auxilio gratiæ, ad operandum bene ex illis habitibus operationes illis proportionatas.

23 Sed quam falsò, & contra Philosophiam, Theologiam & Sanctos Patres illam præmotionem negent, copiosè dictum fuit tertio nostro libro per totum. Et infinita ferè, illaque gravissima inconvenientia quæ ex negatione illius divinæ præmotionis eos consequuntur in illo libro abundè explicata manent. Similiter quam malè sentiant de originali peccato, negando illam secundam specialem rationem, non admittendo obscuritatem intellectus, & infirmitatem carnis esse effectus ex peccato originali provenientes, dedimus manifestum satis diffusè & efficaciter, ut arbitramur, primo nostro libro circa primam assertionem horum Doctorum. Vnde fit consequens, quod non sustinentes relatam modò S. Thomæ doctrinam, nec rationem utramque illius admittentes, gravissimè errent in hac materia.

24 Rationes plures veritatem statutam ex sacris litteris, summis Pontificibus, sanctisque Doctoribus probant & ostendunt. Sed omissis illis plurimis, quæ in tertio libro inductæ sunt, brevitati studendo tres tantùm visum est adhibere: quæ ex eisdem Pontificibus summis, sacrisque Doctoribus apertè colliguntur.

25 Prima est. Si homo justus posset sine alio speciali auxilio uti bene supernaturalibus habitibus; & ex eis supernaturales operationes elicere; posset utique divina præcepta servare, & evitare peccata quia mandata servantur, & evitantur peccata per bonas operationes supernaturales ex habitibus infusis elicitas. Si autem potest homo justus sine speciali auxilio gratiæ mandata servare & evitare peccata; ergo necesse non habet orando à Deo petere, ne intret in tentationem: quia peccati tentationem ex se potest vitare, operando benè ex habitibus infusis: nec nisi irrisoriè ut ait S. P. Augustinus, postularet homo à Deo, quod in sua est positum potestate. Hoc autem manifestè est contra id quod homines justi quotidie à Deo petunt in oratione Dominica: ergo dici non potest hominem justum sine alio auxilio gratiæ posse ex se benè uti habitibus infusis, ex eis bonas supernaturales actiones eliciendo. Quæ ratio à S. Thoma posita est in articulo modò citato; in quo postquam necessitatem auxilij gratiæ constituit in homine justo habente habitus infusos, statim illa adhibuit verba. *Et propter hoc renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem, & fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra; & cætera quæ in Oratione Dominica continentur ad hæc pertinentia.* Si propter hoc quod est hominem justum indigere divino auxilio ab benè operandum ex habitibus infusis, quos habet ei convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem, & cætera quæ continentur in Oratione Dominica; ut apertè S. Thomas affirmat; ergo ex eo quod homines justi ponantur non indigere auxilio divino ad benè operandum ex infusis habitibus; non eis conveniet dicere, *ne nos inducas in tentationem*, & cætera quæ habentur in Oratione Dominica, sicut enim illa affirmatio est causa affirmationis, ita negatio erit causa negationis.

Hoc argumento inter alia triumphasse S. Augu- 26
stinum de Pelagianis solum ille poterit ignorare, qui Sanctum Doctorem in libris contra illos compositis non fuerit versatus: in quibus passim illud frequentat *lib. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 4. Manet enim* (inquit) *malum in carne nostra, non naturâ; in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quò voluntate prolapsus est, ubi amissis viribus, non ea, qua vulneratus est, facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus, scio quia non habitat in carne mea bonum.* Vbi manifestè loquitur de malo remanente in homine justificato: qualis erat Paulus, quod malum illa obscuritas & infirmitas est, quam S. Thomas expositi, & post pauca subdit S. Doctor Augustinus. *Vt autem non ei*, idest illi malo, *consentiamus, deprecamur adjutorium dicentes & ne nos inducas in tentationem. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet, sed ut si fortè tentari cæperimus à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Et libro de natura & gratia cap. 53. *Fideles enim orantes dicunt, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant, aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis hujus?* Similiter si justis adest possibilitas benè operandi ex habitibus infusis sine alio Dei auxilio, ut quid orant, aut à quo malo se liberare orant dicentes, *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo?* Similia in Augustino sunt pluribus locis repetita quæ omittuntur.

Hoc eodem argumento sicut Achili contra Pela- 27
gianos utuntur Patres Concilij Carthaginensis ad Innocentium scribentes. Similiter & Patres Milevitani Concilij in epistola alia ad eundem Innocentiũ.

Imò

Digitized by Google

Imò Innocentius ipse in utraque sua responsiva ad Concilium utrumque. Verba solùm Concilij Carthaginensis referemus: cætera ibi videantur. *Consideret enim*; inquiunt *sanctitas tua, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione quam docuit; aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est; si enim possibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter à Domino peti, & fallaciter orare, cum orando poscuntur, quæ natura jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur. Nec debuisse dicere Dominum Iesum vigilate & orate, sed tantummodo vigilate?* Sic ergo, si justi, quales erant Apostoli quibus Dominus illud præcepit, ex se solis sine alio auxilio gratiæ possunt bene uti habitibus infusis, & ad id sufficientes vires habent, idque in sua habent positum voluntate, quis non videat id inaniter à Deo peti, & fallaciter postulari imò sine causa id Christum Dominum Apostolis præcepisse, ut tale adjutorium, ne intrarent in tentationem à Domino postularent.

28 Secunda ratio est: si homo justus sine aliquo actuali Dei adjutorio bene potest uti habitibus infusis, & illos potest ad actiones supernaturales applicare, primum initium bonæ illius operationis ex solo libero arbitrio esset; hoc autem dici nullo modo potest; ergo &c. Sequela probatur; nam quod in exercitio bene utatur illis habitibus liberum arbittium, constat quod ex habitibus non fit; ergo fit solùm à libero arbittio, & ab ejus innata libertate.

29 Antecedens patet; quia habitus non efficiunt quod liberum arbitrium bene utatur illis; sed potiùs (ut commune proloquium est) habitibus utimur quia volumus; quod & ij Authores non nesciunt; ergo quia voluntas ex se vult, illis habitibus utitur; ergo ex sola libertate sua habet voluntas quod illis utatur; ergo primum initium illius bonæ operationis ex sola libera hominis libertate est. Patet hæc ultima consequentia; quia initium illius bonæ operationis est velle benè uti habitibus illis, & eos velle ad operandum applicare. Iam enim supra denudavimus, & ex propria mente horum authorum ostendimus; quod licet eadem actione voluntas velit uti habitu, qui in ratione effectus à voluntate fit, & ab habitu ipso, tamen qua ratione est determinatio voluntatis seu usus, quo habitu voluntas utitur, nullo modo ab habitu procedit, sed à sola hominis voluntate. Et cum ista determinatio, seu usus sit omnium primum in supernaturali operatione; hoc primum bonæ operationis initium à sola hominis voluntate manifestè ponitur provenire.

30 Imò clariùs apparet in actu quo voluntas vult uti habitu, primum initium illius boni operis potiùs esse à sola libertate arbitrij, quam à gratia excitante, cui ponunt hominem ex se consentire, ut patet in exemplo ab eis adducto; sed quod excitanti gratiæ homo ex se consentiat, constituit initium illius consensus ex homine esse, ut jam superiùs manet probatum, & efficaciùs tractantes de gratia efficaci probandum erit; ergo clariùs ponitur in actu quo voluntas vult uti habitu primum initium bonæ operationis ex homine. Quod autem clariùs id statuatur constat, quia cum gratia excitans actualiter excitet, posset quis aliquali apparentia prætendere quod illa esset initium boni consensus. At cum habitus, qui æquiparatur dormienti, nihil penitus actualiter efficiat nec excitet, nulla apparentia potest sustineri quod ex habitu aliqua ratione proveniat hoc, quod est velle bene uti habitu. Igitur manifestum est, quod ponatur primum initium bonæ operationis ex sola naturali libertate & facultate arbitrij provenire.

Sed quam damnata sententia sit ponere ex nobis tanquam ex nobis aliquod bonæ nostræ actionis initium, nec est cur probemus; cum sit manifestum hunc fuisse Pelagianorum omnium errorem damnatum à Patribus, à summis Pontificibus & à Conciliis. A Patribus quidem, quia nihil magis S. P. Augustinus in Pelagianis condemnat, ut patet signanter ex toto libro de prædestinatione sanctorum. A summis Pontificibus extat illa decretalis Cœlestini notissima, quæ hoc apertè damnavit, ut aliorum summorum Pontificum diffinitiones ad præsens omittamus. Ex Conciliis patet: ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 5.* ubi initium salutis gratiæ tribuit, non arbitrio. Ex Arausicano Concilio constat ex *can. 3. 4. 5. 6. & 7.* qui & notissimi sunt & sæpius fuerunt inducti, & etiam ex canone 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur.* In ista autem sententia quæ impugnatur, apertè dicitur, quod quia nos incipimus volendo benè uti habitu ad sanctam operationem, ipse habitus qui ex Deo est, nos sic incipientes adjuvet. 31

Tertiò cum habitus supernaturalis ille infusus, quicumque ille sit, tantùm det posse bene operari, non autem ipsum operari, solum ponitur in hac sententia quam impugnamus, posse supernaturaliter operari ex Deo, ex nobis autem ipsum velle & operari; ita quod quia nos volumus, operamur; Deus autem tantùm dat nobis posse benè operari per arbitrium. Quod si postea etiam habitus nobiscum operatur, est quia nos volumus. Vnde habitus ille infusus ex se, vel Deus per illum tantùm dans posse benè operari, non velle & operari ipsum. Sed hoc admittere in quo distinguitur ab illa sententia relata à S. P. Augustino *libro de gratia Christi cap. 37. & sequentibus* quæ tria distinguebat, posse, velle, & esse seu operari; & posse Deo attribuebat, velle & esse seu operari homini ipsi? Potissimè à sententia Iuliani Cassiani & Fausti in nullo penitus distinguitur, de quibus clarum est, & notum, quod habitus supernaturales admiserunt; & eis uti voluntatem ex se sola constituebant. Vnde sicut S. P. Augustinus convincit *lib. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 18.* melius est quod tribuunt arbitrio ij Authores sic opinantes, quam quod tribuunt Deo. Deo enim tribuunt quod tantum det posse bene operari tribuendo habitus illos infusos, homini autem quod bene velit, & bene operetur, quia præcisè vult. Verba S. P. Augustini sunt: *sed laborant homines invenire in nostra voluntate quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo, & quomodo inveniri possit ignoro.* An non manifestè laborant ei authores invenire in nostra voluntate aliquid boni quod non habeamus ex Deo, nimirum hoc quod est velle benè uti habitu ad rectam operationem, quod nullo modo ex Deo sit, sed ex sola nostra facultate? Prosequitur Augustinus; *Excepto enim quod Apostolus ait. Cum de bonis hominum loqueretur: quid enim habes quod non accepisti?* Profectò vel ex hoc Apostoli testimonio plenè perfectéque sententia, quam expugnamus, revincitur, cum manifestè ponat in homine aliquod bonum, illudque magnum, quod non accipiat ex Deo; nimirum velle bene uti habitibus infusis, velleque efficaciter eos ad operan- 32

Digitized by Google

dum applicare. Excepto, inquam, hoc quod tam apertè per Apostolum reprobatur; procul dubio si ex Deo tantùm ponitur habitus infusus, quo potest operari & non operari; à voluntate autem hominis determinari illum ad ope[illegible]dum, & operari in actu secundo, melius e[illegible]m posse operari; melius erit quod est ex hon[illegible] quam quod est ex Deo. Interrogetur obsecro Aristoteles, quid dicat de scire, quod sonat habitum, & de considerare; quod dicit actum, & attendatur quod scire habitualiter ipse comparat somno vel dormienti; considerare verò, qui est actus vigiliæ, & apparebit quomodo, quod melius ac præstantius est homini tribuant, non Deo; cum Deo dent habitus infusos, qui sunt quasi dormientes in homine, homini autem ipsos excitare, velle eis uti, eos ad agendum applicare, quod comparatur vigiliæ. Sed plures alias rationes omittamus.

CAPVT III.

Hoc divinum auxilium, quo indigent justi ad operandum benè ex habitibus infusis est simul excitans, & adjuvans.

33 SEd oportet jam nunc explicare quidnam sit illud divinum actuale auxilium, quod necessarium est ut justificati benè utantur habitibus infusis, eos applicando ad illorum proportionatas operationes? Ad quod dicendum, illud actuale auxilium esse simul auxilium excitantis & adjuvantis gratiæ, intelligendoper adjuvantem cooperantem, non operantem; in quas dividitur adæquatè adjuvans gratia, secundum quod in superioribus visum est. Itaque requiritur ut homo quicumque justus benè utatur habitibus infusis quos habet, eos applicando ad operationes suas, ut à Deo excitetur gratia excitante, & adjuvetur gratia cooperante. Veritas ista omnes ttes supra relatas evertit sententias. Cum enim prima dicat nullum actuale adjutorium gratiæ esse necessarium homini justo ad benè operandum ex habitibus infusis quos habet; secunda admittat excitantem actualem gratiam esse ad id necessariam, non verò adjuvantem, & tertia requirat adjuvantem, neget verò ad id necessariam esse excitantem; & veritas in conclusione proposita defendat, utramque simul, & excitantem, & adjuvantem actualem gratiam esse requisitam, constat quod omnibus tribus sententiis pariter contradicit.

34 Probatur priùs generaliter quod utraque simul ad id necessaria sit in homine justo, & deindè in specie de excitante, & postea de adjuvante dicetur. Quod utraque simul necessaria sit, & excitans, & adjuvans gratia, ut justus benè utatur infusis habitibus, tradi non obscurè videtur in Concilio Arausicano 2. *Canone* 25. illis verbis *hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptisati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant; si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vt igitur adimpleant justi quæ pertinent ad salutem (quæ implentur sanè per bonum usum habituum infusorum) indigent Christo adjuvante & cooperante, & hoc secundum Catholicam fidem Concilium credit, & omnibus credendum proponit. Per illa autem verba, *Christo auxiliante*, quæ ut distincta ponuntur; contra illa, *cooperante*, nihil aliud potest intelligi nisi Christi Domini actualis gratia excitans. Etenim supra cooperantem, qua cooperatur Christus justis in bono usu habituum, quo implent ipsi quæ pertinent ad salutem, nulla alia potest intelligi necessaria gratia nisi sola excitans. Non enim potest intelligi gratia operans: quia in jam justis gratia operans non datur (ut visum est supra) sed cooperans, quam Concilium prædictum nominavit. Vnde cum supra ipsam requirat auxiliantem gratiam, necesse est quod intelligat excitantem. Nisi quis non sine absurditate dicat Concilium idem intellexisse per auxiliantem, quod per cooperantem gratiam; quia tunc alterum planè superfluum fuisset. Si enim solam intenderet gratiam cooperantem esse necessariam, planè sufficeret dicere, *Christo cooperante*: cum autem addat, *Christo auxiliante & cooperante*, non dubium quin aliud per auxiliantem intelligat; quod per cooperantem non intelligit. Imò addendum, quod licet tantùm illa verba statueret, *Christo cooperante*, ibi implicitè & re ipsa comprehenderet excitantem; quia, ut infra patebit, cooperans actualis sine actuali excitante non datur.

Item ibi ait. *Hoc salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, fidem & amorem sui prius inspirat; ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post cum ipsius adjutorio, quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Cujus sensus non est, quod præter auxilium gratiæ adjuvantis, quod ad impletionem mandatorum requiritur, sit necessaria gratia excitans, quam per inspirationem divinam significavit Concilium (ut viri aliàs docti interpretantur) primò, quia per inspirationes, quibus decet Deum nobis inspirare fidem & amorem sui, non solum intelligit gratiam excitantem, nisi dicamus hanc sufficere ut homo habeat fidem, & amorem Dei, quod dici non potest; quia esset cum contrariis, qui expugnantur à nobis, consentire; sed per inspirationem fidei & amoris planè intelligit efficacem prævenientem gratiam, comprehendentem excitantem & adjuvantem gratiam, ut Concilium exposuit Tridentinum; hæc enim est, quæ nobis inspirat fidem & amorem Dei. 35

Secundò quia Concilium illud planè loquitur de inspiratione efficaci fidei & amoris, quam Deus priùs nobis inspirat, cum hominem justificat; & post hominem justificatum adjuvat cooperando, ut implere possit quæ Deo sunt placita; & sic comprehendit & operantem, & cooperantem gratiam, & omne bonum opus nostrum, sive à principio cum justificamur, sive post justificationem cum bene operamur, hic sine dubio sensus illius canonis est, in quo per adjutorium, quo cum justificatis Deus cooperatur, intelligit expresè cooperantem gratiam, & eo ipso implicitè excitantem, quia sine excitante illa actualis cooperans dari non potest. Vnde per adjutorium intelligit omne necessarium adjutorium, ut justus benè operetur. 36

Deinde hoc ipsum Concilium Tridentinum apparet tradidisse, *sess. 6. de justificat. cap. 16.* dicens. *Quod ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Quibus verbis potissimè sermonem fieri de gratia cooperante actuali dubium non est: illa enim est actualis virtus, qua Christus justis cooperando, eos antecedenter movet ad benè operandum ex habitibus, eos concomitatur, & subsequitur. Subsequitur quidem per respectum ad priorem effectum gratiæ præhabitum (ut supra ex expressa sententia S. Thomæ explicatum manet) sed reipsa & implicitè comprehendit excitantem gratiam sine qua nec illa cooperans 37

actualis

Digitized by Google

actualis gratia illis daretur. Igitur Concilium explicat cooperantem, sed non excludit necessariam concomitantem gratiam excitantem.

38 Tertiò id probatur ratione, quæ desumitur ex Concilio eodem Tridentino *sess. 6. c. 5.* ubi ad actus supernaturales, qui ante justificationem fiunt, requiri necessariam gratiam excitantem & adjuvantem, ut visum est supra; ergo excitans & adjuvans gratia necessaria erit etiam ad actus supernaturales, qui fiunt post justificationem. Probatur consequentia; quia sicut præparatur voluntas à Domino, ut eliciat supernaturales actus, quibus ad justificationem disponimur, ita præparatur voluntas à Domino ut consimiles actus post justificationem eliciat. Cum ergo prima præparatio fiat per excitantem, & adjuvantem gratiam actualiter voluntatem præparantem; ita & secunda fieri debet per excitantem & adjuvantem gratiam. Et eodem modo potest adaptari illud S. P. Augustini *libro de peccat. merit. & remiss. cap. 18. Quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, & adjuvante non possumus.* Quamvis enim ibi loqui videatur præcipuè de prima conversione, qua ex mala voluntate in Deum homo convertitur; quæ propriè & absolutè loquendo conversio dici solet; tamen, ut diximus, adaptari potest generaliter ad quamcumque actualem bonam operationem etiam post justificationem, qua homo actualiter se in Deum convertit, licet aliàs habitualiter in ipsum per justificantem gratiam simpliciter conversus sit, ut etiam ad illam proportionabiliter egeat excitante, & adjuvante gratia.

39 In particulari autem probatur esse necessariam in homine justo, ut benè utatur habitibus gratiam excitantem; homo justus per habitus infusos est solùm habitualiter excitatus ad benè operandum ut notum est; ergo ut actualiter operetur, debet actualiter excitari; ergo indiget gratia excitante; nisi ponamus (quod est impossibile) quod seipsam, & habitum simul voluntas suis viribus actualiter excitet. Vnum ergo ex duobus est concedendum; vel voluntatem se ipsam & habitum actualiter excitare ad supernaturaliter operandum; vel necessariam esse gratiam actualem excitantem, à qua actualiter excitetur: planè, ut dictum est supra, justus per habitus ipsos dormienti cooperatur; ergo ab aliquo debet excitari ut sit in vigilia actualiter operans.

40 Quod autem voluntas non possit se & habitum actualiter excitare ad supernaturaliter operandum, multipliciter ostenditur: primò ratione generali, quia tam in habitibus naturalibus, quam supernaturalibus voluntas cum solo habitu est in potentia ad operandum; sed nihil potest se per se ipsum reducere de potentia in actum; ergo nec voluntas se per se solam poterit excitare ad bene operandum reducendo se de potentia in actum. De qua ratione copiosè satis egimus *lib. 3.* quæ & S. Thomæ est, & in physica satis nota. Secundò ratione speciali, quia excitatio ad supernaturales actiones, supernaturalis debet esse, sicut ad actiones naturalis ordinis requiritur excitatio naturalis; utraque enim proportionatum sibi proponit objectum ad quod excitat. Impossibile est igitur, quod excitatio naturalis ordinis proponat objectum formaliter supernaturale, & ad illud excitet; sed excitatio qua voluntas se excitaret benè utendo habitibus infusis, non potest esse supernaturalis, ergo non potest voluntas se ipsam excitare ad utendum illis infusis habitibus. Minor declaratur quia illa excitatio à sola facultate naturali voluntatis haberetur; ergo non potest esse supernaturalis. Probatur antecedens quia illa excitatio non fieret ab habitu, ut ostensum est. Quia habitus non tribuit voluntati ut benè hîc & nunc illo utatur, sive ut voluntas excitet se ipsam ad benè utendum habitu; hoc enim (ut visum est supra) habitibus repugnat; ergo fieret à sola facultate voluntatis; ergo non esset supernaturalis; ergo nec posset excitare ad objectum formaliter supernaturale, quale est sine dubio bona supernaturalis operatio habitibus infusis proportionata.

Tertiò, quia aliàs si voluntas ita se, & habitum excitare posset, jam primum initium bonæ operationis fiendæ ex habitu infuso, ex sola facultate naturali voluntatis haberetur. Nam excitatio ad supernaturalem bonam operationem fiendam ex habitu infuso initium primum est sine dubio illius operationis salutaris. Quam autem sit damnabile, atque damnatum ponere in voluntate sola sua naturali facultate initium salutaris operationis, dictum est supra.

Præterea liberum hominis arbitrium etiam constitutum per habitum in potentia proxima, indiget ut operetur motione morali ex parte objecti seu finis; ergo liberum arbitrium constitutum in potentia proxima per habitus supernaturales infusos, indiget motione morali supernaturali ex parte objecti seu finis, ut actualiter supernaturaliter operetur; sed ex se non potest habere hanc supernaturalem motionem moralem, ut est satis notum; ergo illam debet habere ex Deo per excitantem gratiam, quæ est ipsissima moralis motio supernaturalis ex parte objecti seu finis. Major nota videtur, quia voluntas numquam operatur aliquod opus bonum etiam ex habitu nisi per intellectum ei fuerit propositum tale bonum; quia nihil volitum quin præcognitum; sed illa propositio, qua per intellectum proponitur voluntati bonum, est excitatio ex parte intellectus, qua voluntatem objectivè & finaliter excitat ad illud amandum; ergo hac ablata morali excitatione impossibile est voluntatem bonum velle; prima consequentia probatur. Quia liberum arbitrium constitutum sub habitibus infusis, cum jam sit potentia proxima effecta supernaturalis, ex necessitate postulat proportionatam motionem finis, seu excitationem moralem supernaturalem ad efficiendum supernaturales operationes, habitibus infusis proportionatas. Vltima consequentia nota est, quia supernaturalis actualis excitatio ex solo Deo haberi potest, ut probatum est modò.

Quod verò præter excitantem gratiam egeat homo justus gratia cooperante, qua verè adjuvetur ad efficiendum ex habitibus infusis supernaturales operationes, patet primò ex Innocentio I. *in rescripto ad Concilium Carthaginense*, ubi illos reprehendit qui dicebant, nos adjutorium Dei nec debere requirere, nec egere, cum omnes sancti nihil sine hoc agere posse testentur. Loquitur enim de vero & proprio gratiæ adjutorio, quod in sanctis, & cum ipsis bona omnia ipsorum opera cooperatur, ut patet ex tota illa Epistola. Et in alia responsiva ad patres Concilij Milevitani, quæ & supra inducta est, idem ita confirmat. *Ergo Dei gratiam conantur auferre; quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate, quæramus, quippe qui nec alias diaboli machinas nisi eadem juvante possumus vitare.* Ecce restaurata per gratiam libertate, & constitutis hominibus sub gratia justificante, & habitibus aliis infusis, dicit necessarium illis esse ut quærant gratiam adjuvantem, sine qua machinas diaboli vitare non possunt. 41

Cœlestinus etiam *in epistola ad Episcopos Gallia. c. 7. sub finem* ait: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Per quæ docet se loqui de auxilio gratiæ verè adjuvante sanctos 42

Digitized by Google

ctos ad pias operationes. Siquidem de illo auxilio loquitur, de quo Apostolus dixerat, *quotquot spiritu Dei aguntur; hi sunt filij Dei*; quod proculdubio auxilium est verè adjuvans, & cooperans in sanctis, & cum sanctis omnes eorum operationes pias.

43 Idem repetit in *c. 9. & in fine capitis* 11. clariùs id concludit dum dicit: *Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Vbi manifestè loquitur de operibus meritoriis justorum; & quomodo à Deo fiant, statim explicat dicens. *Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus; nec otiosa in nobis patitur, quæ exercenda non negligenda donavit ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Vt ergo justificans gratia, quam nobis donavit, non sit otiosa, agit ut quæ vult, & velimus & agamus, scilicet per adjuvantem gratiam, qua agit ut in nobis otiosa non sit gratia justificans. Quam gratiam actualiter adjuvantem, docet petendam à Domino cui quotidie dicimus, *ne inducas nos in tentationem sed libera nos à malo.*

44 Concilium Arausicanum 2. cum in *canone* 1. docet; *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum* &c. de hoc adjutorio gratiæ adjuvantis, id est cooperantis, quæ scilicet cooperando adjuvat, manifestè procedit. Et in *canone* 4. cum præmisit. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*; istam cooperantem gratiam actualem, qua Deus sanctos adjuvat, apertè inclusit. Si enim quoties bona agimus id Deus operatur, ut operemur; ergo quoties justi, & sancti benè cooperantur ex habitibus infusis, Deus in eis atque cum illis ut illa operentur, cooperatur. Gratiæ autem auxilium, hoc est verum cooperantis gratiæ adjutorium, quo Deus in sanctis, & cum ipsis bona illorum opera cooperatur, dum ageremus supra de gratia cooperante, plenius explicatum fuit.

45 Hoc ipsum S. P. Augustinus docet expressè, *libro de nat. & gratia c. 26. sicut*, inquit, *Oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Ergo nec poterit justificatus, nisi ampliùs divinitus adjuvetur, bona opera ex habitibus infusis efficere, quibus rectè vivit homo. Item *libro de gratia, & libero arbitrio cap. 6.* Explicans illud Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata incumbens super dilectum suum*, inquit: *Alba facta bene ambulat sed super eum à quo dealbata est, perseveranter incumbat, propter quod & ipse Iesus, super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis; sine me nihil potestis facere.*

46 Idem perpetuò S. Thomas docet 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. universaliter dicens quod, *quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo.* Vbi apertissimè de præmotione fit sermo, prout in 3. *libro* copiosè probatum reliquimus. In specie autem tradit, quod defendimus *eadem quæst. art.* 9. cujus jam verba relata sunt supra, cum ratione duplici, generali altera, altera speciali, quæ hanc veritatem demonstrant quarum prima, sicut de præmotione, ita secunda de adjutorio gratiæ dante veras animæ vires ad operandum, (quod est adjuvantis gratiæ auxilium) sine dubio procedit, quæ proinde repetenda non sunt.

CAPVT IV.

Justos indigere gratia actuali cooperante ad benè operandum ex habitibus ostenditur, & contraria argumenta dissolvuntur.

RAtiones omnes quæ in hac parte possunt induci ad probandum homines justos ut rectè operentur ex habitibus infusis, indigere vera actuali gratia adjuvante, quæ illos moveat & adjuvet ad eliciendum supernaturales operationes habitibus illis proportionatas, ad illas duas, quæ ex S. Thoma relatæ sunt, reducuntur, & sub eis necesse est comprehendantur. 47

Ad primam enim, quæ generalis est, reducuntur illæ quæ à discipulis S. Thomæ disputantibus hanc quæstionem adhibentur. Quarum prima est, quod solus Deus est, qui etiam in hominibus justificatis primò inchoat verè efficienter quodcumque bonum opus; sed hæc inchoatio fit à Deo per speciale auxilium gratiæ adjuvantis, quatenus per tale auxilium præmovet liberum arbitrium & efficit, ut secum operetur; ergo præter habitus infusos necessarium est ad singulos actus in hominibus justis speciale auxilium gratiæ adjuvantis, non solum simultaneum, sed etiam prævium ad cooperationem arbitrij, & eam ordine causalitatis præveniens. 48

Secunda est; ab eo quod est utrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio determinetur ad unum; sed liberum hominis arbitrium, etiam habitu supernaturali perfectū, se habet ad utrumlibet, seu ad operandum & non operandum, cum habitus non determinet potentiam quoad exercitium actus, sed solùm quantùm ad specificationem; ergo nunquam prorumpet in actum particularem, nisi determinetur à Deo ad producendum hîc & nunc talem actum supernaturalem; sed hæc determinatio fit à Deo per auxilium speciale gratiæ adjuvantis; ergo ad quemlibet actum supernaturalem indigent etiam justi speciali auxilio gratiæ adjuvantis.

Tertia est; concursus generalis, tam ordinis naturæ, quam ordinis gratiæ, quo Deus concurrit cum causis secundis constitutis in actu primò per formas suis effectibus proportionatas, est influxus immediatus in causas, eas complens & perficiens ut actualiter operentur; ergo speciale auxilium gratiæ adjuvantis necessarium ad singulos actus supernaturales nō consistit in solo concursu simultaneo, quo Deus unâ cum libero arbitrio elevato per habitum influit in actum supernaturalem, sed etiam in motione prævia, qua Deus efficit ut liberum arbitrium secum concurrat; ergo ad singulos actus supernaturales præter habitus infusos indigent homines justi speciali auxilio gratiæ adjuvantis. 49

Hæ quidem rationes efficaces sunt, ad probandam illam primam generalem S. Thomæ rationem: imò omnes in illa una S. Doctoris comprehenduntur; quod videlicet nulla res creata sive corporalis, sive spiritualis quantumcumque perfecta, sana, & integra potest in quemcumque actum prodere, nisi virtute motionis seu præmotionis divinæ. Quæ proinde ratio curreret in primò homine in statu innocentiæ adhoc quod benè habitibus infusis uteretur: indigeret namque & ipse divina præmotione hac generali ratione nunc explicata. Nihil tamen tangunt de secunda S. Doctoris ratione speciali, in qua major instantia facienda est, propter videlicet conditionem status naturæ humanæ, quæ quidem, licet per gratiam sanetur quantùm ad mentem, 50

remanet

Digitized by Google

remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam servit legi peccati, & obscuritas in intellectu. Vnde nisi ista obscuritas, & infirmitas specialiter adjuvetur à Deo per cooperantem gratiam, nunquam homo justus per seipsum operabitur bonum actum supernaturalem, ut S. Thomas exposuit expresè 1.2.q.109.art.9.cit. Sicut ergo adhibitæ sunt à S. Thomæ discipulis rationes prædictæ conformiter ad primam generalem à Sancto Doctore inductam: ita & aliæ inducendæ sunt modò, quæ specialiter de homine justo in statu hujus infirmæ naturæ quantùm ad carnem procedant.

51 Vnde prima sit ex ipso vocabulo proprio gratiæ adjuvantis, quod in hac materia de gratia non solùm sonat generalem prævium concursum supernaturalem præmoventem in ordine suo potentiam constitutam in actu primo supernaturali; sicut generalis concursus prævius in ordine naturali causas naturales præmovet ad agendum: Sed sonat verum adjutorium gratiæ verè dantis vires, & adjuvantis infirmitatem nostram ad operandum. Sic enim Theologi, imò Concilia, & Patres accipiunt auxilium gratiæ adjuvantis pro hoc statu, ut præter inductam S. Thomæ doctrinam, ex omnibus Sanctis Patribus probare possemus, nisi in re omnibus veris Theologis nota, sine causa immorari vellemus. Ergo cum Pontifices Summi, Concilia, & Patres allati necessarium dicant gratiæ adjutorium, sive adjuvantem gratiam in hominibus justis ad benè operandum ex infusis habitibus, planè intelligunt necessariam esse gratiam adjuvantem, quæ supradictam sanet infirmitatem, & homini justo vires tribuat ad rectè utendum habitibus infusis, per quas vires carnis impedimenta omnia vincant. Non ergo sola est necessaria in illis adjuvans gratia ad præmovendum eorum voluntatem ad supernaturaliter agendum ex habitu, sed necessaria est primò & principaliter ad dandas vires contra carnis infirmitatem. Et hoc primo efficit adjuvans gratia in hominibus jam justis. Deinde secundò sic roborata eorum voluntate contra corruptionem carnis eam præmovet ad bene utendum prædictis habitibus. In statu autem innocentiæ, in quo talis corruptio & infectio carnis non esset, solum requireretur generalis Dei supernaturalis prævius concursus, qui voluntatem applicaret ad agendum, nec requireretur proprium adjutorium tribuens vires ad sic operandum; quia plenas vires alias ad id haberet per justificantem gratiam in illo statu. De quo infra agentes de distinctione doni perseverantiæ requisito pro isto statu, & illius quod in statu innocentiæ requireretur, copiosiùs & clariùs dicemus.

52 Secundò (ut præcedenti capite visum est) auxilium, gratiæ adjuvantis, quæ à Sanctis Patribus, & Conciliis dicitur necessaria in hominibus justis ad rectè operandum supernaturales operationes infusis habitibus proportionatas, est auxilium gratiæ cooperantis, quo Deus adjuvando justos cooperatur in eis, & cum eis rectas illas supernaturales operationes: non enim potest esse gratia operans; ut patet ex dictis de gratia operante & cooperante; & de vera adiuvante gratia, quæ adæquatè in utramque dividitur. Sed gratia cooperans actualis, (de qua nunc loquimur) secundum apertam S. Thomæ sententiam. 1. 2. q.111. art.2. jam supra satis expositam, est illa qua Deus adiuvat voluntatem, quæ iam voluit, confirmando eam in bono ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo: ergo actualis gratia cooperans necessaria hominibus iustis, & iam habentibus per gratiam iustificantem bonam voluntatem, eorum voluntatem in bono confirmat, ut actus bonos supernaturales proportionatos habitibus infusis eliciat: præbetque exteriùs facultatem benè operandi: hæc autem manifestè sonant, quòd det vires voluntati interiùs eam confirmando. Per quid enim voluntatem interiùs in bono confirmat ut ad actum perveniat, nisi dando vires, quibus in bono confirmetur? Et per quid facultatem tribuit exteriùs benè operandi, nisi auferendo omnia carnis impedimenta, & etiam facultatem & possibilitatem, seu vires tribuendo potentiis exterioribus, ut bonos actus operentur? Non ergo gratia cooperans justis in bono exercitio actuum ex habitibus elicitorum, solùm præmovet eorum voluntatem ad actum, sed ei vires dando eam in bono confirmat: Deinde sic in bono confirmatam præmovet, ut ad actum supernaturalem efficiendum perveniat.

Tertiò, etiam admissa in hominibus justis gratia excitante eos ad benè utendum habitibus infusis, nequeunt ipsi bene uti habitibus, nisi à Deo adjuventur vera adjuvante gratia: ergo hæc est omninò necessaria ad illorum operationes supernaturales. Consequentia manifesta est, & antecedens probatur: quia si posita gratia excitante justi benè uterentur habitibus infusis, jam initium illius bonæ operationis de facto & in exercitio à sola illorum esset voluntate, ut sæpiùs in superioribus probatum est. Dici autem non potest ex sola justi voluntate esse initium alicujus boni operis, quia jam illud initium non haberetur ex Deo; & haberent justi aliquid boni quod à summo bono non participarent, quo nihil potest dici absurdius. 53

Ad argumenta ergo dicendum, & ad primum prioris sententiæ ex Concilio Milevitano, habitualem gratiam justificantem non dari solùm ad remissionem peccatorum, sed etiam in adjutorium ut alia non committantur: quia ipsa mediis aliis virtutibus infusis sufficienter tribuit vires, quibus homo potest deinceps non peccare: non tamen excludit Concilium necessariam esse actualem gratiam excitantem & adjuvantem, qua homo justus excitetur & adjuvetur, ac præmoveatur ad benè utendum habitibus infusis; ut sic non ex homine, sed ex Deo initium sit totius bonæ operationis nec enim habitualis gratia ad hoc datur, ut per ipsam solam sine alia actuali homo benè operetur, sed ad hoc datur, ut in suo ordine & genere habitualiter hominem inclinet in bonum, & habitualiter ei tribuat sufficientes vires, quibus bonum possit operari: quas habituales vires actualis gratia excitet, & actualiter adjuvet, & faciat actualiter benè operari, ut S. Thomas docet *prædicta quæst.* 109. *ex* 1. 2. *artic.* 9. *ad* 1. quæ solutio notanda est. 54

Ad secundum dicendum, Sanctum Thomam in illis tribus inductis articulis ex 1. 2. q.113. docere quidem primum in justificatione impij esse gratiæ infusionem; à qua sicut ab omnium primo tota justificatio originem trahit, & per quam ipsum arbitrium efficaciter movetur in Deum per amorem, & per odium in peccatum, & ultimò culpa remittitur. Ista enim quatuor ibi enumerat, scilicet infusionem gratiæ, motum in Deum per amorem, motum in peccatum per odium, & remissionem culpæ, quæ hoc ipso ordine procedunt, ut omnium primò sit infusio gratiæ: secundò motus in Deum per amorem: tertiò motus in peccatum per odium: quartò & ultimò remissio culpæ & infusio gratiæ, quod est primum, & causa cæterorum; efficit enim motum in Deum per amorem, & motum per detestationem, in peccatum, quæ con- 55

Digitized by Google

tritio est. Cæterùm illa infusio gratiæ, quæ efficit ut arbitrium hos actus eliciat, non est habitualis gratia, secundùm quod habitualis est, sed est infusio gratiæ secundùm quod omnium primò consideratur ut habens rationem actualis auxilij dantis efficaces vires voluntati, & eam moventis ad bonum. Dupliciter enim debet gratiæ infusio considerari; omnium primò ut habens rationem actualis auxilij; & de illa sub hac ratione Angelicus Doctor loquitur citatis locis, cum eam dicit omnium primam esse in conversione peccatoris, & efficere quod liberum arbitrium eliciat duos prædictos actus: nam ipsa gratiæ infusio considerata ut est habitualis gratia justificans, posterior est illis motibus liberi arbitrij, cum per illos homo disponatur ad habendam illam. Itaque gratiæ infusio in illo omnium priori jam dicto non consideratur ut habitualis gratia; imò nec tum intelligitur gratia esse justificans, sed consideratur ut gratia excitans, & adjuvans actualis, quæ efficit hominem illos actus habere, & per illos sibi cooperari ad sequentem justificationem suam, ut ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 5.* manifestè habetur? Hanc autem esse ipsam Angelici Doctoris sententiam & mentem alibi in his operibus nostris recordamur non semel explicasse. Et modò addendum, quod hoc docet S. Thomas 1. *part. quæst. 62. art. 2. ad 3.* ubi tractans de conversione Angeli in Deum objectum beatitudinis ait: *Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis.* Vbi de ultima præparatione ad gratiam potissimè sermo fit; & ad hanc negat requiri gratiam habitualem à qua procedat illa ultima præparatio: sed requiri asserit divinam operationem, id est infusionem gratiæ habitualis per modum divinæ operationis actualiter animam moventis ad ultimam præparationem gratiæ eliciendam, prout *citato nunc loco ex 1. 2.* clariùs exposuit; & ibi rectè Cajetanus declarat. Ex hoc autem nullo modo sequitur, quòd postquam homo est justificatus, & habet habitualem gratiam, non indigeat actuali auxilio: quia aliud est de infusione gratiæ, & aliud diversum post gratiæ infusionem. Postquam enim habitualis gratia infusa est, ista est habitualis, quod non potest habere rationem actualis motionis: at cum à principio infunditur, ipsa illius infusio rectè habet rationem gratiæ actualis, ut ex Sancto Thoma dictum est: & ideo rectè vocatur infusio gratiæ, quæ actualem operationem sonat; habitus autem infusus non potest dici actualis infusio, vel actualis motio seu operatio. Itaque gratia habitualis in fieri seu in infundi rectè habet rationem actualis divinæ operationis; non autem in facto esse: sicut calefactio in facto esse, & in esse quieto: tunc enim calor jam rationem actionis non habet. Quæ vera intelligentia Sancti Thomæ notanda est contra Gregorium de Valencia, qui ex hac doctrina Sancti Thomæ non rectè intellecta intulit 1. 2. *quæst. 3. de divisione gratiæ puncto quarto §. quintò dico gratiam conversionis in genere causæ efficientis antecedere arbitrium; in genere autem causæ materialis arbitrij consensum præcedere.* In quo dicendi modo jam ponitur efficacia gratiæ non totaliter ex Deo esse, sed ab arbitrio pendere de quo infra dicemus.

56 Ad tertium dicendum, ad illa quæ in argumento negantur, esse necessariam gratiam excitantem & adjuvantem, ut homo justus bene ex habitibus infusis operetur, primò ut ipsum quasi dormientem excitet. Secundò ut voluntatem adjuvet ei ampliores vires tribuendo contra infirmitatem carnis, ut bene operetur supernaturales actiones, & omnes vincat difficultates. Tertiò & ultimò ut sic confirmatam, & roboratam voluntatem ad actum efficaciter præmovendo, perducat eam, atque reducat de potentia in actum completum ad agendum; pro ut ex jam dictis satis constat, quod autem dicitur, quod habitibus utimur cum volumus, verum est; sed quod eis velimus bene uti pro habitibus naturalibus divina præmotione indigemus, quæ nos faciat bene illis uti; pro infusis verò gratia excitante & adjuvante, quæ ultra hoc vires nobis ampliores subministret, quibus velimus bene uti illis habitibus. Itaque cum communiter & vere dicitur; quod habitibus utimur cùm volumus, non excluditur nec excludi potest divina præmotio, seu divinum auxilium actuale, quod efficiat nos bene velle habitibus uti. Imò hæc necessariò præsupponuntur, ob rationes factas: quia aliàs homo inchoaret ex se bonam suam operationem, quæ damnata sententia est.

Ad fundamentum secundæ sententiæ, quæ 57
negat necessariam in homine justo gratiam excitantem actualem, dicendum quod quamvis habitualis gratia justificans, & alij infusi habitus, sufficienter inclinent liberum hominis arbitrium in bonas operationes sibi proportionatas, non tamen illud inclinant actualiter; & cum arbitrium ipsum ex se solo actualiter non possit se in illas inclinare ob rationes inductas, necessaria est gratia actualis quæ illud excitet, & inclinet in illas.

Ad fundamenta tertiæ sententiæ quæ nega- 58
bat necessarium esse in homine justo ad bene utendum habitibus infusis actualem gratiam adjuvantem. Ad primum quidem Sancti Thomæ discipuli in suis disputationibus respondent, quod juxta doctrinam Sancti Doctoris concursus supernaturalis, qui ex parte Dei requiritur ad supernaturales operationes, non est solum simultaneus, seu pariter cum libero arbitrio influens in eosdem actus, sed etiam est prævius & immediatus in ipsum arbitrium. At quamvis hoc in sententia S. Thomæ verum sit, non tamen hoc solùm docet Angelicus Doctor, nec ad hoc tantùm requirit auxilium gratiæ in homine justo ad bene cooperandum, sed etiam ut vires tribuat contra manentem in homine justo infirmitatem carnis; verèque eam adjuvet contra carnis infectionem, & corruptionem & sic roboratam & confirmatam applicet seu actu moveat ad agendum.

Vbi etiam venit occasione hujus consideran- 59
dum, quod prædicti Doctores dicunt, videlicet in homine justo præter gratiam excitantem, & concursum supernaturalem simultaneum, quo Deus unâ cum libero arbitrio, & habitibus infusis, actus supernaturales producit, requiri necessariò ad singulos actus speciale auxilium gratiæ adjuvantis. Itaque præter auxilium excitantis & adjuvantis gratiæ, nescio quem alium distinctum concursum supernaturalem simultaneum admittunt: quem concursum supernaturalem simultaneum eorum nonnullus explicat sic dicens: *Id ipsum probatur specialiter de concursu Dei simultaneo. Concursus, quo Deus immediatè cum causa secunda supernaturali producit supernaturalem operationem, est realiter ipsamet operatio ut procedit ex influxu Dei; sed operatio est supernaturalis: ergo influxus immediatus Dei in eandem operationem est supernaturalis.* Et idem dicit proportione servata de influxu simultaneo pro operationibus ordinis naturalis, quod sit realiter ipsa arbitrij operatio.

Quæ tamen doctrina nullo modo sustineri debet; 60
nec in Sancto Thoma, aut illius doctrina potest habere fundamentum. Illum enim simultaneum

concursum

Digitized by Google

concursum nedum ex superfluo multiplicat, sed impossibiliter constituit. Et quidem adversus illum Dei simultaneum concursum, qui idem ponitur esse realiter cum arbitrij cooperatione, efficaciter plura concluſimus *lib.* 3. ubi illum, & eadem ratione alium proportionabiliter pro actionibus supernaturalibus plenè reliquimus impugnatum: quæ omnia proindè ibi videnda sunt, non hîc ex superfluo repetenda. Quis autem non videat intelligi non posse, quod influxus Dei ille simultaneus sit realiter arbitrij operatio, & quod dicatur influere in illam? Quomodo enim in illam influit, nisi ut causet eam? Quod si causa illius est, ab illa realiter distinguitur: ut enim aperta est sententia S. Thomæ, tum alibi, tum 1. *part. quæst.* 19. *art.* 5. simultaneus dicitur cum arbitrio in actionem: ergo sicut arbitrium priùs natura intelligitur ex se emittere actionem, quam actio fiat, quia arbitrium causa illius est: ita priùs intelligitur influere quam actio fiat: ita & Deus simul cum arbitrio concurrens priùs in arbitrio debet intelligi concurrere, quam actio fiat: ergo non est concursus ille realiter ipsa actio arbitrij, sed hæc ex necessitate posterior natura debet esse quam concursus Dei simul cum arbitrio in actionem influens; alias efficaces rationes, citato loco præmisimus.

61 Nec Concilia, nec Patres ad operationem supernaturalem quamlibet efficiendam aliud unquam auxilium tradiderunt, quam excitantem & adjuvantem gratiam. Excitantem quidem, & adjuvantem operantem ad hominis conversionem & justificationem: excitantem verò, & adjuvantem cooperantem ad bene operandum post factam voluntatem bonam per justificationem: quia tunc regulariter movetur ad volitionem mediorum scitam, cum sic justificatum contingit velle aliquod bonum sine priori deliberatione, sed per modum finis particularis ad illam operationem gratia operans concurrit, ut supra manet declaratum. Nec illius supernaturalis concursus simultanei aliquādo mentionem fecerunt: ergo ille planè ex superfluo intromittitur. Mirandum planè esset, quod ille necessarius sit & distinctus penitus ab excitante & adjuvante gratia, & quod illius nullibi mentionem fecerint Concilia, & Sancti Patres, nec Angelicus Doctor, qui accuratissimè post S. P. Augustinum istam materiam explicavit: uterque enim Doctor Sanctus pro supernaturalibus operationibus tantùm excitantem & adjuvantem gratiam cognoverunt, & explicarunt. Igitur ad operandum bene supernaturaliter nullo alio supernaturali concursu voluntas indiget. Quod sit manifestum: nam eadem gratia adjuvans post excitantem, vires animæ tribuit ad bene operandum, quod est primum illius officium.

62 Secundò præmovet efficaciter voluntatem ad agendum: & tertiò simul natura cum voluntate præmota operationem efficit; ita quod operatio arbitrij effectus immediatus est, sicut ipsius arbitrij, ita & concursus simultanei, qui cum arbitrio ipsum producit, ut verum effectum suum. Ergo omnis alius concursus realiter idem cum actione superfluus planè est, & contra Sanctorum Augustini, & Thomæ sententiam. Præterea Concilium Arausicanum 2. cum dicit quod, *quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur:* sine dubio docet, quod per illud auxilium, quod in nobis operatur, simul operatur nobiscum, nec aliud distinctum agnovit, imò nec agnosci potest. Sed ad plenariam hujus simultanei concursus confutationem, qui realiter dicitur operatio ipsa arbitrij lectorem remittimus ad prædicta, in tertio nostro libro, ubi ex professo de hoc egimus, post quæ hæc breviter hîc notare visum fuit.

Ad confirmationem dicendum, quod licet per 63
infusos habitus habeat potentia sufficientem virtutem, in ratione potentiæ proximæ; excitari tamen debet actualiter ad actum supernaturalem habendum, ut dictum est. Rursus considerata carnis corruptione, & infectione indiget ad bene operandum ex habitibus, & ad vincendum difficultates, adjuvari à gratia cooperante, quæ voluntatem in bono confirmet, infirmitatem carnis superet, & ad actum supernaturalem efficiendum præmoveat: cum nihil horum efficere possit concursus ille simultaneus, qui ponitur idem realiter esse cum operatione voluntatis, etiam si ille possibilis esset.

Ad secundum dicendum actum secundum simpliciter, & absolutè loquendo perfectiorem esse 64
quam habitum; quamvis secundùm quid habitus præstet, ut apertè docet Angelicus Doctor 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 3. *in corp. & solut. ad* 1. & *ad* 3. 1. *part. quæst.* 25. *art* 1. *ad* 2. Ricardus, & Scotus in 4. *dist.* 49. Ille *art.* 1. *quæst.* 4 hîc *quæst.* 1. *art.* 2. Ægidius *quodlibet* 4. *quæst.* 19. Cajet. 1. *part. quæst.* 27. *art.* 1. Vbi dicit actum præstare habitui in ratione actualitatis, & ex consequenti præstare simpliciter: & propterea beatitudo essentialiter consistit in actu, non in habitu, ex Angelico Doctore 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. & in 4. *dist.* 49. Philosophus etiam nobiliorem simpliciter dicit actum secundum, quam habitum.

Sed dices: habitus est causa actus; causa autem 65
ad minus æquè perfecta debet esse cum effectu suo; imò majorem nobilitatem simpliciter habere debet, quam effectus ejus. Ad hoc supradicti Sancti Thomæ Discipuli respondent habitum non esse causam principalem actus sed instrumentalem. Licet autem, ut argumentum probat, causa principalis, simpliciter præstare debeat, supra ipsius effectum; non tamen hoc requiritur in causa instrumentali.

Verum nec ista solutio placet in eo quod dicit 66
habitum causam esse instrumentalem respectu actus: licet enim causa principalis non sit, quia hæc est potentia: non tamen est instrumentalis causa, sed comprincipium illius causæ principalis; ita quod ex potentia & habitu una totalis sit causa principalis, cui proindè assimiletur effectus. Vnde habitus habet se sicut principium formale specificativum actus; quod tamen instrumentalis causa habere non potest, ut perspicuum est. Vnde aliter ad argumentum dicendum, quod ex eo quod actus in actualitate præstat habitui, ideò ut habitus possit sibi similem actum efficere, necesse est quod ab illa divina præmotione, constituatur completè in actu primo; habeatque per præmotionem illam tantam actualitatem, quantam habet actus ipse secundus; unde sine illa etiam ob rationem factam (ut supradictas omittamus:) nunquam habitus eliciet actum secundum.

Hic discutienda suo ordine erat 77. assertio ex 67
his authoribus primo nostro libro relata 1. *parte tract.* 6. *cap.* 20. nimirum quod primi habitus, qui omninò producuntur ab habitibus non habent physicum principium sibi intrinsecum inhærens præter Deum assistentem; quia tamen impugnata fuit supra inter explicandam veram rationem gratiæ excitantis, ideò nec iterum venit confutanda.

Digitized by Google

TRACTATVS II.

DE DIVISIONE AVXILIORVM DIVINÆ GRATIÆ.

CAPVT I.

Auxilium sufficiens dividunt Recentiores in efficax, & inefficax ab effectu.

1 PERVENIMVS jam Deo nos perducente, ut sub conceptis terminis, & expressis vocibus, controversiam illam magnam, tot agitationibus his temporibus ventilatam de efficacia divinæ gratiæ, quæ in omnium ore versatur, expendamus, pro cujus defensione magna nobis colluctatio fuit, & exorta tempestas non modica; sed illo favente qui imperat ventis & mari, facta nobis fuit secura tranquillitas: efficaciam gratiæ Deo adjuvante defendimus, & ipso cooperante defendemus: pro ipsa, ut ab omnibus cognoscatur, & prædicetur, institimus, instamus, opportunè, & importunè, in omni patientia & doctrina semper instabimus. Ipsa totius hujus nostri laboris, finis, ac proindè sicut prior in intentione hucusque totum opus direxit, ita & nunc in executione, ultimum sibi vendicat locum. Sicut ergo quæ in illius defensionem sunt dicta, correctioni sacrosanctæ matris Ecclesiæ, & ad pedes summorum Pontificum submisimus: ita omnia quæ dicentur à nobis specialiter in hac parte, de novo sacrosanctæ Matris Ecclesiæ correctioni humiliter submittimus & supponimus.

2 In hac autem perdifficili quæstione, & quæ multorum ingenia his temporibus malè torsit exordium sumere ab illa celebri, communique divisione auxilij in sufficiens & efficax visum fuit, juxta ordinem illarum assertionum, quas primo libro 1. *part. tr. 6.* ordinavimus, in quo *cap.* 21. illa assertio horum authorum relata est, quæ ita auxilium dividebat; placet enim quid ipsi senserint priùs aperire. *Quo fit ut divisio sufficientis auxilij in efficacem & inefficacem.* (Illorum enim ista sunt verba) *in nostra sententia ab effectu, qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur, illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur. Cum tamen nihil eo auxilio impediente potuerit non converti; illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti; alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem; hinc quinto loco asserimus, auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ; qua lege ordinaria viatoribus conferuntur; quod efficacia aut inefficacia ad conversionem, seu justificationem sint, pendere à libero consensu, & operatione arbitrij nostri cum illis; atque adeò in libera potestate nostra esse vel illa efficacia reddere consentiendo & cooperando cum illis ad actus, quibus ad justificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere continendo consensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.*

3 Et postea *quæst.* 23. *art.* 4. *& disput.* 1. *membro* 6. §. *nonnulli & §. certè*, immediatè sequenti de sententia, quæ ex Deo ipso defendit gratiæ efficaciam antecedenter ad arbitrij libertatem; hæc protulit verba. *Certè non dubitarem sententiam hanc hoc ultimo modo explicatam, errorem in fide appellare.* Alter autem hujus sententiæ defensor, referens sententiam prædictam: quæ auxilium gratiæ, quod sit efficax, vel inefficax ab effectu, constituit, ita habet. *Verumtamen hæc etiam sententia hoc tantummodo declarata, & nihil ei addendo; nobis non prodest, non quia falsa; sed quia diminuta, & quia non satis declarat mentem Sancti Augustini.* Vt autem ipse illam ampliùs declararet, & diminutionem ejus auferret; in capite illo dicit; constituendam esse efficaciam in expectatione morali. Et *in cap.* 11. *n.* 12. §. *quis autem sit*, addit, quod gratia excitans, seu moralis efficax certum & infallibilem habeat effectum, quem Deus intendit, non esse referendum ad solam vim & causalitatem moralem, quam ex se habeat; sed ad infinitam Dei præscientiam, qua cognoscit de rebus omnibus, non solùm quid agere possum, sed etiam quid sint acturæ, ubicumque, & quomodocumque ad agendum applicentur. In qua certa præscientia, congruam quam dicunt vocationem, ipse cum aliis constituit. Quod signanter magis exponit *in cap.* 14. *n.* 9. §. *addendum.* Per hæc igitur magis explicat sententiam prioris, & illius diminutionem aufert. Sed nihil penitus, vel additum, vel explicatum magis ab ipso authore video, quod non priùs explicatũ & additum ille prior tradiderit ut ostensuri sumus.

Cardinalis Bellarminus *libro primo de gratia & libero arbitrio cap.* 12. ita ait: *in hac materia & causa prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum; & ideò sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant ij authores in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem: quia alioquin ex se non esset nisi sufficiens. Hæc opinio,* inquit, *aliena est omninò à sententia Sancti Augustini, & quantum ego existimo à sententia etiam scripturarum divinarũ.* 4 De alia autem sententia, quam dicit esse in alio extremo; illorum videlicet, qui dicunt, Deum physicè determinare voluntatem ad agendum, inquit sibi videri aut esse omninò eandem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab eo distare.

Suam autem sibi proponens asserit efficaciam 5 gratiæ consistere in interna suasione cum præscientia quod ei homo consentiet. Vnde illius verba sunt in §. denique. *Neque enim intelligi potest quo pacto gratia efficax consistat in illa interna suasione, quæ per liberum arbitrium rejici potest, & tamen infallibilem effectum habeat, nisi addamus Deum iis, quos efficaciter & infallibiliter trahere vult, eam suasionem adhibere; quam videt congruere ingenio eorum,* & quam certò novit ab eo non contemnendam, ac postea *libro* 6. *de gratia & libero arbitrio cap.* 15. §. *octava sententia*, sententiam hanc suam magis exponens, ita habet: *Gratia quantumvis efficax nihil est aliud, nisi suasio quæ non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis objectum.* Et alibi se explicat, quod intelligat hoc cum cæteris omnibus circunstantiis, quæ persuadeant. Quod autem hæc ipsius sententia illa sit reipsa quam primus & secundus author relati defendunt, clariùs infrà ostendendum erit: unde cum illam ipse damnet, ut visum est supra, suam reipsa condemnat.

Quartus alius hujus scholæ author *in suis ad* 1. 6 *part.*

Digitized by Google

part. commentariis, eam eodem modo efficaciam gratiæ constituit, sicut & priores; ab effectu scilicet à cooperatione arbitrij: imò alibi eam gravioribus verbis exponit, sicut *primo nostro libro tract. 6. c. 22.* relatum est, *assertione 83.* ita dicens. *Si de hac prima vocatione loquamur, non ut in nobis sit, aut ut nobis donetur; quæ est effectus prædestinationis, sed ut in nobis sit congrua, & efficax, non solùm liberum arbitrium est conditio sine qua non, quæ nullo modo est causa (ut recentiores posterius allegati autumant) nec solùm est causa sine qua non, & per accidens; nec solùm est ratio; sed etiam est vera causa per se & efficiens cooperans primæ vocationi, & gratiæ.* Hæc ille. Igitur non quomodolibet est gratia efficax ab effectu & cooperatione, sed sicut à causa per se verè efficiente: quod ibi rationibus probat, quas emittimus; quia ad præsens, sive arbitrium sit per se causa illius efficaciæ gratiæ, ut hic author existimat; sive sit ratio, ut primus ex relatis opinatur, sive conditio sine qua non, ut alij volunt, idem in re sequitur inconveniens; quod nimirum gratia sit efficax ab effectu, id est ab arbitrij cooperatione; quomodolibet ad efficiendam illam efficaciam concurrat, sufficit quod efficacia gratiæ non venit à Deo, sed fit ab arbitrio quomodolibet ipsi id exponant, ut infra clariùs ostendemus.

7 Ad hujus nunc immediatè relati authoris sententiam alludit, imò eam adhuc gravioribus verbis declarat ultimus qui ex his Authoribus in hac materia scripsit Leonardus Lessius in *suo libro de efficacia gratiæ.* Iste enim Author cum *c. 8. n. 7.* ex plurimis Sancti Patris Augustini testimoniis laborasset suadere efficaciam gratiæ in vocatione congrua consistere: postea *c. 15. §. 3.* concludit quod *ut gratia sit efficax, sufficit ut ita moveat voluntatem, ut secundum divinam præscientiam opus sequatur infallibiliter.* Imò ibi addit hæc verba: *unde etiam si tota gratia præveniens constitueretur in cogitatione congrua divinitus immissa, qua Deus itarem objicit animo, sicut novit aptum esse, ut eam amplectatur, nihilominus rectè diceretur gratiæ efficax.* Et *disputatione de prædestinatione sect. 5. §. porro sicut*, ait: *Rursus gratia præparata electis non distinguitur à gratia reproborum, nisi effectu, & cooperatione, quæ pendet à libertate nostra*; gratia autem electorum est gratia efficax; ergo secundum illum gratia est efficax ab effectu & cooperatione nostri arbitrij. Et tandem postea *sect. 6.* ita concludit: hoc modo intelligendum; *Cum liberum arbitrium dicitur gratiam efficacem reddere; non quod gratiæ vires tribuat, aut aliquid illi imprimat, aut ejus influxum directè causet, sed quia est causa sine qua non, & indirecta illius influxus per se considerati, & directa quoad illius determinationem hic & nunc existendam.* Unde sæpiùs in suo illo libro repetit, quod arbitrium est causa directa, quod hîc & nunc gratia cum illo influat, & cooperetur.

8 Igitur omnes hi authores, sive magis, sive minus expressè reipsa constituunt efficaciam gratiæ ab effectu & cooperatione arbitrij; primus ex relatis id fundat in terminis. Secundus illius prioris sententiam dicit non falsam. Unde eam etiam ipse dum magis, ut sibi apparet, explicat, defendit. Tertius voce ipsa negat efficaciam gratiæ esse ab effectu & cooperatione arbitrij; sed in sententia sua nihil aliud reipsa tenet, quam ab effectu reddi efficacem ut ostendemus inferiùs. Quartus nedum dixit esse gratiam efficacem ab effectu & cooperatione arbitrij, sed quod arbitrium est per se causa quod illa efficax sit. Quintus addit, quod non solum est per se causa ut efficax reddatur, verum etiam, quod est causa directa quod sic efficaciter cum arbitrio operetur. Sicut autem asserunt efficacem esse gratiam ab effectu & cooperatione arbitrij, ita dicunt inefficacem esse ab effectu; id est, à non cooperatione ipsius arbitrij; quia sicut arbitrium consentiendo efficacem gratiam, secundùm illos, constituit; ita non consentiendo eam reddit inefficacem. Et sic divisionem gratiæ ab effectu sumendam esse confirmant.

Fateor quod Gregorius de Valentia, qui alter 9
hujus Scholæ & doctrinæ defensor fuit, aliquo modo à præcedentibus differt in *Com. enim ad 1. 2. q. 3. de divisione gratia puncto 4. §. 5. conclusio*; dicit quod gratia efficax in genere quidem causæ efficientis antecedit hominis arbitrium, in genere autem causæ materialis ad arbitrij consensum sequitur, & in hoc genere materialis causæ consensus & cooperatio arbitrij antecedit gratiæ efficacitatem verba illius sunt: *Quocirca, quamvis hoc donum gratiæ efficacis in uno genere causæ, nempe efficientis, antecedat pium usum liberi arbitrij hominis vocati & excitati; tamen in alio quodam genere causæ eo posterior est; ac proinde id donum non antecedit omnibus modis tempore, vel naturâ omnem pium usum libertatis hominis.* Quam sententiam sibi deducere videtur, ex quodam S. Thomæ testimonio non rectè ab eo intellecto, ut erit inferiùs demonstrandum. Hanc sententiam constat in parte à superiùs relata differre; sed alia ex parte satis cum illa convenit: dum efficaciam gratiæ pendere à libero hominis arbitrio constituit in aliquo genere causæ; in quo proinde causa illius erit, & efficacia gratiæ illius effectus. Et sic in genere illo causæ ab effectu dicitur efficax; id est, ab illo pio usu arbitrij, qui in suo genere illius est causa. De quo infra tractabimus.

CAPUT II.

Divisionem auxilij gratiæ in gratiam congruam, & incongruam esse divisionem gratiæ in efficacem, & inefficacem ab effectu secundùm Recentiores.

QVia præmisimus superiùs quinque authores 10
citatos reipsa illam sententiam tenere, quæ ab effectu, id est, ab arbitrij cooperatione asserit efficax, vel inefficax auxilium gratiæ constitui, & de tribus id est apertissimum scilicet de primò, & de ultimis duobus (cum id in terminis ipsi fateantur) de aliis duobus id nunc oportet aperire. Et quidem, quod ille secundo loco relatus id defendat, obscurum non est tum quia ipse illam sententiam non impugnat, imò planè asserit falsam non esse. Sentit ergo verùm esse, quod efficax gratia ab effectu fiat, id est, à consensu arbitrij. Quod enim ipse ait, illam illius prioris esse diminutam, nec satis mentem S. Augustini explicare, quam Sancti Patris sententiam, ipse explicat, & diminutionem prædictæ sententiæ aufert statuendo efficaciam gratiæ in illa vocatione congrua, seu excitatione moraliter tantùm attrahente, & sub illa media præscientia infallibiliter effectum habitura, nihil vel de novo explicatum, & multò minus reipsa additum, ipse adducit; quod ab illo priori in multis suæ concordiæ locis non inveniatur expressum, explicatum, atque fundatum. Quot enim in locis ipse asserit vocationem congruam in illa consistere excitatione moraliter attrahente, invitante, suadente, & excitante? Quoties tradit illam moralem excitationem habere vim suasoriam ad inclinandum voluntatem in actum? Quoties asserit sine illa media præscientia infallibiliter effectum non habituram; per illam autem certò, & infallibiliter sortituram effectum esse? Quot, & quantis disputatio-

Digitized by Google

nibus dicit per illam excitationem moralem sub illa præscientia constitutam efficaciter velle Deum, quòd homo convertatur, & plura talia similia?

11 Dices hunc authorem insuper addere, quod efficacia gratiæ det vires efficacissimas voluntati, quod ille primus non dicit. Ad hoc dicendum, bona quidem hæc verba, & ad fallendum satis congrua; cum nihil minus, ipse reipsa ponat, quam quod illa moralis excitatio sub præscientia, vires det voluntati, non dicam efficacissimas, sed nec efficaces; sed ad summum sufficientes, quas arbitrium efficaces efficiat ex se, ut veram sententiam ipse reputat.

12 Sed quid prodest verbis efficacissimas vires gratiæ prædicare, cum res à nobis non sola verba quærantur? Exponat nobis quomodo istæ efficaces vires habeantur, vel à quo tribuantur. Non à morali suasione seu excitatione, ut notum est, non à præscientia illa, quæ vires voluntati non dat, sed explorat, quod ab arbitrio efficax gratia reddatur. Quomodo ergo cum ista sola duo constituat in congrua vocatione, nempè moralem suasionem, & præscientiam, & neutra det vires voluntati, ipse dicit quod per congruam vocationem vires dantur voluntati efficacissimæ? Cum ergo nihil aliud vel addat, vel explicet iste author, ut ex toto *libro* 3. *de auxiliis gratiæ* videre licet, manifestè convincitur quod ab illa priori sententia non recedat, sed eam in terminis proponat. Imò, si mea sententia aliquid potest valere, in hac sum quod ille primus hanc efficaciam gratiæ sub vocatione congrua, seu excitatione morali per illam mediam præscientiam apertiùs constituerit, acuratiùs tradiderit, clariùs explicuerit, & præ omnibus posterioribus fundaverit.

13 Vnde si hic secundus author illius prioris sententiam diminutam agnoscit, & suam necesse est fateatur nec esse completam; & si de illa illius prioris asserit non rectè explicare Sancti Patris Augustini sententiam; hoc in sua etiam agnoscat, quod mentem Sancti Augustini non agnoscat. Quod adversus illum, ejusque sententiam pleniùs infra ex Sancti Patris aperta doctrina monstrabimus.

14 De alio autem authore tertio loco citato alicui non penitus in hac materia instructo major se posset offerre dubitatio, quòd gratiam efficacem non constituat ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij; cum de illa supradicta verba proponat, quibus planè illam rejicit, sicut omnino à sententia S. Augustini alienam; imò, ut sibi videtur, à sententia scripturarum sanctarum: sed quod etiam illa, quam ipse amplectitur, reipsa eadem sit, quæ efficaciam gratiæ ponit ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij; nunc est ostendendum, & clariùs manifestandum.

15 Primò autem id convincit ille primus author concordiæ, qui sicut hanc suam sententiam de efficacia gratiæ per illam congruam vocationem fundatam in illa media præscientia pleniùs comprehendit, ita quod in illa continebatur, apertiùs denudavit, videns namque evidens esse quòd ex illa efficacia gratiæ, sic congruenter expositа, consequebatur, illam efficaciam vocationis seu excitantis gratiæ fieri solùm ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij; id clarioribus verbis, proposuit, asserendo illam efficaciam ab effectu fieri efficacem, & addendo, quòd arbitrium illam gratiam vel efficacem, vel inefficacem reddit, vel cooperando cum illa; vel consensum retinendo. Cum ergo, hic author de cujus sententia modo disputamus apertis verbis, ut relatum est *precedenti capite*, dicat totam efficaciam auxilij gratiæ consistere in illa congrua vocatione per excitantem gratiam sub illa media præscientia, per priorem convincitur, quod illam constituat, ab effectu esse efficacem, id est, à cooperatione arbitrij. Quod enim in hac causa adverterim, nullus ex his authoribus ita consequenter ad sua principia loquutus fuit ac ille primus; nullus ita mentem suam apperuit, nullus tam efficaciter, quod magis est, sententiam suam fundavit, ut pote qui magister cæterorum extitit in hac causa.

Vnde quod postea alij retenta illius substantiali 16
sententia in aliquibus ab eo dissentiant, sicut in hoc quod est negare esse efficacem gratiam ab effectu; minùs consequenter loquuntur fortè ad id ea ratione moventur, quia cum viderint sententiam sic clariùs propositam, & sub illis verbis explicatam talem esse quod etiam prima fronte ab omnibus respuatur, laborarunt eam saltem verbis temperare, ut non sic deformis omnibus appareret, sed frustra in hoc laborant; quia ex efficacia vocationis, seu excitantis gratiæ per illam mediam præscientiam id manifestè concluditur, sicut ille primus consequenter deduxit, at nos supra primo nostro libro agentes contra illam mediam scientiam copiosiùs comprobavimus.

Ex quibus una, vel altera ratio modò inducatur, 17
quæ id manifestè declaret. Efficacia illa gratiæ, nimirum quod semper sit habitura effectum, non provenit ex illa congrua vocatione, quæ fit per gratiam excitantem moraliter alliciendo, suadendo, & invitando; nec etiam fit ab illa media præscientia; ergo ex necessitate fieri debet à cooperatione arbitrij; ergo est efficax illa gratia ab effectu, nimirum arbitrij cooperatione. Consequentia est manifesta à sufficienti partium enumeratione: solùm enim tria ibi concurrunt, ex quorum altero illa efficax fieri possit; gratia moraliter excitans & suadens; divina præscientia cognoscens; & arbitrium creatum coopèrans: si ergo ab excitante gratia moraliter non provenit, nec ex media illa scientia, nec ex utroque simul, necesse erit quod à cooperatione arbitrij fiat, & sic ab effectu sit efficax. Antecedens quoad primam attinet partem, probatione non indiget ob apertam evidentiam, quam propterea ij authores agnoscunt. Fatentur enim vocationem congruam per excitationem tantùm moraliter attrahentem suadendo & invitando non esse omninò certam, nec certum & infallibilem habituram ex se effectum, cum hoc sit de ratione suadentis, quicumque ille sit, ut ei possit arbitrium pro sua libertate dissentire.

Quoad secundam verò partem ostenditur; quia 18
media illa præscientia cognoscitiva est, non ex se operativa; ut etiam est manifestum. Vnde illa nec majorem aliquam efficaciam tribuit excitationi morali quàm ipsa in se habeat, sed tantum cognoscit efficaciam esse vel in excitatione morali, vel in arbitrio cooperante; sed in excitatione moraliter attrahente non cognoscit esse efficaciam; quia, ut modò etiam ex illorum dictis, & concessis ostensum est; moralis excitatio ex se talem efficaciam non habet; ergo media scientia, dato possibilis esset, hoc cognosceret de excitatione morali; quod nempe efficaciam ex se non habet; ergo cognoscit efficaciam illius ab arbitrij cooperatione; ergo cum illa scientia certa sit, & non fallatur; ita revera est quod efficacia illius gratiæ seu vocationis fit, & habetur ab arbitrij cooperatione. Planè manifesta & convincens ratio videtur, ita ut aliam addere nec sit necessarium. Sed nihilominus confirmatur. Quia ij authores, qui illam mediam scientiam ad supradictum effectum introducunt, planè fatentur, imò in hoc nimis insistunt, quòd ideo Deus præscivit arbitrium cooperaturum, quia ipsum cooperaturum est; quod de scientia merè speculativè cognoscente, qualis est illa media scientia, verùm est; ut primo nostro libro satis exposuimus; ergo eodem modo ideo præscivit efficaciam illius vocationis esse, quia arbitrium ei vult cooperari: ergo ideo præscivit eandem efficaciam,

quia

Digitized by Google

quia ex arbitrij cooperatione fit efficax: ergo ideò præscit illam efficaciam, quia ab effectu efficax est. Rationes alias plures in re manifesta, quæ adductæ sunt primo nostro libro citato loco, omittuntur.

19 Præterea, cum author iste; ut tertio lib. nostro retulimus: ita dicat. *Deus operatur, quia voluntas operatur, non è contra:* in quo clariùs præ aliis ipse loquitur, manifestius etiam gratiam efficacem ab effectu constituit. Nam si ideo Deus operatur, quia voluntas hominis operatur: ergo quia voluntas hominis operatur, gratia Dei efficax efficitur: ergo à cooperatione arbitrij fit efficax; & sic efficax est ab effectu. Quid enim apertiùs dicere potuit, ut ostenderet arbitrium sua cooperatione efficacem reddere gratiam Dei; ita quod illa efficax reddatur ab effectu, ex ipsa arbitrij cooperatione, quam hanc causalem admittendo; Deus operatur quia voluntas hominis operatur, non è contrario? Illa enim admissa & concessa causalis hoc clarissimè manifestat; quod mirum est si hoc etiam ab his authoribus negetur. Imò in illa causali totum esse constitutum Pelagianum dogma Sanctus Pater Augustinus ostendit *Epistola* 107. *ad Vitalem* & Sanctus Prosper *lib.* 3. *Hypognost c.* 10. cujus & verba jam alibi relata sunt, & sic habent. *Quod si dicas, ut dicere consuevisti, quia ego prior volui Deus voluit, jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia.* Idem est autem Deus operatur, quia ego operor; & Deus operatur, quia ego prior operor. Item causalitas illa necessariò dicit hanc prioritatem, sive illa prioritas temporis, sive sit naturæ, sive sit prioritas naturæ in qua, sive prioritas naturæ à qua. Quæcumque enim prioritas in humana voluntate concedatur respectu divinæ, illa meretur, ut secum voluntas divina per suam gratiam concurrat; & sic illa gratia non erit, sed merces debita.

20 Item prædictus author rationem reddens quare gratia sit efficax in homine, dicit id provenire, quia voluntas non resistit sufficienti, sed sinit se duci: ergo quia voluntas non resistit, sed sinit se duci ei datur gratia efficax: ergo efficax ponitur ab effectu, nimirum à cooperatione arbitrij non resistentis gratiæ sufficienti, sed sinentis se duci. Profecto, cum ponatur arbitrium ex se habere quod non resistat gratiæ sufficienti, sed quod ex se habet sinere se duci & simul dicatur, quod ideo fit gratia efficax, quia ita arbitrium ex se non resistit, sed sinit se duci, negari non potest, quod illa gratiæ efficacia proveniat ab effectu, scilicet ab ipsa cooperatione arbitrij si non resistentis, sed sinentis se duci.

21 Aliud etiam est in verbis ex hoc authore relatis considerandum quæ præcedenti capite relata sunt. *Quo totam gratiæ efficaciam* dicit *non esse aliud quam suasionem qua tantùm inclinet voluntatem per modum proponentis objectum voluntati.* In quo enim ista sententia ab illa differat, quæ à Sancto Patre Augustino refertur & impugnatur tanquam negans divinam gratiam, & solùm admittens nomine gratiæ, aliquid per modum legis atque doctrinæ; & quæ ponebat quod Deus operatur in nobis velle, dum suadet omne quod bonum est, vel ipse videat: similiter in quo differat hæc sententia, quæ tantum dicit Deum inclinare voluntatem gratia sua per modum proponentis objectum, ab illa ibi ex Sancto Patre Augustino relata, & impugnata, quæ contendebat operari Deum in nobis velle, dum nos terrenis cupiditatibus deditos futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, omnes considerent, cum evidentissimum sit idem omnino esse, succendere voluntatem præmiorum pollicitatione, & revelatione sapientiæ excitare voluntatem, & eam inclinare tantùm per modum proponentis objectum: objectum enim per eam revelationem & ostensionem præmiorum voluntati proponitur.

Nec postea in suis quasi retractationibus hanc 22
retractavit, vel ei aliquid aliud addidit, quo eam à supradicta distare faciat; cum dixit, quod nomine suasionis intellexit omnes alias circumstantias, & omnia alia requisita, quæ ad persuadendum sunt necessaria, quia per hoc non recedit ipse à commendatione suasionis moraliter tantùm attrahentis, & proponentis objectum. Omnia enim illa requisita limites suasionis moventis per modum proponentis objectum nullo modo excedunt, sed intra limites ejus comprehensa dignoscuntur; sunt enim illa circumstantiæ loci, & temporis sub præscientia, & cæterorum quæ ab eis exprimi solent pro illa quam congruam vocationem appellant; quæ omnia etiam, ut ab eis expressè conceditur, suasionem & excitationem moraliter incitantem, & allicientem, & proponentem objectum non excedunt.

Sed & unum advertendum; eumdem authorem 23
consultò posuisse illud verbum; *ad persuadendum* non autem dixisse, *ad suadendum*: vidit namque in S. Patre Augustino quòd distinguat inter suadere, & persuadere, cum ait. *Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua nec suadetur solùm omne quod bonum est, verum & persuadetur.* Vnde illud verbum (*ad persuadendum*) posuit, sic sententiam temperando, ut sua & nostra possit voce defendi; ut scilicet, cùm sui audiunt necessaria esse omnia requisita ad persuadendum, intelligant puram illam suasionem proponentem objectum sub circumstantiis loci, & temporis cum illa media præscientia, ut sic eis salua sit sua suasio objectum proponens; quæ ab eis gratia dicitur; cum sit aliquid tantùm per modum legis atque doctrinæ. Cum autem nos audimus ipsum fateri persuasionem, intelligere possimus eam, quam S. Pater Augustinus intellexit; nempe adjuvantem gratiam ex Deo efficacem, quæ persuadet, id est, efficaciter efficit quod homo excitationi consentiat. Hanc enim nomine persuasionis distinctæ à suasione S. Doctor semper intellexit, sed frustra hac æquivocatione rem proponit. Etenim omnes nos intelligimus nihil aliud eum per persuasionem intelligere, quam suasionem congruam cum circumstantiis loci & temporis sub præscientia, quæ tantum moraliter attrahunt, sive per modum legis atque doctrinæ: sive per modum proponentis objectum, ut exposuit, & omnes cum illo declarant. Manifestum est igitur hunc authorem ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij gratiam ponere vel efficacem, vel inefficacem. Si enim arbitrium non consenserit, redditur inefficax, si autem consentiat efficax efficietur. Et sic admittit & ipse divisionem auxilij in efficax, & inefficax ab effectu esse sumendam. 24

Cum itaque omnes ij Authores magis, vel minùs explicitè constituant gratiæ efficaciam in illa congrua vocatione, & illam congruam vocationem dicant esse suasionem, cogitationem, seu moralem excitationem sub illa media præscientia, à qua congruitatem habet, & illa cogitatio, suasio, seu moralis excitatio, sit tantùm suadens, invitans, & objectum proponens (ut aliqui ipsorum planè confessi sunt) convincitur, quòd efficaciam gratiæ constituant in interiori lege atque doctrina, non in vera gratia, quia quælibet excitatio tantùm suadens, & objectum proponens ad cognitionem pertinet, & à lege atque doctrina non differt, ut de se constat, & abundantiùs 1. *nostro libro* agentes contra Pelagium & ejus mentem denudando, aperuimus. Præscientia autem illa,

Digitized by Google

illa ; quæ vocationem congruam facit , nihil aliud cognoscit , quam hominem positum sub illa tantùm doctrina suadente,& proponente objectum, sine aliqua alia proveniente gratia , efficaciter se in Deum conversurum. Vnde hæc congrua vocatio , si attendatur , vera gratia non est , sed aliquid per modum legis atque doctrinæ. Tantùm abest, quod gratia efficax sit.

CAPVT III.

Asserunt Recentiores divisionem gratiæ in congruam , & incongruam quam vocant, fieri à libero arbitrio sicut à causa per se.

25 SIcut ex illa congrua vocatione , quæ statuitur per gratiam allicientem , & moraliter tantùm excitantem sub illa præscientia , quæ præscitur habituram esse infallibiliter effectum , concluditur gratiam constitui efficacem ab effectu , seu cooperatione arbitrij : & si defuerit illa certa præscientia, erit incongrua, seu inefficax ab eodem arbitrio nolente consentire ; ita & per eam convincitur , arbitrium ipsum causam per se , sive directam esse efficaciæ , vel non efficaciæ illius ; quod postremi illi duo Authores relati supra clarioribus verbis ex eadem congrua vocatione deduxerunt , & planè confessi sunt. Alter enim esse arbitrium nedum conditionem sine qua non ; vel causam per accidens, sive rationem tantum , sed etiam per se efficacitatis gratiæ asseruit. Alter autem esse causam directam quod hîc , & nunc gratia nobiscum cooperetur ; ac per consequens efficax fiat , ultimo addidit : quod cum illi ex sua sententia deducant, & expresè fateantur, magna ex parte studio atque labore id ex illa deducendi nos exonerarunt : planè enim id in tali sententia convinci & nos fatemur. Quod enim in illa sententia sit arbitrium per se causa, quod gratia efficax sit , ille author , qui hoc concedit , hoc argumento probat : arbitrium eodem modo causa est efficax gratiæ , sicut est consensus ; eo enim efficax dicitur gratia, quod consensum efficit in nobis , sed liberum arbitrium est causa per se consensus , dum gratia cooperatur : ergo si sermo fit de eo quod est congruam & efficacem esse vocationem , liberum arbitrium non est causa per accidens , aut sine qua non ; sed causa propria & per se , quæ ad effectum per se concurrit hæc illius ratio est , quam & sic possumus roborare : sicut forma naturaliter consequitur posita ultima dispositione ad illam , ita necessariò consequitur cooperatio gratiæ , seu efficacia illius posito arbitrij consensu. Sicut enim non est possibile secundùm communem, & ordinariam potentiam (ut extraordinariam & absolutam potentiam Dei modò relinquamus) quod ultima dispositio ad formam ponatur , & forma non sequatur : ita impossibile est quod arbitrij consensus eliciatur , & gratia efficaciter non ei cooperetur, in illa illorum sententia : ergo sicut agens , quod est per se causa dispositionis efficiens , est per se catisa efficiens introductionis formæ ; ita & arbitrium , quod est per se causa efficiens consensus,est per se causa efficiens efficacis cooperationis gratiæ , & sic est per se causa efficiens, quod illa efficax sit saltem mediatè , ideſt, medio suo consensu ; sicut etiam agens causa efficiens est mediatè introductionis formæ , scilicet media dispositione.

26 Verum nec ista ratio efficax est in quantùm dicit arbitrium ita esse per se causam illius efficacitatis gratiæ ac sui consensus : quod in majori præmisit ; nam consensus sui causa est per se sufficiens , at efficacitatis gratiæ causa per se efficiens non est,ut patet in augmento habituum infusorum. Certum est enim quod posito actu magis intenso quam sit habitus , impossibile est de ordinaria potentia , quod habitus non augeatur ; & tamen arbitrium , quod est causa per se efficiens illius actus magis intensi , non eodem modo est causa per se efficiens augmenti habitus ; sed efficienter habitus à solo Deo augetur, à quo solo efficienter à principio productus est. Sic ergo pari omninò ratione ; quia excitans gratia à solo Deo effectivè producta in voluntate est, à solo Deo efficienter fit cooperans , & efficax , & non ab arbitrio efficiente ; quamvis posito illius consensu statim gratia illa efficax fiat ; sicut posito actu intentiori , statim habitus infusus augetur ; in habitibus enim naturalis ordinis, scilicet acquisitis,& in disponente ad formam , ratio facta tenet , quod arbitrium , quod est per se causa efficiens actus intensioris , & per se causa efficiens est augmenti habitus ; & qui est per se causa efficiens dispositionis ultimæ , est per se causa efficiens introductionis formæ. Et ratio est, quia omnia sunt ejusdem ordinis, & nulla alia causa efficiens proxima potest assignari , vel introductionis formæ , vel habitus augmenti , nisi illa quæ dispositionem efficienter producit , vel intensum actum. Vnde ex necessitate illa debet esse efficiens causa introductionis formæ, & augmenti habitus, saltim , ut dictum est , mediata. At in habitibus , seu donis infusis , quæ à solo Deo à principio infunduntur efficienter, à solo ipso efficienter augentur , vel efficacia redduntur. Nec in his argumentum tenet , quod sicut arbitrium est causa efficiens actus , ita sit causa efficiens , vel augmenti actus , vel efficacitatis doni gratiæ , quia & habitus infusus,& donum gratiæ excitantis à solo Deo efficienter infunduntur : unde à solo Deo efficienter perficiuntur , vel in augmento, vel in efficacitate. Et ista doctrina communis debet esse apud Theologos.

Bene tamen probat illius Authoris ratio , imò convincit , quod arbitrium , quod est causa per se efficiens illius consensus, sit causa per se , licet non efficiens, quod gratia efficax sit : sed per se causa dispositiva ; imò ultimò dispositiva, efficiens nempe dispositionem ultimam , ut Deus efficienter suam gratiam faciat efficacem : sicut in allato exemplo de augmento habitus infusi dictum est. Arbitrium enim eliciens intentiorem actum dispositivè concurrit ad augmentum illius. Et similiter in justificatione homo habens contritionem disponit se ad justificationem , sed efficienter justificationem non efficit. 27

Non autem solùm repugnat,& veræ gratiæ contradicit, quod arbitriũ sit per se efficiens causa illius efficacitatis ; sed quod arbitriũ suo consensu ex suis naturalibus habito sit per se causa dispositiva efficacitatis gratiæ , ultimò videlicet disponens ut Deus gratiam efficiat efficacem. Nam tunc manifestè convincitur quod efficacia gratiæ sit debita illi consensui , vel arbitrio sic se per suum consensum disponenti : sicut est debita justificatio contritionem habenti , & si contritio haberetur ex naturæ viribus , naturæ ipsi esset debita justificatio. Et sicut augmentum habitus debitum est habenti intentiorẽ actum ; & si ex solis viribus illum posset habere actum intentiorem , solis illis viribus naturæ esset debitum illud augmentum. Vnde jam gratia efficax quatenus efficax non esset gratiæ , sed consensui seu naturali arbitrio debita , vel arbitrio illum consensum ex se elicienti , & inde sequitur arbitrium etiam esse causam per se meritoriam illius efficacitatis gratiæ,quia ille consensus arbitrij inceptus erit meritũ ob quod 28

Deus

Digitized by Google

Deus gratiam, quæ fuerat excitans, faciat efficacem & cooperantem; omne enim illud, quod ex parte hominis antecedit, ob quod detur gratia, vel gratia efficax, secundùm sanctos Patres, ut in his operibus sæpius ostensum est, vocatur meritum ipsius gratiæ.

29 Igitur in hac parte non est instandum contra defensores illius congruæ vocationis per excitantem gratiam sub præscientia, quod ipsi reipsa constituãt arbitrium esse per se causam efficientem efficaciæ gratiæ; etiam si aliquis illorum id expressè admittat; quia nec id ex illorum sententia convinci potest, nec ad expugnandam illorum doctrinam id necessarium est: sed in hoc insistendum, quod in sententia reipsa constituant arbitrium, per suum consensum esse causam per se efficaciæ gratiæ, per se inquam dispositivam & meritoriam. Vnde efficacia gratiæ sive gratia cooperans gratia non esset, sed homini sic consentienti debita.

30 Imò addendum, quod quamvis eis gratis concedatur, consensum arbitrij esse tantùm rationem, ut aliqui volunt, vel causam per accidens, seu removens prohibens, ut alij commentantur, vel tantùm conditionem sine qua non, ut alij asserunt, dummodo ille consensus ponatur, sicut apertè ab ipsis ponitur antecedere, & gratiam efficacem seu cooperantem subsequi; idem erit inconveniens & eodem modo convincetur, illam efficacem gratiam debitam esse illi rationi, causæ per accidens, vel conditioni; imò etiam si adderetur ei dari sicut meræ occasioni quod est omnium prædictorum minimum sicut posuit Cassianus; qui tamen gratiam constituisse debitam, & non gratiam convictus est. Vt enim *secundo libro* nos dixisse recordamur; quæstiones istas metaphysicas de causa, ratione, conditione, sive occasione Sancti Patres contra Pelagianos, nec expressè discusserunt, sed universaliter quidquid ex parte solius hominis ponebatur, quocumque nomine vocaretur, quod anteiret gratiam, & cui gratia subsequeretur, ab eis vocatum est meritum gratiæ, cui gratia debita reddebatur. Imò in particulari Cassianus fuit primus, qui nomine solius occasionis, quam dicebat esse opus arbitrij, ut gratia redderetur, se voluit magis abscondere, nec potuit; quia illam ab eo diminutè vocatam occasionem, Sancti Patres meritum esse concluserunt. Vt igitur cum sententia hujus Authoris concludamus, tria ipse dicit citato loco: primum est, primam vocationem secundùm Sancti Augustini sententiam, & Patrum esse definitam à Deo, & in tempore nobis datam sine aliqua antecedente causa, ratione, conditione sine qua non, vel occasione ex parte nostra: secundùm, non esse, aut fieri efficacem sine arbitrij nostri cooperatione à qua efficax reddatur, & sit efficax ab effectu: tertium, arbitrium esse per se efficientem causam efficacitatis illius. Primum verum est, ut patet ex dictis circa illam certam legem, quæ homini facienti quod in se est solis naturæ viribus prima gratiæ auxilia, primamque vocationem promittit. Secundum in sententia omnibus illis communi manifestè sequitur, ut patet ex dictis: tertium verò est singulare illius placitum, in quo, ut præmisimus, nec insistimus. Planè ergo constat hunc authorem, non quomodolibet asserere divisionem auxilij in efficax, & inefficax sumendam ab effectu & cooperatione arbitrij: sed quod ita sumitur ab effectu, quod arbitrium est per se causa efficiens vel efficacis gratiæ consentiendo excitanti, vel inefficacis ei negando consensum.

CAPVT IV.

Secundùm Recentiores divisionem gratiæ in congruam, & incongruam esse divisionem ipsius in efficacem, vel inefficacem factam ab arbitrio sicut à causa directa.

SVpereſt ultimò aperire idem omninò esse constituere divisionem gratiæ per illam congruam, vel incongruam vocationem, quæ congrua cognoscitur per præscientiam, & incongrua si præscientia absit, & eam constituere efficacem, vel inefficacem ab effectu, & non quomodolibet; sed quod arbitrium directa causa sit sicut inefficaciæ illius, ita & illius efficacitatis. 31

Quod ex dictis supra imprimis manet deductum ex propria confessione dicentis, arbitrium esse causam per se quod auxilium gratiæ sit efficax, vel inefficax. Secundò ex illo Authore, qui ultimò in hac materia scripsit, qui id in terminis statuit, ut relatum est. Tria enim ipse expressit consideranda: primum, gratiam electorum non distingui à gratia reproborum nisi effectu & cooperatione arbitrij. In quo clarius ponit arbitrium sua cooperatione efficere, quod sit gratia electorum; & sic quod sit efficax: vel non cooperando facere quod sit gratia reproborum, & sic quod inefficax reddatur. Et in hoc cum omnibus suis communem sententiam habet: sed aliquid singulare addit, quod infrà erit explicandum. Secundò dicit arbitrium sua cooperatione atque consensu esse causam directam, quòd hîc, & nunc efficax sit gratia; indirectam autem illius influxus gratiæ secundum se considerati. Igitur jam admittit arbitrium sua cooperatione esse causam directam, quòd hîc & nunc gratia cooperetur, & efficax sit; sicut si cooperari noluerit, erit causa directa quod hîc & nunc gratia non influat, & sic inefficax reddatur. 32

Sed in hoc singularis est, quod non admittit vocationem congruam per scientiam mediam sicut alij; sed per præscientiam absolutam (quod latè ex ipso dedimus manifestum *libro nostro secundo in fine illius*, ubi latiùs discussimus ejus sententiam, & quomodo effectum prædestinationis, nempe efficacem vocationem ipse constituat, non per mediam scientiam, quam ad hunc effectum ita rejicit sicut gratiam prædeterminantem) cujus sententia ibi videnda, ubi planè refutata manet, non hîc iterum, vel repetenda, vel rejicienda est. Ad præsens enim ejus sententiam referimus, quatenus cum aliis communis est in constituenda efficacia, vel inefficacia gratiæ ab effectu & cooperatione arbitrij, & quatenus asserit arbitrium illius efficaciæ vel inefficaciæ causam esse directam. 33

Quod autem optimè ipse deducat ex congrua, vel incongrua vocatione facta per excitantem gratiam sub præscientia conditionata, vel absoluta, à qua præscientia secundum illos congrua fit, vel potiùs congrua esse agnoscitur, sive incongrua redditur, si omninò talis præscientia non adsit, fit manifestum primò: quia, ut dictum est, arbitrium est causa per se quod gratia sit efficax, vel inefficax: ergo est causa directa quod efficax vel inefficax sit: Patet consequentia; tum quia causa per se directa est illius effectus, cujus per se est causa; tum præcipuè quia est causa dispositiva sive meritoria: causa autem dispositiva causa directa est illius ad quod disponit, præcipuè si ultimò disponat, ut sit in præsenti; ita quod posita illa dispositione impossibile sit non statim subsequi effectum; similiter causa meritoria 34

Digitized by Google

respectu illius quod meretur, causa directa est sine dubio.

35 Insuper arbitrium non alio modo est causa efficaciæ gratiæ, ut dicunt, nisi eliciendo consensum; quo posito directè ad illum sequitur gratia efficaciter cooperans; sed arbitrium directa causa est sui consensus: ergo directa causa est illius efficaciæ & cooperationis, quæ per se & directè ad illum consensum sequitur, vel illum inseparabiliter concomitatur. Profectò qui ultimam materiam disponit ad formam directa causa est introductionis formæ; & qui directè & ultimò disponit ad justificationem, directa causa est justificationis, sive sit directa causa efficiens, sive directa disponens tantùm, quæ reductivè ad genus causæ materialis pertineat. Parique ratione, qui est directè causa actus intensionis, causa directa est sive efficiens, sive dispositiva, sive meritoria augmenti habitus. In universum ergo qui est causa directa sui consensus, ad quem directè consequitur quod gratia sit efficax, directa causa est illius efficacitatis. Vnde planè in hoc citatus author rectè intulit ex sua, & suorum sententia constituentium efficacem, vel inefficacem gratiam à cooperatione arbitrij, & effectu per illam congruam, vel incongruam vocationem; quod arbitrium tali sua cooperatione directa causa sit efficaciæ vel inefficaciæ gratiæ: magis suam & illorum sententiam exponendo, & illam causam per accidens, sive conditionem sine qua non, sive puram occasionem, qua priores qui hanc doctrinam tradiderunt, suam sententiam temperare tantisper, saltem verbis, procurarunt. Et *cap.* 12. *sui libri* §. *Respondeo*, hæc verba concedit: *Si tamen spectemus in opere, quod hîc & nunc potiùs fiat, quam aliàs, hujus circunstantiæ præcisè consideratæ primaria causa est libertas arbitrij, quamvis non sine auxilio gratiæ.* Ecce palam primam causam constituit, liberum arbitrium hujus quod est, quod videlicet modò se hîc & nunc in Deum convertat: & cum hîc & nunc se modò convertere maximum bonum sit, hujus maximi boni primam causam dicit esse arbitrium; cum veritas doceat secundam causam esse arbitrium nunquam primariam; nisi solùm in peccando, & potissimè primam causam esse non posse in tanto bono, quod est nunc se potiùs in Deum convertere, quam non se convertere. Si enim hujus prima causa est, à Deo in hoc non dependet, nec tantum, & tale bonum à Deo accepit, contra illud expresè, *quid habes quod non accepisti?* Ne autem nihil de gratia dixisse videatur, sequutus adjunxit, *non tamen sine gratia*; scilicet concomitante, ut alibi exposuit: quæ pedissequa ad talem primam causam ab ipsis constitutam consequitur.

36 Cum omnibus ergo suis convenit in hoc, quod est congruam, vel incongruam vocationem constituere per excitantem gratiam tantùm invitantem, allicientem, & suadentem. Convenit secundò in hoc, quod ex hoc manifestè sequi deductum est; nimirum constituere efficacem, vel inefficacem gratiam ab effectu ex arbitrij cooperatione. Convenit tertiò reipsa in hoc, quod asserit arbitrium causam directam esse efficaciæ, vel inefficaciæ gratiæ. Nam hoc in omnium communi sententia reipsa continetur quod ille ex ea deducens clariùs proposuit. Differt autem, quia congruitatem vocationis per scientiam mediam, non posuit, in quo pallium illius mediæ scientiæ abstulit; & vocationem congruam per absolutam præscientiam, sicut Cassianus & Faustus, apertissimè publicavit.

37 Sed in alio est singularis, quod est attentiùs considerandum, dico singularis, quoad expressam verborum positionem. An enim reipsa id alij teneant, licet non ita apertè proponant, dictum est supra, cum de gratia excitante tractavimus. Sic enim ipse apertis verbis affirmat, quæ supra relata manent. *Vnde etiam si tota gratia præveniens constitueretur in cogitatione congrua divinitus immissa; qua Deus ita rem objicit animo, sicut novit aptum esse ut eam amplectatur, nihilominus rectè diceretur gratia efficax:* ita habet: *cap.* 15. *sui libri* §. *tertiò citato.*

Planè in his verbis suam, & suorum sententiam 38
clarè denudat, aperit, atque manifestat, & quam prævenientem gratiam necessariam agnoscant; apertissimè declarat non aliam eos ut necessariam admittere prævenientem gratiam, præter solam cogitationem congruam tenentem se ex parte intellectus; & objectivè præcise moventem voluntatem, cum præscientia, qua Deus sciat eam arbitrium esse acceptaturum. Cum enim ipse concedat, quod si Deus tantùm cogitationem congruam proponeret voluntati cum præscientia quod eam acceptaturum arbitrium sit; illa rectè diceretur gratia efficax: constat apertè sentire, quòd in tali casu illa esset verè gratia efficax: ergo verè datur, secundùm illum, gratia, & gratia efficax in sola cogitatione intellectus congrue posita. Per congruam autem cogitationem intelligit sine dubio Sanctam & piam cogitationem supernaturaliter effectam, eo modo quo ex eis relatum est supra in materia de gratia excitante: & hanc piam & Sanctam cogitationem congruam dicit rectè dici gratiam efficacem: *Si*, inquit, *Deus sic congruam cogitationem proponeret:* Sentit ergo id esse ad minùs factibile: quod nempe Deus tantùm cogitationem congruam piam, & Sanctam voluntati proponat, & quod sciat arbitrium sine aliquo supernaturali dono gratiæ eam acceptaturum; & si fuerit pia & sancta cogitatio congrua ut homo se in Deum convertat ipsum arbitrium sola sua naturali facultate eam acceptaturum, & se ex se solo in Deum conversurum: & illam piam & sanctam cogitationem præcisè se ex parte intellectus tenentem, & voluntati propositam, esse & rectè dici gratiam efficacem. Non solum asserit quod dici possit, vel quod dicatur gratia efficax (quod & si diceret, non excusaret) sed addit quod rectè dicitur gratia, & efficax gratia. Quod enim hoc reputet possibile, manifestum est: quia si impossibile reputaret, nec proponeret. Igitur secundùm ipsum sufficeret ad veram gratiam & efficacem gratiam pia, & sancta cogitatio tantùm, sine aliquo dono gratuito ex parte voluntatis, cum præscientia quod arbitrium eam recipiet. Quod si hoc secundum ipsum sufficeret; & casus est possibilis per ipsum: ponamus quod de facto Deus ita solum proponat voluntati piam & sanctam cogitationem cum præscientia illa, manifestè consequitur, quod illa pia & sancta cogitatio est vera gratia secundum illum, & constituta sub præscientia rectè dicitur gratia efficax: ergo pia & sancta cogitatio sufficit ut vera gratia sit & dicatur: ergo alia gratia necessaria non erit ad hoc quod vera ratio gratiæ salvetur: ergo si alia quæcumque ex parte voluntatis assignatur, hæc necessaria non erit, sed tantum ad melius, seu ad faciliùs.

Vnde cum supradictus Author in aliis suis libris 39
docet prævenientem gratiam non solum esse illuminationem ex parte intellectus, sed excitationem supernaturalem ex parte voluntatis, nec aliquando (quod est valde observandum) addat utramque esse necessariam ad meram gratiam prævenientem, sed tantum dicat consistere gratiam prævenientem in utraque: sentit quidem de facto ita esse; quod

utraque

Digitized by Google

utraque Deus prævenit, non tamen esse necessarium quod ita semper præveniat, ut vera sit gratia: quia si præveniret tantùm per solam cogitationem congruam: & rectè salvaretur vera gratia & vera gratia efficax; ac per consequens sentit quod de facto ad faciliùs, & meliùs Deus utramque homini tribuat.

40 Hîc autem manifestum est, quod gratiam ponant in commendatione legis atque doctrinæ; cum illuminatio ex parte intellectus, & Sancta ac pia cogitatio non recedant à lege atque doctrina, ut est apertissimum, & Sanctus Pater Augustinus convincit contra Pelagium *libro de gratia Christi cap. 7. & 10.* ubi videatur Sanctus Doctor, & verba quæ ex Pelagio refert, & constabit hanc piam & Sanctam cogitationem expressiùs Pelagium posuisse, & efficacioribus verbis explicasse, & per illam nullam veram Christi gratiam admisisse, nec recessisse à commendatione legis atque doctrinæ.

41 Præterea evidentissimum est hanc sententiam esse damnatam in Concilio Milevitano *canone* 4. sub his verbis. *Item si quis dixerit eandem gratiam Dei per IESVM Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, Anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, scientia inflat, charitas edificat, valde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi; ad eam quæ edificat non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quod facere debeamus; & diligere ut faciamus; ut edificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, charitas ex Deo est.* Cogitatio autem pia, & Sancta ad scientiam tantùm pertinet, & ut per eam sciamus quid facere valeamus; cum solum objectum proponat, nec aliud efficiat, quod mirum est, si protervus etiam quisque id negare audeat.

42 Ampliùs. Admissa tantùm Sancta & pia cogitatione ut gratia necessaria, quis non illico videat nullum auxilium supernaturale in voluntate constitui; & per consequens voluntatem solis viribus suis illam acceptare, & se in Deum convertere; ac propterea firmum & forte poni arbitrium ad amplectendum Sanctam, & piam cogitationem salutarem, & quodcumque supernaturale bonum sibi ut conveniens per intellectum media illa pia ac Sancta cogitatione fuerit propositum: cum tamen omnes secundùm catholicam veritatem arbitrium infirmum, debile, & viribus extenuatum ad id debeamus confiteri, nisi à dono gratiæ adjuvetur à quo veras vires recipiat, quo amplecti valeat illam salutarem & piam cogitationem. Procul dubio S. Pater Augustinus *epistola 106. versus finem* ita de Pelagio refert. *Aliquando autem quotidiano gratia Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium. Quod utique invalidum & infirmum debuit confiteri, donec sanentur omnes languores animæ nostræ. Non enim pro infirmitate corporis precabatur, qui dicebat, miserere mei Domine quoniam infirmus sum; sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea*: Nam ut ostenderet pro anima se rogare secutus adjunxit: *Et anima mea turbata est valde; videtur ergo auxilium gratiæ tanquam ex abundanti putare concedi, id est, ut etiam si non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium.* Si ut iste author admittit, quod nimirum etiam si Deus per solam congruam cogitationem proponeret, nulla gratia ex parte liberi arbitrij, sive voluntatis posita, rectè diceretur illa esse gratia efficax, procul dubio firmum ac fortè admittit arbitrium voluntatis ad bene operandum; & se convertendum in Deum, & ad non peccandum: cum tamen illud invalidum & infirmum deberet confiteri ad amplectendam illam Sanctam, & piam cogitationem, & ad se convertendum, & peccatum vitandum. Videtur ergo auxilium gratiæ ex parte voluntatis, cum aliàs admittit tanquam ex abundanti putari concedi; id est, ut etiam si non concedatur, sed tantùm illa pia & Sancta congrua cogitatio detur, habeamus tamen forte ac firmum liberum arbitrium ad acceptandam congruam supernaturalem cogitationem, & ad nos in Deum per illam convertendum, & ad peccatum evitandum. Et sic verum auxilium gratiæ ad faciliùs admittit cum illo, qui priùs dixit gratiam Dei hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam: quasi etiamsi vera gratia ex parte voluntatis non detur, (nam revelationem ex parte intellectus, seu piam & Sanctam cogitationem necessariam esse tandem ille admisit; ut alibi dedimus manifestum) possent per liberum arbitrium, vel facilè, vel difficilè, quæ divinitùs jubentur per piam cogitationem proponuntur, impleri.

Tandem in confutationem plenariam sententiæ 43
hujus, & ad penitus eliminandam sententiam, quæ gratiam congruam seu efficacem constituit in illa Sancta cogitatione tali tempore data, & sub tali præscientia, notanda sunt verba P. Francisci Suarez *lib. 2. de prædest. cap. 16. §. quarto sententia*, quæ hujusmodi sunt. *Pelagius enim non negaret cogitationem illam, quæ ex prædicatione & doctrina, vel alio bono occurrente objecto profecta est, esse gratiam eo modo, quo ipsam doctrinam gratiam appellavit, nec dubitaret etiam illam vocare gratiam excitantem voluntatem ut vellet, & adjuvantem ipsam cùm vult: & nihilominùs ab Augustino reprehenditur quod dolosè necessitatem gratiæ adjuvantis in Concilio Palestino confessus fuerit & internam gratiam adjuvantem non agnosceret.* Hæc illius priora verba, nam sequentia statim inducentur, in quibus illud attentiùs venit considerandum, fateri Authorem istum, quòd Pelagius non negaret cogitationem provenientem ex prædicatione, vel doctrina, vel alio quolibet objecto repræsentato, esse gratiam excitantem voluntatem ut velit, & adjuvantem cum vult: ergo cogitationem piam ex objecto supernaturalem interiùs à Deo immissam admitteret Pelagius esse talem gratiam, postquam cogitationem provenientem ex quocumque objecto admiserat Pelagius esse gratiam: ergo sententia quæ cogitationem supernaturalem, seu ex objecto supernaturali à Deo interiùs immisso vocat gratiam, ab illa Pelagij non differt, etiam id ostendente alio ejusdem familiæ Doctore nunc citato. Quibus etiam verbis quomodo gratiam illam interiùs ostendentem, revelantem, suadentem, excitantem objectivè, sive ex parte objecti, sive metaphoricè moventem; quam alibi idemmet Author dicit esse veram gratiam prævenientem efficacem ut velimus, ipse non condemnet tanquam ab illa, quam Pelagius dolosè confessus est, minimè differentem, vel ipse videat. Hæc enim revera, si tantùm secundùm ipsum objectivè movet, & metaphoricè, vel est pia cogitatio, quæ sic objectivè & metaphoricè movet, vel est propositio objecti, ex qua talis pia & Sancta cogitatio habetur.

Digitized by Google

44 Secundò circa relata verba illud secundo venit attendendum, quod Pelagius illam sanctam cogitationem provenientem ab objecto, non dubitaret appellare gratiam excitantem & adjuvantem sicut modo ab illis Authoribus, & clariùs à Leonardo Lessio appellatur gratia excitans & adjuvans, si Deus illam solum tribueret; imò appellatur gratia efficax.

45 Tertiò illam sanctam cogitationem non dubitaret Pelagius appellare gratiam excitantem ut velimus, & adjuvantem cum volumus, sicut nunc ab his Authoribus appellatur, & expressiùs à citato Authore Lessio.

46 Quartò per talem sanctam cogitationem vocatam gratiam excitantem & adjuvantem non salvari re ipsa sive excitantem sive adjuvantem gratiam, sed dolosè gratiam nuncupari, & potissimè non admitti veram gratiam adjuvantem; cum illa ponatur adjuvare voluntatem, cum jam ipsa vult sicut his temporibus ab ipsis apertissimè constituitur contendentibus gratiam adjuvantem ut distinctam ab excitante, tantùm adjuvare voluntatem cum volumus, seu concomitanter, non autē verè adjuvare ut velimus.

47 Procedit supradictus Author, & hæc alia verba statim connectit. *At profectò illa cogitatio congrua eo modo quo superiùs explicata est, perindè se habet ac lex & doctrina, quia nihil est aliud quam quædam propositio objecti.* Hæc ille. Verum est quod expressè loquitur de congrua cogitatione naturali. Sed ex hoc proportione servata adversùs eum, & suam atque suorum doctrinam fit efficax & conveniens argumentum. Cogitatio congrua naturalis ordinis, cum non sit in se aliud quam propositio objecti se habet ut lex atque doctrina: ergo cogitatio congrua supernaturalis erit solùm lex atque doctrina supernaturalis: Consequentia est satis manifesta & nota, nec aliquis eam admisso antecedente negare poterit; sed ipsemet alibi totam prævenientem gratiam constituit in motione objectivè tantùm movente: ergo totam illam constituit in propositione objecti supernaturalis; qui enim objectivè tantùm movet objectum proponit: ergo illa gratia, vel ex propria ejus confessione, non recedit à lege atque doctrina, qualis est illa gratia, quam dolosè Pelagius confessus fuit.

48 Prosequitur iterum prædictus author & subdit: *Quod si quis dicat illam cogitationem non habere rationem gratiæ, nisi quatenus congrua est, certè Pelagius non negaret, quin similis congruitas posset inveniri in prædicatione legis vel prædicatione fidei, quia Pelagius non ignoravit Deum præscire si hic prædicatur Evangelium cum his signis, &c. qui sint credituri, nec ne ut ex epistola Prosperi & Hilarij ad Augustinum, & ex lib. Augustini de prædest. Sanctorum & de bono persev. & de gratia & lib. arb. manifestum est. Fatebatur ergo Pelagius præscire Deum quibus sit, vel non sit futura congrua prædicatio: ergo si omnia quæ docent Concilia de necessitate gratiæ sufficienter salvantur per solam cogitationem congruam in tali præscientia, non video cur respectu fidei, & aliorum actuum supernaturalium non sufficienter salventur per solam propositionem congruam objectorum; id est, quæ ex præscientia Dei habitura sit effectum: cum tamen revera tam cogitatio ipsa, quam effectus ejus ex natura viribus fiat juxta illam sententiam. At hoc destruit veritatem internæ gratiæ, & nihil in re differt à sententia Pelagij*: Notentur illa verba, *quod si cogitatio naturalis congrua, id est, sub præscientia vocatur gratia: etiam sancta cogitatio congrua actuum & objectorum supernaturalium sub præscientia, quod habitura sit effectum gratia vocabitur, & salvabit necessitatem gratiæ positam à Conciliis:* quod est destruere necessitatem gratiæ, & non differre à Pelagio. Quod si propositio objectorum supernaturalium sub illa præscientia, & sancta cogitatio ex tali objecti propositione proveniens, & sub præscientia tali, licet gratia appelletur, re tamen ipsa veritatem gratiæ negat, & à sententia Pelagij non differt: ergo gratia quæ ab his authoribus constituitur solùm objectivè, & metaphoricè movere per internam propositionem objecti supernaturalis cum præscientia quod habitura sit effectum, quæ est illa sua congrua vocatio, veritatem gratiæ negat, & reipsa à sententia Pelagij non differt ob rationem quam prædictus author subjungit; quia nimirum ex solis naturæ viribus voluntas illi propositioni internæ, supernaturalis objecti, seu illi sanctæ cogitationi, seu illi gratiæ congruè ex solis suis viribus consentit. Et ratio item est, quia nulla lex, atque doctrina, sive interior, sive exterior, nulla objecti propositio sive naturalis, sive supernaturalis voluntati vires tribuit veras ut illi consentiat: sed ipsa de se illi viribus suis præstat consensum, & hoc Deus sua præscientia cognoscit. Igitur ista congrua vocatio veritatem gratiæ non salvat, nec à Pelagio differt.

Tandem, si omnia, quæ in hac congrua illorum 49
vocatione continentur, attendantur, erit manifestum nullam veram gratiam constitui, sed penitus veritatem gratiæ negari. Nam gratia suadens & excitans, cum secundùm suos defensores detur facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, ex certa lege gratia est, & naturæ debita, ut latè supra manet probatum. Secundò illa jam sic posita per modum solùm proponentis objectum, ut aiunt, movet, sed hoc, ut ipsi supradictis verbis fatentur, est movere per modum legis atque doctrinæ, ut Pelagius veram negans gratiam admittebat. Tertiò, quia gratia adjuvans sic cooperans quam ulteriùs constituunt, cum ab eis ponatur adjuvare cum volumus: etiam à supradicto authore relatis verbis publicatur, quod vera gratia adjuvans non sit: nec illam, ut ait, negaret Pelagius. In quo rectè dicit, quia revera illa datur, non ut velimus, sed quia jam voluimus, unde debita naturæ constituitur. Præscientia autem illa, quæ totius hujus congruæ vocationis basis est (præterquam quod à nobis completissimè *primo lib.* manet expugnata) si aliquid præscit, & in Deo revera esset, hoc quod dictum est præsciret nullam in tali congrua vocatione veram gratiam esse, sed omnem naturæ debitam, & præsciret semper hominem incipere, & Deum postmodum adjuvare, quæ est illa olim damnata sententia.

CAPUT V.

Quod gratia sit efficax non pendet à libero arbitrio, etiam in genere solius causæ materialis.

DE sententia autem Gregorij de Valentia supra 50
relata, nec plura discutere visum est, sed breviter annotare, nullo modo esse dicendum efficaciam gratiæ actualiter moventis animam ad bonum in genere causæ materialis pendere à libero arbitrio ita quod in illo genere liberum præcedat arbitrium: quamvis in genere causæ efficientis, vel formalis præcedat efficacia gratiæ, falsissimumque esse contrarium velle fundare in Sancto Thoma 1.2. q. 113. art. 8. Hoc ultimum, ex quo constabit ad primum, patet: quia si vel litera Sancti Thomæ legatur in

illa

Digitized by Google

1a quæst. 113. *art.* 3. 6. & potissimè 8. res erit manifesta. Etenim S. Thomas nomine infusionis gratiæ, per quam intelligit efficacem Dei operationem convertentem hominem, duo ratione, seu formalitate distincta in eodem actu infundente gratiam intelligit, & clariùs distinguit. Omnium primò considerat infusionem gratiæ, ut est actualis divina motio per quam Deus liberum arbitrium movet, ut se ad justitiam per suos actus disponat, secundò eam considerat, ut consecutio est, vel infusio habitualis gratiæ justificantis. Et loquendo de illa primo modo, nempe ut actualis Dei motio est, docet quod est omnium prima in justificatione impij, & quod arbitrium efficaciter movet ad motum quo tendit in Deum, & ad aliud quo detestatur peccatum; per quos actus homo disponitur ad habendam eandem infusionem gratiæ sub alia ratione scilicet, ut habitualis justificatio est.

51 Itaque motus uterque liberi arbitrij signatus, effectus est infusionis gratiæ ut est actualis divina motio, & nullo modo disponit in genere causæ materialis ad eandem infusionem gratiæ, quatenus motio actualis est; sed omnibus modis effectus est ejus. Disponit autem in genere causæ materialis ad eandem infusionem gratiæ sub ratione alia, nimirum quatenus est infusio habitualis gratiæ justificantis, secundùm quam rationem nullo modo ab ea procedit; sed omnibus modis sub hac ratione eam antecedit. Vnde in Sancto Thoma nunquam invenitur quod actualis efficax Dei motio, quatenus motio actualis efficax est, producat actum liberi arbitrij, & ex alia parte actus liberi arbitrij in genere causæ materialis disponat ad eandem efficacem actualem Dei motionem, quatenus talis actualis Dei motio est; imò id intelligi nequit, ut breviter dicemus. Quare ex falsa intelligentia doctrinæ S. Thomæ *in illo articulo* 8. processit prædictus author ad fundandum in S. Thoma hanc suam supra relatam sententiam.

52 Nec adeò occulta est littera Sancti Thomæ quin author ille quæ dicimus, per quæ & illius sententiam penitus evertimus, in illa non potuerit magna facilitate videre. Sic enim Angelicus Doctor affirmat *art.* 3. *citatæ quæst. sub finem illius articuli* postquam in illo præmiserat, & probarat, quod justificatio impij fit à Deo movente hominem ad justitiam; *Et ideò in eo qui habet usum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrij: sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces.* Vbi duo simul efficere Deum in justificatione impij clarè proponit, & donum gratiæ justificantis, & simul divinam motionem qua arbitrium movet ad acceptandum tale donum justificantis gratiæ.

53 In *art.* autem *sexto* eam prosequutus materiam docet, quod quatuor requiruntur ad justificationem impij, scilicet gratiæ infusio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & motus liberi arbitrij in peccatum, & remissio culpæ. Ac tandem in *articulo* 8. ista quatuor ordinat, & quid sit ratione priùs, quid posteriùs declarat sic dicens. *Prædicta quatuor, quæ requiruntur ad justificationem impij, tempore quidem sunt simul; quia justificatio impij non est successiva; ut dictum est, sed ordine naturæ unum eorum est priùs altero, & inter ea naturali ordine primum est gratiæ infusio, secundum motus liberi arbitrij in Deum, tertium motus liberi arbitrij in peccatum; quartum verò est remissio culpæ.* Ad ostendendum autem quod per infusionem gratiæ, quod est primum concurrens, intelligebat gratiæ infusionem secundum quod ipsa habet rationem actualis motionis moventis hominem ad justitiam: secundùm quam rationem est primum concurrens in impij justificatione. Hujus illius primæ prioritatis rationem reddens, continuò subjungit. *Cujus ratio est, quia in quolibet motu naturali primum est motio ipsius moventis; secundum autem est dispositio materiæ, sive motus ipsius mobilis. Vltimum verò est finis, vel terminus motus ad quem terminatur motio moventis: Ipsa igitur Dei moventis motio est gratia infusio. Motus autem vel dispositio mobilis est duplex motus liberi arbitrij. Terminus autem, vel finis motus est remissio culpæ. Et ideò naturali ordine primum in justificatione impij est gratia infusio, secundum est motus liberi arbitrij in Deum, tertium verò est motus liberi arbitrij in peccatum, &c. quartum verò & ultimum est remissio culpæ ad quam tota ista transmutatio ordinatur tanquam ad finem.* Ecce patentissimè non semel docet gratiæ infusionem, secundùm quod est omnium primum concurrens in justificatione impij, esse actualem Dei motionem, qua hominem ad justificationem illius movet.

Deindè, ut ostenderet quod eadem infusio gra- 54
tiæ, quæ secundum quod est actualis Dei motio, est primum in impij justificatione, sub alia ratione, nempe ut est consecutio gratiæ, vel ut est habitualis gratia justificans, est illud quartum, quod est omnibus posteriùs *in solutione ad primum* quod prætendebat priùs esse in justificatione impij remissionem culpæ, quam infusionem gratiæ, ita respondet inter alia. *Et quia infusio gratiæ, & remissio culpæ dicuntur ex parte Dei justificantis, ideò ordine naturæ prior est gratiæ infusio, quam remissio culpæ; sed si sumantur ea quæ sunt ex parte hominis justificati, est è converso; nam priùs est ordine naturæ liberatio à culpa, quam consecutio gratiæ justificantis.* Quibus verbis infusionem gratiæ appellat consecutionem gratiæ justificantis, quæ gratiæ infusio secundum hanc rationem ex parte hominis justificati est omnium ultimum, quia ordine naturæ est quid posteriùs ipsa remissione culpæ, quæ erat quartum & ultimum quod in justificatione concurrere priùs dixerat. Igitur secundùm apertam articuli litteram eadem gratiæ infusio, ut actualis divina motio qua Deus homines ad justitiam movet, est primum ex illis quatuor concurrentibus ad impij justificationem. Vt autem eadem gratiæ infusio est consecutio gratiæ justificantis, sive ut est gratia habitualis justificans, est quiddam posteriùs & ultimum ex illis quatuor.

Clarissimè autem id *solutione ad secundum* tradi- 55
dit, oppositum enim sic in argumento illo. *Dispositio præcedit naturaliter formam ad quam disponit; sed motus liberi arbitrij est quædam dispositio ad susceptionem gratiæ: ergo naturaliter præcedit infusionem gratiæ.* Cui ita respondet. *Ad secundum dicendum quod dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ ordine naturæ; sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur. Et ideò motus liberi arbitrij ordine naturæ præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratia infusionem.* Dixerat priùs in eodem articulo, quod gratiæ infusio & est motio Dei moventis & est consecutio gratiæ ut visum est. Et nunc docet, quod motus liberi arbitrij sequitur ad ipsam ut est actualis Dei motio, quia illius effectus est: cum sit dispositio subjecti effecta ab agente per suam motionem: præcedit autem motus liberi arbitrij ipsam infusionem gratiæ quatenus consecutio gratiæ justificantis est, secundùm quam rationem est forma, ad quam habendam motus liberi arbitrij disponit.

Valdè doctrina hujus articuli, & potissimè solu- 56

Digitized by Google

tio ad secundum notanda est, ut sciamus quomodo se habeant forma, & dispositio ad ipsam disponens; nullo enim modo Sanctus Thomas concedit, quod dispositio ad aliquam formam, quæ ipsam præcedit ut dispositio in genere scilicet causæ materialis sequatur ad ipsam formam secundùm quod forma est in alio genere causæ, ut à multis dici solet. Imò planè totum oppositum manifestè dicit, quia in ipsa infusione gratiæ distinguit & rationem formæ justificantis, & sub hac ratione motus liberi arbitrij ipsam antecedit, & ad illam disponit, non autem idem motus arbitrij ad ipsam formam justificantem ut sic aliqua ratione consequitur, sed consequitur ad infusionem gratiæ sub alia ratione, videlicet ut divina actualis motio est; cujus proinde est effectus.

57 Hoc ipsum alibi exposuit Sanctus Doctor dicens, quod quando ignis introducit calorem in ligno, ita fit hæc operatio, ut omnium primò sit calefactio in fieri in ligno, ut est motio ignis, secundò per illam expellitur frigiditas; tertiò introducitur calefactio ut forma completè in ligno. Vnde in exemplo aëris & fenestræ, quod solet pro his materiis adduci, sic philosophandum est; quod omnium primò est impetus aëris impellens fenestram; secundum ut effectus ejus est apertio fenestræ; tertium est ingressio aëris consideranda ista ex parte subjecti ut Sanctus Thomas in articulo exposuit.

58 Vnde secundùm apertam S. Thomæ sententiam sic ista procedunt; primum est infusio gratiæ ut actualis divina motio, seu actuale auxilium efficax gratiæ; & ut sic omnibus modis antecedit motum liberi arbitrij, quia omnibus modis est illius causa; & motus arbitrij est verè illius effectus. Nam ille motus est dispositio mobilis; dispositio autem mobilis fit efficienter ab actione seu motione agentis quod mobile disponit; Nullo modo autem dispositio mobilis antecedit motionem seu actionem agentis. Secundum est motus liberi arbitrij causatus & verè effectus ab actuali Dei efficaci motione. Tertium est ipsa forma justificantis gratiæ; quæ ut sic omnibus modis consequitur ad motum arbitrij, qui fuit illius antecedens dispositio. Errat ergo nimis author cum quo modò agimus, cum ait, quòd actualis efficax divina motio, seu actuale auxilium in genere causæ efficientis antecedit motum liberi arbitrij; in genere autem causæ materialis ipse motus arbitrij antecedit ipsum actuale efficax gratiæ auxilium: errat, inquam, & convictus fuit errare, quia non distinguit in infusione gratiæ illa duo, & rationem auxilij efficaciter moventis, & rationem formæ justificantis, & secundum priorem rationem nullo modo pendet etiam in genere causæ materialis à consensu, seu cooperatione arbitrij, sed omnibus modis illam antecedit ut vera causa illius cum omnibus modis consensus arbitrij effectus est.

59 Imò non videtur intelligibile, quod motus arbitrij sit effectus auxilij efficacis gratiæ ab illo effectivè procedens, & quod ex alia parte disponat in genere causæ materialis ad illius efficaciam, quia nec intelligitur, quod effectus verus alicujus causæ efficientis disponat ad hoc quod sua causa efficiens sit, vel ad hoc quod causa efficiens dependeat à suo effectu, vel quantùm ad hoc quod sit, vel quantùm ad hoc quod operetur; alias posset quis similiter absurdè asserere quod loquutio effecta à lingua disponat & lingua sit, vel loquatur; & actio scribendi ut manus scribat; & sic de singulis; quæ non nisi absurdè dicerentur; & hinc est, quod communiter & verè dicitur quod nullus effectus prædestinationis antecedit ipsam prædestinationem, aut illam in aliquo genere causæ antecedere potest, & quod remissio culpæ est effectus gratiæ, & quod in nullo genere ipsam antecedit, vel ad illam disponit; vel gratia à remissione culpæ dependet loquendo de gratia ut motio est Dei moventis, ut diximus.

Præterea, actus liberi arbitrij ut antecedit, dis- 60
ponit ad efficaciam gratiæ secundùm istam sententiam; sed ille actus ut dispositivè antecedens est bonus, & valde bonus: ergo bona illa dispositio, ut bona dispositio, non fit ab auxilio gratiæ. Patet, quia dispositio, secundùm quod antecedit gratiæ auxilium; ut sic ab auxilio non fit, ut est notissimum; ergo illa bona dispositio ad efficaciam gratiæ ab aliquo dono gratiæ non fit; quia nec fit ab efficientia gratiæ ad quam disponit, nec ab aliquo alio gratiæ auxilio priori, ut statuit ista sententia; ergo fit à solo arbitrio; & sic solum arbitrium naturæ viribus se disponit. Imò ultimò se disponit, ut habeat efficaciam gratiæ, quod in idem inconveniens redit cum omnium aliorum sententia, cum aliquid boni pertinentis ad salutem constituat fieri à solo libero arbitrio quod non recipiat ex Deo. Quod enim actus liberi arbitrij disponat ad efficaciam gratiæ secundùm hanc rationem antecedentis dispositionis bonum quid est, & ad salutem pertinens, quod negare nullus poterit; & tamen à nullo dono gratiæ oponitur fieri; sed ab arbitrio solo. Idem ergo inconveniens est, si penetretur materia ista, quod actus liberi arbitrij in aliquo genere causæ, etiam materiali, in aliquo priori antecedat efficaciam gratiæ, quæ detur illi dispositioni; & quod efficacia gratiæ ponatur pendere ab arbitrij cooperatione, & fiat efficax ab effectu propter illam dispositionem arbitrij, quæ antecedit illius efficaciam.

Omitto quod (ut S. Thomas ostendit 6. *meta-* 61
phys. lect. 3.) licet materiæ dispositio possit antecedere causas particulares & universales creatas, quia istæ præsupponunt subjectum & ejus dispositionem, à qua dependent ut suos producant effectus, & à qua interdum impediuntur ne illos efficiant, actionem tamen primæ & universalissimæ causæ nullum subjectum, nulla materia, dispositio materiæ nulla potest antecedere; & ratio est, quia materia, & ejus quæcumque dispositio non exeunt ab ordine primi & universalissimi agentis. Vnde clauduntur sub ejus actione, & per ejus motionem debet haberi talis quælibet dispositio. Causalitas enim primi agentis extendit se ad omnia in quantùm sunt entia. Cum ergo illa dispositio, quatenus dispositio, & quatenus talis dispositio sit ens, non exit ab ordine divinæ causalitatis: sed ut sic à divina causalitate fit; impossibile est ergo quod illam primam causalitatem antecedat, & sub aliqua ratione, quæcumque illa sit, à Deo, & ejus actione & motione efficaci non fiat.

Tandem, quia etiam in ista sententia necessaria 62
est media illa impossibilis præscientia ut per eam cognoscat Deus, quod si dederit alicui gratiæ donum, arbitrium ex sua innata libertate in illo genere causæ materialis se disponet illo bono actu suo, ut sic in illo efficax reddatur gratia Dei; & per consequens omnia alia inconvenientia quæ illam mediam scientiam concomitantur, sequuntur pariter istam sententiam, quæ propterea in substantia diversa ab aliorum suorum jam relata sententia non est.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

Non posse defendi, quod dividatur auxilium sufficiens, in efficax & inefficax ab effectu, seu cooperatione liberi arbitrij.

63 QVia dictum est supra omnes relatos authores magis, sive minùs explicitè, re tamen ipsa & manifestatione doctrinæ tenere divisionem auxilij in efficax, & inefficax ab effectu esse sumendam, id est, à cooperatione arbitrij, quod cum vult consentire, illud reddit efficax; cum autem renuit, illud reddit inefficax; ostendendum est modò nullatenus hanc illorum sententiam posse defendi nullaque ratione à Theologis admittendam, sed pari communique consensu ab omnibus evitandam. Quando enim nihil aliud esset, quod in confutationem illius posset adduci, illud solum, quod relatus author tertio loco pro expugnatione ejus adducit, sufficere deberet, ut universi illam effugiant. Cum enim ipse illam retulisset, & fuisset arbitratus eam quam ipse complectitur opinionem ab illa esse diversam, cum revera eadem sit, pro veritate quam defendimus, contra suorum doctrinam hanc adhibuit censuram. *Hæc opinio aliena est omninò à sententia Beati Augustini, & quantùm ego existimo à sententia etiam scripturarum divinarum. Nam Sanctus Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 8. dicit gratiam, efficacem videlicet, à nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit: ubi vides efficaciam tribui gratiæ non voluntati humanæ. Et libro de spiritu & litt. cap. 34. quærens cur Deus uni ita suadeat ut persuadeat, alteri non ita, non respondet, quia unus consensit, & alter non consensit; sed exclamat: O altitudo divitiarum! Itaque refert in arcanum divinæ voluntatis, cur uni detur gratia efficax, alteri non detur. Et Epistola 107. ad Vitalem reprehendit eos, qui dicunt omnes homines fuisse accepturos gratiam Dei, si illi, quibus non datur, eam sua voluntate non respuerent. Vbi sine dubio loquitur de gratia efficaci; nam gratiam sufficientem probabimus paulò infra ex sententia S. P. Augustini omnibus hominibus dari. Non igitur vult Sanctus Augustinus gratiam efficacem pendere ab humana voluntate sed à divina. Denique tam est hoc in operibus Sancti Augustini frequens, & obvium ut supervacaneum sit id pluribus confirmare.* Hæc prædictus author; quibus aliorum sententiam, imò & suam propriam condemnat, nec levi censura notat, dicendo esse omninò alienam, (ideſt oppositam, & contrariam sententiæ Sancti Augustini; hoc modo enim illam dicit alienam, ut ex probationibus, & allatis S. P. Augustini testimoniis liquet.) Cum enim (quod alibi rectè fatetur) doctrina S. P. Augustini in materia prædestinationis & gratiæ, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat (quod & ibi ex summis Pontificibus probat) ostendendo sententiam quæ statuit gratiam efficacem, vel inefficacem ab effectu, id est, ex arbitrij cooperatione esse contra Sanctum Augustinum, simul ostendit illam esse contra sententiam, quæ dici debet fides Ecclesiæ, ut sic liceat ex hoc Doctore argumentari; sententia S. P. Augustini in materia prædestinationis, & gratiæ dici debet fides Ecclesiæ; sed ipse S. Augustinus docet apertè gratiam non esse efficacem ab effectu, id est, arbitrij cooperatione; ergo sententia, quæ dicit sumi efficacem gratiam ab effectu, scilicet à cooperatione arbitrij, est contra illam doctrinam, quæ dici debet fides Ecclesiæ.

Quia verò idem author simul præmiserat, quod, 64
ut ipse existimat, sententia ista, quæ gratiam dicit efficacem, vel inefficacem ab effectu, nimirum à cooperatione arbitrij, est aliena à sententia scripturarum divinarum, prosequuta id ita probat; *Quod attinet ad scripturas sacras verba illa Domini Ioan. 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me, satis perspicuè docent, in quo sita sit efficacitas gratiæ: illi enim infallibiliter veniunt ad fidem Christi, sive per fidem ad Christum, qui Patrem Cœlestem habent Doctorem; ita ut infallibilitas effectus non habeat pro causa studium discipuli, sed excellentiam Magistri. Allegat enim ibidem Dominus Prophetiam Esaiæ cap. 54. est scriptum* (inquit) *in Prophetis erunt omnes docibiles Dei. Vel ut clarius habetur in textu Græco, docti à Deo, juxta illud Psalmi 93. Beatus homo quem tu erudieris Domine. Vide Augustinum tractantem hunc locum de prædest. Sanctor. cap. 8.*

Alius locus est 1. *Cor. 4. Quis enim te discernit?* 65
Quid habes quod non accepisti &c. Nam si vera esset opinio istorum, fidelem ab infideli plane discerneret liberum arbitrium: nam si duo sunt qui eumdem concionatorem audiant, & eandem interiùs inspirationem habeant, & unus credat, alter non credat, nonne dicere poterit is qui credit, se discernere ab infideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem acceperit, quam alter rejecit? Nonne gloriari poterit contra infidelem, quod ipse Dei gratia cooperans sit, quam ille contempsit? Et tamen Apostolus hoc omninò prohibet, & ideo non solùm posse credere, sed etiam ipsum credere dicit esse donum Dei ad Philipp. 1. & Deum in nobis operari, non solum ut possimus velle, sed etiam ut velimus Philipp. 2.

Denique hæc opinio evertit omninò fundamen- 66
tum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus divinis litteris solidissimè comprobavit; inde enim pendet certitudo, atque infallibilitas prædestinationis, quod electis Deus efficacem gratiam præparavit. Quos enim prædestinavit, hos & vocavit, vocatione illa, ut Augustinus monet in libro de corr. & gra. cap. 7. secundum propositum, de qua dictum est, omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quos autem vocavit secundùm propositum, hos justificavit, justificatione videlicet secundum propositum; quæ adjunctam habet perseverantiam.

Quod si vocatio efficax non penderet à proposito 67
Dei, sed ab humana voluntate, nullus locus prædestinationi relinqueretur, sed tantùm præscientiæ; nec Apostolus dixisset, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui Rom. 9. Omitto quod est abuti vocabulis, vocare gratiam efficacem, eamque à sufficienti distinguere, si nulla omninò in ipsa gratia distinctio esset; sed totum discrimen ab humana voluntate procederet.

Hæc adversus illam sententiam, quæ gratiam Dei 68
efficacem, vel inefficacem ab effectu constituit, id est à cooperatione arbitrij à supradicto authore dicta sunt. Quibus in summa illam condemnat sicut alienam omninò, id est, oppositam doctrinæ S. Augustini in materia gratiæ; & sicut alienam id est, contrariam divinis litteris (ut apertè probavit) & tanquam destruentem fundamentum certæ prædestinationis. Doctrina autem quæ in materia gratiæ est opposita S. Augustini sententiæ, & illis testimoniis scripturæ inductis, & aliis similibus:

&

Digitized by Google

& quæ tollit fundamentum certæ prædestinationis est Doctrina Pelagiana, ut evidentissimum est. Et sic à prædicto authore tacitè & reipsa ut talis supradictis verbis damnatur.

69 Quando autem adversùs eam nihil aliud diceremus, hæc profectò sufficerent, quæ ab hoc Doctore inducta sunt, ut omnes pariter hanc, quam impugnamus doctrinam, evitarent, ut fidei oppositam, postquam supradictus author eam prædicto modo condemnat. Vnum tamen addere possumus in hac parte; verissimè illum authorem fuisse loquutum, & rectè ex testimoniis S. P. Augustini, & divinæ scripturæ illam rejecisse. Quomodo autem hæc etiam suæ propriæ sententiæ superiùs relatæ penitus adversentur, ipse videat, & omnes facilè videre possunt. Et ista sit prima illius sententiæ confutatio à suis propriis authoribus adversùs se ipsos data, qua nulla videtur posse reddi efficacior.

70 Secundò quod in fine supradictæ impugnationis hic author inducit, venit clariùs explicandum. Ait enim esse abuti vocabulis distinguere gratiam efficacem à sufficienti, nullam assignando differentiam in ipsa gratia, sed totum discrimen statuendo provenire à voluntate humana; quod dictum est rectè. Sed non solùm est vocabulis abuti; sed re ipsa, imò manifestè celebrem hanc distinctionem gratiæ in efficacem & sufficientem, quam communiter Theologi suscipiunt, atque defendunt, de medio tollere, palamque negare, quod sine temeritate non fit. Etenim ipsi non dividunt gratiam in sufficientem & efficacem; sed potiùs sufficientem gratiam, quæ ut venit à Deo sufficiens est, dividunt in illam quæ ab homine fit efficax, & in eam quæ ab homine inefficax fit.

71 Non solum autem negat celebrem illam distinctionem in Scholis communi consensu receptam, sed quod magis aliam fingit illi oppositam quæ qualis sit, & à quibus priùs fuerit inventa, ostendendum est modò advertendo, quod in neganda illa divisione gratiæ in efficacem & sufficientem una ratio communis est, & Calvinistis & Pelagianis, licet ratione motivoque diverso. Nam Calvinistæ illam negant, quia nullam admittunt gratiam sufficientem; sed omnem dicunt efficacem; imò veram efficacem non recipiunt, sed eam, quam ipsi stultissimè, & impiissimè fingunt, quod explicatum fuit alibi. Pelagiani autem illam negant, quia ex parte ipsius gratiæ nullam talem divisionem recipiunt, ita ut gratia ex parte sua, & provt venit à Deo, alia sit sufficiens alia efficax. Hoc enim illi semper negarunt: quia solùm admiserunt gratiam ex se seu ut à Deo venit, esse quidem tantùm sufficientem, ab arbitrio verò efficacem, vel inefficacem fieri, prout arbitrium cum illa vult, aut non vult cooperari; imò, quod ostensum fuit *primò nostro libro à principio* agendo de erroribus Pelagij, Iuliani Cassiani & Fausti, nec ipsi ex parte voluntatis veram actualem prævenientem gratiam veras vires animæ tribuentem agnoverunt sed tantum quandam quæ à lege, atque doctrina minùs recedebat; ut ibi fuit denudatum.

72 Aperitur, & demonstratur quod Pelagiani divisserint gratiam ex Deo sufficientem in illam, quæ ab arbitrio fit efficax vel inefficax redditur. Nam Sanctus Augustinus *libro de gratia Christi* ferè per totum refert Pelagium illa tria clariùs distinxisse, posse, velle & operari, ex quibus posse, seu possibilitatem, seu sufficientiam nos ex Deo habere dicebat; velle autem ipsum, & operari ex nobis. Quod est clariùs dicere possibilitatem, & sufficientiam ad operandum ex Deo nobis esse; at ex nobis quod illam reddamus efficacem volendo, & cooperando ex nobis; vel in efficacem, non volendo, nec operando quamcumque possibilitatem, & sufficientiam ipse admiserit, sive veram, sive voce dumtaxat; quæ nempe à lege atque doctrina non recedebat, ut semper adversùs eum ostendit Sanctus Pater Augustinus.

Quod si dicatur illam possibilitatem, & sufficientiam posuisse Pelagium in facultate liberi arbitrij, nobis à Deo collatam adjuvandam solùm per legem atque doctrinam, à qua sententia differt ista, quæ sufficientiam non dicit esse in facultate naturæ, sed auxilio gratiæ. Respondetur quod à tertio statu perfidiæ ipsius Pelagij non differt. In quo Pelagius posuit adjuvandam facultatem; & possibilitatem, seu sufficientiam Arbitrij interiorem revelationem, & suasionem stupentem suscitantem voluntatem (ut dictum est sæpiùs, & ex S. P. Augustino *citato lib. de gratia Christi* probatum.) A qua sententia in quo differt hæc quæ expresse concedit, quod influxus liberi arbitrij, seu ejus determinatio & cooperatio non aliter tribuitur Deo, quam danti facultatem arbitrij potentem, & sufficientem sic influere, & se determinare seu cooperari & simul suadenti, invitanti, & allicienti, seu objectivè tantum finaliter, seu metaphoricè moventi? Hæc enim illuminatio, revelatio, excitatio, suasio solum moraliter & objectivè movens (ut monstratum est supra) à commendatione legis & doctrinæ non differt; ergo solùm admittit hæc sententia esse ex Deo facultatem, & possibilitatem arbitrij sufficientem ad supernaturaliter operandum posita revelatione interiori, seu excitatione moraliter attrahente, sive per modum legis atque doctrinæ. 73

At verò ipsum velle, & ipsum operari ex nobis constituit; ita ut volendo, & operando ex nobis illam sufficientiam arbitrij ad bene operandum, quam nobis Deus contulit, & illam revelationem & excitationem, quæ etiam sufficienter objectivè movet, nos efficacem reddamus, vel inefficacem non volendo nec operando.

Vnde Sanctus Doctor Augustinus *libro de gratia Christi cap. 14. venire posse* (scilicet ad Christum) *in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modò dicere cœpit, in gratia, quamlibet eam sentiat, qua ipsa, ut dixit, possibilitas adjuvatur. Venire autem jam in voluntate, & opere est.* Notanda sunt verba illa (*quamlibet eam sentiat*) per quæ clariùs ostendit, quod quamcumque gratiam admitteret Pelagius, quæ solum daret posse, non velle & operari, à suo perverso dogmate non recederet; quod & ibi probat sicut nos sequenti capite probaturi sumus. Non ergo facienda est instantia ad convincendam hæresim Pelagianam in hoc solùm, quod tantùm nomine gratiæ admittat aliquid per modum legis atque doctrinæ; sed etiam in hoc, quod quamlibet admittat gratiam quæ tantum det posse ex Deo, velle & operari ex homine, veram gratiam non agnoscat; nec à suo errore discedat. 74

Itaque aliud est quod de facto Pelagius posuit adjutorium prævenientis gratiæ tandem in tertio statu perfidiæ suæ; & aliud quod, etiam si admitteret, à suo damnato errore non discederet. Admisit quidem Pelagius illuminationem interiorem, & necessariam ad perficiendam justitiam; & per illam dicebat Deum adjuvare hominem ad bonum, quæ à lege atque doctrina non recedebat; non autem admisit de facto ex parte voluntatis verum

Digitized by Google

verum auxilium ſufficiens eſſe neceſſarium; quod veras vires animæ tribueret (ut primò noſtro libro oſtenſum eſt.) Licet autem admitteret verum auxilium ſufficiens ex parte voluntatis, quod daret verum poſſe; cum tantùm velle & operari diceret ex nobis, à ſuo errore non diſcederet; nec veram Chriſti gratiam confiteretur. Quod Sanctus Pater Auguſtinus tradit loco modo inducto. Sed & illud addendum, quod & ſupra non ſemel notavimus, quod qui modò gratiam prævenientem dicunt tantùm moraliter excitare, cum iſta moralis excitatio non recedat à lege atque doctrina, verè auxilium ſufficiens non admittere, quod veras ſufficientes vires tribuat.

75 Inſtabit aliquis, quod licet in his tribus convenientia ſit, tamen in alio tertio, quod iſta ſententia addit, ab illa relata differt; nempe, quia admittit prædictam gratiam excitantem moraliter à principio, poſtea realiter cooperari cum arbitrio, quam tamen cooperationem Pelagius non admiſit. Sed reſpondetur non admiſiſſe Pelagium cooperationem talem, quia credebat id quod manifeſtum eſt, nimirum impoſſibiliter poni talem cooperationem in ſuaſione, invitatione, & revelatione objectivè tantum movente voluntatem, cum enim moveat per modum legis, atque doctrinæ oſtendendo, aliam realem & effectivam cooperationem non habet. Cum igitur impoſſibiliter talis cooperatio ponitur, quaſi non poſita debet haberi, & ſic nec in hoc hæc ſententia ab illa priori ſatis diſtare videtur. Quod ſi dabilis eſſet talis cooperatio, illam libenter admitteret, quia in nihilo ejus dogmati obſtabat, ſed potiùs confirmabat, quia daretur ex priori merito voluntatis volentis conſentire, & facientis ut illa excitatio ſibi cooperaretur.

76 Sed dices talem effectivam cooperationem impoſſibilem non eſſe quia, ut diximus ſupra, bonum apprehenſum, ut ſtat ſub apprehenſione ſicut ſub conditione, objectivè tantum movet voluntatem ad volendum, ſed cum voluntate ſe movente ut formam, & comprincipium effectivè concurrere ad actus ſpecificationem producendam: ergo ſimiliter illa excitatio moraliter, & objectivè movens à principio voluntatem ad volendum, cum ipſa ſe movente, ut forma & ut principium cooperatur quoad ſpecificationem, & ſupernaturalitatem illius actus. Ad hoc dicendum quod alia ratio eſt de bono apprehenſo, ut apprehenſum eſt, id eſt, ut ſtat ſub apprehenſione paſſiva, & de ipſo apprehendente, proponente, & revelante, invitante & alliciente. Nam bonum apprehenſum, ſicut eſt objectum voluntatis, ita realitas & bonitas, ut ſtat ſub illa apprehenſione ſicut ſub conditione, poteſt habere efficientiam ſimul cum voluntate, ut illius objectum, & forma ad efficiendam actus ſpecificationem. Verum numquam poteſt movere voluntatem quoad exercitium actus, & multo minùs eam efficaciter quoad exercitium potentiæ movere. Vnde motio quoad exercitium bono apprehenſo repugnat totaliter.

77 Cæterum revelatio ipſa activè revelans, ſuadens, invitans, vel ipſe proponens revelationem, & oſtendens illud bonum, ſolùm oſtendendo & proponendo doctrinam concurrunt, nec objectum ſunt voluntatis, vel illius formæ; & ex conſequenti nec cum voluntate effectivè poſſunt actum efficere, aut in actum voluntatis activè cooperari, potiſſimè quia repræſentato objecto voluntati Deus illam quoad exercitium movet, ut ipſa ſic informata forma illa apprehenſa per illam eliciat ſuum influxum. Vnde quod voluntas incipiat influere, & ſe determinare, ex Deo primò eſt quoad exercitium, & ex forma apprehenſa quoad ſpecificationem. Poſtquam autem voluntas à Deo efficaciter movetur quoad exercitium actus, non eſt dabile, vel imaginabile, quod influxus, determinatio, & cooperatio voluntatis, quatenus influxus illius eſt, ſit à voluntate, & non ab objecto, & forma illa apprehenſa, ſicut iſti authores dicunt de cooperante gratia; quod influxus voluntatis, ut influxus & determinatio ejus eſt, non fit ab illa gratia cooperante; ſed quod à ſola voluntate fiat influxus ille ut influxus voluntatis eſt, & quod poſt ipſum ſequatur cooperatio, per quod ſatis oſtendunt illam excitantem gratiam non eſſe objectum, & formam voluntatis, ſimul cum ipſa efficientem actus ſpecificationem, ſed eſſe actualem Dei motionem & cooperationem ita cooperantem, quia voluntas vult ex ſe conſentire, & ſuo conſenſu illam cooperationem poſt ſe trahit; & quando contenderent eſſe formam, & objectum ſimul cum voluntate concurrentem, nec juvaret, quia illa non concurrit quoad ſpecificationem actus niſi præſupponendo aliud, quod voluntatem moveat quoad exercitium. Cum autem hoc primum movens quoad exercitium ab ipſis ponatur ipſa voluntas, priùs ratione eſſet quod voluntas velit influere quoad exercitium, quam quod cum illa ſic influente illa forma, & objectum efficeret ſpecificationem actus & ſic jam concurreret, quia voluntas vult, non autem efficeret quod illa velit; unde ſequeretur ut pediſſequa ad voluntatem priùs volentem, ſicut de habitibus ſupra dictum eſt, quòd illis utimur quia volumus. Vnde (quod *noſtro primo libro* dedimus manifeſtum) per hanc cooperantem gratiam, in qua videntur à Pelagio recedere, triplici alia via cum illo conveniunt. Primò quia illam ponunt ſub priori merito bonæ voluntatis jam ex ſe conſentientis. Secundò quia illam non admittunt ad ſingulos actus neceſſariam, nimirum ad efficiendum illum conſenſum. Tertiò quia fortè ac firmum conſtituit hæc opinio liberum hominis Arbitrium ad conſervandum in homine bonum poſita ſolùm objectiva revelatione, & exhortatione moraliter, ſeu per modum legis, atque doctrinæ (quod idem eſt) ſuadente, atque invitante.

Sed gratis admiſſo hanc differre doctrinam, aliquo 78
modo à ſententia Pelagij; evidentiſſimum eſt in nullo differre à ſententia Iuliani, Caſſiani, Fauſti, & aliorum, qui dicti ſunt Semipelagiani poſuerunt & ipſi, & apertiſſimè admiſerunt excitantem gratiam moraliter tantum excitantem ex parte prævenientis gratiæ, & cooperationem conſentiente jam libero arbitrio; & in illa excitante gratia conſtituerunt auxilium ſufficiens omnibus datum, omnibuſque paratum; quæ tamen excitatio moraliter, ſeu objectivè movens ſolum verum auxilium ſufficiens gratiæ non eſt; ut dictum eſt ſæpè, nec veras vires ſufficientes animæ tribuit, aut verum & intrinſecum poſſe voluntati tribuit. Dicebant etiam quod arbitrium conſentiendo illud reddebat efficax, & faciebat ſibi cooperari, & negando conſenſum, inefficax efficiebat. Legantur illi duo libri Fauſti de gratia & humanæ mentis arbitrio, & hoc erit manifeſtum. Legantur & opuſcula Caſſiani, & id erit apertiſſimum. Legatur utraque illa Epiſtola Proſperi, & Hilarij ad Sanctum Auguſtinum, & illud ipſum redditur ſatis perſpicuum, Fauſtus enim *primo illo relato ſuo libro* c. 10. ſic dicit *Aditus capeſſendæ ſalutis, quaſi fons quidam in medium mundi hujus expoſitus, & in commune conceſſus, ad hauriendum univerſis*

Digitized by Google

patet, ut largitori meritò reus sit, qui haurire neglexerit. Vbi plane auxilium sufficiens per fontem signatum omnibus dari, dicit, ut unusquisque vel hauriat aquam salutarem, & eam sibi efficaciter applicet, vel non hauriendo eam à se repellat, & inefficacem constituat. Cassianus autem *in fine illius collationis* 13. *ad Cheromonem*, quam adversùs divinam gratiam ipse composuit, ita concludit. *Et idcirco hoc ab omnibus catholicis Patribus diffinitur, divini esse muneris, primùm ut accendatur unusquisque ad desiderandum omne quod bonum est, sed ita ut in alterutram partem plenum sit libere voluntatis arbitrium.* Vbi in excitante gratia dari omnibus auxilium sufficiens posuit, quod plenum voluntatis arbitrium vel efficax operando constituat; vel inefficax, si operari ex illa arbitrij plenitudine noluerit. Verum (ut primo nostro libro ostendimus, & modò explicavimus) nec verum auxilium sufficiens ex parte voluntatis Cassianus, & Faustus admiserunt, sed illam duntaxat excitantem objectivè prævenientem gratiam, quam sufficientem isti appellabant; cum in nostro recederet à norma legis, atque doctrinæ, ut Sanctus Prosper relatus à nobis primo nostro libro agentibus de erroribus Cassiani. Vnde, quod est advertendum, nec isti authores cum quibus agimus, licet verbis videantur admittere auxilium sufficiens, illudque sufficiens nominent, tamen verum actuale auxilium sufficiens prævenientis gratiæ non admittunt; sed tantùm illam interiorem excitantem gratiam moraliter, & objectivè suadentem, quod (ut sæpiùs probatum fuit, & ostensum) non recedit à commendatione legis atque doctrinæ. Diximus eos verum auxilium actuale sufficiens, non admittere; quia habituale per habitus infusos, qui dant verum posse habituale, & veram possibilitatem & sufficientiam habitualem ipsi constituunt; sed hanc habitualem etiam admisisse necessariam, tum Iulianum primò, tum post ipsum ejus sequaces Cassianum & Faustum clariùs ostendimus nostro primo libro agentes de erroribus Iuliani, Cassiani & Fausti. Nec excusat quod admittant ex parte voluntatis excitantem gratiam efficientem actus indeliberatos; quia respectu actus liberi solum admittunt illam, quæ tantùm moraliter excitat, de qua, & contra quam, solùm catholicis contra Pelagianos controversia fuit.

CAPVT VII.

Divisio auxilij sufficientis in efficax & inefficax ab effectu amplius confutatur ex PP. præsertim D. Augustino, ex S. Prospero.

79 HAnc etiam divisionem auxilij sufficientis in efficax & inefficax ab effectu ex Vitali referendo damnat Sanctus Pater Augustinus *epistola* 107. *ad eundem Vitalem* dicens. *Quomodo dicis, quod te audio dicere, ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei sed hoc nobis esse ex nobis, ideſt, propria voluntate, quam nobis in nostro corde operatus est ipse? Et ad hoc cum audieris, quid est ergo quod ait Apostolus, Deus in nobis operatur & velle & perficere? Respondes per legem suam, per scripturas suas Deum operari ut velimus, quas vel legimus, vel audivimus; sed eis consentire vel non consentire, ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantùm in ipso est, ut velimus, cum nobis nota fiunt eloquia ejus, sed si eis acquiescere noluerimus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit efficimus.* Hoc testimonium aliqui ex discipulis Sancti Thomæ ita exponunt, ut Vitalis non solùm admitteret legem exteriorem atque doctrinam extrinsecam, sed etiam interiores revelationes, postquam Pelagius eas in tertio statu suæ hæresis admisit; verùm cum verba apertè dicant ipsum non aliter exposuisse illud Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis velle*, nisi per legem & scripturas quas legimus, vel audivimus; & fieri potuisse ut Vitalis ille huic adhæsisset errori sicut Pelagius à principio; non videtur ex litera relata posse deduci Vitalem interiorem revelationem necessariam admisisse; nec hoc dicere est necessarium, ut ex isto loco convincatur contra sententiam constituentem auxilium efficax, vel inefficax ab effectu.

Quia considerandum est in hoc testimonio, sicut 80
in cæteris, id quod principaliter prætendit S. Augustinus in Vitali damnare, & id quod ex adjuncto admiscetur. Principaliter intendebat in illo condemnare, (ut habet textus à principio) asserentes non esse donum Dei nec Deum in nobis efficere quod credamus, & Evangelio consentiamus, sed hoc ita esse nostrum, ut quando volumus, consentimus; quando nolumus, non consentimus. Hoc est primum quod damnat, & apponit illud Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis velle*, quod testimonium Vitalis exposuit de sola lege atque doctrina exteriori, ex qua ipse intulit, quod cum Deus per doctrinam exteriorem nos vocat, si volumus, efficacem facimus ejus operationem, si nolumus, inefficacem. Ponere autem quod vitalis admitteret interiorem Dei operationem talem & diceret, quod cùm volumus, eam reddimus efficacem, cum nolumus, inefficacem; adhuc Sanctus Pater Augustinus eum reprehenderet; ex eo quod operationem Dei poneret indifferentem, & quod ab homine fieret, vel non fieret efficax. Nam Sanctus Doctor in hoc insistit; quod nos non reddamus efficacem vel inefficacem Dei operationem; ergo quæcumque illa ponatur etiam interior, si nos nostro velle eam facimus efficacem, vel inefficacem, non saluatur quod Deus operetur in nobis velle, quod ex Apostolo præcipuè intendebat Augustinus; & sic ipse reipsa satis apertè condemnat sententiam, quam impugnamus.

Sanctus etiam Prosper *Epistola ad Sanctum Au-* 81
gustinum de eisdem ita refert. *Hæc enim ipsorum definitio, & professio est. Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; omnibus tamen hominibus propitiationem, qua est in Sacramento Sanguinis Christi; sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint.* Ecce manifeste auxilium sufficiens omnibus per istum proponi. Et iterum. *Et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per prædicationem evangelicam vocari: ut & qui voluerint fiant filij Dei.* Non negat itaque interiorem excitationem, quam illi Authores in multis suorum opusculorum locis expresserunt. Et statim quod illud sufficiens fiat efficax ab ipsis hominibus vel inefficax, his subjunctis verbis expressit: *ut qui voluerint fiant filij Dei.* Nimirum reddendo suo consensu tale auxilium efficax, & inexcusabiles sint qui infideles esse voluerint, non se convertendo videlicet, & sic reddendo illud auxilium inefficax. Et S. Hilarius in Epistola alia *de* eisdem hæc refert. *Deinde molestè ferunt ita dividi gratiam, qua vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum Arbitrium perseverare non posset.* Itaque molestè ferebant

quod

Digitized by Google

quod divideretur gratia in efficacem facientem perseverare & sufficientem dantem posse perseverare. Similiter consequenter ægrè ferebant dividi auxilium in efficax faciens operari, & in sufficiens per quod posset homo benè operari; & ipsi è contra (ut est videre in citata Epistola) asserebant omnibus dari gratiam qua possent benè operari; & ab hominibus provenire quod de facto cum illis operaretur, & efficax redderetur, vel cum eis non operaretur, & redderetur inefficax.

82 Rationes autem multiplicare ad expugnandam illam sententiam quæ auxilium statuit efficax vel inefficax ab effectu, ideſt à cooperatione arbitrij, minùs expedire judicamus, tum quia omnes quæ infra adducentur pro defendenda vera efficacia prævenientis gratiæ ex Deo, illam perfectissimè expugnabunt; tum quia allata scripturæ testimonia illam aperte convincunt, quod aliquid homini tribuat, quod Deus in illo non operetur; sed ex se habeat homo, per quod ab alio secernatur. Sed tamen ad abundantiam doctrinæ placet aliquibus rationibus ex Sancto Patre Augustino desumptis eam perniciosissimæ falsitatis convincere.

Prima desumitur à simili ex *libro 2. de pecca. merit. & remiss. c.* 18. ubi sic arguit Sanctissimus Doctor. *Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis, quam quod ab illo est*; similiter ergo nos sic argumentemur; si auxilium sufficiens nobis ex Deo est, quo benè potest uti homo & malè; bonus autem usus ejus ex nobis est, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Vel sic fiat argumentum, si auxilium tantùm sufficiens nobis ex Deo est, quod potest esse efficax & inefficax; quod autem sit efficax, à nobis est, melius est quod est ex nobis quam quod ab illo est, quia quod auxilium sit efficax melius proculdubio est, quam quod sit sufficiens tantùm.

83 Secunda ratio desumitur ex eodem Doctore sancto *libro de gratia Christi c.* 14. ubi postquam statuit firmam doctrinam, quod efficacia auxilij ex Deo venit non ex hominibus, quam probavit ex illo Christi Domini; *omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me*, cujus legitimam explicationem & ponderationem in alium locum reservamus; ita subdit. *Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur; si enim solùm posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus; omnis qui audivit à patre, & didicit potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed omnis*, inquit, *qui audivit à patre & didicit venit ad me.* Et paucis interpositis, quæ jam allata sunt præcedenti capite, subdit. *Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit sed omnis qui didicit à patre non solùm potest venire, sed venit; ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Certum est ergo ex Deo non dari solùm nobis auxilium sufficiens, quo possimus venire ad Christum, & benè operari, & ex nobis quod illud efficax reddamus de facto veniendo, sed ex Deo nobis donari quod de facto ad ipsum veniamus. Non potuit S. P. Augustinus hanc doctrinam, quæ auxilium sufficiens tantùm ex Deo constituit tribuens posse; ex nobis autem ponit quod efficax, vel inefficax reddatur, clariùs & efficaciùs destruere, quam verbis allatis, ubi constituit ex parte Dei, non tantùm auxilium sufficiens tribuens posse benè operari; sed etiam efficax tribuens, velle, & operationem ipsam.

84 Tertia ratio est illa, qua totum illum librum de gratia Christi concludit. *Quapropter quantum attinet ad istam de divina gratia, & adjutorio quæstionem, tria ista quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse, ideſt, possibilitatem, voluntatem, actionem, si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, ideſt, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit; si, ut dixi, consenserit etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ex illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror inter nos controversia relinquetur.* Quamcumque ergo actualem gratiam admittat Pelagius, quæ tantùm adjuvet possibilitatem naturalem arbitrij, dando ei supernaturalem possibilitatem; quia ipse non admittit gratiam, quæ adjuvet velle & operari, ideſt, ut de facto velimus & operemur, in suo errore persistit, veramque Christi gratiam negat; imò *eodem primo libro* S. Doctor docet, quod adjutorium, quod dicit adjuvari hominis possibilitatem, sive in lege atque doctrina, *sive ubilibet constituat; scire debemus quod non admittit adjutorium ut velimus & agamus, sed tantummodo ut velle, & agere valeamus.* Igitur quamcumque gratiam constituat Pelagius, & ubilibet constituat, sive in lege atque doctrina; sive in adjutorio alio, quia tamen tantùm illam admittit ut possibilitatem adjuvet, non ut velimus, & operemur. In suo dogmate inimico divinæ gratiæ perseverat.

Valde consideranda illa verba sunt Sancti Patris Augustini? *Sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, tantùm admittit adjutorium ut possibilitas adjuvetur*; per quæ omnes tergiversationes, & evasiones illius præcludit, & omnes alias hujus temporis; & in quo substantialiter illius dogma consistat, ostendit, nempe in admittendo ex Deo auxilio sufficienti dante posse, quomodolibet illud posse velit intelligi, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet in aliquo alio illud ponat, & quod à nobis sit velle & operari, illam possibilitatem, & efficientiam efficacem reddendo. Verum est quod Pelagius per internas revelationes dixit adjuvari hominis possibilitatem, quæ non recedunt à lege atque doctrina, ut alibi ex Sancto Patre Augustino ostendimus; sed cum hoc stat illa universalis omnes præcludens æquivocationes; *quod sive in lege atque doctrina, sive ubilibet tale adjutorium constituat*, illud asserit, solum adjuvare possibilitatem; seu adjuvare ut possit homo benè operari dando ei ad id sufficientiam, qua si benè uti voluerit, reddat efficacem, sin minus inefficacem; igitur sententia quæ hoc modo constituit adjutorium sufficiens, ut possit homo benè operari, & ex se illud reddit efficax vel inefficax, ab illa antiqua in substantia & reipsa non videtur recedere: imò eisdem ferè verbis explicari videtur; sive in lege atque Doctrina interiori ostendente, & monstrante objectivè objectum, sive ubilibet in aliquo alio eam sufficientiam constituat, dummodo velle & operari ex nobis tribuit, per quæ cum volumus, efficacem reddimus gratiam, & cum operari nolumus, inefficacem: præterea constituere gratiam efficacem, vel inefficacem ex cooperatione arbitrij, est clariùs dicere gratiam talem esse debere ut homo, sicut quia vult dissentit, ita quia vult consentit, non autem est admittere gratiã quæ in bonum inflectat hominum voluntates, faciendo eas invictissimè velle, quæ gratia est

85

Digitized by Google

gratia primæ conditionis; non autem est gratia humanæ redemptionis, ut Sanctus Pater Augustinus affirmat *libro de correct. & gratia cap.* 12.

86 Insuper S. Thomas 3. *contra gent. cap.* 80. de sententia quæ tantùm tribuit posse operari ex Deo, sic ait: *Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis voluntatis; conati sunt has authoritates malè exponere: ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle & perficere in quantùm dat nobis virtutem volendi; non autem sic, quod faciat nos velle, hoc vel illud sicut Origenes exponit in tertio Periarchon, liberum arbitrium defendens, contra authoritates praditas.* Et post pauca: *Quibus quidem authoritatibus sacræ Scripturæ resistitur evidenter. Dicitur enim Esaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Vnde non solùm virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem præterea hoc ipsum, quod Salomon dicit, quocumque voluerit, inclinabit illud, ostendit non solùm divinam causalitatem ad potentiam voluntatis se extendere, verum etiam ad actum.* Hæc S. Thomas. Igitur ponere Deum dare tantùm per auxilium supernaturale sufficientiam & possibilitatem ad bene operandum supernaturaliter, est cum Origene resistere apertissimis scripturæ testimoniis, quæ evidenter, testante Sancto Thoma, contrarium docent.

87 Similiter contendere hanc distinctionem auxiliorum gratiæ sumendam esse ab effectu, est in terminis dicere, quod gratia adjuvat quia volumus, non autem adjuvat ut velimus; quæ fuit illorum sententia, quos refert S. Prosper *Epistola ad Sanctum Augustinum.* Si enim arbitrium eam reddit efficacem: ergo illa efficaciter nobiscum cooperatur, quia nos volumus: ita quod prima ratio, seu causa, quare efficaciter cooperetur nobiscum, est quia volumus nos, non quia Deus vult, & facit ut velimus.

Insuper doctrina expressa est Sancti Patris Augustini, multoties repetita, gratiam esse efficacem, imò efficacissimam ex Deo ipso, ex ejus omnipotentia, & ex dominio quod ipse habet super liberum hominis arbitrium, sicut supra alias quascumque res mundi: cui apertè repugnat sententia, quæ dicit gratiam esse efficacem ab effectu, scilicet à cooperatione arbitrij, & dependenter ab humana voluntate. Nam si sic ab effectu, & cooperatione arbitrij efficax est: ergo non ex Deo habet efficaciam, non ex ejus omnipotentia atque dominio quod habet super liberum hominis arbitrium.

88 Tandem secundùm Sanctos Patres, gratia prævia est efficax; si autem illa est efficax vel inefficax ab effectu, jam gratia prævia non est efficax, sed tantùm est efficax gratia pedissequa, quia si illa fit efficax à cooperatione arbitrij, non est cum efficacia prævia tali arbitrij cooperationi, ut est manifestum; sed ad cooperationem arbitrij efficax sequitur, & sic in sua efficacia pedissequa est ad arbitrij cooperationem. Plurima alia omitto; quia, ut dictum est, inter demonstrandam efficaciam gratiæ ex Deo ipso independenter ab humana voluntate commodiùs inducentur. Ad præsens autem ista sufficiant, ut omnes agnoscant quam fugienda sit, atque vitanda ista doctrina, quæ gratiam dividit in efficacem & inefficacem ab effectu, id est ab arbitrij cooperatione.

89 Sed recurrunt supradictæ sententiæ defensores ad illam suam quam fingunt vocationem, seu gratiam congruam, per quam contendunt se salvare quod Deus operetur in nobis velle, quia illam tribuit tempore quo præscit voluntatem volituram. Verum contra hanc vocationem, seu congruam quam vocant gratiam satis egimus nostro primo libro in expugnanda illa media præscientia quæ illius est fundamentum. Et nunc satis sit dicere quod illa ita congrua est, ut ab effectu, & cooperatione arbitrij, ut alibi exponunt, congrua sit, non ex Deo efficiente per illam nostrum velle: deindè ita congrua est ut efficaciam vocationis constituat in exterioribus quibusdam moventibus, loco, tempore, & aliis circunstantiis; quam sententiam condemnat S. Thomas *quodlib.* 1. *art.* 7. ita dicens: *Indiget autem homo divino auxilio non solùm quantùm ad exteriora moventia, prout scilicet ex divina providentia procurantur homini occasiones salutis; puta prædicationes, exempla, & interdum ægritudines, & flagella; sed etiam quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs movet ad bonum.* Quibus manifestè illam congruitatem vocationis gratiæ quæ consistere dicitur in illis exterioribus motibus, loci, temporis & aliarum circunstantiarum damnat.

Præterea tanta est, illa congruitas vocationis ut 90
illa solùm posita nunqnam Deus præscire possit hominem bene operaturum; unde talis congruitas, est, quæ à Deo tollat certam futurorum cognitionem, prout 1. *lib.* demonstratum reliquimus, inter expugnandum mediam illam præscientiam, in qua congruitas illa fundatur. Deindè talis est ista congrua gratiæ vocatio, ut per illam omnis nostra negetur libertas actualis, circa conversionis actum, & ipsa nostra in Deum conversio penitus impossibilis reddatur, quia (ut etiam citato nostro primo libro monstratum est) liberum arbitrium cum sit secundum liberum, & secunda causa, essentialiter pendet in sua operatione ut moveatur à primo libero, & prima causa, quia motum movet: ac pro hoc si non movetur à primo libero, nec se movet, vel actum liberum efficit: posita autem illa congruitate Deus non movet liberum arbitrium, sed præscit quod ipsum ex se se movebit: ergo, cum Deus illud non moveat, nec ipsum se liberè movebit; ego si Deus præscit hoc utique præscit, quod liberum arbitrium tunc se liberè non movebit, nec actum liberum habebit: imò præscit impossibile esse quod sic se moveat, & sic ponitur impossibilis conversio in Deum.

Explicatur magis: Nam quòd se moveat arbi- 91
trium efficaciter posita illa congrua vocatione, vel prævenit ex Deo ad id efficaciter movente, & hoc semper negant, vel provenit ex præscientia, & hoc non; quia non est efficaciter operativa, vel provenit ex illa congruitate temporis, & loci & cæteris, & hoc dici non potest, quia cum illæ sint causæ naturales & necessariò operantes, ex necessitate movebunt arbitrium & sine libertate sua: ergo provenit à sola innata arbitrij libertate illa efficacia, & sic velint, nolint, per illam congruitatem ponunt gratiam esse efficacem ab effectu; quia nempe arbitrium vult quæ est illa antiquorum relata sententia, in superioribus jam satis impugnata. Confirmatur: Nam quod homo de facto se convertat bonum est per participationem: ergo necesse est quod participetur à Deo; sed quod homo sic congruè vocatus convertatur non participatur à Deo, sed ex homine solùm habetur, volente ex se bene uti illa congruitate ad conversionem suam (quod etiam diffusè probavimus, primo nostro libro citato loco:) ergo impossibilis est illa congrua quæ dicitur vocatio; alia plura ubi supra contra hanc congruam vocationem videantur. Ampliùs: illa congrua vocatio per excitantem gratiam sub illa præscientia in terminis tradita legitur à Massilienſibus, ut patet ex S. Prospero *prosa de ingratis cap.* 14. & 15. *vers.*

Digitized by Google

verſ. At ſe divina, & verſ. *Et nos* iſta, & verſ. *hoc eſt*, qui pariter contendebant per illam Deum efficere noſtrum velle illis ſuaſionibus quæ velle efficere nequeunt. Imò Pelagius ipſe in tertio ſuæ perfidiæ ſtatu illas internas revelationes excitantes & ſuadentes, & moraliter, ſeu metaphoricè objectivè moventes admiſit, quod latè noſtro primo libro oſtendimus à principio illius. Similiter admiſit Pelagius Deum præſcire qui eſſent, qui conſenſuri forent, ſi adhiberentur revelationes internæ, ut jam ſupra & ex propria conceſſione Franciſci Suarez oſtendimus. Igitur admiſit Pelagius congruam iſtam vocationem.

92 Tandem congruam iſtam vocationem, ſi omnia quæ comprehendit conſiderentur, erit manifeſtum nullam veram gratiam admittere, ſed omnia in naturales vires arbitrij trahentis poſt ſe gratiam reducere; primò, nam illa gratia excitans, quæ eſt primum in vocatione illa congrua, ſecundum hos Authores, cum detur ex certa lege facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, debita illi naturali conatui conſtituitur, & ſic vera gratia excitans non eſt (ut latè manet ſupra probatum.) Secundò illa jam ſic habita ſolùm objectivè & moraliter ſeu metaphoricè movet; quod eſt movere per modum legis, atque doctrinæ (ut notum dedimus ſæpe) unde etiam ex hac parte vera gratia prævenies non eſt. Tertiò gratia adjuvans, ſeu coadjuvans, ſeu cooperans ponitur adjuvare arbitrium cum jam vult, unde etiam datur quia arbitrium vult, & ſic eſt illi vocationi debita: unde vera gratia adjuvans, ſeu coadjuvans, ſeu cooperans non eſt. Quartò illa præſcientia, ſi aliquid cognoſcit, hoc cognoſcit, nullam videlicet ibi eſſe veram gratiam, ſed omnem illam naturæ debitam, & cognoſcit quod arbitrium ex ſe ſemper incipit, & quod Deus perficit, ſive per excitantem, ſive per adjuvantem gratiam, quod ab arbitrio naturæ viribus inceptum eſt, quæ illa mala, maléque diffamata, & olim damnata eſt ſententia. Igitur iſta congrua ſic appellata vocatio, & omnis efficacia gratiæ quæ per illam conſtituitur, eſt efficacia, & congruitas conſequens arbitrij uſum præviſum, non illum antecedenter efficiens, ut & Franciſcus Suarez expreſsè expoſuit *libro de concurſu Dei cap. 3. in fine:* ubi dicit, quod ſuppoſitio illa ſeu efficacia eſt formaliter ſeu virtute ſupponens actualem determinationem futuram voluntatis; igitur eſt efficax ex tali determinatione futura voluntatis, & ſic eſt efficax ab effectu & à cooperatione arbitrij; quod ipſi velint nolint concedere tenentur.

CAPVT VIII.

Actuale gratiæ auxilium rectè dividi in efficax, & ſufficiens.

93 REjecta, & ut arbitramur penitus confutata doctrina illa, quæ immediatum diviſum diviſionis hujus auxilium ſufficiens eſſe voluit, quod ab humana voluntate efficax, vel inefficax redderetur, ſupereſt ut verum & adæquatum, ſeu immediatum diviſum in hac celebri diviſione cum ſuis dividentibus oſtendamus. Illud eſſe actuale auxilium gratiæ, membra autem dividentia ſufficiens, & efficax, cum communi ſcholaſticorum ſententia aſſerimus contra quendam modernum ſcriptorem qui diviſionem auxilij actualis in efficax, & ſufficiens, inſufficientem, inutilem, & à ſacris litteris, Concilijs, Patribus, & ratione alienam eſſe contendit, cum potiùs totum oppoſitum ſit dicendum: nimirum diviſionem hanc actualis auxilij in efficax & ſufficiens conſonam, imò reipſa virtualiter & implicitè, & per æquivalentia verba tradi in litteris ſacris; ſanctiſque Conciliis, Patribus, Theologis; ac ratione ipſa Theologica apertè comprobari. De quo Cardinalis Bellarminus *libro primo de gratia & libero arbitrio cap.* 11. Archiepiſcopus Tranenſis *libro de auxiliis divinæ gratiæ diſp.* 71. 72. 73. Magiſter Cumel. *libro* 3. *variar. diſp. diſp.* 4. qui optimè eam ex ſacris litteris, Conciliis, & Patribus, deducunt. Quod enim æquivalentibus verbis hæc diviſio actualis auxilij in divinis literis habeatur, ſatis eſt manifeſtum. De auxilio enim ſufficienti probatur primò ex illo Proverb. *cap.* 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, & in capite turbarum clamitat*; quem locum communiter ſancti de auxilio ſufficienti interpretantur. Iſaiæ *cap.* 5. *quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci*: ſi autem eis auxilium ſufficiens non dediſſet, quo poſſent converti, non diceret Dominus quid ultra debui facere & non feci. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Iſta autem volitio congregandi illos, exhibitio auxilij ſufficientis fuit, quo eos ſub ſe congregare voluit, Dominus, ut communis eſt etiam ſanctorum explicatio; nec aliud illud teſtimonium poteſt atteſtari. Apocalip. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Clariùs eſt illud act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*: auxilio enim ſufficienti Spiritus ſancti reſiſtebant. Hoc ſufficiens auxilium clariſſimè traditur in illa parabola de vocatis & invitatis ad nuptias, qui noluerunt venire. Idem docetur Proverb. primo: *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret me; deſpexiſtis omne conſilium meum.* Item Rom. 2. Apoſtolus idem docet cum ait: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longaminitatis contemnis; ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Hæc quidem teſtimonia de ſolo auxilio ſufficienti procedunt: ſed ſunt alia, quæ de auxilio ſufficienti expreſſis terminis loqui videntur, quæ tamen non de ſolo ſufficienti ſeparato ab actione intelligenda ſunt, ſed de ſufficienti conjuncto cum actu ipſo, quod auxilinm efficax eſt; tale eſt illud Apoſtoli 2. *ad Corinth.* 3. ſæpe repetitum in his materiis: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Non enim ſolùm negat ex nobis eſſe ſufficientiam conjunctam actui bonæ cogitationis, ſed etiam ſufficientiam & poſſibilitatem ad ſic cogitandum. In verbis autem illis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, omnem etiam ſufficientiam, ſive ab actu ſeparatam, ſive cum actu conjunctam comprehendit.

Simile eſt illud ejuſdem Apoſtoli ad Philip. 4. *cap. Omnia poſſum in eo qui me confortat*; Vbi non ſolùm 94
à Deo ſe habere ſufficientiam & poſſibilitatem, qua bene poſſit omnia operari, quæ ad ejus miniſterium pertinebant, ſed etiam ſe à Deo habere illam ſufficientiam & poſſibilitatem cum actu ipſo conjunctam, qua à Deo confortatus illa efficiebat. Teſtatur idem illud, quod Dominus illi oranti, ut diſcederet ſtimulus carnis, reſpondit; *ſufficit tibi gratia mea*: Non tantùm ei dixit ſufficientem eſſe divinam gratiam ad reſiſtendum tentationibus, ſed ita ſufficientem quod de facto illis per eam ipſe reſiſteret. Itaque non de auxilio ſolùm ſufficienti quod ab actu ſeparatur, ſermo fit; verum etiam de auxilio ſufficienti, quod ſolet dici completè ſufficiens, quod proindè cum actu ipſo conjungitur. Eodem modo

Digitized by Google

intelligitur illud Christi Domini, *sine me nihil potestis facere*; ubi tota possibilitas bene operandi sive cum actu conjuncta, sive ab actu separata, sine Christo haberi posse negatur.

Ex dictis constat auxilium sufficiens dupliciter accipi: uno modo pro sufficienti imperfecto sive incompleto, alio modo pro sufficienti perfecto sive completo: primum est quod solùm dat possibilitatem, & veras sufficientes vires tantùm, quod proindè non habet operationem certam respectu cujus sufficiens dicitur; & istud solet dici auxilium solùm sufficiens. Secundum est perfectum atque completum sufficiens quod semper infert actum, dicitur ita sufficiens quod sine alio de facto actum producit: & istud est re ipsa auxilium efficax, quia semper de facto simul actum efficacem producit. De auxilio autem efficaci, efficaciora sunt etiam alia divinæ scripturæ testimonia, quæ æquivalentibus verbis illud exponunt, ut est illud Ezech. 36. *Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*; quo sæpissimè ad probandam efficaciam divinæ gratiæ utitur S. P. Augustinus in libris contra Pelagianos. Et illud Christi Domini *Ioan. cap. 6. Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me*; quod efficaciam gratiæ apertè tradere præcedenti capite ex Sancto Patre Augustino ostensum est, & illud aliud *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* In quo priora verba procedunt de potentia actui conjuncta, ut sequentia nunc relata manifestant. Et illud Apostoli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere*; quæ quidem procedunt de omni auxilio efficaci, sive sit ad credendum, sive ad bene operandum. Sunt autem alia, quæ specialiter tradunt nobilissimum auxilium efficax, quale est donum perseverantiæ, ut est illud *Ioan. cap. 10. Non rapiet illas quisquam de manu mea, & non peribunt in æternum.* Et illud Rom 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est. Iacob dilexi Esaü autem odio habui:* Et illud ad Rom. 8. *quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, &c.* quæ de vocatis secundùm Dei efficax propositum manifestè intelliguntur.

95 Hoc efficax auxilium apertè traditur in parabola de invitatis ad prandium Matth. 22. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis vocate ad nuptias*; ex quibus nuptiæ impletæ sunt. Sed clarissimè *Luca* 14. In parabola de invitatis ad cœnam illis verbis: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare.* Quibus verbis, efficaciori quo potuit modo, vim, & virtutem auxilij efficacis Evangelista explicuit.

96 Secundò hæc eadem divisio divini auxilij insufficiens & efficax traditur apertè in Conciliis; de sufficienti enim auxilio Concilium Arausicanum secundum *Canone* 19. sermonem facit dum definit: *cum sine gratia Dei salutem non possit homo custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* De auxilio autem efficaci signanter in *Canone* 9. ait. *Divini muneris est, cum rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus; quoties enim bona agimus Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur.* Concilium autem Tridentinum *sess. 6. cap. 5.* cum dividit gratiam per excitantem, & adjuvantem, illam reipsa & per alia verba dividit per sufficientem & efficacem (ut jam superiùs diximus, & hîc ampliùs venit explicandum.) Etenim nomine gratiæ excitantis planè intellexit gratiam sufficientem per quam homo sufficienter ad justificationem movetur, sed si aliud adjutorium perfectiùs, nempe gratiæ adjuvantis non tribuatur, patres Concilij in superioribus relatis manifestè tradiderunt, quod conversio non sequitur, sed illi excitanti gratiæ homo resistit; imò ipsum Concilium *cap. illo 5.* id expressè docuit, cum dixit, quod illuminationem & inspirationem, quæ sunt gratia excitans, homo potest abjicere, in sensu videlicet composito: imò de facto ea, si sola sit, abjicitur. Per adjuvantem autem gratiam planè intellexit eam quæ ita adjuvat, ut homo sic adjutus excitanti & adjuvanti cooperando consentiat; ut in illo *cap. 5.* exposuit. Deindè in *Canone* 3. cum diffinit *si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, ac pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. Anathema sit:* per illa verba, *sine præveniente Spiritus sancti inspiratione*, planè auxilium sufficiens significat, & per illud verbum, *adjutorio*, apertè significat auxilium efficax, quo adjutus homo cum effectu convertitur.

Item *cap.* 11. ait: *Deus impossibilia non præcipit*; 97
sed præcipiendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Et illico subjungit, quod cum divino auxilio, quæ Deus jubet præstare possumus. De auxilio autem efficaci extat Canon ille quartus, qui in hac materia est frequentissimus: *si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, &c.* Quem de efficaci gratia procedere omnibus hinc inde in confesso est. Vnde quod hîc iterum repetimus insignis Salmantissensis Academia in sua specificata censura *propositione prima* ita habet: *concedenda est divisio gratiæ in gratiam excitantem & adjuvantem*; sive auxilij *in auxilium sufficiens & efficax* quam *ibi* colligi dicit ex sacris litteris, quod ex relatis scripturæ testimoniis probat, & signanter ex Concilio Tridentino *locis citatis.*

Tandem hæc eadèm divisio auxilij sufficientis 98
& efficacis traditur à Concilio Colonienſi *in Enchiridion de Sacramento pœnitentiæ*, ubi sic ait: *Præparatur, teste Salomone, voluntas hominis à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur: Gratia præveniens duplex est, una qua Deus prævenit peccatorem ut surgat: altera qua peccator prævenienti Deo assentiens jam resurgit. Vtramque voluntatem nostram prævenit Deus: sed priorem subministrando solus operatur; in altera voluntas nostra Deum prævenientem subsequens per velle seu assensum remissionem peccatorum accipiendo cooperatur.* Quibus verbis apertissimè gratiam excitantem & adjuvantem seu sufficientem & efficacem tradit, & utramque prævenientem affirmat, & sicut excitantem seu sufficientem docet prævenire ut peccator resurgat: ita secundam tertiam prævenire docet, & de facto velle ut assensum eliciat. Quibus verbis potuit clariùs prævenientem Dei efficaciam ex Deo ipso efficacem exponere? Docetque hanc efficacem gratiam licet sit subsequens respectu prioris excitantis seu sufficientis; esse tamen prævenientem respectu consensus quem efficit, & ad quem movet.

Traditur ergo manifestè divisio auxilij in suffi- 99
ciens & efficax à Concilio Tridentino æquivalentibus verbis. Vnde errat Modernus ille Author, qui dicit non accipiendam divisionem auxilij in sufficiens & efficax, sed tantùm illam quæ ex Concilio Tridentino habetur, in excitans & adjuvans auxilium; non intelligens eandem omninò esse

vocibus

Digitized by Google

vocibus diversis, nec sine causa & ante Concilium Tridentinum, & post illud utuntur Theologi, his vocibus, *sufficiens* & *efficax*: quia cum plerique, & ante Concilium, & post ipsum non rectè intelligant, quid sit gratia excitans à Concilio tradita; & quid adjuvans: opportuit per has voces (*sufficiens* & *efficax gratia*) exponere & explicare quid Concilium per illas his æquivalentes (*excitans* & *adjuvans gratia*) intendat.

100 Ex Sanctis Patribus, ne in re nota immoremur, minùs necessarium putamus hoc ipsum ad longum probare. Sufficiat S. Pater Augustinus, cujus vel sola authoritas in hac parte tanta est ut unus pro millibus computetur; in *libro de correct. & gratia cap.* 12. ex professo de divisione horum auxiliorum agens, sic dixit: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt, aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit.* Adjutorium sine quo aliquid fit, sufficiens est; adjutorium verò quo aliquid fit, est efficax, cujus prioris exemplum statuit in adjutorio quo potuit Adam perseverare: posterioris autem in adjutorio, quo de facto prædestinati perseverant, & *cap.* 11. præmiserat inter alia loquens de adjutorio sufficienti quod habuit Adam ad perseverandum, *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Contra quod contra ponit auxilium efficax, quod Deus Sanctis tribuit, subdens: *Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus.* Deinde *libro de prædest. sanct. cap.* 16. apertè duplicem ponit vocationem, alteram eorum qui vocati ad nuptias noluerunt venire; alteram verò eorum, qui vocati venerunt: prima fit per auxilium sufficiens, cui homines non consentiunt: secunda per efficax, quæ eos facit consentire: & hanc secundam vocationem tradit etiam Apostolus his verbis, *ipsis autem vocatis*, &c. De qua efficaci vocatione, quia sunt plura S. Patris Augustini testimonia expendenda inferiùs, cum tractabimus ex professo, non de auxilij divisione in sufficiens & efficax sicut nunc agimus, sed in particulari de auxilio gratiæ efficaci: idcircò modò non inducuntur. Sed alia sub brevitate testimonia ejusdem Doctoris Sancti inducamus, quibus divisionem gratiæ in sufficientem & efficacem clariùs proponit. Etenim in *libro* 83. *quæst. q.* 68. in illis verbis. *Ad illam Cænam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati fuere, venire voluerunt, nec illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt, venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi : : : propterea & si quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus est; qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij ut vocaretur; sic inchoat meritum supplicij, cum vocatus venire neglexerit.* Et *ibidem* affirmat Pharaonem fuisse vocatum & potuisse venire; sed, quia noluit, meruisse obdurationem. Ex quo testimonio duo nobis proponuntur: alterum, non omnem vocationem efficacem esse; cum multi vocati non veniant: alterum, omnes vocatos habere auxilium sufficiens ad veniendum: quoniam ideo justè puniuntur (ait Sanctissimus Doctor) quia, cum possent venire, nimirum per auxilium sufficiens quod habebant, vocati tamen venire neglexerunt.

101 Similiter idem S. Doctor *libro primo ad Simplic. quæst.* 2. Et *de correct. & gratia cap.* 7. docet omnes justificatos posse perseverare si volunt. Quod & definitur in Concilio Arausicano *cap.* 25. & in Tridentino *sess.* 6. *de justificat. cap.* 13. Ex quo concluditur omnes justificatos habere auxilium sufficiens ad perseverandum non tamen habere omnes auxilium efficax, cum de facto illorum multi non perseverent. Quod verò detur auxilium gratiæ efficax, in omnibus suis libris contra Pelagios & Semipelagios docet frequenter, videatur *libro* 2. contra Iulianum *cap.* 8. *de corrept. & gratia, cap.* 11. & 12. *de dono perseverantia.*

CAPVT IX.

Divisio actualis auxilij in efficax, & sufficiens amplius explicatur.

102 AD explicandam efficaciam divini auxilij uti solet Sanctus Augustinus nominibus superlativis, ut in *libro de gratia, & libero arbitrio, cap.* 16. dicens. *Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et *lib. de dono persever. cap.* 14. *Hæc prædestinatio Sanctorum*, ait, *nihil aliud est quam præscientia, seu præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Et *libro de corrept. & gratia cap.* 8. *Quando rogavit ne fides ejus* (scilicet Petri) *deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem*; sunt alia innumera pene Sancti Patris Augustini testimonia pro efficaci Dei auxilio, quæ si ad longum essent referenda, ferè omnes ipsius libri contra Pelagianos essent transcribendi ex his aliqua infra agentes de auxilio efficaci gratiæ apponemus; ubi etiam ex aliis Sanctis Ecclesiæ Doctoribus idem confirmabimus. Nunc enim breviter solùm de divisione gratiæ in sufficientem, & efficacem sermonem facimus.

103 Dixisse quidem Sanctum Thomam in multis suæ doctrinæ locis Christi Domini passionem ex se sufficientem esse pro salvandis omnibus in universum hominibus, quamvis ex eorum defectu non in omnibus effectum habeat, notissimum est; sed tunc non de actuali auxilio quod hominibus datur, in ipsisque intrinsece est, agit; sed de illo generali & extrinseco remedio, quod pro omnibus sufficienter paratum est, in cujus virtute alia efficacia auxilia conferuntur.

104 Similiter dixisse gratiam esse sufficientem causam gloriæ, & quod minima gratia baptismalis sufficiat ad delenda omnia peccata; imò quod contra peccata efficacissimum remedium sit gratia, etiam in Sancto Thoma est manifestum. Pari ratione multoties Dei motionem, Dei auxilium nominasse, & reipsa efficax esse, tradidisse, innumera pene loca testantur. 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 9. & *quæst.* 112. *art.* 3. *in corp.* 2. 2. *quæst.* 24. *artic.* 1. & alibi frequenter; quæ testimonia inducta sunt copiosè nostro tertio libro. Cæterum divisisse, seu distinxisse Angelicum Doctorem, auxilium gratiæ actuale in sufficiens & efficax non ita apertè in ipso invenitur expressum. Vnus tamen locus est in quo cum Sancto Patre Augustino præcedenti capite relato hanc divisionem auxilij in sufficiens & efficax reipsa tradit 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10 *ad* 3. ubi sic dicit. *Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit in libro de natura, & gratia homo*

Digitized by Google

homo in primo ſtatu accepit donum per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulteriùs eis datur quod perſeverent, & ſic donum Chriſti eſt majus quam delictum Adæ. Vbi manifeſtè diſtinguit auxilium illud quo homo poteſt perſeverare (quod ſine dubio eſt illud quod ſufficiens vocatur) ab auxilio quo de facto homo perſeverat, quod ſecundùm omnes eſt efficax: ergo in hoc teſtimonio hanc diviſionem actualis auxilij in ſufficiens & efficax æquivalentibus omninò vocibus docet, & cum Sancto Patre Auguſtino tradit, eſtque teſtimonium adeo palmarium, ut minùs neceſſe ſit alia vel inquirere, vel inquirendo multiplicare. Per evidentem autem conſequentiam ex doctrina ipſius id poſſemus multipliciter deducere, ſed hîc formalia, & expreſſa teſtimonia tantùm inducimus.

105 Pro eadem diviſione auxilij in efficax & ſufficiens inſigne teſtimonium habetur Sancti Cyrilli *in lib. de adorat. & cultu in ſpiritu & veritate*, ubi narrans hiſtoriam *Geneſ. 19. cap.* quomodo Loth, Angelos hoſpitio recepit; & quomodo ipſi apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris ejus & filiorum; & myſticè explicans illam manuum apprehenſionem, in primo inquam illo libro ſic legit impreſſione Pariſienſi anni 1604. *Scriptum namque eſt iterum: cum verò mane factum eſſet, urgebant Angeli Loth dicentes, accipe uxorem tuam, & duas filias tuas quas habes & exi no & tu pereas cum iniquitatibus civitatis; & turbati ſunt & tenuerunt Angeli manum ejus, & manum uxoris ejus, & manum filiarum ejus, eò quod Dominus parceret illi:* Sed & vulgata editio ſic habet: *Diſſimulante illo apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, ea quod parceret Dominus illi.* Super quæ verba ita dicit Cyrillus: *Id porrò eſſe argumento evidentiſſimo poteſt, nam non verbis tantum, & admonitionibus in animum immiſit incitari; ut à peccatis recedamus, ſed etiam ad eam erga nos benignitatem deſcendere omnium Salvatorem Deum ut efficaci nos auxilio juvet, juxta illud tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me; nam quia hominis natura non eſt admodum firma, nec ſatis virium habet, ut emergere è vitiis poſſit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoſcitur, cum enim monitis ſuadet, tum adjuvandi rationes invenit, eaſque præſenti malo, vimque nobis afferente valentiores efficit.* Sed alia tranſlatio ſic legit. *Indicium tibi ſit valde manifeſtum, dum non ſolis verbis, nos ſtimulat, & adhortationibus menti immiſſis ut diſcedamus à peccato; ſed tantam benignitatem nobis etiam exhibet, univerſorum ſalvator Deus, ut efficaci ſubſidio adjuvet, ſecundùm quod ſcriptum eſt, apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me; nam quia hominis natura non valde generoſa eſt, neque ſatis idonea ut malum effugere queat, ſimul quodammodo nobiſcum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, perſuadens admonitionibus, ut ſubſidium inveniamus, & fortius illud præſtans, quam ut malum præſens, & violentum prævalere poſſit.* In utraque autem littera expreſſis verbis duplex diſtinguit auxilium gratiæ, aliud ſufficiens, quod per excitationes menti immiſſas, & ad motiones, & monita explicat: aliud autem contra hoc diſtinctum, quod & efficax vocat, & fortiùs, ſeu valentiores præbens rationes adjuvandi. Ex quo videntur Patres Concilij Tridentini ſuperiùs inducti ſumpſiſſe verbum illud, *fortiùs*, cum dixerunt, quod præter gratiam excitantem, quibus Deus vult fortius aliud auxilium tribuit quo convertuntur.

Ratione eadem diviſio probatur: nam in divinis litteris aliqui peccatores reprehenduntur eò 106
quod, cum Deus ipſe fecerit id quod ſatis erat ad eorum converſionem, ipſi converſi non ſunt: ergo illi habuerunt auxilium ſufficiens quo converti potuerunt. Patet conſequentia: quia aliàs ſi Deus eis non dediſſet auxilium ſufficiens, nec de illis conquereretur, quod cum ipſe fecerit in eis id quod ſatis erat ad illorum converſionem ipſi non ſunt converſi; quomodo enim feciſſet ſatis, ut illi converterentur, ſi nec auxilium efficax, nec etiam ſufficiens eis conceſſiſſet. Antecedens conſtat ex illo Ioan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis; quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me; & patrem meum.* Procul dubio ex illo loco conſtat illos habuiſſe auxilium ſufficiens ad credendum. Item per Iſayam de eiſdem dicit: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quo etiam teſtimonio intelligitur, dediſſe eis Dominus ſufficiens auxilium ad ſalutem.

Deinde aliqui Spiritui Sancto reſiſtunt: ergo 107
habent auxilium ſufficiens: quia ſi efficax haberent, nec reſiſterent; ſi autem nec ſufficiens fuiſſet datum, nec verificaretur quod Spiritui Sancto reſiſtunt. Antecedens conſtat ex illo: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Actuum. 7. capite.

Præterea ſi non datur auxilium ſufficiens di- 108
ſtinctum ab efficaci, Adam non ſua culpa cecidiſſet. Probatur: nam non habuit auxilium efficax ad perſeverandum, quia ſi haberet perſeveraret: vel ergo habuit ſufficiens auxilium ad perſeverandum, vel non? Si habuit, habetur intentum; quod nimirum detur auxilium ſufficiens ad perſeverandum diſtinctum ab auxilio efficaci quo quis perſeveret: ſi autem non habuit ſufficiens auxilium quo poſſet perſeverare: ergo non ſua culpa ei imputatur non perſeverando. Conſequentia eſt S. Patris Auguſtini *libro de correct. & gratia capite* 11. Et ratio eſt quia non habuit id quo perſeverare poſſet, & ex alia parte ex priori ſuo demerito ei negatum non eſt: manifeſtum eſt autem, quod nemini imputatur ad culpam, ſi non faciat quod non poteſt, nec ex culpa alia ſua illam contraxit impotentiam.

Tandem ſi non daretur auxilium ſufficiens 109
diverſum ab efficaci, ſequeretur Deum priùs juſtos deſerere, quam deſeratur ab eis, quod non ſolum contra doctrinam Sancti Patris Auguſtini eſt, ſed etiam contra eam quam tradit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 11. Probatur ſequela. Nam quando juſtus peccat à juſtitia cadens non habuit auxilium efficax ad reſiſtendum peccato, ſi enim illud haberet, utique non peccaret, ſi autem nec habuit auxilium ſufficiens, deſertus planè videretur priùs quam Deum deſereret: quia cum privetur auxilio, quo poteſt peccato reſiſtere, & ſine culpa eo privetur, illo deſereretur ſine quo reſiſtere peccato non poteſt, & ante omnem actum quo Deum deſerat, ab illo deſeritur. Nec ſufficit reſpondere, etiam ſi Deus auxilium ſufficiens neget juſtificatis quo poſſint

Digitized by Google

possint peccato, & tentationi resistere, eos non deserere, quia deserere est averti ab eis, à quibus tamen non avertitur, & ab illorum amicitia, nisi illi priùs avertantur ab illo. Non, inquam, sufficit, quia Concilium Tridentinum aperte docet *ubi supra* Deum non deserere justos, quia eis non negat auxilium sufficiens: nam dicit, eos, qui piè vivunt posse in bono proficere: quia Deus eos non deserit, nisi priùs deseratur ab eis: si possunt in bono proficere: ergo habent auxilium sufficiens, ex eo quod Deus justos non deserit, nisi priùs deseratur ab eis: ergo supponit Concilium, quod si ejus non haberent auxilium sufficiens, quo possent in bono proficere, Deus eos desereret priùsquàm deseratur ab eis. Et quidem sic esset: cum enim justi non possint in bono proficere nisi auxilium sufficiens ad id habeant, & ante omnem eorum culpam eis negaretur, eos Deus desereret negando sine illorum culpa eis id sine quo in bono proficere non possunt. De auxilio autem efficaci nec rationem formamus modò, quia plures & efficaciores assignandæ sunt infra cum ex professo de efficacia gratiæ erit agendum.

110 Nec contra hanc divisionem auxilij in efficax & sufficiens aliquid probant argumenta illius moderni authoris. Quod enim primò opponit sufficere auxilium excitans, & adjuvans, in quæ Concilium Tridentinum dividit auxilium gratiæ, dictum est supra idem omninò esse divisionem illam cum ista, & per verba æquivalentia idem omninò tradi per utramque.

111 Quod secundò opponunt nomen gratiæ efficacis inventum fuisse Calvini 2. *libro instit. cap. 3. n. 11.* dicentis. *Itaque secus accipi sententia Christi potest: Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me, ut efficacem à se ipsa Dei gratiam doceat:* In primis hoc non opponerent, si attenderent in Sancto Patre Augustino nomen efficacis gratiæ contra Pelagianos usitatum esse, loquens enim de Paulo inquit: *Vt autem de cœlo vocaretur, ex tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Si oppositori displicet nomen, *efficax gratia*, accipiat in Sancto Patre Augustino efficacissimam: *Ille facit*, inquit, scilicet Deus, *ut faciamus prabendo vires efficacissimas voluntati.* Errat igitur oppositor, quia nesciens distinguere efficax gratiæ auxilium, quod est simul excitans & adjuvans ex Concilio Tridentino traditum, per quod efficaciter homo adjuvatur, ut liberè operetur, quod Sanctus Pater Augustinus cum antiquioribus Conciliis, quæ postea Tridentinum confirmavit, semper contra Pelagianos docuit, illud confundit, cum motione efficaci per modum naturæ sine excitante, & adjuvante gratia, quod errando Calvinus confinxit. Nec nobis placet ille modus loquendi, *auxilium efficax ex se*, vel, *ex natura sua*, licèt enim sanum sensum contineat cum à Catholicis usurpatur (ut infra suo loco dicemus) ad tollendas tamen cavillationes, & æquivocationes hujus temporis, satius est dicere, *auxilium ex Deo ipso efficax*, & ut venit à Deo independenter omninò ab humana voluntate, nec aliud intelligunt Catholici qui dicunt auxilium esse efficax ex se.

112 Objiciunt etiam contra hanc divisionem, quod unum membrum divisionis, scilicet auxilium sufficiens includitur in gratia efficaci contra omnem regulam, bonæ divisionis. Probant; nam gratia efficax est à fortiori sufficiens: si enim actu homo per illam operatur: ergo potest à fortiori bene operari: si enim per eam non posset bene operari nec operaretur: ergo efficax gratia est sufficiens.

Ad hoc viri docti solent respondere, quod gratia 113
sufficiens eminenter includatur in gratia efficaci, non autem formaliter, quia auxilium sufficiens est quod tribuit tantùm posse operari; gratia autem efficax, quamvis tribuat posse bene operari, non tamen confert solùm posse, sed actualiter ipsum operari; sicut vegetativa anima, & sensitiva formaliter distinguntur ab anima rationali, quia dant tantùm vegetativum gradum, & sensitivum: at verò ipsa anima rationalis includit vegetativum, & sensitivum eminenter, sed multò magis placet solutio secunda, quæ ab eisdem etiam traditur; nimirum quod quotiescunque homo bonum efficaciter operatur, Deus sicut movet hominem per gratiam excitantem & adjuvantem, ita semper movet per gratiam formaliter sufficientem, qualis est excitans gratia, & per formaliter efficacem, qualis est adjuvans, ut sæpè dictum est. Vnde de ratione gratiæ adjuvantis seu efficacis est, quod præsupponat sufficientem, & super vires sufficientes illius addat vires efficaces.

Ex dictis duo manifestè sequuntur: Primum, 114
quod auxilium formaliter sufficiens, & formaliter efficax non realiter sed formaliter tantum distinguuntur. Sicut formaliter solùm distinguuntur gratia excitans, & gratia adjuvans, ut supra in *hoc 4. libro* manet probatum: & etiam in primo, cum de gratia excitante, & adjuvante actum fuit. Secundum quod manifestè, sequitur est, quoties homo efficaciter ad bonum actum supernaturalem movetur, simul concurrere auxilium formaliter sufficiens. Cujus ratio est; quia simul concurrent gratia excitans & adjuvans. Quod si aliquando in his operibus nostris dictum inveniatur, non oportere, quòd cum homo efficaciter movetur, simul concurrat auxilium sufficiens cum efficaci, hoc in duplici verò sensu à nobis dictum fuisse intelligatur: primus sensus est, quòd non oportet esse simul auxilium sufficiens, & efficax; ita quod ut duo realiter distincta auxilia concurrant, secundus sensus est, non oportere quod immediatè ad actum super naturalem efficiendum concurrat auxilium sufficiens, sicut immediatè concurrit auxilium efficax. Non tamen intendimus, quod auxilium sufficiens mediatè ad talem actum non concurrat; imò hoc expresè esse debere asserimus. Sicut enim priùs Deus per gratiam excitantem movet, & posterius per adjuvantem, ita priùs per excitantem vires sufficientes tribuit, quibus mediatè movet ad actum liberum, & postea per adjuvantem efficienter, & immediatè supernaturalem actum liberum ducit.

Cum autem objiciunt: auxilium efficax destruit 115
verum auxilium sufficiens, quam falsum hoc sit, efficaciter infrà ostensuri sumus: multa etiam objici solent sine delectu, utpote quod auxilium efficax multiplex sit, & ex consequenti, quod non sit unum membrum illius divisionis sed multiplex, frivolum est, quasi non possit alicujus divisionis membrum unum postea subdividi in plura alia: quòd sæpissimè contingit: sic ergo dicimus auxilium sufficiens per quod homo potest bene operari, posse dividi contra auxilium efficax, quod actualiter ipsum operari tribuit. Hoc autem postea subdividitur in plura efficacia auxilia, quæ dantur ad plures actus diversos à primò efficaci in suo genere, & ordine imperfecto usque ad ultimum, & omnium perfectissimum.

Sunt autem hæc efficacia auxilia, vel quatuor, 116
vel quinque diversa; primum est efficax auxilium ad habendam attritionem, quam donum Spiritus Sancti

Digitized by Google

esse nondum inhabitantis, sed ad justitiam disponentis docet Concilium Tridentinum, & hoc est inter efficacia auxilia imperfectum. Secundum est auxilium efficax ad credendum, quando simul homo non justificatur. Tertium est efficax ad justificationem. Quartum efficax ad proficiendum in bono. Quintum, & ultimum, & omnium perfectissimum est efficax ad perseverandum, quod solet dici proprium prædestinatorum, vel eorum qui secundùm propositum vocantur, sicut supra diximus, quod adjuvans gratia, quæ est auxilium sufficiens, dividitur in operantem, & cooperantem, & licet ibi dixerimus, quatuor esse auxilia efficacia, id ideo dictum est, quia auxilium ad credendum non distinximus ab eo, quod est ad justificandum, cum regulariter qui incepit credere, justificetur; sed hic distinguimus illa duo, pro illo casu, quando contingat quempiam infidelem credere, sed non justificari.

CAPVT X.

Divisionem actualis auxilij in efficax & sufficiens sumendam esse ex parte ipsorum auxiliorum provt à Deo veniunt independenter ab humana voluntate.

117 QVia ostensum est supra divisionem auxilij in efficax, & inefficax non esse sumendam ab effectu, scilicet ab humana cooperatione, nec immediatum divisum in illa divisione esse auxilium, quod ex Deo veniat sufficiens, & ab homine reddatur efficax, vel inefficax. Et similiter ex divinis litteris, Sacris Conciliis, Patribus, ac rationibus Theologicis manet probatum necessariò illam divisionem actualis auxilij in efficax, & sufficiens esse recipiendam, convincitur divisionem talis auxilij actualis in efficax & sufficiens ex parte ipsorum auxiliorum sumi debere independenter ab humana voluntate, ejus cooperatione, atque consensu, ex Deo ipso, & ex vi divinæ motionis antecedenter ad omnem humanæ voluntatis consensum, & cooperationem; hoc enim ex dictis apertè concluditur in hunc modum: Divisio actualis auxilij in efficax, & sufficiens necessariò admittenda est; sed illa non potest sumi ab effectu, idest, ab humana cooperatione: ergo sumi debet ex parte ipsorum auxiliorum, prout à Deo donantur antecedenter ad omnem humanam cooperationem. Major ex allatis testimoniis satis ostenditur. Minor, ex impugnatione illius sententiæ, quæ ab effectu, & cooperatione arbitrij talem divisionem desumi aiebat manifestè constat: ergo ex parte auxiliorum ipsorum prout ex Deo veniunt ante omnem humanum consensum desumenda est. Patet consequentia à sufficienti partium enumeratione. Vel enim auxilium debet efficax esse, aut sufficiens, ex homine, & ejus cooperatione, & non ex Deo: vel è contra ex Deo ipso, & non ex homine; nec enim aliud est, aut esse potest à quo hujusmodi auxilia efficiantur efficacia, vel tantùm sufficientia. Cum ergo ex homine, vel ejus cooperatione, vel effectu, quod idem est, non possit accipi, necesse est quod ex Deo ipso, & ex vi divinæ motionis antecedenter ad humanum consensum desumatur.

118 Deinde quæ ex Concilio allata sunt supra rem efficiunt clariorem: dividit enim, ut visum est, auxilium in excitans, & adjuvans, & utrumque ut à Deo venit; ut ostendimus: à Deo ergo venit, & ex vi ejus divinæ motionis auxilium tam excitans, quàm adjuvans; excitans autem est sufficiens, adjuvans efficax, ut etiam dictum, & ostensum est supra: ergo à Deo, & ex vi ejus motionis divinæ venit auxilium tam sufficiens, quam efficax.

Quod autem auxilium excitans sive sufficiens 119
ex Deo ipso veniat independenter ab humana voluntate isti authores, cum quibus ista tractamus, apertè concedunt, cum omne auxilium, prout ex Deo venit, velint esse tantùm sufficiens, reddendum ab homine efficax, vel inefficax. Quod autem efficax veniat à Deo, in quo punctus difficultatis cum illis, & adversùs illos consistit, non hîc sub brevitate dicendum, sed infra copiosissimè, & magna efficacitate monstrandum est, cum divinæ gratiæ efficacitatem contra ejus impugnatores multiplici via omnibus ostendemus.

Nec etiam distinctio in auxilium sufficiens, & 120
efficax ex parte ipsorum auxiliorum proportionabiliter sumitur ex rebus seu causis naturalibus in quibus secundum omnem Philosophiam dividitur causa in causam, in potentia quæ potest operari, separatam tamen ab operatione; & in causam in actu, sive conjunctam cum operatione. Ædificator enim causa est in potentia, quæ ædificare potest; sed ab actuali operatione secernitur: ædificans verò causa est in actu, cum operatione conjuncta. Quæ causarum distinctio ex ipsis causis à priori provenit. Sic ergo proportionabiliter in ordine gratiæ est auxilium potens operari; sed ab operatione ad quam ordinatur, separatur. Auxilium autem efficax est causa in actu cum operatione conjuncta. Dixi, sufficiens auxilium esse causam separatam ab operatione ad quam ordinatur, quia cum alia operatione conjuncta causa est, respectu cujus est efficax, ut infra dicemus.

Interim quæret aliquis, an sicut concedendum esse 121
diximus ex Deo ipso, & vi divinæ motionis independenter omnino ab humana voluntate, & ante omnem ejus cooperationem auxilium quod sit efficax; aliud verò quod sit sufficiens: ita concedi debeat dari ex Deo ipso ante omnem humanum consensum auxilium, quod inefficax sit, ita ut sicut rectè dividitur auxilium Dei actuale in efficax, & sufficiens, & hoc ex Deo ipso independenter ab humana cooperatione, ita rectè dividatur actuale gratiæ auxilium in efficax, & inefficax & hoc ex Deo ipso, & ex vi ejus divinæ motionis independenter ab humano consensu. Et quidem videtur id esse concedendum: nam auxilium sufficiens ut à Deo venit, non est efficax, & est: ergo ut venit à Deo, est non efficax: ergo ut venit à Deo, est inefficax.

Pro resolutione notandum auxilium sufficiens du- 122
pliciter posse considerari, seu duplex esse: alterum, quod ut à Deo venit est tantùm sufficiens, ita quod non ordinatur à divina voluntate ad efficax, sed manet præcisè sufficiens, nec per illud de facto homo efficit id ad quod de facto est sufficiens: alterum vero quod ex divino beneplacito ordinatur ad efficax; itaut divina efficax vocatio incipiat in illo sufficienti (quod, ut diximus, est gratia excitans) & terminetur ad efficax quod est gratia adjuvans, & per illam compleatur.

Quo supposito breviter dicendum, sive unum, 123
sive alterum auxilium sufficiens præscindendo ab efficaci, cui aliquando conjungitur, ut à Deo venit non esse efficax, negativè scilicèt, ut propositio sonat. Hoc manifestum est: quia de ratione auxilij sufficientis sunt duo; alterum, quod per illud benè operari possit homo: alterum, quod non habeat efficaciam, ut de facto faciat hominem operari: sicut infra exponemus. Imò in hoc distinguitur ab efficaci,

Digitized by Google

caci, quod efficax, ut nomen præfert, habet efficaciam; quo homo de facto convertitur: sufficiens verò illam non habet: ergo quodcumque auxilium sufficiens, sivè ordinetur à divina voluntate ad efficax, sive non, ex propria ratione non est efficiens, nec efficaciam habens. Nec hoc majori indiget probatione.

124 Dicendum secundò auxilium sufficiens quod ex divina voluntate ordinatur conjunctum habens efficax; ita quod in illo divina efficax vocatio incipit, & per efficax completur, non est privativè, nec positivè inefficax. Prima pars ostenditur, quia illud sufficiens auxilium ex propria ratione non est aptum natum habere efficaciam: ergo cum illa caret, vel eam non habet (ut in prima conclusione præmisimus) non est privativè inefficax: quia privatio semper debet esse in subjecto apto nato. Antecedens autem satis constat; quia repugnat propriæ rationi auxilij sufficientis ut sic, quod efficaciam possit habere; non est ergo tale auxilium aptum natum habere efficaciam. Sicut ergo de Deo dicimus, quod est infinitus negativè, non privativè; quia non est aptus habere finitatem, & hujusmodi sunt, & in Theologia, & in Philosophia exempla plura; ita auxilium sufficiens ex propria sua ratione non est efficax negativè, non tamen est inefficax privativè ob rationem inductam. Præterea, cum ordinetur ex divina voluntate ad hoc quod conjunctum habeat auxilium efficax, sive ad hoc quod efficax fiat, non potest dici commodè inefficax privativè.

125 Secunda pars probatur. Quia illud sufficiens auxilium à divina voluntate ordinatur ut efficax fiat: ergo non est dicendum positivè inefficax, sed potiùs dicendum est efficax initiativè, quia revera in illo incipit efficax divina vocatio. Antecedens patet ex hypothesi. Consequentia autem suadetur. Quia id quod est essentialiter, & positivè tale, non ordinatur positivè ad suum oppositum, nec est illud initiativè, ut per omnes contrarias formas inductivè discurrendo ex eis posset ostendi. Vna enim forma contraria nec ordinatur ad aliam oppositam, nec opposita in illa potest incipere, vel in illa initiari. Qua ratione Embrio à metaphysicis, licèt dicatur non animal, non tamen dicitur positivè & essentialiter non animal, quia ad animal ordinatur, & animal initiativè est. Imò aliqui etiam illam negativam, embrio non est animal, distinguere solent: non est animal actu, & sic concedunt, non est animal potentiâ, & sic negant. Vel, non est animal formaliter, concedunt: non est animal virtualiter, negant. Vel non est animal completè, concedunt; non est animal initiativè, negant. Quamvis autem non absolutè, & simpliciter concedendam putemus illam negativam, embrio non est animal, quæ solum negat esse animal actu, tamen concedendam non putamus affirmativam illam, quod est positivè non animal, ob rationem factam auxilium autem sufficiens, & efficax ex propriis rationibus opposita sunt, quia sunt membra per oppositum dividentia auxilium actuale, rationesque habent oppositas, ita quod unum formaliter nunquam potest esse aliud: opponuntur enim habere efficaciam, & non habere efficaciam; quorum primum est de ratione auxilij efficacis: secundum de ratione sufficientis: ergo auxilium sufficiens quod ordinatur ad efficax, non potest dici positivè, & essentialiter inefficax, sed est dicendum ex sua ratione non esse efficax, ordinari tamen à Deo, ut efficax sit, sive ut efficax reddatur.

Dicendum tertio etiam auxilium sufficiens, quod 126
præcisè manet intra terminos auxilij sufficientis, nec habet adjunctum efficax, non est dicendum positivè, aut privativè inefficax, sed tantùm non efficax negativè, ut dictum est. Quod privativè tale non dicatur, patet, ratione inducta; quia nec illud aptum natum est ex ratione propria habere efficaciam: ergo carentia illius in eo non est privatio efficacis auxilij: ergo illud non est inefficax privativè. Quod verò nec sit positivè inefficax, ostendi potest: quia auxilium sufficiens, ut à Deo venit, licèt non sit efficax, illud tamen offert, ita quod si homo illi non poneret impedimentum resistendo, fieret efficax, & Deus quod misericorditer incepit per sufficiens, perficeret per efficax: ergo tale sufficiens auxilium non debet dici positivè inefficax, sed potiùs positivè offerens efficax, & quantùm est ex propria ratione initiativè efficax. Patet, quia in illo ita efficacia initiatur, quod si homo non resisteret ei, efficax redderetur. Non potest autem dici positivè inefficax id, quod licet efficax actu non sit, offert tamen auxilium efficax, & illud quasi initiativè, & virtute continens nisi homo ei resistat: quia qua parte offert efficax repugnare videtur, quod sit positivè inefficax; nam id quod positivè inefficax est, omnem videtur excludere efficaciam, & formaliter, & virtualiter, & datam, & oblatam; nam cum forma positivè inefficaci compati non videtur etiam initiativè, seu virtualiter efficacia, sive oblatio illius: pro illa enim parte, qua ex ratione sua efficaciam offert; aliquam saltem virtualiter, vel potentialiter in sua ratione includit efficaciam, cum hac autem virtuali efficacia, seu oblatione illius.

Præterea per auxilium sufficiens potest homo 127
converti si velit: ergo quod non convertatur ex defectu auxilij non est, sed ex parte hominis (quod modò supponimus infra clariùs exponendum:) ergo auxilium sufficiens non est positivè inefficax ex ratione sua, & ut venit à Deo. Patet consequentia, quia si illud ex propria ratione ut venit à Deo, est positivè inefficax ex ipsomet auxilio, & ex ratione ejus est quòd homo non convertatur; quia ex eo quod ex ratione propria positiva inefficax est, per se sequitur, quod actio, vel operatio non fiat. Nam per se inefficacia operationis pendet à forma vel auxilio, quod per se, & ex propria ratione positivè inefficaciam habet. Sicut ergo non potest dici, quod habens auxilium sufficiens ex defectu illius auxilij non convertatur, ita nec dicendum videtur, quod illud sufficiens auxilium ex propria ratione sua sit positivè inefficax. Ad argumentum conceditur prima consequentia per regulam traditam: licet etiam illa non teneat, quando aliqua specificatio, seu reduplicatio intervenit in proportione, de quo aliàs. Negatur tamen secunda consequentia, vel claritatis gratia distinguitur. Est inefficax, idest, non est efficax conceditur, & ut sic sequitur ex regula: est positivè habens inefficaciam, negatur, quia id ex regula non sequitur.

Digitized by Google

TRACTATVS III.

DE AVXILIO SVFFICIENTI.

CAPVT I.

Quibus modis accipi soleat auxilium sufficiens.

1 VLTRA id quod præcedenti capite dictum est de auxilio sufficienti; alia quinque de eodem auxilio veniunt expendenda: Primum, quibus modis aliquid dici soleat auxilium sufficiens: Secundum, an illud auxilium, quod contra efficax condistinguitur, congruenter appellari possit, aut debeat sufficiens: Tertium in quo vera illius ratio consistat, ideſt an reipsa, & verè illud sit auxilium sufficiens: Quartum an in ordine ad aliquid sit efficax: Quintum & ultimum an omnibus in universum hominibus detur, nullo penitus excluso.

2 Circa primum, ut omnis æquivocatio (quæ semper, sed in hac potissimum materia, & causa confusionem parit, penitus auferatur) variè accipi solet auxilium sufficiens. Theologi enim, cum quibus disputamus auxilium sufficiens illud appellant, quod ut venit à Deo sufficientiam tribuit, & possibilitatem ad bene operandum, præter quod ex parte Dei nullum aliud est necessarium ut homo de facto convertatur, piéque operetur. Ita quod illo posito, quando homo vult illo bene uti, illud reddit efficax, & de facto convertitur: quando autem non vult, illud reddit inefficax, & non convertitur. Hoc igitur sic explicatum nominant ij authores auxilium sufficiens, quoties in libris suis de auxilio sufficienti sermonem instituunt; nec aliquod aliud sufficiens auxilium recipiunt, ut visum est supra. Quod tamen non esse verum auxilium sufficiens, quod à Theologis recipitur, & usurpatur, sed esse illud, quod contra veram Christi Domini gratiam Iulianus, Cassianus, & Faustus, & alij Massilienses introduxerunt, ut posse tantùm supernaturale ex Deo admitterent, ipsum verò operari non Deo, sed homini ascriberent, jam in superioribus dictum est sufficienter, & in toto processu dicendorum efficaciter magis semper ostendetur. Hac igitur acceptione auxilij sufficientis omnium primò de medio sublata, nec enim aliam nos magis impugnamus, ad alias divertamus.

3 Solet secundò à gravissimis Doctoribus aliquando vocari auxilium sufficiens præter quod ex parte Dei nullum aliud requiritur, ut de facto homo convertatur; veruntamen tale est, quod ut venit à Deo, & ex vi illius semper homo de facto per illud convertitur, & piè operatur: per quod opponitur primæ nunc relatæ sententiæ, quæ solùm vult auxilium, ut à Deo venit, dare tantùm sufficientiam, & possibilitatem, ita quod ejus efficacia vel inefficacia, sit ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij. Cæterum hæc secunda sententia totum contrarium statuit, illud vocando auxilium sufficiens, quod ex virtute sua, ut à Deo venit habet efficaciam, qua de facto Deus hominem ad se trahit. Ideò autem vocatur auxilium sufficiens, quia in ratione efficientis comprincipij ita est sufficiens completum principium, ut nullum aliud requiratur ut operatio fiat, sed per illud semper actio producitur. Et hoc modo accipiunt Doctores citandi auxilium sufficiens, nempe pro principio sufficienti completo ad operandum, seu reducto in actum ad operandum.

4 Dixerim, accipi ab eis ut sufficiens completum, non in ratione tantùm sufficientis auxilij, sed in ratione principij efficientis, seu in ratione principij requisiti ad efficiendum; quia hæc duo, quamvis prima facie idem appareant, sunt tamen valdè diversa, & proindè clariùs infrà declaranda sunt. Imò sic distinguere est necessarium pro infrà dicendis, & pro vera intelligentia doctrinæ & sententiæ S. Thomæ. Et ratio est: quia aliquid potest esse de ratione auxilij sufficientis completi in suo genere, & ordine; quod tamen non est completum principium operandi seu efficiendi. Potest enim auxilium sufficiens in sua ratione habere totale complementum suæ rationi debitum, quod tamen auxilium sufficiens nullo modo sit principium completum operandi, ut apertè infrà monstrabimus. Itaque in hac secunda acceptione accipiunt Doctores auxilium sufficiens completum in ratione principij, quod ex virtute sua semper facit hominem operari, nec aliquo modo ab homine impeditur, aut illi homo resistit; quia ipsum auxilium omnem superat resistentiam, faciens quod sibi nullatenus resistatur.

5 Ortum habuit hæc acceptio auxilij sufficientis ex illa doctrina, qua ij Authores communiter docent, quod causa sufficiens completa, & non impedita semper producit effectum: licet enim id primò, & per se de causa operante ex necessitate naturæ dictum fuerit, tamen extenditur illud, ut proportionabiliter verum habeat de omni causa, etiam contingenti, & libera, quæ si sufficiens fuerit, & completa, & non impedita, etiam semper producet effectum. Ac proindè auxilium sufficiens completum in ratione principij operandi non impeditum semper etiam producit effectum, nec aliquid aliud requiritur ex parte principij, ut de facto operatio sequatur, quam ut auxilium sit sic in ratione principij completum, & non impeditum. Sed iterum advertimus, quod hoc complementum causæ, sive operantis ex necessitate naturæ, sive contingenter & liberè potest esse duplex. Alterum quod est complementum causæ operativæ in potentia; alterum verò, quod est complementum causæ operantis in actu primo. Tunc autem habet potentia operativa complementum in ratione operativa potentiæ cum habet

Digitized by Google

habet, quidquid requiritur, ut potentia possit operari. Tunc verò habet complementum causa operans in actu quando est reducta in actum secundum completum ad operandum. Illud primum complementum nec aufert resistentiam, nec infert actionem; secundum verò facit quod sibi non resistatur, & operationem semper efficit, de quo infra plura dicentur. Ad præsens cum doctores dicunt auxilium sufficiens completum, & non impeditum semper producere effectum, loquuntur de secundo complemento: vel, quod idem est, de completo principio ad operandum, ita quod nullus aliud complementum requiratur, ut de facto operetur; quod est sine dubio auxilium efficax. Vnde in hac acceptione auxilium sufficiens idem est quod efficax, & cum eo convertitur.

6 Hoc modo multoties S. Thomas accipit auxilium sufficiens, ut nempè sit illud ita completum, quod ei nunquam homo resistit, sed ei semper consentit. Plura ex S. D. induci possent testimonia, sed ad id pauca sufficiant, illaque satis manifesta super *Epist. ad Rom. cap. 9. lect. 4.* in principio expositionis illorum verborum Apostoli, *voluntati ejus quis resistit?* Quæ planè procedunt de voluntate Dei efficaci, ita habet; *Quid ergo quæritur, id est, quid oportet ulterius quærere de causa bonorum & malorum quæ hic aguntur, cum omnia voluntati divinæ attribuantur, quæ est causa sufficiens, eò quod nullus potest ei resistere.* Vbi planum est quod nomine causæ sufficientis, intelligat efficacem ob rationem potissimè quam reddit, propter quam illam vocat sufficientem, dicendo; *eò quod nullus potest ei resistere.* Si itaque ideo sufficiens causa est, quia nullus ei potest resistere; manifestè talis sufficiens causa pro efficaci accipitur, seu pro sufficiente complera in actu primo & reducta in actum primum completum ad operandum.

7 Eodem modo loquitur de causa sufficienti; 1. 2. *quæst. 75. art. 1. ad 2.* dicens, *Quodsi illa diffinitio causæ* (scilicet, causa est ad quam sequitur effectus) *universaliter debet verificari, oportet ut intelligatur de causa sufficienti, & non impedita contingit enim,* inquit, *aliquid esse causam sufficientem effectus, & tamen quod non ex necessitate sequatur effectus propter impedimentum.* Quibus verbis satis clarè duplicem statuit causam sufficientem; alteram sufficientem non impeditam, alteram verò sufficientem verè in se, sed impeditam. Primam docet semper effectum producere, & ex consequenti efficacem esse; secundam verò, quia impeditur, licet sufficiens sit in se, effectum tamen non producere. Eandem doctrinam tradit 3. *contra gent. cap. 86. & quæst. 4. de malo art. 3. quæst. unica de electione humana art. unico ad 15. & 4. sent. dist. 43. quæst. 1. art. 2. ad primum.* In quo ultimo loco docet quod causa sufficiens statim producit effectum ad quem ordinatur immediatè quod de causa sufficienti non impedita, quæ eadem omnino est cum efficaci sine dubio procedit. Nam si sufficiens causa impediatur, certum est quod non statim effectus ad quem immediatè ordinatur, procedit, quousque impedimentum auferatur.

8 Simili acceptione utitur 1. *part. quæst. 106. art. 2.* dicens *quod alia quidem bona à Deo aliqualiter inclinant voluntatem, sed nihil sufficienter movet voluntatem nisi bonum universale, quod est Deus.* Et post pauca: *Angelus ergo non sufficienter movet voluntatem, nec ut objectum, nec ut ostendens objectum.* In quo loco loquens de motione ex parte objecti docet, quod nec Angelus, nec aliqua creatura hoc genere motionis potest sufficienter voluntatem objectivè movere; sed quod bonum universale, quod est Deus, hoc modo voluntatem nostram sufficienter movet. Vbi est satis notum per verbum (*movere sufficienter*) ipsum intelligere motionem objectivam in suo genere efficacem; quæ soli Deo convenit: nam alia objectiva motio sufficiens non efficax sine dubio Angelis convenire potest, cum aliqualiter possint, sed minùs efficaciter voluntatem objectivè movere.

Igitur manifestum est aliquando accepisse S. 9
Doctorem causam sufficientem, seu auxilium sufficiens pro efficaci, idest, pro illo, quod semper producit effectum, aliquando dixerim, quia aliis in locis expresè vocat auxilium efficax, ut infra ostendetur.

Et juxta hanc acceptionem Doctores Lova- 10
nienses, & Duacenses in suis doctissimis censuris, quas de hac materia tradiderunt, de quibus non semel in his nostris operibus mentio facta est, loquuntur de auxilio sufficienti cum dicunt, auxilium sufficiens esse illud quod sine ullo alio conversionem efficit; loquuntur enim de auxilio sufficienti completo in ratione principij ad operandum, & non impedito.

Tertiò modo accipi solet magis communiter à 11
Scholasticis authoribus auxilium sufficiens pro eo quod distinguitur contra efficax, & pro eo, quod opponitur illi sufficienti quod ab homine dicitur fieri efficax, & tunc importat, quod ex Deo sit ita sufficiens ad aliquid quod per illud possit homo, si vellit, illud operari, numquam tamen de facto id operabitur, nisi amplius adjuvetur, sed semper illi impedimentum, & resistentiam præscribit homo, semperque ex defectu suo, non ex defectu Auxilij non operatur homo id ad quod sufficientem virtutem ex tali auxilio habet, & ista est communis acceptio auxilij sufficientis. Notandæ sunt igitur acceptiones istæ tres prædictæ ut omnis æquivocatio in hac materia tollatur & ne alterum auxilium, quod dici solet sufficiens, cum alio confundatur; quod licet nomine idem sit, re tamen ipsa valde diversum est ab illo; & etiam ut authores intelligantur, cum de auxilio sufficienti sermonem instituunt.

Et per hoc patet tribus modis solere usurpari 12
auxilium sufficiens. Primò pro sufficienti ex Deo, quod ab homine fit efficax, vel inefficax, ut authores cum quibus ista tractamus, usurpant, quod ut dicimus nullum est. Secundò pro eo, quod est sufficiens, & non impeditum, seu quod est completè sufficiens in ratione principij ad operandum requisiti, quod reipsa efficax est, & efficaciam suam seu illam virtutem non impeditam habet ex Deo, & non ex homine. Tertiò magis communiter pro eo, quod licet insufficientem habeat virtutem ad aliquid efficiendum, non tamen est completum in ratione principij operandi, ac proinde ab homine impeditur, & ei resistendo obicem, & impedimentum ponit.

Digitized by Google

CAPVT II.

Prædictum auxilium, quod contra efficax distinguitur, congruenter vocari solet sufficiens.

13 ALiqui ex discipulis S. Thomæ in ista materia satis periti arbitrantur minùs congruè auxilium illud, quod dividitur contra efficax, vocari sufficiens; sed appellandum vel auxilium generale in ordine gratiæ, vel communem vocationem, vel auxilium sine quò non potest homo rectè operari salutis opera, & cum quo benè operari potest si vult; fundamentum illorum est, quia istæ voces nunc relatæ, & antiquiores sunt, & à Sanctis Patribus traditæ; & quæ multo meliùs, & sine inconvenienti auxilium illud quod distinguitur contra efficax, exponunt, quam vox sufficiens illi auxilio applicata quæ suas patitur difficultates. Cum potissimè S. Thomas auxilium, sufficiens accipiat pro efficaci: sentiunt igitur authores, non dici illud auxilium competenter sufficiens, nec absolutè & simpliciter sic esse nominandum.

14 Alij etiam ex S. Thomæ discipulis illique gravissimi, putant auxilium tale absolutè & simpliciter dicendum esse sufficiens nec aliquod in tali appellatione inconveniens esse: verùm non esse dicendum, nec esse re ipsa auxilium illud completè sufficiens.

15 Vt autem in hac quæstione quid nominis, quid verius esse judicemus expendamus, cum prioris sententiæ authoribus facilè convenirem, nisi Scholasticis pluribus contradiceretur, qui celebrem illam divisionem auxilij in efficax, & sufficiens recipiunt, & venerantur; nec facilè vox illa, sufficiens sic jam communi usu in partitione auxilij usurpata rejici potest. Si enim non ita communiter reciperetur, mihi valde placeret illis vocibus relatis utendum esse propter rationes relatas. At postquam tot antiquiores Scholastici, inter quos sunt Cajetanus, Ferrariensis, & plures alij, illa voce, auxilium sufficiens, utuntur, videtur loquendum esse cum pluribus, & ita illam vocem explicandam, fundandam, & defendendam, ut congruè rem significatam importet. Potest enim hoc sine violentia fieri. Nec illa vox, auxilium sufficiens, ita incongrua reipsa est, sicut prima facie apparet, ut statim ostendetur. Nec enim in hac parte attendendum est ad puram grammaticalem vocabuli significationem, sed ad Theologorum, & Catholicorum usum, purus enim Grammaticus illud dicit sufficiens, ultra quod aliud non requiritur. At Theologi ex eo vocant auxilium sufficiens, quia homo per illud redditur sufficienter potens ad operandum si voluerit, etiamsi ut de facto operetur, alio indigeat, ut dicimus.

16 Similiter quod alij doctissimi S. Thomæ discipuli asserunt, esse quidem vocandum auxilium sufficiens simpliciter, & absolutè, non autem esse auxilium sufficiens completum, æquivocationem potest causare. Si enim sermo sit, quod in suo ordine, & genere, nempe auxilij sufficientis, non sit completum id verum non videtur, ut infra constabit. Si autem sit sermo quod non est completum auxilium sufficiens in ratione principij requisiti ad operandum, seu in ratione principij actualiter operantis in actu primo, id quidem verum est, sed oportet ista clariùs distinguere & dicere, quod auxilium sufficiens in suo genere constituit potentiam in actu primo potentem operari, & in hoc genere suo completum est; sed non constituit potentiam in ultima actualitate, ut operatio sequatur; hoc enim ultra illius naturam est, ut statim explicabimus

Dicendum ergo videtur primò, auxilium illud 17
quod in supradicta divisione dividitur contra efficax, congruè vocari sufficiens, & esse simpliciter, & absolutè loquendo sufficiens. Patet ex divisione prædicta communiter recepta, à qua discedendum non arbitramur. Præterea cum auxilium illud debeat secundùm veritatem, & apertam sententiam S. P. Augustini vocari sine quo non potest homo bene operari, & cum quo benè operari potest, quod isti discipuli S. Thomæ non negant, & auxilium vocatum sufficiens idem omnino sit, quod auxilium sine quo non potest homo rectè operari & cum quo potest, consequens est, ut etiam rectè vocetur sufficiens. Minor patet, quia æquivalentia ista sunt; auxilium cum quo homo potest operari si velit, & auxilium sufficiens ad operandum tribuens possibilitatem rectæ operationis. Imò auxilium vocatum sufficiens in sua formali ratione importat, quod per id possit homo benè operari si vult. Vox autem congruenter hoc exponit; quia auxilium sufficiens est tribuens sufficientiam ad operandum si homo velit: quod autem tribuit sufficentiam, tribuit possibilitatem: ille enim qui possibilitatem habet ad aliquid efficiendum dicitur habere sufficientiam ad illud.

Deinde, auxilium vocatum sufficiens ita suffi- 18
cientiam tribuit ad operandum si homo velit quod defectus operationis nullo modo provenit ex insufficentia aliqua ipsius auxilij, sed tantùm ex defectu arbitrij quod ei resistit, & impedimentum ponit; ergo illud auxilium ex ratione sua, & ut à Deo venit, verè est sufficiens ad operandum, nisi per hominem steterit; ergo simpliciter & absolutè sufficiens est, & ita congruè vocatur. Antecedens, cum infra fuerit commodius declaratum, peribunt quæstiones illæ quæ adversus illud opponi solent.

Tandem S. Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 9. 19
ad 1. habitualem gratiam, licet per se solam sine alio actuali auxilio non efficiat actum, non ob hoc imperfectam vocat, quia ejus propria ratio atque perfectio non consistit in hoc, ut se sola sine alio auxilio actum efficiat. Pari ergo ratione auxilium vocatum sufficiens, quamvis actum non efficiat, ad quem ordinatur sine alio supervenient auxilio efficaci; non propterea debet negari, quod sit sufficiens ex ratione sua ad illum actum; nec debet dici imperfectum privativè; cum ratio ejus non consistat, in hoc, ut per illud solum, sine efficaci actio fiat. Dixi, privativè imperfectum non esse, quia negative non est dubium, quod perfectionem illam auxilij efficacis non habeat, hæc enim negativa imperfectio communis est omnibus inferioribus speciebus alicujus generis comparatis cum aliis nobilioribus; sed modò loquimur de imperfectione privativa, quæ auxilio vocato sufficienti non convenit, ex eo quod solùm actum non efficiat; quia propria ipsius ratio non petit ut per ipsum solùm fiat operatio, nec ad hoc datur,

ut

Digitized by Google

ut sine alio auxilio operatio efficiatur. Sicut ergo habitualis gratia media charitate, & aliis habitibus immediatè operativis tribuit posse benè operari, & sufficiens est in ratione principij operativi ad operandum, licet non actu operetur sine alio auxilio; ita auxilium vocatum sufficiens, quia tribuit homini posse benè operari, sufficiens est in ratione principij operativi; licèt actu sine alio auxilio non operetur. Dixi utrumque & habitualem gratiam, & auxilium sufficiens, esse sufficiens in ratione principij operativi, quia in ratione principij actualiter operantis neutrum per se solùm sufficiens est. Similiter sicut habitualis gratia ex eo quod indigeat alio auxilio ut rectè operetur, non propterea est imperfecta, sed in suo ordine, & genere simpliciter, & absolutè perfecta est, quia perfectione sibi debita non caret; ita auxilium sufficiens, licet indigeat efficaci ut de facto benè faciat operari, non propterea dicendum est, vel insufficiens, vel imperfectum, quia in suo ordine, & genere perfectione sibi debita non caret, sed illam habet, quam ipsius propria ratio postulat quæ est dari homini posse benè operari si ipse voluerit, non autem ut de facto per ipsum solum homo benè operetur.

20 Diximus, etiam habitualem gratiam non esse imperfectam ex eo quod indigeat alio auxilio ad benè operandum quia ex alio capite, ut S. Thomas *ubi suprà* docet, aliqualiter imperfecta est, quatenus videlicet hominem non totaliter sanat pro isto statu. Et ratio est, quia ipsa habitualis gratia secundùm se, cum fuerit in statu perfecto gloriæ, istam perfectionem habebit ut totaliter hominem sanet, & quia gratia habitualis secundum se postulat hanc perfectionem, & eam pro hoc statu non habeat; hac ratione, & titulo potest dici aliqualiter imperfecta privativè. Hæc S. Thomæ doctrina infra est copiosiùs explicanda, quæ congruentissima est pro salvandó vero auxilio sufficienti, non solum quoad congruitatem vocis, sed quoad rem ipsam contra plura, quæ à recentioribus opponuntur contra eam. Confirmatur quia præcedenti capite ostensum est S. Thomam duplicem agnovisse causam sufficientem; álteram completam, & non impeditam: alteram impeditam, sed verè in se sufficientem, & illam utramque absolutè, & simpliciter sufficientem appellasse; ergo auxilium, quod ab homine impeditur, cum ex ratione sua tribuat posse benè operari, est dicendum in doctrina S. Thomæ simpliciter, & absolutè sufficiens eadem prorsus ratione.

21 Imò dicendum videtur secundò, quod prædictum auxilium potest rectè dici in sua ratione pefectum atque completum. Probatur; nam ejus propria ratio, est tribuere posse benè operari, si homo voluerit, seu esse principium operativum, tribuens possibilitatem ad operandum; sed in hac ratione principij operativi tribuentis hanc possibilitatem habet auxilium, quod vocatur sufficiens, suam debitam perfectionem, & suum debitum complementum; ergo in hac sua ratione, & ordine, seu genere suo est perfectum atque completum. Explicatur, & confirmatur doctrina inducta S. Thomæ; habitualis gratia, quia tribuit habitualiter posse benè operari, licet, ut de facto benè operetur, indigeat alio auxilio, non est dicenda imperfecta secundùm S. Thomam; quia ejus ratio non est operari benè sine auxilio alio: ergo simpliciter in sua ratione completa est. Quia si in ratione sua esset incompleta, eo ipso esset imperfecta; ergo similiter auxilium vocatum sufficiens, quia tribuit actualiter posse benè operari, licet, ut de facto faciat operari benè, indigeat efficaci auxilio, non est dicendum, vel insufficiens, vel imperfectum in ratione sua, sed in sua ratione perfectum, & in eadem ex consequenti completum, ideſt, completum in ratione sufficientiæ, in ratione possibilitatis ad benè operandum, seu quod idem est, in ratione principij operativi; habet enim omnia requisita ut principium operativum in potentia sit, licet non habeat requisita omnia ut sit principium actualiter operans: & hujus comparatione imperfectum est negativè, ut dictum est. Cum ergo dicitur auxilium sufficiens non esse completè sufficiens, distinguenda propositio est, non est sufficiens in ratione auxilij sufficientis, ideſt, in ratione sufficientiæ, seu possibilitatis, seu principij in potentia operativi, negandum est: non est sufficiens, id est, habens requisita omnia, ut sit actualiter principium operans, concedendum. Constat enim (quod & infra dicemus) causam dividi in causam in potentia, & causam in actu. Similiter constat posse esse causam in potentia in sua ratione completam, quæ tamen incompleta sit in ratione causæ in actu.

Præterea habitus valde intensus perfectus dicitur & completus in ratione habitus, licet in ratione principij actualiter operantis perfectus non sit nec completus, sed compleatur per auxilium, quo in actum ad operandum reducitur; ergo pari modo auxilium sufficiens in ratione principij operativi in potentia perfectus erit & completus; licet in ratione principij actualiter operantis imperfectus sit, & incompletus: & compleri debeat per auxilium efficax. Et ista sufficere videntur quoad vocem; nam de re ipsa gravior quæstio est quæ his temporibus nimium ventilatur. 22

Sed opponet aliquis forsan, quod tam habitus, quam auxilium sufficiens ex propria sua ratione dicunt ordinem ad actum, sicut ad finem quia actus finis est habitus, & cujuscumque alteriùs potentiæ operativæ; ergo cum carent illo fine in sua ratione imperfecta manent, & in incompleta; in eadem autem ratione sua perficiuntur, & complentur per conjunctionem cum fine.

Ad hoc dicendum, quod tam habitus, quam auxilium sufficiens in sua ratione dicunt ordinem ad actum sicut ad finem; ordinem quidem, non ut semper illi fini conjungantur. Si enim talem ordinem in sua ratione dicerent cum ab eo separentur esset imperfecta, & incompleta, sed dicunt ordinem potentialem, ut ita loquamur, id est, quod possint illum finem habere & quia semper habeat istum ordinem: in sua ratione, sunt perfecta, & completa.

Non est autem dubium quin, cum de facto illum obtinent finem, magis perficiantur, & compleantur, sicut causa in potentia, licet in illo ordine suo completa sit, completur tamen magis cum fit causa in actu, & omne inferiùs, licet in se perfectum sit, perficitur tamen magis per conjunctionem ad superiùs, & perfectio viæ completur, & perficitur, per conjunctionem ad patriam.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

Quomodo auxilio sufficienti revera competat quod verè sufficiens sit ante humanæ voluntatis consensum.

23 GRaviorem aliam quæstionem explanare oportet, non cum S. Thomæ discipulis, non de voce præcisè, cum inter illos de re ipsa summa convenientia sit, & non multum retulerit sic, vel sic loqui, hac vel illa voce uti, cum de re constat; sed cum his auctoribus, cum quibus in his disputationibus agimus, & de re ipsa, illaque gravissima quomodo videlicet illi auxilio quod distinguitur contra efficax, quatenus utrumque ex Deo ipso provenit, & ex vi motionis divinæ ante omnem humanæ voluntatis consensum verè conveniat, quod reipsa sufficiens sit. Hoc enim ij authores penitus inficiuntur, & contentiosissimè negant. Imò hoc est unum ex ipsorum præcipuis fundamentis ad suam sententiam suadendam, & divisionem illorum auxiliorum negandam, secundum quod talia auxilia ex Deo proveniunt: Arbitrantur enim per talem divisionem auxiliorum sic acceptam, & intellectam penitus reipsa negari auxilium sufficiens ad credendum, sperandum, pœnitendum, diligendum, vel quodcumque aliud opus salutare efficiendum, sicut illud Calvinus negavit, prout in superioribus manet ostensum. Itaque asserunt, ut aliquid sit verè auxilium sufficiens gratiæ prævenientis (nam de auxilio sufficienti sermo est) non requiri aliud auxilium ex parte principij, seu ex parte prævenientis gratiæ ut de facto operatio salutaris sequatur: sed quòd possit auxilio solo sufficienti, si id sufficiens revera est, stat quod de facto homo quoties voluerit bene operetur actionem, ad quam illud auxilium sufficiens datur. Non negant tamen requiri concursum generalem, & gratiam quam dicunt cooperantem, sed hos concursus dicunt esse tantùm concomitantes, non prævenientes.

24 Quod ita suadent. Primò: illud dicitur auxilium sufficiens ad operationem, ultra quod non requiritur aliud ad operandum; si enim aliud esset requisitum ad operandum, illud revera non esset ad operandum sufficiens. Hoc ipsamet voce, & ethimologia nominis videtur manifestum. Quid enim aliud est aliquid esse sufficiens ad operationem aliquam, quam ipsum solum sufficere ad illam efficiendam. Si ergo auxilium sufficiens, non sufficit ad operandum, sed aliud est necessarium ad operationem, videlicet auxilium efficax, illud quod vocatur sufficiens, reipsa & in veritate sufficiens non est.

25 Secundò, & reputatur achile ab his qui illud opponunt. Homo per tale auxilium sufficiens, quod indiget alio ex parte principij, ut bene operetur, non potest bene operari: ergo illud non est revera auxilium sufficiens. Consequentia est nota: quia per verum sufficiens potest homo benè operari. Antecedens probant, deficit ei aliquid ex parte principij ut operetur, at hoc quod deficit non habet homo in potestate sua: ergo non habet in sua potestate id quod est requisitum, ut de facto operetur: ergo non habet in potestate sua bene operari: ergo non potest solum auxilium sine illo alio bene operari. Primum antecedens quoad utramque partem certum est, nimirum quod deficiat, ut de facto operetur aliud requisitum ex parte principij, quia deficit auxilium efficax. Quod autem illud homo non habeat in potestate sua, etiam est certum: quia nihil potest efficere homo ut illud habeat; nec enim aliquo actu suo illud potest habere. Secunda consequentia videtur nota: quia nec in potestate sua habet homo operationem, si non habeat in sua potestate id quod est requisitum ad illam habendam. Vltima autem consequentia etiam constare videtur: quia qui non habet in sua potestate bene operari, non potest bene operari. Idem enim sunt posse benè operari, & habere in suo posse, seu in sua potestate benè operari. Et similiter idem sunt, non habere in sua potestate operari, & non posse operari. Et hinc consequenter inferunt, quod habens auxilium sufficiens non imputatur ei ad culpam, quod non operetur: quia nemini imputatur ad culpam si non efficiat illud quod in potestate sua non habet.

Præterea tertiò nullum potest significari auxilium, quod ex parte principij mediet inter auxilium sufficiens, & actum, ad quem ordinatur: ergo ut homo habens auxilium sufficiens operetur actum ad quem datur tale auxilium, non indiget alio auxilio ex parte principij. Antecedens probatur. Quia illud auxilium quod mediaret inter auxilium sufficiens & actum, non esset vel habitus, vel qualitas, nec actus. Quod non sit habitus, nec permanens qualitas satis est notum. Quod verò non sit actus, probatur: quia aliàs inter auxilium sufficiens, & actum ad quem datur, mediaret alius actus, quod impossibile videtur: nec enim est à quo ille actus possit procedere: ergo tale præveniens medium auxilium inter auxilium sufficiens & actum nullo modo ponendum est. 26

Verum pro resolutione dicendum est primo: per solum auxilium sufficiens, sive detur ad fidem, spem, & charitatem à principio habendam; sive ad pœnitentiam, sive ad piè operandum post justificationem, sive denique ad perseverandum nunquam de facto homo operatur id, ad quod tale sufficiens auxilium datur, nisi ampliùs ab efficaci auxilio adjuvetur. Veritas ista in illis scripturæ testimoniis inducitur, quibus Deus conqueritur, quod ipse vocaverit & tenuerint homines; quibus docet, quod stando ad ostium ac pulsanti ei non aperuerint; quibus testatur se voluisse filios Hierusalem congregare, & ipsi noluerunt: quibus denique docet, quod homines Spiritui Sancto inspiranti per auxilium sufficiens resistunt. Sed magis specialiter id ostendit Dominus cum ait. *Nemo potest venire ad me:* idest, fieri non potest ut aliquis ad me veniat de facto (sic enim verbum, *potest*, ibi compositè sumitur) *nisi Pater meus traxerit eum.* Per quod verbum, *traxerit*, ut optimè S. Pater Augustinus advertit, efficaciam divinæ vocationis trahentis hominis de facto ad Christum designatur; sine qua nec fieri potest, ut ipsi ad Christum veniant, quantumvis aliam generalem, & communem vocationem, sive aliud auxilium sufficiens habeant. Alia autem plura scripturæ testimonia ad id non inducimus: quia plura inducenda sunt infra, cum de efficacia divini auxilij sermo fiet. 27

Hoc ipsum S. Pater Augustinus docet apertissimè *libro de correct. & gratia cap.* 11. & 12. 28

Vbi

Digitized by Google

Vbi *capite undecimo* loquens de auxilio sufficienti, quod habuit primus parens ad perseverandum, ait. *Tale quippè erat adjutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet non quo fieret ut vellet.* Et *cap. 12. itemque ipsa adjutoria*, inquit, *distinguenda sunt. Aliud adjutorium cum quo aliquid fit.* Ergo adjutorium sine quo aliquid non fit, quod manifestè est sufficiens, non est adjutorium cum quo aliquid fit: ergo per illud non fit id, ad quod sufficiens est. Et *de prædestinatione sanctorum capite 15.* duplicem distinguit vocationem: aliam efficacem qua homines veniunt ad Christum: aliam qua homines noluerunt venire; quæ fit per auxilium sufficiens: ergo per auxilium solum sufficiens homines ad Christum non veniunt.

29 Rationes etiam Theologicæ id demonstrant, quia quod homo de facto credat, speret, diligat, pœniteat, in bono perseveret, est effectus proprius auxilij efficacis, ut copiosè infrà probaturi sumus: ergo auxilio sufficienti, quod ab efficaci distinguitur, iste effectus convenire non potest. Deindè, quia si per auxilium sufficiens homo de facto piè operaretur, cum illud auxilium sufficiens homo de facto, ut venit à Deo tantum det posse bene operari (ut apud omnes est in confesso) ex homine ipso esset, quod illo bene uteretur, illudque efficax redderet, bene de facto per illud operando: quod nullatenus admittendum est, ut ostensum fuit in superioribus. Et tandem: quia si homo per auxilium tantùm sufficiens tribuens posse operari de facto piè operaretur, ipse proculdubio sic bene operando se discerneret ab alio, qui habens simile auxilium sufficiens non bene operaretur, quod est manifestè contra illud Apostoli: *quis te discernit?* Et contra ejusdem Apostoli sententiam, haberet proculdubio aliquid quod non accepisset ex Deo, nempe ut bene auxilio sufficienti; non dante ut venit à Deo illum bonum usum, sed tantùm posse bene uti, ipse homo bene uteretur. Omnia hæc inferiùs abundantissimè probanda sunt pro defendendo divinæ gratiæ auxilio ex Deo ipso efficaci, & ad præcludenda omnia ista, & alia gravissima inconvenientia, sed nunc brevissimè tanguntur pro suadenda hac veritate; quod videlicet per auxilium tantùm sufficiens non operatur bene homo id, ad quod sufficientia illa datur: quia ad sic bene de facto operandum indiget auxilio efficaci, cujus proprius effectus est talis bona operatio de facto exercita.

30 Dicendum est secundò: auxilium sufficiens non dat voluntati posse bene operari ad hunc sensum, quod posse bene operari sit terminus ad quem auxilium sufficiens ordinatur; nec in hoc sensu doctores procedunt, quando asserunt auxilium sufficiens tribuere homini posse bene operari. Probatur quia ipsum auxilium sufficiens sufficienter ordinatur ad ipsam operationem: ergo operatio ipsa est illius terminus: ergo non est terminus ejus posse bene operari. Item quia auxilium sufficiens dat voluntati sufficientiam respectu operationis: ergo dat voluntati possibilitatem bene operandi: ergo auxilium sufficiens est ipsa sufficientia, ipsa possibilitas, & ipsum posse bene operari: ergo non ordinatur ad posse bene operari sicut ad terminum. Præterea: quemadmodum habitus habitualiter ordinatur immediatè ad actum, sicut ad terminum, ita auxilium sufficiens actualiter ordinatur ad actum, immediatè, tamen immediatè sufficienter, id est, non ordinatur immediatè ad actum cum effectu producendum: nec ordinatur ad actum ex vi illius infallibiliter obtinendum; sed ordinatur immediatè ad actum sufficienter, id est, ad actum possibilem, seu possibiliter habendum. Itaque actus possibilis seu actus possibiliter habendus est terminus immediatus ad quem ordinatur auxilium sufficiens; quemadmodum, ut in exemplo de habitu persistamus, habitus ordinatur ex se immediatè ad actum, sed ex se solo non ordinatur ad actum infallibiliter producendum, sed ex se solo habitus ordinatur ad actum possibiliter habendum: ad actum enim cum effectu infallibiliter habendum ordinatur auxilium efficax, ut ex dicendis fiet manifestum.

Dicendum tertiò auxilium sufficiens tribuit vo- 31
luntati posse bene operari ad hunc sensum, quod voluntas redditur per ipsum potens ad bene operandum si vult, vel obtinet per illud potentiam, & proximam facultatem, & possibilitatem ad bene operandum si vult. Probatur, quia in Scriptura sunt plura loca, quæ satis indicant posse hominem converti per auxilium sufficiens. Quorum primus ille se offert *Apocalipsis tertio capite. Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* Vbi supponitur illos, ad quorum ostium Deus pulsat, nimirum per auxilium sufficiens, posse per illud Deo pulsanti aperire; aliàs nec Deus pulsaret, si sciret eos aperire non posse. Illud *secundo actuum capite septimo. Vos semper Spiritui sancto restitistis*: denotat illos Spiritui sancto tangenti eorum corda per auxilium sufficiens, cui poterant non resistere, ex propria malitia resistere. Denique per multa diffundamur in illo Mathæi *capite vigesimo tertio. Quoties volui congregare filios tuos & noluisti*: satis Dominus ostendit illis se dedisse sufficiens auxilium, quo sub ipso congregari poterant; aliàs eos non ita reprehenderet, quod ipsi ex sua prava voluntate noluerint sub illo congregari.

Secundò probatur ex aperta S. Patris Augu- 32
stini sententia, quæ, ut sæpiùs diximus, in hac materia certa est, itaut vel illa sola sufficiat, etiam si aliorum plurium doctrina oppositum teneret: quod tamen non est, cum omnes veri Theologi illius Sanctissimi Patris & eximij doctoris vestigia sequantur. In illo enim egregio *libro de correptione & gratia capite undecimo*, sic ait, loquens de auxilio sufficienti quod dederat Dominus primo parenti ad perseverandum: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in ea quippè eum fecerat, qui fecerat rectum dederat, & adjutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet.* Quibus verbis præter gratiam justificantem causantem in Adam bonam voluntatem, ei datum fuisse auxilium sufficiens ad perseverandum apertè docet, tamen efficax, quia non perseveravit, certum est, quod non habuit, & de illo sufficienti auxilio ad perseverandum semel, & iterum dicit, tale fuisse, quod sine illo non poterat perseverare, etiam si voluisset. Et rursus bis de eodem auxilio asserit, quod cum illo, vel per illud poterat perseverare, si vellet. Manifestum est ergo quod auxilium sufficiens ad perseverandum tale est, quod per ipsum potest homo perseverare si velit, & prorsus ratio eadem est de alio quolibet sufficienti auxilio dato ad credendum,

Digitized by Google

vel sperandum, vel pœnitendum, vel amandum, sive ad quodcumque aliud opus salutare, & pium quod nempè potest homo per illud bene operari illum actum, ad quem datur, si ipse homo velit.

33 *In capite duodecimo ejusdem libri*, loquens in genere de auxilio sufficienti, ipsumque distinguens ab efficaci, sic habet. *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est enim sine quo aliquid non fit, & aliud adjutorium quo aliquid fit.* Hoc secundum manifestè est efficax; illud autem primum sufficiens, de quo in *præcedenti capite undecimo relatis jam verbis* de eo præmiserat esse sine quo aliquid non potest esse, & cum quo esse potest; & nunc addit etiam esse sine quo aliquid non fit. Tria ergo simul exposuit pertinere ad auxilium sufficiens: primum, quod sine ipso non potest esse actus, salutaris nempè: secundum, quod sine ipso non fit talis actus: tertium, quod cum ipso potest fieri. Quod adjutorium exemplo alimentorum declaravit. Constat enim, quod vitâ naturali sine alimentis non vivitur: imò sine ipsis vivi naturaliter non potest; potest autem cum eis vivi sufficienter, nisi alias impedimentum humanæ vitæ præstetur. Igitur per auxilium sufficiens, secundùm apertam S. Patris Augustini sententiam, potest homo bene operari actum illum ad quod auxilium sufficiens tribuitur.

34 Ratione idem ostenditur: Constat enim quod qui habet auxilium sufficiens ad aliquid faciendum, habet sufficientiam ad illud; quod si sufficientiam habet, possibilitatem, & facultatem ad id habet; si autem habet facultatem, & possibilitatem, utique per eam efficere actum talem potest: ergo per auxilium sufficiens potest homo operari id ad quod illud auxilium datur.

CAPVT IV.

Quomodo sit intelligendum, quod homo bene operaretur auxilio sufficienti si vellet?

35 NOn solùm homo per auxilium sufficiens potest bene operari si vellet, verum etiam bene operetur si vellet. Hæc est aperta doctrina Sancti Patris Augustini *citato capite undecimo libro de correctione & gratia.* Vbi id in terminis docet, loquens namque de sufficienti adjutorio, quod habuit primus homo ad perseverandum hæc verba habet. *Tale quippè erat adjutorium quod deficeret cum vellet, & in quo permaneret si vellet.* Et iterum ibi de eodem adjutorio sufficienti ait: *Prima* (scilicet gratiæ) *est enim qua fit ut homo habeat justitiam si velit.* Et iterum asserit, quod Adam per adjutorium sufficiens, quod habuit ad perseverandum, in justitia perseveraret si vellet. In summa quatuor docet S. P. Augustinus esse de ratione auxilij sufficientis ad perseverandum (& eadem prorsus ratio est proportionabiliter de omni alio auxilio sufficienti respectu actus ad quem datur:) Primò quod sine illo ille actus non fit: Secundò quod sine eo non potest fieri: Tertiò quod cum eo potest fieri: Quartò quod cum eo fiet actus, si homo velit, sed hoc quartum, & ultimum, quod Sanctus Doctor Augustinus de auxilio sufficienti docet, nimirum quod cum eo fiet actus ad quem datur, si homo velit, multiplicem potest facere sensum, & est accuratiùs id distinguendum, ut sciamus in quo à Sancto Patre Augustino tradatur. Primus sensus est, quod in hac propositione supponatur fieri posse, ut habens solùm auxilium sufficiens bene illo utendo velit, & bene operetur; ita quod illa conditionalis, si vult, aliquando ponatur in esse. Et iste sensus, sicut falsus est, & qui destruit necessitatem auxilij efficacis ad operandum ita à mente Sancti Patris Augustini est valdè alienus; quippè qui nihil magis in libris contra Pelagianos expugnavit. Quam quod possibilitas, & sufficientia sit nobis ex Deo, à nobis autem habeamus bene velle, & operari, ut sæpissimè fuit manifestatum, & signanter *in capite præcedenti statim à principio exposuimus.*

Secundus sensus similis est præcedenti, vide- 36
licet quod in hac propositione (*habens auxilium sufficiens bene operaretur, si vellet*) fiat sensus, si vellet non resistere, bene operaretur; ita tamen quod illa conditionalis denotetur aliquando poni in esse, taliter quod per illam propositionem importetur fieri posse, ut aliquando homo ei non resistat, & sic bene operetur. Et hic etiam sensus, sicut & prior, falsus est: quia fieri non potest, ut quis non resistat auxilio sufficienti nisi ampliùs ab efficaci adjuvetur, quod tollat illam resistentiam, & faciat hominem non resistere, nam non resistere auxilio sufficienti, etiam negativè sumptum, bonum est, & salutare. Vnde ab homine solo haberi nequit: sed ex necessitate dicendum id ex Deo homini dari per auxilium efficax, ut tum in superioribus, tum *secundo libro nostro* pleniùs probatum reliquimus. Vnde in isto etiam sensu nullatenus à Sancto Patre Augustino asseritur illa propositio. Tertius sensus illius est, ut illa propositio (*habens solum auxilium sufficiens bene operaretur si vellet*) explicetur potiùs negativè quam affirmativè ad istum sensum: homo habens auxilium sufficiens operaretur bene si vellet, sed de facto non operatur bene, quia non vult; ita quod illa conditionalis, si vellet bene operaretur, denotet, quod quia non vult non bene operatur. Et iste sensus verus est, ut infrà statim clariùs explicabimus. Et in hoc sensu traditur à Sancto Patre Augustino talis propositio. Vtrumque priorem sensum falsum, & istum tertium verum clarissimè Sanctus Thomas exposuit *prima secundæ quæstione centesima decima secunda articulo tertio ad secundum:* Cum enim primo loco sic opposuisset: *Anselmus dicit in libro de casu diaboli quod ista est causa, quare Deus non concedit diabolo gratiam, quia ipse non voluit accipere, nec paratus fuit; sed remota causa necesse est removeri effectum: ergo si aliquis velit accipere gratiam, necesse est quod ei detur.* Ad hoc argumentum ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo, secundùm illud Oseæ decimo tertio capite. Perditio tua Israël ex te, tantummodò ex me auxilium tuum.* Ex quibus patet, quod homo bene operetur, & quod habeat auxilium efficax ad bene operandum, non provenit ex eo, quod ipse velit, sed sicut à prima causa habetur ex Deo. Quod autem non bene operatur, nec habeat auxilium efficax

Digitized by Google

efficax ad bene operandum, (qui planè defectus gratiæ est, & defectus bonæ operationis) ex solo homine, sicut ex prima causa habetur; itaut verissimum sit dicere; ideò autem non operatur bene, quia ipse homo non vult. Cum ergo Sanctus Pater Augustinus dicit, quod primus homo per auxilium sufficiens permaneret in bono, si vellet, hoc intendit, quod quia non voluit, ex defectu suo in bono non permansit.

37 Quartus, & ultimus sensus est merè conditionalis, sicut in propositione illa expressè habetur; ita quod non denotetur, quod ponatur in esse, sed solùm importetur bona illatio: potest enim conditionalis esse vera, & necessaria, cujus antecedens, & consequens impossibilia sunt, ut patet ex illa communi, *si homo volat, habet alas*, in qua, & in plurimis similibus quæ formari possunt, antecedens est impossibile, similiter, & consequens, sed illatio est bona, & necessaria: sic in præsenti bona illatio est, *quod si homo vellet bene operari, bene operaretur per auxilium sufficiens*; sed sicut fieri non potest, quod per illud solùm bene operetur, ita fieri nequit, ut velit illo bene operari, qui etiam sensus verus est, sed non ita videtur intentus à Sancto Patre Augustino, sicut ille tertius supra expositus.

38 Et per hoc patet, quid dicendus sit ad illam aliam propositionem, qua passim discipuli S. Thomæ in hac materia sine distinctione utuntur, dicentes, *quod si quis bene utatur auxilio sufficienti, illi Deus dabit efficax.* Hoc enim pari modo distinguendum est, ne erremus. Potest enim prædictum facere quadruplicem sensum, & in primo, & secundo falsissima erit, in tertio, & quarto veritatem continebit. Si enim fiat sensus, fieri posse hominem bene uti auxilio sufficienti, cui proindè Deus det efficax, valdè falsa erit, & damnatum continet sensum, quia jam efficax dabitur ex merito hominis bene utentis ex se sufficienti; & sic gratiæ auxilium non erit, sed homini tali debitum, quo nihil in hac materia potest dici absurdiùs.

39 Secundus sensus poterit procedere, non ex actu positivo, sed ex illa non resistentia explicata; itaut sensus sit, quod bene utenti auxilio sufficienti, id est, illi non resistenti, ita tamen quod detur, quod ille homo ex se ipso non resistat, & propterea illi Deus conferat auxilium efficax, qui in idem redit cum priore, ut nempè illi non resistentiæ habitæ ex solo homine Deus det auxilium efficax, pro merito videlicet bonæ hominis voluntatis sic ex seipsa non resistentis auxilio sufficienti. Vnde & illi non resistentiæ ex homine habitæ deberetur auxilium efficax, quod proindè gratia non erit, sed humanæ voluntati debita. Tertius sensus verus est, & in hoc necesse est, quod à Sancti Thomæ discipulis in hac causa usurpetur: videlicet, si homo bene utatur auxilio sufficienti, dabitur efficax, idest ideò efficax non datur, quia ipse non bene utitur sufficienti, & ita negativa vera est, ut ex dictis constat, magisque constabit; fateor quod illa propositio non ita propriè hunc sensum importare videtur.

40 Quartus sensus magis proprius in illa propositione importat, ut sit merè conditionalis, itaut nihil ponat in esse circa possibilitatem, vel impossibilitatem antecedentis, sed solùm dicat bonam esse illationem inter antecedens, & consequens, taliter quod, licet fieri non possit, ut bene utatur homo ex se auxilio sufficienti, tamen hoc incompossibili admisso bene sequatur, quod si homo bene utatur auxilio sufficienti, & detur efficax, & forsan in hoc sensu illam admittunt Sancti Thomæ discipuli.

Sed tunc dicendum est ad omnem falsitatem, & æquivocationem tollendam: si homo bene utatur sufficienti auxilio, dabitur ei auxilium efficax: consequens est impossibile, ergo & antecedens. Impossibile est enim, quod ei detur auxilium efficax, quia jam illud esset debitum illi, & per consequens gratia non esset, quod est impossibile, unde etiam antecedens est impossibile, quod nempe homo bene utatur se solo auxilio sufficienti. Illa autem illatio explicata per illam conditionalem bona est, sed ex impossibili, quod homo bene utatur auxilio sufficienti, infert impossibile, quod ei gratia ut debita reddatur.

Hìc ultimò advertendum quosdam Sancti 41
Thomæ discipulos distinguere duplicem bonum usum arbitrij: primum procedentem ab auxilio sufficienti, & istum dicunt esse non resistere divinæ vocationi, sed considerare illam, & statum, in quo est. Alium magis perfectum bonum usum, qui est ipsa actualis conversio in Deum, & actus pœnitentiæ, & istum dicunt esse effectum auxilij efficacis. Ille prior bonus usus, ut aiunt, procedit ab auxilio sufficienti, qui respectu illius suam habet efficaciam. Hæc illorum doctrina est, quæ tamen magnas patitur difficultates. Cum enim ipsi sentiant dari infallibiliter auxilium absolutè efficax, ad conversionem scilicet, vel ad Deum diligendum, vel ad perseverandum non resistenti auxilio sufficienti, & auxilium sufficiens per eadem suam habeat efficaciam respectu illius non resistentiæ, seu considerationis vocationis, & sui status, semper hanc habebit efficaciam in homine. Vnde habens sufficiens auxilium, semper ex illius efficacia habebit, quod non resistat, si semper sic bene vocationem suam consideret, & statum suum; & sic semper habens sufficiens auxilium obtinebit auxilium quod est absolutè efficax ad conversionem, quod dici non potest, cum multi auxilio sufficienti de facto resistant.

Itaque vel auxilium sufficiens habet semper 42
illam explicatam efficaciam respectu considerationis vocationis, cui non resistit, vel non semper illam habet, sed aliquando; cum nempe homo sufficienter vocatus vult non resistere, sed sic considerare. Si primum argumentum convincit, quod videlicet nunquam homo sufficienti resistat, & quod omni habenti sufficiens, & sic non resistenti semper detur auxilium, quod est absolutè efficax. Si secundum: ergo, quod aliquando homo sufficienter vocatus non resistat, sed ita bene consideret, non est ex auxilio illo, quod, ut venit à Deo, illam habeat efficaciam; aliàs, ut diximus, semper illam habebit: ergo ex ipso homine provenit volente bene uti illa sufficientia, & tunc ille bonus usus ex homine esset, qui suo bono usu illud auxilium redderet efficax, vel ad minus suo bono usu obtineret aliud efficax: quorum neu-

Digitized by Google

trum concedi ulla ratione ab eis potest, nisi velint doctrinam, contra quam disputant, uno verbo fundare, & omnia sua, aliàs contra illam rectè tradita, enervare.

43 Si enim homo ex se cum vult, bene potest uti illo modo sufficienti auxilio, & sic bene utenti efficax infallibiliter datur, ipse gratiam efficacem, cum vult, sibi debitam facit, & omnia, quæ oppugnant, hoc uno verbo ratificant, atque confirmant. Nullo ergo modo dicendum est, vel auxilium sufficiens ex Deo habere efficaciam ad causandam illam bonam liberam considerationem per quam sufficienti auxilio homo non resistit, vel illam efficaciam ab homine participare ob rationes dictas. Dixi, illam esse liberam considerationem, & liberum bonum usum (de hoc enim ipsi loquuntur) cum loquantur de illa consideratione, & bono usu, quo non resistitur auxilio sufficienti, quæ consideratio, & bonus usus nonnisi liber est. Nam si sermo esset de indeliberata consideratione, proculdubio ille effectus est semper productus ab auxilio priori sufficienti, quo Deus, ut diximus supra, semper efficit illum indeliberatum actum, & respectu cujus est semper illud primum auxilium efficax, sed per hunc actum indeliberatum non potest dici homo non resistere auxilio sufficienti. Imò illa indeliberata consideratio simul cum auxilio priori causante illam est completè auxilium sufficiens, cui postmodum homo vel consentit liberè, vel liberè dissentit, illique resistit, quod sicut est manifestum, ita ab illis discipulis Sancti Thomæ communiter recipitur.

44 Igitur illa prædicta propositio, *si homo bene utatur auxilio, ei dabitur efficax*, in duplici priori sensu est falsa, in alio duplici posteriori, ut vera potest admitti modo explicato, sed absolutè concedenda non est; quia potest pernicioſum sensum generare; nec ista omninò similis est cum alia ex Sancto Patre Augustino relata, quia illa constituit connexionem inter voluntatem volentem operari, & ipsum operari, cum dicit, si homo vellet permanere permaneret: ista autem constituit connexionem inter operationem humanæ voluntatis, & auxilium efficax, quod ei ut debitum tunc redderetur, undè multò magis hanc impossibilitatem continet, & exprimit quam illa prima.

45 Dicendum quartò quod homo habens auxilium sufficiens non convertitur, aut piè operatur solùm ex defectu illius provenit, non ex defectu auxilij. Veritas ista fundamentalis debet esse in ista materia, quæ ex dictis facilè constat. Sed insuper ostenditur primò, quia ex divinis literis satis deducitur, utpotè ex illo *Matthæi vigesimo tertio capite citato: quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* In quo testimonio, secundùm omnium Sanctorum interpretationem, Dominus dicit se dedisse filiis Hierusalem auxilium sufficiens ad salutem, & quod ipsi ex culpa sua noluerunt converti, hoc enim denotat verbum illud, *& noluisti*, id est, cùm posses ad Deum converti, noluisti. Idem apertiùs Dominus testatur per Oseam *decimo tertio capite. Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum.* Ex quo patet, quod sufficienter vocatus non convertatur, ex se hanc habere perditionem, non ex divino auxilio quo vocatur; imò ex isto testimonio Sanctus Thomas superiùs inductas duas conclusiones colligit juxta duo quæ in illo testimonio expressè habentur. Altera est, quod homo convertatur, non ex se primò, sed ex auxilio divino habet. Hæc colligitur ex illa parte secunda illius testimonij, *tantummodò in me auxilium tuum.* Altera est, quod homo non convertatur ex se primò habet. Hæc deducitur ex prima parte inducti testimonij: *perditio tua ex te.*

Deindè Sanctus Pater Augustinus ubique ve- 46
ritatem hanc tradidit, disputans contra Pelagianos, signanter *libro relato de correptione, & gratia capite undecimo.* Vbi loquens de adjutorio sufficienti, quod primus homo habuit ad perseverandum, postquam appositi illa verba superiùs inducta, nempè, *posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet*; exponens statim, ex cujus defectu ille noluit perseverare, sicut poterat, hæc verba subdit. *Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa fuit. Ideò autem ejus culpa fuit, quia cum posset permanere, noluit permanere*, & infrà. *Posset enim perseverare, si vellet, quod ut nollet, de libero descendit arbitrio.*

Præterea in *capite quinto ejusdem libri* adver- 47
sus eos, qui prætendebant se corrigendos non esse ex eo, quod non bene operantur, ait. *Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis.* Et rationem hujus reddens, inquit. *Tuum quippè vitium est, quod malus es.* Si ille, qui scit Dei præcepta, & non facit ex sua culpa, & defectu non facit, & ideò corripiendus est, quantò magis qui habet auxilium sufficiens, quo potest bene operari, si non bene operetur; & proindè meritò corripiendus est? Plura alia ex Sancto Augustino ob brevitatem omittuntur. De Sancto Thoma, quod hanc doceat veritatem, manifestè constat ex allato *articulo secundo, quæstione centesima decima secunda, ex prima secundæ*, cujus verba perpetuò in memoria retinenda sunt.

Possumus hanc veritatem à simili compro- 48
bare: secundùm enim Theologos universos, passio Christi Domini sufficiens fuit, imò sufficientissimum remedium, quantùm est de se, ad causandam salutem in omnibus hominibus, licèt solùm habeat efficaciam in his, quibus de facto applicatur. Verum, quod omnibus de facto non applicetur, ex defectu hominum, & peccatorum ipsorum provenit, non ex defectu suo. Sic ergo similitudine proportionabili sumpta: auxilium sufficiens secundùm se sufficiens est ad salutem causandam, quod si illam de facto non causat, non est ex defectu ipsius, sed ex defectu hominis, qui ei resistit.

Alia ratione id suadetur: qui enim potest bene 49
operari si vult, & non bene operatur, ex culpa sua hoc habet, non ex defectu potentiæ ad operandum, sicut, qui habet habitum virtutis, quod non secundùm eum operetur, ex defectu habitus non est, sed ex defectu voluntatis, quæ non vult operari secundùm habitum. Profectò, sicut per oppositum, qui potuit

transgredi

Digitized by Google

transgredi, & non est transgressus, in scriptura laudatur, ita & qui potuit non transgredi, & est transgressus, meritò reprehenditur, quia mala voluntate hoc facit, sicut ille primus ex bona divinitùs adjuta.

50 Sed nolunt ij Authores acquiescere, & instant ratione in antiquioribus planè comminuta quod cum in potestate illius habentis auxilium sufficiens non sit & bene uti, ei non debeat imputari, quod eo malè utatur, & peccet. Antecedens probant, quia nihil penitus efficere valet homo ille, nisi habeat auxilium efficax, sine quo nunquam utetur bene sufficienti: ergo hoc non habet in sua potestate. Quia verò hoc argumentum idem in substantia est cum aliis à principio hujus oppositis, & isti, & illis est clariùs sequenti capite respondendum.

CAPVT V.

Solvuntur argumenta in contrarium objecta.

51 PRimum argumentum à principio propositum illud erat, quod auxilium sufficiens revera illud est, quod ut nomen sonat, alio non indiget, ut operationem efficiat; quod si alia indiget, hæc indigentia insufficientia illius est. Cum ergo auxilium, quod vocatur sufficiens, indigeat efficaci, ut de facto operatio, ad quam ordinatur, sequatur, fit consequens ipsum revera non esse sufficiens, sed insufficiens.

52 Ad hoc argumentum antequam in forma respondeamus, manifestare oportet, quam sine fundamento opponant, quod si auxilium efficax requiritur, ut de facto operatio fiat, per hoc vera ratio auxilij sufficientis auferatur. Cum enim horum duorum auxiliorum diversa officia sint, destinctaque munera, quomodo ex negatione unius alterum negatur? vel infertur ex hoc, quod homo non habeat efficax, ipsum etiam sufficiens auxilium non habere?

53 Sed, & hanc objectionem veluti sibi oppositam Sanctus Pater Augustinus in terminis rejicit *libro de correptione, & gratia capite duodecimo*, ibi enim sermonem faciens de gratia collata à principio primo parenti ad perseverandum, quæ sine dubio fuit auxilium sufficiens, & de gratia data postea per Christum prædestinatis; quæ est efficax auxilium perseverantiæ, & utramque adinvicem comparans, ita ait. *Nunquid quia erunt bona novissima potiora, atque meliora, ideò fuerunt illa prima, vel nulla, vel parva?* quasi clariùs dicat, quia datur nunc per Christum prædestinatis auxilium efficax ad perseverandum quod est præstantiùs, & meliùs, ideò adjutorium sufficiens datum primo parenti ad perseverandum, fuit nullum, vel parvum, quia dicitis quod si homo non habet efficax auxilium, sufficiens non est sufficiens, sed vel nullum, vel parvum, vel insufficiens est? Et statim hujus reddens rationem, inquit. *Ipsa enim adjutoria distinguenda sunt. Aliud est enim adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud, cum quo fit.* Constat ergo hanc oppositionem, quæ nunc objicitur, vel antea Sancto Augustino objectam, vel illam ipsum sibi opposuisse, ut solveret, eosque redargueret, qui ex eo, quod homo non habeat auxilium efficax, nolunt acquiescere, quod habeat sufficiens.

Accedit, quod hoc illorum argumentum eo- 54
dem modo militat contra illam suam congruam vocationem. Qui enim illam non habet, indiget aliquo, ut de facto operetur bene: ergo hæc indigentia insufficientia etiam erit, & sic carens illa congrua vocatione, non habebit auxilium sufficiens. Sicut ergo ipsi hoc tenerentur solvere argumentum, ita nos illud, quatenus contra nostram sententiam militat, solvimus. Igitur etiam in ipsorum sententia convincitur, quod hoc argumentum, quod pro magno opponitur, nullum sit. Itaque nisi homo, ut aiunt, congruè vocetur, non bene operabitur, ergo deficit illa congrua vocatio, ut bene operetur, nec est in potestate hominis sic congruè vocari: ergo aliquid deficit homini, ut bene operetur, nec est in potestate ipsius: ergo non habebit sufficiens auxilium ad operandum. Cum ergo hoc argumentum in sua sententia nullum ab ipsis reputetur, necesse est, fateantur ipsum, vel in illa forma, vel in alia simili, qualis est sententia nostra, etiam nullum penitùs esse.

Dicent rationem esse diversam, quia in sua 55
sententia, congrua vocatio non est quid requisitum ex parte potentiæ, quia potentia habens sufficiens, sine eo quod aliquid ei addatur, potest operari, si homo voluerit. At in sententia nostra aliquid deficit ex parte ipsius potentiæ: nempè auxilium efficax: ergo qui illo caret, non habet omne id ex parte potentiæ, quod est requisitum, ut de facto operetur: Et per consequens non erit sufficiens potentia ad id operandum: nec ad id habebit sufficiens auxilium seu sufficiens principium.

Ad hoc dicendum, quod utrobique & in no- 56
stra, & in illorum sententia deficit potentiæ habenti auxilium sufficiens applicatio, qua efficaci rei applicari debet, ut de facto bene operetur. Et quamvis in illorum sententia hæc applicatio fiat ab homine, in natura à Deo; tamen sicut infallibile est, quod nisi à Deo applicetur, non benè operabitur; ita infallibile est, quod nisi à Deo congruè vocetur, non se homo ad bonum applicabit; cum ergo in potestate hominis non sit sic à Deo congruè vocari; ita nec erit in illius potestate se de facto ad bonum applicare. Quidquid enim faciat, seu conetur, impossibile erit bene operari, non congruè vocatum; ergo non habens congruam vocationem, nec facere poterit, quod bene operetur. Quod planè, & expresè, fatetur Leonardus Lessius *in præfatione ad disputationem de prædestinatione, & reprobatione.* Ergo, si non potest facere, quod bene operetur nec habebit sufficiens auxilium ad sic operandum: igitur hoc argumentum, quo ex defectu auxilij efficacis infertur negatio auxilij sufficientis, si attendere volunt: pariter in illorum sententia currit, & illud etiam ipsi solvere tenentur.

Et quidem in seipso nullum est. Vnde ei 57
respondetur distinguendo illam propositionem (quando potentia alio indiget, ut de facto operetur, sine illo non est sufficiens ad operandum) si illud aliud sit constituens potentiam in ratione potentiæ potentis proximè operari,

Digitized by Google

rari, conceditur quod sine illo non erit sufficiens: Si autem illud requisitum sit applicatio actualis potentiæ ad actum: negatur, quod sine illo potentia non sit verè potens, vereque sufficiens ad operationem, quia applicatio potentiæ ad operandum potiùs præsupponit potentiam in se potentem, & sufficientem ad operandum, aliàs frustra applicaretur potentia, quæ in se non esset sufficiens, & potens operari. Constat enim, quod per gratiam habitualem potest homo perseverare, idest potentiam habet sufficientem ad perseverandum, & tamen sine auxilio perseverandi de facto non perseverabit. Vtrumque enim S. Thomas docet apertè, *prima secundæ quæstione centesima nona art. decimo ad tertium* sic dicens, *quod nunc per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulteriùs datur eis, quod perseverent.* In quo primo dicto ostendit potentiam perseverandi convenire homini ex habituali gratia & auxilio sufficienti, quod habet ad perseverandum homo in gratia constitutus. In secundo autem manifestat ipsum actum perseverandi in operis exercitio convenire homini per auxilium perseverandi.

57 Nec valet argumentum, homo indiget auxilio perseverandi de facto ad actu perseverandum præter gratiam habitualem: ergo non potest per gratiam perseverare. Non, inquam, valet: quia revera per gratiam habitualem potentiam habet ad perseverandum: licet bene sequatur, homo præter gratiam habitualem indiget auxilio perseverandi ad perseverandum de facto: ergo impossibile erit, quod sine tali auxilio de facto perseveret. Quod est clariùs dicere, quod homo per gratiam habitualem potest perseverare in sensu diviso: id est potentiam habet ad perseverandum: non autem potest perseverare in sensu composito: id est, non est possibile, quod sine auxilio perseverandi perseveret. Et hoc secundum solùm sequitur ex eo, quod indiget de facto auxilio ad actu perseverandum.

58 Vndè falsum est, illam causam quæ alio indiget, ut de facto operetur eo ipso insufficientem esse. Etenim in Philosophia plures causæ dicuntur, & sunt sufficientes proximæ, sive in potentia proxima ad actum, quamvis aliud sit requisitum, ut operatio sequatur. Intellectus enim per speciem intelligibilem verbi gratia hominis causa sufficiens est, & in potentia proxima ad intelligendum hominem, & tamen indiget applicatione ex parte voluntatis, ut de facto hominem intelligat, & voluntas per habitus virtutum sufficiens causa est ad bene operandum, quamvis, ut de facto operetur, indigeat applicante eam ad agendum, ut *tertio libro* copiosè probavimus. Simliter in causis naturalibus plures sunt sufficientes ad operandum per formas suas, quæ tamen, quia impediuntur, non actualiter operantur, quæ proinde indigent alia, ut operentur; nec illud impedimentum redundat in insufficientiam causæ, quamvis redundet in insufficientiam causæ actualiter operantis. Vt enim bene notat Cajetanus *prima parte quæstione centesima quinta articulo sexto*, non est de ratione causæ sufficientis, sive de ratione causæ proximæ ad actum, quod sit applicata; imò supponit ista applicatio causam sufficientem ad productionem actus; aliàs si talis non præsupponeretur, nulla esset applicatio; per applicare enim ad agendum non sufficientem causam, non produceretur effectus; bene tamen applicatio est de ratione causæ actualiter operantis; sicut ergo, licet causa non actualiter operetur, quia videlicet impeditur potest esse sufficiens causa, ut apertis terminis docet Sanctus Thomas *quæstione sexta de malo: quæstione de electione ad decimum septimum argumentum.* Ita potest optimè auxilium sufficiens esse verè sufficiens ad operandum in potentia proxima habens ad id sufficientiam, licet quia ab homine impeditur, non producatur effectus. Aliud est enim de ratione causæ sufficientis, sive operativæ, & aliud de ratione causæ efficacis, seu actualiter operantis. Applicatio enim ad agendum, & sublatio impedimentorum de ratione sunt causæ actualiter operantis, non de ratione causæ sufficientis, seu operativæ. Quamvis ergo auxilium sufficiens non applicet potentiam, seu voluntatem de facto ad operandum, nec impedimentum auferat, id est voluntatis resistentiam, tamen verè est sufficiens in ratione potentiæ proximæ ad operandum. Et similiter, quamvis sine auxilio efficaci non sit completum auxilium sufficiens, quia hoc complementum ad operandum datur per efficax: tamen hoc complementum pertinet ad causam actualiter operantem in actu primo; non autem est de ratione potentiæ sufficientis, & operativæ.

Vnde ad primum argumentum respondetur, 59
quod si solùm purè grammaticaliter loquamur, sicut opponentes loqui videntur, argumentum apud grammaticos vim haberet: apud Philosophos autem, & Theologos, qui causam solent vocare in seipsa sufficientem ad actum; licet ex impedimento actualiter non operetur, ut patet ex exemplis inductis, argumentum nullas penitus vires habet. Potissimè autem secundum communem usum, & acceptionem Theologorum loquendi, qui solent auxilium sufficiens illud appellare, cum illud distinguunt contra auxilium efficax, per quod potentia potens redditur ad operationem, si homo voluerit; & ita potens, quod defectus operationis, non ex defectu ipsius auxilij, sed ex defectu pravæ hominis voluntatis, procedat: auxilium tale congruè sufficiens appellatur, & in seipso est verè sufficiens ad operandum. Et per hoc patet ad id, quod solet opponi, quod scilicet Deus non præcipit, ut homo possit operari, sed ut operetur: ergo homo per auxilium sufficiens non tantùm debet posse operari, sed debet esse tale, quod illo operetur, si homo voluerit. Ad hoc enim dicitur, quod auxilium sufficiens, sufficiens est ad operandum, si homo voluerit, ita quod non operatur eo homo, quia homo non vult, prout infrà clariùs explicabitur.

Ad secundum, quod probare intendebat, 60
quod quia ex parte principij deficit aliquid, ut operatio sequatur, ideò auxilium, quod sufficiens dicitur, insufficiens est. Respondetur primò, quod hoc argumentum in substantia, & terminis æquivalentibus appositum legimus ab illis, cum quibus Sanctus Pater Augustinus agit *libro de correptione & gratia capite secundo, tertio & quarto*, secundum quod illud ibi Sanctus Doctor

Digitized by Google

Doctor refert per hæc verba in *capite secundo. Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle, & operari Deus operatur in nobis?* Hoc planè est argumentum, quod modo pro magno opponitur, quod si gratia antecedéter efficax operatur nobis velle, & operari, jam nos id non liberè agimus.

61 Et in *capite tertio* aliud illorum argumentum format, quo contendebant quod si ipsis non datur illa gratia præveniens, quæ operatur, & velle, & operari, ipsi sine sua culpa deficiunt, quia nempè non habent in sua potestate illam gratiam, sine qua fieri non potest quod bene operentur. Verba illorum sunt: *Præcipiant tantummodo nobis, quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & ut faciamus, orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant, si non fecerimus.* Et rationem reddentes, quod ex defectu, & culpa sua non proveniret, quod non bene operarentur, sic protinus subjungebant. *Quomodo meo vitio habetur quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omninò alius, unde tale, ac tantum munus habeatur.* Quis hic non videat, nisi ex proposito oculos claudat, idem omninò, & in terminis argumentum esse hoc, ac illud, quod modo formatur, & ita strictè ab illis oppositum, sicut modo objicitur quomodo meo vitio aut culpa mea à bono deficio, ait arguens, si non accepi à Deo illlud auxilium gratiæ requisitum ex parte principij, ut de facto bene operer; cum non sit alius, à quo tale auxilium habeatur, quod ampliùs stringentes subdunt. Rectè autem corriperer, si eam (ideſt gratiam operantem velle, & operari) mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem. Quod modo in terminis, & non urgentioribus opponitur, cum dicitur: illud auxilium efficax, seu illud auxilium operans ex Deo ipso velle, & operari, ex culpa hominis ei non negatur, quia homo non potest illud sibi dare, non potest illud habere, illud non habet in sua potestate, nec aliquid ipse potest facere, ut illud obtineat: ergo non est ex vitio, & culpa hominis, quod à bono deficiat, cum fieri non possit, ut bene sine illo operetur. Idem etiam fuisse in terminis argumentum Celestij damnati in Concilio Diospolitano. Sanctus Pater Augustinus refert *in libro de gestis Pelagij*; de quo *in primo libro* satis mentionem facimus agentes de erroribus Celestij. In isto ergo libro *capite decimo quarto.* Sic refert Sanctus Doctor Augustinus: *Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omni modo, & non potuit.* Et iterum ait. *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata: ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, qui omninò custodire nos, aut non potuit, aut noluit.* Hoc erat Celestij argumentum ad se excusandum, seu prætendendas excusationes in peccatis.

62 Tandem *in libro de perfectione justitiæ.* Idem S. P. Augustinus ex illis definitionibus, quæ Celestij esse dicebantur, hoc nec semel commemorat, quod si homo ex se vitare peccatum non potest sine gratia, non ejus culpam esse, quod pereat, cui sæpè S. Doctor Augustinus ibi respondet. Proculdubio sæpissimè mecum miratus sum, quod hoc argumentum tantùm perturbet, tantùm repetatur, tantùm in ore hominum versetur, tantùm his temporibus opponatur, & ipso pleni sint libri, plenæ disputationes, & nihil magis acclametur; cum luce solis sit clariùs illud esse damnatorum olim per Ecclesiam damnatum argumentum, & à Sanctis Patribus satis contritum, & comminatum. Si omnes scholastici, omnesque Theologi temporis hujus hoc argumentum cognoscerent fundamentum esse damnatæ doctrinæ, omnesque id confiterentur, ut fateri tenentur, & illud tantùm disputationis gratia, ut clarè solvatur, objicerent bene quidem. At quod plerique in illo fundentur, illi innitantur, ipsum pro Achile, & fundamento suæ doctrinæ proponant, ipso penitus convincantur, & insolubilè acclamèt, ipsoque libros quotidie repleant, itaut nihil magis audiatur temporibus istis: hoc planè mirandum, hoc dolendum. Videant, obsecro, illud esse relatum à Sancto Patre Augustino *ubi supra*, & ab eodem Sancto Doctore solutum, confractum, & contritum. Et hoc eis pro prima, & fundamentali solutione sufficiat, ut omnes pariter illud cum opponitur, refutent seu damnatum per Ecclesiam, & solutum rejectumque per tantum Ecclesiæ Doctorem. Et meritò, nam finis illius argumenti, & eorum, qui eo convincti sunt, non alius est, quam enervare, & de medio tollere Apostolicam doctrinam, quæ docet Deum per gratiã suam operari in nobis velle, & operari, id est, per efficacem prævenientem gratiam contra hanc enim solam illorum procedebat argumentum, ut est apertissimum, & ita manifestum ut nullus id possit negare: simulque statuere ex Deo solùm esse possibilitatem, & sufficientiam, quam sicut quis malè utendo, reddat inefficacem ex culpa sua, ita bene illa utendo efficacem faciat ex merito suo. Hunc enim fuisse sic arguentium finem clariùs aperuit S. Prosper epistola illa notissima ad Sanctum Patrem Augustinum sic dicens: *Et consequens putant, ut quia prævaricator, ideò dicitur non obedisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus esse, quia voluit.* Et præmiserat, quod omnibus Deum dare sufficiens auxilium ad salutem asserebant.

Cognito quorum sit hoc argumentum, quod 63
modo divulgatur, & ad quem finem illud oppoſuerint qui eo usi sunt, doctrina Sanctorum PP. qui illud, & illos penitus expugnarunt, & nos ostendamus incipientes ab illis verbis Sanctissimi Patris Augustini ubi supra, qui eos, qui prætendebant non suo vitio deficere, qui non habentes auxilium efficax ex parte principij malum operabantur, ita devicit. *Patimini me paululum fratres mei, non adversum vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversus eos, qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes pro cœlestis, & divina gratia veritate certare. Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ Prædicatoribus corripi nolunt.* Tria valdè his verbis proponit notanda. Primum hoc argumentum esse illorum, qui terrena sapiunt. Secundò esse humanarum, debilium, & infirmarum cogitationum: & tertiò eorum esse, qui in suis operibus corripi nolunt ab hujus gratiæ Prædicatoribus, contra quos docet pro cœlestis, & divinæ gratiæ veritate esse certandum, & post pauca. *Trium quippe vitium est, quia malus es, & majus vitium corripi nolle, quia malus es, quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut nec laudentur, nec vituperentur?* Illi opponebant, & modo opponitur, quomodo meo vitio habetur quod non accepi ab illo? Respondet Sanctus Doctor Augustinus, & nos cum illo, tuum quippe vitium est, quod malus es, & majus vitium quod corripi non vis. Proculdubio multò majus vitium est, quod prætendant non operantes bonum, sed malum non suo vitio, & culpa deficere ex eo, quod Apostolus prædicat. Deus est, qui operatur in nobis velle, & operari; & ex eo, quod ex hoc Apostoli testimonio Sancti Patres, & reliqui omnes Theologi deducãt id, quod in ipso

Digitized by Google

ipso apertissimè continetur: Deum scilicet efficaci sua gratia præveniente operari in nobis velle, & operari, idest, facere efficaciter, ut nos velimus, & operemur.

64 Statim tamen opponunt, quod licet auxilium sufficiens det voluntati possibilitatem ad operandum, quia tamen aliud requiritur ex parte principij, ut de facto sequatur operationis effectus, ex defectu illius requisiti proveniat quod non sequatur, sive illud requisitum sit actualis applicatio, sive quodlibet aliud, sine quo talis operatio non fiat. Itaque concedunt & ipsi, quod si de auxilio sufficienti dante illam possibilitatem rectè verificetur, quod defectus operationis ex defectu illius non proveniat, sed tantùm ex defectu voluntatis illud erit verè sufficiens. Verum hoc ferè omnes negant, nec admittunt dici verè auxilium sufficiens id, quod alio indiget ex parte principij requisitum, ut operatio fiat, de quo præ aliis videri poterit Franciscus Suarez 3. *libro de auxiliis divinæ gratiæ.*

65 Sed in hoc valdè falluntur: licet enim auxilio Dei sufficienti desit illud requisitum ad operandum, tamen quia illud requisitum haberet homo, si tali auxilio ipse non defuerit: inde est illud auxilium esse verè sufficiens, & non ex ejus defectu, sed ex defectu humanæ voluntatis provenire, quod homo non rectè operetur quæ sententia ab alio ejusdem familiæ expressè traditur, & quidem rectè, & propterea dixi, quod illa superiùs relata ferè ab omnibus his Theologis recipitur. Hic enim Author sic habet. *Itaque rectè ex sententia Augustini, & Concilij Tridentini asseruimus modum, quo per gratiam sufficientem possit aliquis exercere actionem piam, consistere in eo, ut quis, vel habeat jam auxilia omnia, aut aliqua per quæ liberè possit exercere reliqua, si non sibi ipsi defuerit.* Igitur etiam si omnia auxilia requisita ex parte principij non habeat homo, ut priores affirmant, sed aliquod deficiat, si tamen illud possit habere, nisi auxilio ipse deficiat, verè dicitur habere auxilium sufficiens, verèque ponitur, quod ex defectu auxilij defectus non sequatur, sed ex defectu arbitrij. Et hoc ita esse dicendum ex sententia S. P. Augustini, & ad mentem S. Conc. Trid. rectè iste Author contra priores affirmat.

66 Et ratio est satis nota, quia licet homini deficiat aliquod requisitum ad operandum de facto, quia tamen illud ipse haberet, si ipse non deficeret, sibi debet meritò imputari, quod illud non habeat, & ex consequenti non ex defectu auxilij, sed ex hominis defectu provenit quod malè operetur. Cujus iterum ratio est, quam in tali casu aliquo modo habet homo in potestate sua illud requisitũ, quod actu non habet, quia si ipse non deficiat, illud habebit, si autem ratione aliqua habet in sua potestate omne requisitum ad operandum, constat manifestè, quod si non operatur, ex defectu potestatis non est, nec ex defectu auxilj, quod ratione aliqua in sua habet potestate, sed ex culpa & defectu suo, quo ipse deficit. Omnia hæc cujuscumque Theologi judicio manifesta esse debent, quæ sequenti Capitulo magis aperientur.

Verum antequam ostendamus ex defe- 67
ctu hominis esse, quod auxilium efficax non habeat, alia solvenda argumenta sicut, quæ ab illo Authore libelli de concursu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ opponuntur. Vt enim probet, quod auxilium quod à nobis dicitur sufficiens, verè in re sufficiens non sit primò id sic suadet: ut auxilium, cui homo dissentit peccando, sit verè sufficiens ad non peccandum, oportet, ut tale sit, cui homo possit conjungere actum bonum, ad quem illud auxilium movet, aut negationem actus, à quo illud removet; sed homo habens auxilium sufficiens non potest cum illo conjungere actum bonum, ad quod movet, vel negationem actus, à quo removet: ergo non est verè sufficiens. Minorem probat: quia homo ille habet simul cum auxilio sufficienti prædeterminationem ad actionem quæ est in peccato, quo sufficienti auxilio resistitur: ergo non potest conjungere cum auxilio sufficienti bonum actum, aut remotionem actus mali: alias eundem bonum actum, seu remotionem actus mali potest etiam conjungere cum efficaci prædeterminatione ad actionem, quæ est in peccato, quod Authores Physicæ prædeterminationis, ut ait, non concedunt. Hoc est argumentum clariùs propositum, in quo Author ille tria folia consumit obscuriùs illud proponendo.

Ad quod respondemus, quod sicut habet 68
auxilium sufficiens, ut possit operari; ita, si vult, potest cum illo bonum actum conjungere, vel remotionem actus mali. Ad sic enim conjungendũ illum actũ bonum, cum illo auxilio potentiam proximam habet, nunquam tamen illum bonum actum conjungit, aut remotionem actus mali ex defectu suo, nisi ampliùs adjuvetur. Itaque sicut ex Conc. Trid *sess. 6. c. 4.* habetur, quod liberum hominis arbitrium à Deo motũ & excitatum, nimirum efficaciter, ita Deo excitanti, & vocanti assentitur, quod si vellet, eidem possit dissentire, & si vellet eidẽ Deo excitanti, atque vocãti possit conjungere contrarium dissẽsum, ita per oppositum liberum hominis arbitrium efficaciter

motum

Digitized by Google

motum, seu prædeterminatum ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio est si velit, potest assentire auxilio sufficienti, quod habet, & cum eo potest coniungere actum bonum seu remotionem actus mali, sed nunquam illum bonum actum coniunget. Et ad probationem minoris respondendum, nullam esse istam consequentiam. Homo habens auxilium sufficiens simul cum prædeterminatione ad actionem, quæ est in peccato, potest coniungere bonum actum ad quem auxilium sufficiens mouet cum ipso auxilio sufficienti, si velit: ergo potest coniungere eundem bonum actum cum prædeterminatione ad actionem, quæ est in peccato, nulla, inquam, est consequentia; sicut per oppositum non valet: liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter excitatum & motum ad bonum potest coniungere dissensum cum Deo excitantè, atque vocante: ergo potest dissensum coniungere cum Deo efficaciter mouente.

69 Consequentia nulla, est enim manifestissimè à sensu diuiso ad compositum, *vt primo nostro libro* dedimus manifestum, & infrà *in hoc 4. lib.* amplius explicabimus. Et ratio est, quia ista propositio: liberum arbitrium hominis à Deo sufficienter, efficaciter motum, & excitatum ad bonum · potest dissentire Deo vocanti, & excitanti diuisa est, quia non componit dissensum cum arbitrio efficaciter moto, quod esset necessarium, vt illa esset propositio faciens sensum compositum. Hæc autem alia liberum arbitrium sic efficaciter motum, & excitatum potest coniungere dissensum cum Deo efficaciter mouente apertè composita est: ergo fit transitus à sensu diuiso ad compositum, quod est re ipsa argumentari à superiori ad suum inferius affirmatiuè; sensus enim diuisus superior est ad compositum, & latius patet, quàm compositus. Et quidem, quod posse coniungere actum bonum cum efficaci prædeterminatione ad actionem quæ est in peccato, sensum importet compositum, clarum est: quod autem posse coniungere actum bonum cum auxilio sufficienti faciat sensum diuisum ostenditur. Quia illa est non composita, sed diuisa propositio, quæ non componit id quod se tenet ex parte prædicati cum toto illo, quod se tenet ex parte subiecti, sed cum aliquo se tenente ex parte subiecti non componit, sed potius ab illo diuidit: Hac enim ratione omnes Theologi, & Philosophi dicunt hanc: homo albus potest esse niger, esse diuisam, non compositam; & similiter hanc materia sub ista forma existens potest habere aliam, idest potentiam habet ad aliam. Quia licèt materia existens sub vna forma potentiam habeat ad coniungendum sibi aliam, non tamen habet potentiam ad coniungendum sibi aliam cum ea, quam habet. Pari ergo ratione, cum duo sint ex parte subiecti in hac propositione (homo habens auxilium sufficiens, & prædeterminationem ad actionem, quæ est in peccato) scilicet sufficiens auxilium, & prædeterminatio: illa propositio, quæ sonat compositionem cum auxilio sufficienti non illam importat cum prædeterminatione alia efficaci, sed potius ab illa diuidit; & sic est propositio diuisa, quia planè facit hunc sensum, homo prædeterminatus ad actionem, quæ est in peccato potentiam habet, sicut ante prædeterminationem habebat ad coniungendum bonum actum cum auxilio sufficienti, non tamen habet potentiam ad coniungendum illum bonum actum cum efficaci prædeterminatione ad actionem quæ est in peccato.

70 Itaque in hac propositione liberum hominis arbitrium prædeterminatum ad actionem, quæ est in peccato, potest dissentire auxilio sufficienti. Tria distinguenda sunt, vel vt formalius loquamur, tres verè propositiones sunt explicandæ. Prima est: liberum hominis arbitrium sic prædeterminatum potest coniungere bonum actum cum auxilio sufficienti. Secunda nunquam de facto cum auxilio sufficienti illum bonum actum coniunget. Tertia liberum hominis arbitrium prædeterminatum ad actionem quæ est in peccato non potest coniungere bonum actum ad quem movet auxilium sufficiens cum efficaci illa prædeterminatione ad actionem quæ est in peccato: & eodem modo in opposita illa ex sacro Tridentino Concilio explicata: Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum (nimirum efficaciter) potest dissentire Deo vocanti & excitanti, has tres propositiones includit: Prima est: tale arbitrium sic efficaciter motum potest coniungere cum Deo excitante atque vocante dissensum. Secunda nunquam cum Deo excitante atque vocante illum dissensum coniunget. Tertia tale arbitrium sic efficaciter motum non potest coniungere dissensum cum efficaci Dei motione ad bonum.

Parique ratione in hac: materia habens hanc 71
formam potest habere aliam, illæ tres explicandæ sunt propositiones: Prima, materia habens hanc formam seu prædeterminata per hanc formam, potest sibi coniungere aliam formam, quia etiam habens hanc formam retinet potentiam ad coniungendum sibi aliam, sicut antequam haberet illam formam retinebat: Secunda, materia, habens hanc formam nunquam coniunget sibi aliam: Tertia, materia habens hanc formam, seu per illam prædeterminata, non potest simul cum illa sibi aliam formam coniungere. Quæ si considerarentur à prædicto authore, videret manifestam fallaciam illius argumenti quod tanti facit, nec enim solum in Theologia deficit, sed in vera Philosophia; imò potissimè in dialectica, quia non penetratur verus sensus diuisus atque compositus. Vnde de illo, & aliis sic argumentantibus hæc verba protulit S. Thomas *lib. 1. cont. gent. c. 67.* in fine: *& sic in his, & in omnibus similibus qua Dei scientiam* (& idem est de diuina causalitate) *circa contingentia oppugnantes argumentantur, secundũ compositionem & diuisionem falluntur.*

Sed vltimò loco illud etiam venit obseruan- 72
dum, quod hi authores argumentum, quod magnificant, ipsi solvere in sua sententia, contra quam etiam militat, tenentur. Sic enim opponit Suarez *libro 3. de auxiliis cap. 8.* auxilium efficax non est in potestate nostra vt cooperantibus ad illud habendum, nec ut disponentibus positivè, aut negatiuè ad illud: Ergo non stat per nos quod illud non recipiamus: & ex consequenti nec per nos stabit quod non conuertamur. Respondetur enim primò vt suprà, id fuisse argumentum & fundamentum eorum quos refert S. Doctor Augustinus *lib. de correct. & gratia citatis locis & lib. de gestis Pelagian. cap. 14.* Respondetur secundò idem argumentum instare contra illam congruam vocationem, etenim Gratia illa congrua, quæ secundùm illos necessaria est vt homines conuertantur, non est in potestate nostra, nec ut cooperantibus, nec vt nos disponentibus vel positivè, vel negativè ad illam habendam: ergo nec per nos stat quod illam habeamus; & ex consequenti nec etiam per nos stabit, quod non convertamur. Tertiò respondetur quod, vt sæpe dictum est, quibus efficax auxilium non datur ex Iusto iudicio non datur vt ex S. Patre Augustino

Digitized by Google

de correct. & gratia, S. Thomas docet, 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 1. *&* 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. *ad* 3. *& 3. contra gentes cap.* 159. *&* 160. quod statim efficacius comprobabimus.

72 Simile argumentum Molina facit *in concord. quæst.* 23. *art.* 5. vel Deus dat vnicuique auxilium efficax vel non dat? Si primum? ergo omnes convertuntur. Si secundum? ergo Deus non est paratus dare omnibus id quod requiritur vt salventur, & sic si non salventur est ex defectu eius quod Deus eis non dat. Respondetur enim retorquendo argumentum, vel Deus dat omnibus Gratiam congruam, vel non dat? Si primum? ergo omnes convertuntur. Si secundum, ergo non est Deus paratus dare omnibus, id quod requiritur vt saluentur: & sic si non saluentur erit ex defectu illius, quod eis Deus non dat. In veritate autem argumentum solvitur dicendo Deum esse paratum dare omnibus auxilium efficax, dummodo ipsi homines impedimentum non ponant, & quibus non datur ex Iusto iudicio non datur, quia ipsi homines ei impedimentum ponunt. Quale autem sit hoc impedimentum statim commodiùs explicabimus.

CAPVT VI.

Non ex defectu auxilij, sed ex defectu hominis prouenit quod habens auxilium sufficiens non habeat efficax.

73 OPortet ergo iam nunc ostendere quod habens auxilium sufficiens, licet non habeat actu auxilium efficax, quod est requisitum ex parte principij vt de facto operetur, illud tamen haberet, si ipse homo non deesset, ac per ipsum staret, quod illud non haberet, ita quod aliqua ratione illud in sua habeat positum potestate, non quidem effectiua illius auxilij vel dispositiua ad illud habendum per aliquem suum actum, vtrumque enim repugnat vt infrà demonstrabitur, & S. Thomas apertè docet 3. *cont. gent. cap.* 159. dicens: *Quod homo non potest actu suo mereri gratiam, nec illam sibi acquirere:* Hoc, inquam, modo non est, in hominis potestate habere efficax auxilium; sed ad hunc sensum illud dicitur aliquo modo in sua potestate habere, quod si ipse non impedimentum ei opponeret, Deus qui incepit dando auxilium sufficiens & in ipso offerendo efficax, nisi per hominem staret, vlterius procederet, & perficeret quod incepit, dando de facto efficax, quod ex citato loco S. Thomæ clarius habetur, in quo dicit, quod nisi homo impedimentum Gratiæ iustificanti (de illa enim loquitur) poneret, Deus illi gratiam iustificantem tribueret. Quia nisi esset impedimentum tribueret auxilium efficax, quo gratiam iustificantem haberet, idest, quo se disponeret ad illam habendam: quod si non facit, id est, quia illi voluntas impedimentum ponit. Et hac ratione, dicitur aliqua ratione esse in potestate hominis illud habere quod si ostensum fuerit, cessabit ista magna difficultas, quæ illis videtur insuperabilis; & manifestum erit, auxilium sufficiens esse verè sufficiens, veréque ex illo non procedere defectum operationis, sed ex arbitrij libertate & ex consequenti, verè homini imputari ad culpam, quod auxilio sufficienti ipse resistat, & quod efficaci auxilio careat.

74 Hoc autem sic aperitur: & quidem primò ex Sacrò Concilio Tridentino quod *sess.* 6. *cap.* 13. loquens de dono perseuerantiæ, quod à solo Deo datur iustificatis, docet, *quod quamvis nemo sibi aliquid de eo absoluta certitudine sibi polliceatur, tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Quibus verbis palam docet, quod iustificati omnes qui habent auxilium sufficiens sibi datum ad perseuerandum, si non desint illi sufficienti auxilio, Deus sicut cepit sufficienter adiuuare ad perseuerandum, ita perficiet donans efficax auxilium perseuerandi. Pariterque docet firmam spem debere omnes iustificatos de hoc habere. Igitur doctrina Sacri Concilij authoritate confirmata Apostoli, est quod habentes auxilium sufficiens ad perseuerandum, nisi ipsi illi defuerint, recipient efficax, quo perseuerabunt. Quamvis autem id doceat de auxilio sufficienti ad perseuerandum tamen ex inducto Apostoli testimonio etiam id probatur de omni habente auxilium sufficiens ad perseuerandum, siue ad aliam piam actionem, quod scilicet sicut Deus incipit dando auxilium sufficiens ad illam piam operationem, ita perficiet tribuendo efficax, nisi homo illi sufficienti auxilio desit, ei videlicet resistendo: Igitur per hominem habentem sufficiens stat quod auxilium efficax non recipiat; & sic ex defectu illius, non ex defectu auxilij est quod non piè operetur. Cuius Sacri Concilij verba inducta nequeunt explicari quod negetur auxilium efficax ad perseuerandum propter defectibilitatem arbitrij, non autem propter defectum culpabilem ipsius, vt aliquis ex S. Thomæ discipliis interpretatur, quia illa verba, *Nisi ipsi illius gratiæ defuerint*, defectum culpabilem sonant manifestè, non defectibilitatem omnibus communem, quæ omninò inculpabilis est. Vnde non video quomodo hæc explicatio cum verbis Concilij possit stare. Quod verò licet Concilium tantum expresè loquatur de dono perseuerantiæ, etiam implicitè, & reipsa id intelligat de omni habente auxilium sufficiens, ita quod ex verbis Concilij ad id efficax sumatur argumentum, constat ex reddita ratione; quia Deus sicut incepit, ita & perficeret nisi per hominem staret, quod vtique etiam currit de omni, cui Deus incipiendo dat auxilium ad bene operandum sufficiens, qui sicut incepit dando sufficiens ad piam operationem auxilium nisi homines illi deficerent, vtique quod incepit perficiet dando efficax.

Secundò, id ex Doctrina S. Patris Augustini, 75
allatis locis est manifestum, dum docet quod ex vitio suo habent homines quod non benè operentur, non ex defectu gratiæ, addens vti suprà visum est, quod Primus homo perseueraret per adiutorium sufficiens, quod habebat, si vellet; & quod quia noluit non perseuerauit. Si quia noluit non perseuerauit, & ad perseuerandum necessarium erat auxilium perseuerantiæ efficax: ergo quia noluit non habuit auxilium quo perseueraret. Est aliud ad hoc insigne testimonium in terminis docens quod defendimus *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 17. vbi agens de adiuuante gratia (quam ex ipso S. Patre & Concilio Tridentino diximus esse auxilium efficax) ait, *Vt autem innotescat, quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur in ipsis itidem causa est.* Et paulo inferius: *Tanquam diceret* (scilicet Propheta) *scio Domine ad corruptionem*

meam

Digitized by Google

meam pertinere quod minùs à te adiuuor. Vbi absolutè S. Doctor tradit ex culpa hominis prouenire, non ex defectu gratiæ, quod efficax adiutorium gratiæ non habeat: quia ibi fieri sermo videtur de auxilio efficaci: hoc enim à S. Patre Augustino, gratia adiuvans vocari solet, vt nempe distinguitur à sola excitante, & dicit, *qua vt non adiuuentur in ipsis itidem*, hominibus scilicet, *causa est.* Imò ipsa litera S. Doctoris id satis ostendit. Et quod procedat de auxilio efficaci clarius manifestatur: cum enim inquireret, cum homo possit esse sine peccato gratia diuinâ, cur non sit de facto sine peccato, & primò respondeat, quia homines nolunt, iterum quærens quare nolunt, respondet vel quia ignorant sic benè operari, vel quia eos non delectat sic benè operari. Vbi manifestè loquitur de efficacia bonæ operationis humanæ, & per consequens loquitur de efficacia auxilij gratiæ ad id requisitæ, quod statim sub his verbis subiungit, *Vt autem innoteſcat quod latebat & ſuave fiat quod non delectabat gratia Dei eſt qua hominum adiuvat voluntates: qua vt non adiuventur in ipſis itidem eſt cauſa, non in Deo.* Ex quibus planè convincitur ipsos homines in causa esse, vt non habeant auxilium efficax, vt benè operentur; non autem Deum ipsum. Rursus exponens immediatè, talem hominum causam vt eis negetur auxilium efficax, in illis esse culpabilem, id probat ex Hieremia cap. 10. *Scio Domine, quia non eſt in homine via eius nec vt ambulet & dirigat greſſus ſuos:* continuò S. Augustinus subiungit. *Corripe me Domine verumtamen in iudicio & non in furore tuo*, tanquam diceret, inquit, *ſcio ad corruptionem meam pertinere quod minùs abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur greſſus mei.* Cum itaque apertè doceat S. Doctor, imò id ex Scriptura Sacra probet corripiendum hominem propterea quod ipse non in causa est vt non efficaciter adiuuetur à Deo, vtique per se tradit ex defectu hominis culpabili & reprehensibili prouenire, quod à Deo efficaciter non adiuuetur. Non ergo, secundum apertam S. Patris Augustini sententiam, prouenit defectus operationis ex defectu auxilij sufficientis, sed ex defectu & culpa ipsius operantis, qui illi resistit. Idem docet de Angelis qui ceciderunt S. Anselmus *lib. de caſu Diaboli cap. 3.* cum ait quod ista est causa quare Deus non concedit Diabolo gratiam, quia ipse non voluit accipere. Idem apertè etiam habet S. Prosper *libro ſecundo, de vocatione gent. cap. 26.* vbi sermonem instituens de eo, quem Deus vocat & præsidiis suis adiuuat, hæc verba immediatè subiungit: *De ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratia opitulatione ſi proficit.* Igitur auxilio sufficienti præuentus, non ex defectu auxilij, sed ex sua mutabilitate deficit.

76 Item probatur ex S. Thoma *1. 2. quæſt. 112. art. 3.* in quo apertè docet quod homo non conuertatur ex culpa sua esse, sicut ex prima radice: ac per consequens quod homo habens auxilium sufficiens non piè operetur ex culpa sua est, ex qua prouenit quod auxilium efficax non habeat vt piè operetur, verba enim S. Thomæ sunt ad secundum: *Quod defectus gratiæ cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud Oſeæ perditio tua ex te tantummodo ex me auxilium tuum.* Hoc ipsum clarius & ferè in terminis docet *3. contra gent. cap. 159.* vbi illam omninò obseruandam doctrinam tradit & pro his materiis valde necessariam, quod quamvis homo non possit actu suo mereri gratiam, nec eam acquirere, sine qua non potest bene operari, ipsi tamen imputatur meritò ad culpam si non bene operetur, ex eo quod gratia omnibus datur nisi homines ipsi impedimentum ponant. Vnde quod careant gratia ex culpa eorum est, qui ei impedimentum præstantes causa sunt ut ipsam non recipiant cū eam Deus paratus sit dare. Est autem manifestum quod vt homo non recipiat aliquid ab eo, qui paratus est dare, quod illo careat ex culpa est illius, meritóque ei imputatur. Ex qua Doctrina facilè constat, quod habens auxilium sufficiens si ei impedimentum non præstaret, haberet vtique & ipsum auxilium efficax. Vnde quod non habeat efficax ex sua culpa est. Verba S. Thomæ sunt. *Licet aliquis per motum liberi arbitrij Diuinam gratiam nec promereri, neque acquirere poſſit, poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat dicitur enim de quibuſdam Iob 21. dixerunt Deo. Recede à nobis & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Et Iob 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini, & cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire vt dicitur 1. ad Timoth. 2. ſed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant ſicut ſole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis ſit præuentus.* Hæc S. Thomas.

Idem affirmat *quæſt. 3. de malo* dicens: *Quod ex* 77
indiſpoſitione hominis prouenit, vt motio primi mouentis non ſit perfecta, ita vt perfectam operationem producat, quæ indiſpoſitio, vel eſt præcedens peccatum, vel eſt error, ignorantia vel ſaltem inaduertentia, propter quorum aliquod motio Dei mouentis ſufficienter ad bonum non ſit ita efficax vt perfectam in homine operationem producat quæ omnia relata ex culpa hominis ſunt. In quo etiam primo loco Angelici Doctoris, illam propositionem (*nulli imputatur quod ab alio dependet*) vt ex mente Doctoris Sancti optimè Ferrariensis exponit, constat esse falsam, quando non est defectus ex parte eius, à quo illud dependet, quin illud habeat, sed magis ex parte recipientis, ponentis impedimentum receptioni voluntariæ illius.

Itaque concludamus quod Deus tribuens au- 78
xilium sufficiens, in eo offert efficax: & quia homo resistit sufficienti, priuatur efficaci quod sibi offerebatur; sicut si Papa v. g. alicui daret Episcopatum, & in exhibitione illius offerret ei postmodum dare Cardinalatum, si homo Episcopatum recusaret, meritò Cardinalatu oblato priuaretur. Ista ergo instantia rationis distinguenda sunt in hac parte. Primò Deus dat auxilium sufficiens. Secundò in collatione sufficientis auxilium efficax homini offert. Tertiò homo sua praua voluntate sufficienti resistit. Quartò in pœnam ob talem culpam Deus hominem priuat efficaci: & sic semper priuatur homo efficaci propter suam culpam, vnde ei imputatur quod illud non habeat, & ex consequenti non rectè operetur.

Et per hæc perfectè omnia argumenta, quæ 79
solent opponi, clarius diluuntur. Quod enim in secundo argumento pro magno opponitur, quod videlicet auxilio sufficienti deficit ex parte principij, aliquid vt operatio fiat, & ex consequenti homini imputari non potest, quod non operetur, quia deficit sibi principium ad operationem requisitum

Digitized by Google

quisitum, iam patet vires non habere; quia licet illud requisitum ex parte principij deficiat sine quo homo non operabitur, tamen illud de facto haberet homo, & illo cum effectu operaretur, nisi per ipsum staret. Qui ideò illud non habet, quia nec vult habere: sed per malam voluntatem illud sibi oblatum in collatione auxilij sufficientis respuit ponendo impedimentum auxilio sufficienti, & oblationi auxilij efficacis.

79 Vnde similiter patet ad illud quo dicitur, quod quia sine lumine visio non fit, qui clausis fenestris teneretur, non imputaretur, quod non videret ex defectu lucis. Respondetur enim quod si vel lux illi ob suam culpam negata esset, vtpotè quia ille se iniecit sua sponte in locum luce carentem, vel sibi offerretur, & ille eam respueret, procul dubio sibi imputaretur quòd lucem requisitam ad videndum non haberet: & similiter imputaretur quod non videret.

80 Et si esset aliquis sic tenebrarum amicus, & sic tenebris delectatus, quod quamvis posset oculos aperire semper tamen illos soli clauderet, ita quod non staret illum oculos non claudere, tantò magis ei imputaretur quod non videat, quanto magis obstinatus est in claudendis oculis soli illuminanti; sic in proposito exemplum est applicandum: etenim homo cui offertur auxilium efficax in collatione sufficientis, ex culpa sua illi oblationi oculos claudit ad malum se conuertendo: & quamvis non stet ipsum non sic oculos claudere, ex sua tamen praua voluntate, vel ex defectu suo prouenit, quod non stet oculos non claudere: vnde semper sibi imputatur, quod non veniat ad lucem & faciat bonum.

81 Similiter quod objici solet, non posse imputari homini id quod ab alio dependet; à Deo autem dependet, quod homo habeat auxilium efficax; etiam ex dictis solutum manet. Nam ex Doctrina S. Thomæ explicata à Ferrariensi *3. contra gent. cap. 159.* respondetur distinguendo illam propositionem in maiori assumptam: Si ille à quo dependet non sit paratus illud dare, etiam si ex parte hominis impedimentum non apponatur, conceditur, quod carere illo homini non imputabitur, nec ex consequenti imputabitur non operari, quod ex negatione illius consequitur; si autem ille à quo illud dependet paratus sit id dare, ita quod de facto illud daret, nisi per hominem, qui id debet recipere, impedimentum præstetur, negatur quod tunc homini non imputetur illo carere, & omni alio quod id ipsum consequitur; & sic est in præsenti, vt manet expositum. Vnde meritò homini imputatur, quod auxilio efficaci careat & recta operatione: vtrumque enim haberet, nisi impedimentum auxilio sufficienti, & in ipso oblato efficaci ipse præstaret.

82 Parique ratione, quod aliis verbis objici solet & cum admiratione proponitur, quomodo homini imputatur non operari, cum sine auxilio efficaci fieri non possit, vt operetur, & illud efficax auxilium, non habet in sua potestate, non aliud est, quàm aliis verbis repetere, quod manet modo dictum. Et quidem si cum admiratione illud nunc proponitur, cum admiratione antiquitus fuisse obiectum ostensum est suprà, sed quia argumentum repetunt, & nos repetamus illud in terminis obiectum ab eis contra quos S. Pater Augustinus agit *lib. de correct. & gratia*, vbi refert illos in terminis ipsis, hoc, quod Pio Magno modò opponitur, argumentum appositisse verbis eisdem, quibus modò obiectum ponimus. Quid verò eis S. Pater Augustinus respondeat omnes deprehendent qui illum locum legerint. Sed claritatis maioris gratia etiam ista propositio distinguatur cum S. Thoma *vbi supra 3. contra gentes.* Non habet homo cui tribuitur auxilium sufficiens in sua potestate auxilium efficax, ita vt per actum aliquem illud mereatur, aut illud sibi acquirat, conceditur: non habet illud in sua potestate, ita quod nisi sufficienti resistat, illud non habebit, negatur. Vnde hoc secundo modo dicitur habere aliquo modo in potestate sua auxilium efficax: id enim aliquo modo in nostra est positum potestate, quod nisi offerenti resistamus, de facto haberemus.

Quod si contra objiciatur, quod S. Doctor Augustinus *epist. 107. ad Vitalem*, oppositum videtur dicere, nimirum non dari infallibiliter gratiam, etiam si homo ille non resistat, verba enim illius sunt. *Quomodo dicitur omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines saluos fieri cum multis non detur parvulis & sine illa plerique moriantur qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, &c.* & *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 5.* ait: *Cur illum Deus adiuvet, istum non adiuvet, illum tantùm, illum autem non tantùm, istum isto, illum illo modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.* Hæc autem duo S. Augustini testimonia aliis inductis ex S. Doctore Thoma contraria nullo modo sunt; vnde, 83

Ad hoc dicendum non sibi SS. Doctores Augustinum & Thomam esse contrarios, sed idem vtrumque docere; nimirum quod gratia datur omnibus qui illi nullum ponunt impedimentum; nullum, inquam, vel ex parte actualis resistentiæ, vel ex præcedenti aliqua culpa saltem originali. Illis autem parvulis, de quibus S. Augustinus loquitur, negatur propter peccatum originale, vt ibi respondet illis, qui nulla consideratione habita ad peccatum præcedens saltem originale; contendebant omnibus dari gratiam, si illi ipsi actualiter non resisterent, cum aliàs aliud habeant gratiæ impedimentum. 84

In secundo autem testimonio dicit nullam causam ex parte hominis, quare duobus æqualiter existentibus peccatoribus alium vocet, alium non; sed solam esse diuinam voluntatem ita iustissimè volentem. 85

Sed hinc iterum instant authores prædicti: Priùs 86
ratione est negatio auxilij efficacis, quam hominis resistentia; resistentia namque consequitur ad negationem auxilij efficacis; si enim illud haberet, nec resisteret, vnde ideo resistit, quia illud non habet: ergo resistentia non est causa quod non habeat efficax. Patet consequentia: quia effectus ad aliquid consequutus eo posterior est: quod si posterior, ergo nec prior eo potest esse, nec illius causa. Et sic videtur supradicta doctrina, & solutio eneruari.

Ad hoc dicendum, quod cum Deus offerat in collatione auxilij sufficientis auxilium efficax, non verè dicitur, quod illud neget: qui enim alteri rem offert, eam ei non negat, vt est satis notum. Similiter infrà exponemus Theologorum doctrinam, qui tractantes quæstionem illam, an omnibus in vniuersum detur auxilium sufficiens, sub distinctione ita rectè loquuntur, si dari accipiatur pro eo quod est recipere, non omnibus auxilium sufficiens datur; si autem dare accipiatur pro eo

quod

Digitized by Google

quod est offerre sic omnibus datur auxilium sufficiens. Igitur concedunt Theologi quod hoc quod est auferre auxilium non est illud negare, sed potiùs, ex parte Dei est illud dare. Falsum ergo est, quod argumentum assumit nimirum Deum negare auxilium.

Dicendum secundo quod etiam gratis admittendo, quod in illo priori sit negatio, vel non datio auxilij efficacis, tamen resistentia non est effectus per se illius non dationis auxilij, tantùm est non remouens prohibens, id est, non remouens resistentiam: vnde resistentia solùm imputatur causa per se illam efficienti, quæ mala hominis voluntas est; non autem imputatur non dationi auxilij, quæ illius tantùm est causa non remouens prohibens, cùm Deus non teneatur illud prohibens remouere. Doctrina est enim apud Theologos communis, illaque verissima, quod omittenti vel non adiuuanti, vel non remouenti prohibens actio non imputatur, nisi quando ipse tenetur non omittere, vel adiuuare tenetur, vel prohibens remouere debet. Nautæ enim omittenti gubernationem, vel neganti gubernationem imputatur submersio nauis quia gubernare tenebatur: at quando quis nullo modo tenetur, ei submersio nauis imputatur nullo modo. Cum ergo Deus non teneatur dare auxilium efficax, si ex non datione ipsius, sicut ex removente prohibens sequatur, quod homo sufficienti auxilio resistat. Soli malæ hominis voluntati id imputatur, à qua per se fit. Et hæc sit secunda solutio.

87 Respondetur tertiò quod sicut, quia homo resistit auxilio sufficienti, iustè priuatur efficaci, quod ei offerebatur, propter talem resistentiam; ita non datio auxilij efficacis ipsi homini debet attribui, non Deo, qui illud incœpit dare in collatione sufficientis: & propter impedimentum hominis Deus non perfecit, quod dare expectabat: Quod quomodo salvetur, iam pergimus magis explicare incipiendo ab Angelis qui cecidederunt, & à primo parente, in quibus magis viget difficultas, cum in eis vix inveniri possit culpa, ob quam ipsis fuerit auxilium perseuerantiæ negatum S. Pater Augustinus hanc considerans maiorem difficultatem, ita de illa dicit, *lib. de corrept. & gratia cap.* 10. *Illud magis quærendum, operosiúsque tractandum est*, & cætera quæ ibi sequuntur: quibus maiorem agnoscit difficultatem in ostendendo ob quam culpam negatum fuerit primo parenti (& idem est de Angelis cadentibus donum perseverantiæ.) Qua etiam ratione discipuli quidam S. Thomæ, minus inuenientes aliquan. priorem culpam in Angelis, & primo Parente, ob quam eis fuerit donum perseverantiæ negatum, dicunt tantùm eis negatum fuisse propter eorum defectibilitatem, & quia eis debitum non erat: quæ defectibilitas, etiam si culpa non sit, tamen quia eis est propria vtpote ex nihilo creatis, ipsis, & suæ defectibilitati, & non Deo debet attribui, quòd donum perseuerantiæ non acceperunt.

88 Hic tamen dicendi modus minùs conformis est doctrinæ S. Thomæ & S. Patris Augustini, & S. Anselmi qui superiùs inducti sunt, & potissimè Sacro Tridentino Concilio ex quorum verbis, atque doctrina non obscurè habetur propter aliquam culpam, tum Angelorum, tum primi Parentis eis fuisse negatum perseverantiæ donum. Quod S. Thomas apertissimè tradit *in 2. sentent. d.* 5. Nec relata modo aliquorum discipulorum S. Thomæ sententia fundamentum habet in S. Patre Augustino, vt arbitrantur, in illo *citato lib. de corrept. & gratia* & in alio *de dono perseuerantiæ*: Quamvis enim non expressè assignet quæ fuerit illa culpa, ob quam eis fuerit tale donum denegatum, tamen apertè dicit semper, quod sua culpa ceciderunt, & quod eis ad culpam hoc imputandum est, affirmans quod si voluissent stetissent, & quod ideo non steterunt quia noluerunt. Si non steterunt quia noluerunt: ergo quia noluerunt non habuerunt id quod requirebatur ad standum secundùm S. Patrem Augustinum in illis libris, ubi suprà, quod illis non est data nempe gratia culpa eorum fuit.

Vnde consequenter ad superiùs inducta ex 89
Sanctis Patribus & S. Thoma, & præcipuè ex Sacro Tridentino Concilio dicendum, quod primo Parenti, & Angelis qui ceciderunt, ex aliquo particulari eorum defectu culpabili negatum fuit donum perseverantiæ quod sic videtur explicandum. Cum enim Deus ipsos in gratia creaverit, & auxilium sufficiens ad perseverandum dederit, in illius collatione eis dare incepit donum perseverantiæ, ita quod eis donum perseverantiæ non negavit, sed illud eis incepit dare, vt dictum est: Qui enim incipit alicui aliquid dare, illud ei non negat. Angelus vero nimis affectus erat suæ propriæ excellentiæ, etiam antequam de facto peccatum suum consummasset: & ille nimius affectus ad seipsum occasio & causa fuit peccati illius. Et idem dicendum de homine primo, qui nimis affectus erat vxori suæ, & propter hunc nimium affectum non erant in debito ordine ad recipiendam diuinam motionem quæ incœperat in collatione auxilij sufficientis, vt ex S. Thoma præmisimus: imò per illum nimium affectum impedimentum auxilio sufficienti ad perseverandum, & incohationi auxilij efficacis præstiterunt. Itaque defecerunt Deo incipienti eis dare auxilium efficax; & ideo propter suum illorum culpabilem defectum defecerunt; itavt Deus, qui cœperat eis dare tale efficax auxilium ad perseverandum, non perfecit quod incœperat, vt ex Sacro Concilio Tridentino dictum est: nec compleuit seu terminauit quod incœperat: negato autem eis auxilio efficaci ad perseverandum, ob talem culpabilem eorum nimirum affectum neuter, nec homo, nec Angelus consideravit quod considerare debebat, & ex hac culpabili etiam inconsideratione tandem in peccatum ceciderunt: & incepta culpa in nimio illo affectu, & subsequuta inconsideratione, perfecta & consummata fuit in illorum peccato, quo alter se ad se conuertit, sicut ad finem & alter comedit fructum ex ligno vetito. Vnde, vt iterum dicam, ille primus nimius affectus in Angelis ad propriam excellentiam, & in primo Parente ad vxorem propriam non fuit effectus negationis auxilij efficacis, nec ad ipsum fuit consequutus; imò potiùs inchoationem, & inceptionem illius præsupponebat; & causa fuit, vt quod à Deo ceptum erat, non perficeretur, sed quod Deus iustè illud negaret.

Quomodo autem ante formale, & complet- 90
tum, vel Angeli, vel hominis peccatum culpabilis fuerit ille nimius affectus iam expositus, dicendum quod ille nimius affectus distincta culpa à sequenti peccato vel Angeli, vel hominis non fuit, sed fuit initiatiuè culpa illa, in illo enim affectu nimio incœpit illorum culpa; & magis processit illud culpæ initium cum non considerauerunt quod considerare tenebantur, & tandem formaliter & completè consummatum peccatum fuit, cum Angelus se ad se ipsum, sicut ad finem

Digitized by Google

positivè conuertit & homo de facto de ligno prohibito comedit contra Domini præceptum. Constare hoc potest, quia certum est, quod eodem præcepto quo Angelus tenebatur se in Deum conuertere, & homo de ligno prohibito non edere, vterque tenebatur omnia impedimenta contraria illi conuersioni, & præcepto euitare; & sic tenebatur vterque illum nimium affectum, quæ occasio peccati fuit non habere & similiter vterque tenebatur considerare quod erat considerandum, unde ille nimius affectus initiativè culpa fuit eodem præcepto quo formalis culpa.

91 In summa, hoc ordine ista in Angelo & Primo homine processerunt, nimirùm primò Deus conferendo auxilium sufficiens eis ad perseuerandum, ipsis incepit dare auxilium efficax, quod tunc tamen eis completè non dedit: Secundò Angelus & Primus homo ex nimio affectu, alter ad propriam excellentiam, alter ad vxorem propriam, initiativè etiam culpam commiserunt, & deficere cœperunt. Tertiò Deus propter hunc illorum culpabilem defectum, auxilium efficax ad perseverandum (quod dare ceperat) non perfecit, nec completivè dedit: Quartò uterque primatus jam justè efficaci auxilio non consideravit ex illo nimio affectu, quod considerare debebat; & tandem: Quintò & ultimò utriusque peccatum in voluntate completivè causatum est, & sic salvatur S.Thomæ, S. Augustini, S.Anselmi, & aliorum Patrum doctrina superius tradita, & illa sententia *allato loco*, dicentium, quod ut non adjuventur homines à Deo etiam auxilio efficaci, in ipsis causa est, ut docuit expresse S.Pater Augustinus; & quod Angeli non habuerunt perseverantem gratiam, quia noluerunt ut tradunt Sanctus Prosper & Anselmus: & quod omnes habent gratiam, nisi qui per peccatum eidem gratiæ impedimentum ponunt: & quod collationis gratiæ prima causa est ex Deo, defectus autem gratiæ prima causa est ex nobis, ut S. Thomas ubique docet. Salvatur potissimè doctrina tradita à Sacro Tridentino Concilio *sess.illa 6. cap. de dono Perseverantiæ*, docente, quod *Deus sicut incæpit, nisi ipsi illi defuerint perficiet.* Ergo non perfecit quod incœpit, quia illi Deo defuerunt: quæ verò defectum culpabilem sonant, sine dubio nec de illa defectibilitate, quæ culpabilis non est, intelligi posse videntur.

92 Cum qua Doctrina optimè cohæret, quod videlicet *quibus datur auxilium efficax ex misericordia datur, quibus autem negatur ex justo judicio negatur*, propter eorum defectum. Quod verò istis non detur, & istis aliis aliquando detur altioris & secretioris divini judicij est, & cum Paulo est dicendum quod incomprehensibilia sunt judicia eius, sicut 2. *libro* diximus, quod reprobati propter originale peccatum reprobati sunt: quod autem isti in particulari, à peccato originali liberati fuerint & prædestinati, isti autem alij in peccato originali relicti, & propter ipsum reprobati, ex sola fuit voluntate divina. De quo videatur S.Thomas 3. *cont.gent. cap.*167. Itaque si eis, (Angelo nempe & primo homini) datum esset auxilium perseverantiæ, vicissent illum nimium affectum, & perseverassent, & ipsis omninò gratis daretur. Quod verò postquam eis incœpit dare, ut diximus, non completivè dederit, ex ipsorum prædicto defectu fuit; & sic quibus datur, ex misericordia datur; quibus autem negatur, ex ipsorum defectu negatur, sed jam ad omnes alios status hominum post primi parentis statum accedamus & quare illis negetur efficax auxilium aperiamus.

Pueris quidem decedentibus sine Baptismo negata est gratia in pœnam peccati originalis, quod Deus in illis punire voluit; & simul quia eis gratia debita non erat; hoc enim omnibus commune est, cum nulli sit debita, nec alicui debita esse possit. Similiter in infidelibus adultis, quia eis auxilium gratiæ debitum non est, justè negatur, & propter peccatum originale, & propter alia peccata actualia; etiam si ex gratia aliquibus detur sufficiens, etiam eis indebitum. Parique ratione fidelibus peccatoribus in mortali existentibus propter tale mortale peccatum negatur auxilium efficax, quia nullo modo est eis debitum, etiamsi ipsis gratia sufficiens conferretur, sicut suprà dictum est. 93

Hominibus autem justificatis, qui cadunt qui- 94
que habent, sine dubio auxilium sufficiens ad perseverandum, negatur efficax: quia ultra rationes suprà allatas pro Angelis & pro primo Parente, ex peccato, vel actuali, vel originali insuper, sicut ex prima radice contraxerunt, quod in bono instabiles sunt ut in 2. *nostro libro* recordamur nos dixisse ex sententia Sanctorum Gregorij, Augustini, & Thomæ, tractantes materiam de reprobatione: & propter alia multa divina judicia, puta si prædestinati fuerint, ut cadentes ferventiùs resurgant, & ob similes alias rationes, quas apud se habet Divina Providentia; si autem prædestinati non sint, sed reprobi; illa negatio auxilij erit propter peccatum originale, sicut propter primam radicem ex qua reprobati sunt: ut *citato illo secundo libro* satis explicatum est, potissimè *in 2. solutione*, in qua dictum fuit fieri illam permissionem propter effectum peccati originalis, qui manet in homine, etiam peccato originali dimisso.

Itaque in universali loquendo, sive de pueris 95
qui sine baptismo decedunt, sive de adultis infidelibus, sive de fidelibus peccatoribus, sive de iustificatis, sive de primo Parente, sive denique de Angelis, semper rationibus verificatur illa sententia SS.Patrum superius relata, quod nempe ex defectu eorum est, quod auxilium efficax non habeant; & quod defectus gratiæ prima causa est, ex nobis: & quod sola illa gratia privantur, qui gratiæ impedimentum ponunt, quamvis impedimenta hæc, quæ ab illis gratiæ opponuntur diversa sint, prout conditio & status eorum diversus est, prout explicatum manet.

Igitur concludendum, quod habens auxilium 96
sufficiens, si nullam haberet vel ex parte intellectus, aut voluntatis defectum, malam affectionem, Deus qui incœpit dare sufficiens, daret efficax, & benè operaretur: quod si non dat, ex defectu hominis est, ut dictum est sæpè. Si enim homo haberet sufficiens auxilium defectum prædictum non haberet, nec malè operaretur; cum omnis mala operatio ex defectu operantis procedat: si verò malè tunc non operaretur, utique operaretur benè; & cum non posset ex se homo reddere auxilium efficax, ad benè operandum oporteret ut Deus, qui incœpit dare sufficiens, compleret dando efficax. & sic de primo ad ultimum, si haberet auxilium, defectum culpabilem non haberet, aut ex parte intellectus, aut voluntatis Deus ei daret auxilium efficax: unde quoties illud negat, propter talem defectum negat.

Superest modò ostendere hoc ipsum argu- 97
mentum contra illam suam congruam vocationem

per

Digitized by Google

per ſcientiam mediam militare, nam quod homo congruè vocetur, in ſua poteſtate non habet: ergo, cum non congruè vocatur, impoſſibile eſt quod benè operetur: ergo non ei etiam tunc imputabitur quod peccet. Quomodo enim homini ad culpam imputabitur, ſi non habet in ſua poteſtate id quod eſt requiſitum ad benè operandum, nempe congruam illam vocationem? quod autem in ſua poteſtate homo non habeat quòd congruè vocetur, certum eſt in illorum ſententia, quod & ipſi planè concedunt. Quod autem homo non congruè vocatus non poſſit facere ut benè operetur, ſatis oſtendit Leonardus Leſſius *in præfatione ad diſputationem, de prædeſt. & reprobat. & in ipſa diſput. ſect. 5. ſolut. ad 6. argum. à pagina 345. uſque ad 348.* qui ibi videndus eſt; efficaciter enim probat, quod poſita prædefinitione poſt ſcientiam mediam non poteſt homo impedire, quin ille actus à Deo prædefinitus eveniat. Verba illius ſunt, *Præſcientia enim conditionata, quaiſti authores omnia confici volunt, ad hoc quidem juvat, quod Deus facilius omnia quæ vult poſſit executioni mandare, illaſa intrinſeca liberi arbitrij diſpoſitione: hoc tamen facit ut decreta ipſius ſint mitiora, aut ut ea quæ ſic decreta ſunt, poſſint abſolutè à nobis impediri, & quæ non decreta poſſint re ipſa fieri.* Si ergo Dei prædefinitio poſt ſcientiam mediam non eſt, ut aiunt, in hominis poteſtate; & illa poſita non poteſt impedire homo, quin talia prædefinita eveniant, nec poteſt facere quod non prædefinita reipſa fiant, pari ratione debent inferre, quod non imputetur homini ad culpam ſi non faciat id quod prædefinitum non eſt cum illud facere non poſſit. Unde rurſus ſubdit: ille author citato loco: Etſi enim *prædefinitio non mutet modum intrinſecum operandi voluntatis, tamen ita illi aſſiſtit, & illam gubernat ut poſſibile ſit re ipſa opus non fieri: cum enim ſit abſoluta & efficax, atque adeo omnipotens, omnino neceſſe eſt ut res prædefinita fiat nec ulla creatura id impedire poteſt, quamvis liberè, hoc eſt abſque intrinſeca prædeterminatione voluntatis facienda ſit.* Et iterum ait: *Nec obſtat quòd Deus ante præſciebat me tali momento liberè facturum, ita ut poſſem abſolutè non facere, ſi me ſic excitaret: quia ſuperveniente abſoluta prædefinitione objectum quodam modo mutatur, & accipit quandam abſolutam neceſſitatem, qua fit ut abſolutè impediri nequeat.* Ac tandem concludit. *Dicens illæ prædefinitiones ſupponunt illas res omnino liberè futuras, itaut facilè poſſint non fieri: ergo nullam adferunt neceſſitatem. Reſpondeo*, inquit, *id ſupponere, ſi res omnino ſibi relinquatur, & hypotheſis ſimpliciter ponatur: non autem ſuperveniente prædefinitione: hæc enim ſuperveniens illas quodammodo immutat; ut quæ ſecundùm ſe omnino potuiſſent impediri, jam non poſſint.* Hæc ille adverſus Molinam, Suarez, & alios, qui electionem ad gloriam certam, & prædefinitivam aliquorum conſtituunt poſt illam ſcientiam mediam. Et in ſumma dicit quod licet homo poſt tales prædefinitiones maneat intrinſecè, & in ſua potentia liber; non tamen manet liber in exercitio: ſed in exercitio non poteſt abſolutè aliud facere. Unde fatetur prædefinitionem, etiam poſt ſcientiam mediam, neceſſitare voluntatem, aliàs ab intrinſeco liberam: ut neceſſitate operetur, ita quod abſolutè aliud facere non poſſit. Et ex conſequenti fatetur, quod aliorum ſuorum ſententia negat in exercitio hominis libertatem: vel illam omnino in exercitio operis impedit ne liberè operetur, nec poteſt aliud operari. Unde argumentum de ablatione libertatis, quod nobis opponunt, etiam contra ipſos militat, ut 1. *lib.* notavimus, & infrà clarius exponemus. Ad præſens noſtrum inſtitutum concludamus, quod ſi homo poſt prædefinitionem poſt ſcientiam mediam abſolutè aliud non poteſt operari, nec in ſua poteſtate eſt illa prædefinitio ſeu congrua vocatio, quæ effectus illius eſt, jam ipſi peccatum imputari non poterit, ſicut contra nos opponunt.

Ad tertium ſolent reſpondere Thomiſtæ, inter auxilium ſufficiens v.g. ad credendum, (& ſic de quolibet alio reſpectu actus ad quem ordinatur) & inter actum ipſum credendi, mediare auxilium efficax prædeterminans liberum arbitrium ad actum ipſum credendi, quod non eſt habitus, vel qualitas, vel actus noſter, ſed divina motio virtuoſa ad actum. Sed id magis explicandum eſt dicendo auxilium efficax, quod inter illa medſat, duo præſtare: primò enim dat vires efficaciſſimas voluntati, eam verè adjuvando ut velit conſentire auxilio ſufficienti: ſecundò eam ſic vigoratam applicat, ſeu prædeterminat ad conſentiendum. Et fortè totum hoc ipſi intelligunt nomine virtuoſæ motionis: quia virtuoſa motio illa duo includere videtur. 48

Quartò tandem opponere ſolent ad negandum auxilium ſufficiens, quod ſicut ſi ad electionem canonicam eſſent ſimpliciter neceſſaria duodecim ſuffragia, & Petrus haberet octo, non diceretur habere ſufficientia ſuffragia ad illam electionem, ſic quia ultra auxilium ſufficiens eſt ſimpliciter neceſſarium efficax, illud primum revera erit inſufficiens. Ad quod reſpondetur, non in omnibus rebus diſtingui ſufficientiam ad aliquem actum contra efficientiam ad illum. Unde in exemplo allato pro eodem reputatur, quod aliquis habeat ſufficientia ſuffragia ad electionem, & quod habeat illa omnia duodecim, quæ requiruntur, ut electio cum effectu fiat. Nec octo ſuffragia ſunt ſufficientia. At in cauſis etiam ordinis naturalis, ut dictum eſt, datur optimè quod cauſa ſit ſufficiens ad operandum; & tamen quod de facto propter impedimentum non operetur; & ſimiliter in auxilio ſufficienti ut ſatis eſt explicatum. 49

Non diſſimilia ſunt alia tria argumenta, quæ opponuntur ab alio illius doctrinæ ſectatore in ſuo libello de concurſu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ. Sic enim opponit ſecundo loco, illud auxilium non eſſe verè ſufficiens, per quod non poteſt eſſe tantus influxus, quantus eſt ille quo indiget effectus ut ſit; ſed per auxilium quod adverſarij appellant ſufficiens non poteſt eſſe tantus influxus quantus eſt ille, quo indiget effectus ut ſit: ergo ille non eſt ſufficiens. Reſpondetur, ut ſuprà, nimis Grammaticaliter inſtantiam fieri nomine auxilij ſufficientis, non Theologicè; quia Theologi illud ſufficiens vocant auxilium, non per quod datur tantus influxus quantus requiritur ut actio ſit; ſed illud quod dat ſufficientiam & poſſibilitatem, ut homo benè operetur ſi velit, ut ex S. Patre Auguſtino dictum eſt ſæpè: quamvis ut de facto velit alium potentiorem requirat influxum. Non igitur eſt de ratione auxilij ſufficientis, ut per ipſum detur tantus ille influxus, qui requiritur ut fiat actio; quia hoc officium eſt auxilij efficacis; ſed quia dicit per verbum, *poteſt*, de ratione auxilij ſufficientis eſſe, quod per ipſum tantus influxus dari poſſit, quantus requiritur ut fiat actio, & certum eſt ipſum verbum, *poſſe*, in ſenſu compoſito ſumi: fit enim ſenſus quod fieri poſſit, quod per illud auxilium de facto detur totus ille influxus, negamus hoc etiam ad ratio- 50

nem

nem auxilij sufficientis requiri, quia nec fieri potest, ut per ipsum solum tantus influxus ille detur. Si autem verbum *(potest)* in sensu diviso sumeretur, concedi posset per auxilium sufficiens posse dari totum illum influxum requisitum ut fiat actio: quia sicut per illud potest homo benè operari, & proximam potentiam ad benè operandum habet; ita per illud habet potentiam proximam, ut habeat auxilium efficax quo benè operetur. Nec aliud est de ratione auxilij sufficientis, ut distinguitur ab efficaci.

101 Deinde apponit secundò, quia cum auxilio sufficienti solo voluntas infallibiliter nunquam operabitur independenter à præscientia, qua prævisum sit arbitrium creatum non operaturum: ergo concedere tenentur hanc infallibilitatem etiam in natura & intentione auxilij sufficientis: admittendum enim est omnino aliquod fundamentum infallibilitatis: hoc autem solum est natura auxilij, nam si infallibile est voluntatem non operaturam: ergo ideo hoc est infallibile quia ipsa caret virtute ad id operandum: quia auxilium sufficiens non tribuit ei virtutem ad operandum & sic non erit verè sufficiens. Respondetur infallibile esse voluntatem nunquam benè per illud solum auxilium sufficiens operaturam. Fundamentum autem illius infallibilitatis est infirmitas voluntatis, quæ nunquam benè operatura est, nisi ejus resistentia & infirmitas superetur per auxilium efficax. Hinc verò non sequitur non habere virtutem sufficientem qua possit operari, sed solùm non habere virtutem qua de facto ipsam faciat operari, quod secundum de ratione auxilij sufficientis non est. Itaque infallibile est quod possit benè operari; quia ad id habet virtutem sufficientem: & infallibile est, quod de facto non operabitur quia efficacem virtutem non habet, & hoc ex defectu suo triplici, ut probatum est.

102 Tertiò opponit: Quicunque peccat, non potest id per quod peccat: ergo verè non habet auxilium sufficiens. Antecedens probatur: quicumque peccat, peccat resistendo auxilio Dei sufficienti; sed quicumque peccat non potest non illi resistere: ergo quicumque peccat non potest id per quod peccat. Minorem probat: quia quicumque peccat, in instanti quo peccat, habet prædeterminationem ad actum qui est in peccato: ergo in sensu composito ei resistere non potest: ergo etiam in sensu composito non potest non resistere auxilio sufficienti. Ad hoc respondetur negando antecedens: & ad probationem negatur minor; potest enim habens auxilium sufficiens ei non resistere; imò hanc proximam potentiam ei tribuit sufficiens. Et ad probationem minoris dicendum etiam hic committi defectum à sensu composito ad divisum negativè, quod est arguere reipsa ab inferiori ad superius negativè. Nam licet in instanti quo peccat simul cum auxilio sufficienti habeat prædeterminationem ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio est, & illi non possit resistere, seu cum illa coniungere actum bonum; potest tamen habens talem prædestinationem non resistere auxilio sufficienti: quia potentiam sufficientem ad id habet, nec ista sufficiens potentia tollitur per illam prædeterminationem, sed vtrumque simul cohæret & potentia sufficiens ad non resistendum auxilio sufficienti, & prædeterminatio ad actionem, quæ est in peccato: solùm enim non cohæret cum illa determinatione, quod voluntas non resistat de facto auxilio sufficienti, quod ex defectu suo habet, & similiter quod illi prædeterminationi non possit resistere, prout plenius jam suprà exposuimus. Et insuper attendendum quod prædeterminatio ad actionem quæ est in peccato originaliter ex homine provenit; ut clarius *3. lib.* declaravimus.

CAPVT VII.

Auxilium sufficiens respectu alicuius actus semper est efficax.

PEnultimò discutienda alia quæstio est, an 103
videlicet auxilium solum sufficiens respectu alicuius actus semper sit efficax & per consequens semper aliquid operetur, cum illum actum ad quem immediatè datur, & comparatione cuius sufficiens est, se solo nunquam producat. Hanc quæstionem ex parte tetigimus suprà, & in hunc locum transmisimus accuratius disputandam.

Circa quam communis, & vera Thomistarum sententia est, quod omne auxilium sufficiens comparatione unius actus semper est efficax ratione alterius ad quem efficiendum ex absoluto, & efficaci decreto voluntatis divinæ ordinatur.

Itaque sicut auxilium sufficiens, quatenus suf- 104
ficiens, non procedit ab absoluto & efficaci decreto divinæ voluntatis ordinantis illud ut habeat efficaciter effectum. Sed procedit ex voluntate antecedenti, seu conditionata, unde effectum non habet, nec efficit de facto actum illum ad quem est sufficiens; ita idem auxilium sufficiens comparatione alterius actus procedit ex absoluto & efficaci decreto Dei, & sic respectu illius efficax est & efficaciter producit actum illum v.g. auxilium sufficiens ad credendum efficax est respectu quarumdam piarum cogitationum, & notitiam credendorum, quas efficaciter in homine efficit, quæ actum credendi antecedunt. Similiter auxilium sufficiens ad contritionem efficax est comparatione aliorum actuum imperfectorum, quos in homine efficaciter producit: quales sunt consideratio inferni pœnarum, turpitudinis peccati, timoris inferni, attritionis & similium, qui regulariter essentialem contritionem antecedunt. Cuius ratio, ut diximus, est, quia sicut utrumque signatum auxilium respectu actus perfecti credendi, aut contritionis non procedit ex absoluto & efficaci divino decreto volente, quod homo credat & convertatur; ita comparatione aliorum actuum imperfectorum quia illos efficaciter efficit, procedit absque dubio ex efficaci Dei decreto volente quod homo illos actus eliciat. A posteriori enim & ab effectu ostenditur illud auxilium ex efficaci & absoluto decreto procedere respectu illorum actuum imperfectorum, quos de facto in homine efficit: homo per illud auxilium, quod est sufficiens ad credendum, seu ad contritionem, semper cum effectu habet supradictos imperfectos actus: ergo illud auxilium respectu illorum efficax est: ergo respectu eorumdem actuum provenit ab absoluto & efficaci Dei decreto volente quod homo infallibiliter eos eliciat: sicut quoad alteram partem optimè etiam convincitur, respectu actus credendi, vel contritionis non procedere ex absoluto & efficaci decreto Dei; Quia benè sequitur, homo per illud auxilium de facto non credit, vel de facto non conteritur: ergo illud auxilium comparatione actus credendi, & contritionis efficax non est: ergo respectu eorundem

Digitized by Google

dem actuum non procedit ex absoluto & efficaci divino decreto.

105 Quod autem homo habens auxilium sufficiens ad credendum, vel ad conterendum semper cum effectu habeat prædictos imperfectos actus, manifestum est: quia auxilium sufficiens, ut dictum est suprà, est gratia excitans, tum ex parte intellectus, tum voluntatis; sed posita excitatione tam in intellectu, quam in voluntate, semper cum effectu homo habet illos indeliberatos actus quibus anima excitatur, ergo semper cum effectu producit auxilium sufficiens illos actus imperfectos, de quibus suprà. Minor etiam manifesta est: quia contradictionem involvit, quod Deus actualiter & activè excitet per tale auxilium animam, & quod ipsa formaliter per suum indeliberatum actum non excitetur; sicut etiam est impossibile quod Deus actualiter moveat animam, & quod ipsa formaliter in seipsa non moveatur. Quod si anima movetur: ergo per aliquem vitalem actum à se elicitum movetur, seu excitatur; anima enim nunquam movetur, vel excitatur actualiter nisi eliciendo aliquem actum.

106 Insuper idem habitus est simul sufficiens in ordine ad unum effectum, & efficax in ordine ad alium: etenim habitus gratiæ efficaciter animam sanat, atque iustificat: & simul est sufficiens radix comparatione actus meritorij. Parique ratione habitus charitatis efficaciter efficit hominem amatorem Dei, & simul est principium habituale sufficiens comparatione actualis Dei dilectionis. Eâdem ergo ratione idem auxilium actuale poterit simul esse auxilium sufficiens comparatione unius effectus, & efficax respectu alterius.

107 Probatur deinde auxilium sufficiens esse efficax respectu alicuius actus quem in homine efficit, ex illo Isaiæ 55. *Et quomodo descendit imber & nix de Cœlo & illuc ultra non revertitur sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit & dat semen ferenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum sed faciet quodcumque voluit, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Ubi, ut S. Thomas exponit ad illum locum, ponit Propheta divini verbi efficaciam, idest, vocationem internam Dei, qua Deus animam tangit, ipsam movet, & expectat, vacuam non esse ea sine fructu, sed semper in homine aliquid efficaciter operari; videlicet illum effectum quem Deus vult ut habeat: aliàs si verbum exiens à Deo, id est, supernaturalis vocatio, & excitatio nil penitus in homine efficeret, sed haberet se sicut habitus: qui positus in voluntate nihil efficit, vacua redderetur talis vocatio, & sine fructu aliquo verbum Dei, quo hominem vocat.

In his rationibus facilè discipuli S. Thomæ conveniunt, & illi probant auxilium gratiæ sufficiens respectu alicuius actus esse efficax: sed viterius progredi necesse est, & amplius ostendere, & quasi practicè monstrare hanc eandem veritatem. In memoriam ergo revocandum, (quod in hac materia est præcipuum quodque proinde nos 1. *lib.* 2. *&* 3. dedimus manifestum) nempe Deum per cogitationem & excitationem bonam naturalis ordinis: respectu actionum ordinis naturalis, movere voluntatem ut efficaciter bonam habeat intentionem finis, & media efficacis finis intentione voluntatem moveri intellectum ut iudicet per rationem, an illa indeliberata intentio finis sit liberè amplectenda, vel non: prout copiosè citatis locis explicavimus.

Qua proportione servata, etiam Deus in ordine gratiæ per illuminantem, & excitantem gratiam pro operibus salutaribus (quæ illuminatio, & excitatio gratiæ sufficiens est, ut dictum fuit suprà) movet hominem ut efficaciter per intellectum deliberet cum tali excitationi assentiendum sit, an non; ita quod sicut illa illuminans, & excitans gratia sufficiens est ad consensum liberum præstandum eidem, sufficiens que ut homo cooperando ei præstet assensum, ita efficax est & efficaciter movet voluntatem, ut per intellectum deliberet de illo assensu præstando; per illamque excitantem seu sufficientem gratiam sicut Deus vult sufficienter movere hominem ad liberè consentiendum eidem; ita per eam efficaciter vult ut intellectus deliberet, an illi sit consentiendum, & per ipsam efficaciter media voluntate intellectum applicat ad sic deliberandum. Unde respectu huius quod est intellectum deliberare per iudicium rationis, an illi excitationi sit, vel non sit assentiendum, illa excitans & sufficiens gratia efficax est. 108

Ratio est manifesta quia voluntas per illam sufficientem gratiam excitatur, ut actu indeliberato velit efficere illud ad quod excitatur: nam illa excitatio tenet se ex parte voluntatis: ergo tenet se ex parte subiecti: ergo movet quoad exercitium actus: ergo efficaciter efficit quod voluntas illum indeliberatum actum efficiat. Rursus, cum voluntas velit efficaciter actu indeliberato id ad quod à Deo excitatur, id vult per modum finis, id est, sine deliberatione: quia de fine non est deliberatio, nec consultatio: ergo necesse est, quod etiam efficaciter moveat intellectum ut iudicet, an illud sit amplectendum; nam qui vult efficaciter aliquid per modum finis, necesse est quod simul velit efficaciter movere ad media, quibus obtineri debet. Primum autem medium est, quod intellectus per rationem deliberet an ille finis sit prosequendus, & liberè volendus, & amplectendus necne: ergo voluntas excitata gratiâ sufficienti, sicut efficaciter actu indeliberato vult id ad quod excitatur, ita efficaciter intellectum movet ut per rationem deliberet, an illi excitationi sit liberè assentiendum: ergo intellectus ex vi huius motionis efficaciter applicatur ad deliberandum: ergo, quod intellectus deliberet, effectus est illius sufficientis, & excitantis gratiæ: igitur talis excitans, & sufficiens gratia semper efficit quod intellectus ita deliberet, & sic respectu huius actus semper efficax est. 109

Non ergo excitans seu sufficiens gratia solùm est efficax respectu illius actus indeliberati, quem à principio habet intellectus apprehendens illuminationem, & respectu actus indeliberati voluntatis: sed ulterius est etiam efficax comparatione huius quod est intellectum infallibiliter deliberare. Verum est quidem esse differentiam respectu huius actus, & illorum primorum indeliberatorum; quod illorum gratia excitans, seu sufficiens est causa proxima, & immediata: quia gratia sufficiens, seu excitans immediatè movet intellectum & voluntatem ut efficiant illos indeliberatos actus; & simul cum his potentiis illos efficiunt: at respectu huius posterioris actus, qui est intellectum infallibiliter applicari ad deliberandum, est gratia sufficiens, seu excitans causa mediata: quia id efficit media illa volitione voluntatis indeliberata. Itaque intellectus infallibiliter applicatur ad deliberandum, quia voluntas illum sic efficaciter applicat per illam efficacem suam indeliberatam volitionem. Ideo autem hanc habet 110

Digitized by Google

voluntas, quia à Deo excitatur per excitantem, & sufficientem gratiam. Unde à primò ad ultimum ideò intellectus sic infallibiliter ad consulendum applicatur, quia Deus ad id movet per sufficientem, & excitantem gratiam.

111 Notandum tamen, quod tale auxilium excitans dicendum est sufficiens, & efficax respectu diversorum actuum: Nam comparatione eiusdem impossibile id est. Rursus simpliciter, & absolutè sufficiens dicendum est, & tantùm secundùm quid efficax. Etenim actus modo relati imperfecti sunt, & secundum quid comparatione actus perfecti, ad quem per se sufficiens gratiæ auxilium ordinatur.

112 Argumenta, quæ in oppositum opponi solent, ad suadendum non esse auxilium gratiæ sufficiens simul efficax, etiam respectu diversorum actuum: facillima sunt, & quæ rectè à discipulis S. Thomæ, qui in hac materia scripserunt, solvuntur. Licet iuxta unum illorum aliquid occurrat dicendum: Objicitur enim: auxilium efficax, & sufficiens essentialiter & specificè inter se distinguuntur: ergo etiam comparatione diversorum eidem non possunt convenire: nam species ex æquo dividentes genus eidem convenire nequeunt; quia enim rationale, & irrationale dividunt animal, impossibile est, quod idem simul sit rationale & irrationale, etiam respectu diversorum.

113 Ad hoc responderi solet à prædictis S. Thomæ discipulis duplici solutione, & secunda quam & faciliorem appellant, in hoc consistit, quod auxilium absolutè & simpliciter efficax distinguitur realiter & secundùm essentiam ab auxilio quod est solum sufficiens, quamvis non sit inconveniens quod auxilium efficax secundùm quid identificetur realiter cum auxilio, quod simpliciter est sufficiens. Quæ tamen solutio cum his quæ suprà determinata manent de gratia excitante & adiuvante, quod nimirum realiter non distinguantur, sed ratione formali, officio, & munere diverso, stare non potest, quia ut etiam ibi dictum est, excitans gratia est sufficiens, adjuvans vero est absolutè, & simpliciter gratia efficax: ergo auxilium efficax tale absolutè & simpliciter non realiter, sed formaliter tantùm distinguitur ab auxilio sufficienti. Standum est ergo in prima solutione quæ ab eis assignatur; quod nempe, sicut auxilium actuale gratiæ prævenientis, & subsequentis realiter, & secundum essentiam non distinguitur secundum diversos effectus, sed unum & idem gratiæ auxilium est præveniens & subsequens: ita idem auxilium actuale sufficiens non distinguitur realiter ab efficaci, sed secundùm diversas formalitates, & secundùm varios effectus: nec est necesse, quod species diversificantes idem genus, semper inter se realiter distinguantur, quia alteratio propriè dicta, intentio, & remissio species sunt alterationis generaliter sumptæ, & tamen inter se entitativè & realiter non distinguuntur, sed formaliter tantùm: similiter actio & passio non solum specie, sed genere differunt, & entitativè ac realiter idem motus sunt: & sic similia poterant adhiberi exempla plurima. Sat ergo est quod species genus dividentes formaliter, vel secundùm specificas rationes distinguantur. Quod autem in speciebus substantialibus semper species realiter distinguantur, ut equus, leo, homo, & sic de singulis sub animali; non infert quod in omnibus speciebus id fieri debeat, ut Philosophi norunt. De quo modo non vacat disputare, ut omissis istis logicalibus & metaphysicis ad illam gravem quæstionem accedamus, quæ in hac materia, quam tractamus, non parùm difficultatis habet: videlicet an auxilium gratiæ sufficiens, quod plenè manet expositum, omnibus in universum detur hominibus, nullo penitus excluso, cum qua perfectè omnia quæ ad auxilium sufficiens pertinere videntur, concludamus.

CAPVT VIII.

Qui dicunt auxilium sufficiens omnibus in universum dari cum fundamentis illorum.

QVæstio ista celebris est, satisque istis temporibus agitata, cognitaque valde necessaria, sed ob opinionem varietatem & contradictionem nimis involuta, & ad discernendum difficilis: variæ enim de ista circunferuntur sententiæ Doctorum. Quidam enim dicunt auxilium sufficiens negari omnibus reprobis. Alij id concedunt, non generaliter de omnibus reprobis, sed de quibusdam gravissimis peccatoribus, qui dicuntur obdurati & excæcati. Alij verò tenent in omnibus Deum providisse generalem modum quo eius doctrina & prædicatio ad omnes pervenire posset; licet postea ex defectu secundarum causarum ad multos non perveniat, quod potissimè exemplo parvulorum confirmant quibus Deus sufficienter providit instituendo generalia remedia quæ tamen aliquando eis applicari nequeunt. Quartò Doctores alij asserunt, quod licet omnibus fidelibus detur sufficiens auxilium, quia fides sæpè eos excitat ad supernaturale bonum, non tamen datur infidelibus, potissimè illis, qui nihil pœnitus de Evangelio audierunt, & sic explicant quod prius dixerant, nimirum non dari obduratis & excœcatis, per hos enim intelligunt infideles. Quintò alij Theologi distinguunt, quod si verbum, *dare*, accipiatur pro hoc, quod est, Deum paratum esse, quantùm est ex parte sua, ad dandum, sic Deus omnibus dat auxilium sufficiens ad salutem: si autem accipiatur, ut est correlativum ad *accipere*, sic Deus non dat omnibus, etiam venientibus ad usum rationis, sufficiens supernaturale auxilium, vel ad credendum, vel ad pœnitendum. Omnes istæ quinque relatæ sententiæ in hoc conveniunt, quod de facto non omnibus confertur supernaturale sufficiens auxilium; sed quod aliquibus, sive istis, sive illis de facto negatur, & hoc in pœnam, ut aiunt, præcedentis peccati. Sextò authores alij sub distinctione etiam procedentes affirmant, quod si sermo sit de auxilio sufficienti quod immediatè datur ad credendum, id non omnibus datur. Si verò fiat sermo de alio supernaturali auxilio, quod est sufficiens immediatè ad efficiendum quodcumque opus morale bonum; quodque proinde mediatè disponit ad fidem, hoc auxilium omnibus in universum confertur. 114

Septimò, & ultimò Theologi alij in universum defendunt omnibus hominibus, nullo dempto, nullaque facta distinctione inter fideles & infideles, dari supernaturale auxilium sufficiens ad salutem; illud videlicet, quod (ut præcedenti capite ostensum est) ipsi sufficiens appellant; nimirum, quod ex parte Dei sufficiens est, & ab homine per bonum, vel malum usum arbitrij fit efficax vel inefficax, quorum sententia in

duas

Digitized by Google

duas assertiones distributa nempe in 67. & 68: suprà nostro primo libro *tract. 6. cap.* 18. relata est, & nunc ut accuratiùs examinetur, sine vitio venit repetenda. Sic enim habet illorum assertio sexagesima septima: *Deus dare voluit Christum in redemptorem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus præparavit sufficientia remedia per Christum, quia eatenus est Christus omnium redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia, quibus resurgant à peccatis. Si enim non darentur sufficientia, verus non esset eorum Redemptor, quia nec redemptor esset quoad sufficientiam, nec quoad efficaciam.* Ita publicarunt Lovanij ij authores, ut gravissima illa schola cum alia Duacensi insigni testantur in censuris suis, quibus hanc illorum doctrinam impugnarunt. Eandem doctrinam sub his aliis verbis ibidem divulgarunt. *Tota scriptura plena est præceptis, & exhortationibus ut peccatores convertantur ad Deum; at Deus non præcipit impossibilia: ergo dat illis auxilium sufficiens, ut possint converti.* Ad confirmationem autem eiusdem suæ Doctrinæ addiderunt & hanc. *Iubentur omnes baptizari: ergo Deus, quantùm in ipso est, vult omnibus dare gratiam baptismi.* Quod amplius alia simili propositione explicabant dicentes: *Indurati, & excæcati habent sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur.* Et ne eis responderetur, quod in pœnam saltem peccati originalis Deus aliquibus iustè eadem sufficientia auxilia negat, tandem hanc aliam propositionem ibi publicarunt & defenderunt: *Deus post prævisum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo, & toti eius posteritati sufficientia media contra peccata, & auxilia ad consequendam vitam æternam: ergo dat illis sufficiens auxilium, ut possint converti.* Aliam etiam similem tunc publicarunt in hunc modum: *Omnia loca Scripturæ Sacræ, quæ significant esse impossibile, quosdam converti, sunt intelligenda, ut impossibile accipiatur pro eo, quod est difficile.* Et tandem hanc apposuerunt quæ dicit: *Itaque omnes qui non sunt à perditione illa separati, non audivere dicta, vel facta divina: per quæ possunt credere, si audirent vel viderent, cum grano salis accipiendum est, ut intelligatur non accipere in actu secundo illa auxilia cum quibus Deus noverat eos de facto convertendos, quod verissimum est, de omnibus, qui non convertuntur.*

Hanc doctrinam amplificavit postea author concordiæ, sic dicens: *Incredibile namque videtur, & indignum Dei clementia asserere, eum, qui ita mundum dilexit, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sic propter multitudinem & gravitatem criminum clausisse viscera misericordiæ suæ, ut constituerit quidquid talis peccator ex suis naturalibus facere attentaret, nunquam se opem laturum, ut à peccatis resurgeret. Præterea eo dato concedendum esset miserum illum hominem antequam per egressum ex hac vita, atque exclusionem à regno cœlesti, habita spe supernaturali (si fidelis esset) unâ cum fide ipsa spoliaretur, carere omni spe vitæ æternæ: quod tamen nulla ratione videtur concedendum de homine in via constituto. Item non tantopere vituperanda esset desperatio Iudæ, & blasphemia illa Caïn Gen. 4. maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear, si aliqua scelera sint, propter quæ Deus in hac vita statuat denegare omne auxilium, quo homo ad pœnitentiam possit adduci, ac vitam consequi.* In hac sententia conveniunt omnes ij authores, cum quibus agimus Gabriel Vasquez *prima parte, disp. 97. cap. 2. in principio*, Gregorius de Valentia *1. 2. quæst. 3. de divisione gratia puncto 4. §. respondeo.* Suarez *lib. 3. opuscul. cap. 6. in principio.* Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 7.* Qui authores omnia loca Scripturæ Sacræ, quæ significant esse impossibile quosdam converti, intelligenda esse dicunt, ut impossibile accipiatur pro eo quod est valde difficile: prout etiam Lovanij primi nunc relati interpretati sunt. Argumenta verò quibus authores hoc ultimo loco citati sibi persuadent, dari omnibus in universum hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus, quantumvis obduratis, & excæcatis, auxilium gratiæ sufficiens sunt, quæ sequuntur, præter illa, quæ nunc relatis suis assertionibus breviter insinuarunt.

Primò id probant testimoniis ex Scriptura de- 115
ductis; Isaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum & contradicentem mihi.* Quo testimonio utitur Apostolus *ad Rom.* 10. ubi ex professo ostendit hanc veritatem dicens, *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum.* Et statim: *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo.* Quasi dicat, ne reputes impossibile ascendere in cœlum, & vitam æternam consequi: nam prope est, & ad manum Dei auxilium quo id possis. Item Proverbior. cap. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua: convertimini ad correctionem meam, en proferam vobis spiritum meum.* Et statim: *Vocavi, & renuistis, manus meas extendi.* Deinde Cant. 5. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea.* Apocal. etiam 3. dicitur. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam introibo, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Stare autem ad ostium, quid est aliud, quam auxilia sufficientia conferre? Pulsare enim est excitare, & movere homines ad bonum illud supernaturale, quod per cœnam significatur. Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non ut magis convertatur & vivat.* 2. Petri 3. *Sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ioan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et denique illud primæ ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Frustra autem delusoriè diceretur velle Deum omnes homines salvos fieri, nisi omnibus daret sufficientia auxilia supernaturalia, quæ sunt necessaria ad salutem, & sine quibus salvi homines esse non possunt. Id ipsum Apostolus tradere videtur 2. ad Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et iterum 1. ad Timoth. 4. *Qui est salvator omnium hominum maximè fidelium.* Hac enim ratione dicitur pro omnibus mortuus, atque omnium salvator, quia nempe omnibus tribuit auxilia sufficientia, quibus si ipse velint, salvari possint. Ideo enim pro dæmonibus mortuus, non est, nec illorum salvator dicitur, quia nullum eis tribuit auxilium, quo possint salvari.

Secundò id probant ex Concilio Sacto Tridentino *sess. 6. cap. 11. & 13.* docente, *quod neminem Deus deserit, nisi prius deseratur ab eo:* Esset autem maxima Dei desertio, si auxilium sufficiens gratiæ homini denegaret. Cum enim homo sine illo non possit ad Deum converti, si illud ei ipse non daret, profectò illum desereret. Quæ enim, aiunt, maior derelictio esse potest, quàm homini negare id quod est necessarium, ut possit in Deum converti, cum illud homo aliàs multa ratione sibi possit acquirere, ut diffinitum est suprà.

Digitized by Google

Tertiò illud suadent ex Concilio Senonensi anno 1528. *decreto fidei 15.* in quo sic habetur: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem præterea, in quo Deus non stet ad ostium & pulset.*

116 Quartò *in capite firmiter, de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, diffinitur quod, *quilibet etiam maximus peccator, dum est in hac vita, semper potest ad Deum converti.* Quod priùs diffinierat Gelasius *in epistola de vinculo anathematis*; ergo quilibet talis habet sibi à Deo datum sufficiens auxilium: quia si illud non haberet, non se posset in Deum convertere.

117 Quintò id ipsum ex S. Patre Augustino probatur *in comment. ad Psalm. 45.* tractans enim illud, *Deus in medio eius non commovebitur*, sic ait: *Quid ergo est Deus in medio eius: hoc significat quod æquus est omnibus Deus, & personas non accipit: quomodo enim illud quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines: ita Deus medius esse dicitur æqualiter omnibus consulens.* Idem super illud Psalmi 18. *Non est qui se abscondat, à calore eius*, inquit. *Nullum mortalium permisit excusare se de umbra mortis, ipsam enim penetravit verbi calor.* Rursus super Psalmum 24. ad illa verba. *Vniversæ viæ Domini misericordia & veritas*, ait. *Videtur hoc significare Spiritus Sanctus, omnibus hominibus, primum à Deo exhiberi misericordiam, deinde, si ea non utantur, exhiberi judicium.* Per misericordiam autem, quam dicit omnibus hominibus exhiberi, quid aliud potuit intelligere, nisi auxilium gratiæ sufficiens? Clarius *lib. 3. de libero arbitrio cap.* 18. quod eisdem verbis confirmat, *libro de natura & gratia cap. 67.* (ne dicatur quod id scripsit ante exortam hæresim pelagianam, quando non sic exactè de hac materia tractabat) in hoc enim ultimo citato loco, postquam Sanctus Doctor retulit verba, quæ priùs induxerat *lib 3. de libero arbitrio cit. cap.* quibus sic dixerat. *Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis sed pœna damnati:* postquam inquam hæc retulit verba prius à se dicta libro tertio de libero arbitrio quæ & ibi in illo de natura, & gratia confirmat, prosequitur, confirmando etiam alia, quæ prædicto libro tertio, de libero arbitrio, præmiserat dicens: *Hinc iam hominibus de ipsius ignorantia, difficultatisque in prolem primi hominis traiectis vitiis atque veluti transfusis, iustam querelam deponentibus ita responsum est. Quibus breviter, inquam, respondetur, ut quiescant & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quærerentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, nec illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare, contemnis.* Quibus verbis satis apertè tradere videtur Sanctus Pater & Doctor Augustinus contra Pelagianos disputans, omnibus in universum hominibus dari à Deo auxilium sufficiens ad salutem, quo & intelligere possit & facere quæ ad salutem necessaria sunt; & propterea sibi ad culpam iustissimè imputari, quod ad Deum non convertantur ignorantiam à se auferendo, & difficultatem, quas ex primi parentis peccato contraxerunt, vincendo, sicut verè possunt, si volunt. Quo potissimè testimonio quidam ex Semi homæ discipulis convincuntur: ut Magister Cumel. *tom. 2. var. disput. sect. 1. con. 6.* Item idem S. P. Augustinus *in Enchiridion cap. 3.* inquit. *Nec Deus ininstè volens salvos fieri, cum possint salvi esse, si velint:* Sed certum est ex eodem Sancto Doctore, quod per solam naturam, & illius possibilitatem tantum, non possunt salvi esse si vellent: ergo hoc possunt per auxilium gratiæ quod implent. Quæ in multis suæ doctrinæ locis exponit contra Pelagianos. Si ergo omnes sic possunt per auxilium illud gratiæ omnes illud de facto, ut possint, habent. Idem docet *eo libro tractat. cap.* 10. ubi dicit, omnes homines posse se convertere ad servanda divina mandata si velint: *Sed præparatur*, inquit, *voluntas divina, & tantùm augetur munere charitatis, ut possint*, & *cap. 2.* eiusdem primi libri tractat: *& in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo, de quo dictum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri:* Cum ergo homines habeant in sua potestate mutare in bonam suam voluntatem & converti in Deum: & hanc potestatem habeant, per potestatem sibi datam à Deo omnibus Deus dat auxilium sufficiens, quo datur talis potestas; nam si illud non, haberent nec haberent in se potestatem se convertendi in Deum.

Sextò S. Prosper *lib. 1. de vocat. gent. cap. 21.* 118
ait. *Quamvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam, de quo plenius in sequentibus disseremus.* Et *libro 2. cap. 17.* loquens de populis ac gentibus, quibus nunquam Evangelium est prædicatum. Hæc verba subdit: *Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quæ defuit omnibus hominibus est præbita, non negatur.* Quid autem aliud per generale auxilium omnibus datum, & nulli denegatum intelligere potuit, nisi auxilium gratiæ sufficiens, quod, ut præcedenti capite diximus, auxilium generale in ordine gratiæ solet vocari. Insuper *cap. 23.* de parvulis loquens, qui decedunt sine baptismo, hæc verba profert: *Non enim religiosè arbitror credi, nec inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nominibus, quæ utique si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur.* Et infrà. *Sicut autem circa majores, præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem excellentiore opere; largiore munere, potentiore virtute vocationis specialis exercetur, &c.* Ubi generalem gratiam omnibus hominibus dari apertè confirmat. Ac rursus *in cap. 25.* expressius, sic dicit. *Sive igitur novissima contemplentur sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter & piè creditur omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, eaque Providentia Dei quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia, ad Deum quærendum possent homines adjuvari, quibus donis authorem suum per omnia sæcula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est.* Et tandem *cap. 26.* inquit: *Quæ opitulatio* (& loquitur de opitulatione gratiæ) *per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur ipsorum*

Digitized by Google

rum est nequitiæ, quod autem à multis sustinetur & gratiæ est divinæ & voluntatis humanæ. Quibus apertè tradere videtur auxilium gratiæ sufficiens omnibus in universum hominibus dari. 119

Septimò multi alij Sancti Patres hoc ateſtari videntur. Sanctus Dionyſius Areopagita *libro de Cœlesti Hierarchia cap.9.* dicit: *Quod infinitum pelagus divini luminis semper paratum est, & patet omnibus ad participandum.* S. Irenæus *lib.4.* *cap.71.* ait, *Quod Consilium quidem bonum Deus dat omnibus.* 120 Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad omnes gentes. *Audite qui estis longè, audite qui estis propè, nullis relatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit ho-* 121 *minibus.* Sanctus Hilarius *de Trinitate lib.1.* ait, *Esse filios Dei, non necessitatem esse, sed potesta-* 122 *tem, quia proposito nniversis Dei munere, non natura gignentium asseratur.* Sanctus Ambroſius *ſermone 8. in Psalmum 118.* ad illud. *Misericordia Domini plena est terra*, ait, *Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit, si quis autem non credit in Chri-* 123 *stum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.* Sanctus Chryſoſtomus *homilia 7. in Ioannem* dicit. *Quod Christus quantum in ipso est, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod ſi ali- 124 qui non illuminantur, eſt quia oculos avertunt. Idem dicit Cyrillus, *lib.1. in Ioan. cap.11.* Sanctus Paulinus *epiſtola prima ad Aprum*, dicit, *Quod Deus, quantum in se est omnem hominem salvat.*

Octavò S. Thomas *1.2. quæst.89. art.6.* docet, quod quilibet perveniens ad uſum rationis tenetur pro tunc ſeipſum in Deum convertere, quod ſi fecerit, juſtificabitur: Sed non poteſt dici, quod intelligat hominem talem ſolis ſuis viribus ſe nunc in Deum poſſe convertere, ut juſtificetur; quia jam juſtificatio per naturæ vires haberetur: ergo intelligit, quod tenetur tunc converſione ſupernaturali in Deum converti: ad hanc enim juſtificatio conſequitur: ergo ſupponit, quod omnis talis perveniens ad uſum rationis habet auxilium ſufficiens gratiæ, quo ſic ſe poſſit ſupernaturaliter in Deum convertere, ut juſtificetur. Conſtat enim quod ſine auxilio ſufficienti gratiæ ſupernaturali, non poteſt homo ſe ſupernaturali converſione in Deum convertere: Si ergo tenetur ſic ſe convertere in Deum: ergo poteſt: ergo habet auxilium quo poſſit: ergo habet ſupernaturale auxilium generale, ſine quo non poſſet, & cum quo poteſt ſe in Deum prædicto modo convertere. Hoc ipſo ergo quod Sanctus Thomas illum obligat ad ſe convertendum in Deum ſupernaturali converſione docet ipſum ſe poſſe convertere in Deum, & habere de facto auxilium gratiæ ſupernaturale, quo id efficere poſſit.

125 Nonò qui non adimplet præceptum pœnitentiæ peccat mortaliter, & idem eſt de præcepto charitatis & de aliis: ergo habet auxilium ſufficiens ad humana præcepta implenda, aliàs homines obligarentur ad impoſſibile, quod dici non poteſt, cum nullus in eo peccet, quod vitare non poteſt, ut S. Pater Auguſtinus docet *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. & 19.* & alibi frequenter.

126 Decimò: Quilibet peccator quandiu eſt in via poteſt ad Deum converti, aliàs de ſalute poſſet aliquis deſperare, poſſetque eſſe aliquod peccatum in via, quod per pœnitentiam deleri non poſſet, quod tamen erroneum eſt, ut S. Thomas docet *3. p. quæst.86. art.1.* ergo quilibet peccator, quandiu eſt in via, habet auxilium ſupernaturale ſufficiens ad ſalutem; aliàs non poſſet ad Deum converti: quia ſine hujuſmodi auxilio, nullus poteſt ſalvari, aut ad Deum converti. In cujus etiam confirmationem aſſerunt aliqui contrariam ſententiam, nempe, non dari omnibus auxilium ſufficiens alludere ad ſententiam Calvini; qui *lib.2. inſtitut. cap.3. ſect.10.* & præcipuè *cap.23. & 24.* & *lib.3. cap.24. ſect.15. & 16.* & Lutherus *art.36.* ſenſerunt eos ſolos, qui de facto ſalvi fiunt, hoc eſt ſolos prædeſtinatos, habere ſufficiens auxilium ad ſalutem, non autem reprobos. Itaque uterque hæreſiarcha arbitratus eſt, nullos habere gratiam ſufficientem, qua in Deum converti poſſint, qui non etiam habeant efficacem, qua velint & ſalventur, ut ex prædictis locis redditur manifeſtum.

Sed nè ulteriùs ad hoc revertamur, ſatis in- 127 ſulsè & ſine delectu iſta inducuntur ad ſuadendum ſententiam illorum hæreticorum eſſe, non dari omnibus auxilium ſufficiens; quia ſententia illorum eſt non dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci: Imo ab efficaci, quo homo ſalvatur: hoc hæretici illi dixerunt. An verò admiſſo verè ſufficienti auxilio ab efficaci diſtincto, & dato eis, qui nec ſalvantur, nec de facto efficaciter ad Deum convertuntur (per quod totaliter illis hæreticis contradicitur) ſint aliqui graviſſimi peccatores ita obcæcati, & indurati, ut eis propter præcedentia peccata tale ſufficiens denegetur: nulla ex minima parte hæreticorum prædictæ ſententiæ favet, quia, ut viſum eſt ſuprà, ſunt plures catholici ex his qui contra ſupradictos hæreticos ſcripſerunt, qui aliquibus dicunt negari auxilium tale ſufficiens ſicut ſunt Ioannes Driedo, Ruardus Iappert, Roffenſis, & alij.

Diſtinguenda igitur ſunt iſta, & Catholicorum doctrina cum illa hæreticorum non confundenda, cum ab ea toto cœlo diſtet, imo ei appertè contraria ſit. Alij autem authores ob prædicta argumenta arbitrantur, certum eſſe, imò certiſſimum dari omnibus auxilium ſufficiens, idque eſſe Sanctorum Patrum doctrinam, quam & locis Scripturæ & Concilij iam inductis deducunt: ſic Magiſter Cumel. & alij. Verum talem doctrinam certam non eſſe, imò nec veram, quam non ex legitimis Conciliis & illis teſtimoniis deducunt, ex ſequentibus reddetur manifeſtum.

CAPVT IX.

Auxilia naturalis ordinis, quibus possint homines Deum authorem naturæ cognoscere, omnibus dantur, dataque semper fuerunt.

IN hac quæſtione, quæ acriùs his temporibus 128 agitatur, multa, illaque diverſa continentur juxta multiplicem & diverſum hominis ſtatum, juxta diverſa & varia auxilia quæ poſſunt dici ſufficientia ad ſalutem, atque etiam reſpectu diverſorum actuum; quæ omnia, quia minùs ab his qui illam tractant, diſtinguuntur: minùs etiam rectè ab his quæſtio reſolvitur: unde auxiliante Deo curabimus ea diligentius ſub clariori diſtinctione ſupponere, ut ſic non tanta appareat opinionum contradictio, veritaſque ipſa magis innoteſcat.

Præſupponenda ergo diſtinctio auxiliorum eſt: aliqua enim ſunt naturalis ordinis, alia ſupernaturalis, quæ verè auxilia gratiæ ſunt. Rurſus,

Digitized by Google

alia sunt immediatè data ad credendum; alia ad pœnitendum; alia ad non peccandum; alia ad efficiendum egregia illa moralia opera, pro quibus esse necessaria dictum fuit *lib. 3.* quamvis omnia illa sint in substantia supernaturalia, & mediatè, vel immediatè ordinentur ad fidem. Nam hoc ultimum constat quod ad fidem non immediatè, sed mediatè tantùm ordinatur.

Hoc supposito, ut à clarioribus incipiamus, dicendum est primò: auxilia naturalis ordinis, quibus potest homo & Deum authorem naturæ cognoscere, & in viam veritatis venire, omnibus in universum hominibus dantur, semperque data noscuntur, ut cum S. Prospero *lib. 2. de vocatione gent. cap. 4.* illa enumeremus, *Totius*, inquit, *mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æterna legis tabula præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo, cunctaque cœlestia, mare & terra, omnia quæ in eis sunt, consono speciei, ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur authoris.* Et paulò antea: *Igitur, sicut dicit Propheta, misericordia Dei plena est terra, quæ nullis unquam sæculis nullis generationibus defuit, cum ea providentia, qua universitatem rerum administrat, & continet, & regendis alendisque naturis semper impendit.* Hæc omnia sufficientem de se dant hominibus cognitionem, ut Deum authorem naturæ cognoscant: Quamvis multi ex defectu suo permissi ingredi vias voluntatis suæ, non intellexerint, nec sequuti hanc viam veritatis fuerint.

Probatur conclusio ex illo Apostoli ad Romanos primo. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus ac divinitas.* Per creaturas enim & per rationis lumen, quod signatum erat super illos sufficienter poterant cognoscere invisibilia Dei & virtutem omnia producentem & continentem, atque illius divinitatem, ut ultimum finem omnium ita ut sint inexcusabiles, quia si Deum ut primum omnium principium & ultimum finem omnium multi illorum non cognovere ex defectu illorum fuit non ex defectu luminis quod utique hoc sufficiens erat & per ipsum poterant si vellent, & Dei virtutem & divinitatem cognoscere.

129 Secundò probatur ex illo Actuum 14. ubi Paulus & Barnabas Licaoniis dixerunt. *Viri quid hæc facitis & nos mortales sumus similes vobis hominibus, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de Cœlo dans pluvias, & tempora fructifera implens cibo, & lætitia corda eorum.* Quodnam est autem hoc testimonium, quod semper Domino deservivit, nisi quod Paulus exposuit *citato loco*; scilicet omnes creaturæ quæ suum testificantur creatorem, per quas ipsius cognitiones venire poterant.

Tertiò patet ex illo *Psalmi 4.* ubi interroganti, *Quis ostendet nobis bona.* Propheta respondet, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Per quod rationis lumen super omnes signatum poterant omnes summum bonum Deum cognoscere. Manifestum est ergo datum de facto fuisse omnibus hominibus à creatione mundi, semper dari, dandumque esse usque ad ipsius finem naturalis ordinis sufficientia adjutoria, quibus omnes possunt creatorem cognoscere, itaut inexcusabiles sint, si illum non cognoscant. Veritas ista ut certissima supponenda est; traditurque à locis pluribus scripturæ à principio allatis, & à Sacris Doctoribus inductis. Unde authores, qui dicunt de fide esse Deum omnibus dare auxilia sufficientia ad salutem, si de his auxiliis naturalis ordinis loquantur, rectè id affirmant. De fide enim id esse testimonia inducta satis manifestant.

Sed dices, sicut habuerunt, habent, & habe- 130
bunt omnes homines sufficientia auxilia ex parte intellectus, quibus poterant cognoscere creatorem, ita ut non ex defectu luminis, sed ex ipsis sit quod Deum non cognoscant; habuerint ne ita omnes sufficientia auxilia naturalis ordinis ex parte voluntatis, quibus si vellent, possent Deum sic cognitum glorificare ipsi debitas gratias agere, ipsumque super omnia amare; sicut super omnia esse amandum rationis lumen, & creaturæ omnes ei proponebant.

Ad hoc enim dicendum secundo, non habue- 131
runt omnes homines naturalis ordinis similia adjutoria ex parte voluntatis, quibus verè possent Deum glorificare ipsumque super omnia amare, sicut facere tenebantur. Imò talia auxilia in natura lapsa non dantur, quibus verè homines possint Deum super omnia amare, ipsumque glorificare aut ut expedit & gratias agere; sed ad id indigent supernaturali auxilio gratiæ. Constat conclusio ex dictis & relatis in fine tertij libri, in quo & ostensum fuit copiosiùs, non posse naturam lapsam sine gratiæ supernaturalis auxilio Deum super omnia amare, nec ad id per naturam, aut aliquid naturalis ordinis, quodcunque illud sit, habere hominem lapsum sufficientes vires; ita quod non solùm de facto non amabunt Deum super omnia sine supernaturali gratiæ auxilio, nec solùm est factibile, quod tale auxilium supernaturale non habeant, & Deum super omnia diligant (quod est dicere, non posse sine auxilio gratiæ in sensu composito diligere Deum super omnia;) sed insuper nec in sensu diviso potentiam habent sufficientem sine tali supernaturali gratiæ auxilio, qua verè possint per aliquod naturalis ordinis sic Deum super omnia diligere, aut ut oportet ipsum glorificare.

Dicendum tertiò si homo in puris naturalibus 132
consideretur in ordine ad finem tantùm naturalem ordinatus, haberet sine dubio toto tempore, quo sic in tali statu esset, auxilium naturalis ordinis, quo in illo statu posset perseverare, quod, ut diximus, solet vocari sufficiens. Itaque sicut ille ab initio conditionis suæ à Deo reciperet auxilium tali statui proportionatum, quo de facto & Deum cognosceret authorem naturæ ipsumque super omnia amaret; ita post toto tempore, quo in illo statu esset, haberet sufficiens auxilium, quo in illo permanere posset, & sua culpa in peccatum laberetur.

Duo continet ista conclusio: primum, quod 133
homo talis ab initio creationis suæ reciperet à Deo proportionatum tali statui adjutorium, quod de facto Deum authorem naturæ cognosceret, ipsumque amaret. Secundùm, quod postea durante illo statu haberet etiam sufficiens proportionatum auxilium ad perseverandum in eo. Primum patet, quia prima operatio illius hominis non potuit esse peccatum, quod proportionabiliter ad ea quæ sanctus Thomas de prima operatione Angeli docet, & propter eandem rationem asserendum

Digitized by Google

dum est : ergo prima operatio illius debuit de facto recta esse ex parte intellectus cognoscentis Deum authorem naturæ, in quem ordinabatur; & ex parte voluntatis per amorem, quo in ipsum tenderet. Aliàs si Deum tunc non cognosceret; vel in ipsum per amorem non converteretur, cum tunc, utpotè habens usum rationis ad id teneretur, iuxta ea quæ sanctus Thomas docet de puero perveniente ad usum rationis 1. 2. illa prima eius operatio mala esset, atque prava.

Præterea, quia sicut, cum primus homo creatus fuit in natura integra, atque cum donis gratiæ statim à principio creationis suæ, primam operationem habuit rectam utraque rectitudine, & naturali, & supernaturali, quia in utramque ordinatus erat; ita si crearetur in puris naturalibus solam in rectitudinem naturalem ordinatus ad Deum creantem pertineret, ipsum constituere in complemento suo: & ita cùm adjuvaret, ut primam operationem rectam naturali rectitudini haberet.

134 Secunda autem pars constat eadem similitudine semper servata: sicut enim, quia Angelus & homo creati sunt, & in natura integra, & in gratia habueruntque primam illam rectam operationem, illis datum est auxilium sufficiens illorum statui proportionatum, quo in illo perseverare possent, si vellent; aliàs (ut ex sancto Patre Augustino illicò dicturi sumus) nec eis, quod ab illo statu caderent, imputaretur, ita proportione servata; si homo conderetur in naturalibus puris ad solum naturalem finem ordinatus, haberet à principio creationis suæ primam illam suam naturalem rectam operationem, eidem etiam daretur auxilium sufficiens illi statui proportionatum, quo in illo permanere posset, si vellet; aliàs etiam quod ab ipso per peccatum caderet, nec ipsi imputaretur, cum non haberet adjutorium quo in illo statu perseverare posset: nec illud ei ob præcedentem suam culpam esset negatum, quod ex parte in nostro primo libro dedimus manifestum. Igitur haberet ille sine dubio auxilium sufficiens ordinis naturalis, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, quo posset in illo statu illam naturalem rectitudinem cõservare.

CAPUT X.

Auxilium gratiæ sufficiens non omnibus datur, imò si omnibus negaretur nulla esset injustitia.

135 SEd ad auxilia ordinis supernaturalis, quæ verè sunt & vocantur auxilia gratiæ, ascendamus, diligentiùs discutientes, an omnibus dentur auxilia, quæ solent vocari sufficientia, per quæ verè possint omnes ea facere, si velint quæ ad salutem necessaria sunt.

Ad quod dicendum est primò, auxilium gratiæ Dei non ita offertur omnibus hominibus ut Deus eos expectet, qui illud desiderant, vel postulant.

136 Conclusio ista diffusè probata manet in superioribus, quibus auxilium gratiæ non dari facienti, quod in se est ex naturæ solis viribus, copiosè probatum est. Habeturque expresè diffinita in Concilio Arausicano 2. *can.* 3. & 4 qui & superius inducti sunt, contra illam certam legem, quæ ab aliquibus publicatur, de dando auxilio gratiæ facienti quod in se est ex solis naturæ viribus.

Dicendum secundò, auxilium gratiæ Dei etiam sufficiens non æqualiter omnibus adest. In hac etiam authores conveniunt, cum quibus ista tractamus. Quamvis enim ipsi teneant dari omnibus gratiæ divinæ auxilium sufficiens; non tamen illud dari æqualiter affirmant, quia vident, quod etiam intra terminos auxilij sufficientis, quod ipsi constituunt, potest dari magis & minùs; potestque unum auxilium præ alio multò magis sufficiens esse, quod nec modo venit disputandum sed supponendum.

Dicendum tertiò: auxilium gratiæ sufficiens 137
non ita æqualiter omnibus datur: ut qui voluerit, eo benè operetur, & de facto efficax reddat; qui autem noluerit, illud reddat inefficax: ita quod gratia ab eventu, seu effectu, seu arbitrij cooperatione efficax fiat, seu efficax dicatur.

Hæc conclusio ob doctrinæ ordinem hic sta- 138
tuitur, vel potius tangitur, quia infrà copiosè de illa agendum est: interim illam adeo certam reputat Cardinalis Bellarminus, ut hæc verba de contraria, ipse proferat. *Hæc opinio aliena est omnino à sententia beati Augustini, & quantum ego existimo, à sententia etiam scripturarum divinarum.* Et utrumque ibi clarius probat, sed à nobis infrà suo commodiori loco probandum venit; & ad præsens solum advertendum, quod cum ista doctrina aliena sit à sententia scripturarum aliena etiam erit à scripturis illa gratiæ efficacia, quæ per illam scientiam mediam efficax constituetur: à quocumque ea sic statuatur, quia revera ea talis efficax constituatur ab eventu & ab effectu, seu cooperatione arbitrij: inevitabile enim est gratiam poni efficacem per scientiam mediam, & quod ab eventu seu effectu efficax non ponatur. Unde Ludovicus Molina, qui his temporibus primus efficaciam gratiæ constituit per illam mediam scientiam, etiam consequenter illam dixit efficacem esse ab eventu, seu effectu, vel cooperatione arbitrij, quod & evidentissimum esse, infrà apertius ostendemus. Quare qui ex una parte admittunt gratiam efficacem esse per mediam scientiam, & ex alia negare intentant illam non esse efficacem ab eventu, seu effectu, & cooperatione arbitrij, nec consequenter loquuntur, nec videntur attendere ad efficaciam gratiæ, quæ per mediam scientiam constituitur. Intrinsecũ enim est illi, & inseparabile eam constituere gratiam efficacem ab effectu & cooperatione arbitrij. Ad quod ostendendum vel sola ista ratio sufficiat: illa efficacia gratiæ quæ per mediam scientiam ponitur, non venit efficax ex Deo ipso, & ex vi motionis divinæ, ad hoc enim astruendum, illa media scientia introducta est, ut nempe neget efficaciam ex Deo ipso provenire, & ex modo divinæ motionis antecedenter ad arbitrij cooperationem: ergo fit illa gratia efficax ab homine ipso, & ab illius cooperatione.

Consequentia est manifesta, quia efficax debet 139
fieri vel à Deo, vel ab homine. Si ergo à Deo efficax non venit, fit efficax ab homine & à cooperatione illius: ergo fit efficax ab eventu, seu ab effectu, vel à cooperatione hominis; hæc enim tria idem sunt, ut etiam Card. Bellarminus admittit.

Dicendum quartò: si Deus nedum aliquibus, 140
sed omnibus in universum hominibus auxilium supernaturale gratiæ, quod dici solet sufficiens, denegaret, nulla esset in illo injustitia aut iniquitas aliqua. Hæc conclusio indubitata debet esse omnibus, qui peccatum originale in hominibus cum Ecclesia confitentur. Cum enim omnes homines nascantur filij iræ ob prædictum peccatum, ut Apostolus docet *ad Ephes.* 2. nihil illis omnibus

jure

Digitized by Google

jure debetur nisi pœna. Vnde *Sap.* 12. dicitur, *Quis stabit contra judicium tuum, aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti.* Hac de causa Apostolus ad Romanos ostendit solàm esse misericordiam, quod Deus ex massa perditionis aliqua vasa faciat in honorem, unde & ea appellat, *Vasa misericordiæ.* In hac doctrina certissimè Sanctus Pater Augustinus est totus in disputationibus contra Pelagianos, ut plenè *in 2. libro in materia, de prædest. & reprobat.* notum dedimus. In epistola enim 105. rationem reddens, cur pauci sint qui salvantur respectu multitudinis, quæ perit; ait, id ideo fieri, ut nimirum intelligamus quid omnibus deberetur. Docet etiam semper illud verissimum, quod semper prima gratia datur inimicis, ac per hoc modis omnibus est indebita. Vnde nulla fieret iniuria, si ipsa nemini præberetur. Clarius *libro de dono perseverantiæ cap.* 8, illa notanda verba profert. *Non itaque simus ingrati, quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione; ut si inde neminem liberaret, non esset iniustus.* In hac veritate omnes authores, etiam illi cum quibus agimus, videntur convenire.

141 Dicendum quintò, quod auxilium sufficiens gratiæ omnibus detur, sive quod aliquibus tantùm de nullius tamen salute, quandiu in hac vita fuerit desperare debemus, nec ab ullo subtrahere correctionem, exhortationes, & alia charitatis officia, cum certissimum sit, quod omnes quandiu in hac vita sunt, converti ad Deum, & salvari possunt.

142 Itaque etiam cum sententia quæ dicit non dari omnibus auxilium gratiæ sufficiens, stat optimè, & si tenentes illam confiteri tenentur, nullum hominum esse, qui dum est in hac vita, non possit ad Deum converti, atque salvari: quòd desperandum de nullo sit sed omnes corrigendi, docet Leo primus *Serm. 4. de Epiphania: Dum,* inquit, *in hoc corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio auxiliante Domino qui erigit elisos, soluit compeditos, & illuminat cæcos.* Idipsum Sanctus P. Augustinus Docet *de corrept. & gratia, cap.* 15. *Nescientes,* ait, *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et cap. 16. *Quantùm ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri, velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant adhibenda est à nobis medicinaliter severa correctio.* Et alibi: præterea cum Propheta Joële dicere debemus, *Quis Scit, si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem; & cum Paulo nos instruente cum mansuetudine corripiendi sunt, qui resistunt voluntati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis.*

143 Quod verò, etiamsi ab aliquibus ponatur negari auxilium gratiæ sufficiens, dicendum omnino sit nullum esse, qui quandiu sit in vita hac non possit ad Deum converti, & salvari, ostenditur primò: quia quod omnis homo, dum est in vita, possit salvari, veritas de fide est: ergo quidquid datur de auxilio gratiæ dando vel omnibus, vel non omnibus, illa veritas fidei inconcussè tenenda est: & revera optimè ea salvatur, etiam si dicatur, quod non omnibus datur auxilium gratiæ sufficiens. Quia etiam si aliquibus tale auxilium denegetur, illud tamen potest eis Deus dare: ergo poterunt salvari. Patet consequentia: quia ad hoc quod talis possit salvari, satis est, quod possit illi Deus dare auxilium quo convertatur. Itaque non requiritur, ut aliquis possit salvari, quod de facto habeat auxilium sufficiens, sed quod possit à Deo habere auxilium quo salvetur. Quod probatur primò ex S. Thoma *3. part. quæst.* 8. *art.* 3. *ad* 1. ubi docet quod infideles possunt esse in Ecclesia; quæ potentia in duobus consistit, primò & principaliter in virtute Passionis Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundario in arbitrij libertate: sic in præsenti, quibus non est datum auxilium, possunt salvari, quæ potentia in duobus fundatur, primò & principaliter in virtute Passionis Christi quæ est sufficiens ad eos salvandos; secundariò in arbitrij libertate.

144 Secundò probatur ex physica; quia ad verificationem eius Petrus potest esse albus, satis est quod possit habere albedinem, per quam fiat albus: & ratio utrobique est, quia verbum, *potest,* & ante se & post se ampliat ad possibilia.

145 Tertiò quia de fide est, quod nullum est instans, in quo peccator non possit converti & salvari, *cap. Majores,* & tamen etiam secundum illos, qui omnibus tribui dicunt auxilium sufficiens, illud non illis datur pro omni instanti, sed certis temporibus: ergo etiam ipsi salvare omnino debent, quod in omni instanti potest salvari homo, qui non habet auxilium in omni instanti; quod non aliunde salvare possint, nisi modo dicto asserendo, quod ideo in omni instanti possunt salvari quia in omni instanti possunt habere auxilium quo salventur. Vnde qui dicunt debere omnibus dari auxilium sufficiens, ut sic salvetur, quòd omnes homines possunt salvari, non attendunt, quod nihil per hoc concludunt. Itaque ut S. Thomas docet *quæst. 6. de verit. art 3. ad* 7. dupliciter aliquid dicitur posse aliquid, primo modo considerando potentiam quæ in ipso est; sicut dicimus, quòd lapis potest moveri deorsum: alio modo considerando id quod ex parte alterius est, sicut si dicerem, quòd lapis potest moveri sursum per potentiam projicientis: Sic ergo dicendum, quòd qui actualiter habent auxilium sufficiens dicuntur posse salvari per potentiam proximam & formalem quæ in ipsis est, qui autem nullo modo auxilium habent sufficiens gratiæ, dicuntur posse salvari per potentiam quæ est in Deo, qui potest eis tribuere auxilium quo salventur & per remotam potentiam liberi arbitrij, quæ illud auxilium recipere à Deo potest. Et hoc secundo modo tantum debent, etiam authores oppositæ sententiæ, salvare, quod nullum est instans, in quo peccator, dum est in via, non possit salvari, sicut infideles negativè, quibus in omnium sententia non est datum auxilium sufficiens ad credendum; qua ratione sicut nullum est instans in quo non possint converti, ita nullum instans est, quo non possint credere, ex eo quod nullum est instans, in quo Deus non possit illis dare auxilium ad credendum. Qua etiam ratione concedunt communiter Theologi absolutè, & in sensu diviso hanc propositionem: *Præscitus potest salvari,* quia potentiam in se habet, obedientialem nempe quem Deus potest sua gratia salvare. Igitur quidquid sit de ista controversia, an omnibus detur, vel non detur auxilium gratiæ sufficiens de facto: omnes cum fide fateri tenentur, neminem dum est in via, esse qui non possit salvari, & ad Deum converti. Imò tenendum, nullum esse instans in quo converti ad Deum non possint: etiam si pro omni instanti auxilium sufficiens non habeant: ut etiam omnes fatentur, sicut fateri tenentur.

In

Digitized by Google

In quo videri poterunt, quam sine fundamento inferant, debere dari omnibus auxilium sufficiens, ut salventur ex eo quòd omnes possunt converti.

CAPVT XI.

Quibus detur auxilium gratiæ, quo possint ea facere quæ pertinent ad salutem.

146 SEd etiam oportet exponere quibus certum sit à Deo donari auxilium sufficiens gratiæ, quod vocant. Pro cujus resolutione illud primò venit advertendum, divinæ gratiæ auxilia in duplici esse differentia, quædam enim sunt nobis extrinseca, ut Passio Christi Domini, illius exemplum, Sacramenta, exterior Evangelij prædicatio, exhortationes, præcepta, consilia, Scriptura Sacra, lex ipsa, quæ in ipso continentur; de quibus scriptum est, *justitia tua, adiuvabunt me*; alia verò sunt auxilia nobis intrinseca, ut divinæ inspirationes, quibus nos Deus ad bonum excitat, & per quas possumus benè operari si volumus; quæ ut superiùs est dictum, vocari solent auxilia sufficientia.

Rursus hæc intrinseca auxilia gratiæ subdividenda sunt; quia alia dantur, ut possimus immediatè operari supernaturales actus, qui excedunt facultatem naturæ, ut sunt actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ; alia autem tribuuntur immediatè ad actus, qui secundùm suam specificam rationem non excedunt facultatem naturæ absolutè loquendo, quamvis excedant vires naturæ lapsæ, sicut sunt actus dilectionis Dei naturalis super omnia, efficax conversio in bonum secundum rationem proportionatum.

147 Quibus suppositis dicendum primò: si sermo sit de auxiliis divinæ gratiæ extrinsecis, indubitatum debet esse, quod Deus omnibus in universum hominibus, nullo dempto, illa tribuat, omnibus illa proponat, & offerat, quantùm est ex parte sua, licet de facto aliqui ea non recipiant propter altius Dei iudicium. Veritas ista efficaciter probatur primò argumentis in oppositum; illam enim tradunt Scripturæ Sacræ testimonia ibi inducta, multaque Sanctorum Patrum dicta: Et ratio est manifesta: nam Christus Deus pro omnibus quoad sufficientiam mortuus est, pro omnibus Sacramenta instituit, omnibus seipsum præbuit exemplum, Scripturam Sacram, & legem pro omnibus tulit, omnique creaturæ præcepit Apostolis ut Evangelium prædicarent.

148 Dicendum secundò: (loquendo de auxiliis intrinsecis) quod primus homo à Deo integer creatus, & in natura, & in gratia, habuit supernaturale auxilium, quo in accepta gratia, & justitia perseverare posset, si vellet. Hæc est perpetuò sancti Patris Augustini doctrina, signanter *libro de correct. & gratia cap.* 11. ubi sic ait: *Primò itaque homini qui in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium gratiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Et rursus ibi. *Tale erat adiutorium quod primus Parens desereret, cum vellet & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam.* In quo utroque loco tria dicit de auxilio, quod datum est Adæ ad perseverandum: primò quod sine illo perseverare per liberum arbitrium non poterat. Secundò per illud auxilium, quod habuit perseverare poterat, si vellet. Tertiò quod tale erat illud auxilium, quod in illo permaneret si vellet. Ac denique ibidem subdit. *Tunc enim dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet.* Imo adeò certum reputat Sanctissimus Doctor, datum fuisse primo parenti adiutorium, quo si vellet, posset perseverare, ut continuo ista verba subiungat: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpâ cecidissent, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* In tantum ergo verum est habuisse de facto primum hominem adiutorium, quo perseverare posset, si vellet, ut si non haberet ei ad culpam non imputaretur, quod caderet; quod probat, quia non haberet adiutorium sine quo non posset perseverare, & cum quo posset; nec propter priorem suam culpam ei denegatum esset. Cuicunque enim deficit adiutorium, sine quo bene operari non potest, & ex alia parte propter præcedentem eius culpam ei denegatum non esset; excusatur, etiam si cadat, nec ei casus ad culpam imputari potest, ut apertissimè S. Pater Augustinus relatis verbis non docet.

Dicendum tertiò: Deus omnibus iustificatis, 149
& in gratia constitutis dat auxilium quo in iustitia & gratia perseverare possunt: itaut sicut de Adamo dictum est sua culpa cadant, & à bono recedant; & sic quod utique eis imputetur quòd cadant, indubitatum debet esse, quia cum possent perseverare, si velint; perseverare nolunt, sed deserunt Deum & deseruntur ab eo. Quod autem iustificatus quilibet auxilium habeat sibi de facto collatum; quo in accepta iustitia perseverare possit, ratio nunc ex Sancto Patre Augustino inducta pro primo parente, & Angelis proportionabiliter convincit. Nam quilibet semel iustificatus non potest sine adiutorio gratiæ perseverare, ut de Adamo dictum est. Intò multominus potest perseverare quam ille: quia rebellionem habet ex parte appetitus sensitivi, in quo sanatus non est, quam rebellionem appetitus Adam non habebat, quia naturam undequaque integram retinebat: unde & potentiore adiutorio indiget ad perseverandum (prout infra suo proprio loco explanandum est) & ex alia parte sine priori culpa sua ei illud negaretur: Cum enim esset in gratia, præcedentem culpam non haberet, ob quam ei tale adiutorium posset negare: ergo ratione superius per S. Augustinum facta, si ei tale auxilium negaretur, non ei imputaretur quod à iustitia & gratia caderet; & quod in illis non perseveraret: hoc autem impossibile est concedere, quod cadenti à gratia & iustitia non iustè imputetur quod cadat: ergo similiter impossibile est admittere, quòd talis iustificatus non habeat de facto collatum sibi auxilium, sine quo perseverare non potest, & cum quo perseverare potest.

Præterea hoc expressè definitur in Concilio 150
secundo Arausicano, can. 25. *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptisati, Christo cooperante & auxiliante, quæ ad salutem pertinent possint & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Digitized by Google

adimplere. Circa quam fidei definitionem ne aliquis ipsam non penetrans conturbetur, sciendum, quod illa verba, *Christo auxiliante & cooperante*, idem sonant ac, Christo excitante, & cooperante: excitatio enim necessaria est in iustificato, & etiam divinæ gratiæ cooperatio, ut possit benè operari ea, quæ pertinent ad salutem, & in bono perseverare. Ideò autem dicitur necessaria cooperatio, quia gratia operans justificationem efficit; sed jam homine justificato gratia cum illo cooperatur, ut S. Thomas ostendit 1.2 *quæst.* 3. *art.* 2. de quo copiosiorem nos infra sermonem faciemus. Et in hac ratione loquens Concilium, quod datur jam justificatis ut possint, si velint, perseverare, nominat præter excitationem divinam cooperationē.

Sed dices: si baptisati, vel aliàs justificati (nam eadem ratio est, de quomodolibet justificatis, &
151 de primo per baptismum sanatis) habent auxilium excitans & cooperans: ergo omnes perseverant; quia gratia cooperans eos facit divinæ gratiæ cooperari, sicut gratia operans eos facit justificari, non enim stat, quod gratia cooperans sit in iustificato, & quod ipse illi non cooperetur: quia hoc sonat gratia cooperans, ut cum illa homo de facto cooperetur: hoc autem apertissimè falsum est, quia nec omnes baptisati, vel aliàs justificati perseverant, posse baptisatos, si velint adimplere quæ pertinent ad salutem, Christo auxiliante & cooperante: quia si Christo auxiliante & cooperante, omnes de facto vellent, sic quæ ad salutem pertinent adimplerent.

152 Ad hoc dicendum mentem Concilij esse in prædicto Canone, quod baptisati omnes de facto recipiant à Deo auxilium excitantis & cooperantis gratiæ; non quidem efficax, aliàs omnes adimplerent quæ ad salutem necessaria sunt; sed recipiant auxilium excitantis & cooperantis gratiæ, quo possint, si ipsi velint, adimplere quæ pertinent ad salutem. Itaque per illa verba (Christo auxiliante, & cooperante) non intelligit Concilium efficax adjutorium cooperantis gratiæ, sed cooperantem gratiam, quia ei potest arbitrium benè cooperari, si voluerit: sed quia non vult, ex defectu suo habet quod ei non cooperetur adimplendo quæ pertinent ad salutem: licet de facto aliquid ipsi cooperetur. Nam, ut explicandum erit inferiùs copiosè, (quod etiam in secundo & tertio libro tetigimus) adjutorium quo homo potest benè operari; seu quod, ut dictum est, his temporibus solet vocari sufficiens; in ordine ad aliquid efficax est. Quod licet aliqui ex Thomistis negent, id tamen concedendum esse infra dicemus; clarius tamen & formalius Concilium Tridentinum id exposuit *sess.* 6. *cap.* 11. dicens: *Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius: quod utique cum divino auxilio præstare possunt*. Nominans enim auxilium quo possunt divina mandata servare, illud quod solet vocari sufficiens, commodiùs explicavit, sicut suprà declaratum est.

153 Dicendum quartò, ut crediderim regulariter loquendo de fidelibus, quod habent omnes, quantumvis peccatores, sibi datum auxilium quo possent converti, potissimè tempore quo instat præceptum, quo in Deum converti tenentur. Crediderim, dixi, quia ista conclusio non eandem, certitudinem habet, quam præcedentes: quia cum illi in peccatis sint, iustè in pœnam præcedentis peccati eis tale auxilium poterit denegare ex S. Patris Augustini, & S. Thomæ expressa sententia infra dicemus. Similiter dictum est, regulariter de fidelibus peccatoribus loquendo; nam an aliquis fidelis ita sit obduratus & excæcatus, ut ei tale auxilium de facto negetur, etiam infrà explicabimus. Probatur conclusio; nam fides quæ in peccatoribus manet, regulariter eos excitat, eisque proponit ut à peccatis resipiscant, & ad Deum convertantur; unde & illâ mediatè illos Deus ad pœnitentiam vocat: auxiliumque quo converti possint, elargitur. Nec enim credendum adeò in peccatoribus regulariter sopitam fidem, ut quasi in eis extincta sit, nulla ratione eos excitet, aut ad pœnitentiam non provocet, affectumque, cum sit eminenter practica, non moveat, ut ad Deum homo convertatur, & miseriam sui status cognoscat, quin potius nisi jam homo sit ita excæcatus & obduratus, ut in profundum malorum veniens contemnat (quod ut diximus infra erit exponendum) multoties stat ad ostium cordis & pulsat, quod & peccatores frequenter in se experiri compertum est. Vnde ad hoc propositum solent aliqui illud interpretari moraliter de ancilla Naam, quæ excitavit cum ut veniret in Israël, ut de lepra curaretur: per quam intelligunt fidem in peccatore, quæ quodammodo captiva detinetur, dum ei non permittitur liberè per charitatem operari, quæ tamen peccatorem excitat, ut ad pœnitentiam veniat, & media fide, & excitatione illius Deus stat ad ostium peccatoris & pulsat illi eo ipso auxilium suum tribuens, quo possit converti.

Dicendum quintò, quibus Evangelium debi- 154
tè prædicatur, etiamsi aliquibus eorum non daretur interius auxilium sufficiens, quo credere possent, si tamen ipsi propositioni fidei resisterent & contradicerent; jam non essent infideles negativè dicendi, sed essent infideles contrarij, veréque infidelitatis peccatum eis imputaretur. Procedit conclusio ex suppositione quod eis inferius auxilium sufficiens ad credendum negaretur: quia regulariter omnibus illis tale sufficiens auxilium ad credendum tribuitur. Conclusio ex dicendis infrà satis constabit, quia generaliter ex doctrina S. P. Augustini, & S. Thomæ ostendemus, quòd quamvis aliquibus non detur auxilium sufficiens, quo possent benè operari: si tamen pro prioti eorum culpa eis denegatum est hoc ipsum, quod possint benè operari, & ex consequenti quod benè operentur, eis ad culpam imputatur. In specie autem de peccato infidelitatis, de quo modò in conclusione sermo fit, probatur ex S. Thoma 3. *contra gentes cap.* 159. & 160. Cum enim *in cap.* 159. quæsivisset, quomodo potest homini imputari ad culpam, quod non habeat fidem, spem, & charitatem, supposito quod hæc habere non potest sine gratiæ auxilio, quod tamen sibi homo acquirere non potest quæsito respondet: quod ideò ei imputatur quòd fidem non habebat, spem & charitatem, quia auxilio gratiæ per peccatum ipse homo impedimentum ponit. Cum illi soli gratia priventur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant, & *in cap.* 160. concludit, quod quamvis qui sunt in peccato per suam solam potestatem non possint non impedimentum gratiæ præstare, nisi auxilio gratiæ adjuventur: nihilhominus hoc eis imputatur ad culpam: quia *hic* defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Docet ergo aperte, quod licet infideles credere non possint, cum eis fides proponitur, nisi divino auxilio gratiæ adjuventur, tamen quod propositam fidem non recipiant eis imputatur ad culpam: quia iste defectus, seu ista impotentia ex ipsorum præcedente culpa dimanat.

Id

Digitized by Google

155 Id etiam clariùs docet 2.2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 1. inquirens enim in illo articulo, an homo teneatur ad aliquid credendum explicitè, sic pro contraria parte format primum argumentum. *Nullus enim tenetur ad id quod non est in eius potestate; sed credere aliquid explicitè non est in hominis potestate: dicitur enim Rom.* 10. *quomodo credent in illum, quem non audierunt? quomodo autem prædicabunt nisi mittantur? ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur.* Et posita dubij resolutione *in corpore articulo primo*, quod nimirùm quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut tenetur habere fidem; ad prædictum argumentum ita respondet. *Ad primum ergo dicendum quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: Quod quidem auxilium quibuscunque divinitùs datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati saltem originalis, ut Augustinus dicit in libro de correct. & gratia.* In qua solutione, quis non videat sententiam Sanctissimi Doctoris esse primò quod homo tenetur explicitè credere articulos fidei. Secundò quod id non potest sine gratiæ auxilio, sed cum illo. Tertiò, quod quibus denegatur hoc auxilium, ex justitia denegatur propter præcedens eorum peccatum saltem originale; quamvis adhuc tunc teneantur credere; si nempe eis debitè fides fuerit proposita; ita quod si tunc eis ob anteriora peccata negatum fuerit divinum auxilium, adhuc credere teneantur: & non credendo contra hoc divinum præceptum peccent: non obstante quod sufficiens internum auxilium non habeant: ex hoc quod propter priora peccata eis denegatum sit. Nam aliàs Sanctus Doctor argumento responderet eos qui auxilium sufficiens non habent ad credendum, credere non teneri.

156 Hoc autem adhuc clariùs idem Sanctissimus Præceptor docet *eadem* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. ubi solum illos dicit infideles negativè qui propterea à peccato infidelitatis excusantur, qui nihil audierunt de fide; eos autem dicit infideles contrariè (quibus proinde peccatum infidelitatis imputatur) qui repugnant auditui fidei, vel etiam contemnunt ipsam: ergo quomodolibet fidei debitè propositæ homo ex infidelitate repugnet, erit infidelis contrariè, & ipsi peccatum infidelitatis imputabitur, etiamsi, ut præmiserat *citata quæstione secunda*, ei ex culpa sua priori auxilium sufficiens internum ad credendum denegetur.

157 Eadem est sententia S. P. Augustini *tract.* 89. *in Ioannem*, ubi dicit illos, ad quos Christus non venit, nec eis est loquutus excusationem habere de peccato, quo in Christum non crediderunt, sed non in hoc numero, inquit, sunt hi ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est loquutus, quod & nunc facit, nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam loquitur gentibus.

158 Unum tamen potest ex mente S. Thomæ in contrarium opponi argumentum, quòd *super caput* 15. *Ioan. lectione* 6. ad illa verba: *Si opera non feciſſem in eis quæ nullus alius fecit:* dicit esse intelligenda, non solum de visibilibus operibus, sed de inferiori instinctu, & attractu doctrinæ: quæ quidem opera, si in eis non feciſſet, peccatum non haberent, scilicet infidelitatis: de quo ibi Dominus, ut inquit tam S. Augustinus quam S. Thomas loquebatur. Vbi vult Angelicus Doctor, necessariam fuisse, ut peccatum infidelitatis eis imputaretur, non solum propositionem externam fidei cum patratione miraculorum, sed etiam quod sufficienter à Deo inferiùs ad fidem moverentur.

Ad quod dicendum, S. Thomam *in eodem loco* in expositione priorum illorum verborum: *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, apertè docere, quod citato loco tertio contra gentes, & in utroque ex 2.2. inducto ex ipso præmisimus: ait enim ibi, quod si Christus non veniſſet & personaliter eis loquutus non fuisset fidem suam, quæ in Prophetiis continebatur, eis ipse exponendo & declarando peccatum infidelitatis non haberent. *Et similis ratio est*, inquit, *de omnibus illis ad quos prædicatio Verbi Dei pervenire non potuit.* Isti enim ad quos Verbi Dei prædicatio non pervenit peccatum infidelitatis non habent, nec eis infidelitas imputatur: quia ut 2.2. clariùs docuit ubi suprà, sunt infideles negativè: ergo à contrario, si ad eos Verbi Dei prædicatio pervenit, & Christus eis per suos ministros fidem suam proponit, dum ipsi ei contradicunt peccatum infidelitatis incurrunt, nec excusationem habent de infidelitate sua, qua auditui fidei contradicunt, effecti jam infideles contrariè, ut ex eodem sancto Doctore ostensum est: si enim negatio prædicationis est adæquata causa negationis peccati infidelitatis, profectò affirmatio prædicationis erit causa etiam adæquata affirmationis peccati ipsorum, quo fidei auditæ contrariantur: & hac ratione idem S. Doctor 2.2. *quæst.* 10. *art.* 1. *citato* agens ex professo, quomodo infidelitas imputetur, docet, quod cum auditui fidei contradicitur, est infidelitatis peccatum secundum illud, *Si non veniſſem & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent;* & solum dicit excusari à peccato infidelitatis, qui habent puram negationem fidei, nihil de illa audientes. 159

Quòd autem postea in expositione aliorum verborum Ioannis cap. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nullus alius fecit:* docet inter illa opera instinctum interiorem moventem ad fidem computari, ita quod si hæc opera in eis Christus non feciſſet, peccatum non haberent infidelitatis; non per hoc docet, illud esse universaliter requisitum ut peccatum infidelitatis hominibus imputetur: tum quia hoc esset contrarium eius quod præmiserat in prioribus verbis jam explicatis; tum etiam quia aliàs, si illa opera miraculosa requiruntur, simul cum auxilio sufficienti inferiori, ut peccatum infidelitatis imputetur, sequeretur quod si alicui proponatur debitè Evangelium, simulque habeat auxilium sufficiens inferiùs, si tamen miraculosa deficiant; non sit ille infidelis contrariè, verèque ei peccatum infidelitatis non imputetur: quod tamen dici non potest. Necessarium est ergo quod illa omnia opera non sumantur collectivè, sed divisivè, ita quod non requiratur ut quis sit infidelis contrariè quod ei Evangelium prædicetur, coram illo miracula fiant, & simul habeat interius auxilium sufficiens: sed sufficiet quod ei Evangelium debitè proponatur, etiamsi alia desint: cum autem omnia simul illa tria concurrunt, sicut in Iudæis facta sunt, tum ex multiplici capite magis, ac magis eis peccatum infidelitatis imputatur; ita ut nullam vel apparentem possint habere excusationem de peccatis suis. 160

Ad quod ostendendum, quod videlicet ex 161

Digitized by Google

multiplici capite Iudæi excusationem de peccato infidelitatis tuæ habere non poterant Christus Dominus dixit primò, quod excusationem non habebant, ex eo quod eis venerat, & ipsis ipse prædicarat: & ex hoc capite intulit quod peccatum infidelitatis incurrerunt. Rursus ex alio etiam capite, dum postmodum subjungit, quod etiam excusari de infidelitate non poterant; quia insuper in eis fecit opera quæ nullus alius fecerat: & quia eis dedit inferius auxilium sufficiens, quo credere poterant.

162 Unde quod Dominus dixit, *Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent*, non contrariatur illis prioribus verbis, quibus dictum est, *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*: sed hoc significant; quod non ita magnum infidelitatis peccatum haberent, si solum eis Christus prædicasset, nec magna illa fecisset miracula. Cum autem Christo eis prædicanti & tot miracula facienti in confirmationem doctrinæ suæ, illi non crediderunt, ingens suæ infidelitatis peccatum aggravaverunt. Et hoc solùm docet S. Thomas ad illum locum: nempe, quod prædicante eis Christo Domino, ex hoc solùm quod fidei restiterunt sufficientissimè propositæ, peccatum infidelitatis ei contradicendo incurrerunt: multiplicatis etiam coram eis tot miraculis, majus peccatum infidelitatis habuerunt: ac tandem dato eis auxilio sufficienti, quòd insuper ei restiterunt, magis ac magis illud ingens suæ infidelitatis peccatum in infinitum auxerunt. Quod si quis intelligere voluerit sanctum Thomam in prædicto loco, quòd copulativè intelligat requiri, ut imputetur potissimùm infidelitatis alicui, & quod ipsi Evangelium proponatur, & quod simul ei auxilium sufficiens ad credendum detur, & hoc tradi à sancto Thoma ut quid speciale in fide, quando proponitur, quod nempe habeat sibi conjunctum auxilium sufficiens, sicut habet conjunctam miraculorum potentiam, nec ei contradicimus; sed tunc dicendum adhuc meam verificari conclusionem, quæ sub conditione procedit: quod videlicet, si daretur quod alicui fides prædicitur non habenti auxilium sufficiens, & ipsi non crederet, sed illi resisteret, ille esset infidelis contrariè, quidquid sit an de facto omnibusque detur.

CAPUT XII.

Infidelibus omnibus non dari supernaturale sufficiens gratia adjutorium.

163 ILlud ultimò oportet expendere, an sint aliqui quibus auxilium gratiæ, quo possent vel credere, vel ad Deum per pœnitentiam converti, à Deo denegetur, nec erit ostendendum, quod id justè eis non tribuitur, quia si semel probatum fuerit aliquibus auxilium illud denegari, simul ostensum erit justè, illud eis negatum fuisse; cum evidentissimum sit nihil injustè a summè justo Deo posse promanare.

Pro hujus etiam resolutione dicendum est primò: Deus non tribuit de facto omnibus hominibus supernaturale intrinsecum auxilium sufficiens immediatè ad credendum, aut ad immediatè eliciendum alios actus ex objecto, & sua substantia supernaturales, ita quod non omnes illud de facto recipiunt, sed multis illud denegatur in pœnam peccatorum, saltem in pœnam peccati originalis. Veritas ista non obscurè deducitur ex scripturis. Primò constare videtur ex illo Christi Domini. *Luc. 10. cap. Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta fuissent signa, & virtutes quæ factæ sunt in te, &c.* Ex quo testimonio patet non fuisse facta signa, & virtutes in Tyro, quæ factæ sunt apud Iudæos; sed apud Iudæos cum illis signis, & virtutibus exterioribus apud illos factis, datum est simul illis intrinsecum auxilium gratiæ, quibus credere possent, si vellent: ergo in Tyro & Sydone sicut non fuerunt factæ virtutes exteriores, ita nec eis tributum fuit auxilium internum sufficiens, quod virtutes illas, & prædicationem Evangelij concomitatur, ut præcedenti capite est expositum. Fateor quod ex hoc testimonio id non ita apertè deducitur, responderi enim quis posset, quod licet Tyriis & Sydoniis illa externa signa data non sunt, datum in illis fuisse interius auxilium sufficiens, cum semper ab illis exterioribus signis dependeat: Verum regulariter, quibus exteriora signa, & exterior Evangelij prædicatio pœnitus negatur; nec omnibus illis auxilium sufficiens tribuitur, licet aliquibus ex illis donetur, quod nec negamus.

Præterea *Actuum 16.* habetur: Quod volentes 164
Apostoli Evangelizare verbum in Asia, vetiti sunt à Spiritu Sancto, & disponentes ire in Bithyniam prohibiti sunt à Spiritu Iesu. Quibus autem Spiritus Sanctus prohibuit, ne Evangelium prædicaretur, nec dedit auxilium internum sufficiens immediatè ad credendum, quia Apostolus *ad Rom. 10.* dicit: *Quomodo autem credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Nec potest dici quod interius à Deo illuminarentur de fide sine prædicatoribus, quia hoc esset miraculum in ordine gratiæ, quod sine fundamento non est astruendum; potissimè tam generale miraculum ut omnibus ex illa Provincia interiorem daret illuminationem, & inspirationem fidei: Si enim sic eos interiùs de fide illuminaret, quare eis Prædicationem Evangelij prohibuit? Certè hoc dici non potest, sed conformiter ad scripturam dicendum est, quod sicut tunc illis Evangelij prædicationem negavit, ita auxilium supernaturale internum immediatè ad credendum non dedit. Quo tempore non est dubium, quin multi in illis partibus mortui fuerint, quibus auxilium internum supernaturale immediatè ad credendum concessum non fuit: licet alio tempore dilatata hinc Evangelij prædicatione, illi Provinciæ concessa fuerit, ut ex Actis eisdem Apostolorum constat. Non tamen dicimus, quod nulli eorum fuerit auxilium sufficiens datum, quia aliquibus eorum fortè datum fuit: sed solum asserimus, quod sicut omnibus ex illa Provincia prohibita fuit Evangelij prædicatio, ita nec omnibus illis debet dici auxilium sufficiens donatum ad credendum.

Tertiò probatur ex expressa sententia S.P.Au- 165
gustini *libro de corrept. & gratia cap. 11.* dicente: Quod adjutorium sine quo homo non potest permanere si vellet, primo homini & Angelo negatum non fuit: de quo adiutorio subdit hæc verba. *Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est.* Ergo saltem adjutorium immediatè ad efficiendum opera supernaturalia aliquibus non datur in pœnam præcedentis peccati. An verò, non solum hoc adiutorium immediatè ad credendum, & operandum opera in substantia supernaturalia, in hoc Sancti Patris testimonio comprehendatur ut aliqui interpretantur, sed etiam

Digitized by Google

etiam omne in universum supernaturale auxilium sufficiens, infrà erit expendendum. Idem clariùs ostendit Sanctus Prosper *prosa de ingratis*, illis verbis: *Iam qui summatim.* Et clariùs *libro sententiarum sent.* 4. & *in respons. ad capita Gallorum*, quibus ut dicendum erit inferius relatis ipsius verbis, manifestè negat infidelibus, quibus Evangelium non est prædicatum, datam fuisse vocationem gratiæ, seu immediatum auxilium gratiæ ad credendum.

166 Quartò. habetur etiam expresè à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad primum*, ubi ex professo loquens de auxilio, sine quo non potest credere homo, & cum quo potest, ait: *Quod auxilium quibuscumque diuinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis.*

167 Quintò manifesta ratione probatur. Certum est enim multos esse infideles negativè, quibus propterea infidelitatis peccatum non imputatur, ut docet S. Thomas *super* 15. *cap. Ioannis præcedenti capite citatum*, & 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. ergo isti non habuerunt sibi de facto collatum auxilium immediatè ad credendum internum, aliàs ei resistendo efficerentur iam infideles contrariè, & desisterent esse infideles negativè: Quod totum expresè contra sanctum Thomam procedit *citatis locis*. Itaque qua certitudine tenetur dari infideles aliquos negativè, eadem certitudine tenendum est illos non accepisse de facto à Deo auxilium internum supernaturale sufficiens immediatè ad credendum. Nec valet aliquorum explicatio dicentium S. Thomam loqui de fide Christi explicita respectu cuius dicentur infideles negativè, quia nihil de illa aliqui audierunt; licet auxilium sufficiens habuerint ad fidem Christi implicitam habendam: hæc enim explicatio manifestè contra mentem, & litteram sancti Thomæ procedit, quia si omnes accipiunt sufficiens auxilium ad credendum fide supernaturali implicita Christi nullo modo dici possunt infideles negativè, sed contrariè, quia jam resistunt supernaturali fidei sibi propositæ, ad quam per auxilium sufficiens moventur. Unde merito peccatum infidelitatis incurrerent, propter quod justè damnarentur. Et ex consequenti à nullo quantò magis à sancto Thoma, poterant dici illi infideles negativè. Et sic convincitur, cum sanctus Thomas docet dari aliquos infideles negativè, planè intelligere illos tales nihil prorsus de fide supernaturali etiam implicita Christi audire, nec aliquod sufficiens auxilium habere respectu illius.

168 Dicendum secundò: Deus non tribuit omnibus in universum hominibus nullo dempto intrinsecum, & sufficiens auxilium supernaturale ad implenda præcepta naturalia, quæ supposito peccato impleri non possunt solis naturæ viribus, etiam cum instat adimpletio præcepti. Similiter nec omni homini tribuit auxilium ut peccata possit evitare. Itaque non omni puero venienti ad usum rationis datur tale supernaturale intrinsecum auxilium sufficiens, ut se convertat in bonum rationis, sed quibus datur misericorditer datur, quibus autem non datur, in pœnam peccati non datur, saltem originalis. Conclusio ista non solùm adversatur his authoribus cum quibus agimus, sed & aliquibus sancti Thomæ discipulis; est tamen sancti Patris Augustini, & sancti Thomæ non obscura sententia, similiter & S. Prosperi, quæ proinde ut ab omnibus cognoscatur, & defendatur ex prædictis sacris authoribus aperienda est manifestius.

Probatur ex sancto Patre Augustino *libro de* 169
corrept. & gratia cap. 6. ubi formans argumentum Pelagianorum, quo se prætendebant excusare, dicentes: *Quid facimus, qui non accipimus:* & rursus, *Gratiam non accipimus, ut quid itaque corripimur:* Illud solvit *à capite illo* 6. *usque ad* 11. qua parte procedit de infidelibus qui regenerati non sunt, & qua parte currere potest de jam regeneratis, qui à gratia ceciderunt; & tertiò qua parte currit de Adam, qui in bono non perseveravit. Et solutio stat in hoc, quod Adam si non accepit actu perseverantiam, ut de facto perseveraret, accepit tamen adiutorium quo poterat perseverare si vellet, & sua culpa non perseveravit; unde ipse non potest dicere, non accepi: cum accepit adjutorium quo posset perseverare si vellet, quod solet vocari sufficiens, & perseverare noluit. Similiter in capite illo sexto docuit, quod si jam regeneratus est homo, non potest dicere, non accepi, qui gratiam acceptam suo in malum mutavit arbitrio. In quo utroque casu manifestè procedit solutio sancti Augustini de gratia sufficienti ad perseverandum, non efficaci, cum dicit quod nec Adam, nec alius in gratia regeneratus potest dicere, non accepi; quamvis enim neuter acceperit efficacem gratiam ad perseverandum, quia aliàs uterque perseveraret de facto, quia tamen accepit unus & alter sufficiens auxilium gratiæ, quo manere posset si vellet, ideo docet quod neuter potest se excusare dicendo non accepi.

Loquens autem de infidelibus quibus non ap- 170
parebat data gratia, qua possent bene operari, & in bono permanere, non asserit, sicut de aliis duobus, illos non posse dicere non accepimus, quod tamen de eis simili ratione proferret, si sentiret eos accepisse adiutorium supernaturale gratiæ, quo si vellent, possent bene operari, & Deo obedientes esse: sed docet, quod si inobedientes Deo sunt, nec benè operentur, sibi debet imputari, quia ex peccato originali habent hanc impotentiam ad bene operandum, & serviendum Deo. Sentit ergo apertè infidelibus omnibus non dari auxilium supernaturale sufficiens, quo possint bene operari, & Deo obedire. Nam ut iterum dicam, evidens est, quod si sentiret omnes infideles illud recipere, pari ratione assereret, quod etiam isti non se possent excusare dicentes, non accepimus; cùm utique acceperint supernaturale adjutorium intrinsecum, quo si vellent, bene possent operari, & Deo obedire in observatione præceptorum naturalium, & sua culpa non bene operarentur, præcepta naturalia servando. Cum ergo Sanctus Doctor diversam solutionem assignet de infidelibus illud argumentum proponentibus, & se excusantibus ab illa, quam tribuit Adamo, & regeneratis, quo videlicet isti acceperint adjutorium, quo possent, si vellent perseverare; unde non se possent excusare dicendo, non accepimus; pro illis autem non dicit etiam eos accepisse auxilium, quo Deo possent obedire, sed recurrit ad peccatum originale, ex quo illam impotentiam, seu impossibilitatem ad obediendum Deo incurrerunt; fit manifestum docere sanctum Augustinum non omnes infideles accipere à Deo auxilium supernaturale intrinsecum, quo si vellent possent Deo obedire, & præcepta naturalia servare.

Hæc est aperta Sancti Doctoris sententia à 171

Digitized by Google

capite illo sexto, usque ad caput 11. inclusivè per totum contextum doctrinæ. Verba sancti Doctoris sunt in capite sexto loquendo de infidelibus. *Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam cur obiurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum primitùs Deus fecit, sua mala voluntate decidens pravus effectus est.* Ecce non ad datum illi supernaturale sufficiens auxilium ad obediendum Deo recurrit, ut eos convincat minùs posse excusari quod inobedientes Deo sint, sed ad peccatum originale, ex quo talem inobedientiam contraxerunt. Unde in capite 11. totam suam doctrinam concludens, quæ & modo explicata manet, postquam docuit quod primò Parenti & Angelis datum fuit auxilium, quo perseverare possent, si vellent; aliàs si eis datum non esset, cum nec eis fuisset negatum propter aliquod præcedens peccatum, non utique eis imputaretur quod non perseverarent: subdit hæc verba. *Nunc autem quibus deest tale adiutorium* (scilicet, quo bene operari possent) *iam pœna peccati est, quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

172 Notandum est etiam quod loquitur sanctus Pater & Doctor de adiutorio, non solùm quod est sufficiens ad immediatè credendum, sed de illo quod est sufficiens ad obediendum Deo, & servandum naturalia præcepta: quia sermo est de adiutorio, ex cuius defectu se prætendebant infideles excusare à peccatis commissis contra Dei obedientiam, quæ non sunt nisi illa, quæ contra naturalia præcepta ab eis committuntur; hæc enim illis imputantur, & ab his se prætendebant excusare dicentes se non accepisse adiutorium gratiæ, quo illa servarent, & Deo obedirent. Nam à peccato infidelitatis, quia nec illis imputatur, cum sint infideles negativè, nec ipsi prætendebant se excusare; imo nec hoc ipsi cognoscebant. Et per hoc constat minùs rectam esse explicationem illorum, qui præcedenti conclusione relati sunt, asserentium supradictum S. Augustini testimonium solùm esse intelligendum de negatione auxilij sufficientis immediatè ad credendum: quia, ut visum est, contextus litteræ contrarium probat.

173 Quod autem alij dicunt in prædicto testimonio docere sanctum Patrem Augustinum non dari omnibus supradictum auxilium sufficiens, verùm id tantum esse pœnam peccati, non autem veram culpam, si alia homo committat, inferius in solutione argumentum efficaciter impugnandum est.

174 Igitur in S. Patre Augustino hoc est satis notum, si littera attendatur, quod infideles omnes non habent adiutorium supernaturale intrinsecum sufficiens etiam ad Deo obediendum in observatione præceptorum naturalium, sed quod quibus datur, ex misericordia datur, quibus autem negatur, ex iusto iudicio negatur in pœnam saltem peccati originalis.

175 Hoc autem celebre testimonium Doctoris Sancti aliter interpretatur Cardinalis Bellarminus *libro 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 8.* dicit namque nomine adiutorij intelligere ibi sanctum Patrem Augustinum gratiam habitualem, nec negare adiutorium ut est necessarium ad vitanda singula peccata, sed illud dicit non dari prout est necessarium ad vitandum omnia simul, id est, ut est necessarium ad perseverandum. Itaque ut ait, non negat S. Pater Augustinus auxilium sufficiens actuale ad vitandum singula peccata, sed gratiam habitualem negat necessariam ad perseverandum. Quæ tamen explicatio aliena est procul dubio à mente Sancti Augustini in illo loco: Primò quia S. Thomas *2.2. quæst. 2. art. 5. ad 1.* prout inferius constabit, illud S. Patris Augustini testimonium intelligit non solùm de gratia habituali ad perseverandum, sed etiam de auxilio actuali sufficientis gratiæ ad credendum: quod aliquibus negari ob peccatum saltem originale ex illo S. Augustini testimonio manifestè docet. Quis autem dicat mentem sancti Augustini sanctum Thomam non fuisse assequutum, sed Cardinalem citatum? sed contextus ipse sancti Patris Augustini id satis ostendit. Cum enim in illo expresè dicat quod primus parens habuit adiutorium, quo permanere in bono posset, si vellet: necesse est illud intelligat non solùm de gratia habituali, sed etiam de actuali auxilio gratiæ sufficientis, quia loquitur de omni auxilio necessario ut primus parens in bono posset permanere si vellet. At si solùm sermonem faceret de adiutorio gratiæ habitualis, non admitteret in primo parente omne adiutorium necessarium ut posset perseverare, cum ad hoc sit necessarium auxilium actuale sufficiens, sine quo, etiam per habitualem gratiam, non haberet primus parens omne adiutorium sufficiens, ut posset perseverare. Vnde planus sensus est, quod primus parens habuit omne adiutorium gratiæ necessarium ut in bono perseverare posset, si vellet, scilicet ipsam habitualem gratiam, & etiam actuale auxilium sufficiens, quo non solum habitualiter, sed etiam actualiter potuit perseverare, si voluisset. Quod tamen auxilium tam habitualis gratiæ, quam auxilij sufficientis ad illam habendam, & ad vitandum peccatum nunc multis deest in pœnam præcedentis peccati: Igitur intelligit Sanctus Doctor Augustinus nomine adiutorij, quo primus homo potuit perseverare, non solùm gratiam habitualem, sed etiam actualem sufficientem ad perseverandum.

Rursus utrumque illud, & habituale, & actua- 176
le gratiæ adiutorium docet fuisse in primo parente ad posse perseverare, id est sufficiens fuisse ad vitanda singula, imo omnia peccata simul. Et similiter utrumque illud & habituale, & actuale gratiæ adiutorium docet nunc aliquibus negari in pœnam præcedentis peccati; ita quod privatur & gratia habituali, & actuali auxilio sufficienti, tum ad singula peccata vitanda, tum ad omnia simul. Hæc aperta littera & mens sancti Patris Augustini est, ex qua proinde convincitur ipsum docuisse nunc aliquibus deesse auxilium sufficientis gratiæ, non solum ad omnia, sed etiam ad singula vitanda peccata, & hoc in pœnam præcedentis peccati saltem originalis, ut S. Thomas exposuit intellexit, & declaravit.

Secundò id docet S. Pater & Doctor *libro 2.* 177
de peccat. merit. & remiss. cap. 17. ubi sic ait. *Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat gratia Dei est, qua hominum adiuvat voluntates: Qua ut non adiuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quod probat ex illo Hierem. 10. *Scio Domine quia non est in homine via eius, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.*

Digitized by Google

suos. Vbi continuò subiungit Propheta: *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Tanquam diceret, scio ad correptionem meam pertinere, quod minùs abs te adiuvor.* Verùm est quod in isto loco magis præcipuè videtur loqui de negatione auxilij efficacis; sed etiam procedit ratione eâdem de sufficienti.

178 Vnde si de efficaci fiat sermo, sensus est quod divina gratia sufficiens hominum adiuvat voluntates, quod autem non ulterius adiuventur, scilicet efficaciter, in ipsis hominibus, non in Deo causa est. Si verò sermo sit de gratia sufficienti, tunc est sensus: Ipsa gratia divina sufficiens, quantùm ex se est, & ex Deo ipso, hominum adiuvat voluntates, quia parata est ad juvandum: & si de facto non adiuvat sufficienter in ipsis hominibus causa est; quia ei impedimentum ponunt, vel per actualia, vel saltem, per originale peccatum, ut alibi sæpè expositit *de corrept. & grat. cap. 6. & 11.* sed, ut diximus illud testimonium multò magis procedit de auxilio efficaci gratiæ.

Tertiò idem sanctus Pater Augustinus *libro de*
179 *perfectione iustitiæ cap. 6.* respondens argumento quod in hunc modum relatus ibi Celestius conficiebat: si est aliquod peccatum, quod vitari non potest, quomodo justus Deus dicitur, si imputari cuipiam creditur, quod vitare non possit: non utique respondet, omne peccatum vitari ab homine potest, quia nullus est homo qui non habeat auxilium sufficiens, quo vitare peccatum possit, ut multi modò respondent, putantes aliter peccatum imputari non posse. Non utique sic respondet sanctus Pater Augustinus. Cum tamen, si vera esset ista responsio, ipsum latere non posset, cum esset satis pervia, & facillima. Sed ita respondet inter alia: *Peccatum est autem, cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quam debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest præsens voluntas, id facit, si autem non potest præterita voluntas hoc fecit.* Supponit ergo manifestè quod etiam aliquando non potest, & tamen quod ei imputatur peccatum, quia potuit & culpa sua potentiam illam amisit: vel saltem apertè docet hanc fundamentalem rationem illorum, qui ideo dicunt omnibus debere dari auxilium sufficiens; quia aliàs non eis potest imputari peccatum; nullam prorsus esse, & ex consequenti nullam esse sententiam, quæ propter illam defenditur. Cum autem in hoc testimonio, & aliis similibus dicit, peccatum vitari non posse; id intelligit vitari non posse per proximam & sufficientem potentiam, quam habeat homo in seipso, cum in se non habeat auxilium sufficiens, ex quo habetur ista proxima potentia in homine. Non tamen negat quod per divinam potentiam, quæ potest ei dare auxilium sufficiens, non possit peccatum absolutè & simpliciter evitari, prout in superioribus dedimus manifestum.

180 Insuper, quod in istis locis, & in alio ex *lib. 1. retract.* infrà citando dicit S. Pater Augustinus, quod cogenti cupiditati homo resistere non potest, illi contrarium non est, quod dicit S. Thomas *quæst. 24. de verit. art. 12. ad 12.* ubi ait, quod cupiditas dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest resisti, licet cum difficultate. Augustinus autem *primo retract. citato loco in fine huius capitis* dicit, quod cogente cupiditate homo illi non potest resistere, sed nulla contrarietas in utroque sancto Doctore est. Etenim sanctus Augustinus dicit, quod illi cupiditati non potest homo resistere, per sufficientes vires, & potentiam proximam qua possit resistere, sanctus verò Thomas dicit quod potest cupiditati resistere per potentiam radicalem, remotam, & liberam, id est, habet potentiam liberam qua ei potest resistere. Subdit autem sanctus Doctor; *& tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur*, quia non semper secundùm S. August. adjuvatur, ut possit peccatum vitare.

Itaque procul dubio aperta sententia S. Augu- 181
stini est: quod non omnibus datur supernaturale Dei adiutorium etiam ad vitanda peccata. Vbi etiam illud dicimus observandum, quod quando in hac materia sanctus Pater Augustinus, & nos asserimus, hominem sine auxilio gratiæ vitare peccatum non posse, non intelligitur ista impotentia esse ex defectu libertatis, ita quod ad id libertatem non habeat, hoc enim nec sentimus nec sentire possumus; sed sensus est, quod non potest, id est, non habet sufficientiam solis suis viribus ad id observandum. Aliud enim libertas est, & hanc homo ille habet: Aliud sufficientia, & hanc solis viribus suis non habet, quod alibi magis explicavimus.

Verùm hoc etiam testimonium aliter intelligit 182
supradictus Cardinalis Bellarminus *eodem secundo libro de gratia, & libero arbitrio cap. 8. §. respondeo*, quod scilicet procedat de eo, quod non potest vitari, non absolutè sed ex hypothesi, qua peccatum vitari non potest donante prava cupiditate, licet per Dei gratiam possit vitari, sicut etiam intelligit Augustinus illud Ioan. 12. *Non poterant credere quia Isaias dixit, excæcavit oculos eorum*, dicit enim *tractatu 53. in Ioann.* illos non potuisse credere durante cæcitate mentis, potuisse removere cæcitatem, est clarius dicere, quod in sensu composito, nec illi poterant credere, nec istorum voluntas peccatum evitare, id est durante & supposita cæcitate, & peccato in voluntate fieri non poterat, quod vel illi crederent, vel isti peccatum evitarent, cum impossibilis sit fides cum cæcitate mentis, & evitatio peccati cum mala voluntate, quando nempe urgens tentatio instat. Licet absolutè & in sensu diviso utrique per sufficiens auxilium gratiæ quod habebant, & credere, & evitare peccatum potuissent. Iuxta quam explicationem non convincitur ex illo loco, non habere voluntatem hominis auxilium sufficiens, ut prætendebatur.

Sed etiam explicatio ista ad mentem sancti Pa- 183
tris Augustini non est, quod clarius constat ex relato argumento Celestij, cui sanctus Doctor respondebat: Instabat enim Celestius, ut visum est, quod si est peccatum aliquod quod non possit à voluntate hominis evitari, illud homini à Deo imputari non poterat, cui argumento, si sanctus Pater Augustinus sentiret omnem hominem habere semper auxilium gratiæ sufficiens quo possit omne peccatum vitare, utique responderet, nullum esse peccatum quod homo evitare non possit, per auxilium nempe gratiæ, quod semper ad id evitandum habet homo. Cum ergo dicat, quod si id voluntas evitare non potest, præterita voluntas hoc fecit, utique supponit, & dicit, quod tunc, quando illud evitare voluntas non potest, non habet auxilium sufficiens. Quod & magis declaret subdit, quod *peccatum quodlibet vitari potest, quando voluntas humilis adiuvatur.* Ac si clarius dicat, cum humilis voluntas non adiuvatur, peccatum vitari non potest: bene autem vitari potest cum humilis adiuvatur. Vnde & argumentum, cui sanctus Pater respondebat, & verba ipsa, quibus respondet, satis ostendunt illum docuisse aliquando hominis voluntatem

Digitized by Google

tatem non habere auxilium sufficiens, quo vitare possit peccatum, & sine quo illud vitare non potest, quia nempe nec sufficientes vires habet ad illud vitandum; quo tamen ex sua præcedente culpa privatur. Et hanc esse ipsam sancti Patris Augustini mentem & sententiam testimonium sequens, ex ipso Doctore sancto statim inducendum, id apertiùs manifestat.

Vnde etiam iterum prædicto libro ita refert Celestium arguentem: *Quærendum est, si non potest homo sine peccato esse, cuius culpa est ipsius ne hominis, an cuiuslibet alterius? Si ipsius hominis, quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest?* Cui protinus sanctus Doctor respondet per hæc verba. *Respondetur ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non potest.* Quod igitur homo sine adiutorio gratiæ existens in peccatum infallibiliter cadat, sibi imputatur, quia sua priori voluntate ad hanc necessitatem se coarctavit.

184 Quartum clariùs, & insigne habetur testimonium *libro de dono perseverantiæ cap. 9.* ubi sic legimus. *Ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Quibus apertè docet aliquem impium, vel non ita vocari, ut sequatur, quod est vocari auxilio efficaci; vel non vocari, in quo omne auxilium sufficiens, quo Deus vocare solet, penitus ei dicit negari.

185 Vnde falsa explicatio est quæ dicit sanctum Patrem Augustinum non sentire aliquos esse, qui nullo modo vocentur, sed quod aliquo tempore non vocentur, vel tali specie vocationis, qua absolutè dicit, illos non vocari, non autem quod hoc vel illo tempore non vocentur. Nam illi quos in secundo ordine constituit, qui scilicet non ita vocantur, aliquo tempore etiam non vocantur, nec tali specie vocationis vocantur, qua aliqui vocati convertuntur, contra quos tamen contra ponit illos qui non vocantur ad signandum quod isti nullo modo vocantur. Sed & in hoc ultimo testimonio apertissimè dicit quod homo existens sine Dei adiutorio infallibiliter in peccatum cadit, in quo omne divinum adiutorium illi negat. Quod autem aliqui prætendunt hæc omnia tam aperta sancti Patris Augustini testimonia, & doctrinam in illis traditam retractata esse, *libro 1. retract.* quam sine ulla prorsus apparentia id dicant, infrà in solutionibus argumentorum clariùs ostendemus.

186 Secundum testimonium habetur clarissimum *lib. 1. retract. cap. 15.* ubi sic dicit. *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est; ut sit etiam pœna peccati.* Quid clarius, aut quid manifestius? Ecce apertè dicit, quod qui non possunt resistere cupiditati, quia nempe non habent auxilium sufficiens quo possint, & faciunt contra præceptum ita peccant, quod hoc ipsorum peccatum est etiam pœna peccati.

CAPVT XIII.

Non omnibus infidelibus dari supernaturale sufficiens gratiæ adiutorium ex S. Prospero, & rationibus manifestatur.

SAnctus etiam Prosper ut sancti Patris Augustini fidelissimus discipulus, & doctrinæ illius defensor egregius, Magistrum sequutus nobis extitit doctrinæ huius Magister principalis, qui in multis suæ doctrinæ locis manifestius tradit non omnibus in universum hominibus supernaturale & intimum gratiæ auxilium sufficiens condonari. Primò enim *Prosa de ingratis* hoc latè prosequitur. Cum enim ex Semipelagianorum doctrina sic proposuisset. 187

Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc ascribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteritus studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

Statim contra illam opponens illamque evertens subdit

Iam quia summatim ut potuit sententia vestra
Decursa est: dic unde probes, quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit? nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum
Christi Evangelium, ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.

Dicent fortè qui oppositam tuentur sententiam, 188 hoc testimonio solùm asserere S. Prosperum non dari omnibus hominibus supernaturale auxilium internum immediatè ad credendum, cum aliquibus denegata fuerit Christi Evangelij prædicatio: Non autem asserere eis fuisse negatum auxilium aliud supernaturale intrinsecum sufficiens ad immediatè præcepta naturalia divina servanda, cum hoc non pendeat ex Evangelij prædicatione, sicut illud primum, quod immediatè ad credendum tribuitur.

Sed quod neget omne in universum supernaturale auxilium gratiæ intrinsecum aliquibus fuisse denegatum in aliis locis clarius exposuit, & qualiter in hoc inducto procedat, satis aperuit: id enim constat, & sit secundum pro hac re ex ipso testimonium, *ex libro sententiarum 4.* ubi sic habet. *Qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet, quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus iam omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi Magistris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.* Idem dicit: *responsione 4. ad capita Gallorum*, quibus locis vocationem gratiæ negat, ubi Christi Evangelium non est prædicatum. Cum ergo supernaturale intrinsecum gratiæ auxilium vera Christi gratia sit, veraque gratiæ vocatio, saltem mediate ad fidem, non illam asserit tributam quibus Evangelium Christi non est prædicatum. 189

Quod

Digitized by Google

190 Quod si adhuc prætendatur solùm in hoc testimonio negari vocationem explicitam gratiæ Christi, & immediatum auxilium ad credendum, ex eo quod omnibus negat id esse concessum, quibus negata fuit Evangelij prædicatio, iam constat non omnibus infidelibus negari auxilium supernaturale sufficiens ad servanda naturalia divina præcepta, sed tantùm aliquibus fateor, quod apparenter sic potest responderi.

191 Sed si aliud eiusdem consideretur prolatum in responsione octava, ad eadem capita Gallorum, manifestè constabit omne supernaturale auxilium gratiæ aliquibus ab eo dici negatum. Sic enim incipit. *Si circa vniversitatem generis humani salvandam, & agnitionem veritatis vocandam ita indifferens per omnia secula asserenda est voluntas Dei, ut usquequaque neminem hominem prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur.* Quod & ibi latè probat, explicatque illud, *qui vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et similia alia scripturæ testimonia, quæ universaliter de omnibus procedere videntur, non quod omnibus detur auxilium aliquod gratiæ, sed sub his verbis ea exponit. *Quæ promissiones quia verissima sunt nec possunt ex ulla parte evitare; in his implentur, qui salvi fiunt per universos fines terræ quoniam quod promisit Deus, potens est & facere. Nec enim est illa totius humani generis assumptio, hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo præscita, & prædestinata in Christo ante Constitutionem mundi.* Et tandem concludit. *Omnium ergo hominum cura est Deo, & nemo est quem non aut Evangelij prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat.*

192 Ex quibus tribus sigillatim, & potissimè simul collectis satis claret asserere Sanctum Prosperum aliquibus negari, negatumque fuisse omne supernaturale intrinsecum auxilium gratiæ, quodcumque illud sit. Primò, quia dicit, quòd si dicatur indifferenter in omnibus per omnia sæcula ita se habuisse Dei voluntatem, & neminem sua gratia præterijsse monstretur, pulsatur impenetrabilis Iudiciorum Dei altitudo. Igitur ut non pulsetur, quia talis pulsatio Apostolo contradicit, vt idem sanctus Prosper ibi proposuit, dicendum est non omnibus datum fuisse gratiæ supernaturalis adiutorium per sæcula omnia, sed aliquos tale auxilium internum supernaturalis gratiæ præterijsse. Secundò, quia illud; *Qui vult omnes homines salvos fieri*, & alia universaliter idem proponentia, non de gratiæ supernaturalis auxilio omnibus tributo, quod facillimum erat explicare, sed de illis tantùm qui de facto salvantur, & ad agnitionem veritatis veniunt, interpretatur. Tertiò, quia omnium hominum non decet Deum curam habere, dando eis supernaturale gratiæ auxilium internum, quo possint converti, sed vel eos per Evangelium vocare, vel per legis testificationem, vel saltem per naturam ipsam, ac rationis lumen, quo sufficienter de mundi Creatore illustrantur. Ita ut sint inexcusabiles, si eum non glorificent, vt ex Apostolo dictum est.

193 Præterea *in obiectione prima ad obiectiones Vincentianas* rationem reddens huius veritatis, quod Dominus noster Iesus Christus pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus, & hanc Catholicam veritatem salvans adversùs Semipelagianos, qui doctrinæ sancti Patris Augustini, & illius defensoribus opponebant, quod Dominus noster Jesus Christus non, pro omnium salute, & redemptione passus poneretur, si omnibus per Christum non darentur supernaturalia gratiæ auxilia, quibus salvari possent, non ex eo salvat prædictam veritatem vniversaliter prolatam, quia omnibus de facto data sint semper auxilia supernaturalia intrinseca ad salutem, quibus possent omnes homines si vellent redimi atque saluari: Sed ex eo docet. Illam optimè salvari, quia in se ipsa Christi Domini passio sufficiens sit ad omnium hominum salutem, & redemptionem, licet aliquibus de facto nullo modo sit applicata. Verba illius sunt. *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura erat, & unde omnium concupiscentiarum moribus inolevit; verum & potens ac singulare remedium est unus filij Dei, Domini nostri Iesus Christi, qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus, & debitoribus mortuus est. Quod ergo*, inquit, *ad magnitudinem & potentiam premij, & quod ad unam pertinet causam generis humani sanguis Christi redemptio est totius mundi.* Et iterum post pauca. *Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sunt eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, etiam non vasa diaboli sed membra sunt Christi.* Et tandem subdit. *Poculum quippe immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit sed si non bibitur non medetur.* Ecce semel, secundò, & tertiò clarissimè docet, non ideo dici Dominum nostrum Jesum Christum omnium redemptorem, & pro omnibus hominibus nullo dempto mortuum, quia omnibus in universum nullo dempto tribuit de facto supernaturalia gratiæ auxilia, quibus sibi applicatis possint, si velint, salvari; sed ideo, quia Christi Domini passio in se ipsa, licet omnibus non applicetur, potentiam, virtutem & magnitudinem pretij habet, qua omnes potest saluare. Vnde notanda illa verba sunt inter alia: *habet quidem in se ut omnibus prosit*; qua ratione docet, quod omnium est redemptor atque salvator quoad sufficientiam, non quia omnibus dat de facto, omnibusque applicat sufficientia salutis remedia supernaturalia.

Cum ergo constet sanctum Prosperum asserere, Dominum nostrum Jesum Christum quoad sufficientiam omnium esse salvatorem, & pro omnibus mortuum esse, eò quod potentia, virtus, & magnitudo pretij sanguinis Christi in seipso sit pro omnibus sufficiens, non ex eo quod omnibus de facto applicet supernaturalia salutis remedia sufficientia, manifestè constat ipsum tenuisse atque docuisse non omnibus in universum hominibus dari per Dominum nostrum Jesum Christum sufficientia auxilia supernaturalia gratiæ suæ. Aliàs si hoc sentiret, utique dixisset Dominum nostrum Jesum Christum pro omnibus mortuum fuisse, omniumque verè esse redemptorem, quia omnibus in universum tribuit supernaturalia auxilia gratiæ, quibus, si vellent, possent salvari, quæ esset clara, manifestaque responsio, ostendens aperire quod Dominus noster Jesus Christus, verè est omnium redemptor atque salvator quoad sufficientiam, nec opus esset recurrere ad magnitudinem pretij in se ipso sicut de facto recurrisse Sanctum Prosperum intuemur. 194

Hoc ipsum apertiùs tradit atque confirmat eandem tractans quæstionem, quomodo nempe non omnes vocet Christus Dominus ad gratiam 195

Digitized by Google

suam, cum tamen verè sit omnium salvator atque redemptor quoad sufficientiam, quod semper ut verissimum sanctus Prosper in omni doctrina sua tradit, & præsupponit, dicens, *in fine, responsionis 4. ad capita Gallorum. Postremò respiciantur etiam inter Christianos populos tot millia parvulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt, & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.* Vbi Planè notentur verba illa *& aliquo modo probentur vocati* nullo ergo modo docet nos vocatos, nec efficaciter, nec sufficienter, nec immediatè ad fidem, nec mediatè, nec per auxilium quo immediatè, poterant fidem habere, nec per aliud quo immediatè poterant præcepta servare. Nullo, inquam, modo aliquod auxilium supernaturale eis fuisse applicatum constat, quibus salvari possint. Quo exemplo non omnibus dari supernaturale gratiæ auxilium sufficiens, & si omnium Dominus Noster Iesus Christus verè quoad sufficientiam sit redemptor atque salvator, apertè demonstrat. Idem probaremus facili ratione ex sanctis Fulgentio, atque Hilario, nisi in immensum protraheretur probatio.

Sed & de sancto Fulgentio aliquid breviter
196 dicamus, qui licet non ita expressè ac sanctus Prosper, idem tamen ac ille docuit, ex eisdem fundamentis *in libro de incarnatione & gratia, seu de gratia Domini Nostri Iesu Christi, cap. 7.* ita inquit, *Nos autem incomprehensibilia credentis, & demonstrantis iudicia Dei ex una massa perditionis alios salvari dicimus, alio iusto & occulto judicio derelinqui, ubi derelictos verè auxilio sufficienti privare, quia si illud haberent, nec ita propriè vocaret derelictos:* & ibi respondens ad illud obiectum à Semipelagianis, quod Deus vult omnes homines nullo dempto salvos fieri, ex quo testimonio illi concludebant, nemini auxilium, quo possit salvari, negari, ita respondet, *Alioquin dicant, si possunt ij, qui hoc divinæ iustitiæ & bonitati contrarium affirmant cur, is qui vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozain & Betazaida, & nullam harum in Tyro & Sydone facere voluit, ubi si facta fuissent sicut ipse testatur forsitan in cinere & cilicio pœnitentiam egissent?* Quod verò loquatur de auxilio sufficienti negato, ex eo constat, quod Semi pelagiani, contra quos agebat, dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem contendebant, quod ex illo probabant, *qui vult omnes homines salvos fieri;* dando ipsis auxilium, quo, si ipsi vellent, possent salvari: ergo hoc ipsum eis negat, quos proinde impugnat.

CAPVT XIV.

Infidelibus omnibus non tribui supernaturale sufficiens gratiæ adjutorium ex D. Thoma demonstratur.

PRobatur secundò ex S. Thoma, qui clarius
197 id docet 2.2. q. 2. art. 5. ad 1. ubi illam tractans quæstionem, an homo teneatur ad credendum aliquid explicite, pro contraria partè illud primum opponit argumentum. *Nullus tenetur ad id, quod in eius potestate non est, sed credere aliquid explicitè non est in hominis potestate, quia ad id indiget divino gratiæ auxilio, quod in sua potestate non habet; ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur* ad hoc argumentum ita respondet. *Ad primum dicendum quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præperante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulis fidei sed tamen hoc potest actu auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit lib. de corr. & grat.*

In quo Sancti Thomæ satis clara sententia illius verba expendenda sunt. Ad ostendendum 198
enim se loqui, non solum de auxilio gratiæ, quod datur immediatè ad credendum, de quo principaliter tractabat, sed etiam de illo, quod immediatè ad credendum non tribuitur, sed quod datur ad implenda naturalia mandata divina quæ in natura lapsa solis naturæ viribus impleri non possunt, adhibuit non solùm aliquid de auxilio supernaturali immediatè ad credendum requisito, verum etiam aliquid apposuit de auxilio supernaturali tributo ad diligendum Deum, & proximum, quod est primum Decalogi præceptum, ut sic utrumque simul supernaturale auxilium complecteretur, & illud quòd immediatè ad credendum datur, & quod immediatè disponit ad credendum, ut potè tributum ad naturalia mandata servanda. Et hanc generalem doctrinam negativam de utroque auxilio constituit: quod videlicet neutrum omnibus datur, sed quod sive unum, siue aliud quibuscumque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex iustitia non datur, saltem in pœnam peccati originalis, quando actualia alia non essent: & hanc clariori modo traditam doctrinam docet expressam esse S. Patris Augustini *lib. de corrept. & grat. citat. cap.* 11. & à nobis eodem modo, quo Sanctus Thomas exponit, in loco inducto iam superiùs, explicato. Dubitare ergo minùs poterit, qui ad utriusque Doctoris Sancti verba, & contextum voluerit attendere, utriusque hanc esse conformem doctrinam, quod non solùm auxilium intrinsecum supernaturale, quod immediatè datur ad credendum, non datur omnibus, verum etiam quodcumque aliud supernaturale intrinsecum auxilium sufficiens ad divina naturalia præcepta servanda omnibus non datur, sed aliquibus iustè negatur propter præcedentia peccata; & saltem propter originale.

Deinde S. Thomas *q. 24. de verit. art. 15.*
pro certo habet, quod si habitualis gratia om- 199
nibus datur, illa sit quid naturale, quia ut ait, in nullo videntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali, ipsum *sequenti cap.* inducemus; parique ratione si auxilium sufficiens gratiæ datur omnibus, illud eadem omninò ratione videretur esse aliquid naturale, quod gratiæ auxilio repugnat. Quod magis explicans 1. 2. *q. 111. art. 1. ad 2.* sic habet. *Ad secundum dicendum quod gratia secundum quod gratia datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex debitum, unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cuius est agere meritoria opera, secundùm illud Rom. 4. ei qui operatur merces imputatur secundum debitum, non secundùm gratiam; Aliud est debitum secundùm conditionem naturæ puta si dicamus debitum esse homini quod habeat rationem, & alia, quæ ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quod Deus*

creatura

Digitized by Google

creaturæ obligetur, ſed potiùs in quantùm creatura debet ſubiici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur, quæ quidem eſt, ut talis natura, tales conditiones, vel proprietates habeat; & quod talia operans talia conſequatur. Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent ſecundo debito; ſed dona ſupernaturalia utroque debito carent, & Deo ſpecialiùs ſibi nomen gratiæ vindicavit. Hæc S. Thomas: iuxta cuius expreſſam doctrinam dona ſupernaturalia utroque debito carent; nec enim dantur ex merito hominis, nec Deus ordinatione ſua ſtatuit dare talia ſua ſupernaturalia bona omnibus: ergo nec ordinatione ſua ſtatuit, ut omnibus hominibus detur ſufficiens ſupernaturale auxilium gratiæ; quia ſi hoc ordinavit, ſibi ipſi Deus deberet omnibus talia auxilia dare, & hac ſuppoſita divina ordinatione ad hunc ſenſum talia auxilia ſupernaturalia eſſent naturæ debita, quia talis natura deberet habere talia auxilia ex divina lege, & ordinatione ſic ſtatuente; potiſſimè cum dicatur quod ſi talia auxilia non habeat aliquis, illi peccatum quantumvis peccet imputari non debet. Quibus manifeſtè dicitur, quod ut peccatum poſſit ut debeat homini imputari ipſe debet habere auxilium ſupernaturale quo illud poſſit vitare. Ita ergo ponitur debitum auxilium gratiæ naturæ humanæ ſi ei debet peccatum imputari, ſicut ei ponitur debita riſibilitas ſi ponatur quod ridere debet res ſi ponatur quod rationalis ſit. Cum ergo homini peccanti neceſſe ſit, & debitum quod peccatum imputetur ita neceſſe erit & debitum quod ipſi auxilium gratiæ detur.

200 Adhuc apertius hanc doctrinam tradit S. Thomas 3. *contra gent. cap.* 159. & 160. in capite enim priori ſic opponit. *Cum autem, ſicut ex præmiſſis habetur in finem vltimum aliquis dirigi non poſſit, niſi auxilio divinæ gratiæ ſine qua etiam nullus poteſt habere ea quæ ſunt neceſſaria ad tendendum in finem vltimum, ſicut eſt ſpes, fides, dilectio, & perſeverantia; poteſt alicui videri, quod non ſit homini imputandum, ſi prædictis careat, præcipuè cum auxilium divinæ gratiæ mereri non poſſit, nec ad Deum converti, niſi Deus eum convertat; Nulli enim imputatur quod ab alio dependet.* Quibus verbis totum argumentum quod pro magno eis temporibus opponitur, ipſe ſanctiſſimus Doctor prius & efficacius oppoſuit. Ad quod tamen ita reſpondet. *Ad huius dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrij, divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat,* Et poſt pauca. *Cum hoc ſit in poteſtate arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, Deus enim quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur* 1. ad Timoth. 2. *Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Exponens autem ulteriùs in *cap.* 160. quodnam ſit hoc impedimentum gratiæ quo homo illi ſe opponit, & qui ſint, qui tale impedimentum gratiæ præſtent, ſubdit. *Quod autem dictum eſt, in poteſtate liberi arbitrij eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit; ſi autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erit omnium in poteſtate eius nullum impedimentum gratiæ præſtare.*

201 Ecce manifeſtè docet, quod homo licet nõ poſſit dirigi in finem ultimum, nec ad illum converti niſi per auxilium divinæ gratiæ ſine quo auxilio nec poteſt habere fidem, ſpem, charitatem & perſeverantiam, quibus in vltimum finem de facto dirigitur, nec viribus ſuis poſſit mereri, aut acquirere tale gratiæ auxilium, ut argumentum probat, tamen ſibi imputatur quod prædictis careat, nempe ſpe, fide, charitate, & perſeverantia, & quod ad Deum non convertatur, ex eo quod eis impedimentum præſtat per præcedentem peccati inordinationem. Vnde quod homini meritò imputetur quod peccet, & quod ad Deum non convertatur per fidem, ſpem, charitatem, ac perſeverantiam, quæ habere non poteſt ſine auxilio gratiæ, non redivit S. Thomas in hoc quod omni homini datur tale ſufficiens gratiæ adjutorium, vt ſe poſſit ad Deum convertere, & ei reſiſtit, quæ tamen eſſet facillima reſponſio ad oſtendendum quomodo homini meritò imputatur ad culpam, quod in Deum non convertatur, & qua totaliter vis argumenti facti confringeretur ſed illam S. Thomas non aſſignat, quia verum non reputat quod omnibus in univerſum auxilium gratiæ intrinſecus ſufficiens ad illorum converſionem tribuat: ſed recurrit ad oſtendendum ex alio capite quomodo homini id ad culpam meritò imputatur, quia videlicet ipſe per præcedentem inordinationem peccati ſe indignum conſtituit, & impedimentum gratiæ præſtitit. In cuius peccati pœnam meritò ei negatur auxilium gratiæ, & gratia ipſa iuſtificans, meritóque cætera quæ committit. Vnde ita concludit. S. Thom. in fine cap. 160. *Quavis autem, illi qui in peccato ſunt vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, niſi auxilio gratiæ præueniantur, nihilhominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur.* Per quod etiam omnia ſuperiora, quæ diximus, confirmantur. Vbi illud primò advertendum de auxilio ſufficienti potiſſimè ſermonem facere S. Thomam, quia expreſsè loquitur de auxilio ſine quo nullus poteſt converti. Quod enim aliqui Doctores præfatum teſtimonium interpretantur de negatione ſolius auxilij efficacis nõ verò ſufficientis, infrà in ſolutionibus argumentorũ erit oſtendendum id ad mentẽ S. Thomæ non eſſe: Sed & hic breviter aperitur: quia expreſsè tum hic, tum 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. *cit.* clariùs loquitur de illo auxilio ſine quo quis ad Deum converti non poteſt, quod abſque dubio in ſententia ſanctorum Auguſtini, & Thomæ auxilium ſufficiens eſt: hoc enim eſt ſine quo non poteſt homo converti, & cum quo poteſt, ut ſæpè ex verbis S. Doctoris Auguſt. credimus demonſtratum, & verba nunc relata clarius oſtendunt, cum dicunt quod homines qui in peccato ſunt, per propriam poteſtatem non poſſint vitare quin impedimentum gratiæ ponant ſine auxilio gratiæ quo poſſint vitare peccatum & per conſequens de auxilio ſufficienti.

Advertendum etiam quod de quocumque auxilio ſupernaturali gratiæ, intrinſeco loquatur S. Thomas, & non ſolum de illo quod immediatè datur ad credendum. Quia ſermo eſt de illo ſupernaturali auxilio per quod homo ſe poteſt in ultimum finem convertere quod conſtat eſſe omne intrinſecũ auxiliũ ſupernaturale gratiæ, per quod ſive immediatè ſive mediatè poteſt in Deũ converti. Rursùs illud conſiderandũ, quod cum docet hominem impedimentũ gratiæ præſtare, nõ ſolùm intendit quod gratiæ iuſtificanti impedimentum ponat, ut aliqui interpretantur, licet principaliter hoc intendat; 202

Digitized by Google

sed quod omni gratiæ, & omni gratiæ auxilio per præcedentem peccati deordinationem præstet impedimentum, nisi per ipsum gratiæ auxilium Deus merè gratis impedimentum vincat, tali homini auxilium gratiæ largiendo; quia littera universaliter loquitur, cum dicitur poni per peccatum impedimentum; vnde coarctanda non est ad iustificantem tantùm gratiam. Secundò, quia peccatum non solùm obicem ponit iustificanti gratiæ, quamuis ei magis opponatur, sed etiam indignum hominem reddit ob tale impedimentum, ut à Deo divinitùs adjuvetur, sicut ex S. P. Augustino dictum est suprà. Et tertiò, quia expressè de auxilio gratiæ S. Thomas facit mentionem; quod scilicet nos nec promereri, nec acquirere viribus nostris possumus; nec enim solum id docet de gratia iustificante, quia satis clarum erat illam nostris viribus nos nec mereri, nec acquirere posse: Sed etiam id universaliter de omni auxilio gratiæ, & de omni gratia à S. Thom. affirmatur. Verùm plena hujus loci intelligentia inferiùs in solutionibus argumentorum expendenda erit, ubi declarabitur quod in aliquibus verbis de sola gratia iustificante loquitur S. Doctor in aliis autem de auxilio sufficienti per quod potest homo iustificationi impedimentum non præstare.

203 Illud tertiò considerari debet pro perfecta intelligentia S. Thom. *in cit. cap.* 160. quod, cum docet, quod homo per præcedentem peccati deordinationem non potest vitare propria potestate quin in peccatum cadat, per quod gratiæ impedimentum præstatur, non intendit quod illud peccatum de novo commissum sit solum impedimentum gratiæ, ita quod præcedens impedimentum gratiæ non sit, ut aliquis falsò interpretatur; hoc enim absurdissimum esset, cum præcedens peccatum æquè ac aliud de novo impedimentum gratiæ præstet, ut evidens est: Sed illud primum præcedens peccatum supponendo, quod impedimentum gratiæ præstat, quod erat notissimum, pergit Sanctus Thomas ad ulteriùs ostendendum aliud impedimentum de novo, quod ampliùs necesse est quod peccator præstet ex suppositione deordinationis præcedentis.

204 Advertendum deinde circa Ferrariensem *in Comment. ad utrumque caput*, quod licet priùs asserat omni homini dari auxilium sufficiens gratiæ; *In §. Ad hujus evidentiam*; tamen statim, *In fine illius*, §. Hæc verba habet. *Quod si auxilium illud sine quo homo non potest aliquod bonum agere, & sine quo non potest quis se ad gratiam præparare, non esset omnibus commune, sed alicui deesset, fortassis aliquam haberet apparentiam, si is qui dicto auxilio caret, gratiam non acquirat, quia nulli videtur imputandum, si non habeat quod sine auxilio alterius acquirere non potest, si sibi auxilium illud non adsit.* Sed nec hoc omninò veritatem habet; quia si quis propria voluntate in malum aliquod cadat, à quo per se liberari non potest, si non liberetur non est absque eius imputatione, debebat enim cavere ne in illud malum incideret, à quo sciebat se propria virtute liberari non posse, sicut non est absque imputatione quod aliquis non exeat ex puteo, ex quo non potest exire nisi ab aliquo adjuvetur, quando propria voluntate in illud se dejecit. Homo autem qui peccat propria voluntate cadit, per quod gratia privatur, quam per se acquirere non potest: Ideo meritò sibi imputatur, si gratiam non habeat etiam deficiente sibi divino auxilio ad gratiæ præparationem necessario. Vnde propositio assumpta veritatem habet duntaxat, quando is qui sic privatur, non fuit ob aliquam suam culpam causa talis privationis, ut patebit capite sequenti. Sed si ipse sua culpa fuit huiusmodi carentiæ & privationis causa, falsa est hæc Ferrariensis doctrina. In quibus duo docet primum, illam propositionem assumptam, (scilicet, *Nulli videtur imputandam, si non habeat quod sine auxilio alterius acquirere non potest, si sibi auxilium illud non adsit*) Dicit tantùm, veritatem habere, quando qui sic privatur, non fuit ob culpam suam causa privationis talis; si autem ob culpam suam causa illius fuit, clarè docet prædictam propositionem, falsam esse. Secundò dicit hanc esse Sancti Thomæ sententiam capite sequenti, nimirùm *capite* 160. In quibus duobus vetissimam tradit doctrinam, ita enim est, quod illa est expressa Sancti Thomæ sententia loco citato, ut Ferrara ait, & nos superiùs abundè exposuimus, ac proinde ab omnibus Thomistis tenenda, & defendenda. Quod si aliqui Thomistæ vellent attendere, non utique propter prædictam assumptam nec rectè intellectam, nec benè explicatam, sicut de Sancti Thomæ mente Ferrara exponit, oppositum affirmarent, arbitrantes, quod nisi omnibus detur internum aliquod supernaturale auxilium, sufficiens saltem ad præcepta naturalia implenda, non eis possit imputari peccatum: Cum sit manifestum, quod propter priorem illorum culpam tale auxilium eis denegetur. Ad quorum proinde argumenta clariùs respondendum erit inferiùs in solutionibus argumentorum. Sed in hac parte etiam falsa intelligentia præscindenda est, qua aliqui dicunt Sanctum Thomam loqui solùm in casu quo aliquis sciens, & videns prædictum poni impedimentum gratiæ, illud impedimentum vult apponere non aliter; quod probant exemplo ibi allato à Sancto Thoma de ebrio, cui peccatum factum in ebrietate imputatur, si sciens & videns, quod in ebrietate simile peccatum committit, nihilominus se vult inebriare, & simile est de eo qui mittit Breviarium in flumen, sciens & videns, quod non habet unde aliàs divinum officium valeat recitare. Ista enim limitatio contra mentem & literam Sancti Thomæ est in omnibus inductis locis, & etiam in illo ex *3. contr. Gent. citato*; ut benè ibi Ferrara exponit, nimirum generaliter doctrinam Sancti Thomæ veram esse sine hac adhibita limitatione: quod in solutione ultimi argumenti ostendemus.

CAPVT XV.

Rationibus ostenditur non dari in fidelibus omnibus aliquod auxilium supernaturale gratiæ.

205 SEd & pro Sanctorum Patrum inducta doctrina, ad maiorem veritatis manifestationem rationes instant, quæ illam satis ostendunt. Prima desumitur ex ipsa propria natura auxilij supernaturalis gratiæ divinæ quæ in hunc modum formanda est: Non solùm auxilium gratiæ efficax est vera Christi gratia, sed etiam auxilium sufficiens integrum supernaturale vera gratia Christi est; licet illa multò principalior sit quam *ista*: ergo nec una, nec alia omnibus datur. Antecedens manifestum est: Verum enim auxilium gratiæ dividitur per sufficiens, & efficax, ut infra ex omnium theologorum recepta sententia dicendum erit, quod & modò supponimus: Cuius ratio est, quia non solùm Christus Dominus nobis

Digitized by Google

nobis meruit efficax gratiæ auxilium dandum, ſed etiam illud quod ſufficiens eſt: hoc enim cum datur, non dubium eſt quin ex Chriſti meritis detur. Conſequentia verò probatur, quia de ratione gratiæ eſſe videtur, quòd non omnibus detur, ut vera gratia eſſe oſtendatur, hac enim ratione utitur ſæpe Sanctus Pater Auguſtinus, *ut lib. De dono perſeverantiæ, cap. 12. dando*, inquit, *quibuſdam, quod non merentur profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quòd omnes merentur, oſtendit.* Ecce ad rationem veræ gratiæ docet pertinere, quod non omnibus, ſed aliquibus detur: licet enim de efficaci gratia ibi ſermonem inſtituat; ratio tamen inducta, licet magis principaliter de illa procedat, de omni vera gratia, ut vera & gratuita eſſe monſtretur, ſimiliter currit: ac proinde de omni auxilio ſufficienti interioris gratiæ, quod vera gratia eſt, procedere debet; omnis enim vera gratia in hoc gratia vera eſſe monſtratur, quod aliquibus, non tamen omnibus datur, ut Auguſtinus docet, & diſcurrendo per omnem veram gratiam eſt manifeſtum. Etenim illa prima gratia prædeſtinationis ideo non omnibus datur, ut oſtendat Deus per hoc divitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, ut manifeſtè Paulus pronunciat ad *Rom. 9.* Parique ratione ultima viatoris gratia, nempe illud magnum perſeverantiæ donum, etiam ut vera gratia eſſe monſtretur, non etiam omnibus datur. Idem apparet de habituali gratia, quæ ratione eadem non etiam omnibus datur. Idem prorſus de auxilio efficaci conſtat, nec enim omnibus dari in conceſſo apud omnes eſt, propter rationem eandem. Cum ergo etiam ſufficiens gratia, vel ſufficiens gratiæ auxilium vera gratia ſit ut vera & gratuita eſſe monſtretur, non omnibus dari dicendum eſt.

206 Idem repetit Sanctus Doctor Auguſtinus *libro 2. ad Bonif. cap. 7.* ſic dicens. *Nec beneficium, quod quibuſdam gratis tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eadem maſſa pariter reis juſto ſupplicio condemnatis, quid utrique deberetur, oſtenderet.*

207 In eadem conformitate eſt Sanctus Thomas *locis ſupra inductis*, potiſſimè *quæſtione 24. de veritate citata, art. 15.* Cuius iam verba, ſicut promiſimus, apponimus; quæ ſic ſe habent. *Si autem nec ipſa præparatio ad gratiam ſine aliqua gratia habituali eſſe poteſt, aut illa datur omnibus aut non? ſi omnibus datur, non videtur aliud eſſe quam aliquod naturale donum. Nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire niſi in aliquo naturali.* Per donum autem naturale intelligit donum naturæ debitum: cum loquatur de gratia habituali; quæ in ſubjecto, ſupernaturalis cum ſit; ſi omnibus daretur, eſſet naturale donum, id eſt, donum naturæ debitum, omnes enim homines ſolum conveniunt, vel in donis ſubiecto naturalibus, vel in naturæ debitis quæcumque illa ſint; quod tamen donum naturæ debitum, etiam ſi in ſubſtantia quid ſupernaturale eſſet, vera tamen gratia non eſſet. Ad quæ verba ſi Sancti Thomæ diſcipuli vellent advertere, nec auxilium gratiæ ſufficiens omnibus dari dicerent, nec per Sanctum Doctorem convincerentur: quòd illud non veram gratiam, ſed naturæ debitum donum aſtruerent reipſa.

208 Quod ſi dicatur ſequi ex dictis nec dandum eſſe auxilium ſufficiens gratiæ omnibus, etiamſi nullum in eis peccatum eſſet, vel originale, vel actuale: quia etiam tunc cum omnibus daretur, uera gratia & gratuita non monſtraretur, ut pari ratione convincantur, quod donum eſſet naturæ debitum. Hoc autem eſt contra ſuperiùs dicta: dictum eſt enim, quod primo parenti ex omnibus Angelis, & hominibus iuſtificatis datur auxilium ſufficiens gratiæ: quia in eis nullum invenitur peccatum vel actuale, vel originale, propter quod iuſtè negetur.

Ad hoc neganda ſequela eſt, cum utrobique 209
ſit ratio ſatis diverſa. Ideò enim, ſi poſt peccatum vel actuale, vel ſaltem originale præcedens, auxilium gratiæ ſufficiens omnibus daretur, debitum & non gratuitum donum appareret, vt docent ſancti Patres Auguſtinus & Thomas, quia in miſericordia & gratia illa lex de dando omnibus etiam peccatoribus auxilio gratiæ ſufficienter dari non poſſet; vnde in juſtitia potius fundaretur, & ſic rationem veræ, & gratuitæ gratiæ non haberet. Quod ſic aperitur: qui enim tale auxilium omnibus etiam peccatoribus tribuunt, ideo affirmant, quia aliàs peccatum in quod caderent, eis imputari non poſſet: Vnde cum iuſta imputatione peccatum connexionem neceſſariam habet cum datione illius auxilij, & ex conſequenti ſicut Deus ex ſua juſtitia peccatum peccanti imputat, ita ex eadem ſua juſtitia debet homini tribuere id ſine quo peccatum ej imputare non poteſt, & ſic ex juſtitia Dei eſſet datio talis auxilij: Vnde vera & gratuita gratia non eſſet, ſed tali naturæ ex juſta Dei juſtitia debita. Hoc autem nullatenus ſequitur, ſi omnibus, in quibus nullum peccatum eſt auxilium ſufficiens tribuatur, ſicut tributum fuit primo parenti, & omnibus angelis, & omnibus hominibus in gratia conſtitutis tribuitur: quia tunc, ſicut illos in gratia conſtituere prima gratia omnino gratuita fuit, ita eis dare ſufficientia auxilia gratiæ ad bene operandum, & in illa perſeverandum, conſequenter ad illam primam, ſecunda gratia fuit, in illaque priori fundatur: tunc enim ſibi ipſi merè gratuitò danti primam gratiam, deberet Deus illam ſecundam tribuere; nec illud gratiæ ſufficiens auxilium aliqua ratione eſſet hominis naturæ debitum ſed ex pura & mera illa priori gratia proveniret: ſicut licet omni hominij ultimatè ad gratiam diſpoſito infallibiliter juſtificans gratia detur; non tamen omni homini ſic diſpoſito debita juſtificationis gratia eſt, ſed vera & propria eſt gratuita gratia, quia ipſe Deus, qui merè gratuitò voluit hominem ad Iuſtificantem gratiam diſponere, ſibi ipſi & ordinationi ſuæ, qua ſtatuit, ut homini vltimatè ad gratiam diſpoſito infallibiliter gratia detur; debet ut eidem juſtificantem gratiam infundat: Vnde infuſio juſtificantis gratiæ vera & gratuita gratia monſtratur, quia in priori gratia fundatur, & ad illam ut vera gratia conſequitur: ut ſic dicamus quod priori gratiæ eſt debita iſta ſecunda, ut totum refundatur in ſolam veram, & gratuitam gratiam. Qua ratione tum juſtificans gratia, tum auxilium ſufficiens datum omnibus qui ſine peccato in gratia ſunt conſtituti, vera & propria ac gratuita gratia monſtratur, & nullo modo naturale donum naturæ debitum: ſicut de auxilio gratiæ dato omnibus peccatoribus exiſtentibus in originali vel actuali peccato Sancti Doctores Auguſtinus & Thomas docendo affirmant.

Deinde peccatores omnes inimici Dei ſunt, 210
æterno ſupplicio digniſſimi; quæ ergo ratio poteſt eſſe, ut Deus omnibus ſuis inimicis infallibiliter ſufficientem gratiam tribuat? Vel in quo hæc infallibilitas fundari poteſt? Vel enim fundari debet in aliqua lege quam Deus de hoc fecerit, quæ non

Digitized by Google

poterit ostendi : vel in aliquo merito hominis, vel alio naturæ debito : quorum utrumque peccatori repugnat qui solùm vt puniatur, meretur, non vt à divina gratia adiuvetur. Quoties enim duo infallibiliter adinvicem consequuntur, semper est aliqua proportio vel connaturalitas aliqua inter illa, vt sic adinvicem semper consequantur. Cum ergo nulla, vel proportio, vel connaturalitas possit esse inter naturam sub peccato constitutam, & gratiam ullam supernaturalem & gratuitam, nec dicendum est, quod omnibus peccatoribus & infidelibus infallibiliter sufficiens gratia detur.

211 Dicent sicut dicunt (nec enim habent aliud quod dicant) infallibilitatem, seu legem de danda tali sufficienti gratia fundari in hoc quod si illis non detur, nec eis poterit imputari quod ad Deum non convertantur, vel quodlibet aliud peccatum, quod sine tali auxilio sufficienti vitare non possunt : hoc enim totale fundamentum contrariæ sententiæ est ; ad quod tamen dictum est supra in justitia fundari ; non in misericordia & gratia.

212 Deinde nec tale debuerunt aut potuerunt facere fundamentum, qui in Sancto Patre Augustino & D. Thoma iam superius inductis videre poterunt minimè posse subsistere, nec aliquando à sanctis illis Doctoribus fuisse propositum, vel ad illud recurrisse in hac materia & causa de imputatione peccati homini illi, qui non convertitur, quando tenetur, vel in novum peccatum incidit quod evitare deberet ; quin potius optimè servant prædicti Sancti Doctores verè peccatori vtrumque imputari, licet non habeat auxilium sufficiens quo converti possit ; quia ex sua priori culpa ad talem necessitatem & impotentiam se coarctavit, ut plenius ex illis Sanctis Doctoribus ostensum fuit suprà. Cum ergo aliqui illorum discipuli affirmant, non posse homini peccatori imputari nouum peccatum, nisi ei Deus supernaturale auxilium gratis tribuat, quid aliud faciunt, si attendere volunt quam illis sanctis doctoribus contraria sentire, & rationem justæ imputationis peccatorum, quam illi sancti patres tradiderunt, insufficientem, imò nullam omnino esse contendere ? Imò quod, vellem omnes advertant, sub prætextu veræ imputationis peccati peccatores, in superbiam præcipitant, vt contra Dei omnino gratuitam gratiam elati prætendant, vel Deum illis dare debere auxilium gratiæ, vel eis ad culpam, quod non convertantur, non posse imputare ; quorum utrumque falsum esse constat: si enim, ut iustè Deus possit imputare peccatum, gratiam suam sufficientem dare tenetur, iam gratia hoc titulo peccatori debita erit : iam Deus astringitur ut unum eligat ex duobus, vel peccatori peccatum non imputare, vel illi suam sufficientem gratiam tribuere ; ut ergo verè peccatum imputet, debet gratiam dare, & sic imputatione iusta peccati gratia debita erit: imputandum ergo peccatori peccatum exigit, ut infallibiliter ei gratia illa conferatur ; ergo peccatori verè peccanti, ueréque punitionem merenti debetur infallibiliter gratia sufficiens ; quod si non detur, iustam excusationem habebit peccator de peccatis suis : ad hoc ergo tendit ista doctrina, si penetretur, vel ut iustam habeat peccator de peccatis suis excusationem, vel ut & gratia debita sit, si ei debet peccatum imputari.

213 Imo gravior apparet ista doctrina, quam illa, quæ legem statuit certam de danda sufficienti gratia interna facienti bene quod in se est ex solis naturæ viribus, quæ qualis & quorum fuerit, declaratum manet superiùs. Nam illa tenet quod quoties homo fecerit bonum quod in se est ex solis naturæ viribus, & infallibiliter gratia sufficiens tribuitur, ut id faciat prout ad salutem oportet ; hæc autem asserit quod quoties peccator voluerit peccare demeritoriè & culpabiliter, ex certa lege debet & infallibiliter sufficiens gratia dari, ut sic culpabiliter & demeritoriè peccare possit, quia alias demeritoriè non peccabit.

Præterea non video, quomodo ista doctrina 214
cum sua fundamentali ratione, non illa in terminis sit quæ ab his quos, Sanctus Pater Augustinus refert *lib. de corr. & gratia capite* 4. & 5. sub his verbis proponebatur. *Quomodo meo vitio non habetur, quòd non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino alius, unde tale ac tantum munus habeatur ?* & rursus. *Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur ? Quid facimus qui non accepimus ;* sic modò proponitur: quomodo meo vitio peccatum committo, qui non accepi auxilium, quo posset peccatum vitare, & sine quo vitare non possum? Cur corripimur, arguimur, dicent peccatores, reprehendimur, accusamur, nobis peccata imputantur, quid facimus quid iustè meremur, quod non accepimus auxilium, quo converti, at non peccare possemus, & sine quo non possumus non peccare. Quibus proinde cum Sancto Doctore *ibid. cap.* 6. respondemus : *Qui hæc dicunt, extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo ; quia utique ipsa obedientia munus eius est ; quæ necesse est ut insit ei cui charitas inest, quæ sine dubio ex Deo est, & dat eam pater filiis suis,* & iterum cap. 5. *Quicumque Dei præcepta iam tibi nota non facis & corripi non vis, etiam propterea corripiendus & quia corripi non vis, tuum quippe vitium est, quod malus es : tuum vitium est, quod tibi iustissimè peccatum imputetur cum tibi nota præcepta non facis.* Quod testimonium cum aliis eiusdem Sancti Doctoris supra *part. 1. tract. 6.* explicatum est. Concludamus ergo cum ratione ista, illud nempe fundamentum prætendentium non iustè posse peccatori peccatum imputari, nisi ei detur auxilium gratiæ internæ sufficiens, primò contra doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ procedere ; secundò excusationem præbere peccantibus, ut adversus Dei gratiam excusationem prætendant de peccatis suis. Tertiò sub prætextu iusto peccati imputationis peccatori demeritoriè peccanti gratiam sufficientem debitam ponit : ac quartò eandem esse quærimoniam, quæ olim ab illis publicata est, quos Sanctus Pater Augustinus refert, & impugnat *lib. de corr. & grat. cap.* 4. 5. *ac* 6. *cum sequentibus,* usque ad 11. inclusivè.

Tertiò illud argumentum de parvulis nunquam 215
à Pelagianis, aut semipelagianis solutum, quo semper de ipsis & eorum prava sententia S. P. Augustinus, & alij Sancti defensores gratiæ Christi triumpharunt, veritatis huius est efficax fundamentum : manifestum est enim parvulis, qui vel in uteris maternis, vel qui iam in istam lucem venerunt, & sine baptismo mortui sunt, nullum omnino sufficiens auxilium fuisse applicatum, per quod possent salvari. Dico ipsi applicatum nullum tale auxilium fuisse, quia pro omnibus etiam pro ipsis à Christo institutum fuit, quod per ecclesiam eis potuit applicari, & de facto applicaretur, nisi aliud ordinassent divina iudicia, utique iustissima. Cum ergo parvuli illi qui sic pereunt, ad illam universitatem pertineant,

Digitized by Google

pertineant, de qua dictum est, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad alias similes scripturæ universales locutiones, ex quibus solet ab aliquibus deduci, omnibus dari auxilium sufficiens, ut hac ratione tales universales locutiones verificentur, satis convincitur ex vi illorum non inferri omnibus talia auxilia sufficientia dari, sed aliquibus iustè in pœnam præcedentis peccati saltem originalis negari, quod sine ulla dubietate manifestatur in prædictis parvulis. Responsiones enim quibus eludere hoc convincens argumentum conati sunt Pelagiani, quæ nec sunt recensendæ, efficaciter excluduntur à sancto Patre Augustino *libro 4. contra Iulianum cap.* 8. *epist.* 107. *de prædest. SS. cap.* 12.

216 Quod si dicatur diversam rationem de parvulis esse, ac de adultis; quia parvuli, nec præcepto tenentur in Deum converti, nec peccatum possunt committere, ut pro præceptis implendis, vel peccatis vitandis auxilium eis sufficiens sit tribuendum, quo possint vel illa implere, vel ista vitare; sicut ea servare, atque vitare adulti tenentur, ac propterea argumento concedat, non dari omnibus parvulis auxilium sufficiens quo possint salvari, dari autem adultis omnibus ob diversitatem signatam; si inquam, sic respondeant, ut respondere tenentur, omissis solutionibus aliis, quæ ab antiquioribus, sive Pelagianis datæ sunt, de quibus sanctus Pater Augustinus *locis citatis:* Ad hoc eis & nos respondemus, nec hanc solutionem, quæ ex prædicta diversitate procedit, multum ab illa quæ ab antiquioribus illis tradebatur, distare. Cum enim pariter & illi hoc argumento deprimerentur, quod gratia Dei non datur eis qui eam volunt recipere quasi pro meritis voluntatis eorum; nec negatur eis solum, qui eam nolunt accipere quasi pro demeritis suis, quod apertè convincebatur in parvulis, quibus nihil volentibus gratia datur, & nihil nolentibus justè denegatur, inter alias frivolas & erroneas solutiones à sancto Patre Augustino *ubi suprà* expugnatas, tandem ad hanc confugiebant, ut de illis sanctus Hilarius, sancto Doctori Augustino ita referat: *Parvulorum autem causam ad exemplum maiorum non patiuntur adferri.* Quare autem id non patiebantur adferri, nisi quia dicebant rationem esse diversam; quia cum parvuli nullum possent habere actum, quo vel gratiam peterent, aut desiderarent, aut eam vellent respuere, non exigebatur ab eis similis actus ut gratia daretur, vel eis negaretur; bene tamen exigebatur ab adultis cum similes actus possint habere.

217 Sed hanc inspectam solutionem, sanctus Augustinus hoc modo reiecit *libro de dono perseverantiæ cap.* 11. *Cur autem causam parvulorum ad exemplum maiorum, sicut scribitis, non patiuntur adferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes esse in condemnationem?* Sic pariter & nos nunc respondemus, cur causam parvulorum ad exemplum maiorum non patiuntur adferri Doctores, qui incunctanter in illis admittunt peccatum originale? Etenim, sicut ex eo quod in illis agnoscebatur (saltem secundùm vocem) à Semipelagianis peccatum originale, quod negare non audebant (licet reipsa nec illud verè admiserint, ut in primo libro dictum est copiosiùs) concludit S. Pater Augustinus, quòd optimè causa parvulorum adducebatur ad exemplum maiorum; quia sicut parvulis æqualiter existentibus in originali peccato aliquibus iustè negabatur gratia propter illud, quod Deus iustè volebat in eis punire; aliis autem in æquali damnatione gratis omnino dabatur sine aliquo illorum merito, ita & maioribus in peccato suo originali & actuali, sive actuali solùm existentibus, quibusdam negabatur iustè gratia ob peccata talia, quæ Deus punire volebat, aliis autem misericorditer dabatur, non propter aliquem actum quo eam mererentur, cum in peccato existerent, & solùm pœna digni essent, & hanc solam mererentur, ita & nunc ratione prorsus eadem admittere debent, causam parvulorum ad exemplū maiorum posse & debere afferri: Nec quantùm ad hoc quod detur, vel non detur omnibus auxilium sufficiens, rationem esse diversam, quia sicut parvulis quibus sufficiens auxilium negatur, nec eis applicatur, iustè negatur ob peccatum originale, in quo astricti tenentur: ita & maioribus quibus negatur, iustè etiam negatur propter peccatum, vel originale, & actuale simul, vel propter actuale tantùm, quod in illis punire vult divina iustitia, permittendo quod in aliud cadant, nec ad id tribuens auxilium, quo ipsum possent vitare. Imò in maioribus plus impedimenti est respectu gratiæ dandæ, quam in parvulis, ut maiori cum iustitia eis omnem suam gratiam Deus possit denegare, cum ipsi graviora, & plura peccata habeant actualia, quam parvuli, qui nullum actuale commiserunt.

Præterea & illud argumentum, quando alia 218
deessent, pro hac veritate satis deberet sufficere, quod ex necessitate orationis desumitur: quo etiam semper sanctus Pater Augustinus inimicos gratiæ debellavit, & pro hac causa quam tractamus, nimis urget. Si enim omnibus in universum datur auxilium sufficiens, nec esset necesse illud à Domino per orationem postulare. Quis autem dicat non esse à Deo petendum auxilium, quo præcepta servare possimus, & peccata vitare; itaque non solum orandum est ut Deus nobis auxilium tribuat efficax, quo de facto præcepta servemus, peccataque vitemus, quamvis hoc præcipuè à Deo per orationem petendum sit: sed etiam ab eo petere debemus, ut nobis auxilium gratiæ tribuat, quo & præcepta possimus servare, & vitare peccata, quod nullus negabit: quia in Concilio Tridentino *sess. 6. cap.* 11. dicitur. *Deus impossibilia non iubet sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Igitur petendum est à Deo adiutorium, ut possimus divina implere mandata, & petendum est id quod non possumus ex nobis solis efficere. Imò hoc argumento ex orationibus sumpto potissimè convicti per Pontifices Summos Concilia, & sanctos Patres Pelagiani priores omnes & posteriores fuerunt, quod cum humana natura per se solam non possit divina implere mandata, à Deo petere debebat adiutorium quo id efficere posset. Sequela autem probatur, quia quod infallibiliter omnibus datur, nec necesse est ut petatur: si enim infallibiliter datur omnibus, omnes illud habent: quid ergo illud à Deo petunt, cum illud habeant, quod enim quis iam habet, ut quid ab alio petit. Prorsus, ut docet sanctus Augustinus frequenter irrisoria illa petitio est, qua quis ab alio petit quod jam habet, vel quod in sua retinet potestate: hac enim ratione contra Pelagianos omnes, qui dicebant infallibiliter dari auxilium gratiæ facienti quod in se est. Concluſum per sanctos Patres fuit tolli necessitatem orandi, & illud auxilium à Deo postulandi, quia in sua potestate illud habebat homo, faciendo quod in se est. Parique ratione convicti sunt; quod si gratiam suo bono usu efficiunt efficacem, efficax auxilium à Deo petendum non est, quia illud habent homines in

potestate

Digitized by Google

potestate sua, & idem de dono perseverantiæ conclusum est, quod si nos ex nobis gratiam facimus nobiscum perseverare, perseverantia à Deo petenda non est, cum illam in nostra habeamus potestate. Et eodem modo etiam firmatum per Sanctos Patres fuit, quod si homo ex se sufficiens est, sufficientesque vires habet, quibus potest, & peccata vitare, & omnia mandata servare, etiam auxilium à Deo petendum non est: ergo ratione prorsus eâdem si homines omnes habent sibi à Deo datum auxilium sufficiens, quo possint omnia divina mandata implere, & vitare peccata, nec necesse habebunt ob eandem rationem, illud à Domino orando petere, quod est totaliter necessitatem orationis auferre circa petendum auxilium sufficiens. Vnde illa verba notanda S. P. Augustini sunt *lib. de natur. & grat. contra Pelag. cap.* 53. ubi ait: *Fideles enim orantes dicunt; ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant?* Si, inquam, adest omnibus hominibus possibilitas, à Deo illis infallibiliter concessa, ad vitanda peccata, & præcepta servanda, ut quid orant?

219 Dicent fortè, quod cum auxilium tale non detur semper, sed pro loco & tempore, semper est à Deo petendum. Ad quod tamen facilis responsio est, quod nempe cum ipsi dicam, tempore quo currit præceptum implendi aliquod mandatum, semper à Deo dari omnibus hominibus auxilium sufficiens, manifestè convincitur, quod sub illo tempore constitutus homo non habeat necesse illud auxilium postulare; imò absolute & simpliciter illud ei necesse non erit: quia non tenetur pro semper in præceptis affirmativis: vnde nec absolutè necesse habet adiutorium pro semper, sed pro tempore quo currit præceptum. In negativis autem præceptis, sicut pro semper tenetur: ita ei pro semper erit dandum, vel saltem paratum erit auxilium, ut dicunt, quare nec pro illo habendo necesse erit orare, ut priùs ostensum est.

220 Sed opponunt, quod in Concilio Tridentino, tria sunt testimonia, in quibus non obscurè significatur omnibus dari sufficiens auxilium. Primus locus est *sessione 6. capite* 5. vbi dicitur, *exordium iustificationis, sumendum à Dei per Christum Iesum gratia præveniente, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem & adiuvantem gratiam disponantur:* vbi absolutè, & indefinitè dicitur, adultos gratia proveniente vocari: quod oportet universaliter de omnibus adultis intelligi: primò, quia ibi sermo est de gratia ad salutem necessaria, quæ autem necessaria ad salutem est, omnibus per Christum datur, cum pro omnibus Christus sit mortuus: & omnes quoad sufficientiam redemeri *secundò*, nam ratio, quæ ibi à concilio redditur, scilicet, *ut qui per peccata à Deo aversi erant:* ad omnes adultos peccatores æquè pertinet: quia omnes sunt a Deo per peccata aversi. *Tertiò* quoniam in fine etiam capitis declarat, eam gratiam dari his adultis, qui admonentur per scripturam Sanctam: constat autem, scripturæ sententias, quas ibi concilium adducit; æquè ad omnes adultos peccatores pertinere.

221 Secundus Concilij locus inducitur *eâdem sessione 6. cap.* 14. vbi dicitur, quod *qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt; cum excitante Deo, per pœnitentia Sacramentum meritò Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Quo in loco non intendit docere, eos qui divinum auxilium sufficiens ad recuperandam gratiam habuerunt, posse per illud eam recuperare: de hoc enim à nemine vmquam dubitari potuit, sed docere vult omnes absolutè id posse cum auxilio divino omnibus parato, id quod Calvinus, Lutherus, & alij sectarij negarunt.

Tertius locus inducitur *eâdem sess. canone* 29. 222
ubi definitur: si quis dixerit eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, anathema sit. Quod similiter est intelligendum, nempe, omnes posse per gratiam Dei sufficientem ad id paratam.

Cæterum nimis extortè ad hunc finem Concilij 223
prædicta verba citantur. Nam in primo loco, manifestè loquitur de gratia, non solùm sufficienti sive excitante; sed etiam de præveniente adjuvante, quæ adiuvat ut homo de facto consentiat, & consentire facit. Vnde loquitur de gratia efficaci, quæ de facto efficaci iustificationis exordium, & cui de facto homo consentiendo cooperatur; ut aperta sunt verba; Concilij hæc autem gratia omnibus non datur. Et hanc esse Concilij mentem, & doctrinam *infra hoc libro* copiosè expilcaturi sumus; ut in primo nostro libro satis explicuimus.

Vnde deficit illa prima ratio, quia Concilium 224
non loquitur de gratia sufficienti tantùm; seu de gratia quomodolibet ad salutem necessaria, sed de gratia ita necessaria ad salutem quod de facto salugem efficit. Similiter deficit ratio secunda: quia non pertinet ad omnes adultos peccatores, ut qui per peccata à Deo aversi sunt, de facto & cum effectu per gratiam convertantur, & Deo excitanti infallibiliter assensum præbeant cooperando. Et eodem modo tertia deficit, quæ non considerat, quod licet omnes suæ libertatis admoneantur in scriptura divina, omnibusque dicatur, *Convertimini ad me*, non omnes tamen respondent, *Converte nos domine ad te & convertemur:* nec omnes fatentur se illa gratia præveniri, qua de facto à Deo convertuntur: quod tamen Concilij aperta verba declarant.

Ad secundum testimonium dicendum, docere 225
ibi Concilium peccatores omnes qui recedunt ab accepta iustitia posse iterum per pœnitentiam eam recuperare: quod contra Lutherum, & Calvinum ibi docet & in *Canone relato 3. loco* definit. Docet autem modum, quo sic eam possunt recuperare, scilicet per pœnitentiæ sacramentum: non autem dicit, quod omnibus tale remedium de facto conferatur: quia ut salvetur, quod recuperare possunt iustitiam, non est necesse quod de facto habeant auxilium sufficiens; sibi datum; sed quod ex Dei misericordia illud habere possint, prout magis clare in solutione argumentorum ostendemus, & in superioribus satis manet explicatum in *capite 9. huius tract.* Vnde sine fundamento Concilium in illis locis ad hoc suadendum inducitur. Sed nec in aliis à pricipio oppositis *cap.* 6. ut ex solutionibus fiat manifestum, quæ adhibentur infra *cap.* 16.

Minùs etiam obstat quod opponitur ex Con- 226
cilio Arausicano 2. *Canone* 25. illis verbis: *Gratiam etiam post adventum Domini omnibus, qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed in Christi novimus, & credimus largitate conferri.* Ex quibus sic inferunt, verba illa, *In Christi largitate*, omnino indicant ita gratiam prævenientem dari his qui baptizari desiderant, ut etiam omnibus omnino detur modo aliquo, qui satis sit, ut pervenire queant ad desiderium baptismi.

Verùm

Digitized by Google

Verùm iſta expoſitio ferè contra litteram procedit in Canone enim illo ſolùm habetur, quod omnes qui baptiſari deſiderant, hoc pium & ſanctum deſiderium non ex libero habeant arbitrio, ſed ex Chriſti domini gratia, & largitate. Vnde ſicut omnes in univerſum homines non deſiderant baptiſari, ita nec omnibus in univerſum hæc gratia confertur. Plana eſt ſine dubio Concilij in iſto Canone mens, & ſententia clarioribus verbis expoſita.

CAPVT XVI.

Excæcatis, & obduratis omnibus non eſt neceſſe dicere, quod detur auxilium ſupernaturale intrinſecum, quo poſſint converti.

227 NOn ſolùm autem nõ datur infidelibus omnibus, ut dictum eſt, ſupernaturale intrinſecum divinæ gratiæ adiutorium, quo poſſint ad Deum converti & Divina ſervare mandata, peccataque vitare; verùm & fidelibus aliquibus magnis tamen peccatoribus, utpotè excæcatis & obduratis, tale divinum ſufficiens adiutorium juſtè pro peccatis denegatur. Quod non obſcurè videtur ex divina colligi ſcriptura, adiuncta interpretatione Sanctorum Patrum. Primò id inſinuari videtur in illo Hierem. 51. *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & abeamus unuſquiſque in terram ſuam.* Vbi ſub nomine Babilonis in ſenſu ſpirituali ſancti Patres peccatores obduratos intelligunt, de quibus ſancti Angeli qui illorum curam habent, adinvicem prædicta verba loquuntur, quibus teſtantur ſe derelinquere obduratos peccatores, quia curationi reſtiterunt. Quamuis enim ſenſus unus ſit has voces eſſe Sanctorum Angelorum, qui in morte peccatoris, cum nempe peccator in peccatis moritur, illum deſerunt; ut ſanctus Thomas aliquando interpretatur; tamen non ſolùm hic ſenſus eſt illorum verborum, ſed etiam quod derelinquant aliquando ſancti Angeli obduratos maximos peccatores, eo quod ſæpè curationi reſtiterunt; ad modum quo ſolent medici deſperatos infirmos, quibus multa medicamenta adhibuerunt, nec profecerunt, derelinquere. Scio ſanctum Thomam vbique in interpretatione huius teſtimonij docere; Sanctos Angelos non totaliter illos deſerere, etiam peccatores maximos, quorum habent cuſtodiam; ſed id ita intelligendum eſſe, quod à tota cuſtodia non ſubtrahuntur; quin aliquam providentiam, circa illos habeant, ſaltem in cuſtodia corporis; ſicut etiam Deus ab eis non totaliter ſuam ſubtrahit generalem providentiam, ſecundùm naturæ curſum. Nam quod ſupernaturalia auxilia gratiæ eis ſubtrahantur, quæ ſupernaturalia auxilia ſignificantur per ſubſtractionem Angelorum; docet Gloſſa ordinaria quæ eſt ſancti Hieronymi ad illum locum. *Vide*, inquit, *ne quando Angelis precipiat Deus languenti animæ tuæ medicamina conficere, ſi quo modo poſſit ſanari, & reſpondeant ei, curavimus Babylonem & oſtendentes animam tuam paſſione confuſam, & non eſt ſanata, non ſcientiam artis, nec vim reſinæ criminantur, ſed te qui noluiſti eis obedire. Sunt medici, ſub magno medico Angeli Dei volentes animas noſtras à vitiis curare: quos ipſi repellimus, dum conſiliis eorum non acquieſcimus, qui videntes ſe perdere operam adinvicem dicunt, relinquamus eam. Et tradita eſt nobis medicina à Deo ut animam curemus humanam; adiutoria & medicamina adhibuimus, contumax eſt, non vult obſervare quod dicimus; ſtudium noſtrum non ſequitur effectus; abeamus unuſquiſque in terram ſuam, id eſt ad domeſticum & proximum negotium cave nequando relinquat te medicus, vel Angelus Dei, vel cui credita eſt cura ſermonis ad medicamina ſalutis: ſi enim dereliquerint te, & dixerint, abeamus vnuſquiſque in terram ſuam, quia appropinquavit in cœlum iudicium eius, patet quod abſceſſio medici condemnatio tua ſit, ut irremediabilis nolentiſque curari. Accidet ergo tibi quod accidit his, qui deſperantur à medicis, & utentes voluptate morbi ad pejora merguntur. Sæpè prudens medicus accedit ad languentem, & quantùm ars patitur, & induſtria medicinæ non ceſſat? Sed ſi egritudo tanta ſit ut repugnet curationi, aut ager per impatientiam doloris contra faciat quod iubetur; relinquit eum deſperans medicus, ne expiret inter manus eius, & mortis videatur reus: Ne ergo inter Sanctorum Angelorum manus moriamur, relinquunt nos deſperantes, & dicentes, non eſt malagma imponere, nec oleum, nec alligaturam quia appropinquavit judicium eius cælo elevavit uſque ad aſtra.* Ex quibus conſtat ſanctum Hieronymum aſſerere magnis peccatoribus in peccatis obduratis, quibus ſæpè medicamento ſubventum eſt, quo poterant ſanari, idem medicamentum ſubtrahi; quod ex duobus expreſſis in citatis verbis, convinci videtur; primò quia refert Angelos medicos ſub ſupremo medico Deo adinvicem dicere: tradita eſt nobis medicina à Deo ut animam curemus: adiutoria & medicamina adhibuimus, ſed quia non vult ſanari, relinquamus eam: Conſtat enim hæc adjutoria & hanc medicinam eſſe bonas inſpirationes, mediis quibus Deus ſufficienter animam medetur ut reſurgere poſſit; ſed quia ipſa contumax eſt à Deo relinquitur; id eſt, eadem ſufficientia medicamenta & adjutoria eidem denegantur. Secundò id oſtendit ſubiunctum exemplum de medico corporali, qui poſt multam adhibitam medicinam ſufficientem ſecundùm ſe ad curandum videns infirmitatem reſiſtentem, infirmum deſperatum deſerit, nullo modo aliam medicinam ei miniſtrando. Cùm igitur ſic faciat ſpiritualis medicus; ſentit ſanctus Hieronymus, quod poſt multa tradita ſufficientia auxilia, quibus ſanari poterat anima, videns obſtinatam infirmitatem reſiſtentem, ſicut deſperatum infirmum, derelinquit, & eidem nullum aliud ſupernaturale adhibet medicamentum. Planè non dubito quin ſententia ſancti Hieronymi ſit in hac parte; Deum aliquando obſtinatis peccatoribus adiutoria ſufficientia, quibus curari poſſent ſubtrahere propter obſtinationem illorum.

228 Secundò id ex alio ſcripturæ teſtimonio cum interpretatione SS. Patrum deduci videtur, illo videlicet, quod habetur: *Iſaiæ 5. cap.* vbi dominus per prophetam contra domum Iſrael, nomine vineæ ibi ad litteram ſignificatam, & ſpiritualiter adverſus peccatricem animam, quæ plurimis divinis beneficiis in eam collatis per obſtinationem ſe reddit ingratam, ita minatur. *Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam materiam eius, & erit in conculcationem: & ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Quæ omnia impleta ſunt & quotidie, in Iudaico populo patenter implentur, cum antiqua illa Dei vinea penitus deſerta ſit, ſine re-

Digitized by Google

ge, sine sacerdote, sine templo, sine sacrificio, sine prophetis, sine prædicatoribus, sine Deo, in perpetuam infamiam, desolationem, & conculcationem plenam peccatis, sacrilegiis, blasphemiis & abominationibus propter Atrocem illius perfidiam, qua dominum crucifixerunt, hunc enim esse illius loci litteralem sensum omnes S. Patres interpretantur, & Dominus ipse in parabola de eadem vinea apud Matthæum clarius expressit.

229 Sed iidem interpretes Sancti in spirituali sensu de peccatrici anima, quæ semper divinis adiutoriis receptis obstinatè restitit, prædictum testimonium intelligunt, Glossa ordinaria ibi: S. Hieronymus; S. Cyrillus, S. Thomas, & alij S. Patres. S. enim Hieronymus ad illum locum inter alia ita habet: *Tollitur autem Dei auxilium ab iis qui indigni sunt, ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.* Quod autem potest esse hoc auxilium, quod tollitur ab indignis, nisi illud quod eis dabatur, & quo per resistentiam se indignos reddiderunt; quod plane nullum est aliud, nisi illud quod dici solet sufficiens.

230 Apertiùs S. Cyrillus super eadem verba inquit: *Nam Christo nos obmuniente, & arcano adminiculo ceu materia tantùm nos cingente obvij, & expositi non erimus, nec immundorum spirituum incursioni, nec direptioni ferarum agrestium obiecti, nec lustris ac delicijs vulpibus.* Et post pauca. *At si Deus nos iniuriam facere volentes relinquat; & cura superna nudet & destituat, in omnium malorum discrimen veniemus; & quivis nos ac bona nostra facilè invadet.* Et iterum ibi: *Et non putabitur, & non fodietur, id est nullæ ei cura impendetur, quæ eam possit Corrigere & in melius reducere.* Ecce aperte docet ei negari supernaturalem curam, quæ possit eam corrigere; quod semel & iterum asserit: hæc autem supernaturalis cura potens eam corrigere manifestè est supernaturale gratiæ adiutorium, quo corrigi possit peccator, quod est sufficiens auxilium, ut dictum est.

231 Sanctus etiam Thomas ad illum locum sic habet. *Auferam sepem eius, id est auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebantur: est etiam custodia Prælatorum, & quantum ad hoc dicit dirutam materiem eius, id est præsidia, regni de quibus suprà: Secundò aufert beneficium quod pertinet ad cultus diligentiam: unde dicit, & ponam eam desertam, id est, relinquam eam incultam sicut desertum. Non putabitur admonitionis, aut correctionis vomere, quando peccat, &c.* Non potuit propheta, clarius explicare destitutionem divinorum supernaturalium auxiliorum, quam dicendo ponendam vineam incultam ut desertum. Sicut enim destituitur omni diligentia, ita vineam ut desertum ponendam penitus incultam, & omni supernaturali diligentia, & divino auxilio deserendam propheta testatur, quod apertioribus verbis S. Thomas exposuit. Si enim ei Deus daret auxilia sufficientia supernaturalia, quibus posset converti, procul dubio non deserta esset sicut desertum. Non etiam careret monitionis, & correctionis vomere. Nam supernaturale Dei adiutorium admonet, & corripit peccatorem, ut est apertissimum. Sentit ergo S. Thomas, quod talis vinea omni supernaturali agricultura, & auxilio privatur propter præcedentia sua multa peccata.

232 Tertium testimonium quod etiam hoc attestari videtur, illud est, quod habetur Eccles. septimo. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Quod nec intelligitur prolatũ de omnibus peccatoribus: imò nec de omnibus reprobis; quamvis enim reprobi omnes generali quadam ratione à Deo despecti sint, tamen nomine peccatorum non solent omnes illi intelligi: sicut nec omnes intelliguntur nomine excæcatorum, & obduratorum: sed illi sub eis nominibus tantùm comprehenduntur, qui ob multa & gravia peccata per substractionem auxiliorum & permissionem tentationum in desideria cordis sui *traditi* dicuntur; qui proinde vocantur despecti & derelicti, adeo ut à nemine corrigi possint: quia videlicet privantur interiùs divino supernaturali auxilio, quo corrigi valeant, & ob id à nemine corrigi possint. Quod si tales despecti haberent internum supernaturale auxilium, vtique medio illo, adhibita correctione extrinsecùs, corrigi possent. Videtur itaque in hoc testimonio significari nullam potentiam esse in homine ad corrigendum despectum à Deo, ex eo quod ita despicitur, ut ei supernaturale auxilium, quo possit correctioni obedire subtrahatur.

Ratio etiam id suadere videtur, certum est 233
namque dari peccatores aliquos, qui in profundum peccatorum venientes conteinnunt; qui propterea dicuntur, & sunt excæcati & indurati. At excæcatio, & induratio in hoc consistere videtur, quod privetur homo supernaturali lumine ex parte intellectus, & auxilio gratiæ ex parte voluntatis; quibus substractis in pœnam præcedentium multorum peccatorum excæcatur, & induratur. Si autem privatur illuminatione ex parte intellectus, privatus apparet auxilio supernaturali ipsum potente illuminare: nam si illud habet, cum possit ab eo illuminari, non ita propriè dicendus videtur excæcatus. Similiter si ex parte voluntatis habet sufficiens supernaturale auxilium potens ipsum emollire, nec ita propriè dicetur obduratus. Fateor hoc argumentum non convincere, negari omnibus excæcatis, atque induratis auxilium gratiæ sufficiens.

Aliqui enim dicunt huic argumento sufficien- 234
ter posse responderi, sufficere ut propriè quis dicatur excæcatus & obduratus, quod gratia iustificante, & auxilio efficaci privetur, etiam si habeat sufficiens, quia etiam hoc habito, si illud deficiat, homo excæcatur, & obduratur, ut colligi videtur ex sancto Thoma 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 3. Et etiam quia Iudæi, qui excæcati fuerant, & maximè obdurati, sufficiens auxilium habuerunt ad cognoscendum Christum, & in ipsum credendum, cum Christus ipse prædicabat, ut in superioribus dictum est. Quæ responsio quantùm attinet ad Iudæos vera est; non tamen omnes qui efficaci auxilio carent dicendi sunt propriè excæcati, & indurati, sed maximi quidam peccatores qui gravissima peccata continuo committunt, & quibus speciali modo auxilium efficax denegatur: ita quod ad rationem excæcationis & obdurationis, nec requiritur quod omninò quis privetur omni auxilio, etiam sufficienti, nec sat est, quod quomodolibet auxilio efficaci careat, sed requiritur quod tali modo careat auxilio efficaci, quod permittitur in multa, magnaque peccata continuò cadere. Dupliciter ergo fit excæcatio & obduratio, in aliquibus fit excæcatio, & obdurtio per denegationem omnis auxilij efficacis, quo denegato præceps ruit homo in maxima, & gravissima peccata sic fuerunt Iudæi obcœcati, & obdurati, etiamsi habuerint auxilium sufficiens, ut infrà explicabimus. In aliis fit excæcatio & obduratio per ablationem etiam auxilij sufficientis, ut

ex

Digitized by Google

ex inductis locis ex S. Hieronymo, D. Cyrillo, & S. Thoma dictum est.

235 Hoc enim tradi a sancto Thoma videtur 3. *contra gentes, cap.* 161. ubi scripturæ testimonium, quod procedit de excæcatis atque obduratis, dicit secundum hoc esse intelligendum, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert. Quibus verbis non de negatione solius auxilij efficacis videtur loqui, alias omnes quibus efficax auxilium ad conversionem negaretur, dicerentur excæcati, & obdurati, quod non est dicendum, sed de negatione auxilij sufficientis videtur dictum ut nempe alij dicantur præ cæteris excæcati, & obdurati, quibus specialiter negatur auxilium sufficiens, quod aliis confertur; qui proinde excæcati, & obdurati non dicuntur. Et præterea, quia ibi præter infusionem gratiæ, quæ etiam non efficaciter conservat hominem sine peccatis; sed potentiam sufficientem tribuit, ut non peccet, nomine auxiliorum, enumerat ablationem occasionis peccãdi, adjuvare hominem per rationis lumen ad non peccandum, & conferre alia bona, quibus omnibus constat quod homo non efficaciter retrahitur à peccato, sed tantùm sufficienter; & expresè docet, quod cum hæc auxilia aliquibus Deus subtrahit pro meritò suæ actionis, secundum quod eius iustitia exigit, dicitur eos obdurare, & excæcare: ergo sentit quod excæcatis, & obduratis negantur sufficientia auxilia ad non peccandum pro merito actionis eorum, & sic ratio facta in sua vi perseverat, & magis ac magis ex doctrina sancti Thomæ confirmatur; quod videlicet multoties fiat excæcatio, & obduratio per negationem auxiliorum sufficientium.

236 Advertendum tamen, quod non asserimus, quod semper excæcatio, & obduratio fiat per talem sufficientiam omnium auxiliorum negationem. Nam illud argumentum de Iudæis, qui verius fuerunt excæcati, dicente de illis Isaya, *Excæca cor populi huius & aures eius à gratia*, prædicante Christo Domino habuerunt auxilium sufficiens ad credendum, ut dictum est. Vnde in eis per alium modum fuit excæcatio & obduratio, quam in Pharaone statuit sanctus Thomas *super cap.* 9. *epist. ad Romanos lect.* 3. §. *deinde cum dicit*, ubi docet quod Pharaonem Deus obduravit inclinando interiùs eius voluntatem ad malum non per se, sed occasionaliter; ita quod illud quantum est de se, est inductivum ad bonum, & sufficiens ad illud, sed homo propter sui malitiam eo utitur ad malum, & sic Deus excitavit Pharaonem, ut puniret rebelles Regni, sed hoc usus est in malum Pharao; & similiter dicendum est de obduratis, & excæcatis Iudæis, quod Christus, & interius & exterius inclinabat eorum voluntatem in malum occasionaliter, & sic eos excæcabat, & indurabat, quatenus inclinabat eorum voluntatem in aliquod, quod de se bonum erat, nempe zelare legem, sed hoc ipsi ex malitia utebantur in malum. Similiter in eorum conspectu sanabat infirmos sciens hoc bono eos malè usuros. Et quidem sicut S. Thomas *ubi suprà*, docet Pharaonem habuisse auxilium à Deo ad bonum, quo ipse utebatur ad malum: ac per hoc docet ipsum habuisse auxilium sufficiens: ita priùs S. Pater Augustinus id de Pharaone tradidit *lib.* 83. *quæst.* 68. affirmans ibi Pharaonem fuisse vocatum, & potuisse venire: explicat enim ibi illud Evangelij de vocatis ad nuptias, qui venire noluerunt.

237 Ex dictis sequitur nec etiam omnibus induratis & excæcatis dari in finem vitæ sufficiens auxilium, quo pœnitere possint: hoc patet ex Sanctorum authoritatibus, & rationibus præmissis. Sed ex hoc non infertur, ut aliqui putant, eos non peccare peccato finalis impœnitentiæ propriè sumpto. Imò revera tali finali impœnitentia propriè & specialiter accepta peccant. Ad quod salvandum sufficit, quod sua culpa eis tale auxilium sufficiens negatum fuerit, sicut generalitate doctrinæ de omnibus aliis præceptis dictum est. Ratio autem specialis est, quia omnes fideles tenentur præcepto speciali pœnitentiæ si peccata habeant, in fine vitæ, ut est indubitatè doctrina: ergo omnes qui tunc non pœnitent, peccant contra illud speciale præceptum, & committunt peccatum finalis impœnitentiæ, in quo moriuntur: ut sanctus Thomas sæpè docet. De hac enim finali impœnitentia propriè & specialiter capta loquitur Sanctus Doctor, cum ait, omnes qui in peccato moriuntur, mori peccato finalis impœnitentiæ, ratione facta, & non de finali impœnitentia negativè, seu quæ est, conditio generalis consequens omne peccatum, quo quis moritur, ut aliqui solent explicare. Imò qua ratione ipsi dicunt, peccare illum talem contra præceptum illius virtutis, quæ tunc illum obligabat, etiamsi ex culpa sua auxilium sufficiens non habeat; eadem prorsus ratione, dicendum ab eis esset, peccare eundem peccato finalis impœnitentiæ specialiter sumpto, quo tunc obligatur, licet auxilium sufficiens ad id non habeat; quia pari ratione sua priori culpa illud non habet, ut dictum est. Nec apparet difficilior ratio de uno quam de alio. Dixi, fideles peccatores illo pœnitentiæ præcepto teneri, quia infideles, quidquid aliqui recentiores dicant, præcepto pœnitentiæ sicut non tenentur, ita nec eis Deus dat auxilium sufficiens ad pœnitendum. Cuius ratio est, quia præceptum de pœnitentia supponit præceptum de fide, sicut ipsa pœnitentia, sive habitualis, sive actualis supponit habitum, seu actum fidei, ut est aperta S. Thomæ sententia *tertia parte quæst.* 85. *art.* 5. *&* 6. nisi dicant infideles teneri pœnitentia, seu contritione naturali, quod est omnino falsum; imò dicere, eos posse naturæ viribus habere pœnitentiam, seu contritionem naturalem propter Deum authorem naturæ summè dilectum, ut in fine tertij libri manet probatum, in errorem incidit Pelagianorum.

Ex dictis facilè responderi potest ad illa, quæ 238
author concordiæ proposuit, inter suam stabiliendam sententiam, quæ relata manet *suprà part.* 1. quorum primum erat, non esse credibile Deum, qui unigenitum suum hominibus dedit, clausisse alicui viscera suæ misericordiæ, statuendo illi non dare auxilium sufficiens.

Ad hoc enim dicendum multoties gravissima 239
& continua peccata postulare, ut suam Deus neget misericordiam, & iustitiam ostendat, negando in pœnam peccatorum multorum auxilia omnia sua supernaturalia, ut scripturis, dictis Sanctorum, & veris rationibus ostensum est.

Secundò opponebat: quia sequeretur miserum 240
illum hominem, cui denegatum esset auxilium sufficiens, dum esset in via, antequam privaretur spe, fide, & charitate, si fidelis esset, carere omni spe vitæ æternæ. Ad quod dicendum quod cum nulli notum sit Deum statuisse illi denegare auxilium suum sufficiens (nec enim expediens est ut hoc alicui reveletur) totaliter obiectio cessat, quia ex fide & spe poterit, imò tenetur sperare se ex auxilio divino vitam æternam consequi pos-

Digitized by Google

se. Aliud fortè esset, si id certò ex divina revelatione sciret evidenter cognoscens illam Dei revelationem esse. Quando enim sibi ostenderetur deberet potius illusionem dæmonis iudicare, nisi, vt dixi, evidenter cognosceret ex Deo esse, sed id minimè expedire ut fiat dictum est modo.

241 Tertiò opponebat, non tantoperè vituperandam esse desperationem Iudæ: sed huic respondemus, quis huic authori revelavit non habuisse Iudam auxilium sufficiens, quo posset vincere desperationem illam; certóque ipsum cognouisse negandum semper sibi fore auxilium gratiæ sufficiens, ut sic non tantoperè possit vituperari eius desperatio. Certè neutrum certum est, neutrumque sciri potuit, imò magis Scripturæ Sacræ consonum est habuisse illum filium perditionis multa sufficientia divina auxilia, cui nec mensa Dominica denegata est, nec honor Apostolicus denegatus. Et qui ad se reversus dixit, *Peccavi tradens sanguinem iustum*, hæc enim bona divina inspiratio fuit, cui ex malitia contradixit, laqueo se suspendens; cum ex illa pœnitentiam deberet suscipere, & de tanto scelere pœnitere.

242 Similiter dicendum ad illud quod ultimo loco de blasphemia, & desperatione Caïn protulit, quod iustissimè ita iste, sicut & ille tantopere vituperantur: quia ex propria malitia desperarunt, nescientes Deum statuisse illis in perpetuum auxilium sufficiens gratiæ suæ denegare: cum uterque teneretur de divina misericordia, quæ infinita est, & auxiliis gratiæ Dei sperare. Cum potissimè nec etiam constet, non habuisse Caïn auxilium sufficiens; quod si habuit, meritò vituperatur, & si non habuit eodem modo iustissimè vituperatur, quia propter eius magna peccata ipsi tale auxilium denegatum fuit.

243 Sed ad illa, quæ Lovanij isti authores publicarunt relata suprà *tract. 3. cap.* 8. breviter dicamus. Et quidem ad illud quod Christus Dominus est omnium Redemptor nullo dempto: ergo omnibus datur per ipsum auxilium sufficiens. Dicendum non dissimile fuisse olim Massilienſium argumentum; cui tamen sic respondetur, Christus Dominus est omnium redemptor quoad sufficientiam, & magnitudinem pretij, quia merito sanguinis eius omnes à peccatis liberari possunt. Non tamen est omnium Redemptor quoad sufficientiam, quia omnibus de facto dentur auxilia sufficientia, vel ad credendum, vel ad rectè piéque vivendum Quod manifestè patet in parvulis qui sine baptismo moriuntur quorum sine dubio Christus Dominus quoad sufficientiam redemptor est, licet illis nullum sufficiens auxilium fuerit collatum.

244 Ad secundum de scriptura, quæ plena est præceptis & exhortationibus, ut homines convertantur: Ex quo inferunt omnes habere auxilium sufficiens ut converti possint. Dicendum oppositum potiùs sentire videri Tridentinum Concilium, cum inquit, *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Vnde sentit quod ad Dei implenda mandata non semper habent omnes sufficiens auxilium, vt sibi hoc quisquis deesse cognoscat, illud à Domino humiliter petat. Cui simile est illud S. Prosperi, ideo *dari præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium*; ex quo intelligi potest, ut nihil præcipi dicatur impossibile, satis esse ut in Dei virtute ac bonitate sit paratum sufficiens auxilium, quo omnes possint salvari, licet de facto non omnes illud habeant sibi collatum.

Ad propositionem tertiam, in qua ex eo quod 245
omnes baptizari iubentur, inferunt, omnibus dari auxilium sufficiens, dicendum quidem Deum quantum est ex se omnibus velle dari baptismum voluntate antecedente, qua omnes salvare vult: non verò voluntate consequente; unde illud plurimis negat, quia in ipsis vult peccatum originale punire.

Ad quartam propositionem de excæcatis & obduratis copiosè dictum est suprà.

Ad propositionem quintam, quod nimirum Deus post præviſum peccatum originale *habuit* voluntatem dandi Adamo, & omni eius posteritati auxilia sufficientia. Dicendum quod voluntate antecedenti iam supradicta, verùm est, non autem voluntate consequente. Imò hac voluntate voluit aliquibus auxilium sufficiens denegare propter illorum peccatum originale, sive etiam actualia alia, ut manet expositum.

Ad sextam, quod videlicet omnia loca scri- 246
pturæ attestantia esse impossibile quosdam converti, sunt intelligenda, quod id sit valde difficile: dicendum, certum esse in quibusdam locis scripturæ non difficultatem, sed impossibilitatem significari respiciendo ad solas naturæ vires ut est illud *si potest Æthiops mutare pellem suam, sic vos potestis bene operari*: Et illud Sap. 2. *Non poterat mutari naturalis malitia eorum.* Et illud: *nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* Et illud: *non poterant credere.* Et aliud: *sine me nihil potestis facere*; Et illud Rom. 8. *quod impossibile erat legi*: vbi si impossibile sumatur pro difficili, sequeretur quod ex lege sine Christo poterat esse iustitia, licet cum magna difficultate: quomodo olim hanc scripturam eludere Pelagius solebat.

Ad septimam & ultimam dicentem verba Au- 247
gustini *citato illo loco* cum grano salis intelligenda: dicendum quod tali intelligentia & explicatione Sancti P. Augustini pervertitur sententia; tum quia Sanctus Doctor in illo loco non dicit, quod omnibus qui non sunt à massa perditionis segregati, negentur illa dicta divina, vel facta Dei, sed quibusdam tantùm; tum etiam quia illa explicatio de illa ipsorum congrua vocatione, per illam mediam scientiam facta congrua, contra apertam Sancti Patris Augustini sententiam est: ut in omnibus istis nostris operibus frequentius demonstravimus, potissimè libro primo agentes contra illam mediam scientiam. Vnde quod pro grano salis adhibetur insipidam potius reddit Sancti Patris Augustini sententiam.

CAPVT XVII.

Solvuntur argumenta ex divinis literis à principio opposita.

AD argumenta ergo in oppositum dicendum; 248
& quidem ad primum, quod ex plurimis scripturæ locis procedebat, quibus ex generali loquutione, qua scriptura divina utitur, vtpotè, quod Deus est omnium salvator, quod omnes vult salvos fieri, quod ad ostium stat, & pulsat, quod sapientia omnis invitat, omnibusque prædicat, colligebatur Deum omnibus auxilium supernaturale gratiæ tribuere nemine excepto.

Dicendum secundò generali etiam solutione 249
omnia illa tantum docere, quod Deus mediis creaturis

Digitized by Google

creaturis, & per lumen rationis omnes vocat, omnes salvare vult, & ad omnium ostium pulsat, ut sequantur homines bonum naturæ proportionatum, quod si amplecterentur, ad salutem venirent: quod autem illud sicut tenentur, non amplectuntur, ex illorum culpa est, ut præmisimus, non ex defectu vocationis, qua generaliter prædicto modo Deus omnes in universum vocat. Quæ solutio S. Prosperi est, *lib. 1. de vocat. Gent. cap. 5.* in quo postquam particularia beneficia Hebræorum populo à Deo collata ex scriptura commemoravit sermonem extendens ad gentes universas; ita subdidit. *Quamuis hæc & multa similia veritatis Scriptura pronunciet, secundùm ipsam tamen credimus, & pijssimè confitemur, quod nunquam universitati hominum divina providentia cura defuerit; quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi, hominum bonitatis sua bona substraxit, ut propheticas voces, & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis, ac testimoniis accepisse.* Per elementa ergo ac alias creaturas medio rationis lumine super gentes signato non defuit cura divina, & per hunc modum generaliter eis sua dona distribuit, & eos ad se vocavit non per aliquod supernaturale auxilium gratiæ, omnibus eis collatum.

250 Secundò dicendum ex eodem Sancto Prospero *eodem primo libro de vocatione gentium cap. 9. &* 10. vbi ostendit, & ex multis testimoniis probat, interdum in scriptura sacra, & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari, ut est illud Hierem. 31. *Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens, cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me à pusillo eorum usque ad magnum.* Et tamen constat quod non omnes Deum cognoverunt, sed totum ibi pro parte ponitur. Deinde omnes sine cuiuscumque exceptione promisit, qui dixit; *per memetipsum iuro, nisi exibit de ore meo iustitia, & verba mea non avertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.* In qua locutione; cum multa adhuc hominum millia dæmoniis serviant, & idolis genu flectant: ita unius partis meminit Dominus, quasi neminem hominum prætermittat. Item cum dicit Apostolus; *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua:* numquid non omnes homines videtur dixisse renovatos? Aut cum dicit, *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso;* nunquid non ita loquitur, quasi neminem velit exortem huius reconciliationis intelligi? aut cum ait; *Novissimis istis temporibus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum; nunquid aliud sonat forma sententiæ, quam omnes homines in Christi hæreditate à Patre esse transcriptos secundum Prophetiam David dicentis, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ? Dicente autem Domino, si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum, non ne universorum videtur promissa conversio. Aut cum de Ecclesia prophetatur, & dicitur, omnis vallis replebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, nunquid ullus hominum videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus. Quid, cum dicitur, & veniet omnis caro in conspectu meo, vt adorent in Hierusalem dicit Dominus. Aut illud, & erit in diebus illis effundam de spiritu meo super omnem carnem: Aut illud allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos, nunquid non ita pronuntiatum est quasi ab hoc Dei munere nemo discretus sit? Habet ergo populus Dei plenitudinem suam, & quamuis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in electis tamen & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, vt de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.* Hæc S. Prosper.

Quibus ostendit apertè quod quamvis in 251
multis scripturæ testimoniis expresè dicatur, omnes homines Deum cognoscituros, ipsi genua flexuros, ipsum suis linguis confessuros, omnes renovandos, reconciliandos, in Christi hæreditatem transmittendos, omnes per exaltatum Christum attrahendos, ipsius doctrina omnes fore replendos, ipsique subdendos, omnes eum adoraturos, & denique omnes qui corruunt allevandos, & erigendos, ita quod nullus ex generalitate locutionis videatur excluſus; tamen non de omnibus, nullo dempto, hoc esse verificandum, aut sic universaliter intelligendum; cum totum oppositum sit manifestum; sed de solis illis, qui efficaciter ad Deum convertuntur, qui habent suam specialem universalitatem, qua solent à scriptura omnes homines appellari: Sic ergo quamvis in prædictis aliis testimoniis à principio huius oppositis generalitate locutionis omnes dicantur à Deo vocati, ita quod nullus videtur ab hac Dei vocatione excluſus, non tamen in universum de omnibus intelligi debet, ita quod omnes nullo dempto supernaturali vocatione vocentur; sed de illis tantum intelligi debet, quibus de facto communicatur, qui eadem omnino ratione nomine omnium hominum appellantur propter suam universitatem quam & ipsi habent. Eandem plane doctrinam, & intelligentiam scripturarum tradit Sanctus Fulgentius, *lib. de incarnat. & gratia*, seu, *de gratia Domini nostri Iesu Christi, cap. 31.* ubi sic ait, *est autem familiare divinis eloquiis ut omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant;* quod diffusè *ibi* ex plurimis scripturæ testimoniis ostendit, quæ quia eadem sunt cum his quæ ex S. Prospero modò induximus, nec transcribuntur.

Sed libet in particulari suprapoſita scripturæ 252
testimonia in vera intelligentia explicare; Primum sumebatur ex *cap. 10. epistolæ ad Rom.* illis verbis. *Ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere, aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? prope est verbum in ore tuo.* Quasi dicat Apostolus, ne reputes impossibile ascendere in cœlum, & vitam æternam consequi, nam prope est & ad manum Dei auxilium, quo possis. Sic prædictum locum Thomistæ aliqui interprætantur. Sed hanc explicationem in sanctis expositoribus non invenio, nec ad illum locum Apostoli, nec ad *cap. 30. Deuter.* Quod ipse Apostolus citat. Nec illa verba, *aut quis descendit in abyssum*, huic explicationi convenire posse videntur. Vnde duplex legitima illius testimonij explicatio traditur à glossis in utrumque locum, & *Deuter. 30.* & *Rom. 10.* quæ etiam duplex assignatur à S. Thoma ad illum locum Apostoli *Rom. 10.* Prima est. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere;* quasi dicat non neges Christum descendisse de cœlo ex eo, quod nullus potuit in cœlum ascendere; ut illum ad nos

Digitized by Google

deduceret. Et similiter ne dicas, *quis descendet in abyssum*, id est, *Christum à mortuis revocare*, quasi dicat ne neges Christum resurrexisse, ex eo quod nullus potuit in abyssum descendere, ut illum resuscitaret, unde iuxta hanc priorem expositionem prohibet Apostolus nequis neget, aut dubitet de misterio incarnationis, aut resurrectionis; & reddit huius rationem, cum subdit, *quia prope est verbum in ore tuo*, quod hoc testificatur cum Christus ubique prædicatur. Secunda interpretatio, quæ & magis verbis textus conformis videtur, est, Apostolum ibi inducere, & confirmare quod habetur Deuter. 30. Sub his verbis. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, nec procul positum, nec sub Cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus, neque trans mare positum, sed iuxta te est sermo valde in ore tuo; ut facias illum.*

253 Ideo autem Apostolus inducens hoc testimonium expressam mentionem facit de Christo incarnato, & à mortuis suscitato, quia legis mandatum, sicut & tota lex Christum ut finem respiciebat, & per eius gratiam mandatum legis illud potissimum dilectionis Dei super omnia, de quo Moyses ibi sermonem faciebat, erat implendum. Vtriusque ergo testimonij sensus est: ne prætendas excusationes, ô homo, quando Dei mandata non facis, quod suprà te sit divinum mandatum, aut in Cœlo, quo tu ascendere non possis, ut illud ad te trahas, illudque scias, atque cognoscas; quia hæc excusatio nulla est: namque apud te est, & in ore tuo, satisque illud scis, & cognoscis, & tua culpa non imples, ut quidem de mandato dilectionis Dei naturalis super omnia satis constat, quia lumine naturali cognitum est. Verbum autem fidei etiam prope erat in ore hominum, cum illud ubique terrarum Apostoli prædicant. Itaque & Moyses *Deuteron.* 30. & Apostolus *citato loco*, vanam hominum excusationem, quam de ignorantia mandatorum prætendere possent, potiùs removent, cum eis illa satis nota esse aiunt. Vnde neuter tradit omnibus in universum hominibus supernaturalia auxilia dari nemine dempto. Imo gratis concesso, quod de auxilio sufficiente supernaturali Apostolus loqueretur, non esset extendendus eius sermo ad omnes in universum nemine excluso; sed ad illos quibus verbum Evangelij prædicatur, qui propterea excusationem prætendere nequeunt quod habere fidem sibi sit impossibile, cum alij, quibus nihil de Evangelio dictum est, ex hoc ipso ab imputatione infidelitatis excusentur, ut dictum est.

254 Adhibetur secundum testimonium ex illo *Proverbior. primo: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Et infrà, *Extendi manum meam, & renuistis.* Ex quo colligunt authores ij, in principio huius disputationis allati, dari omnibus auxilium sufficiens, & vocationem supernaturalem, qua Deus vocat, & extendit manum suam per vocationem supernaturalem, & per auxilium suum sufficiens quod omnibus tribuit. Verum apud sanctos Patres, quorum interpretatio tenenda est, nec aliæ ad libitum confingendæ, non sic intelligitur testimonium illud. Etenim sanctus Hieronymus ad illum locum (cuius etiam verba citantur in glossa ordinaria) illud totum interpretatur de Christo Domino, qui est æterna sapientia Dei; quique in mundo conversatus paucis ante passionem suam voluit manifestari. Sed post resurrectionem suam hæc Dei sapientia foris prædicabat per Apostolos, & in plateis per eosdem dabat vocem suam, fidem hominibus proponendo, & eos ad pœnitentiam vocando, & ut ad Deum converterentur, exhortando; quibus, & fatemur, quod cum eis Christi fides proponebatur, auxilium internum sufficiens supernaturale à Deo conferebatur quo credere possent; ut ex S. Thoma dictum est suprà, per quod & Deus ad illos manum suam extendebat, sed plures renuebant. In qua intelligentia nihil prorsus probat argumentum obiecti huic explicationi, & Lyranus arridet ad illum locum. Aliam secundam sanctus Hieronymus adhibet *ibi*, dicens, quod *Christus Dei virtus, & Dei sapientia, qua in potentia Divinitatis olim apud Patrem latebat nunc in fine sæculi per assumptionem carnis velut foris in plateis egrediens in hoc mundo visibiliter apparuit, atque Evangelicam prædicationem de futuri sui regni beatitudine clara insonuit voce.*

Tertia explicatio adducitur à Lyrano, quòd 255
nimirum procedat illud testimonium de Iudæis, quibus Salomon loquebatur, quia eos Deus in suum Populum vocavit, mandata dedit, & innumera auxilia, & beneficia contulit, quos ad pœnitentiam vocavit, & ut ad ipsum converterentur per legem, & per Prophetas publicè invitavit qui tamen audire renuerunt. Vnde nihil hoc commune habet, cum supernaturali Dei auxilio interno; ut illud ex hoc loco omnibus in universum hominibus dari dicatur.

Quod si tandem quartò quis illud testimonium 256
extendere velit, ut in universum de omnibus hominibus nullo excluso intelligatur? dicendum erit, ideo illa verba de omnibus verificari, quia per lumen rationis, quod signatum est super nos, omnes Deus vocat, ut bonum sequantur, & malum effugiant, cum tamen innumeri renuant ex mala sua voluntate dictum rationis sequi.

Tertium testimonium ex *Cant. 5. cap.* sumeba- 257
tur illis verbis. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, verùm ex hoc loco minùs apparet quomodo deducatur dari omnibus, nullo dempto, auxilium sufficiens, quia procedit sine dubio de Ecclesia, vel anima sancta, quæ proinde dicitur soror, amica, columba, & immaculata per gratiam, quæ peccatrici animæ convenire non possunt. Igitur Ecclesia, vel anima sancta, quæ contemplationi tradita est, audit Christi vocem, illam exhortantis, ut à quiete contemplationis surgat ad opus prædicationis, & per ipsam in mentibus infidelium januam cordis Christo aperiat, ut latè prosequitur S. Thomas ad illum locum.

Quartum testimonium cum aliquali maiori ap- 258
parentia inducitur ex illo Apoc. 3. *Ecce ego sto ad ostium, & pulso*: Sed neque hic dicitur quod ad omnium cor, nullo excluso, Deus supernaturali pulsatione pulset; & quando id diceretur, distributio accommoda deberet censeri sicut à principio capitis huius præmissimus, in secunda expositione ex Sancto Prospero adhibita. Vel si extendatur ad omnes in universum homines, etiam infideles, nemine dempto, de pulsatione per lumen rationis, & alias creaturas intelligendum est, secundùm quod statim in principio capitis huius ex Sancto Prospero manet expositum.

Quintum & sextum testimonium, quia sunt 259
similia opponebantur, alterum *Ezech.* 18. alterum 2. *Petri* 3. In quorum primo dicitur

Digitized by Google

citur non esse voluntatis Domini mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat. In secundo, quod Deus patienter expectat, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti; ex quibus dari omnibus auxilium sufficiens colligebatur: quia aliàs non expectaret ut omnes converterentur, & videretur potius mortem illorum velle. Sed ad hæc respondetur ex S. Thoma super illud c. 3. 2. *Petri*, cujus verba sunt: *(nolens aliquos perire) id est non volens, voluntate scilicet signi, quia omnes præceptis, consiliis, minis, præmiis, à periculis revocat, Ezech.* 18. *Et quare moriemini domus Israël, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur.* Vel secundum Damascenum, *Non vult aliquem perire voluntate beneplaciti antecedenter, quia facit, quod in se est ad nostram salutem: vult tamen voluntate consequenti perire istum, qui peccat.* Iuxta primam Sancti Thomæ solutionem non potest colligi dari omnibus internum auxilium sufficiens, cum illa testimonia intelligantur de voluntate signi tantùm, explicata per præcepta, & consilia, quæ Deus omnibus dedit, vel in lege naturæ, vel scripta, vel gratiæ. Iuxta secundam autem, voluntate beneplaciti antecedenti, quantum est in se, non vult aliquos perire, sed omnes salvare, quia omnes vocat, vel per lumen rationis, & creaturas vel per præcepta & consilia, vt dictum est; & ipse Sanctus Thomas exposuit, prout in secundo libro agentes de voluntate antecedenti, & consequenti diximus & hic breviter statim referemus.

260 Alia etiam duo testimonia, quæ idem sonare videntur; obiecta sunt ad suadendum omnibus in universum hominibus auxilium supernaturale sufficiens dari: Primum ex illo tritissimo, & in hac materia semper opposito: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Secundum ex illo simili: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quia verò ad primum copiosè libro secundo in materia de voluntate Dei antecedente, & consequente dictum fuit, & ex S. Thoma in explicatione illius probatum ex vi huius testimonij non deduci, omnibus dari supernaturale auxilium gratiæ, sed generalia præcepta, consilia lumenque rationis ducens ad bonum, & prohibens malum; ideo nec ad illius pleniorem intelligentiam aliquid supereſt dicendum, cum potissimè plures aliæ legitimæ explicationes ex sancto Patre Augustino, & aliis sanctis Patribus ibi adhibitæ sint, quæ illum Apostoli locum efficiunt clarissimum. Vnum dumtaxat ad præsens prænotamus, videlicet Semipelagianos ex isto præcipuè testimonio intulisse, omnibus dari gratiam qua possent, si velint salvari: ei pro sua libera voluntate consentiendo, & efficacem reddendo, contra quos sancti Patres Augustinus, Prosper, Hilarius, atque Fulgentius non solùm negarunt homines suo consensu gratiam reddere efficacem; verum omnibus gratiam, qua possent salvari, dari negarunt: ut ex inductis eorum testimoniis constat; & ad illud testimonium, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, dixerunt, illius sensum esse, qui vult salvos fieri omnes qui salvantur. Vnde & Fulgentij verba sunt *citato libro de Incarnatione & gratia cap.* 31. *Verumtamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult salvos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium universitas salvandorum. Ideo autẽ omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes iustos divina bonitas salvat: idest, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni Provincia, in his omnibus ille sermo nostri Redemptoris impletur, quo ait, cum exaltatus fuero è terra, omnia traham ad me ipsum.* Tantùm de testimonio alio Ioannis dicendum est modo; vel potius pro illius plena intelligentia Lector remittendus est ad comment. sancti Thomæ ad illum locum *Ioannis* 1. qui ibi prædictum testimonium exponit, ut intelligatur, vel de lumine naturali cognitionis, vel de lumine gratiæ. Si primo modo intelligatur, sic nulla difficultas est, quia omnes homines venientes in hunc mundum sensibilem illuminantur lumine cognitionis naturalis, ex participatione huius veræ lucis, à qua derivatur quidquid de lumine naturalis cognitionis participatur ab hominibus. Si autem intelligatur de lumine gratiæ, exponitur primò ab Origene, ut accipiamus mundum ratione suæ perfectionis ad quam perducitur homo reconciliatus per Christum, & tunc est sursus, illuminat (per fidem scilicet) omnem hominem venientem in hunc mundùm, id est Ecclesiam illuminatam lumine gratiæ. Tertio modo exponitur secundum sanctum Augustinum, ut hic (*omnem*) sit distributio accommoda; ita ut sit sensus: Illuminat omnem hominem, non simpliciter, sed omnem hominem qui illuminatur, scilicet, quia nullus illuminatur nisi à Verbo. Quartò potest exponi secundum Chrysostomum, ut sit sensus, illuminat, verbum scilicet, quantum de se est omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ex parte sua nulli deest; quod si aliquis non illuminatur ex parte hominis est, avertentis se à lumine sufficienti gratiæ sibi collato, vel impedientis se per peccata, ne illud recipiat.

Tandem alia duo testimonia etiam similia op- 261
ponebantur pro auxilio sufficienti omnibus dando. Primum ex Apostolo asserente, quod *pro omnibus mortuus est Christus*; & ex alio consimili. *Qui est salvator omnium, maximè fidelium.* Ad quæ tamen dicendum, hæc solum probare mortem Christi Domini, quoad sufficientiam fuisse pro omnibus hominibus totius mundi; taliter quod in se sufficientiam habebat ad omnes salvandum ob magnitudinem pretij infiniti quod habebat; non tamen inde deduci, quod de facto omnibus hominibus applicatum fuerit remedium supernaturale sufficiens Passionis Christi, ut patet de parvulis, qui vel in uteris maternis, vel extra sine baptismo decedunt: quibus certè sufficiens supernaturale aliquod remedium Passionis Christi applicatum non est: cum tamen etiam pro ipsis quoad sufficientiam Christus mortuus fuerit sine dubio. Quamvis enim pro omnibus mortuus sit Christus, non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt: sed illi dumtaxat, quibus meritum Passionis eius communicatur, sive efficaciter, sive sufficienter, etenim auxilium sufficiens supernaturale etiam communicatur ex merito Passionis Christi. Vnde sicut omnibus non communicatur meritum Passionis Christi, etiam nec omnibus communicatur auxilium supernaturalis gratiæ sufficiens. Quomodo autem illatio ista (qua ex eo quod pro omnibus mortuus est Christus, infertur per ipsum dari de facto omnibus auxilium sufficiens gratiæ) nulla omnino sit, manifestum dedimus *libro nostro secundo, cap. ultimo*, ex sancti Thomæ manifesta sententia, & apertis testimoniis, quæ proinde ibi videnda sunt, & non hîc iterum repetenda.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

Alia diluuntur argumenta ex Sacris Conciliis obiecta.

262 IN superioribus *tract. 3. cap. 6.* inter opposita argumenta, post illa, quæ ex diuinis litteris formabantur, quæ & soluta manent *cap. præcedenti*, secundo loco principaliter ex sacris Conciliis alia opponebantur ad idem intentum suadendum, nimirum omnibus in universum hominibus auxilium gratiæ sufficiens dari, nemine excluso quamvis maximo peccatore & infideli. Præcipuè autem secundo loco id ex Concilio Tridentino, *sess. 6. cap. 11. & 13.* sic deducebatur. Prædictum Concilium allatis locis manifestè docet, quod Deus neminem deserit nisi priùs deseratur ab eo; esset autem maxima Dei desertio, si auxilium sufficiens gratiæ alicui denegaret. Quæ enim, aiunt, maior potest esse desertio, quam alicui homini id denegare, quod ita necessarium est, ut possit in Deum converti, ut sine ipso se in Deum convertere nequeat, cum aliàs illud homo nulla ratione sibi possit acquirere, ut diffinitum est suprà.

263 Ad hoc dicendum, quod in sacro Tridentino Concilio *citato utroque loco*, nullo modo habetur quod in argumento proponitur. Nec enim dicitur, sive in uno, sive in altero testimonio, quod Deus neminem deserit, videlicet sumpta hac propositione generaliter, ut de omni in universum homine procedat; quin potiùs totum contrarium apertissimè in utroque allato capite invenitur; cum sermo sit expresè de solo homine iustificato, de quo Concilium sacrum docet, quod Deus iustificatum hominem non deserit, nisi prius deseratur ab eo: quæ verissima, & certissima sententia iam suprà à nobis stabilita est, & firmata. Verba enim Concilij in capite priori 11. sic habent. *Deus enim sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis deseratur.* Imò in toto illo capite 11. à principio usque ad finem de iustificatis duntaxat sermo proponitur. Similiter in cap. 13. quod de perseverantiæ munere prænotatur, de iustificatis hominibus, & de dono necessario ut in iustitia & gratia perseverent, tanti modo contextus procedit, in quo proinde hæc verba leguntur. *Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficit operans velle, & perficere.* Quæ verba immediatè posita sunt post ista priora. *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est; qui perseuerauerit usque ad finem, hic saluus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat statuere, ut perseueranter stet, & eum qui cadit, restituere. Nemo sibi certo aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, &c.* Quæ modo inducta sunt verba.

264 Quibus redditur apertissimum de solum iustificatis sermonem fieri, non de omnibus peccatoribus, & infidelibus. Vnde hoc inducere testimonium, vel illud aliud prius nunc relatum ex Sacro Tridentino Concilio ad suadendum omnibus etiam maximis peccatoribus, obstinatis, & induratis; imò & infidelibus omnibus auxilium gratiæ sufficiens dari, ne hac via à Deo deserti esse dicantur: nihil est aliud quam ad expressa Concilij verba non attendere, nec in re apertissima relata verba essent inducenda, sed solùm lector ad utrumque caput ex Concilio obiectum esset remittendus, nisi ut omnibus fiat notissimum qua veritate ab his authoribus, cum quibus ista tractamus, prædicta testimonia, & alia similia inducantur. Hac enim ratione, vt ostensivè constet veritas allegationum, quæ ab ipsis in immensum multiplicantur, omnia in singulari expendenda suscipimus, licet valde diffusus noster sermo in his materiis procedat.

265 Consultò autem sacrum Concilium Tridentinum solùm de iustificatis supradicta verba proponit, quippe quod scivit tantum de illis prædictam sententiam posse verificari, non de aliis peccatoribus & infidelibus, quos constat, sive per originale solùm, sive per actuale tantùm, sive per utrumque simul & originale, & actuale iam prius Deum deseruisse, ut meritò possint ab eo deseri ob priora peccata; nisi superabundans gratia Dei in illis, quibus placuerit, auxilio gratiæ suæ eorum propriam vincat malitiam, & indignis suæ gratiæ auxilium, quoad ipsum converti possint, misericorditer velit elargiri.

266 Eodem modo sanctus Pater Augustinus, ubicumque de hoc agit, docet quod primus homo Deum deseruit, & sic desertus est, ut patet *lib. de corrept. & gratia cap. 11.* ubi loquens de auxilio quod habuit primus homo, quo perseverare posset, si vellet, ait. *Quod adiutorium, Si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit, & desertus est.* Et subdit inferius, quod nunc quibus deest tale adiutorium nimirum ut possint bene operari, & ad Deum converti iam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur. Nec tamen ex eo quod in pœnam præcedentis peccati aliquibus docet prædictum adiutorium negari, docet quod Deus eos deserit, quin potiùs expressis superioribus verbis, exposuit, quod priùs ipsi saltem in primo parente, Deum deseruerunt, & ab eo deserti sunt. Vnde in hac doctrina, sanctus Doctor est totus docens *lib. de perfectione iustitiæ cap. 6.* rectè imputari homini ad peccatum cum peccat, etiamsi adiutorium non habeat, quo possit non peccare. *Et lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 15.* dicit, quod ex priori hominis culpa, qua deserit Deum, & desertus est, provenit quod minus à Deo adiuvetur.

267 Potest etiam opponi ex eodem Concilio Tridentino *sess. eâdem. 6. cap. 11.* ubi docet, quod *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis: & adiuvat ut possis.* Si ergo adiuvat ut possis, ut nimirum impossibilia non præcipiat; ergo omnibus dat tale auxilium & adiutorium, ne videlicet alicui illud negando, ei videatur impossibilia præcipere. Ad quod dicendum, Concilium illis verbis non docere, quod si alicui negetur auxilium, & adiutorium illi impossibilia præcipiantur: sed tantum asserere Deum impossibilia non præcipere, sed monere iubendo facere, quod possis, petere quod non possis: & adiuvare, nimirum regulariter, ut possis. Quod si aliquis non adiuvatur, in ipso ut non adiuvetur, causa est (ut inquit sanctus Pater Augustinus) cui propterea fiunt divina mandata non absolutè impossibilia; sed ex ipsius priori culpa sibi reddita impossibilia, ut infra clarius ostendemus, totum sibi ad culpam imputatur.

Inducebatur etiam in eodem capite Concilium 268
Senonense

Digitized by Google

Senonense Decreto 15. de libero arbitrio. In quo, postquam docuerat humanam voluntatem misericordia prævenientis auxilij suffultam, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contactam sese convertere in Deum, Deo appropinquare, & ad veram illam gratiam se præparare, qua tandem accepta sit ad vitam æternam, hæc verba illicò subdidit. *Nec tamen tanta gratiæ necessitas, libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit ianuam intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Quibus vltimis verbis de gratia, quæ solet dici sufficiens, fit sermo, cum dicitur omni momento pulsare ad cor, cuiuscumque hominis scilicet, ut eius non præiudicetur arbitrio, cum non omnes defacto convertat, sed plures illi resistant. Sicut in prioribus verbis de auxilio efficacis gratiæ sermonem fecerat, cum dixerat per afflatum occultum inspirationis divinæ, se hominem in Deum convertere, & ad iustificantem gratiam se præparare. Igitur sentit hoc Concilium, ne præiudicium fiat alicuius rabitrio, semper & omni momento Deum sua gratia sufficienti ad cor cuiuslibet hominis pulsare.

269 Ad hoc dicendum primò, hoc Concilium provinciale esse, nec inveniri per Apostolicam sedem confirmatum. Vnde minus efficax ex ipso sumitur argumentum. Secundò dicendum quod etiam eis qui illud opponunt contradicit; unde & illud ipsi explicare debent. Cum enim ipsi expressè fateantur, quod Deus auxilio sufficienti, non omni momento sine intermissione cor omnium hominum tangit, quod est apertissimum, sed certis quibusdam temporibus; Concilium autem prædictum dicat, quod nullum præterit momentum, in quo Deus non pulset ad cor, manifestum est, quod etiam ipsi huic Concilio, quod allegant, pro hac parte contradicunt: Sicut ergo ipsi fatentur, non obstante prædicto Concilio, quod non omni momento Deus pulsat ad omnium corda, ita & nos dicimus, quod nec omnium in universum hominum corda tangit, Imò expressius est in illo Concilio, quod ipsi negant, quia nullum momentum, ait, præterire, quo Deus non pulset ad cor, non tamen ita expressè affirmat nullum esse hominem ad cuius cor non stet Deus pulsans. Non ergo tanti facienda est decisio provincialis Concilij à sancta sede non confirmati; quamvis enim ita illi senserint, non tamen ita sentire astringimur. Nec sine causa Concilium postea sacrum Tridentinum non hac via docuit non præiudicari arbitrio per necessitatem gratiæ, quia nullum momentum est, quo ipsa non stet ad cor & pulset, cum nullum verbum de hoc fecerit: sed ratione valde diversa *in cap. 5. & Can. 4. Sessionis 6.* liberum hominis arbitrium cum necessitate gratiæ concordavit. Dicendum tertiò illud, nec momentum quidem, positum esse pro eo quod crebrò pulset: vel pulset semper, cum instat conversionis præceptum, & hoc vel supernaturali, vel naturali pulsatione per rationis dictamen, vel denique intelligit quod omni momento est Deus paratus pulsare, cum expedierit.

270 Potest quartò responderi & explicari Concilij Senonensis dictum iuxta aliud simile postea expressum in Concilio Colonienſi etiam provinciali, in quo *cap. 32.* sic dicitur. *Iam quanquam nemo convertatur ad Dominum nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat quod non trahitur, quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum, & externum verbum, ut convertantur à via nostra pessima.* Quod autem dixit per internum verbum intellige, vel supernaturalis vocationis gratiæ, vel interioris dictaminis legis naturalis: ut sic enim Deus omnes interne vocat, ut diximus supra. Itaque, sicut superiori capite scripturæ testimonia exposita sunt, ita & utriusque Provincialis Concilij dicta exponi & intelligi debent, tum de externa lege, tum de interna vocatione sive supernaturali in plurimis, sive naturali legis dictamine in aliis.

CAPVT XIX.

Solvuntur argumenta desumpta, tum ex cap. firmiter de Sum. Trinit. & Fide Catholica, tum ex Sanctis Patribus.

271 QVartò loco opponebatur argumentum ex *capite firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica*, & ex Gelasio Papa, qui priùs idem docuerat, nimirùm posse semper peccatorem per veram pœnitentiam reparari. (Hæc enim illius capitis verba sunt) ex quibus deducebatur, quod si semper peccatores possunt per veram pœnitentiam reparari, semper habent auxilium sufficiens, sine quo reparari non possunt. Sed quomodo hoc inducatur testimonium ad probandum dari omnibus auxilium sufficiens, vel ipsi viderint, qui illud opponunt. Cum enim in illo habeatur expressè quod semper peccatores possunt per veram pœnitentiam reparari, si ex hoc inferunt, quod omnibus peccatoribus divinæ gratiæ auxilium detur, necesse est quod pariter inferant, quod semper eis tribuatur, si non potest verificari, quod semper per veram pœnitentiam reparari possint, nisi semper auxilium sufficiens habeant. Asserere autem quod semper auxilium sufficiens habeant peccatores, nec ipsi admittunt, ut uisum est suprà: ergo nec semper peccatores poterunt reparari; quod est contra fidei determinationem prædictam; vel ad salvandum quod semper, & in omni instanti possint reparari per pœnitentiam peccatores, non est necesse quod semper, & pro omni instanti in se habeant auxilium sufficiens, vnum enim ex his duobus necesse est eligant, qui hoc utuntur argumento. Necenim possunt dicere requiri ad id, quod habeant auxilium à Deo paratum seu oblatum pro omni instanti, quo illud ipsi vellent accipere; quia licet hoc ab eis prætendatur, iam tamen suprà ostensum manet illud sine errore dici non posse; quia iam de facto haberent illud auxilium, quia vellent, & ex merito priori.

272 Dicendum est ergo de fide quidem esse, nullum dari instans temporis in quo non possint peccatores per pœnitentiam reparari, ut in prædicto capite *Firmiter* diffinitur. Nec tamen ad hoc est necessarium, quod semper, & pro omni instanti habeant auxilium sufficiens; sed tantùm requiritur quod illud eis possit Deus dare pro instanti omni: Ita quod nullum detur temporis instans, in quo non sit verum dicere, quod potest Deus peccatori dare auxilium, quo ipsum vel convertat, vel saltem convertere possit: hoc enim solum necessarium est, ut cum omni proprietate verificet, quod nullum est instans, in quo non possit peccator, quicumque ille sit, per pœnitentiam reparari,

Digitized by Google

parari, & ad Deum converti; secundùm quod copiosiùs ostensum fuit suprà *cap. 8. tract. 3. concluſ. 5.* vbi copiosiùs hoc ipsum probatum est, & ex Sancto Thoma ostensum, dupliciter aliquem posse aliquid: primo modo considerando potentiam quæ in ipso est. Alio modo considerando id, quod ex parte alterius est: quod ibi exemplis reliquimus manifestum: sic homo & potest converti ad Deum per auxilium sufficiens, & potentiam proximam habitam ex tali auxilio, quæ in ipso homine sit, & per potentiam Dei, quæ illi potest pro omni momento dare suum auxilium, ut dictum est. Differentia tamen inter vtramque istam potentiam, & utrumque hoc posse est; quia si homo non habeat in se auxilium sufficiens, vel si non habet, ei tamen denegatum per priorem culpam non est, licet ex Deo illud possit habere, & sic possit converti: nullo modo imputatur sibi si non convertatur. Sicut infidelis, negativè licet possit credere, hoc modo quia Deus potest illi auxilium dare, non tamen sibi imputatur, si non credat. At verò qui potest ad Deum converti secundo modo nimirum quia auxilium sufficiens in se habet, quo proximè possit: ei imputatur quod non convertatur, & etiam imputatur illi si illud auxilium non habet; dummodo illi propter priorem suam culpam negatum sit, ut dicemus inferius. Vbi etiam ostendemus, quare infideli negativè non imputetur ex priori culpa, quod caret auxilio immediatè requisito, ad credendum, bene tamen ei imputetur carentia, seu privatio auxilij requisiti ad servanda eius mandata ordinis naturalis.

273 Quintum opponebatur argumentum ex aliquibus Sancti Patris Augustini testimoniis. Et primum desumebatur ex *Commentario ad psal. 45.* ad illa verba, *Dominus in medio eius non commovebitur.* At in illo loco solum dicit, quod Deus est in medio omnium æqualiter eis consulens sine acceptione personarum, quod esse à Sancto Doctore dictum de naturali providentia; qua omnibus Deus adest, in medio omnium existens, littera ipsa & contextus manifestant. Vnde nihil inde potest deduci pro auxilio supernaturali gratiæ, quod omnibus æqualiter tribuatur. Secundum testimonium inducebatur ex eodem Doctore Sancto *in expositione Psalmi 24.* ad illa verba, *Vniverſæ viæ Domini misericordia, & veritas:* vbi docet, quod Deus videtur omnibus primùm exhibere misericordiam; deinde si ea non bene utantur, judicium. Verùm nec ex hoc aliquid certò concludi potest pro supernaturali gratiæ auxilio omnibus dando, vt prætenditur: quia potest primò intelligi, de misericordia omnibus exhibita per naturale lumen rationis, quo Deum cognoscunt, nec tamen ex sua malitia homines & benè vtuntur, ipsum, sicut par est, glorificantes, eique gratias agentes, vt Paulus docet *ad Romanos 1.* ob quod Deus eos tradit ob justum judicium in reprobum sensum, peccatis peccata alia puniens. Vel potest intelligi secundò quod omnibus paratam habet Deus suam misericordiam per legis, & Evangelij prædicationem, quam tamen si omnibus non tribuit, est ob peccata eorum. Vnde etiam eis non dare de facto prædicationem Evangelij, & hanc misericordiam, ex justo Dei judicio provenit, volentis peccata priora eorum punire. Potest tertiò intelligi de misericordia Dei supernaturali per auxilium gratiæ, quam etiam, quantum est ex se, omnibus exhibet Deus; sed quod de facto eam illis non tribuat, itaut ipsi eam recipiant, pari modo ex justo judicio venit, quo Deus multorum præcedentia peccata punire vult. Quartò potest exponi juxta ea quæ dicta sunt suprà ex S. Prospero quod videlicet sit distributio accommoda pro universitate eorum, qui de facto à Deo receperunt divinam misericordiam per supernaturale auxilium gratiæ eis collatum: Sed quia ex sua malitia ea bene non utuntur, Deus postmodum per judicium eos castigat. Potissimum autem testimonium, in quo maior instantia fit, erat desumptum & *libro 3. de libero arbitrio cap. 18.* confirmato & relato *libro de natura & gratia cap. 67.* cuius verba ut plenè & in proprio sensu intelligantur ad præsens iterum intelligenda sunt. *Hinc*, inquit, *iam hominibus de ipsius ignorantia difficultatisque in prolem primi hominis traiectis vitiis atque transfusis, velut justam querelam deponentibus ita respondetur est. Quibus breviter inquam respondetur, ut quiescant, & adversum Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus, hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur; conantem adiuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quarere quod ignoras: nec illud quod vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare contemnis.* Quæ verba non esse intelligenda de supernaturali interno auxilio gratiæ, quod Deus omnibus nullo dempto tribuat; vel ipsa etiam primo aspectu ostendunt, dum dicunt Deum ubique *per creaturam sibi servientem aversum vocare.* Si enim loqueretur Sanctus Doctor de interno supernaturali gratiæ auxilio, non diceret, quod per creaturam Deus aversum vocat, sed immediatè per seipsum, sicut expressè docet, ubicumque de supernaturali auxilio intrinseco gratiæ sermonem facit. Igitur sensus est, quod cum Deus ubique sit præsens, & multis modis per creaturam sibi servientem vocet aversum, nempe per prædicatorem, vel per legem scriptam respectu plurium, vel per naturalem legem & rectum dictamen rationis comparatione omnium, nullus potest justè ignorantiam prætendere in sui excusationem; quod ad Deum non convertatur; sed sibi iurè debet imputari, quod non quærit quæ ei per creaturam proponuntur.

Præterea hanc esse illius loci apertam intelligentiam illa illius testimonij verba demonstrant immediatè sequentia. *Nulli enim hominum est ablatum scire quarere utiliter, quod inutiliter ignorat.* Tandem cum apertissimis verbis ibi dicat eaque referendo confirmet, *libro de natura & gratia cap. 17.* & ex divina scriptura probet; aliquando imputari homini id quod facere non potest, quia id venit ex priori eius mala voluntate, qua abstulit à se tale posse: & propter quod peccatum in pœnam illius, est ab eo ablatum tale posse, quis poterit suadere statim sequentibus illis verbis obiectis, oppositum asserere, sibique esse contrarium sanctum Doctorem, ut quod in prioribus affirmaverat, in posterioribus neget. Si enim, ut aliqui prætendunt, in illis posterioribus docet nulli hominum denegari auxilium sufficiens, quo benè operari possit; iam ergo omnis homo benè potuit ex tali auxilio operari: ergo falsum est, quod antea immediatè præmiserat; nimirum alicui imputari, etiamsi bene operari non possit, quod non benè operetur Hoc autem de tanto Doctore, & Patre Augustino, quis dicat? Patet etiam hanc esse sancti Doctoris mentem: 274

quia

Digitized by Google

quia ſanctus Proſper eius diſcipulus hanc ſolutionem amplectitur, & clarius exponit, ut viſum, & declaratum fuit ſuprà in principio *c. 11. tract. 3.* Quam procul dubio, ſicut omnia alia dicta ſua ex ſancto Patre Auguſtino deſumpſit, ita ex hoc libro hauſit.

275 Quod autem dicit ſanctus Doctor, quod Deus docet credentem, conſolatur ſperantem, diligentem hortatur, conantem adiuvat, exaudit deprecantem; conſtat quod de iam credente, ſperante, diligente, conante, deprecante ex priori gratiæ auxilio ſermonem facit, quia nullus ſine illo poteſt credere, ſperare, diligere, conari, deprecari ad effectum ut à Deo amplius adiuvetur, & exaudiatur, ut eſt certiſſimum, & in ſententia ſancti Patris Auguſtini notiſſimum, prout ſuprà ex eius mente manet oſtenſum. Similiter intelligendum eſt, quod dicit *libro de Geneſi contra Manicheos cap. 3.* explicans illud Evangelij, *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* inquiens, quod illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, nam ſolis iſtius lumen illuminat omnem hominem, *ſed opus hominis, & mortales oculos:* loquitur enim quod per rationis lumen, quod ſignatum eſt ſuper nos, omnes homines illuminat, non autem de ſupernaturali illuminatione per gratiam. Vel loquitur, & hoc eſt magis textui conforme; quod non ſicut Sol exteriorem hominem, ita illuminat hæc lux, ſed omnem hominem, & interiorem, in his videlicet qui ab ea illuminantur, ſicut alibi frequentius expoſuit, *in libris contra Pelagianos*, quam propterea explicationem diſcipuli eius ſancti Proſper, & Fulgentius ſemper tradiderunt, ut viſum eſt ſuprà.

276 Sextò loco aliqua ex ſancto Proſpero inducebantur teſtimonia, quibus non ſemel dicit generalem gratiam omnibus nationibus fuiſſe collatam, nec alicui denegari: ſed quid intelligat ipſe per hanc generalem gratiam, ipſemet clarius expoſuit, *in libro primo, de vocatione gent. cap. 5.* quod nempe ſit generalis & communis providentia, generaléque lumen rationis ſignatum ſuper nos, & univerſitas creaturarum, quæ verum eſſe Deum ſummè diligendum omnibus in univerſum proponunt, ut plenius ex ipſo dedimus manifeſtum in principio *capitis* 11. Vnde ſi teſtimonia ex primo & ſecundo libro *de vocatione gent.* opponuntur, quæ docent Deum omnibus dare generalem gratiam, quæ ſit hæc generalis gratia omnibus impenſa nationibus, ipſe ſanctus Doctor, ne quis falleretur *in primo libro de vocat. gent. c. 5.* apertius declaravit.

277 Ad Sanctum Dionyſium, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Hilarium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Paulinum, qui ſecundo loco objiciebantur, dicentes, infinitum pelagus divini luminis paratum eſſe omnibus, bonum conſilium Deum omnibus dare, nulli celatum eſſe verbum lucis, Solem Iuſtitiæ omnibus eſſe ortum, Deum omnem hominem illuminare; dicendum, quod vel loquuntur de generali rationis lumine, ut dictum eſt, quod nulli denegatur, vel de lumine ſupernaturali, quod Deus, quantum eſt ex ſe, omnibus habet paratum; licet ob delicta priora multi illud de facto non recipiant. Vel denique eſt diſtributio accommoda, prout plenius S. Proſper expoſuit atque probavit, à nobis relatus in principio *capitis* 11. qui ibi videndus eſt pro perfecta & plena intelligentia, tum Scripturæ, tum Sanctorum, cum propoſitiones has univerſales apponunt.

CAPVT XX.

Solvuntur argumenta à rationibus petita.

POſt inducta Sanctorum Patrum teſtimonia ad ſuadendum dari omnibus ſufficiens auxilium gratiæ, quæ tamen minùs id ſuadere explanatum eſt, *capite præcedenti*, octavo loco id ipſum ex ſancto Thoma 1.2. *quæſt.* 85. *art.* 6. prætendebatur ex eo videlicet, quod ibi ſanctus Doctor affirmet teneri puerum pervenientem ad rationis uſum ſe convertere in Deum tali converſione ad quam iuſtificatio ſequatur. In quo videtur idem ſanctiſſimus præceptor ſupponere, omnem illum talem puerum habere auxilium ſufficiens gratiæ, cum quo poteſt ſic ſe in Deum convertere, & ſine quo non poteſt talem efficere converſionem. Nec enim credendum eſt S. Thomam illum obligare ad converſionem, qui niſi ſufficiens gratiæ habeat adiutorium eam efficere non poteſt. 278

Attamen ad hoc dicendum, quod licet ex diſcipulis S. Thomæ id aliqui aſſerant, & ita prædictum teſtimonium intelligant, & interpretentur, quod videlicet eo ipſo, quod Sanctus Doctor eum expreſsè obligat ad converſionem talem in Deum, implicitè, & reipſa præſupponit eundem habere ſufficiens auxilium gratiæ, quo eam poteſt, ſi voluerit, perficere, & hoc ob rationem nunc tactam, & in argumento pleniùs formatam: tamen id ex illo ſancti Doctoris dicto non ſequi, vel in illo implicitè, & reipſa contineri, abundè explicatum, & probatum eſt ſuprà ex ſancto Patre Auguſtino, & eiuſdem ſancti Thomæ ſententia; qui in pluribus inductis, & expenſis teſtimoniis docent poſſe hominem obligari ad aliquid faciendum, ita quod ſi illud omittat, peccet, licet non habeat auxilium ſupernaturale quo poſſit; ſi tamen prius potuit, & ſua culpa in illam impotentiam incidit. Vnde conſequenter loquendo dicendum eſt, ſanctum Thomam, in eo quod puerum omnem pervenientem ad rationis uſum obligat ad converſionem prædictam in Deum, non præſupponere, vel implicitè, aut reipſa dicere, omnem talem habere ſibi de facto collatum ſufficiens auxilium gratiæ, nec id ex illius verbis poteſt deduci; prout plenius in reſponſione ad primum argumentum ſtatim erit comprobandum. 279

Sed & hîc advertendum Mag. Med. 1.2. *q.* 109. *art.* 3. aſſerere pervenientem ad uſum rationis tripliciter poſſe conſiderari, primo in puris naturalibus: ſi nempè de facto extraordinariè ſic crearetur. Et de iſto dicit, quod non poteſt ſe in Deum perfectè convertere ſine auxilio gratiæ, ſed malè hoc dicit, quia ut dictum eſt *noſtro tertio libro* id poſſet cum auxilio naturalis ordinis. Secundo de nato in originali peccato, ſicut omnes naſcuntur, qui in Deum ſine auxilio gratiæ ſe convertere minùs poſſet: ut etiam, tertio noſtro libro manet expoſitum. Tertiò de puero baptizato, qui etiam non poteſt facere illam converſionem in Deum ſine ſpeciali auxilio gratiæ, quod tamen nec modo probamus, quia in iſtis noſtris operibus ſæpiſſimè oſtenſum eſt. 280

Nonum argumentum ex ratione procedebat, in hunc modum. Qui non adimplet præceptum Charitatis ſeu pœnitentiæ, ſive quodlibet aliud, mortaliter peccat: ergo habet auxilium ſufficiens, ad 281

Digitized by Google

huiusmodi præcepta implenda: aliàs homines obligarentur ad impossibile, cum sine tali auxilio implere præcepta illa non possint: quod dicendum non est secundùm doctrinam Patrum atque Conciliorum, Deus enim impossibilia non iubet, ut Concilium Tridentinum docet *sess.6.cap.11.*

282 Hoc argumento aliqui ex sancti Thomæ discipulis convincuntur ad tenendum contra sententiam quam defendimus, quamque *suprà in cap.7. conclus.2.* probavimus; asseruntque illi respondendum, quod quando aliquis propria culpa caret auxilio sufficienti ad implendum aliquod præceptum, eius transgressio ei imputatur nihilominus ad peccatum. Et addunt quod ista solutio videtur habere fundamentum in sancto Thoma *3.contra gent.cap.160.* & etiam in sancto Augustino *de corrept. & gratia, cap.11.* Quibus non obstantibus ipsi prædictam solutionem non admittunt, sed ut dictum est, argumentum insolubile & efficax reputant, asserentes præter illud; quod cum tale præceptum instat, omnibus Deus dat sufficiens auxilium, ut illud possint implere; quia aliàs homini transgressio talis præcepti non imputaretur. Ad authoritatem autem sancti Thomæ inductam respondent, quod in illo loco sanctus Doctor loquitur apertè de privatione auxilij efficacis, quia dicit *in cap.159.* quod Deus est, quantum est ex se, paratus dare omnibus gratiam, quod explicat exemplo solis, qui ex parte sua omnes illuminat. Ad aliam autem ex sancto Patre Augustino respondent, illum solùm dicere, quod in natura lapsa sit pœna peccati, quod non datur ei auxilium quo perseverare possit, non tamen sentit, quod sit novum peccatum si non perseverent. Probant postremò ratione duplici hanc suam sententiam: Primò, nam aliàs qui culpa sua incidit in amentiam peccaret mortaliter non ieiunando, vel non audiendo missam suo tempore; nam etiam sua culpa factus est impotens ad huiusmodi præcepta implenda. Secundò, quia similiter motus inordinati appetitus sensitivi, qui nullo modo præcaveri possunt imputarentur ad culpam infidelibus, eo quod impotentia ad cavendum talos motus ortum habuit ex præcedenti peccato originali. Hæc tota illorum resolutio est in hac parte.

283 Verùm istorum authorum sententia in plurimis deficit. Primò in eo quod omnibus dicit dari auxilium sufficiens. Secundò in eo, quod si aliquibus non datur, cum sine illo implere homo præceptum non possit, non ei imputatur si illud fuerit transgressus. Tertiò in eo quod S.Thomam loqui exponit tantum de privatione auxilij efficacis, non sufficientis. Quartò quia asserit S.Patrem Augustinum tantùm docere quod negatio talis auxilij sit pœna peccati; non verò quod novum peccatum homo committat, cum sine tali auxilio præceptum transgrediatur. Deficit præterea in rationibus quas inducit.

284 Et quia duo priora, nimirum quod omnibus detur auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & quod si non datur, transgressio præcepti homini non imputetur, satis copiosè, & ut arbitramur efficaciter à nobis impugnata manent in superioribus, ubi ad plenum ostendimus ex apertis sancti Patris Augustini testimoniis, illisque multiplicatis, & ex aliis ex S. Thoma adiunctis, verisque rationibus non dari omnibus in universum hominibus auxilium sufficiens, etiam ad servanda naturalia legis præcepta, & nihilominus verè illis ad culpam imputari, quod illa transgrediantur, quia ex priori illorum culpa talem impotentiam incurrerunt, prout ibi pleniùs probatum est; ideo id amplius probare non opportet, sed tantum alia horum authorum dicta confutare. Quod enim instant, illi homini hebeti, & nunc impossibile esse illud præceptum, & impossibile sibi reddi, dicendum esse impossibile non absolutè, nec ex aliqua causa antecedenti eius malam voluntatem, sed sibi reddi impossibile per eius malam voluntatem, vel actualem, vel qua in primo parente peccavit. Vnde sibi per suam malam voluntatem, *quia* factum est impossibile, meritò imputatur *ad culpam*, quod tunc peccat.

Similiter dicendum ad decimum argumentum posse quidem omnes viatores ad Deum converti, dum sunt in via, sed ad hoc sufficit quod per liberum arbitrium adiectum per gratiam, quam Deus cuilibet viatori donare potest, posse ad Deum converti, prout in superioribus ex aperta sententia S.Thomæ manet expositum.

Illud quod de sancto Thoma Commentantur, 285
quod videlicet in illo citato loco *ex 3.contra gent. cap.160.* solum loquatur de privatione auxilij efficacis, quod solùm illis negatur, qui ei impedimentum ponunt, non autem de privatione auxilij sufficientis, cum littera sancti Doctoris stare non potest. Oportet enim attendere ad verba & contextum doctrinæ, tam in illo *capite* 159. quam *in* 160. sequenti, & plenam S.Thomæ sententiam ex eis desumere, *in capite* enim 159. à principio opponit argumentum, quod non sit homini imputandum ad peccatum quod non se convertat in Deum per actum fidei, spei, dilectionis, & perseverantiæ, quia hæc habere non potest sine auxilio divinæ gratiæ; præcipuè cum auxilium divinæ gratiæ mereri non possit. Nulli enim imputatur quod ab alio dependet: hoc est argumentum formatum in principio illius capitis à sancto Thoma, in quo proinde nomine auxilij divinæ gratiæ, non tam loquitur de auxilio actuali, quam de auxilio gratiæ iustificantis, hoc enim est, sine quo non potest homo habere actum fidei, spei, dilectionis, ac perseverantiæ per quos credit in Deum, & se in illum convertit. Vnde potissimè per auxilium divinæ gratiæ intelligit gratiam iustificantem. Quod clarius constat ex solutione quam prædicto adhibet argumento. Respondet enim *quod licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat. Nam Deus paratus est secundùm se eam omnibus dare, qui ei impedimentum non ponunt. Vnde merito imputatur eis ad culpam, qui impedimentum gratiæ præstant, sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur.* Quæ solutio, atque responsio potissimè de gratia iustificante procedit, quam Deus est paratus omnibus dare, qui ei impedimentum non præstant: quod etiam exemplum de sole inductum satis indicat.

In *capite* autem 160. sequenti ulterius proce- 286
dit sanctus Thomas ad ostendendum quod peccator qui per præcedentem inordinationem in malum declinavit, iam non habet in sua potestate non ponere impedimentum gratiæ, quod probat in principio illius capitis. Quia tamen posset aliquis ex hoc inferre, quod si non habet in sua potestate quod impedimentum gratiæ non præstet, non imputetur ei ad culpam, si ex defectu illius in peccatum cadat, hoc excludens ita concludit. *Quamvis autem illi qui in peccato sunt vitare*

non

Digitized by Google

non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, ut ostensum est, nisi auxilio gratiæ præveniantur, nihilhominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit. Vbi apertissimè loquitur de homine peccatore, cui omne negatur auxilium gratiæ; tam efficax, quam sufficiens; quia loquitur de peccatore, qui non habet in sua potestate, quin impedimentum gratiæ ponat. Est autem manifestum, quod si sentiret illum recipere sufficiens auxilium, assereret, quod per illud haberet in sua potestate posse auferre impedimentum gratiæ, sicut revera potest. Vnde manifestum est ipsum loqui depeccatore cui nullum auxilium etiam sufficiens datur, quo possit non præstare impedimentum gratiæ, & tamen clarissimè docet, quod ad culpam ei imputatur, si in peccatum cadat, etiamsi auxilium sufficiens non habeat, quo illud possit evitare, ex eo quod ex sua priori culpa illam impotentiam incurrit. Quod exemplo de ebrio committente homicidium probat. Et sic manifestum est, quam defendimus sententiam sancti Thomæ esse expressam; & oppositam totaliter per sanctum Doctorem excludi: quod ab eius discipulis erat considerandum.

287 Similiter ponit distinctionem inter auxilium gratiæ, quo potest homo non prestare impedimentum gratiæ, & gratiam ipsam, intelligens per gratiam, iustificantem, ut diximus. Parique ratione, quod contra expressam sancti Patris Augustini mentem atque sententiam exponant, illud ipsius dictum, quod habetur *lib. de corr. & grat. cap. 3.* nec est dubitandum. Etenim in illo libro sanctus Doctor ad illud argumentum respondere procurabat, quo aliqui sic argumentabantur. *Præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, quia nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant si non fecerimus.* Et huius suæ excusationis rationem reddebant, quia ex Deo non acceperunt gratiam ut starent, nec eam ipsi possent habere, nisi eam ipse illam eis daret. Vnde sic concludebat sic opponens. *Rectè autem corriperer, si eam mea culpa non haberem, hoc est, si eam mihi possem dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante illo accipere noluissem: cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparatur, cur me corripis quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Ex quibus satis clarè constat, qui sic argumentabantur excusationem prætendisse, quando peccabant, & divina mandata non custodiebant: contendentes talia peccata sibi ad culpam imputari non debere, ex eo quod non acceperant gratiam per quam illa vitarent. Hæc tota argumentium intentio erat, ut constat ex prædicto libro *cap. 3. & 4.* sicut tota sancti Patris Augustini fuit à capite. 5. eiusdem libri, & sequentibus, hoc eorum argumentum solvere, & ostendere, quod iustè quando homines peccant, eis peccata imputantur. Vnde statim in principio *cap. 5.* ita dicit. *Ad hæc respondemus, quicumque Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis.* Et rationem reddit continuò subiiciens: *tuum quippe vitium est, quod malus es, & maius vitium corripi nolle, quia malus es.* Ad ostendendum autem quod homines vitio suo mali sunt, & quod iustè propterea eis peccata commissa imputantur, in toto processu libri, eiusque contextu hoc demonstrat, discurrendo per omnes homines qui peccant.

Vel enim argumentum prædictum potest fieri 288
de primo homine peccante, vel de iustificato quolibet à iustitia decidente, vel tandem de illis qui in peccato originali sunt, nondum levati; & eadem ratio à fortiori est de peccatoribus, qui post baptismum in peccatis actualibus detinentur. Et quidem si de primo homine argumentum fiat, Respondet Augustinus, quod ille non potest dicere, non accepi gratiam; quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Et idem respondet de quolibet iustificato qui acceptam gratiam sua culpa deperdit. Quod si dicatur, quod licet uterque acceperit gratiam iustificantem, non tamen accepit donum gratiæ perseverantiæ, quo de facto perseveraret, ad hoc respondet idem sanctus Doctor, quod uterque & iustificatus homo, & Adam potissimè, in iustitia originali conditus acceperunt donum quo perseverare possent, si voluissent, & sua culpa perseverare noluerunt; unde eis meritò imputatur ad culpam quod non perseveraverint. De nondum verò regeneratis respondet, eis iustè imputari quod peccent, & inobedientes Deo sint, quia non attendunt, quod si nondum regenerati, sed peccato originali alia superaddunt actualia peccata, huius prima causa ex peccato originali est: quia Deus à principio fecit hominem rectum: ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ex ipso homine est. Et sic licet isti nondum regenerati non accipiant gratiam; qua præcepta sibi iam cognita implere possint, sicut eam acceperunt Adam & quilibet iustificatus ut perseverare possent, tamen quod in peccata labantur, & divina præcepta non adimpleant, eis rectè ad culpam imputatur, quia ex priori sua culpa saltem originali eam non acceperunt. Et sic solvit omni ex parte suprapositum argumentum. Et hæc est principalis intentio sancti Doctoris in *toto lib. de corrept. & grat.*

Vnde asserere sententiam sancti Patris Augu- 289
stini esse in isto libro potissimè *cap. 11.* quod quibus modo auxilium, quo possint divina implere mandata, denegatur, iam talis denegatio pœna peccati est, sed non est novum peccatum, cum in vlterius peccatum sine tali auxilio præcipitatur, contra expressam mentem & intentionem Sancti Doctoris in toto illo libro publicatur.

Quod evidentiùs etiam liquet ex expressis ver- 290
bis illius *cap. 11.* ad quæ si attenderent authores cum quibus ista modo tractamus, à tali explicatione cessarent. Nam verba sunt. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere, si vellet: non utique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo perseverare non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Sentit ergo, quod sicut si non habuissent Angeli, & Adam illud adiutorium quo perseverare possent, quia ex priori culpa eis non esset denegatum, non sua culpa cecidissent; ita quibus modò in pœnam præcedentis peccati negatur, sua culpa cadunt, propterea quod ex priori eorum culpa eis negatum fuit. Itaque in ordine ad imputationem sequentis peccati semper loquitur Sanctus Doctor, & in toto contextu libri, ut ostensum est, & signanter, ac clarius *in illo cap. 11.* In quo

Digitized by Google

declarat quomodo Adamo, vel Angelo non imputaretur ad culpam si caderent, non habentes adiutorium quo possent perseverare, bene autem modo imputatur ad culpam eis, qui in peccata prorumpunt; etiamsi aliquibus eorum adiutorium, quo possent non peccare, denegetur; quia talis denegatio pœna peccati est. Ista est absque dubitatione aliqua aperta mens Sancti Augustini, quam & verba clarius manifestant. Sed ad tollendam omnem dubietatem ipsemet Sanctissimus Doctor *primo libro retract.* expressè docet, quod non potest tentationi resistere, ita est illa impotentia pœna peccati, quod simul sit peccatum. Verba ipsa luce sunt clariora: *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, iam hoc peccatum est, ut sit & pœna peccati.* habetur hoc 1. *retract. cap.* 15. similiter *lib. de perfectione justit.* contra Cœlestium prætendentem non posse homini imputari ad culpam, quod non faciat id, quod facere non potest: Respondet Sanctus Pater Augustinus, quod si non potest homo, potuit, & ob suam primam culpam amisit illud posse. Tantùm ergo abest, sententiam Sancti Augustini esse non imputari homini ad peccatum si non potest, cum per priorem culpam posse ei ablatum est, quin potiùs, debere tunc homini ad culpam non imputari, est ipsum unicum argumentum & fundamentum Cœlestij Pelagiani, ad quod si adverterent, nec talem sententiam authores isti defenderent.

291 Tertiò quomodo authores, qui aliter explicant illum locum, possunt asserere quod in illo S. Doctor affirmet aliquibus modò de facto negari auxilium & adiutorium quo possent vlterius non peccare, & rursùs quod incidentes sine illo in peccata non verè eis ea imputentur. Cùm enim ipsi, ut evadant hoc inconveniens, quod peccata facta ab hominibus eis non imputentur: dicant semper auxilium sufficiens eis dari, quo possint non peccare, quia vident absurdum & intolerabile esse, quod aliàs homines committerent peccata, & ea eis non imputarentur, quo nihil potest dici absurdius: Cum, inquam, ad evitandum hoc impossibile asserant eis dari auxilium sufficiens, quomodo illud impossibile Sancto Patri Augustino ipsi attribuunt, admittentes ex una parte, ut littera aperte sonat, quod modò aliquibus denegatur tale sufficiens auxilium, & ex alia, quod dicat Sanctus Doctor quod illa denegatio est tantum pœna peccati, non est autem peccatum novum id quod contra Dei præceptum efficiunt? mirandum est planè quod ista non videant.

292 Præterea in ductum testimonium Sancti Patris Augustini ex *libro de perfect. Iust. sup. cap.* 7. quod ex parte factum est modò, clarissimè ostendit, quod quamvis homo modò non possit non peccare, ei tamen peccatum imputatur, qui præterita voluntate hoc fecit; si enim non potest, potuit, & sua culpa, inquit, illam incurrit impotentiam. Numquid non apertissimè ibi homini peccatum à se commissum imputat, dato quod id non possit evitare, quia ex priori peccato hoc fecit? Nunquid non suam mentem aperuit, & horum authorum explicationem reiecit, & ut sibi manifestè contrariam illorum sententiam, qui dicunt non posse imputari homini novum peccatum, si non habeat auxilium sufficiens, penitus reprobavit.

293 Tandem, quod maius est, refert sanctus Doctor Augustinus *lib.* 1. *ad Bonifacium cap.* 2. Iulianum tale adversùs eum, & alios gratiæ defensores opposuisse argumentum, *Dicunt*, inquit, *illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id est toti isti quibuscum dissentimus, quia primi hominis peccato, id est Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis necessitate cogantur.* Quod argumentum ideo Sancto Doctori obiiciebant, quia docebat existentes in peccato originali non habere ex se potestatem vitandi peccatum, nisi adiuvarentur auxilio gratiæ, quod tamen non dari omnibus sustinebat; aliàs si omnibus esse datum fateretur, nec illud argumentum posset ei opponere Iulianus, quia constaret tunc quod ex illo haberent homines potestatem benè vivendi, si vellent. Igitur ideo illud opponebat Iulianus, quia dicebat Sanctus Pater Augustinus, eos non habere ex se potestatem benè vivendi, & ex hac eis negata potestate vivendi benè inferebat Iulianus, tales homines non liberè peccare, nec eis peccata imputari: quia ex necessitate peccabant, supposito quod non habebant possibilitatem ad non peccandum. Quod argumentum si attendatur simile est, si iam non est idem, cum eodem quod modò formatur, dicendo quod aliquibus negatur nunc, & tamen quod peccatum ab eis sic commissum non eis imputatur ad culpam: quia non habent facilitatem ad aliud faciendum; negata autem eis possibilitate ad non peccandum, negata & peccati imputatione, necesse est quod negetur peccatum ab eis liberè committi, sed ex necessitate, ut dicebat Iulianus, quia si liberè illud committerent, nec negarent quod eis imputaretur.

Quid autem sanctus Doctor illi argumento respondeat audiamus. *Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere,* &c. Et post pauca, *nam liberum arbitrium usque à Deo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.* Quibus verbis nonne manifestè dicit, quod etiam si homines non habeant potestatem bene vivendi (hæc enim aliquibus datur per gratiam, nec habetur ex libero arbitrio) adhuc non bene viventes peccant, vereque liberè peccant, & verè eis imputatur peccatum? Et ratio est, quia aliud est sufficientia ad non peccandum, aliud libertas; sufficiens eis deest ad bene vivendum, non autem libertas, qua liberè volunt, & cum delectatione peccatum? de quo satis egimus *libro nostro* 3. *in fine.* 294

Opponere tamen possunt quod sanctus Pater Augustinus 1. *libro expositionis quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos propos.* 62. sic de Pharaone dicit. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperavit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.* Et *quæst.* 18. *in Exodum* de eodem ait, *quod non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, dispensationis fecit divinæ, qua tali cordi non solum iusta, sed evidenter iniusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.* 295

Ad primum horum dicendum, illas explanationes Epistolæ ad Romanos scripsisse Doctorem sanctum, ut ipse testatur 1. *retract. cap.* 23. cum adhuc esset presbyter, nec in his materiis tunc ita, sicut postea versatus. Vnde in aliis posterioribus opusculis, & libris contrarium omnino docet, non solum generalitate doctrinæ, vt ex allatis, & superioribus inductis eius testimoniis satis liquet: verùm in particulari loquendo de 296

eodem

Digitized by Google

eodem Pharaone ut patet primò ex *lib.* 83. *quæst.* *q.* 68. ubi sic habet: illi nempe Pharaoni, *non defuisse vocationem cui posset obtemperare.* Et exponens ibi hanc vocationem, quæ illi non defuit, & cui poterat obtemperare, hanc vocationem fuisse memoriam de bonis, quæ receperat terra sua ex Joseph, ut propter hoc à persecutione Israelitarum desisteret. Vbi, quod venit advertendum, nec auxilium supernaturale gratiæ dicit in illa obduratione Pharaoni fuisse concessum. Sed prædictam illam quam appellat vocationem, cui poterat obtemperare: unde illi non obtemperando peccavit. Clarius *sermone* 88. *de tempore* ex instituto refellit eos, qui dicunt Pharaoni non fuisse imputandum ad peccatum quòd fecit cum erat induratus. Imò *lib.* 1. *retract. cap.* 15. hanc & alias similes propositiones retractat, dum sic dicit. *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ iam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati:* Circa quod patentissimum testimonium, ex aliquorum expositione, quod loquatur de cupiditate ita cogente, quod tollat libertatem quæ falcissima est, contra propriam naturam cupiditatis, quæ nisi in motibus primis libertatem auferre non potest; & quæ etiam expressè est contra litteram, quæ asserit expressè peccatum esse quod tunc voluntas facit, quod sine libertate non fit: Dicendum ex hoc testimonio expressè haberi, quod non habens auxilium sufficiens ex viribus suis non potest resistere cupiditati cogenti, quia tamen ex priori eius culpa est, quod non possit resistere non resistendo peccat & ita illud peccatum est, quod simul est pœna peccati.

297 Ad secundum testimonium dicendum, ideo dixisse Sanctum Patrem Augustinum Pharaonem inflexibiliter restitisse, non quod absolutè non posset non resistere, sed quia ex hypothesi induratæ voluntatis ob priorem culpam suam inflexibiliter resistebat, sed liberè, quam libertatem ipse in se experimento probabat.

298 Sed opponunt aliqui totam hanc doctrinam, qua ex Sancto Patre Augustino monstravimus, peccare hominem cum facit contra præceptum, etiam si non habeat auxilium sufficiens, quo possit evitare peccatum, cum ob priorem ipsius culpam ei auxilium quo possit, negatur, retractatam esse in simili *in* 1. *lib. retract. cap.* 10. illis verbis. *Verum est enim, omnes homines hoc posse, id est divina implere, & ad id se posse convertere si velint sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint.* Ex quibus inferunt, omnibus dari auxilium sufficiens, quo possint divina implere mandata: & per consequens, retractasse omnem aliam oppositam prioribus libris traditam sententiam.

299 Cæterum sine causa hoc prætendunt, ibi enim solùm explicat quod dixerat *secundo libro de genesi contra Manichæos* omnes homines si velint, posse se convertere ad divina mandata implenda; id posse per auxilium divinæ gratiæ, ne putarent Pelagiani id dictum fuisse; quasi id possint solis naturæ viribus, & hoc tantum ibi exponit, atque declarat; non tamen ibi dicit, illud auxilium gratiæ omnibus dari; unde nec retractat, quod sæpius dixerat, aliquibus nempe propter præcedens peccatum saltem originale denegari: Vnde & *capite* 9. *eiusdem libri* hoc solum dicit, quod sine auxilio gratiæ piè rectèque mortalibus vivi non potest, non tamen dicit, quod tale auxilium omnibus detur. Ad salvandam autem hanc propositionem, quod omnes homines possunt, si velint servare divina mandata: non requiritur; quod omnes homines habeant de facto sibi datum divinum auxilium; sed quod per liberum arbitrium si velint, & per divinum auxilium gratiæ quod Deus eis potest dare, possint divina servare mandata: sicut docet Sanctus Thomas, quod infideles possunt intrare in Ecclesiam, per liberum nempe arbitrium & per auxilium gratiæ, quod Deus eis potest tribuere. Similiter in omni temporis instanti potest viator se ad Deum convertere, non tamen, secundùm omnes, pro omni instanti habet sibi datum gratiæ auxilium; sat est, quod pro omni instanti illud ei Deus dare possit, ut verificetur quod pro omni instanti potest se ad Deum convertere, ut in superioribus dictum est sæpe. Præterea quod nullo modo retractaverit sententiam sanctus Augustinus *illo loco*, patet, primò ex sancto Thoma fidelissimo eius interprete qui 2. 2. *loc. cit.* docet ex sancto Patre Augustino, aliquibus negari auxilium propter peccatum præcedens, saltem originale. Constat secundo, quia in nullo loco illorum duorum librorum *de retract.* invenitur retractata aliqua sententia pertinens ad gratiæ donum, quam tradidit contra Pelagianos. Dixi pertinens ad materiam divinæ gratiæ, quia in *secundo lib. cap.* 37. retractat ex *lib. de spiritu & littera*, quod *ceremonia* veniat à verbo carendo; & *cap.* 62. retractat quod dixerat in quinto libro contra Iulianum, quod scilicet posuerit ut certum nomen cuiusdam, quod tamen certum non erat. Tandem quomodo id retractare dicitur *in* 1. *retract. cap.* 10. cum statim *cap.* 15. potius tale quid appareat de novo confirmatum, ut visum est modò. Videatur totum caput nonum illius prioris libri retract. & constabit quod asserimus iterum ibi traditum, & confirmatum.

Sicut nec Sanctus Thomas, nec Sanctus Pa- 300
ter Augustinus, ut visum est supra, illorum sententiæ favent, qui dicunt, non imputari homini ad novum peccatum illud quod ipse committit non habens sufficiens gratiæ auxilium sine quo ipsum vitare non potest: Ita nec utraque ratio quam ad id suadendum inducunt, efficax est. Prima namque id probat, quia aliàs peccata quæ insanus vel amens committit in amentia, causata ex sua priori culpa homini ad culpam imputarentur: quod tamen ipsi putant non esse dicendum.

Ad quod tamen respondemus primò, quod 301
si hoc argumentum ab aliis authoribus esset oppositum, qui extra scholam Sancti Thomæ sunt, & qui opinantur homini non imputari ad peccatum illud quod non est in sua potestate quando committitur, licet ortum habuerit ex priori culpa sua, nec miraremur: At quod obiiciatur à Sancti Thomæ discipulis, qui scire tenentur eundem Sanctum Doctorem, quem & schola sequitur, ne dum in relatis locis superiori capite, verum *In* 2. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 3. *&* *q.* 150. *art.* 4. *&* 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. tenere & docere effectum causam voluntariam subsequentem voluntati imputari debere, eo etiam tempore quo in potestate nostra non est, ut de ebrietate apertè dicit *prad.* *q.* 150. & alibi. Et eadem prorsus ratio de amentia est (solùm enim ab ebrietate distat quantum ad hoc, quia illa diuturnior est, quam ebrietas) planè nec videmus quomodò tali argumento ipsi convincantur, si iam non velint expressam Sancti Thomæ doctrinam in inductis locis deserere, &

contrariæ

Digitized by Google

contrariæ assentiri, & ista sit argumenti huius prima solutio.

Secundò respondemus, dato & concesso quod peccata facta in ebrietate, vel amentia causata ex priori culpa non imputarentur homini ad novam culpam, sicut aliis authoribus placet, nimirum Gabrieli, Almaino, Maiori, Castro, Covarruviæ, Cordubensi, Ioanni Azor, & aliis recentioribus, nihilominus justè imputatur homini peccatum quod committit in hoc statu, carens auxilio sufficienti, sine quo ipsum euitare nequit. Hanc enim solutionem generalem assignamus, quia possunt eâ legitimè vti authores vtriusque sententiæ relatæ.

302 Ratio enim utriusque casus est valde diversa: nam in casu ebrietatis, vel amentiæ postquam vtraque semel est habita ex priori culpa, nulla libertas manet in homine respectu operum, quæ postea efficit; sed illa vt equus vel mulus exercet. Cæterum qui peccat sine auxilio sufficienti quo ob priorem suam culpam sive actualem, sive originalem privatus est, postmodum liber manet in peccato sequenti commisso, & sua libertate illud exercet, videns & sciens quod illud efficere non debet; quamvis enim sufficientia proxima careat ad illud evitandum, tamen libertatem habet ad utramque partem, & liberè in peccatum vult consentire. Aliud enim est libertas ad peccandum & non peccandum, & hanc habet; aliud sufficientia ad non peccandum, & hanc ex sua culpa priori non habet. Vnde licet ebrio, vel amenti peccata talia sequuta non imputarentur, meritò tamen homini sine auxilio sufficienti peccanti peccatum imputatur, ob differentiam assignatam.

303 Respondetur tertiò ad exemplum quod de amenti proponunt, & quidem supponimus primò quod amentia dupliciter potest sumi, primo pro ipso defectu mentis, qui accidit ex aliquo hominis actu, ex quo amentia causata est. Alio modo sumi potest pro actu illo, qui defectum talem causavit: sicut de ebrietate sanctus Thomas simili modo distinguit. 2.2.*quæst.* 150.*art.* 1. In præsenti autem quæstione sumitur pro ipso defectu mentis causato ex aliquo defectu hominis non quomodolibet, sed culpabili, ut notum est; sed & actus ille culpabilis, ex quo fit homo amens, latitudinem potest habere nec enim in indivisibili consistit. Tripliciter enim potest contingere. Primò ita quod prorsus nesciat homo actum esse immoderatum & potentem amentiam causare, & sic amentia poterit esse sine peccato. Alio modo quod percipiat homo actum esse immoderatum, non tamen existimet illum potentem amentiam causare, & sic amentia potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse quod aliquis bene advertat, & actum esse immoderatum, & potentem causare amentiam, & tamen magis vult illi periculo se exponere, quam ab actu cessare, utpotè si nimio & diuturno furore agitetur, & ei dicatur ut abstineat, seque refrænet, quia poterit in amentiam incidere, nec faciat, sed de facto amens fiat. Et in hoc tertio casu dicitur quis propè amens ex culpa sua, iuxta dicta sancti Thomæ in simili de ebrietate 2.2. *quæst. citata art.* 2. similis namque ebrietas est amentiæ, quantum ad privationem rationis, cum hac differentia, quod illa est transiens, ista perpetua & diuturna, ut dictum est suprà. Tertiò potest quis postquam actum inordinatum effecit, & quem scit posse amentiam causare, de illo pœnitere, ipsum retrahere antequam amentiam incurrat.

Quibus habitis resolutione dicendum est primò Quando actus, qui ab homine fit, vel peccatum non est, vel solum est veniale, modo dicto, & tamen amentiam incurrit, peccata quæ postmodum in amentia exercet, ei non imputantur, quia ex culpa eius per se talis amentia non evenit, sed valde per accidens. Vnde sicut à culpa, vel saltem à mortali excusatur, sic operans à fortiori, à culpa debet saltem mortali excusari, cum post amentiam peccata, quæcumque illa sint, committit. Et ratio est, quia non potest *magis* tunc peccare, quam peccavit in causa, ex qua amentia consequuta est. In hac omnes debent convenire. 304

Dicendum secundo. Quamvis quis advertat actum quem facit esse inordinatum, & potentem amentiam causare, & tamen ab eo non abstineat, sed ex illo amens efficiatur, si tamen de illo pœniteat, ipsumque retractet, & nihilominus amentia postmodum consequatur, non ei imputantur ad culpam peccata, quæ in amentia postmodum efficit. In hac conclusione etiam Doctorum convenientia est, & ratio efficax est, quia eo ipso quod à priori voluntate receditur, iam non ex ea, sed aliunde amentia illa emanat; & similiter dicendum de ebrio est; nec enim ipsi peccata in ebrietate commissa debent imputari, si de causa ebrietatis, nimirum de inordinato potu inebriante, pœnituit priusquam ebrietas sequeretur. 305

Sed ex utroque isto casu nullum penitus argumentum desumitur ad suadendum nec imputari homini carenti auxilio sufficienti ex culpa sua, sine quo non potest evitare peccata in quæ postmodum incidit, ut est manifestum, quia in homine ex culpa eius priori mortali, vel saltem originali, per se sequitur carentia talis auxilij, nec unquam talis homo per pœnitentiam priorem illam malam voluntatem retractavit, quin potiùs in ea nova addendo peccata manere vult, ut statim declarabimus. 306

Dicendum tertiò, cum quis in ebrietatem vel amentiam incidit, prævidens occasionem & periculum ibi instare alia committendi peccata, quia experientia ebrius cognoscit se illa committere solere, vel quia ex innato furore prævidet homo quod in amentia peccata committet; tunc peccata, vel in amentia, vel in ebrietate commissa illi imputantur, quia ex causa sua, vel origine voluntaria sunt. In hac etiam conveniunt authores, qui sine tali prævisa occasione & periculo peccandi nolunt amenti vel ebrio absolutè imputari peccata, quæ committunt in amentia, vel ebrietate, de quo videat Ioan. Azor. *libro primo, Inst. mor. c.* 14. §. *hæc opinio.* 307

Dicendum quartò, & ultimò, etiamsi expresè talis occasio, & periculum alia committendi peccata prævisa non sint ab homine se inebriante, vel ex culpa sua, suprà tertio membro explicata, in amentiam incidente: Nihilominus si ebrius, vel amens ex culpa sua fiat, sumens vel immoderatum vinum inebriare solens, vel exercens talem immoderatum actum, quem scit posse amentiam causare, utrique peccata postmodum inebrietate, vel amentia commissa imputantur ad culpam. Quamvis enim authores, quos refert & sequitur Ioannes Azor. *supradicto primo libro, Instit. mor. cap.* 5. id inficientur, tamen ut prædictus author fatetur illud concedunt Alexander Altisiodorensis, Sotus, imò S. Thomas 1. 2. *quæst.* 71. 2. 2. *quæst.* 79. *citata, & quæst.* 150. *relato art.* 2. *& 3. cont. gent. cap.* 160. quod suprà manet explicatum. In quibus locis expresè docet quemlibet effectum 308

ex

Digitized by Google

ex causa voluntaria sequutum voluntati imputari debere, eo etiam tempore, quo in potestate nostra non est: & exemplum ponit expressè in ebrietate *predicta quæst. 150. art. 2. & 3. contra gentes citato*, & de omissione tempore quo currit præceptum audiendi Missam, etiamsi tunc eam audire non possit: si tamen ex priori culpa se impedivit, exemplum adhibet 1.2.*citato art. & 2.2.quæst. 79. relata*. Et ratio est, quia per se ex ebrietate, vel amentia sequitur quod homo peccata committat; & est valde per accidens, quod id non fiat. Unde qui ex culpa se inebriat, vel in amentiam incidit, eo ipso dat culpabilem causam peccatis aliis, illaque verè in sua causa, & origine voluntaria sunt; quod sufficit, etiam secundum authores alios, ut præmisimus, ut illa verè homini imputentur. Sicut ergo imputantur ebrio ad peccatum quæ in ebrietate commisit, si advertens, quod se inebriando alia potest moraliter peccata committere, multò magis imputatur ad peccatum illi, qui advertens quod moraliter potest peccata alia committere, moraliter peccando, voluntariè peccat.

309 Deinde quis Catholicorum est, qui nesciat peccatum quod committit, ipsum reddere Dei inimicum, & ipsum privare divina gratia, eique impedimentum ponere. Sed & primus parens in illo primo peccato; quod ad nos originaliter transfudit, & in illo omnes peccarunt, optimè omnia ista præscivit, & omnia eius posteritati imputantur, unde in illo peccato omnes voluerunt se impedire, & gratiæ impedimentum apponere.

310 Tandem sanctus Thomas in omnibus inductis locis, & sanctus Pater Augustinus hanc limitationem nullo modo addiderunt, sed generaliter docuerunt, quod peccator per præcedentem inordinationem peccati impedimentum gratiæ apposuit, propter quod iustè sibi imputatur, si non habens divinum auxilium peccat. Et quidem, nisi sic generaliter loquerentur, manifestum esset, quod prædictæ difficultati non satisfacerent, & argumentis non respondeient: quod, ut ex sancto Patre Augustino relatum est, à Celestio sibi fuerat obiectum. Vnde illud sanctus Doctor non solvisset, quod nullo modo potest admitti. Patet hoc satis clarè, quia si generalis non est solutio de omni peccato ab homine commisso, poterat Celestius, & alij hæretici dicere, quod regulariter qui peccat, non vult expressè se impedire à gratiæ susceptione, nec intendit ei impedimentum ponere, & ex consequenti non illis peccata, quæ postea sine auxilio gratiæ committunt, poterunt regulariter imputari, & sic solutio S. Augustini, quam postea sequutus S. Thomas fuit, nulla penitus redditur.

311 Sic ergo ratio ad propositum nostrum formetur. Secundum sanctum Thomam ebrio, & idem est de amente, qui ex culpa se inebriavit, vel amens effectus est, verè imputantur peccata quæ in ebrietate vel amentia committit, & si tunc ea non possit non committere, quia hæc impossibilitas ex ipsorum priori culpa dimanat, in qua sicut in causa voluntaria fuerunt: ergo à fortiori homini non habenti auxilium sufficiens pro isto statu, imputari debent peccata quæ committit, & quæ sine auxilio illo evitare non potest, quia hæc impossibilitas ex ipsius priori culpa manavit: in qua prædicta sequentia peccata sicut in causa voluntaria fuere. Patet consequentia, quia homo ille libertatem tunc habet cum illa committit, quæ tamen in ebrio, vel amente non est: ergo à fortiori sibi debent imputari.

312 Præterea idem sanctus Thomas *utroque loco citato ex 1.2. & 2.2.quæst. 79.* apertius docet *solutione ad tertium*, quod peccatum omissionis incipit, veréque homini imputatur, quando aliquis tunc est impotens ad faciendum actum debitum, si ex priori culpa se reddit impotentem, & ponit exemplum in ebrio, qui non potest surgere ad matutinas; & alibi ponit exemplum in dormiente, qui non potest audire Missam, tempore quo tenetur. Ergo ob rationem factam à fortiori, imputatur peccatum homini illud operanti sine auxilio sufficienti.

Tandem qui projicit breviarium in flumen, & 313
sic se impedit ad recitandum divinum officium, peccat verè tempore quo illud postmodum tenetur persolvere, etiamsi tunc sine breviario illud non possit dicere, quia in priori culpa, qua breviarium in flumen misit, voluit non persolvere officium: ergo à simili in casu, homini peccanti sine auxilio sufficienti imputatur peccatum, quia per priorem culpam à se tale auxilium ejecit, & in tali eiectione voluit alia peccata committere, sicut & de facto committit. Si autem uterque per pœnitentiam de priori culpa dolerent, fateor quod sequentia peccata eisdem non imputarentur.

Ad decimum principale & ultimum iam abun- 314
dè dictum est suprà atque monstratum, qualiter nimirum potest homo quicumque viator in quolibet instanti ad Deum converti, etiamsi de facto non habeat auxilium sufficiens, quia illud ei Deus potest dare, & ipse illud potest recipere, quod sufficit, ut verificetur posse illum in Deum converti. Et ista sufficiant de hac quæstione auxilij sufficientis.

Et eodem prorsus modo respondetur ad secun- 315
dum, quod opponebant, sequi videlicet quod motus primò primi pravi in infidelibus sint peccata; quia ex eorum priori mala voluntate consecuti sunt quod tamen videtur contra commune Theologorum proloquium, quo dicitur illos utpotè antevertentes omnem rationis usum peccata non esse, nec venialia. Ad hoc enim dicendum nullum hoc esse inconveniens, quod pro inconvenienti opponitur; imò verum esse in infidelibus illos motus primò primos peccata esse, venialia saltem, quia fuerunt voluntarij, vel sunt voluntarij in prima causa voluntaria, qua ipsi ex priori mala voluntate peccatum originale commiserunt, & actualia cætera superaddiderunt; ex illa enim ipsorum priori mala voluntate, sicut peccare voluerunt, ita implicitè & ex consequenti, quidquid cum tali peccato coniungitur, & ad ipsum sequitur, voluerunt, sicut sunt illi motus primo primi, & sic voluntarij sunt in sua priori causa voluntaria. Durante enim in infidelibus originali peccato, permanentibus etiam in illis actualibus aliis peccatis superadditis, durat, & permanet in ipsis virtualiter illa illorum prima prava voluntas, quâ sicut peccare, ita tales motus in se consurgere voluerunt, sicut ex doctrina sancti Thomæ, iam superiùs tradita manet probatum de homine se inebriante, in quo manet virtualiter illa ipsius prior mala voluntas, qua se voluit inebriare, & facere quidquid ad ebrietatem consequitur. Aliud esset, si talis prior mala voluntas non virtualiter permaneret, sed retractata, vel ablata in ipsis esset. Commune verò illud Theologorum dictum asserentium motus primo primos, utpotè antevertentes omnem rationis usum peccata non esse, intelligi debet, sicut revera intelligitur de motibus primò primis in hominibus illis, quibus per baptismum originale peccatum remissum est: in quibus iam proinde non manet virtualiter causa voluntaria illorum, cum omnis illa ablata sit, ablato & remisso peccato. Vnde nec in illis manent illi motus primo

Digitized by Google

primi voluntarij, in priori causa voluntaria: & sic nullo modo peccata sunt, etiam venialia.

Sed possent opponere tertiò, infidelibus negativè, qui videlicet nihil penitus de fide audierunt, negatur auxilium sufficiens ad credendum propter præcedentia peccata, tum originale, tum actualia, sicut etiam eis negatur Evangelij prædicatio. Et tamen infidelitas in illis negativa, est tantùm pœna peccati, non peccatum; ut cum sancto Thoma omnis Theologorum defendit sententia: quod ex illo Christi Domini dicto apertè deducitur: *Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Ergo pari ratione, si eisdem infidelibus propter præcedentia peccata auxilium sufficiens negetur supernaturale ad divina præcepta moralia servanda, & sic minùs potentes reddantur ad illa implenda, talis non observatio mandatorum, sicut & infidelibus pœna peccati tantùm erit, non verò peccatum.

317 Ad hoc neganda omnino consequentia est: cum utriusque ratio sit valde diversa; Etenim infidelitas negativa, quia lex totaliter nescitur, & penitus ignoratur, involuntarium causat, sine quo peccatum esse non potest, qui eam totaliter ignorat; ob quam rationem, ut lex obliget debet esse publicata, & cognita, ob quam etiam rationem, qui nascitur amens, licet illa amentia pœna peccati originalis sit, non tamen peccat præcepta non servando; quia nominibus istis id quod totaliter ignoratur omninò antecedenter involuntarium causat, & à peccato excusat.

318 Cæterum suppositа præcepti cognitione, qui non facit, quod facere tenetur, ideo peccat, etiam si auxilium sufficiens ob illius priora peccata ei fuerit denegatum, quia voluntariè, & libere vult peccare, & cum delectatione operatur contra cognitum præceptum, & præsupposito priori peccato quo voluit à se abiicere auxilium gratiæ, virtualiter vult illa possibilitate carere: unde non tantùm est pœna præcedentis peccati, sed etiam est verè peccatum. Et eadem ratio est, de se inebriante voluntariè, in quo manet virtualiter voluntas qua se voluit inebriare, & ex consequenti peccata committere, quæ solent ex ebrietate sequi. Vnde S. P. Augustinus *lib. 1. retract. cap. 15.* in superioribus citato, illam protulit sententiam. *Qui cogenti cupiditati non potest resistere, & facit contra præceptum, id in illo & peccatum est, & pœna peccati:* Et *lib. de correct. & grat. cap. 6.* Qui *cognita præcepta non facit, non excusatur sed peccat.* Cognita, inquam, præcepta; Et Apostolus reprehendit illos, qui cum Deum cognovissent, ipsum non glorificarunt, aut gratias egerunt: cum inquam Deum non cognovissent. Itaque omne malum quod ex peccato consequitur semper pœna peccati est non autem semper est peccatum. Sed tunc tantum, quando qui illud operatur voluntariè id vult operari, saltem in priori suo actu voluntario, ut ex S. Thoma dictum est, quod defuit in ignorantia antecedente, qui licet sequatur ex priori peccato, tamen tollit voluntarium & causat involuntarium, & ex consequenti à peccato excusat, vt dictum est.

319 Non desunt autem qui arbitrentur nullam dari infidelitatem purè negativam in homine aliquo respectu Dei authoris, & finis supernaturalis respectu nempe huius quod Deus est, & inquirentibus se remunerator est, quæ illum à peccato excuset: Imò dicunt talem ignorantiam peccatum esse, & contra divinum præceptum, quo omnes in universum tenentur sic in Deum authorem supernaturalem credere. Licet fateantur quod respectu fidei expressæ Christi Domini in aliquibus sit infidelitas purè negativè, eos proinde excusans à peccato, ita quod illa peccatum non sit.

Triplici autem ad hoc tuendum fundamento 320
nituntur, qui dicunt omnes homines in Adam peccantes talem ignorantiam Dei authoris supernaturalis habere voluisse; vnde cum volita sit, peccatum erit. Et hinc secundum inferunt fundamentum sic credendo, & quod ipsis propter originale peccatum imputetur, si non credant. Licet non possint vel audire, vel credere. Tertium illorum fundamentum est, quia hanc putant esse Sancti Patris Augustini apertam sententiam *lib. de gratia & lib. arb. cap. 2. & 3.* ubi sic legimus. *Qui ergo noverunt divina mandata, aufertur eis excusatio quam solent homines habere de ignorantia, sed nec ipsi sine pœna erunt, qui legem Dei nesciunt, qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; qui autem in lege peccaverunt per legem Iudicabuntur.* Et post pauca. *Nec ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisquam requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse.* Et iterum, *Sed & illa ignorantia, quæ non est illorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet, sed fortassis ut minus ardeat. Non enim sine causa dictum est, effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: & illud quod ait: Apostolus, cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.* Ex his Sancti Doctoris verbis colligunt ignorantiam Dei authoris supernaturalis neminem à culpa excusare: Sed in quocumque illam habente, & quomodocumque illam habeat peccatum esse, etiam si moretur in Sylvis remotissimis, vbi nihil penitus de supernaturali fide audire potuerit.

Cæterùm sententia ista, nec vera est, nec no- 321
bis aliqua ratione probatur, aut illud triplex fundamentum subsistit. Etenim, illud primum, quod videlicet talis ignorantia fuit in peccato originali volita, & per consequens quod culpabilis sit, & peccatum, minùs subsistere potest, non enim omnia & singula, quæ homo ex peccato volito in primo parente, incurrit, in ipso homine peccata sunt, sed quædam sunt tantum illius peccati pœna. Tria namque S. Patres & potissimè Augustinus distingunt, nempe peccatum tantùm, pœnam peccati solùm, ac peccatum & pœnam peccati simul. Peccatum tantùm est cum aliquis potest quidem evitare peccatum, & tamen peccat: pœna peccati solùm, est impotentia ad justè vivendum ex solis suis naturæ viribus: peccatum verò & pœna peccati simul tunc est: quando aliquis non potest concupiscentiæ, aut gravi tentationi resistere per propriam infirmitatem & læsionem naturæ ex peccato originali provenientem, & tamen peccat tentationi consentiendo: quod enim ex se solo resistere non possit, pœna peccati originalis est, quod verò consentiat peccatum est.

Ex qua communi verissimaque doctrina plà- 322
nè convincitur, quod non omne, quod homo patitur ex volito in primo parente originali peccato peccatum sit: quia tamen sunt quædam pœnæ peccati convincitur secundò quod tunc est tantum pœna peccati, & non peccatum, quando nullus accidit actus ipsius peccantis vel solũ habet homo, vel omnimodam ignorantiam, vel impotentiam respectu boni. Ex quo concluditur tertiò

quod

Digitized by Google

quod ignorantia Dei authoris ſupernaturalis ex originali peccato cauſata, ſi nullus accedat actus hominis illam habentis, nec formalis nec virtualis, quo eam aliquo modo velit, peccatum non eſt, ſed tantum pœna peccati: quod & expreſsè S. Thomas affirmat 2.2. *q.* 10. *art.* 10. ſic dicens. *Si autem accipiatur*, nempe infidelitas, *ſecundùm negationem puram ſicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœna, quia talis ignorantia divinorum ex peccato Primi Parentis conſecuta eſt.*

323 Quibus duo expreſsè docet, alterum quod in illis qui nihil de fide audierunt, infidelitas eſt purè negatiua, quæ rationem peccati non habet, ſed magis pœnæ. Vnde in illis qui nihil penitùs audierunt de Deo authore ſupernaturali, ſecundum S. Thomam infidelitas eſt ſecundùm puram negationem quæ non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: Alterum quod ad probandum S. Thomas, quod illa infidelitas purè negativa pœna ſit, & non peccatum, hoc infert ex eo quod illa ſit cauſata ex peccato originali, quibus proinde verbis illis primò fundamento oppoſitæ ſententiæ clarius reſpondet. Authores enim illius ex eo quod ignorantia talis ſit cauſata ex peccato originali & in eo volita inferunt ipſam verè peccati rationem habere. At S. Thomas ex hoc eodem principio infert illam rationem peccati non habere ſed magis pœnæ. Vnde non dubium quin hæc ſententia quam impugnamus cum ſuo primo & potiſſimo fundamento contraria ſit Doctrinæ S. Thomæ *cit. loc.* Præterea ſi ignorantia Dei authoris ſupernaturalis in primo parentis peccato volita peccatum eſt. Pari ratione impotentia ad divina ſervanda mandata quam homo ex ſe ſolo habet etiam in illo verè peccatum erit. Et tamen ſæpè S. Pater Auguſt. hanc in homine non peccatum ſed pœnam eſſe peccati aſſerit: & S. Thomas ignorantiam, & infirmitatem, ſive impotentiam hanc dicit non peccatum eſſe, ſed effectus, & pœnam peccati, ut notum eſt. Deinde ſi ignorantia Dei authoris ſupernaturalis in homine peccatum eſt, quia nempe in primo peccato fecit volita etiam peccatum erit in omnibus infidelibus ignorantia incarnationis Verbi. Nam huius cognitio in primo parente fuit & ab eo per ſuum peccatum & ab hominibus in ipſo peccantibus fuit ſimiliter rejecta & illius ignorantia volita. Quod tamen prædicti Authores non admittunt, vt dictum eſt ſuprà.

324 Secundum verò illorum fundamentum ſatis excludit per illam communem Doctorum ſententiam quam non ſemel docet S. Thomas, quod nempe ſi infideles qui morantur in remotiſſimis ſylvis, ubi nihil de fide audierunt, legem naturæ ſervaverint, ex divino auxilio videlicet, ut dictum eſt ſuprà, Deus per Angelum, vel immediatè per ſeipſum illum de ſupernaturalibus illuminabit. Quæ proinde communis, & vera Theologorum ſententia tenet infideles illos non obligari ad credendum aliquid ſupernaturale, ſed hic tantum ad ſervandum ſibi notam legem naturæ.

Amplius docet S. Thomas omnem hominem pervenientem ad uſum rationis obligari, & teneri in illo inſtanti ad ſe convertendum in Deum authorem naturæ proponendo ſequi rationis bonum ſibi cognitum non tamen illum obligat, aut obligari, ſeu teneri divino præcepto docet ad tunc credendum in Deum authorem & finem ſupernaturalem: ergo nec tale præceptum eſt. Imò ſequeretur ex oppoſita ſententia quod infideles illi ſemper peccatum continuarent non credendo in Deum ſupernaturalem authorem: quia ipſi, dum vivunt, haberent divinum illud præceptum, quod tamen dicendum non eſt. Nec eſt ſimile de perveniente ad uſum rationis, quia ille pro illo primo rationis inſtanti tenetur ſe convertere in Deum naturæ authorem, quod ſi non faciat & illud præceptum ceſſat.

Tertium autem illius ſententiæ fundamentum 325
licet in relatis verbis S.P. Auguſtini apparentiam habeat nullam tamen ſubſtantiam habet in illis; quia ibi S. Doctor tantum docet quod illi qui habent Chriſti fidei ignorantiam non volitam, ſed omnino antecedentem, ſive infidelitatem purè negativam in igne ardent ſempiterno, quod utique veriſſimum eſt, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: & multò magis ſalvari. Non tamen ibi docet quod præter illam antecedentem ignorantiam ſeu infidelitatem purè negativam damnabunt; ſed propter alia peccata, quæ facient contra divina mandata, & naturalem legem ſibi cognitam, quæ ſine fide eis remitti non poſſunt, prout clarius ſanctus Thomas exponit *citato loco ex* 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 1. ſubjungens immediatè poſt ſuperius verba relata hæc alia: *Qui autem ſic ſunt infideles*, ideſt purè negativè, *damnabuntur quidem propter alia peccata quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem damnabuntur propter infidelitatis peccatum. Vnde Dominus dicit Ioan.* 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, quod exponens S. Auguſtinus dicit quod loquitur de illo peccato, quod non crediderunt in Chriſtum.* Docet ergo S. Pater Auguſtinus, ut S. Thomas inducit, quod propter infidelitatem purè negativam nullo modo volitam, homines non damnantur, ſed propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt. Imò allato in oppoſitum teſtimonio id ſatis indicat, dum dicit, quod legem non habentes, id eſt, qui ſine lege ſunt, ſine lege peribunt, quod inducit ex Apoſtolo: Conſtat autem quod tales gentiles infideles ſine lege ſcripta peribunt propter peccata; quæ committunt contra legem naturæ cognitam, ut communis eſt explicatio.

Digitized by Google

TRACTATVS IV.

DE AVXILIO DIVINÆ GRATIÆ EFFICACI.

CAPVT I.

Non admittere authores, cum quibus agimus, nisi sola voce aliquod divinæ gratiæ auxilium efficax.

1 ABVNDÈ satis, ut arbitramur de auxilio sufficienti dictum est, nunc quæ de efficaci auxilio tenenda sunt, expendamus, & primò de illo quid non sit, deinde quid sit, & in quo eius efficacia, quam ex Deo habet, sita sit diligentius perquiramus, in qua materia, & causa quam verum sit illud S. Hieronymi pronuntiatum, & qualiter semper fuerit verificatum quod in epistola ad Ctesiphontem scripsit, omnium primò venit considerandum. Quamvis enim id non semel advertendum esse dixerimus, nec vitio tribuendum, si sæpius repetatur, quod ideo fit ut memoria semper retineatur, cum id substantiale sit in hac causa; sic enim sanctus Hieronymus habet. *Eunomiani, Arriani, Macedoniani, nominibus separati impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt: loquuntur enim quod sentiunt, sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui quod secretò docere non metuit.* Et præmiserat contra Pelagium: *Loquere quod credis, publicè prædica, quod secreto discipulis loqueris, qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè quod sentis loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud nostrorum Populi.* Et iterum *Magistrorum silentia profert rabies discipulorum, quod audierunt in cubiculis in tectis prædicant, ut si placuerit auditoribus, quod dixerint referatur ad gloriam Magistrorum, si displicuerit, culpa sit discipuli non Magistri.*

2 Esse verè divinæ gratiæ excellentiam singularem verè efficacis ipsius efficax, imò efficacissimum argumentum est, quod à Deo omnibus in universum hominibus utriusque sexus nota, recepta, & credita est, quod nullus unquam eam palam ausus fuit negare, nullus apertè impugnare, nullus adversus eam publicè loqui, sed necesse habeat, quicumque de illa malè in suam propriam perditionem sentit, id publicè non proponere, sed gratiam Dei velit nolit saltem voce profiteri, & efficaciam ipsius, quoad exteriorem saltim prolationem habeat nominare.

3 Sic factum fuisse omni tempore nos docent documenta Patrum: sic Iulianum illum notissimum apud sanctum Patrem Augustinum fecisse illa verba demonstrant, quibus contra illum Sanctissimus Pater affirmat: *Sic sententiam temperasti, ut & tua & nostra possit voce defendi:* sic Cassianum, de quo proinde illa sanctus Prosper verba dictavit: *Consideratis ergo his definitionibus jam non est occultum, quantùm ab illius sententiæ sanitate desciveris, in qua quod tribuendum erat gratiæ fallaciter prædicando Catholicarum tibi aurium indicia conciliare voluisti, quibus de præmissa professionis fonte securiùs facilè sequentia irreperent, si prima placuissent.*

Hæc astutia usum fuisse Faustum illum Re- 4
giensem in utroque illo suo libro de gratia & humanæ mentis arbitrio, uterque ille liber ostendit: in quorum primo callidè sensum Pelagij exprobrans, quod Christi gratiam negaret & illam sub humano merito constitueret ipse postmodum novus novæ pravitatis assertor effectus, gratiam Dei secundum meritum fidei & laboris dari nititur edocere, & quod fictè in Pelagio respuerat, ut falleret, postea ut magis decipiat, paucis illisque accidentalibus mutatis amplectitur, quod rectè ad illius libros notavit Maxentius, qui licet fortè in alia materia erraverit (de quo nec modo agimus) tamen in hoc contra Faustum verissimè loquitur, & illius calliditatem denudat, quod de omnibus illis qui dicti sunt Semipelagiani mirificè S. Prosper exponit. *Qui cum viderent priores, quos sequebantur, totam iustitiam hominis ex naturali velle rectitudine, ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana respueret damnatum à catholicis sensum & multis postea hæretica fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt ut ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perseverandum in bono necessariam Domini Dei gratiam profiterentur, sed in hac professione quomodo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit, intellectum est enim, saluberrimèque perspectum hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creationem, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus iudicio eius ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum si quæsierit, inveniat, si petierit recipiat, si pulsaverit introëat.* Et iterum in Prosa de ingratis cap. 38. inquit.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum,
Respuere, & sola damnatos plectere voce,
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera sensus.

Sed & temporibus his, cum nos asserimus ne- 5
cessariam esse gratiam, valde illam necessariam alij authores, cum quibus agimus publicant, cum eis dicimus necessariam esse gratiam quæ hominum præveniat voluntates, & hanc prævenientem gratiam ipsi se admittere fatentur cum defendimus necessariam esse excitantem & adiuvantem gratiam utramque se recipere, & tueri protestantur: Cum affirmamus gratiam debere esse efficacem, & ipsi efficacem se constituere contendunt: cum prædicamus gratiam operantem, & cooperantem admitti debere, eandem operantem & cooperantem gratiam se tradere & ipsi asserunt. Quid amplius? cum profitemur necessariam esse gratiam, ad incipiendum, proficiendum, & perseverandum hanc eandem gratiæ professionem ad incipiendum, proficiendum, & perseverandum se tenere atque docere ubique divulgant, quoad vocem quidem sic sententiam temperant, ut & sua, & nostra possit voce defendi. Quoad vocem dumtaxat gratia

Digitized by Google

tia prædicatur & gratia efficax, imò efficaciſſima, quo ad vocem illam eſſe excitantem & adiuuantem; operantem, & cooperantem, & prævenire in bono hominum voluntates aſſeritur, ſed ut non meis verbis ſed relatis ex ſanctis Patribus loquar, in hac ſua profeſſione vocati, quomodo ipſi nullam veram prævenientem gratiam neceſſariam agnoſcant, nullam verè adiuvantem nullam verè operantem & cooperantem, nullam verè efficacem, ipſa Dei gratia revelavit: intellectum eſt enim & nunc, ſaluberrimèque perſpectum, hoc tantum eos de gratia confiteri per illam ſuam gratiam moraliter tantum attrahentem, quod quodam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeque per cohortationem, per legem, per doctrinam, per creationem, per contemplationem, per ſuaſionem & invitationem iudicio eius oſtendat, quo unuſquiſque, ſecundum voluntatis ſuæ motum quod placuerit operetur.

6 Quamvis autem paſſim in his noſtris operibus id fuerit denudatum, in ſpecie tamen ad præſens oportet apertiùs oſtendere, quomodo non re, ſed ſola voce auxilium gratiæ dicant efficax vel efficaciter vires voluntati tribuere, quod non aliter erit demonſtrandum, quam recapitulando quæ de auxilio, quod ab eis dicitur efficax, ipſi clarius deducunt, illa enim manifeſtè ex proprio ore convincent eos nulla ratione re ipſa illud auxilium efficax cognoſcere ſed voce duntaxat id aſſerere ut in eadem cauſa & materia ſemper & præteritis, & præſentibus temporibus eadem doctrina ſit, idemque modus loquendi.

7 Primò in aſſertione 80. ita conſtituunt. *Concurſus particularis ad opera ſupernaturalia, hoc eſt gratia liberum arbitrium præveniens non eſt cauſa efficax eiuſmodi operum.* Ita Molina *in concord. diſp. 29. in fine, §. poſtremò.* Ex qua manifeſta Confeſſione, liquet nullam in vocatione illa congrua, ſeu in diviſione auxilij gratiæ ab effectu ſumpta, eſſe prævenientem gratiam efficacem, Et *in diſp. 38. §. Antequam*, & *§. hinc*, docet auxilium efficax nihil reale addere ſupra ſufficiens, nec maiorem virtutem illo habere, ſed eſſe idemmet auxilium addita tantum extrinſeca denominatione, quia nempe illi vult arbitrium pro ſua innata libertate conſentire. Quando autem nihil aliud exprimeret, illa aſſertio quæ relata, & explicata ſupra remanet *tract. 2. cap. 10.* rem penitus denudavit qua dicunt, quod auxilium gratiæ efficax, vel inefficax ſit ab effectu aſſumendum, id eſt, à cooperatione arbitrij, qua pro ſua libertate arbitrium efficax vel inefficax illud reddit. Vnde quod poſtmodum alij dixerunt, illud nempe auxilium dare efficaciſſimas vires voluntati, videntes id in S. Patre Auguſtino eſſe notiſſimum, cui nec auſi ſunt aperte contraire, ſicut fecerat ille primus, ſolis verbis dictum fuiſſe ob allatam rationem etiam liquet. Sequentes enim prioris doctrinam, illos prior ab hac prætentione retrahit, & ſuam & illorum ſententiam denudando, plana confeſſione nullam eos admittere efficaciam prævenientis gratiæ proteſtatur.

8 Manifeſtum eſt ergo, quòd diviſio gratiæ in efficacem, & inefficacem ab effectu, per illam quam vocant congruam vocationem, nullam admittat efficaciam prævenientis gratiæ. Sic ergo omnes clarè loquantur, nec verborum foliis, quia vident apertam confeſſionem minùs placere alicui poſſe; ſe obtegant dicendo, gratiam dare voluntati efficaciſſimas vires, hæc ergo illorum conceſſio tam efficax ſententiæ illorum expugnatio eſt, ut illa ſola ſine impugnatione alia ſufficeret, ut omnes illam ſententiam reſpuerent quod alij ex ipſis videntes id apertè concedere reformidant; ſed in vanum, cum ex illorum Sententia id manifeſtè ſequatur, ut ille primus concedit. Cum enim omnium eorum una & eadem ſententia ſit (quod nullus ignorat) & de ipſa ille primus tam apertam proferat confeſſionem, illam poſteriores nullatenus poterunt obſcurare. Quis enim non videat, quod illa congrua ut efficax fiat, ab homine pendet, quod omnes ſui defenſores uno ore fatentur, ſi autem ut fiat efficax pendet ab homine, certè homo ipſe illam reddit efficacem, ut etiam clarè concedunt. Quod ſi homo eam reddit efficacem, eſt ab effectu efficax non autem eſt efficax quatenus præveniens eſt; quomodo enim, quidquid voce dumtaxat poſteriores oſtendant, illa congrua vocatio, ut efficax ſit non dependet ab homine, ſed pendet à præviſo uſu arbitrij qui illam efficacem redditurus prævidetur, ex Deo, inquient, eſt quod detur homini tali tempore, quo præſcitur benè illa uſurus, & ſic ex Deo congrua eſt, ſed hoc quid aliud eſt dicere, ſi verba ipſa attendantur, niſi quod Deus illam homini tribuat tali tempore quo ipſe ſcit hominem illam ſua libertate, & conſenſu efficacem redditurum, ut prior ille clarius pronuntiavit: quod etenim homo in tali rerum ordine collocetur, fatemur quod ex Deo ipſo ipſi conſtituant; quod verò ſic poſitus homo vocationi conſentiat, & illam efficacem reddat, non ex Deo conſtituunt, ſed ex homine ipſo, qui illam ſuo conſenſu, quia vult, reddit efficacem, Vnde efficax eſt ab effectu, ut apertè ille prior citatus author expoſuit, & præter dicta id ratio oſtendit, quia dare congruentem vocationem tempore quo homo prævidetur ex ſe conſenſurus, duo manifeſtè involuit: alterum tributam vocationem: alterum præſcientiam arbitrij bene ex ſe ipſo illa uſuri: horum primum id eſt vocatio ex Deo eſt; ſecundum ex arbitrio quod benè uſurum prævidetur; ideo enim benè uſurum prævidetur, quia ex ſe ipſo bene illa vocatione uſurum eſt, ut ſæpius affirmant. Vnde ille bonus uſus arbitrij præviſus à Deo non datur, ſed ex arbitrio prævidetur & ſic efficacia vocationis, quæ tota in illa congruitate conſiſtit, & congruitas in illa arbitrij præſcientia, non ex Deo ſed ex homine eſt qui eam tali ſuo præviſo conſenſu reddit efficacem quod citatus prior author in alia ſua aſſertione magis ad hue declaravit. Accedit quod ut ſupra *tract. 3. cap. 11.* reliquimus oſtenſum, illa congrua vocatio tantùm abeſt quod gratia efficax ſit quod vera gratia non eſt, ſed aliquid tantum quod non recedit à lege, atque doctrina.

In *aſſertione* verò 81. & 82. conſequenter loquendo ille prior author, & quod dixerat in ſupradicta clarius exponendo, ita proſequitur: *Bonus uſus auxilio gratiæ expectatur ut præciſe emanat ex influxu liberi arbitrij, non eſt effectus gratiæ prævenientis ſed arbitrij*, ita ſupra relatus Author *in concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro 10. §. unde.* Vbi iterum dicit bonum uſum auxiliorum gratiæ non eſſe effectum prædeſtinationis. Hæc planè ex priori procedit illamque declarat, ſi enim prævenies gratia non eſt efficax reſpectu operum ſupernaturalium, quæ ab arbitrio eliciuntur, conſequens eſt, quod bonus uſus arbitrij ſecundum quod ab arbitrio elicitur, non ſit effectus gratiæ prævenientis, cum autem nec effectus ſit ille bonus uſus 9

Digitized by Google

gratiæ subsequentis, ut sicut manifestum ipsi admittunt, planè sequitur quod ille bonus usus arbitrij quo bene utitur auxiliis gratiæ, à sola innata & naturali liberi arbitrij facultate procedat sicut est effectus. Rursùs, si ille bonus usus non est effectus prædestinationis: ergo nec illius prædestinatio causa est: ergo ille bonus usus non est prædestinatus: ergo solùm est præscitus, quæ est sine dubio Pelagianorum perversa sententia, contra quam S. Doctor Augustinus & Sancti Patres semper docuerunt, bonum usum arbitrij non solum esse præscitum, sed prædestinatum. Quod si sic est, præcipuum & principale conversionis nostræ principium in Deum, & piarum nostrarum operationum ex nobis est non ex Deo, quod & scripturæ S. Sacris Conciliis & doctrinæ Sanctorum Patrum apertè contradicit. Hoc manifestum esse omnes cognoscent, quia constat potissimum & principale nostræ conversionis in Deum; & nostrarum bonarum operationum omnium esse bonum usum auxiliorum, quo arbitrium eis ad salutem benè suam utitur, nec in re adeo clara alia oporteret deducere inconvenientia, cum allatum manifestum sit, & manifestæ falsitatis illorum sententiam ex proprio ore convincat.

Imò in hac negativa propositione, quòd
10 nempè bonus usus arbitrij non est effectus gratiæ prævenientis, clarius negatur, quod gratia præveniens illius causa sit. Si enim bonus usus arbitrij non est effectus gratiæ prævenientis: ergo gratia præveniens illius causa non est, ac proinde secundùm illos, idem est gratiam prævenientem, non esse causam efficacem illius usus boni, & non esse illius causam ergo solum arbitrium illius boni usus causa est. Ergo ille bonus usus à sola naturali arbitrij facultate elicitur, quod & idem author alibi expressis verbis concedit, dicens *in disputatione* 12. *Eademque ratio de eodem modo affectus, æqualiterque ad fidem à Deo vocatus, pro sola namque eorum libertate potest evenire ut unus amplectatur fidem alius verò eam contemnat.* Ecce pro sola arbitrij libertate dicit evenire bonum usum auxiliorum gratiæ. Quod si alibi prætendat non esse illum bonum usum effectum à sola innata libertate arbitrij, nec sibi contradicit quia ita ipse utrumque concordat, atque intelligit, quod ex sola innata libertate arbitrij sit quod benè velit uti auxiliis gratiæ, non tamen hoc faciat, sine excitante gratia, ita quod non est ibi solum arbitrium, sed excitans gratia; sed quod benè homo ille utatur, non ex gratia sit, sed ex sola innata arbitrij libertate. Ita ipsi planè intelligunt, ut illorum posterior commentator expressè *in lib. de Gratia cap.* 8. §. *Ad confirmationem* docet.

11 Quod si bonus usus auxiliorum gratiæ non ex præveniente gratia procedit, sed ex illa sola libertate ipsa innata libertas est, quæ se manifestè discernit, quod Apostolus condemnat, quia discernitur planè homo ab alio, qui sua innata libertate non benè utitur auxiliis gratiæ, per hoc quod eadem sua innata libertate benè utatur auxiliis gratiæ ad suam propriam conversionem: quod adeò est manifestum, ut alius ejusdem doctrinæ sectator qui vltimò scripsit id ausus fuerit palã confiteri dicens, *cit. lib. de Gratia efficaci, loco relato. Ad confirmationem, quod ex duobus similiter vocatis alter oblatam gratiam acceptet, alter respuat, rectè dici potest ex sola libertate provenire; non quod is qui acceptat, sola libertate sua acceptet: sed quia ex sola libertate illud discrimen oritur, ita, ut non ex diversitate auxilij prævenientis. Vbi illud, sola, non excludit gratia cooperationem (quasi illud discrimen possit fieri absque operatione gratiæ ex parte ejus qui venit) sed solum diversitatem auxilij prævenientis.* Hæc ille. Itaque clariùs concedit quod discrimen, quo vnus ab alio discernitur, non ex gratiæ prævenientis differentia est, sed ex sola arbitrij libertate oritur; quamuis arbitrium sic se discernens ex sola libertate sua concomitetur, ut pedissequa gratiæ cooperatio. Paulus docet *quis te discernit*; & ipse author affirmat discrimen quo ego discernor non ab alio sed à mea sola libertate originari: sic autem illius discrimen à mea sola libertate oritur igitur ego me discerno contra expressam Apostoli sententiam. Audimus Apostolum prædicantem atque docentem, *quis te discernit?* & simul audimus hunc authorem affirmantem, discernit me mea sola innata libertas, à qua illud discrimen originatur.

Pætereà contendere, quod bonus usus auxi- 12
liorum gratiæ non est effectus gratiæ prævenientis, nec prædestinationis, sed quod fit ex libertate nostri arbitrij benè utentis ex sua naturali facultate illis donis, sententia est in terminis quam damnat S. Thomas 1. *p. quæst.* 23. *art.* 5. Sub his verbis. *Fuerunt alij qui dixerunt quod merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis, ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, & prædestinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia; sicut si Rex det alicui militi equum, quem scit eo benè usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem, quod id quod est gratiæ, est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit Ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis, non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione sicut nec est distinctum, quod est ex causa prima & ex causa secunda.*

Quod Sanctissimi Doctoris testimonium in 13
secundo nostro libro prius induximus ad expugnandam horum authorum sententiam constituentium bonum usum auxiliorum gratiæ esse causam, rationem, seu conditionem nostræ prædestinationis, & nunc iterum applicatur ad confundendam illorum doctrinam asserentem bonum usum auxiliorum gratiæ non esse effectum prædestinationis, nec prævenientis gratiæ. Et quidem ipsi consequenter loquuntur ad sua principia: si enim bonus usus auxiliorum gratiæ est ratio vel conditio prædestinationis: ergo non est effectus prædestinationis, & gratiæ prævenientis. Hæc illatio sicut evidens est, ita à S. Thoma relatis verbis ostenditur, & ab his authoribus consequenter expressè proponitur.

Verùm hanc sententiam S. Thomas illis verbis 14
confundit: *Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia & id quod est ex libero arbitrio quasi non possit esse idem ex utroque.* Distinguunt planè ij authores inter id quod est ex gratia, & inter id quod est ex libero arbitrio, dicentes ex gratia præveniente esse tantùm excitare; ex libero autem arbitrio excitanti ex sua naturali facultate consentire, quasi non sit ex utroque, nimirum ex præveniente gratia, & arbitrio; idem bonus usus ipsius gratiæ. Eandem illorum sententiam secundò expugnat illis verbis. *Non est autem distinctum quod est ex arbitrio,*

Digitized by Google

& ex prædestinatione, sicut non est distinctum quod est ex causa prima & causa secunda. Non est absque dubio bonus usus auxiliorum qui fit ab arbitrio distinctus à prædestinatione, & à gratia præveniente, sed à prædestinatione & præveniente gratia fit, sicut prima causa per secundam operatur effectum sicut ergo insipienter quis diceret quo id quod fit à causa secunda, non est effectus causæ primæ, ita insipienter prætenditur quod bonus usus auxiliorum gratiæ, qui fit ab arbitrio, non sit effectus causæ primæ illumque per suam prædestinationem & gratiam prævenientem verè efficientis.

15 Tertiò, illorum in hac parte sententiam clarius refutat, sequentibus verbis, quibus sic dicit; *quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem comprehenditur totum sub effectu prædestinationis.* Quæ positio manifestissima est, aliàs aliquid pertinens ad salutem haberetur ex solo arbitrio, non ex prædestinatione & gratia, quæ est procul dubio damnata sententia: sub qua maiori certissima propositione sic subsumatur: sed bonus usus auxiliorum gratiæ est ordinans hominem in salutem: quæ æquè est manifesta, nihil enim magis illum in salutem ordinat, quam talis bonus usus auxiliorum: ergò totus bonus usus auxiliorum comprehenditur sub prædestinatione: ergo est effectus prædestinationis: ergo est effectus gratiæ, quia quidquid est prædestinationis effectus, est effectus gratiæ, quæ ex prædestinatione habetur.

16 Tandem quartò, & sub expressis verbis hanc illorum damnat sententiam *sup. cap. 9. epist. ad Rom. Lectione 3.* sic dicens. *Manifestum est autem quod omne Dei beneficium quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus; divinum autem beneficium non solùm extendit se ad infusionem gratiæ qua homo iustificatur, sed etiam ad gratiæ usum: sicut etiam in rebus naturalibus non solùm Deus causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus & operationes formarum, eò quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante à movendo ex formis, nullus motus vel operatio sequitur.* Vnde concludit. *Sic igitur ipse usus gratiæ ex gratia est.* In terminis horum authorum condemnant sententiam, nec propterea dicta alia inducenda videntur ad confutationem illius præcipuè quia omnia quæ in secundo libro dicta sunt adversus eam, quatenus bonum usum arbitrij constituit rationem, seu conditionem nostræ prædestinationis, & quæ in hoc quarto tradita sunt, & tradenda pro efficacia divinæ gratiæ perfectè expugnante bonum usum auxiliorum gratiæ non esse prædestinationis, & gratiæ prævenientis effectum. Imò ille bonus usus auxilij, seu quod homo, illo bene vtatur nullius gratiæ effectus est, nec prævenientis, nec illius quam cooperationem appellant, sed meræ innatæ libertatis, quod in illorum omnium sententia est satis intelligentibus notum, cum omnes contendant, gratiam prævenientem solum esse excitantem moraliter, ad actum liberum: moraliter autem excitare, ut dicunt, est obiectivè movere obiectum proponendo: sic enim moraliter movere atque excitare, est movere per modum legis atquæ doctrinæ, & ad normam legis, ut S. Prosper citatus docet, & S. Pater Augustinus contra Pelagium ostendit *lib. de gratia Christi cap.* 10. Igitur quod homo benè utatur illa excitante gratia, ab ipsa non fit, sed ab innata libertate, similiter nec quod benè utatur homo illis vocatis auxiliis provenit à gratia ab eis dicta cooperante, quia hæc secundum illos non agit in voluntatem, sed tantum in effectum, & sic evidens est, quod ab illa non potest provenire quod homo bene utatur auxiliis, seu excitante priori gratia. Pariquè rationè manifestum est, quod à sola innata hominis voluntate proveniat, quod homo benè vtatur illa excitatione morali, & quod se determinet ad bonum, quod proinde multi eorum nobis apertè concedunt, ut relatum est. Imò illa gratia vocata cooperans subsequens & pedissequa est ad priorem hominis determinationem; datur enim quia homo voluit affectum ad bonum determinare, & benè uti illa excitante gratia.

Igitur cum istorum sententia inconvenientia 17
multiplicet, & ex illa divisione gratiæ in efficacem & inefficacem ab effectu consequatur quod & planè ipsi concedunt, bonum usum auxiliorum gratiæ non esse effectum prædestinationis nec gratiæ prævenientis, & ista sit utique per Sanctos Patres refutata sententia, constat quod indefensabilis sit illa divisio auxilij in efficax & inefficax ab effectu: ex qua tot portentolæ illationes à suis defensoribus eliciuntur. Imò ut formalior sermo sit, statuere bonum usum auxiliorum gratiæ non esse effectum prædestinationis & gratiæ, potius finis est ad quem obtinendum ordinatur illa divisio in gratiam efficacem & inefficacem ab effectu, id est, ab arbitrij cooperatione, tandem nullam ipsos admittere gratiam efficacem prævenientem, illorum quidam præcipuus postea Romæ sub anno 1618. Claudius Crudoni, Doctori & regenti Theologo inferenti, quod si sola ab eis ponebatur interior suasio, Christus Dominus dicitur hominum salvator, ut magister & doctor diceretur, ita ille respondit, solum ut magister & Doctor interius est, nempe Christus salvator. Quam apertam confessionem, sic de Christo domino salvatore expressam, nec in aliquibus anterioribus novimus publicatam: nec hanc concessionem sic evacuantem crucem Christi oportet clarius impugnare, quia de se manet apud omnes apertissimè expugnata. De gratia quidem *suprà in isto cap.* ex S. Prospero relatum est contra Semipelagianos, quòd libero hominis arbitrio tantùm sit magistra: ab his temporibus expressius audimus, quod Christus Dominus non aliter sit hominum salvator, quam ut magister & doctor interiùs. Quod manifestè ex illorum doctrina convinci satis ostendunt quæ dicta sunt suprà, cum per excitationem illam moraliter excitantem sive ad normam legis atque doctrinæ excitantem, tantum statuebant Christum Dominum ad bonum hominem movere, & attrahere; & ex consequenti quod ut interior magister solùm homines ad se trahat, ipsosque salvet, eisque per modum legis atque doctrinæ ut interior magister merita suæ Passionis applicet.

CAPUT II.

Prædictos authores aliquod gratiæ efficax auxilium, nisi voce tenus non admittere amplius demonstratur.

NVllum auxilium gratiæ verè efficax esse licet 18
ex præcedenti assertione ipsorum, satis convincatur, id clariùs ipsi manifestant, in alia *assertione sua* 82. relata *primo nostro libro tract. cap.* 64. in qua ita subjungunt antecedentem magis confirmando

Digitized by Google

firmando & explicando : *quod actus à gratia præveniente, & ab arbitrio elicitus liber sit eaque de causa capax rationis, virtutis, laudis & honoris, qua propter eum homini liberè eo pacto influenti tribuantur, profecto non est effectus gratia prævenientis, sed arbitrij per eum influxum : gratia namque præveniens determinata est ad unum, eoque ipso quod tunc in arbitrio prædestinati recipitur, ex necessitate natura mouet ac solicitat ; ipsum autem arbitrium est quod sua innata libertate per eum influxum sibi proprium liberè agit, eoque solo influxu habet actus ille, quod liberè ab homine prædestinato elicitur, eaque ratione in laudem & honorem ipsius cedit. Ita author concordiæ in ipsa q 23. art. 4. & 5. disputat. 1. membro 11. §. Quod enim.*

19 Tria in hac assertione proponit : primum actum elicitum à libero arbitrio & gratia præveniente, quatenus liber est, non fieri à gratia, sed à libero arbitrio : secundum quod cedit in laudem & honorem hominis sic operantis : tertium quod gratia præveniens recepta in arbitrio hominis determinat ad unum, & ex necessitate solicitat liberum arbitrium. Et quidem primum in præcedenti assertione manet satis impugnatum, quippe quod expressè constituat bonum usum liberi arbitrij non esse effectum prædestinationis & gratiæ, nec ex gratia & prædestinatione haberi, non esse prædestinatum sed solum præscitum efféque perducentem hominem in salutem ex solo homine, non ex gratia, vel prædestinatione, statuitque illas distinctas causas partiales, scilicet gratiam & liberum arbitrium, contra quam partialem causarum distinctionem tertio nostro libro plura manent inducta, quæ in specie procedunt de libero arbitrio, & motione Dei pro operationibus naturalis ordinis, nunc breviter illis suppositis alia inducemus, quæ in particulari manifestent in ordine gratiæ, & respectu supernaturalis operationis non posse esse causas partiales liberum arbitrium & gratiam.

20 Prima sit partialia agentia eiusdem rationis sunt, & eiusdem rationis virtutem habent, qua mutuò se adiuvant ad eundem effectum perficiendum, ut duo homines portantes lapidem, duo calores ordinati ad producendum calorem alterum ; duo lumina ad causandum luminosum spatium. Etenim ea quæ specie, vel genere differunt, nisi subordinata adinvicem sint, non se iuvant ad effectum unum : sed liberum arbitrium creatum, & supernaturale auxilium gratiæ eiusdem rationis non sunt, ut est satis notum : ergo ut partiales causæ ad eundem effectum concurrere non possunt, sed necesse est quod altera alteri subordinetur, quæ subordinatio est contra rationem causæ partialis.

21 Deinde hæc partialis virtus, quæ ab his authoribus libero creato tribuitur arbitrio ad actus supernaturales non potest ei convenire ex vi suæ propriæ naturæ secundùm quod distinguitur ab auxilio gratiæ : ergo non est causa partialis respectu illorum actuum : Consequentia satis manifesta est : quia causa partialis ex vi suæ naturæ propriæ partiali virtute sua concurrit ad effectum. Antecedens probatur : quia illa virtus partialis arbitrij naturalis est : ergo nec partialiter potest concurrere ad actum supernaturalem, nisi dicatur posse naturalem virtutem immediatè, & proximè attingere actum supernaturalem, quod à nullo Theologorum dici potest. Nec sufficit respondere, creatum arbitrium virtute sua naturali partialiter efficere substantiam actus supernaturalis, quæ substantia naturalis est : hoc enim jam *suprà* à principio libri huius manet satis impugnatum, quia ostensum fuit actus supernaturales illos esse supernaturales quoad substantiam actus, nec sine errore aliud posse affirmari, quod etiam quidam ex potissimis authoribus ibi relatis probavit, cum qua ipsius doctrina quomodo stat illa partialitas causarum, quam admittit ; omnes deprehendunt minimè hæc duo sibi constare posse. Quomodo si arbitrium non elevatum à gratia, sed mera sua naturali facultate influit in actum, in quem partialiter etiam influit, non solùm ipsum arbitrium, sed etiam auxilium supernaturale gratiæ, erit ille actus quoad substantiam supernaturalis, cum illius substantia ab auxilio gratiæ non fiat, sed tantùm à sola & innata hominis voluntate ? vel quo modo evitari potest, quod ille actus sit mixtus ex naturali, & supernaturali, ita quod in illo & supernaturalitas & naturalitas, sint realiter adinvicem distincta, cum ergo ista impossibilia planè sint, & contra mentem Conciliorum, ut à principio huius libri, ut putamus, manet satis ostensum atque convictum. Necesse est ponere, quod hæc virtus respectu actus supernaturalis creato arbitrio conveniat ex auxilio supernaturali gratiæ, & sic manifestè sequitur, quod tali supernaturali auxilio creatum arbitrium subordinetur, ac per consequens non erit partialis causa respectu actus supernaturalis. Quod si arbitrium partialis causa non est, nec partialis causa erit auxilium gratiæ, quia una cõparte de medio ablata, aufertur, & alia.

Dices, liberum arbitrium respectu actuum supernaturalium non est causa partialis, ut ostensum est, nec instrumentalis : quia si solum esset instrumentum non esset causa secunda libera, nec etiam est causa totalis : ergo nullo modo potest intelligi quomodo actus supernaturales eliciat. Ad hoc dicendum non esse causam instrumentalem, ut probat argumentum, quod adversus hos Theologos dicendum est, de quo nec modo vacat disputare, quia sufficientissimè ab aliis disputatur ; nec etiam per se solum est arbitrium causa totalis. Itaque per se arbitrium nec est instrumentum nec causa partialis, nec etiam totalis respectu actus supernaturalis, sed ut subordinatum auxilio supernaturali gratiæ, à quo elicitur, & constituitur in actu primo supernaturali, arbitrium sic elevatum, & actuatum auxilio tali fit unica causa completa totalis Deo subordinata ad supernaturales actus efficiendum, de quo discipuli S. Thomæ videantur, qui rectè id exprimunt.

Quæ modo sunt dicta magis confirmant quæ 22
præcedenti capite apposita sunt, magisque ostendunt, quam impossibiliter ab his authoribus ponatur bonus usus auxiliorum gratiæ ex ipso arbitrio partialiter fieri, non ex gratia.

Sed contendunt secundo, quod si à gratia fie- 23
ret ille bonus usus non cederet arbitrio in laudem & honorem, ille bonus usus ; cum ideo, & ad honorem, & laudem homini attribuatur, quia sua libera voluntate illam efficit, non ad id motus ex gratia, quod cum dicunt, unum è duobus necesse est fateantur ; vel non vidisse hanc in terminis fundamentalem rationem esse Cassiani *in illo opusculo 13. de protectione Dei*, vel scienter illius doctrinam se sequi : primum vix credibile est, unde magis apparet eos secundum fuisse sequutos, non attendendo Cassiani doctrinam in illo opusculo, & potissimè in illo dicto esse per Ecclesiam damnatam sicut malè de divina gratia sentientem, quod planè sæpius in istis nostris operibus dedimus manifestum. Verba Cassiani sunt loquendo de illa centurionis fide quam Dominus

Digitized by Google

minus in Evangelio laudavit: *nullius enim laudis esset & meriti si id in eo Christus, quod ipse donaverat prætulisset.* Quod est clarius dicere, nullius laudis esset ac meriti centurionis fides si ille bonus actus ex gratia fieret, quia ut ei cederet in laudem, & meritum, debuit non ex gratia haberi sed ex libertate ipsa arbitrij, ut modò his clarioribus verbis proponitur.

Cui tamen sententiæ illis verbis & terminis
24 propositæ, & explicatæ ita S. Prosper *contra collatorem cap. 36.* respondet, *At exigua conclusione penè totum tu Pelagianum dogma confirmas dicendo, nullius laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat prætulisset*, nec alio modo est nostra responsio.

Illud autem tertium, quod ad probationem
25 præcedentis doctrinæ hujus apponit prædictus author & sui omnes defendunt gratiam prævenientem ad unum determinare voluntatem, & ex necessitate naturæ solicitare, quod ideo asserunt, ut fundet, quod ex illa non potest provenire quod actus arbitrij liber sit capax honoris, & laudis à solis illis confingitur, & quidem falsissimè divulgatur, ut malè divinæ gratiæ subtrahant, quod pessimè libero soli attribuunt arbitrio: falsum est enim, & contra adjutorium divinæ gratiæ inventum, quod ipsa determinet ad unum, & voluntatem ex naturæ necessitate solicitet, hoc enim Calvinum constituit cum quo necesse est conveniant, qui ita de auxilio gratiæ loquuntur, quamvis ab illo multum se distare jactitent, hoc enim auxilium gratiæ efficax sivè divinum adjutorium prævenies, sive gratia adjuvans prævenies ad unum non ita determinat quoad exercitium actus, vel ex necessitate naturæ voluntatem solicitat: sed potiùs modo libero juxta modum & conditionem liberi arbitrij. Et ratio est, quia illa non est qualitas aliqua voluntati irremissa, quæ ex se solicitet voluntatem, sicut albedo dealbat; nec est motus instar illius, quo Deus bruta movet; sed est actualis virtuosa motio divinæ voluntatis volentis voluntate beneplaciti, & quod liberum arbitrium efficaciter operetur & liberè operetur & utrumque simul in eo efficiens: quæ proinde motio non ponit in numero cum divina voluntate volente movere arbitrium, & ad substantiam actus, & ad liberum modum illius; nec aliam virtutem habet quam esse actualem virtuosam motionem divinæ voluntatis sic volentis, & per consequens ei repugnat quòd voluntatem determinet ad unum, vel eam ex necessitate naturæ solicitet, sed totum potius oppositum efficit; qui eam movet, solicitat atque determinat per modum libertatis; est enim motio Dei libertatis proportionatæ: quod ex eo potest ostendi, quod illa virtualis motio qualitas non est, ut præmisimus, sed actualis Dei motio includens simul excitantem, & adjuvantem gratiam: unde sicut in adjuvante, seu movente verè efficienter, seu physicè monstratur efficacia divina suprà hominum voluntates, ita in excitante gratia ostenditur hominis libertas: non enim moraliter excitatur ad bene agendum, nisi qui libertate gaudet, & ex sua libertate se ad operandum debet applicare, unde nec bruta ad pabulum, vel ad ambulandum moraliter excitantur, suasionibus, invitationibus, & similibus moralibus excitationibus. Ex quo etiam provenit, quod ad actum liberum priùs moraliter arbitrium hominis à Deo excitatur; & sic benè suasum, & excitatum, benéque dispositum, Deus verè efficienter, seù physicè movet ut nimirum sua libertate etiam ipsum arbitrium se moveat.

Ex his ergo multiplicatis impossibilibus, quæ 26
ab eis expresè cumulantur pro defendenda illa sua divisione auxilij in efficax & inefficax ab effectu, id est ab arbitrij cooperatione, redditur magis ac magis illa illorum divisio impossibilis, & ut talis à Theologis debet reputari.

Accedit quod id quod *in 83. & 84. asser-* 27
tionibus lib. 1. relatis addiderunt ad maiorem doctrinæ suæ explicationem, divisionem prædictam plenius perfectiusque de impossibilitate convincit, sic enim 83. illorum assertio ubi supra relata habet. *Si de hac prima vocatione loquamur non ut in nobis sit, sed ut in nobis sit congrua, & efficax non solùm liberum arbitrium est conditio sine qua non, quæ nullo modo sit causa, ut Recentiores posteriùs allegati autumant, nec solùm est causa sine qua non & per accidens, nec solum est ratio, sed etiam est vera causa per se & efficiens cooperans priùs vocationi, & gratiæ.* Ita citatus ibi Gabriel Vasquez *ad 1. part. disp. 91. cap. 7. num. 4. §. Porrò:* de cuius sententia iam supra egimus satis, & ad præsens inducitur, ut debitus ordo non prætermittatur, & quam sit contra veritatem hæc doctrina quæ ex arbitrio constituit gratiam congruam, sive efficacem, omnibus reddatur conspicuum, postquam voluntatem creatam volunt illorum aliqui causam per se esse efficientem illam congruitatem vocationis, & efficaciam illius.

In assertione autem octuagesima quarta ita 28
proponunt: *Deinde in potestate arbitrij adulti eo pacto à Deo præventi & excitati esse consentire, aut non consentire Deo, ita per prævenientem gratiam excitanti & vocanti, atque à Deo in potestate eiusdem arbitrij esse reddere causam aut non reddere eiusmodi prævenientem spiritus sancti gratiam.* Itaque omnia in Potestate arbitrij constituunt, ut huc atque illuc Dei gratiam post se trahat, & qui vult eam reddat efficacem, & quando vult inefficacem, & per consequens arbitrium gratiam sibi subdat, ea utatur ut placuerit, ipsam sibi pedissequam faciat, non autem è contrario arbitrium divinæ gratiæ subdatur, ipsam sua libertate sequatur.

Dato autem quod omnes supradictæ assertio- 29
nes, quæ satis clarè procedunt, cessarent, nec ab eis publicata essent, in una sola universali quam constituunt totum quod ex ipsis dedùcimus manifestissimè tradiderunt.

Ludovicus enim Molina, quem cæteri se- 30
quuntur, *in concord. disp. 52. § sciscitabitur*, hæc verba habet: *Ne verò primo suo aspectu hac doctrina perturbet, memento ista omnia quæ sequuntur, apertissimè inter se convenire, & cohærere;* Et aliquibus enarratis ait. *Item quod res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum & circunstantiarum collocetur, ut in unam, aut alteram partem se flectat, non provenire ex præscientia Dei, quin potius ideo Deum id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita id ipsum agere debet; nec provenire ex eo quod Deus velit id ab ea fieri; sed ex eo quod ipsa liberè id velit facere.* Proculdubio, si quòd in hanc vel alteram partem se flectat, voluntas, non ex Deo provenit, sed ex ipsa hominis voluntate, quòd voluntas se flectat ad consentiendum Deo vocanti, & illius excitationi, ex Deo non est, nec ex gratia eius, sed ex sola hominis libertate; ac per consequens potissimum quod est in iustificatione, quale est, hominem Deo consentire, & in bonum se flectere non est ex Deo sed ex homine, contra illud, *quid habes quod non accepisti?* & contra illud: *quis te discernit.*

Digitized by Google

cernit. Homo enim inflatus respondet, discernit me mea libertas, quæ me inflectit in bonum, quam in bonum inflexionem à Deo non accepi.

31 Aliter S. P. Augustinus infra citandus, apertis verbis nos docet, *quod Deus, in bonum inflectit hominum voluntates.* Et Sanctus Bernardus, qui etiam infra allegatur clariùs affirmat *quod spiritus sanctus meam voluntatem in bonum, flectat: seu ad suam voluntatem flectat*: imò Gregorius hujus nominis secundus, *In Epistola ad Leonem Isaurum imperatorem*, ait: *Flectat animum tuum, Deus:* qui inferiùs est videndus.

32 Quorum autem ista impugnata sententia in terminis sit, dictum est sæpiùs, nec oportet id semper repetere, sed advertere ut ad minùs, si alia opuscula non, saltem aliæ duæ Epistolæ Prosperi & Hilarij, ad Augustinum, quæ habentur ante librum de prædestinatione Sanctorum, legantur & considerentur, in quibus hæc sententia ad vivum depingitur, & confutatur per S. P. Augustinum in illis duobus libris de prædestinatione Sanctorum, & dono perseverantiæ.

33 Manifestum est ergo hæc omnia, quæ expressè ab his authoribus publicantur; & ex illa divisione auxilij in auxilium efficax & inefficax ab effectu ab ipsismet deducuntur, divisionem illam ita reddere absurdam, & impossibilitatibus redundantem, ut quomodo alicui Theologo placuerit, plurimi admirentur.

CAPVT III.

Non admittere prædictos authores aliquod auxilium gratiæ efficax ipsimet ostendunt, cum dicunt Deum nostram expectare voluntatem.

34 QVo magis authores cum quibus ista tractamus, multiplicatis libris suam conantur suadere sententiam, & auxilium gratiæ efficax nominare, eo ampliùs ostendunt nullam prorsus efficaciam in auxilio gratiæ se admittere; prout 85. illorum assertio prædicto *nostro* 1. *libro* relata *tract.6. cap.22.* declarat, quam & sub his verbis exposuerunt. *Canon quartus Concilij Arausicani, aut malè ab his authoribus intelligitur, aut immerito ad præsentem causam adducitur. Nam cum dicitur, Deum non expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur: duobus modis intelligi potest: primò, non expectare Deum peccatoris dispositionem, & liberam operationem, ut in eo inchoet iustificationem, per quam à peccato purgamur: & hic est sensus Concilij ut statim ostendam: & in eo nihil ex illa definitione contra nostram sententiam sumitur, ut per se constat. Alter sensus est Deum non expectare voluntatem nostram, ut liberè consentientem, & se disponentem cum divino adiutorio ut à peccato purgemur; & in hoc solo sensu posset ille Canon contra nos afferri; hic tamen sensus non est, nec esse potuit à Concilio intentus.* Ita Franciscus Suarez *lib.3. opusc.cap.15. num.12.* quam explicationem ad supradicti Concilij Canonem priùs tradiderat Cardinalis Bellarminus, cuius hæc verba *primo nostro libro* uti suprà inducta sunt.

35 Probat autem supradictus author hanc suam explicationem mentem esse Concilij, continuò subiungens: *Quod patet primò ex ratione Concilij, scilicet quia is qui dicit Deum expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur, contradicit Spiritui Sancto dicenti, præparatur voluntas à Domino. At is, qui dicit Deum expectare consensum liberum hominis postquam illum excitavit, & vocavit, non negat præparari voluntatem à Domino: ergo solus ille hoc negat, qui ante primam vocationem dicit Deum expectare voluntatem hominis,* ut in eo iustificationem inchoet. In hoc ergo sensu locutum est Concilium.

Secundò: *Quia ille sensus est omnino falsus,* 36
nam expressè scriptura dicit: ecce ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam intrabo ad eum. Hoc ergo Deus expectat, atque hoc sensu dicit Ambrosius hem.19. in Psalmum 118. circa illa verba: præveneruntoculi mei ad te diluculo; vult se præveniri Sol iustitiæ, & ut præveniatur expectat; non ut præveniatur ante vocationem, sed ut præveniatur per dispositionem antequam ingrediatur ad inhabitandum hominem per iustitiam. Vnde subdit Ambrosius: audi quemadmodum expectet, & cupiat præveniri; dicit Angelo Pergami Ecclesiæ scribe, pœnitentiam age: & Angelo Laodicea, pœnitentiam age, ecce ego sto ad ostium & pulso. In quibus locis constat vocationem Dei præcedere, & expectare nihilominus Deum dispositionem liberam hominis antequam per gratiam illum inhabitet. Quod latius prosequitur idem Ambrosius eodem sermone, circa illa verba, prope es tu Domine: & concludit Deum omnibus præsto esse; & quod ad omnes non ingrediatur; culpam hominis esse, non aperientis, & ideo propinquiorem esse illis, qui contriti sunt corde.

Possumus & nos confirmare illorum sententiam 37
ex aliis scripturæ testimoniis, in quibus expressiùs, & sub propriis terminis. Traditur Deum nostram expectare voluntatem; ut est illud Esayæ 5. *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas:* & cap.3. *Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri.*

Tertiò in eodem sensu dixit Augustinus q.68. 38
in libro 83. quæstionum: parum est velle nisi Deus misereatur, sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit; tamen quia nec velle quidquam potest nisi admonitus, & vocatus efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis, & ita se ipsum idem Augustinus exposuit *lib.1.retract.cap.26.*

Tandem idem opponebant ex sancto Thoma 39
super *Apocalip.* ad illum locum: *Ecce ego sto ad ostium & pulso;* ubi habet, *Quod Deus postquam pulsat sua excitante gratia, expectat ut aperiatur sibi.* Imò aliquando contenderunt de fide esse, quod Deus, postquam pulsat ad ostium cordis, expectat cooperationem, & consensum nostrum, quia sine tali cooperatione, & consensu non fit conversio ad Deum.

Firmiter nihilominus tenendum est, & nullate- 40
nus dubitandum, nec ad mentem citati *Canonis quarti* Concilij Arausicani esse, nec veritatem continere supradictam explicationem, quin potius in illo *Canone quarto* apertè definiri nullo modo Deum expectare nostram voluntatem, sive ante omnem excitantem gratiam, sive post illam. Quia verò iam prædicti authores fatentur in illo Canone diffiniri, non expectare Deum hominum voluntates, ut det omnium primam suam excitantem gratiam, nec id probamus, sed tantùm, quod etiam determinet Deum, postquam sua gratia nos excitavit, non expectare voluntates nostras, ut ipse ex se excitanti gratiæ consensum, & cooperationem præbeant. Sic aperimus, primò ex fine illius Concilij, qui erat penitus, & omni ex parte

Digitized by Google

te errorem Semipelagianorum damnare; illi autem nedum errabant, quia Deum expectare contendebant noſtras voluntates, ut primam ſuam excitantem gratiam tribueret, ſed etiam quia poſita excitatione aſſerebant Deum non efficere verè quod homo illi conſentiret, ſed expectare ut humana voluntas ex ſe conſenſum, & cooperationem exhiberet, cui Deus poſtmodum cooperaretur: ergo concludit utramque expectationem: & illam priorem, & iſtam poſteriorem in illis in dicto Canone damnavit. Maior manifeſta eſt, & minor ſatis nota ex opuſculis Caſſiani & Fauſti, in quibus paſſim invenitur quod Deus expectat primos noſtros conatus, ut excitantem gratiam largiatur, & illa excitante gratia tributa rurſus ſecundò expectat, ut voluntas ex ſe inchoet ſuum conſenſum, cum quo ipſa gratia cooperetur, quod aſſerebant, ut ſemper homo inciperet, & gratia ſubſequens adiuvaret.

41 Hoc patet imprimis ex Epiſtola S. Proſperi ad Auguſtinum, in qua poſtquam præmiſerat, eos contendere primam excitantem gratiam homini dari poſt illos naturales conatus, poſt quos pediſſequa ſequebatur; ut oſtenderet etiam illos aſſerere, quod poſita illa excitante gratia Deus expectabat hominis aſſenſum, & cooperationem, qua homo ſubdebat ſibi illam excitantem gratiam, & eam faciebat ſecum cooperari, hæc verba habet. *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Manifeſtum eſt ergo illos in utroque errare, & de utroque à Sancto Proſpero fuiſſe reprehenſos; & quia poſt conatus naturales ſtatuebant excitantem gratiam pediſſequam, non ad illos præviam; & quia illa ſic poſita pediſſequa ad priores conatus, eam ſubdebant hominum voluntatibus, à qua ſecundum ſuam phantaſiam non negabant eſſe præventas. Quomodo autem excitantem gratiam ſubdebant hominum voluntatibus, poſtquam ab ea dicebant eſſe præventas, niſi quia aſſerebant, illam gratiam non efficere quod voluntates conſentiant, quod eſſet ſibi illas voluntates ſubdere; ſed quod ipſa expectabat, quod voluntates ex ſe conſentiendo ipſam gratiam ſibi ſubderent, & ſecum traherent, ut cum illis cooperaretur. Igitur perſpicuum eſt, quod non ſolùm de illa prima expectatione, ſed de hac ſecunda, qua excitans gratia expectabat hominum voluntates, ut ipſis ſubderetur, damnantur à Sancto Proſpero citato loco & efficaciùs à Concilio Arauſicano Secundo Canone jnducto

42 Clariùs in hoc ſitum fuiſſe Semipelagianorum errorem docet Sanctus Proſper *in proſa de ingratis*, in qua apertiſſimè docet, illorum ſententiam fuiſſe, quod Deus omnibus tribuebat gratiam ſufficientem ſive excitantem, expectans & deſiderans, quòd ipſi ſecum præſtarent conſenſum, quam proinde unuſquiſque proprio ſuo motu arbitrij, uel acceptabat, uel reſpuebat. Contra quorum ſententiam inter multa ita de divina gratia ait.

Sic prius immites populos, urbeſque rebelles
Vincente, obſtantes animos pietate ſubegit.
Non hoc conſilio tantum, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia, ſed mutans intùs mentem, atque reformans,
Vſque novum ex fracto fingens virtute creandi.

43 In quibus palam reijcit illorum ſententiam, qua Dei gratiam tantum excitare, ſuadere, invitare, & allicere aſſerebant; eamque verè efficere, & verè virtute creandi immutare efficaciâ ſua hominum mentes prædicavit, ſubdens, quod licet Apoſtolus percurrat orbem, prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet; ut tamen his ſtudiis auditor præmoveatur, non doctor, nec diſcipulus, ſed gratia ſola efficit. Poſt quæ verba, quod maxime debet attendi, ſtatim ſubdit de illis: quod etiam ipſi omnia iſta admittere ſe dicebant, nimirum quod poſt Apoſtoli prædicationem, & quamcumque exteriorem legem, atque doctrinam requirebatur interior gratia, de qua dicebant omnia illa, quæ Sanctus Proſper præmiſerat, ſcilicet ipſam efficere ut auditor obediat, eam formare, efficere, immutare hominum voluntates, & hoc virtute creandi: verba illorum ſunt.

Et nos, iſta, inquit ſentimus de bonitate
Ac virtute Dei, quæ vis foveat regatque
Quos vocat, & tutos, peccato præſtet ab omni
Non ſua ſervabit quemque prudentia, nec ſe
Perficiet ſolis naturæ viribus ullus.
Sed quia iam in nobis & velle & nolle creatum eſt,
Arbitriique ſui, quo vult intendere motus...
Excutiat ſomnum, ſeque illi ſubdat & aptet

Sed ſtatim Sanctus Proſper adversùs hoc quod 44
voce proteſtabantur, gratiam Dei efficere & mutare hominum voluntates, ſcilicet ſuadendo, exhortando, & invitando, cui motus liberæ voluntatis ſe aptabat, continuo ſubjungit.

Hoc eſt nobiſcum, quod te ſentire ferebas:
Hæc ſincera fides? hac Chriſti gratia tecum eſt?

Et cætera, quibus oſtendit, eos voce tantum publicare gratiam Chriſti, efficere, & immutare hominum voluntates, re autem ipſa totum oppoſitum aſſerere, dum contendunt illam ſolùm Excitare, allicere, & invitare, ſed voluntatem ex ſe ſe movere, vel ad illi conſentiendum vel reſiſtendum.

Planè, vel quæ Sanctus Proſper in hac proſa 45
expreſſit, ſufficerent, ut omnes viderent ſententiam quam impugnamus, cum omni proteſtatione ſua ab illa quam Sanctus Proſper damnat, in nihilo penitus eſſe diverſam, nihilque amplius de gratia Dei, quidquid verbis dicant, fateri, quam in homine operari per modum legis atque doctrinæ internæ, & ad modum cujuſdam mentis magiſtræ, ut etiam patentiſſimè *in Epiſtola ad Ruffinum. In illius principio* expoſuit; expectaréque hominum voluntates, ut ipſæ vel ex ſe illi conſentiant, vel diſſentiant.

Qui ergo vel tranſeunter iſta attenderit teſti- 46
monia, minùs dubitare poterit damnatam in illis antiquioribus fuiſſe ſententiam, quod poſita excitante gratia in voluntate, ipſa non verè efficiat, & ſubdat ſibi illam, ſed potiùs expectet, & deſideret quod voluntas eam acceptet; & ſic acceptando eam ſecum cooperari faciat; ac per conſequens, nec poterit dubitare hanc illorum ſententiam in Concilio Arauſicano *Canone* 4. fuiſſe damnatam, cum diffinitur Deum non expectare etiam hoc modo hominum voluntates, ut Semipelagiani aſſerebant. Idem videtur tradidiſſe Sanctum Bernardum *ſermone 67. ſuper Cant.* loquens enim ibi de Deo, ſic ait. *Non recipit tuam moderationem, non à te compoſitionem expectat, non commoditatem, non oportunitatem requirit: per ſe & ex intimis non modò cum non vis, ſed & cum neſcis, erumpit evulſus potiùs quam emiſſus.* Non expectat ergo poſita

Digitized by Google

sua, quam dicunt, congrua vocatione, quod voluntas velit ei ex se consentire, sed etiam cum ipsa non vult, eam consentire facit ut apertè docet Bernardus: non expectat quod ipsa se cum Deo componat, sed hanc compositionem in ea ipse facit, non expectat commoditatem voluntatis, sed hanc illi ipse tribuit: non denique requirit opportunitatem expectando opportunum, & congruum tempus, ut congrua sit ejus vocatio, sed hanc opportunitatem, & congruitatem ipse cum vult ei donat, & facit ut operetur congruè, atque consentiat.

CAPVT V.

Deum non expectare nostram voluntatem posita gratia excitante ampliùs ostenditur.

47 ID ipsum in illo *Canone* 4. Concilij Arausicani esse definitum ex verbis illius Canonis non obscurè cognoscitur, sic enim habet. *Si quis, ut à Peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam Purgari velimus per sancti spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit spiritui sancto per Salomonem dicenti, præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Sed adhuc postquam Deus excitat, purgati non sumus: ergo, si Deus tunc expectat nostram voluntatem expectat ut purgari velimus; ergo etiam hæc expectatio voluntatis nostræ in illo Canone damnatur: Non ergo solùm reprobatur, quòd Deus expectet nostram voluntatem ad dandam primam excitantem gratiam; sed etiam, quod posita illa Deus nostram voluntatem expectet; ut velimus purgari; Imò hoc secundum magis intenditur in illo Canone, si omnia illius verba attendantur: hoc enim solum diffinitur, Deum nostram voluntatem non expectare, aut ejus consensum, ut purgari velimus, sed per suam infusionem, & operationem efficere ut voluntas nostra purgari velit: hoc autem secundum ostendit damnari in illo Canone, quod Deus non efficiat in nobis per operationem, ut velimus purgari, sed expectare consensum voluntatis ut ipsa purgari velit, & consultò, ut demonstraret se loqui de gratia efficaci, quâ Deus facit ut velimus, illa duo verba apposuit, *per spiritus sancti infusionem & operationem* quæ æquivalent gratiæ excitanti, & adiuvanti, per quas Concilium Tridentinum postea expressit, Deum in nobis efficere ut convertamur, seu ut purgari velimus: operatio enim in sua significatione, potissimè addita supra infusionem, veram efficaciam divinæ operationis ostendit, ita ut intelligeremus, postquam Deus gratiam excitantem infundit, sua efficaci operatione facere ut voluntas nostra excitationi consentiendo purgari velit.

48 Quod amplius exposuit addendo, affirmantem scilicet oppositum, *resistere spiritui sancto dicenti, præparatur voluntas à Domino.* Vbi de efficaci præparatione sermonem facit, & ex eo constat, quod Patres, ex quorum doctrina canones illi confecti sunt, semper illud testimonium, *præparatur voluntas à Domino*, de efficaci Dei præparatione intellexerunt, quia in illo, & ex illo verum adiutorium gratiæ efficiens nostram præparationem fundarunt, & deduxerunt, ut patet ex S. Patre Augustino, & Prospero, ex cuius alterius doctrina Augustini, alterum, nimirum S. Prosperum, illos canones composuisse & Leoni Primo obtulisse, & istum eos apostolica authoritate approbasse, & ut reciperentur ad Concilium Arausicanum secundū transmisisse constat. Ad quod si advertere voluisset citatus ille author nunquam ex illis verbis *præparatur voluntas à Domino*, argumentum desumpsisset, cum ex illis potissimum, & firmum contra ipsum desumatur ratione facta.

Accedit, quod illa ultima verba in Canone 49
illo adhibita. *Et apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, etiam si omnia alia superius inducta deessent, convincere videntur, sensum & intentionem Concilij esse damnare, qui dixerunt Deum non operari in nobis, & velle, & perficere, sed expectare nostram voluntatem, ut postquam excitata est, ipsa ex se velle eliciat. Nam apud S. Patres Augustinum, & Prosperum, & alios, qui illis temporibus Massilienſium hæresim refutarunt, indubitatum est, illum Apostoli locum de efficaci adiutorio gratiæ supra puram excitantem procedere, illumque semper ita intellexisse: imò in illo fundasse veram doctrinam de efficaci auxilio gratiæ, illamque illo testimonio ab Apostolo fuisse expresè traditam perpetuò docuisse.

Ex S. Patre Augustino, Prospero, Hylario, 50
Fulgentio, ac sumnis Pontificibus, qui hæresim damnarunt Pelagianam, & Massilienſium, qui eam magna ex parte sequebantur, necesse non est probare illos semper expugnasse doctrinam illam, quæ posita excitante gratia contendebat Deum expectare humanæ voluntatis consensum, quia pleni illorum libri sunt: his, & similibus testimoniis, quod Deus verè efficiat dono gratiæ suæ, quod voluntas consentiat; quod efficaci sua gratia immutat hominis voluntatem, quod eam transfert de mala in bonam, & alia plura similia quæ ostendunt Deum Posita excitante gratiæ non expectare quod voluntas, si vult, consentiat; sed verè efficere ut consentiat, quod copiosè explicaturi sumus infra tradentes, & defendentes, veram efficaciam prævenientis gratiæ, ubi etiam innumera alia adducentur, quæ hanc expectationem humanæ voluntatis manifestè reiiciunt.

Ad argumenta ergo: & ad Primum jam patet 51
ex dictis, quam sine causa suam falsam explicationem ex illis verbis Concilij supradictus author desumat, (*præparatur voluntas à Domino*) cum potiùs eisdem non obscurè illa sua explicatio condemnetur.

Ad secundum dicendum in illo testimonio 52
Apocalipsis tantum dicit, quod Deus pulsat ad cor, & quod si quis ei aperuerit, intrabit ad eum, non tamen ibi habetur, quod hominis cor ex tua naturali facultate ei aperiat, sed ex dono efficacis gratiæ, qua Deus ita hominis præparat voluntatem, ut cor sibi aperiri verè faciat. Quod eadem divina scriptura clariùs exposuit in Canticis Canticorum, ubi habetur quod stans Deus ad ostium cordis sponsæque dicens. *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, &c.* quibus multis invitationibus eam ut ei aperiret suadebat, nihilhominus ipsa ei non aperiebat, quia ipsa ex se non aperit pulsanti, nisi ipse Deus, qui pulsat sibi faciat aperire. Vnde sequitur quod sponsus pulsans & videns, quod sibi non aperiebatur, misit manum per foramen,

&

Digitized by Google

& abstulit pesulum ostij : & sic sibi fecit aperire. Per quod clarè monstratur quod nunquam sponsa pulsanti sponso ad ostium cordis aperit, nisi ipse sponsus, qui pulsat mittat præter pulsationem manum, ideſt, fortius auxilium; quo verè auferat impedimentum, & pesulum ostij, sibi efficaciter faciens aperire. Et iuxta hanc doctrinam explicanda sunt & intelligēda verba S. Ambrosij in illo secundo argumento allata, nimirū ut sanctus Doctor intelligat, Deum expectare ad cor hominis, non cooperationem & assensum à sola libera voluntate elicitum, vel eliciendum; hoc enim nunquam sanctus ille Doctor asseruit, sed expectare à nobis nostrum consensum, quem ipse nobis tribuit, & expectare cooperationem nostram, quam ipse, quando sibi placet, causat in nobis, secundum quod S. P. Augustinus *libro de prædestinatione Sanctorum* explicat, Deum exigere à nobis quod ex dono eius illi præstemus. Hoc enim ibi ostendit contra illos, qui ex eo quod legebant Deum à nobis exigere fidem, *Inferebant eam nos habere ex nobis, dicentes si credideris salvus eris, unum eorū exigitur, alterum offertur, quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.* Sic à simili modo argumentari videmus: si benè utaris gratia excitante, dabitur tibi gratia cooperans, & salvus eris. Ex his duobus unum exigitur; ipsumque Deus expectat à nobis, alterum offertur: quod exigitur, & à nobis expectatur in nostra, quod offertur in Dei est potestate. Sed utrique ibi sanctus Doctor Augustinus per hæc verba respondet. *Cur non utrumque in Dei est potestate, & quod iubetur & quod offertur.* Et nos cum illo pariter dicimus, cur non utrumque in Dei potestate est, & quod expectat à nobis, & quod nobis in præmium eius confertur.

53 Ad tertium, seu secundi confirmationem, quod procedebat ex illis aliis scripturæ testimoniis, in quibus expressè habetur, quod Deus nostram expectat voluntatem ut misereatur nostri, quod expectavit vineam suam illam antiquam, ut faceret uvas, & fecit labruscas; eadem responsio est, scilicet non esse sensum, Deum expectare à peccatore habente excitantē gratiam tantummodo liberum eius influxum, quin priùs non accipiat ex dono gratiæ, & ex efficacia virtutis eius; sed sensum legitimum esse, quod Deus expectat ut misereatur nostri, dona sua, quibus facturus est ut nos excitanti gratiæ eius assentiamur, & influxum, & cooperationem nostram apponamus. Expectat, inquam, dona sua & beneficia sua, quibus nos dignatur liberare: sicut de præscientia ex posuit sanctus Doctor Augustinus, quod nempe præscit dona, & beneficia sua. Itaque adhibita gratia excitante expectat Deus tempus in quo statuit bonum influxum, & cooperationem arbitrij hominibus tribuere, & expectat ordinem à sua divina providentia præfixum secundùm quem ea quæ prædestinavit, ipse implet.

54 Ad ultimum dicendum illum tractatum super Apocalypsim qui nomine S. Thomæ circumfertur, S Thomæ non esse, ut apud peritos Theologos manifestum est. Vnde nec apud Cardinalem Bellarminum huius mentio fit, tanquam operis sancti Thomæ: nec de illo, quod magis est, vel dubitat. Cuiuscumque autem illud opus sit, cum in eo dicitur, quod Deus nostram expectat voluntatem, prout modo dictum, & explicatum est, dictum intelligas. Quod autem aliquando prætendebatur, & opponebatur ad fidem pertinere. Deum post tributam excitantem gratiam nostram expectare voluntatem, ut consentiamus, in uno sensu vere de fide est, in hoc videlicet iam suprà exposito, quod posita excitante gratia Deus expectat cooperationem nostræ voluntatis efficiendam per eius adiuvantem gratiam, quæ verè efficienter faciat, nos excitationi eius libetè assentiri, & illi adiuvanti gratiæ libera voluntate cooperari: in hoc planè sensu, id de fide est sicut per oppositum, quod scilicet Deus, posita gratia excitante excitet nostram cooperationem à nostra sola libertate eliciendam, illorum damnata sententia est, qui verum adiutorium gratiæ faciens nos facere negare ausi sunt, de quo perpetuo per ecclesiam damnati fuere.

CAPVT VI.

Nullum admittere præfatos Authores efficax auxilium ostendit alia ipsorum assertio, quod nempe ut aliquis habeat rationem dati Christo à Patre ab humana voluntate dependeat.

IN primo libro nostro *tract. 6. cap. 23.* aliæ horum authorum assertiones relatæ sunt, quæ luce clarius manifestant, eos nullum penitus auxilium, gratiæ efficax reipsa admittere, quamvis verbis duntaxat id publicare videantur. Nam 86. assertio ibi adhibita ita dicebat: *Licet dona sua gratia prævenientis excitantis, & cooperantis ad accessum ad Christum non distribuat pro qualitate usus liberi arbitrij, sed pro sua tantum voluntate: quod tamen adultus cum his, vel illis auxiliis hîc, & nunc ad Christum accedat, rationemque dati Christo à Patre æterno habeat, pendens est à libera cooperatione arbitrij ipsius, quam innatam habet, & quam hoc ipso quod viator est, exigit sibi relinqui ut virtutis ac vitij, meriti & demeriti, laudis & vituperij, præmij ac supplicij capax sit.* Ita author concordiæ *in ipsa quæst. 14. disp. 12. §. quod itaque*, quem & alij authores ex eadem familia ibi citati sequuntur. 55

In hac assertione duo expressè continentur: 56
alterum, quod dona gratiæ excitantis, prævenientis, & cooperantis non dentur pro qualitate arbitrij: alterum, quod hoc quod est de facto ad Christum accedere illique esse datū à Patre pēdet à libera hominum cooperatione, qua ex innata sua libertate benè volunt uti illis auxilijs, & sic benè ex se utendo illis ad Christum veniunt, & rationem habent datorum Christo à Patre. Est clarioribus verbis asserere, auxilia sufficientia hominibus non dari pro qualitate boni usus liberi arbitrij, quia videlicet arbitrium benè vult ex se uti auxiliis sufficientibus. Sicut enim in aliis assertionibus secundo nostro libro relatis, & impugnatis ipsi asseverant quod prædestinatio in ratione communi providentiæ nec pendet à libertate arbitrij nostri, nec fit pro qualitate alicuius boni usus illius benè tamen ut habet rationem certæ prædestinationis à nostra libertate pendet, & pro qualitate boni usus arbitrij fit: ita consequenter ad præsens de effectibus communis providentiæ, & prædestinationis asserunt effectum communis providentiæ nempè auxilia sufficientia non dari pro qualitate boni usus arbitrij; effectum autem prædestinationis, nempè auxilium efficax, dari pro qualitate talis boni usus arbitrij; nimirum quia arbitrium voluit sua innata libertate sufficienti auxilio consentire.

Eandem doctrinam sub aliis æquivalentibus verbis priùs eos divulgasse, Lovanij insignis illa Lo- 57

Digitized by Google

vanienſis Academia refert pariter & doctiſſima alia Duacenſis in doctiſſimis ſuis Cenſuris, de quibus ſæpè in his noſtris operibus mentionem fecimus; ſic enim ex his authoribus utraque refert: *Non eſt voluntas Patris abſoluta, ut omnes, quos ipſe dat filio, abſolutè ſalventur ut patet Ioan. 17. ubi dicit* Chriſtus ſcilicet, *quod ex illis, quos dedit illi Pater perierit filius perditionis, qui ſeipſum perdere voluit; ſed voluntas Patris eſt ut omnes habeant ſufficientia auxilia, & non ſtet per ipſum, quo minus ſalventur.* Hanc enim, & ſupra dictam eandem, eſſe doctrinam facilè conſtat, niſi quod hæc clariorem, illa magis occultam ſe exhibet. Si enim, quod quis ad Chriſtum accedat, ac per hoc rationem dati Chriſto à Patre habeat, pendet à libertate creata, non autem, quia Deus abſolutè vult ut conſentiat & per hoc ad Chriſtum veniat, illique à Patre ſit datus, manifeſtum eſt, quod non eſt voluntas abſoluta Patris, ut omnes quos ipſe dat filio, abſolutè ſalventur; ſed quod tantùm vult eis auxilia ſufficientia dare, quibus ſi ipſi voluerint, poſſint ſalvari ita quod minùs per Deum ſtat quin ſalventur.

58 Vnde non aliter venit expugnanda, quàm ab utraque illa Schola breviter, ſed efficaciter refutata eſt, iſta enim in illius confutationem Lovanienſis proponit: *Si hic eſt ſenſus ergo omnes homines, adeóque reprobi Chriſto dantur, quod falſum eſſe conſtat Ioan. 17. ubi dicitur, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi: vel ſanè qui dati ſunt Chriſto præ his, qui dati non ſunt, particulare nihil habebunt; omnes enim habent ſufficientia eiuſmodi quæ putantur auxilia, & non ſtat per Deum quominus ſalventur. Cæterum quod abſoluta ſit Patris voluntas, ut omnes Chriſto dati ſalventur, docet Auguſtinus, ubi inter cætera his utitur verbis, Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Non ergo quod aliquis accedat ad Chriſtum, & rationem dati ei à Patre habeat, ab humana pendet libertate, benè ex ſua innata libertate utente auxilijs ſufficientibus, nec in hoc laus, libertas, & meritum eius conſiſtunt, aut conſiſtere poſſunt; ſed potius dependet ſicut à prima, & efficaciſſima cauſa à voluntate Patris, abſolutè ab æterno volentis dare illam Chriſto, & in executione verè efficientis, quod ad ipſum Chriſtum accedat, & per hoc rationem dati Chriſto à Patre in tempore habeat.

59 Duacenſis autem Schola alia paulò diffuſius illorum aſſertionem expugnat, ſic dicens *ex ignorantia phraſis ſcripturæ procedit hæc objectio non enim ſenſus eſt, ex his qui dati ſunt (ſcilicet Chriſto à Patre) unum periiſſe, ſed potius ſermone iſto ſignificatum eſt, eum qui perit, datum non eſſe* ita Reg. 5. dicit. *Nahaman Syrius ad Eliſæum, non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam dus alienis, niſi Domino, hoc eſt, ſed tantùm Domino, qui vtique diis alienis non erat connumerandus:* ſic Matth. 12. *quos non licebat ei (David ſcilicet) neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus; item Actuum 17. ſi quid invenerunt in me iniquitatis, niſi de una hac voce &c.* Et ad Galatas 2. *non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, Et Apocalip. 21. Non intrabit in eum aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni, certè illa loca ſatis oſtendunt abſolutè, & ſine exceptione hunc locum intelligi debere, ut Ioan. 6. omne quod dat mihi Pater ad me venit, Et rurſum, hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ac denique cap. 18. *id quod cap. 6. dictum erat, ab Evangeliſta repetitur, nulla vel ſpecie exceptionis addita, ut impleretur, inquit, ſermo quem dixit: quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam: non enim, ut ais Auguſtinus, periit filius promiſſionis, ſed filius perditionis: hi ergo Chriſto intelliguntur dati, qui ordinati ſunt in vitam æternam; ipſi ſunt illi prædeſtinati, ac ſecundum propoſitum vocati, quorum nullus periit ac per hoc nullus eorum de bono in malum mutatus, finit hanc vitam: quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, ut non pereat ſed habeat vitam æternam: & ibi ex prædeſtinatis nemo periit quacumque ætate moriatur: abſit enim ut Prædeſtinatus ad vitam æternam ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propterea Dominus ait: hæc eſt autem voluntas eius qui miſit Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, &c. Sic Auguſtinus mirum autem in his aſſertionibus tam levia futilia, & nonnulla penè puerilia argumenta pro ſeriis & ponderoſis adferri, quæ probatiſſimæ & fundatiſſimæ ſummis ac grauiſſimis de rebus doctrinæ beati Auguſtini opponantur, & improbabilibus, ut ne dicamus periculoſis opinionibus locum faciant, & firmamentum addant.* Huc vſque doctiſſima Duacenſis ſchola, quæ ita piè, doctè, profundè, & ſtrictè, horum ſententiam in ſupra dicta aſſertione, confundit, & arrogantiæ poſſet attribui, quidquam ei addere, vel ab ea ſubtrahere, ſed verbum maneat in ore ſcholæ tantæ.

CAPVT VII.

Se non admittere auxilium gratiæ efficax hi ipſi authores oſtendunt, dum dicunt cum æquali auxilio gratiæ prævenientis unum de facto converti, alterum non converti.

LIcet, quæ ex his authoribus relata ſunt ſuprà, ſatis convincant ex eorum propriis verbis, eos nullum penitus auxilium prævenientis gratiæ efficax ſtatuere: ea quæ *in aſſertione* 87. 88. 89. id conſtituunt, apertius manifeſtant: cum in illis repetitis, multiplicatis, ac confirmatis ſermonibus ſuadere contendunt fieri poſſe, & de facto ita ſæpè evenire, ut cum æquali auxilio prævenientis gratiæ unus convertatur alius verò non. Quomodo enim prævenientis gratiæ auxilium efficax eſt, ut venit à Deo, ſi aliquando effectum prodivit, aliquando verò non? Conſtat ergo, quod ex Deo efficax non eſt, ſed ex eo ipſo, qui innata ſua libertate, modo illud in hanc, modò in illam partem trahit prout vult, modò illud reddit efficax, modò inefficax, provt placet: modò illud ſibi ſubdit, & ſecum facit operari, modò illud à ſe repellit. Sed verba, quibus hoc proponunt, audiamus. 60

In *aſſertione* 87. relata *primo noſtro lib. cap. 66.* ita publicant: *Eadem ratio eſt de eodem modo affectis, æqualiterque à Deo vocatis pro ſola namque eorum libertate poteſt evenire, ut unus amplectatur fidem, alter verò eamdem contemnat.* Author concordiæ quæſtione 14. Notanda illa verba ſunt, *pro ſola namque eorum libertate.* In *aſſertione* autem 88. Hoc magis explicantes ita ſubjungunt, *Quare fieri poteſt ut eorum qui æquali auxilio interius à Deo vocantur, unus pro libertate ſui arbitrij convertatur,* 61

Digitized by Google

vertatur, & in infidelitate permaneat, sæpè enim accidit ut cum quo auxilio unus non convertitur, alius convertatur. Imo fieri potest ut aliquis præventus longe maiori auxilio, pro sua libertate non convertatur, & alius cum longè minori convertatur. Idem *quæst.* 14. *art.* 13. *disput.* 12. *in principio.* Idem habet *quæst.* 13. *art.* 4. & 5. *disp.* 1. *memb.* 11. sequuntur alij ubi supra relati: potissimè id prius proposuit liber de ratione studiorum, de quo ibi mentionem fecimus, in quo ita legitur: *Fieri potest, ut æqualis gratia duobus collata sit efficax in uno, inefficax in altero, quia non vult consentire licet possit per sufficientem gratiam sine novo augmento gratiæ &* in assertione 89. ita proponunt: *Postremò, quia cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus iustificatur & salvatur, alius pro sua libertate, nec iustificatur, nec salvatur, & è contrario; ut patet ex illo Matth.* 11. *si in Tyro, & Sydone, nec dubitandum est multos torqueri apud inferos, qui multò maioribus auxiliis ad salutem à Deo donati fuerunt, quam multi qui in cælo conspectu Dei fruuntur; de quorum numero videntur Iudæi, qui Christum Dominum prædicantem, & miracula facientem viderunt, sed quod illi qui cum maioribus auxiliis, prædestinati, & salvi non fuerunt, illi verò cum minoribus prædestinati & salvi fuerint, non aliunde fuit, nisi quia illi pro innata libertate noluerunt uti ita suo arbitrio, ut salutem consequerentur.* Sic verò maximè author concordiæ *quæst.* 23. *art.* 4. & 5. *disp.* 1. *memb.* 11.

62 Denique in assertione 90. sic idem amplius confirmans. *Quod item è duobus, qui æquali motu gratiæ præveniuntur ac moventur, unus consentiat, concurratque cum gratia, eliciat actum & convertatur; alter verò non, certè solùm provenit ab innata, & propria, & intrinseca libertate utriusque bonis & malis, reprobis & prædestinatis communi.* Ita author concord. *quæst.* 23. *articulo quarto & quinto disputatione prima, membro decimo.* Quod non potuit se clarius explicare, & apertius negare auxilium gratiæ, discernens unum ab alio, quam dicendo solùm illud discrimen unius ab alio provenire ab innata propria, & intrinseca libertate, omnibusque hominibus communi, & non ab aliquo auxilio gratiæ.

63 Verum est eos hanc suam sententiam limitare ad auxilia prævenientis gratiæ, qua ratione præveniens est: fatentur enim in eo, qui convertitur, esse nouum influxum gratiæ simultaneum cooperantem; qui non est in eo, qui non convertitur. Similiter concedunt, quod ille, qui convertitur, maius auxilium habet in ratione beneficij, seu gratuiti doni, ex eo quod datur ei eadem gratia præveniens illo tempore, quo præscitur illa bene usurus. Vnde & illi datur congrua, & tempore congruo, quæ sic congruenter non datur illi, qui non convertitur.

64 Probant suam sententiam primò, & potissimè ex illo Matthæi 11. *si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Quibus verbis significatur, quod eisdem signis & auxiliis quibus non fuerunt conversi Iudæi, conversi fuissent Tyrij & Sydonij.

65 Id suadent secundò ex S. Patre Augustino in duobus locis, in quibus hanc apparet docuisse sententiam. Primus habetur *libro de prædestinatione & gratia cap.* 15. ubi de Pharaone & Nabuchodonosor loquens, ita dicit. *Quantùm ad naturam ambo homines erant, quantùm ad dignitatem ambo reges, quantùm ad causam ambo captiuum populum Dei possidentes, quantùm ad pœnam ambo flagellis admoniti. Quid ergo finem eorum fecit esse diversos; nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propria iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordiosissimam veritatem pugnavit arbitrio.* Quibus verbis id videtur apertè tradi, quod stantibus auxiliis gratiæ in illis duobus omnino æqualibus unus conversus est, quia voluit; alter non est conversus, quia noluit. Locus alter habetur *libro* 12. *de civitate Dei cap.* 6. ubi loquens de duobus hominibus æqualiter affectis corpore, & animo, & eadem tentatione tentatis; ita habet: *si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret; quid aliud appareat, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere; vnde nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio.* Docet ergo ex illis duobus hominibus æqualiter affectis, unum in bono perseverasse, quia voluit, alterum peccato consensisse, similiter quia voluit. Igitur cum æqualibus auxiliis contingit aliquando unum converti ad Deum, alterum non.

Præterea ex duobus hominibus æqualiter à Deo 66
iustificatis contingit, unum in gratia perseverare, atque salvari; alterum in peccatum cadere & damnari: ergo pari ratione evenire potest ex duobus æqualia auxilia habentibus, unum converti ad Deum, vel in bono usque in finem perseverare; alterum non converti, sed damnari.

Adversum tamen hanc illorum sententiam, in 67
qua consequenter quidem ad sua principia loquuntur, dicendum est primò: Si loquantur de auxiliis externis, quæ peccatorem præveniunt, ut sunt prædicatio Evangelij, patratio miraculorum, & omnia alia similia auxilia exteriora, non est dubium quod cum æqualibus istis auxiliis externis fieri potest, ut unus convertatur, & fidem recipiat; alius verò non convertatur, sed eam contemnat, quod de facto sæpè contingit. Imò quandoque cum minoribus eiusmodi auxiliis, unus convertitur, & alius cum longè similibus maioribus non convertitur.

Sed tunc nullo modo est dicendum, quod ex 68
sola innata libertate homo convertatur, aut quod non aliundè illa conversio fiat: hoc enim concedere semper perversam continet doctrinam ut statim aperiemus. Veritas ista manifestè probatur ex illo Matthæi 11. allato testimonio: *Si in Tyro, & Sydone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Per quod clarè traditur quod miracula eadem à Christo Domino facta, & eadem prædicatio ipsius, quæ facta fuit Bethsaïdæ apud Iudæos, quibus ipsi conversi non sunt; si posita fuissent in Tyro & Sydone, illæ gentes conversæ fuissent. Verùm tunc illorum conversio non fieret, vel ex illis solis extrinsecis auxiliis, vel ex sola illorum innata libertate & non aliunde quam ex illis, vel ex illa, aut ex utrisque simul; damnatum enim est hoc concedere.

Ratio autem manifesta est: quia conversio non 69
fit ex virtute illorum externorum auxiliorum, sed ex virtute & efficacia interioris adjutoris gratiæ, quo Deus vult hominem ad se convertere ergo positis æqualibus auxiliis externis, vel minoribus, cum Deus tribuit illud efficax auxilium gratiæ suæ, hominem converti & si illud non donet homini habenti, eadem externa, vel multò maiora adiutoria, non convertitur. Contingit autem, quod homini habenti minora auxilia Deus

Digitized by Google

det efficacem internam gratiam, & habenti maiora eandem non tribuat: Cum æqualibus ergo vel minoribus auxiliis externis stat unum converti, & alium cum maioribus non converti.

70 Dicendum secundò, si sermo fiat de auxiliis internis sufficientibus tantum seu quod idem est de vocatione communi aut gratia purè excitante, aut invitante, suadente, & alliciente interiùs, etiam fieri potest ut cum illis æqualibus, imò cum minoribus unus convertatur, & alius cum eisdem, vel multò maioribus non convertatur, quod & plerumque de facto contingit. Veritas ista etiam ex supradicto testimonio *Matth.* 11. satis constat: quia cum prædicatione Christi Domini, & miraculis ab eo factis, apud Iudæos coniuncta erant sufficientia auxilia interna, quibus illos interiùs ipse sua excitante gratia invitabat, suadebat, & sufficienter alliciebat ad fidei receptionem & conversionem, ut sanctus Thomas docet *super cap.* 15. *Ioann. sectione sexta*; ad illa verba; *si opera non fecissem in illis* &c. ergo si illæ virtutes, & prædicatio eadem fierent in Tyro & Sydone, etiam virtutes, & prædicationem illam, eadem auxilia interna sufficientia, & sufficientes interiores excitationes concomitarentur; & tamen adhuc illis æqualibus internis sufficientibus auxiliis positis in Tyriis & Sydoniis, quæ fuerunt tributa Iudæis, illi conversi essent: cum isti conversi non sint: ergo cum æqualibus auxiliis sufficientibus, stat unum converti non alium.

Ratio eadem, quæ convincit pro prima conclusione, concludit pariter pro ista: quia conversio non fit ex virtute pura excitantis gratiæ seu sufficientis auxilij, sed ex virtute efficacis. Contingit autem aliquando quod Deus pro sua misericordia tribuat auxilium efficax ad conversionem habenti æqualem excitationem internam cum alio, & non illi alteri. Imò contingit quod habenti minorem excitantem gratiam donet adiuvantem, efficacem, quam non tribuat habenti multò majorem excitationem, & sufficientem gratiam, quia verò authores cum quibus ista tractamus solum admittunt ex parte gratiæ prævenientis auxilia interna sufficientia, seu puram gratiam excitantem: Ideo consequenter supradictam sententiam intulerunt, ex pravo principio pravam conclusionem, sed consequenter producendo deducentes.

71 Ex utraque conclusione sequitur, quod si de auxiliis in utraque expressis tantùm mentio fiat; verum est plures torqueri apud inferos, qui multo maioribus similibus auxiliis à Deo donati sunt, quam multi, qui divino conspectu fruuntur, ob rationem inductam.

72 Dicendum tertiò: loquendo universaliter de omnibus auxiliis internis gratiæ prævenientis impossibile est, quod existentibus in duobus hominibus auxiliis prævenientis gratiæ omninò æqualibus unus convertatur, alter non: sed semper qui convertitur accipit aliquod maius auxilium prævenientis gratiæ, quod non accipit qui non convertitur. Et idem omnino dicendum est de eo, qui in gratia iustificante perseverat usque in finem, non perseverante alio, qui æqualem gratiam iustificantem, aut fortè maiorem accipit, non perseverat.

73 Probatur veritas ipsa ex omnibus scripturæ testimoniis, Summorum Pontificum, & Conciliorum diffinitionibus, sanctis Patribus, & rationibus Theologicis, quibus infrà ostensuri sumus, nullum converti ad Deum: aut in bono usque in finem perseverare, nisi ei Deus tribuat auxilium gratiæ efficax; per quod ipsum ad se convertat, aut in gratia verè faciat perseverare. Cum ergo ille qui sic convertitur, vel perseverat, habeat auxilium efficax; ille verò qui non convertitur, aut non perseverat, illud non habeat; nam si haberet utique converteretur, aut perseveraret, ut de primo parente docet expresè sanctus Patet Augustinus *de correctione & gratia cap.* 11. & S. Thomas de omnibus 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. & *quæst.* 112. *art.* 3. fit consequens, ut qui convertitur, aut perseverat, semper habeat aliquod auxilium prævenientis gratiæ, quod non habet ille qui non convertitur: etenim auxilium efficax diversum est saltem formaliter à sufficienti, & ampliorem habet virtutem quam sufficiens, ut suprà manet ostensum.

Præcipuè autem patet hæc veritas ex illo Apo- 74
stoli, quod in hac materia achille est, & semper pro efficaci auxilio gratiæ manifestè concludit. *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

Nam ex opposita sententia, quam impugna- 75
mus, palam sequitur, quod unus homo se discernat ab alio ex se ipso contra prædictum Apostoli testimonium. Etenim, ut ipsi dicunt, auxilia prævenientis gratiæ omnino æqualia sunt; & tamen unus discernitur ab alio, ille nempe qui convertitur, aut in bono perseverat: ergo non discernitur per auxilium, sed per seipsum. Illa enim discretio non potest provenire ex parte auxiliorum, quia cum illa sint æqualia, æqualem in utroque producunt effectum, non diversum in uno ab eo, qui in alio est, à causa enim æquali æqualis effectus fit, quod & sanctus Pater Augustinus his verbis expresè docuit, *de prædest. Sanct. cap.* 5. *Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus hominibus communia sunt, discernuntur homines ab hominibus*, & concludit: *gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis.* Ergo secundùm S. Patrem Augustinum bonus discernitur à peccatore, cum ad Deum convertitur per gratiam, quæ non est data alteri peccatori: ergo semper habet particularem gratiam qui convertitur, quam non habet, qui non convertitur: ergo impossibile est cum æqualibus auxiliis prævenientis gratiæ unum converti, non alium.

Proculdubio posset dicere Beatus Petrus, in illa 76
sententia, Christo Domino, nihil mihi amplius dedisti quam Iudæ, unde nec tibi plus debeo quam Iudas: sed ego non aliunde quam in mea innata libertate ab illa discretus sum; quod tamen quis vel proferre audeat.

Concludendum est quartò, quisquis con- 77
vertitur aut in bono perseverat, semper maius habet, & nobilius auxilium prævenientis gratiæ, quam qui non convertitur: quia auxilium gratiæ efficax, quod habet qui convertitur, maius & nobilius est, quam omne aliud auxilium quod habet ille qui non convertitur; & à fortiori idem dicendum de auxilio efficaci ad perseverandum. Quis enim dubitet, quod nobilius & perfectius sit, quam omne aliud auxilium quod habet ille qui non perseverat. Valde absurda & impia sententia est quæ contendit absolutè, & simpliciter esse dicendum, aut posse dici multos torqueri apud inferos, qui multo maioribus auxiliis à Deo donati sunt, quam multos, qui in cœlo conspectu divino fruuntur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Ad argumenta contraria respondetur.

78 PRiusquam ad argumenta responsa demus, evasiones quædam excludendæ sunt. Vtraque enim illa excusatio seu modificatio, qua tantisper quasi temperare studeant invidiam huius suæ sententiæ, in nullo prorsus juvat, aut ipsam temperat. Quod enim primò dicunt, illum qui convertitur, semper habere maius auxilium gratiæ cooperantis, & concomitantis quàm habeat ille, qui non convertitur, potiùs prædictam sententiam aggravat, quia ponit illam gratiam cooperantem, concomitari bonum usum arbitrij, quia arbitrium ipsum vult; & ex consequenti dari ex meritis illius prioris innatæ libertatis, qua voluit se discernere ab alio benè ex se utendo auxiliis sufficientibus; quæ habebat communia cum alio. Vnde non modificat, vel excusat supradictam sententiam; sed potius ex illa aliud omnino vitandum deducit, & cum priori inconvenienti aliud cumulat, nimirum dari gratiam cooperantem (quam dicunt concomitantem, & melius dicerent subsequentem, verè enim subsequens & pedissequa arbitrij est, vel est concomitans subsequendo, & in idem redit) ex priori merito humanæ voluntatis se per se discernentis ab alio, qui ex parte Dei æqualia auxilia habet cum illo, qui non convertitur.

79 Secunda excusatio minùs iuvat: dicere namque quod ille, qui convertitur, habet maius auxilium in ratione beneficij seu doni maioris, quatenus videlicet ei datur auxilium illud, sub illa cognitate, sub qua præscitur homo se conversurus; sicut equus donatus alicui militi, quo præscitur bene usurus, maius donum est, quam si alteri daretur, qui non præscitur benè usurus eo: licet reipsa idem equus sit. Hoc, inquam, dicere, nihil est aliud, quam asserere, hoc ipsum quod est illud maius esse beneficium, & donum desumi, originari, & pendere ex eo quod liberum arbitrium pro innata sua libertate sit benè usurum tali auxilio, & cooperaturum cum eo, illud sibi efficax reddendo. Vnde tota ista ratio maioris beneficij, seu doni refunditur sicut in primam causam ad innatam arbitrij libertatem, & non in Dei gratiam, ut copiosè post pauca ostensuri sumus. Præterquam quod cum tota ista, quæ introducitur congruitas, in illa media scientia fundetur; sine qua nec consistere potest (ut etiam sui authores fatentur) & quam impossibilis illa media scientia sit demonstratum fuerit abundè *primo nostro libro*, subinde cætera ruere, quæ hâc scientia media fulciuntur, necessum est. Quinimò & illa sic appellata gratia congrua ubique à nobis expugnata est præcipuè suprà *tract. 3.*

80 Ad primum dictum est iam in secunda & tertia conclusione; imò de perfecta huius loci intelligentia, *Si in Tyro & Sydone*, plura *primo nostro libro* dicta fuisse recordamur, ubi ex professo de illo testimonio egimus, & falsas explicationes præclusimus, ad quæ lectorem remittimus, & magna brevitate nunc dicimus, quod in illo testimonio solùm habetur, quod in tali casu Tyrij, & Sydonij de facto convertentur: non tamen in eo dicitur, aut insinuatur, quod solùm conversi fuissent ex illis signis exterioribus, aut ex auxiliis internis tantùm sufficientibus quæ ad illa consequerentur; sed conversi essent tunc ex auxilio efficaci, quo Deus eos converteret secundum suam misericordiam: sine quo efficaci auxilio conversionem non fieri plurima alia scripturæ loca testantur, per quæ & hic venit intelligendus & explicandus.

Ad primum testimonium ex Sancto Patre Augustino obiectum ex *lib. de prædestinatione & gratia*, hæc sit prima responsio illum librum Sancti Patris Augustini non esse, sed suspecti authoris, ut ex Doctoribus Lovanienſibus & Cardinali Bellarmino notum dedimus *lib. 2.* Cuiuscumque autem sit, in verbis sequentibus se Doctor explicare videtur. Nam post opposita illa verba ex *cap. 15.* relata, capite præcedenti procedens ulteriùs author, & inquirens rationem, quare ex illis duobus regibus unus fuerit conversus, sic ait: *hic quicumque respondet illi* (nempè Nabuchodonosor) *ut mutaretur adfuisse divinum, huic ut induraretur, defuisse præsidium: & hoc contendit iniustum, proter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens, Apostolus dicit; cuius vult miseretur, & quem vult, indurat, dicente Domino, sine me nihil potestis facere: intelligat illa omnia vel adiuvante Domino, perfici, vel deserente permitti.* Verum est, ut constat primò ex illo capite decimoquinto, & ex toto processu illius tractatus, quod author nomine auxilij divini, quod adfuisse dicit Nabuchodonosor, non intelligit auxilium ex Deo ipso efficax, quo Deus immutavit illius regis voluntatem, sed tantùm auxilium excitans, seu interiùs communiter vocans, seu tantùm sufficiens. Qua ratione rectè dicetur ille tractatus à quodam suspecto Authore confectus. Igitur illa verba quæ nos ex illo induximus, secundùm se quidem argumento obiecto respondere videntur, sed ex intensione & mente authoris illi non respondent: quia author ille, sicut & ij cum quibus agimus, putat sufficere auxilium sufficiens, seu excitationem, ut homo ex se illi consentiat. Quare nec illi argumento oportet respondere cum ex authoritate cuiusdam suspecti authoris procedat. 81

Ad secundum testimonium Sancti Doctoris ex *lib. 12. de civitate cap. 6.* dupliciter respondemus: primò non esse ita gravem tentationem ex meritis propriis videre mulierem pulchram, quod homo naturæ viribus, cum generali influxu ordinis naturalis non possit illam vincere sine alio auxilio gratiæ: & propterea Sanctus Augustinus ad hoc attendens dixit, quod ex illis duobus hominibus æqualiter affectis in animo, & in corpore, sicut unus pro sua voluntate, à castitate recedit per pravum appetitum, & alter sua voluntate in castitate persistit. Nec ibi aliquam facit mentionem adiutorij gratiæ ob rationem inductam. Dicimus, ex meritis propriis non esse gravem tentationem, nam si simul cum illa ponatur urgens dæmonis tentatio, per eam gravis efficitur, nec sine adiutorio gratiæ potest ab homine vinci. 82

Quod si sic casus procedat. Secunda responsio est, Sanctum Doctorem illis verbis tantùm docere ex illis duobus hominibus unum voluntariè castitatem reliquisse, alium voluntariè servasse, quod omnes concedere tenentur: non autem asserere, quod sicut ille qui à castitate recessit, sola sua prava voluntate recessit, ita alius, qui tentationem vicit & in castitate permansit, etiam sola sua voluntate hoc fecit: hoc enim nec dicit, nec ibi insinuatur. Imò ex illius contextu capitis sexti, adjuncto septimo & octavo & potissimè nono, totum oppositum non obscurè traditur. In 83

Digitized by Google

capite enim illo ſexto ex profeſſo tractat, quæ cauſa ſit beatitudinis Angelorum bonorum: & quæ cauſa ſit miſeriæ malorum & aſſignans utriuſque cauſam, ait, cauſam beatitudinis bonorum fuiſſe, quia adhæſerunt ſummo bono, miſeriæ autem malorum, quia à ſummo bono per ſuam malam voluntatem receſſerunt: & in toto illo capitulo tractat, à quo habeat voluntas, quod mala ſit & breviter tangit à quo etiam habet, quod bona ſit, dicens quod ex eo eſt mala voluntas, quia recedit à bono; & ex eo eſt bona, quia adhæret bono. Quod explicat in utroque illo homine æqualiter affecto anima, & corpore vidente mulierem pulchram quam ſuâ voluntate unus appetendo peccat, alius eâdem ſua voluntate in caſtitate permanet. Deinde in capite ſeptimo proſequitur de mala voluntate tractatum; quomodo videlicet malæ voluntatis non eſt evenire cauſam efficientem, ſed deficientem & in octavo agit de amore perverſo, quo voluntas ex ſe ſola ab incommutabili bono ad commutabile deflectit: In nono autem exponens, quod in principio capitis ſexti præmiſerat: ſcilicet cauſam beatitudinis Angelorum fuiſſe, quia ipſi ſua voluntate ſummo bono adhæſerunt, ſimiliter cauſam quare ex illis duobus hominibus alter in caſtitate permanſit: fuiſſe, quia ipſe voluit in caſtitate manere; nè aliquis ex hoc inferret, quod in argumento proponitur, nimirum totam, & ſolam cauſam, quare boni Angeli Deo adhæſerunt; & ſimiliter ad æquatam cauſam, quare ex illis duobus hominibus alter in caſtitate permanſit, fuiſſe ſolam & bonorum Angelorum, & illius hominis caſti voluntatem, ad hoc expreſsè excludendum apertis verbis docet, in bonis Angelis cauſam quod Deo adhæſerunt, & in bono permanſerunt non fuiſſe ſolam illorum voluntatem, ſicut ſola voluntas in malis Angelis fuit, quod à bono receſſerunt; ſed cauſam fuiſſe illorum bonam voluntatem, quam Deus in ipſis operatus eſt; Addens quod illi fuerint ampliùs adjuti, quam illi qui ceciderunt. Per quod in terminis ſententiam, quam impugnamus, ipſe ibi clariùs expugnat; ſcilicet æquali auxilio unum converti, alterum deficere. Verba ſunt. *Si autem boni Angeli fuerunt priùs ſine bona voluntate, eamque in ſe ipſis Deo non operante fecerunt; ergo meliores à ſe ipſis, quam ab illo facti ſunt? abſit. Et item, profectò & bonam voluntatem qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris habere non poſſent.* Ac tertiò explicans quo adjutorio id in illis effecerit Deus, an ſola excitatione, ſubdit. *Cum id egit eorum voluntas bona; ut non ad ſe ipſos, qui minùs erant, ſed ad id illum, qui ſummè eſt, converteretur eique adhærentes magis eſſent, eiuſque participatione ſapienter, beatéque viverent; quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat; ex ſe ipſo faceret implendo meliorem: priùs faciens excitando avidiorem.* Ecce & bonam voluntatem Angelorum, qui permanſerunt ſæpiùs dicit à Deo operante factam fuiſſe; & adiutorium declarat, quo illam in eis bonam fecerat, nempè priùs excitando ad deſiderium, & poſtea implendo, & faciendo meliorem per verum adjutorium gratiæ verè adjuvantis, & voluntati vires tribuentis. Vnde tandem ſubjungit. (Quod noſtrum intentum contra ſententiam quam impugnamus, mirificè confirmat.) *Aut ſi utrique* (ſcilicet & boni & mali Angeli) *boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus; illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros, certiſſimi fierent, pervenerunt.* Quibus apertè & in terminis concludit, quod ex illis qui cum æquali gratia cadunt, ſua mala voluntate cadunt, qui autem Deo adhærent, magis adjuvantur, ut in bono permaneant.

Ad vltimum dicendum, diſparem eſſe rationem de gratia habituali, & auxilio gratiæ actuali: cum enim habitualis gratia non tribuat homini quod perſeveret uſque in finem; ſed ſolùm quòd perſeverare poſſit, ſæpè contingit, quod ex duobus æqualem habentibus gratiam habitualem unus pro ſua libertate cadat, atque damnetur, alius autem per Dei miſericordiam ſtet, & perſeveret uſque in finem, quoniam illi Deus tribuit donum perſeverantiæ, quod æquiſſimo ſuo iudicio, ſed occulto, alteri non dedit. Cæterum auxilium actuale gratiæ efficiens, eſt quo Deus tribuit homini benè operari, ſeu in bono perſeverare: unde ſi in duobus ſit æquale, in utroque æqualem efficit effectum, nimirum ut uterque benè operetur; ſeu ut uterque convertatur, vel ut uterque in bono perſiſtat: quod ſi utrique denegetur, neuter convertetur, aut in bono perſeverabit. Quod ſi alter convertatur & perſeveret, non alius; ille habet maius auxilium quam iſte; nempè illud, quo Deus facit eum efficaciter benè operari, ut dictum eſt. 84

Sed authores prædicti eodem modo philoſophantur de auxilio actuali gratiæ & de ipſa gratia habituali; ut videlicet, ſicut habituali utimur cum volumus, eamque quoad uſum ſubdimus noſtro libero arbitrio moto ab actuali auxilio gratiæ; ita ipſo actuali auxilio utamur, cum volumus, ipſumque noſtro ſubdamus arbitrio; unde & illorum nonageſima prima aſſertio eſt *primo noſtro libro part. 1. tract. 6. cap. 23.* relata quod illud auxilium præveniens rectè poneretur, ſi ſubderetur uſui libero eius; ſed quia non ſic ponitur à defenſoribus gratiæ, ideo ab his authoribus impugnatur. 85

Aſſertio iſta, ut ibi primò notauimus, eſt P. Franciſci Suarez in ſuis opuſculis *libro 30. de auxiliis divinæ gratiæ cap. 12. num. 6. §. Dicet fortaſſe.* Itaque ideo efficaciam prævenientis gratiæ inficiantur, quia ipſa non ſubditur libero uſui arbitrij, contendunt enim, & in terminis publicant, quod ſubdi debet actuale auxilium gratiæ uſui libero arbitrij; nec attendunt, eum iſta his terminis divulgant, eiſdem prorſus à Maſſilienſibus primitùs fuiſſe publicata, & à ſanctis patribus contrita: ſic enim de illis ſanctus Proſper refert. *Epiſtola ad Sanctum Patrem Auguſtinum,* quæ non ſemel inducta eſt, & iterùm inducitur, ut omnibus conſtet, quæ & qualis doctrina iſta ſit quæ modò proponit auxilium gratiæ debere ſubdi uſui libero arbitrij. *Nec conſiderant* inquit *ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam volunt eſſe humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Planè nec relatus author, & qui eum ſequuntur, conſiderant ſe gratiam Dei excitantem, quam comitem non præviam voluntati eſſe humanorum meritorum cùm illam dicunt dari facienti, quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, ex certa lege, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ſecundum ſuam phantaſiam ab ea non negant eſſe præventas; illam enim ſubdi debere dicunt uſui libero voluntatis. 86

Ecce verbum, *ſubdere,* ab vtriſque propoſitum, & in eodem ſenſu, quo utrique volunt excitantem gratiam ſubdi debere uſui libero voluntatis 87

Digitized by Google

tatis humanæ. Nec considerant eandem vocem in eodem sensu, atque sententiâ prorsus eâdem in illis prioribus damnatam fuisse.

CAPVT IX.

Eandem gratiæ efficaciam recentiores negant, dum asserunt, quod in duobus posito æquali auxilio gratiæ potest alter intensiùs operari.

88 NOn potuerunt ij authores consequenter loquendo (hanc enim consequentiam in illis, potissimè in illo primo authore concordiæ non minimam intuemur) aliud asserere, quam multiplicatis assertionibus conclusiones plures deducere ex illo suo principio, quo statuerunt prævenientem gratiam non efficacem esse, quatenus præveniens est, & ut venit à Deo, sed solùm moraliter excitantem, & invitantem. Nam præter relatas & impugnatas, in assertione nonagesima secunda relata primo nostro libro *part.1. tract. 6. cap.23.* ita proponunt. *Illud præterea vehementer displicet quod subiungunt* (scilicet gratiæ prædicatores) *videlicet pro æqualitate auxilij gratiæ cooperantis spectandam esse quantitatem actus, quem liberum arbitrium tali auxilio adiutum producit, quasi existente æquali auxilio Dei, non possit esse intensior, & feruentior actus contritionis aut dilectionis in homine uno, quam in alio, quandiu in via sunt: aut existente auxilio inæquali non possit esse æqualis actus in duobus, aut maior in eo, qui minori auxilio adiuvatur. Etenim cum liberum arbitrium unà cum auxilio Dei efficienter in actum, quo se ad iustificationem disponit, influat, sitque causa libera potens maiori, vel minori conatu pro sua libertate influere: utique ab inæquali conatu & influxu liberi arbitrij prouenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adiuvantis; unus eorum intrinsecùs operetur, seque melius disponat ad gratiam iustificantem quam alius, & ut conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio.* Sic habet author concordiæ *quæst.14. art.13. disput.39.* in alia impressione 37. §. *Illud præterea.* Quem sequitur Franciscus Suarez *libro tertio opusculorum cap.20. n.8.* cuius verba *dicto loco* relata sunt, & in eo videnda. In hac consequenter loquuntur ad præcedentes: si enim auxilium actuale prævenientis gratiæ subderetur usui libero voluntatis, itaut existente æquali auxilio gratiæ arbitrium suo libero usu illud aliquando rejiciat, aliquando verò ipsum sibi subdat, & secum faciat operari, poterit ratione eâdem, eodem suo conatu libero minùs vel magis conari, & sic existente, v.g. auxilio prævenientis gratiæ in duobus ut octo, poterit alter operari remisso suo conatu, ut quatuor & alius ut sex, vel ut octo; & sic cum æquali auxilio unus operabitur remissè, alter intensè. Imò sequitur, quod in eodem casu possit unus illorum, vel uterque simul operari ut viginti propter conatum liberum ut viginti. Quod ultimum, licet eorum aliqui negent; videntes enim manifestam absurditatem, restringebant aliquando prædictam suam sententiam, ut tantum esset intelligenda de maiore vel minore intensione actus, intra tamen intensionem auxilij non suprà, aut extra illam; nihilominus in illorum doctrina planè convincitur, quòd etiam extra latitudinem auxilij possit arbitrium intensiùs operari. Et ratio est manifesta in doctrina illorum, quia arbitrium est causa partialis in illa cooperatione, nec habet ex auxilio gratiæ quod de facto operetur; & quod sic, vel sic, in hac, vel illa quantitate operetur: sed arbitrium suo conatu sicut se applicat, & determinat ad operandum, ita se applicat ad sic, vel sic, in hac, vel illa quantitate operandum: ergo poterit sua libera voluntate operari seu conari prout sibi placuerit, sive ut sex, sive ut octo, sive ut viginti; quia ipse habet virtutem ad conandum, & influendum ut viginti, ut est apertissimum; & à nullo impeditur, ne sic conari & influere possit: ergo poterit ita conari in tota illa extensione, ut viginti. Quod & alij illorum videntes sequi ex sententia sua, admiserunt.

Probant hanc suam sententiam, primò ex parabola Matthæi *cap.25.* & Lucæ 19. de talentis, & pecuniis servis traditis: *Vni enim dedit quinque, alij duo, alteri verò unum, unicuique secundum propriam virtutem.* Quibus significatur ex conatu maiori vel minori liberi arbitrij, & à propria virtute procedere, quod plura vel pauciora talenta unusquisque recipiat. Quod & in Angelis servatum fuisse, itaut secundùm maiorem perfectionem naturalium recipiant à Deo maiorem gratiam S. Thomas affirmat *prima parte quæst. 62. art.6.* ergo etiam homini datur maior, vel minor gratia, secundùm maiorem, vel minorem conatum naturalem. 89

Secundò Concilium Tridentinum *sessione sexta de iustificatione, cap.7.* sic habet. *Verè iusti nominamur & sumus iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam uniuscuiusque dispositionem & cooperationem.* A duplici ergo causa docet sumi gratiæ iustificationis quantitatem, & à Spiritus Sancti auxilio, & à dispositione & cooperatione arbitrij; ergo quò maior fuerit hæc arbitrij cooperatio, seu dispositio, maior erit & iustificatio. 90

Tertiò: sententia Caietani est *3. part. quæst.10. art.4. ad.2.* quod cum æquali lumine gloriæ intellectus perfectior in naturalibus perfectiùs videt Deum altero minus perfectum intellectum habente; quia perfectior intellectus magis conatur ad videndum cum eodem lumine: quod & S. Thomas *ibi solut. ad secundum* sentire videtur; ergò à simili, imò ratione prorsus eâdem, cum æquali auxilio prævenientis gratiæ, unus poterit magis conari, quam alius. 91

Vltimò: quando duæ causæ simul concurrunt ad eundem effectum, tantò effectus perfectior producitur, quantò altera illarum maiorem conatum adhibet, ut patet in oculo & specie visibili; quantò enim aliquis habuerit acutiorem visum, constat quod cum æquali specie visibili perfectiorem eliciet visionem; ergo idem fiet, proportionaliter in visione beatifica; & similiter in dispositione, qua quis se disponit ad gratiam; ut nempè perfectiorem gratiam accipiat, qui cum æquali gratiæ auxilio perfectiùs ex sua naturali virtute conatus fuerit.

In hac controversia universaliter sermo procedit, non solùm de dispositione, & cooperatione arbitrij, sed etiam de ipsa gratia iustificante, & de augmento illarum: qui enim supradictam sententiam tuentur, eodem modo de istis omnibus loquuntur: & dicunt posito auxilio gratiæ prævenientis æquali posse arbitrium suo naturali conatu maiorem cooperationem efficere, potest- 92

Digitized by Google

que consequenter maiorem iustificantem gratiam recipere; & ex illa æquali, & cum actuali auxilio etiam æquali posse ex conatu arbitrij maius augmentum illius acquirere.

92 Sed adversùs hanc illorum doctrinam pro resolutione dicendum est primò; quantitas habitualis gratiæ & charitatis, quæ peccatori infunditur; & similiter quantitas augmenti illius post iustificationem, immediatè & proximè mensuratur iuxta quantitatem cooperationis, quâ homo ad iustificationem disponitur vel post illam ad augmentum illius. Itaque tantùm datur de gratia, & charitate, & de augmento eorum, quantum homo habet de actu, & cooperatione, quâ ad illam disponitur, non plus nec minùs. Immediatè enim & proximè quantitati cooperationis arbitrij quantitas ista respondet. Hæc conclusio apud omnes certa est, nec de illa dubitatio inter Theologos esse potest. Illam demonstrat, ut solet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 3. ac *super Matth. ad caput* 25. *in explicatione parabolæ de talentis*, de qua infra dicemus. Imò illam tradit Concilium Tridentinum *cicato loco in sessione sexta de iustificatione, cap.* 7. verbis inductis. Vnde quia communiter ab omnibus recipitur, nec ampliori probatione indiget.

93 Dicendum secundò: quantitas cooperationis arbitrij, quâ homo disponitur, vel ad iustificationem, vel post illam ad augmentum gratiæ, & charitatis mensuratur secundùm quantitatem auxilij prævenientis gratiæ efficaciter adiuvantis, & huic immediatè correspondet. Vndè de primo ad vltimum tota quantitas gratiæ, & charitatis, & augmenti earum, tanquam primæ radici & origini correspondet quantitati prædicti auxilij gratiæ prævenientis efficaciter adiuvantis. Quare impossibile est secundùm ordinariam legem gratiæ, (ut de eo, quod Deus de potentia sua absoluta facere potest modò non loquamur) quod ille, qui movetur à Deo per auxilium gratiæ efficacis extensum ut quatuor producat ob minorem conatum arbitrij cooperationem, ut duo; vel ob maiorem cooperationem ut sex; sed quicunque habuerit à Deo sibi datum auxilium prævenientis gratiæ efficacis ut quatuor, semper operabitur ut quatuor, & cooperationem eliciet qua se disponat, vel ad habendum gratiam, & charitatem de novo, vel ad illarum augmentum.

94 Veritas ista, manifesta doctrina est scripturæ sacræ, sacrorum Conciliorum, ac sanctorum Patrum, quam vera Theologica ratio convincit. Scriptura enim palam docet. *Quid habes quod non accepisti?* vbi adversùs sententiam, quam impugnamus, dicit non habere hominem ex se aliquam maiorem intentionem actus, quo se disponat ad maiorem gratiam, & augmentum eius, quam non acceperit à Deo, & ab illius gratia; cuius contrarium eveniret in casu posito, si nimirum habens auxilium ut quatuor, eliceret per maiorem naturæ conatum cooperationem ut sex, excessum enim illum ut duo à Deo non reciperet; parique modo per illum excessum se discerneret ab alio, qui tantùm operatur ut quatuor. Quod enim ille habet gratiam iustificantem, vel illius augmentum ut sex, alius autem ut quatuor, tantùm & præcisè, provenit ex innata arbitrij libertate, quæ ex se sola illum excessum ut duo supra auxilium, ut quatuor produxit: ac per consequens ille se discernit ab isto per se solum, vel per sui arbitrij solum maiorem conatum: Quod expressè illud oppugnat, *Quis enim te discernit?* Dicit enim inflatum arbitrium, discernit me ab alio remissè operante, conatus meus naturalis maior & intensior, qui secundum illam maiorem intensionem, quâ ab alio discernitur, à mea sola libertate naturali processit, non ab auxilio gratiæ ut quatuor. Constat enim, quod auxilium, ut quatuor non potest producere actum intensum ut sex: quia non potest effectus excedere virtutem suæ causæ: ergo ille excessus non fit ab auxilio; sed tantum ex naturali arbitrij virtute, secundùm quam se ille discernit ab alio.

Præterea Ioannis cap. 15. ait Christus: *Sine me nihil potestis facere*; scilicet in ordine ad salutem; 95
sed si habens auxilium Dei, ut quatuor operatur ut sex; ille excessus ut duo suprà auxilium ab auxilio non fit: ergo à solo libero arbitrio: ergo aliquid facit homo sine Christo, & ejus gratia pertinens ad salutem. Patet consequentia; quia ille excessus ad salutem pertinet: cum autem sit merè naturalis ex meritis Christi non habetur; sed sine ipso homini tribuitur.

Ampliùs id probatur in terminis ex Apostolo 96
ad Ephesios 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et 1. ad Corinthios, cap. 12. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Igitur secundùm mensuram donationis Christi per auxilium gratiæ fit quantitas nostræ cooperationis, & gratiæ iustificantis, quæ illi correspondet; & non secundùm naturalem arbitrij conatum excedentem virtutem & mensuram donationis Christi, & auxilij gratiæ ipsius. Videatur Sanctus Thomas *ad illum locum Ephes.* 4. Et *sup. Matth. ad caput* 25. explicando parabolam de talentis.

Quod autem prætendunt, ut effugiant vim au- 97
gmenti, quod tota illa intensio simul & præcipuè est à Deo per auxilium ut quatuor, quia causa totalis illius intensionis est liberum arbitrium simul cum auxilio; effectus autem potest excedere virtutē suæ causæ partialis, non autē suæ causæ totalis. Sed profectò in hoc magis argumentū factum corroborant; dum expresè concedunt, quod illa intensio excedit virtutem auxilij: ergo illa intensio à divino illo auxilio non fit: ergo fit à solo arbitrio. Imò cum ipsi dicant apertè quod arbitrium influat hîc & nunc non fieri ab auxilio, sed ab innata libertate (quod aliàs dedimus satis expugnatum in nostro tertio libro) convincitur quod non solùm illa maior intensio non fiat à divino auxilio, sed quod tota substantia influxit, & conatus arbitrij à solo ipso procedat, non ab auxilio. Vnde concluditur quod & per maiorem illam intentionem supra auxilium, & per totum naturalem conatum; qui conatus & intensio non fiunt à gratiæ auxilio, homo inflatus se discernat ab alio, vel non operante, vel remissiùs operante contra Apostoli apertum testimonium; & quod aliquid pertinens ad suam justificationem, & salutem habeat homo, quod non acceperit à Deo, vel ex gratiæ ipsius auxilio sed ex sola sua libertate.

Deinde per sacra Concilia expugnatur prædicta 98
sententia, & nostra confirmatur. In Arausicano enim 2. Sic definitur *Can.* 24. *Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant, unde vivant; sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac per hoc & manentem in se habere Christum & manere in Christo discipulis prodest non Christo.* Sed sententia qua impugnamus manifestè dicit, quod palmites aliquid viti, id est Christo, conferunt, quod non accipiunt ab ipso, ut per illud vivant nempè illam maiorem actus intensionem, quam vitis illis non subministrat per auxilium

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ ſuæ, ſed potius ipſi palmites ex ſua libertate illam habent, & illam ipſi conferunt viti, & per illam magis & perfectius vivunt.

99 Concilium præterea Tridentinum *ſupradicta ſeſſione ſexta de juſtificatione capite ſeptimo* quod in contrarium opponitur; hanc veritatem non obſcurè docet illis verbis: *Verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiusque diſpoſitionem & cooperationem.* Quibus dicit primò, habere iuſtos, iuſtitiam, & unumquemque ſuam, id eſt, ſibi inhærentem, ut expoſuit in *canone* 11. vel ſuam, id eſt, in ſe, licet non à ſeipſis. Secundò docet hanc iuſtitiam, quæ per gratiam & charitatem habetur, eis dari ſecundùm menſuram ſpiritus ſancti diſtribuentis ſingulis prout vult: id eſt, ſecundùm menſuram efficacis auxilij gratiæ, per quod ſpiritus ſanctus ſingulos movet ad tantam vel tantam iuſtitiam, pro ut ſibi placet. In quo oſtendit primam cauſam iuſtificationis noſtræ, & omnis illius modi & intenſionis eſſe ſpiritum ſanctum, qui auxilio gratiæ ſuæ iuſtos movet ad tantam, vel tantam iuſtitiam prout ipſe vult.

Ne autem excludere videretur ſubſequentem liberam noſtram cooperationem, qua à Deo moti & adiuti diſponimur ad iuſtificationem, illa verba ſubdit. *Et ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Quaſi clarius dicat, ſecundum menſuram quam nobis partitur ſpiritus ſanctus efficaci dono gratiæ ſuæ habemus diſpoſitionem, & cooperationem noſtram, qua diſponimur ad gratiam, & ſecundum menſuram huius diſpoſitionis effectam à ſimili menſura auxilij gratiæ nobis à ſpiritu ſancto diſtributi, habemus menſuram & quantitatem iuſtitiæ nobis inhærentis. Hæc aperta mens ſacri Concilij eſt: nec enim ſumit ibi propriam cooperationem, & diſpoſitionem in hoc ſenſu, quaſi ab alio, ſcilicet à ſpiritu ſancto data, & accepta non ſit: ſed propriam vocat, quia in uno quolibet propria exiſtit; licet à ſpiritu ſancto unicuilibet detur; ſicut & in oratione dominica dicimus, *panem noſtrum:* qui videlicet in nobis eſt, licet ex nobis non ſit ſed illum datum miſericorditer à Deo habeamus. Vnde perperam hæc verba pro ſe inducunt authores, cum quibus agimus, cùm vel ſolis ipſis expugnentur.

Et per hoc ceſſat obiectio, qua author illius libelli, de concurſu Dei ad actus liberos voluntatis aſſerit, quod ſi unica ratio quare cooperatio haberet tantam intenſionem, ea eſſet, quia phyſica prædeterminatio ex ſola Dei voluntate conceſſa tantam haberet virtutem: ſola ſpiritus ſancti voluntas debuiſſet aſſignari tanquam gratiæ menſura, neque addenda fuiſſet, ut quid diverſum pertinens ad eamdem menſuram, propria cuiuſcunque operatio, & diſpoſitio. Ceſſat, inquam, iſta obiectio ex dictis: quia id addidit Concilium contra Calvinum, qui noſtram negabat cooperationem, quâ liberè ad gratiam diſponimur: quæ licet tanquam à proxima cauſa à libero procedat arbitrio, tamen tanquam à prima ex ſpiritus ſancti voluntate procedit, qua prout vult arbitrium movet ad tantam, vel tantam cooperationem liberam. Vnde non eſt concedendum quod unica & ſola ratio, quare cooperatio tantam habeat intenſionem, ſit phyſica prædeterminatio: quia videretur excludi liber conatus arbitrij; ſed adæquata ratio eſt liberum arbitrium taliter motum. Itaque ideo cooperatio tanta eſt, quia arbitrium tantam vult operari; ideo autem tantam cooperari vult, quia efficaciter movetur à Deo ut tantùm cooperetur. Concilium autem proximam & primam cauſam menſuræ gratiæ tradidit verbis prædictis.

Quod autem prædictus author inſuper opponit, 100
quod videlicet ſi Concilium voluiſſet cooperationem noſtram ita à Dei motione pendere, ut eâdem conſtituta motionis vi nullam ex placito noſtræ voluntatis varietatem accipere poſſet, Calvino contendenti tribuendum eſſe ſoli efficacitati auxilij totam perfectionem noſtræ converſionis, & præparationis non diſplicuiſſent verba illa (*Et ſecundum propriam cuiuſcunque diſpoſitionem*) cui tamen ſummopere diſplicuerunt, ut refert Ricardus Tapert *art. ſexto reſponſione ad argumenta Calvini*: difficultatem nullam facit; ſi enim Calvinus intellexit per illa verba Concilium velle, quod menſura diſpoſitionis & cooperationis non haberetur ex præveniente Dei auxilio; erravit in intelligentia Concilij, ſicut modò errant, qui illud ſic interpretantur: & hac falſa intelligentia ſuppoſita, non dubium, quin valdè diſplicuiſſent ſibi illa verba, ſi autem Concilium intellexit de quantitate liberæ cooperationis, & liberæ diſpoſitionis cuiuſcunque propriæ, ſed effectæ ex quantitate auxilij benè intellexit Concilium, ſed etiam tunc verba illa ei placere non poterant, per quæ videbat ſuam hæreſim deſtrui negantem liberam cuiuſcunque propriam cooperationem cauſari, & effici ex efficacia auxilij gratiæ. Nullius ergo roboris, aut firmitatis ſunt argumenta iſta quæ ab his authoribus cumulantur ut negent efficaciam divinæ gratiæ, vt aliquid, idque potiſſimum tribuant arbitrio in negotio iuſtificationis, & diſpoſitionis ad illam: quod non habeat ex Deo, ut ingenuè & ſine velamine verborum, etiam hic author affirmat modò relatus.

CAPVT X.

Non poſſe arbitrium intenſiùs operari, quam ſit menſura auxilij efficacis gratiæ prævenientis amplius demonſtratur.

IN hac veritate tradenda, & defendenda, quod 101
ſcilicet iuxta menſuram tantùm auxilij prævenientis gratiæ efficacis ſit noſtræ diſpoſitionis, & cooperationis quantitas, ita quod nunquam poſſit homo intenſius cooperari, quam ſit auxilij divini menſura ſancti Patres ſunt, apertiſſimè illam doctrinam generalemque veriſſimam contra humanam ſuperbiam, nimirum quidquid boni reperitur in homine in Deum eſſe referendum, ſicut in primum effectorem: à qua univerſali doctrina nullum modum bonum, nullam intenſionem boni actus, nullam illius quantitatem atque menſuram excluſam eſſe voluerunt: cum eadem ratio ſit de boni menſura, & intentione qualibet, & de bono ipſo. Si enim illa haberi poteſt, & non ex Deo: jam non quidquid boni in homine eſſet, ex Deo haberetur: imò ſi illa intenſio boni actus ſine Deo poſſet haberi, poſſet utique & ipſum totum bonum, vel totus actus ex Deo non participari.

Sed in ſpecie id luculenter docuit antiquiſſimus 102
Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum cap. 4.* dicens. *In nullo gloriandum, quando noſtri nihil eſt.* Quo egregio teſtimonio ſemper triumphavit ſanctus Pater Auguſtinus, & nos cum illo, & per illud pariter adversùs hanc doctrinam militamus dicentes, quod cum in nullo gloriandum ſit, nec pro-

Digitized by Google

festò in maiori conatu & intensione actus gloriandum est; & cum nostrum, tanquam videlicet ex nobis, nihil sit; profectò, nec illa major intensio actus supra auxilij mensuram nostra, vel ex nobis est, aut esse potest. Si enim intensio talis nobis, ex nobis est, & non ex divino auxilio gratiæ Dei, posset utique liberum hominis arbitrium seipsum inflare adversùs Deum, & dicere: gratias tibi Domine, quod me juvasti auxilio, ut quatuor, sine quo me ad gratiam disponere minùs poteram; sed gratias etiam mihi quod me converti, ut sex: hæc enim major intensio mihi, & meæ industriæ tribuenda est; ac per consequens in aliquo gloriaretur, contra illud, *in nullo gloriandum*; aliquid ex se haberet homo, tanquam ex se contra illud, *quando nostrum nihil est*, nimirum tanquam ex nobis, ut manet expositum, & de mente sancti Martyris Cypriani explicatum.

103 Sanctus Pater Augustinus efficacissimè hanc sententiam, contra quam pugnamus, condemnat *libro de dono perseverantiæ, cap.* 14. verbis illis. *Rectè vivimus, si totum Deo damus, non illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Planè rectè vivimus si totam mensuram nostræ bonæ cooperationis Deo damus, illam in nobis causanti per donum efficacis gratiæ suæ, & non illi ex parte actum nostrum, & nobis ex parte: quoad maiorem intensionem committimus. Item *in Enchirid. cap.* 22. explicans illud Apostoli, *Non volentis, nec currentis, sed Dei est miserentis:* postquam impugnavit quandam explicationem, quæ non totum Deo tribuebat, sed partim Deo partim nostro arbitrio, quæ ibi videnda, & à nobis infrà alio loco erit commodius referenda & impugnanda, sic adversùs eam concludit. *Restat ut propterea dictum rectè intelligatur, non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuvandam & adiuvat præparatam.* Totum, inquam, dandum est Deo, qui hominis voluntatem & præparat per gratiam excitantem, & sic præparatam adjuvat efficaciter per adjuvantem, ut actum & omnem eius intensionem eliciat, ut sic etiam totus actus & tota illius intensio Deo detur sicut primæ causæ efficienti, ut arbitrium talem actus intensionem habeat.

104 Sanctus Gregorius Nazianzenus *in quadam homilia super caput* 29. *Matthæi*, exponens etiam illud, *Non volentis, nec currentis*, hæc verba habet: *Quoniam velle ipsum à Deo quoque est, iure optimo totum Deo assignavit.*

S. Anselmus *lib.* 20. *de concord. prædest. & libero arbitrio*, paulò post principium, *Totum*, inquit, *imputandum est gratiæ, quia nec volentis est quod vult, nec currentis, quod currit, sed miserentis Dei.*

105 Sanctus Bernardus, quomodo totum dandum sit Deo, mirificè declarat *tractatu de gratia & libero arbitrio*, in hæc verba. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Igitur totum quod est in actu & cooperatione nostra, & tota illius intensio ex gratia est, & tota illius intensio in arbitrio est; vel tota intensio ex Deo per gratiam habetur: sicut ex primo principio, & tota ex libero arbitrio, sicut ex principio proximè eliciente, secundùm quod à gratia Dei movetur. Non ergo aliqua potest esse, aut intelligi intensio bonæ nostræ cooperationis, quæ non ex auxilio gratiæ, sed ex solo libero procedit arbitrio, nisi totaliter his apertissimis SS. Patrum sententiis contradicatur.

Sed & sanctus Thomas magis in particulari id 106
tradit 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 3. dicens. *Quantitas charitatis* (& idem est de gratia iustificante & de augmento illius:) *Non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus sancti distribuentis sua dona, prout vult.* Non ergo secundùm majorem intensionem actus habitam ex sola virtute naturali dabitur intensior gratia & charitas, ut ij authores prætendunt. Et *solutione ad primum*, inquit, *quod illa virtus, secundùm quam sua dona Deus dat, unicuique est dispositio vel præparatio præcedens, sine conatus gratiam accipientis, sed hanc etiam dispositionem vel conatum prævenit Spiritus sanctus movens mentem hominis plus vel minus secundùm suam voluntatem.* Nihil clariùs potuit Angelicus Doctor astruere, quo unico ictu, & illorum sententiam præscinderet, & nostram expositam in prima & secunda conclusione interminis stabiliret.

In quo loco manifestè mutavit sententiam quam *in p.* 1. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 3. priùs tradiderat sub his verbis: *Dicendum est igitur quod mensura secundum quam datur charitas, est capacitas ipsius animæ quæ est ex natura simul & dispositione, quæ est per conatum operum: & quia secundum eundem conatum magis disponitur natura melior, ideo qui habet meliora naturalia, dummodo sit per conatus magis recipiet de perfectionibus infusis.* Hæc ille. Quæ, inquam, sententia *in* 2. *libro sent.* tradita ab ipso Doctore Angelico, postea 2. 2. *loco citato* retractata est, & contraria omnino ex professo tradita verbis relatis sub eodem titulo expresse eandem tractans quæstionem, & seipso doctior factus illam priorem sententiam mutans quia vidit omnino esse mutandum.

Sed adhuc clariùs & apertius id docet *ad caput* 107
vigesimum quintum Matthæi explicans parabolam de talentis; dicit enim: *Unde qui plus conatur, plus habet de gratia: sed quod plus conetur, indiget altiori causa Trenorum quinto converte nos Domine ad te & convertemur. Si autem quæris*, ait, *quare unus magis habet de gratia quam alter; dico quod huius rei est causa, proxima & causa prima, proxima est maior conatus istius quam illius, causa prima est electio divina.*

Ratio tandem Theologica suffragatur; quia liberum arbitrium ex sua naturali facultate nullam habet virtutem proximam activam in ordine ad actum supernaturalem, sed illam accipit ex auxilio excitantis, & adjuvantis gratiæ: ergo omnis activa virtus proxima ad eliciendum actum supernaturalem ei provenit ex auxilio supernaturali gratiæ: ergo iuxta mensuram & quantitatem auxilij gratiæ dantis virtutem proximam arbitrio, elicit tantum actum supernaturalem; quia actus elicitus non potest excedere proximam virtutem elicientem. Impossibile est ergo quod si auxilium est, ut quatuor constituens arbitrium tantum in virtute proxima supernaturali, ut quatuor, quod ipsum eliciat actum supernaturalem intensum, ut sex. Diximus, non habere arbitrium ex sua naturali facultate proximam virtutem respectu actus supernaturalis: quia certum est quod remotam, & radicalem virtutem habet, ut elevata proximè per virtutem supernaturalem secundùm elevationis modum, & quantitatem producat vitalem supernaturalem actum: de quo alibi solet à Theologis disputari, quod modò supponimus.

Confirmatur & explicatur, nam gratia est tota- 108
liter

Digitized by Google

liter ſupernaturalis forma: ergo diſpoſitio ad eam (formaliter loquendo de diſpoſitione ut ſic) debet eſſe totaliter ſupernaturalis: ergo totaliter debet eſſe ab agente ſupernaturali: ergo liberum arbitrium ex conatu naturali nullo modo nec partialiter, nec initiativè ſe poteſt diſponere, vel ad gratiam, vel ad maius augmentum gratiæ, ſive ad majorem gratiæ intenſionem: quia etiam illa major intenſio gratiæ totaliter eſt ſupernaturalis: ſed tantùm ſe diſponit, quantùm habet de motione & auxilio ſupernaturali.

109 Ad argumenta ergo, & quidem ad primum dicendum cum S. Thoma ibi in ſolutione illius; *Quod illa virtus, ſecundum quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſeu conatus gratiæ accipientis; ſed hanc etiam diſpoſitionem vel conatum prævenit ſpiritus ſanctus movens vel plus vel minus ſecundum ſuam voluntatem.* Vnde & Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 1. *qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.* Idem docet *ad caput 25. Matthæi in explicatione illius parabolæ de talentis*, vt iam ſupra viſum eſt. Et quia in prædicta parabola immediatè poſt illa verba, quibus data talenta perhibentur, unicuique ſecundum propriam virtutem ſubditur: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.* Aliqui Sancti Thomæ diſcipuli ex iſtis verbis relatis nunc colligunt, quod poſito æquali auxilio efficacis gratiæ non ſtat unum intenſius operari, alterum minùs intensè, quia ut dicunt, qui quinque acceperat talenta, non plus non minùs, ſed alia quinque lucratus eſſe dicitur; ſimiliter & qui duo habuerat alia duo tantum lucratus fuit. Sed ſi hæc illorum argumentatio, vel deductio teneret, utique & ille qui talentum unum acceperat, unum aliud lucrari debuiſſet, cui proinde non diceretur, prout in littera habetur, quod illud fodit in terra: ſicut enim auxilium efficax, ut quinque facit operari, ut quinque; & auxilium ut duo pariter ut duo etiam oporteret, quod auxilium ut unum, actum ut unum efficeret.

110 Præterea, cum Sanctus Thomas *relato loco ſuper Matth.* duplicem adhibeat explicationem circa intelligentiam talentorum: & ſicut in una, ita & in alia nomine talentorum ſemper intelligat habitualia dona gratuita, non actualia auxilia neque illa parabola (quæ nec alia eſt à præcedenti ut iidem authores opinantur, ſed una & eadem completa & continuata) intelligi & explicari de auxiliis actualibus gratiæ efficacis.

111 Ad ſecundum quod ex ſacro Concilio Tridentino opponebatur *ſeſſ. ſexta, de iuſtificatione capite ſeptimo*, iam conſtat qualiter in falſa intelligentia inducatur, cum potius ex illius veræ intelligentiæ adductis totum oppoſitum non obſcurè colligatur.

112 Ad tertium reſpondent ſatis ſupradicti S. Thom. diſcipuli, diffusè tractantes illam quæſtionem, an fieri poſſit ut cum æquali lumine intellectus præſtantior in naturalibus perfectiùs videat Deum: ad quod tamen nos breviter reſpondemus, id non poſſe fieri propter rationes, & authoritates ſanctorum adductas, quæ rationes etiam idem de lumine naturali convincunt; Et inſuper, quia manifeſtè ſequeretur, quod habentibus æqualia merita duobus, quorum alter perfectiorem habeat intellectum, in naturalibus inæqualia præmia darentur in viſione Dei; dum cum æquali lumine præſtantior intellectus in naturalibus, præſtantius ſive magis, ſeu melius Deum videret; quod eſſet contra Concilium Florentinum in *decreto fidei*, nec viſio beata eſſet tota merces. Quia in illo exceſſu elicito à ſola naturali facultate merces non eſſet, nec viſio beata in intenſione correſponderet intenſioni luminis gloriæ, quod eſt contra communem Theologorum ſententiam, qui dicunt quod intenſioni charitatis, in qua quis diſcedit correſpondet intenſio luminis gloriæ; & intenſioni luminis gloriæ intenſio viſionis beatæ. Solutiones autem quæ huic argumento ab aliquibus adhibentur, ſatis impugnantur à ſupradictis Sancti Thomæ diſcipulis.

Quod attinet ad mentem Caietani, qui oppo- 113
ſitam ſententiam amplecti videtur *tertia parte quæſt. 10. articulo quarto*, poteſt piè explicari dicendo, mentem illius non eſſe, illum intellectum ex ſe perfectiorem cum æquali lumine videre perfectiùs ex parte obiecti, aut intenſiorem viſionem beatam elicere præ alio tardioris ingenij cum æquali lumine: nec enim Caietanus aliquando dixit talem intenſiorem actum viſionis elicere: ſed mentem eius fuiſſe, intellectum perfectiorem in tali caſu perfectiorem viſionem habere ex parte ſubiecti, quatenus videlicet efficitur à nobiliori ſubiecto: iuxta modum illum, quo ſanctus Thomas 1. 2. *quæſt. 4. art. 5. in corp.* docet: quod poſt reſurrectionem, cùm anima corpori unietur, viſio beatifica cujuſcunque beati perfectior erit, quam nunc ſit, quando anima à corpore ſeparatur. Fateor piam eſſe explicationem, nec enim allatum Sancti Thomæ exemplum tenere videtur: quia corpus unitum poſt reſurrectionem glorioſum eſt per redundantiam gloriæ externæ, & dotem habet ſupernaturalem. Vnde nec mirum ſi viſio beata effecta ab anima unita tali corpori ſit entitativè perfectior, quia procedit à toto compoſito dotato dono ſupernaturali; at intellectus in naturalibus perfectior, merè naturalis eſt; unde nec à Deo poteſt produci illa actio entitativè magis perfecta, cum illa actio entitativè ſupernaturalis ſit, nec valeat effici perfectior entitativè ab intellectu perfectiori in ſolis naturalibus.

Quia verò etiam ſanctus Thomas opponitur 114
eadem tertia parte quæſt. 10. art. 4. ad 2. citato, dicens: *Quod gradus in viſione beatifica attenditur magis ſecundum ordinem gratiæ quam ſecundum ordinem naturæ:* ubi ſentire videtur quod etiam attendatur ſecundum ordinem naturæ, quamvis minus principaliter, illud enim comparativum magis poſitivum præſupponere videtur, ut communiter dicitur. Reſponderi poteſt primò, nihil aliud docere ſanctum Thomam præter id quod *citato loco 1. 2. quæſt. 4. art. 5. modò* relatum eſt: nimirum, quod aliquo modo attenditur perfectio viſionis beatæ ex parte ſubiecti; ita ut quantò ſubiectum eſt perfectius, ſit & viſio entitativè, ſeu ſubiectivè perfectior; non formaliter ſeu ex parte obiecti; ſed quia S. Thomas *illo loco* loquitur expreſſo vocabulo de gradu viſionis beatæ, quem magis ſecundum ordinem gratiæ, quam naturæ dicit attendi: non apparet hæc explicatio, ita benè poſſe accommodari: unde magis placet ſecunda ſolutio, quæ à Thomiſtis adhibetur, nimirum illud adverbium, *magis*, non accipi ibi à ſancto Thoma comparativè, ſed adverſativè: quod patet primò, quia ipſe Angelicus Doctor *prima parte, quæſt. 12. art. 6. ad 3.* ubi ex profeſſo de hoc agit, & *3. contra gent. cap. 58.* manifeſtè docet gradum intenſionis, non attendi penès ordinem naturalem, ſed tantùm penes intenſionem luminis gloriæ intellectum elevantis ad illam viſionem: Secundò quia, quod adverbium, *magis*, ſumatur adverſativè, eſt ſatis communis modus

loquendi

Digitized by Google

loquendi etiam apud ipsum sanctum Thomam qui *eâdem 1.2. quæstione 72. art. 1. ad 2.* dicit similiter quod peccata magis distinguuntur specie secundùm obiecta actuum, quam secundùm privationes; ubi sumit adverbium *magis*, adversativè, quia in illo articulo expressè constituit hanc negativam, quod non distinguuntur peccata ex parte privationis. Imò in scriptura sic aliquando sumitur ad Hæbreos 11. dicitur de Moyse: *Magis eligit affligi cum populo Dei quam tẽporalis peccati habere iucũditatem.* Vbi non est sensus, quod utrumque elegerit, sed illud, *magis* adversativa locutio est & primæ ad Corinthios 9. *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Prou. 16. *Melius est humiliari cum humilibus, quam dividere spolia cum superbis, & in psalmo* 83. *Elegit abiectus esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* De quo videatur sanctus Ambrosius ad illa verba Apostoli 1. Corinth. 7. *Melius est nubere quam uri*, ubi sic dicit. *Non ideo dixit, melius est nubere quam uri, quasi bonum sit uri, sed consuetudinem secutus est: solemus enim dicere melius est lucrum facere, quam damnum.*

115 Similiter dicere solemus, vitam studiosam magis sequendam esse quam vitiosam. Quibus omnibus est manifestum adversativè, non comparativè sumi illud adverbium magis.

116 Ad ultimum respondetur, id verum esse, quando duæ causæ concurrentes ad operationem sunt eiusdem ordinis, tunc enim quò alia perfectiori modo concurrit, perfectior operatio efficitur; ut fit in duobus portantibus pondus: & in meliori potentia visiva, cum æquali specie, quæ perfectiorem elicit visionem; non autem quando altera causa nullam habet virtutem proximam ad operationem efficiendam, nisi secundùm quod elevatur ab alia, sicut fit in intellectu & lumine gloriæ, & in voluntate & auxilio gratiæ.

CAPVT XI.

Tandem ostenditur hos authores gratiæ efficaciam tollere, asserendo Deum operari, quia voluntas humana operatur: simulque confutantur cuiusdam recentioris Thomistæ specialia de hac re dicta.

117 EX relatis horum authorum assertionibus, qui efficaciam auxilij gratiæ prævenientis impugnant, usque ad nonagesimam secundam inclusive, satis constat per illas omnes veræ prævenientis gratiæ auxilia negari: quod & magis ac magis ostendunt nonagesima tertia, & nonagesima quarta assertiones relatæ *primo libro part. 1. tract. 6. cap. 43.* In assertione enim nonagesima tertia expressè dicunt quod *licet Deus non dependeat ab humana voluntate, nec ab illa determinetur, operatur tamen, quia ipsa operatur.* Itaque non operatur voluntas, aiunt, quia Deus vult quod ipsa operetur; sed è contra quia voluntas vult operari, & de facto operatur: Quod verò dicunt Deum in tali sua nempe operatione, à voluntate non dependere, aut ab illa determinari, verbis potius quam reipsa publicant. Quomodo enim non determinatur Deus in suo consensu ab humana voluntate, ut sic res sit, & cum illa concurrat, si, ut semper ipsi affirmant, dicimus quod consensus ex parte Dei ipsius indifferens est, & indeterminatus, & determinatur ad hanc speciem actionis quia voluntas humana sic vult operari: si ex Deo ipso indeterminatus est divinus consensus, ergo ex Deo ipso non fit determinatè, sed à creata voluntate fit, quod sic determinatur, voluntasque humana radix est, quod sic Deus determinatè concurrat. Vnde prima radix est, quod Deus suum determinat concursum, & sic ab humana voluntate determinatur sive effectivè sive obiectivè, quia ipsa voluntas humana causa est, quod ille divinus consensus determinatus sit.

Pro secunda, quomodo non vident, quod si 118
Deus operatur, quia humana voluntas operatur; quod initium operationis in homine constituunt, consummationem ex Deo, quæ est illa antiqua malè diffamata à Pelagianis, & Semipelagianis sententia, de qua tamen, quia copiosè satis *libro nostro tertio* tractavimus hîc expugnanda non venit. Parique ratione quomodo non advertunt; quod cum dicunt, Deum operari quia voluntas humana operatur, in hoc ipso apertissimè statuunt Deum ab hac voluntate pendere ut sic operetur; illamque expectare, ut cum illa concurrat. Quid autem aliud est, aut esse potest, quod aliquis expectet, & dependeat ab ultima operatione in operando, quam non operari, nisi quia alteri operatur: & semper operari, quia alter operari vult? Quod cum manifestissimum sit, nec hoc amplius videtur impugnandum, sed solùm advertendum, quomodo per hoc veram efficaciam prævenientis impugnent: quæ prorsus nulla est; si ita ut aiunt, Deus operatur quia humana voluntas vult: à qua proinde apertè constituitur in sua efficacia pendere. In nonagesima quarta assertione ad verbum relata *libro nostro primo, citato tract. 6.* manifestius ab illis prævenientis gratiæ efficacia negatur: cum in illa expressè asserant: *In confirmatis in gratia specialissimum illud confirmationis auxilium, absque ipsorum libertate eos ad benè operandum movere.* In qua assertione ex parte tum Lutheranis, tum Calviniistis consentire videntur: ex parte, inquam, quia sicut ipsi in omnibus contendunt negari libertatem ex efficaci Dei motione, ita & apertissimè divinæ gratiæ efficacia negatur, quæ absque dubio nulla est in illis, in quibus libertatem eorum tollit: ut satis est notum. Contra quam sententiam *in nostro secundo libro* tractantes de meritis Christi, satis egimus: Cum à Christo Domino primo omnium confirmatorum in gratia, & à Sanctissima Deipara, quæ post ipsum secundum obtinet locum, & ab Apostolis post Missionem Christianam, & libertatem tollat, & meritum.

Ex discipulis etiam sancti Thomæ, Modernus 119
quidam in *Comment. ad 19. quæstionem primæ partis*, per sectiones, disputationes, ac numeros aliquos, quædam circa efficaciam divinæ gratiæ apponit satis nova, quæ breviter referemus. Dicit namque primò, quod gratia præveniens efficax immediatè non est qualitas per modum actus primi; sed motio, ideſt, motus subitus & indeliberatus ex infusione Spiritus sancti. Asserit secundò, quod ad eliciendum motum illum indeliberatum indiget voluntas qualitate per modum transeuntis infusa à Spiritu sancto.

Tertiò affirmat hanc efficaciam prævenientis 120
gratiæ physicè, seu quasi physicè voluntatem humanam movere, salvâ eius libertate.

Addit quartò, non oportere quod gratia præ- 121
veniens intrinsecè inhærens, quæ in uno est efficax, sit etiam efficax in alio v. g. æquali tentatione tentato. Et hoc magis explicans *articulo quinto*,

ait,

Digitized by Google

ait, quod est necesse dicere, quod si prævenientis gratiæ auxilium intrinsecè inhærens sit majus & perfectius intrinsecè in illo, superabit tentationem, & non alius si ambo sint æqualiter tentati.

122 Et tandem asserit sexto, quod si sint inæqualiter tentati, continget aliquando ut cum æquali gratia præveniente, quantùm ad intensionem & perfectionem intrinsecam, alter vincat tentationem scilicet ille, qui leviùs tentatur: alter verò illà vincatur: nempè ille, qui vehementiùs tentatur.

123 Quid autem dicendum sit circa quamlibet ex his propositionibus, breviter subjungemus; Et quidem prima, quoad primam partem, vera est, nimirum gratiam prævenientem efficacem non esse qualitatem per modum actus primi: quia, ut infra ostendemus, efficax divinum auxilium nullo modo qualitas est. Secunda autem pars ejusdem propositionis primæ: qua dicit consistere prævenientem gratiam efficacem in motu sui actus indeliberato, ab humana voluntate elicito ex Spiritus sancti infusione, adeo falsa est, ut veram prævenientem gratiam efficacem reipsa neget, licet verbis eam astruere videatur. Repugnat enim in illo nostræ voluntatis indeliberato actu efficacem Dei gratiam consistere: ut jam supra in hoc libro agentes de gratia excitante & adjuvante dedimus manifestum, quod hîc iterum repetendum non est. Quomodo autem prædictus author ex una parte efficaciam gratiæ constituat in hoc indeliberato actu à nostra voluntate elicito, & ex alia parte illam constituat in illa sua congruitate, seu contemperata vocatione, quis non videat minimè cohærere simul posse?

124 Secunda ipsius assertio etiam falsa est, ad actum enim indeliberatum supernaturalem à voluntate nostra eliciendum, licet requiratur supernaturalis Dei motio: non tamen illa motio qualitas est, etiam per modum transeuntis, ut statim apertè comprobabimus.

125 Assertio tertia, si verè constitueret efficaciam prævenientem gratiam, sicut constituenda est in divina motione, quæ ut venit ex efficaci divino proposito efficaciam habet, utique physicè seu quasi physicè nostram moveret voluntatem, & eius in omnibus saluaret plenam libertatem; quia verò ab isto authore constituitur efficacia talis in supradicto actu indeliberato, cui repugnat efficaciter voluntatem movere physicè, seu quasi physicè, id est verè efficienter movere non potest; nec hominis libertatem, per impossibile admisso quod sic physicè moveret, salvaret, sicut supra agentes de excitante & adiuvante gratia ostendimus.

126 Quarta assertio similiter nimis falsa est, & veram gratiæ Dei efficaciam reipsa negat: cum enim auxilium gratiæ efficax efficaciam habeat ex efficaci divino proposito volente hominem talem supernaturalem actionem efficere; & tale efficax divinum propositum æqualiter super omnem humanam libertatem efficaciam habeat: omnem æqualiter efficaciter moveret: & tantam in uno sicut in alio, sive minus, sive magis tentato habebit efficaciam, virtutem atque potentiam. Motio enim verè efficiens sivè verè efficienter movens hominem ad agendum, ex Deo proveniens volente per illam efficaciter hominem movere: quemcunque sic moveat, efficaciter & cum effectu movebit. Intelligi enim non potest, quod quis sit verè à Deo motus, & prædeterminatus ad agendum, & quod ipse non agat, sicut sæpe Sanctus Thomas affirmat impossibile esse Deum aliquem velle movere ad pœnitentiam, efficaciter scilicet, & quod ipse non pœniteat; aliàs enim divinæ voluntatis efficacia penitus frustraretur.

Sed author prædictus quia hanc veram Dei efficacitatem & motionem negat, & solum motū illum indeliberatum admittit cum quadam alia congrua sive contemperata vocatione, quorum neutrum, nec utrumque simul ex Dei efficaci proposito efficaciam habet (ut in *lib.* 1. agentes contra illam mediâ sententiam diximus ideo negat auxilium, quod in uno est efficax in alio, vel in aliis efficax esse. Quod verò arbitratur, quod si auxilium, quod in uno efficax est, in omnibus efficax esset, humanam non salvaret libertatem, in hac fundamentali ratione, quæ sine ratione, imò contra rationem prætenditur, cum aliis Recentioribus supra relatis consentit, ad quod ipsorum fundamentum in nostris istis operibus dictum est sæpiùs, & quorum antiquorum fuerit fundamentum non semel manet expositum. 127

Quinta assertio pari ratione falsa est: sive enim sint æqualiter tentati, sive inæqualiter & magis unus quam alter semper ille qui tentatus vincit, maiore auxilio gratiæ movetur, quam alter qui in tentatione superatur; quia ille habet auxilium gratiæ efficax ex Dei efficaci voluntate proveniens volente ut illam tentationem omnino superet & vincat alter verò sive æqualiter, sive minus, sive magis tentetur, tale efficax auxilium non habet. 128

Vnde sexta propositio eodem modo ob rationem inductam falsa est: nec enim dici potest, quod inæqualiter tentati, si habeant eamdem omnino æqualem Dei motionem & gratiam, alter vincat tentationem, alter à tentatione vincatur; sed uterque tentatus vincet, aliàs uterque vincetur. Quia si uterque æquale auxilium gratiæ habeat, & unus vincat; alter verò à tentatione vincatur: ille qui vincet, Deo dicere posset inflatus, non maiorem gratiam mihi dedisti quam illi; unde quod tentationem vincam, & non ille, ex tua gratia non fuit, sed ex libertate mea, unde ego me discerno ab illo alio, non gratia tua me discernit. 129

Nec iuvat respondere, quod uni dedit Deus gratiam efficacem congruam & contemperatam, non autem alteri: nam ista congruitas, & contemperies, vel habet quod sit congrua, & contemperata illi homini ex Deo ipso, vel ex natura propria talis congruitatis, attenta subiecti qualitate? Si ex Deo ipso efficaciam habet illa congruitas; ubicunque & in quocunque homine ponatur, contemperata erit & congrua, atque efficax. Si verò illam contemperatam congruitatem habet ex se, atque ex propria natura sua, & per respectum ad hominem in tali, vel tali occasione positum, seu tali vel tali tentatione tentatum, iam illa congruitas re ipsa ponitur pendere ab homine ipso: & sic efficacia illius ab homine erit. 130

Quod si dicat, quod non habet, quod sit congrua & contemperata ab homine ipso, nec dependenter ab eius futuro consensu: nec etiam ex efficaci proposito divinæ voluntatis, sed ex natura propria sua antecedenter ad hominis consensum: ut prætendit prædictus author, in aliud labitur inconveniens satis grave; quod nimirum illam libertatem hominis non salvabit: quia nulla creatura x se & ex natura sua potest efficaciter movere hominis voluntatem, salva illius libertate, sed solus Deus ob dominium quod solus ipse habet supra liberas hominum voluntates, quod omni creaturæ repugnat, ut est perpetua Sancti Thomæ sententia, non semel in istis meis operibus relata. 131

Itaque ut breviter cum huius authoris sententia concludamus, 132

Digitized by Google

concludamus, in omnibus his propositionibus suis, præterquam in prima parte assertionis primæ, nihil quod placere possit veris defensoribus divinæ gratiæ; multa verò, quæ meritò eis displicere valeant; continentur.

Idem author citatis locis loquens de præveniente gratia efficaci aliud subdit, quod etiam venit modò examinandum: ait enim quod præveniens efficax gratia intrinsecè existens in nobis non differt ab inefficaci in illo quod illa sit vltimum complementum potentiæ: ista verò non sit eius complementum vltimum.

133 In qua propositione, si intelligat quod in hoc solo non distinguitur auxilium efficax ab inefficaci, vel sufficiente, verum dicit: quia & in illo, in aliisque distinguitur, ut dicemus statim. Si verò sentiat, ut revera eius mens & intensio est, quod nec in illo aliquo modo distinguitur efficax auxilium ab inefficaci, seu à sufficiente falsum omnino est. Et quidem quod ita sentiat fundamenta doctrinæ ipsius satis manifestant: cum enim ipse efficacem gratiam constituat in actu indeliberato, seu in illa contemperie & congruitate, seu in utroque simul, & neutrum posse esse vltimum complementum potentiæ ut de se constat; sentit ipse quod nullo modo auxilium efficax est potentiæ vltimum complementum, ita ut per hoc aliquo modo ab inefficaci distinguatur.

134 Quod verò hoc falsum sit constat, quia divinæ gratiæ efficax auxilium tria efficit in nobis: primo namque potentiam reducit in actum primum ad agendum, eam vltimatè complendo: Secundò ipsam sic vltimatè completam & ad actum reductam efficaciter applicat ad operandum: & denique tertiò simul cum illa supernaturalem operationem efficit: & in his tribus ab auxilio inefficaci seu sufficiente solùm distinguitur; Etenim inefficax, seu auxilium sufficiens tantum neutrum horum efficit: & quidem de duobus vltimis id satis liquet; de primo verò probatur: auxilium inefficax, sive sufficiens solum dat sufficientes vires ad operandum; non ergo reducit potentiam in actum primum completè, & vltimatè ad operandum: hoc enim aliquid superaddit ad vires sufficientes; ut patet in habentibus habitus, per quos sine dubio sufficientes vires habent; non tamen per illos sunt vltimatè, & completè reducti in actum ad agendum. Quod si auxilium sufficiens potentiæ tribueret vltimum complementum ipsam reducendo in actum primum vltimatè ad agendum, ageret sine dubio de facto potentia ipsa id ad quod vltimatè est in actum reducta; unde; ageret illud per solum auxilium sufficiens: nec esset requisitum auxilium efficax, quod dici non potest ut ostensum est sæpius. Etenim potentia, quæ completè & vltimate est reducta in actum primum ad agendum, semper de facto agit; ut omnis philosophus attestatur; nec aliud requiritur ut agat, nisi quod sit, vltimatè completa ad agendum. Qui enim illam sic complet, cætera ex consequenti tribuit necessaria ad agendum, nimirum quod illam applicet ad agendum, & simul cum illa operationem efficiat: Non ergo inefficax, sive auxilium tantum sufficiens, dat potentiæ vltimum complementum ipsam reducendo vltimatè in actum primum ad agendum, sed hoc pertinet ad auxilium efficax, ut manet expositum.

135 Ex quo sequitur primò, prævenientem Dei gratiam efficacem, per quam facit Deus ut eius vocationi consentiamus, non consistere solùm in auxilio, quo Deus simul cum voluntate actionem efficit; sed consistere in auxilio, quo vltimatè complet potentiam, eam in actū primum reducendo, & quo sic completam ad agendum applicat: & tandem simul cum illa operationem producit. Omnia enim hæc tria unico divino suo auxilio, & unica divina efficaci motione perficit Deus. Quorum primum sancti Thomæ discipulus sine causa negat; sicut alij illud, tertium solùm ad veram rationem auxilij requiri contendunt.

Sequitur secundò, quod efficax divinum auxilium non solùm habet applicare potentiam affectam auxilio sufficiente ad agendum, ut quidam alij arbitrantur, sed illam prioritate rationis primò complet in actum primum vltimatè: reducendo complet, inquam, primò dando animæ vires efficaciſſimas ad agendum, ut sanctus Pater Augustinus docet; unde hoc efficaci auxilio nullo modo negandum est. Dando autem has efficaciſſimas vires animæ, ipsam vltimatè complet ad agendum: Dando huiusmodi vires illam efficaciter ad agendum applicat, & simul cum illa operationem producit. Non enim est constituendum ex parte Dei auxilium duplex realiter distinctum, iamque utrumque necessarium ad movendum hominem ad agendum: sufficiens alterum; alterum verò efficax: quasi Deus illo duplici auxilio reali distincto indigeat ad movendum hominem ad operandum, nec id una sola sua divina efficaci motione efficere valeat: Sed dicendum unico divino suo efficaci auxilio omnia illa tria supra explicata optimè perficere: potissimè cum auxilium efficax virtualiter & eminenter contineat sufficiens, sicut rationale sensitivum: ut infrà magis explicabimus. 136

Tandem prædictus author *citatis locis disp. 57. sect. 2. in probatione cuiusdam conclusionis*, ait quod concursus Dei ad extra, & cooperatio libera nostræ voluntatis est unica & eadem indivisibilis actio, & entitas. Quæ sententia adeò falsa est ut prævium seu prævenientem Dei concursum pro actionibus naturalibus, & prævenientem efficacem gratiam pro supernaturalibus omnino neget; estque singulare Molinæ & sociorum eius fundamentum ad ipsum concursum Dei impugnandum, de quo copiosè in nostro tertio libro disputavimus: imò nihil magis in istis nostris operibus impugnamus. Quomodo enim est aut intelligi potest, quod prævius, & præveniens efficax concursus, seu gratia præveniens efficax ex parte voluntatis ad producendam actionem, sit illa actio seu illa entitas quæ est ipsamet actio voluntatis? nunc actio voluntatis est præveniens respectu sui ipsius? An auxilium præveniens efficienter causans actionem voluntatis esse potest ipsamet actio voluntatis. 137

CAPVT XII.

Vera efficacia auxilij prævenientis gratiæ proponitur & declaratur, tum quoad quid nominis, tum quoad quid rei.

PErfectè undique confutata sententia illa, quæ nullam veram efficaciam prævenientis gratiæ admittit, cum eam ab effectu, ideſt, cooperatione efficacem constituit; & à Deo ex propriis illorum sententiis, quas ex ea deducunt, expugnata, ut nullum fore Theologum arbitremur, qui eam pariter nobiscum non respuat: oportet veram efficaciam divinæ gratiæ explicare, & quomodo actuale auxilium gratiæ prævenientis ex Deo ipso 138

illam

Digitized by Google

illam habeat independenter omnino ab humana voluntate, influxu, & cooperatione ipsius manifestiùs aperire, efficaciùs defendere, & copiosiùs comprobare.

139 Igitur explicandum erit priùs in quo hæc efficacia auxilij, posita sit. Ex hoc enim magna ex parte huius tam necessariæ veritatis resolutio dependet. Deinde talem gratiæ efficaciam ipsam esse doctrinam Ecclesiæ per scripturam Sacram, Pontifices Summos, Concilia, sanctos Patres, Scholasticos Doctores, ac veras rationes ex Theologia desumptas, perpetuò traditam ostendemus. Ac tertiò argumenta in oppositum ex eisdem sanctis Patribus dissolventur.

140 Verum ante omnia breviter expendamus, unde efficacis gratiæ vocabulum sumptum est, & à quo primo originem traxit. Quod quidem ex Cyrillo *lib. de adoratione & cultu*, illis verbis: *Sed tantam benignitatem nobis etiam exhibet universorum salvator Deus, ut efficaci subsidio adiuvet secundùm quod scriptum est: apprehendisti manum dexteram meam, &c.* ex S. P. Augustino *lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5.* illis verbis. *Vt autem de Cœlo vocaretur*, nimirum Paulus, *& tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola*, & cap. 16. ibi: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, prebendo vires efficacissimas voluntati*, & in illis aliis, *ex lib. 1. ad Bonif. cap. 20. Qui cor Regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima & efficacissima potestate convertit.* Item ex Gregorio huius nominis II. *in epistola ad Leonem Isaurum Imperatorem: Flectat Deus animum tuum ad veritatem sermonum suorum efficacitate.* Tandem à Benedicto VII. *in illa celebri oratione qua Pontifices Summi & Concilia*, uti solent; quæ sic habet, inter multa alia, quæ à Deo deposcat Ecclesia: *Sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono*, quam infrà cap. ex integro transcribendam duximus; sed ad explicanda illa tria quæ proposita sunt, accedamus.

141 Circa primum ut ab hac voce, efficacia, omnis penitus æquivocatio pellatur, considerandam illam quadrupliciter posse sumi. Secundò ut tantum dicat virtutem, quæ in suo genere habet specialem energiam ad agendum, quamvis de facto non agat illum effectum ad quem ordinatur, secundum quam acceptionem dici solet medicina efficax ad salutem causandam, licet eam de facto non efficiat. Et hac ratione recordamur nos suprà in hoc libro ex sancto Thoma retulisse Passionem Christi Domini, & eius Sacramenta esse remedia efficacia, imò efficacissima ad omnia tollenda peccata, & hominum omnium salutem spiritualem efficiendam; quia videlicet in seipsis hanc virtutem seu energiam habent. Similiter auxilium sufficiens, quia in se virtutem habet potentem efficere hominis conversionem, efficax solet appellari. Et in hoc sensu hæc vox efficax usu apud Patres recepta est, imò in scriptura invenitur expressa *ad Hebræos 4. Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, quibus verbis energia, & efficacia illa, quam in se habet Evangelij verbum, declarata est. Sed in hac acceptione modò non sumitur efficacia, seu auxilium gratiæ efficax, quia ut ex allatis exemplis constat, hæc denominatio generalis appellatio efficaciæ est, & sufficiens gratiæ auxilium iam superius expositum & declaratum comprehendit.

142 Secundò hæc vox efficax, sumi potest ut significat vim agendi, ut actu coniunctam suæ operationi, à quocumque habeat quod actioni coniungatur. Et in hac acceptione idem prorsus est virtus, seu auxilium efficax, & virtus seu auxilium actualiter actionem efficiens, à quocumque, ut diximus, proveniat, quod actu eam efficiat. De qua etiam acceptione hic non agimus, tum quia secundum illam auxilium dictum efficax ab effectu, id est, à cooperatione arbitrij: quod superius manet impugnatum, efficax diceretur, & esset; quia illud ponitur suæ operationi actu coniunctum ab his, qui illud defendunt. Tum præterea, quia vox, efficax prout in sanctis Patribus invenitur expressa in hac materia & in usu Theologorum in eadem communiter usurpatur, in hoc sensu, & denominatione non sumitur, ut etiam authores, cum quibus agimus, expressè fatentur. Tum postremò, quia nec proprietas vocis huius habet ut significet solum actualem effectionem actionis, sed specialem aliquam vim ipsius principij, seu auxilij, qua Deus efficaciter facit voluntatem operari. Tum denique quia appellatio, gratiæ efficacis potissimè ex S. P. Augustino magno post Apostolos Prædicatore, & defensore gratiæ desumpta est, & res per illam significata æquivalentibus vocibus in scriptura traditur, ut ostendemus; sanctus autem P. Augustinus cum de gratiæ efficacia loquitur, aliquid amplius sine dubio ostendit (ut verbis citati authoris utar.)

143 Tertio modo potest sumi gratia efficax, non solum quia effectiva est, nec solùm quia actu efficit, sed quia ita est effectiva, ut ipsa gratia efficax sit, quæ infallibiliter operatur supernaturalem hominis consensum, & consequenter etiam facit, ut ipse homo faciat & operetur. Et in hac acceptione præcitatus ille author affirmat accipi à S. P. Augustino & Theologis vocem, efficax, in his materiis. Verum quamvis verba modo relata legitimum sensum præ se ferre videantur, cum dicitur ipsum auxilium efficax facere ut homo infallibiliter consensum adhibeat; secundum verò quod ab illo intelliguntur, & iuxta modum, quo ipse apertè explicat Deum per talem gratiæ efficaciam efficere quod homo infallibiliter consentiat, & bene operetur, à secunda acceptione reipsa nullo modo recedit, sed voce dumtaxat, quia vidit, quod in sententia S. Doctoris Augustini & veritate ipsa, saltem voce defendi non potest secunda illa acceptio. Vnde hanc tertiam eandem reipsa cum illa secunda, & vocaliter tantum ab ipsa differentem ipse noviter adinvenit. In quo quia magis occultè procedit, non pauci decepti sunt, illum putantes tenere, quod veritas habet. Explicat enim ille, & ex professo defendit talem efficaciam gratiæ efficere, quod homo consentiat moraliter tantum suadendo, invitando & alliciendo arbitrium, sicut quædam interna magistra, & Deum præscire quod illa suasio, & excitatio data tali tempore, & sub his circumstantiis sortitura sit effectum non ex vi & efficacia gratiæ ut venit à Deo antecedenter ad humanum consensum, sed ex ipsa humana voluntate, quæ præscitur in talibus circumstantiis consensura, quia præcisè vult. Quæ est illa omnium communis sententia constituentium efficaciam gratiæ ab effectu, scilicet à cooperatione arbitrij, sub illa media præscientia sæpius expugnata; quæ prævideat infallibiter voluntatem ex se consensuram; non ex vera efficacia gratiæ, qua Deus verè efficaciter, & activè propriè eam faciat consentire. Igitur tertia ista acceptio reipsa, & veritate nullo modo ab illa secunda differt, sed tertiam nos nominavimus, ut ostendemus

Digitized by Google

deremus quod licet tertia ab illo authore statuatur, revera non tertia, sed illa secunda est.

144 His ergo tribus, seu ut verius loquamur, duabus acceptionibus huius vocis, efficax, seu efficacia de medio sublatis, quæ nullam veram efficaciã gratiæ constituunt ex Deo, sed ex ipso sufficientẽ tantum, cum præscientia quod humana voluntas illam reddet efficacem, quæ est præscientia non efficacitatis gratiæ sed efficacitatis humani arbitrij gratiam ipsam secum trahentis, & efficacem reddentis, vt apertis verbis pronunciant, ut visum est, & copiosius impugnatur. Dicendum est quod legitima acceptio huius vocis, apud Sanctum P. Augustinum & Theologos in his materiis, illa est, ut importet vox, efficax, applicata auxilio gratiæ (cum dicitur auxilium gratiæ efficax) quod auxilium tale, ut venit à Deo indepenter ab humana voluntate, & à tali media præscientia, veras tribuat animæ vires, veréque efficiat, vi & energia sua, ut arbitrium infallibiliter eidem præstet assensum, ita ut Deus per talem efficaciam gratiæ suæ potenter, atque suaviter sibi subdat arbitrium ipsum, ad se efficaciter attrahat, & activè propriè & verè efficiẽter sibi faciat consentire. Hæc est propria acceptio hujus vocis, efficacia, dicta de auxilio divinæ gratiæ.

Vbi circa illam vocem infallibiliter, qua passim utimur in hac materia illud venit advertendum, quod ex ipsa occasionem sumunt authores illius vocationis redditæ congruæ per illam præscientiam, ad suam fundandam sententiam, quod nimirum infallibilitas consensus sit ex illa præscientia, quia, ut aiunt, infallibilitas ad intellectum pertinet, seu ad præscientiam, quæ ex intellectu procedit; non attendentes quod sicut est duplex certitudo, ita duplex infallibilitas est, ut apertè docet S. Thomas *q. 6. de verit. art. 3* dicens. *Respondeo dicendum quod duplex est certitudo, scilicet cognitionis & ordinis; cognitionis quidem altitudo est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re sicut est. Et quia certa existimatio habetur de re præcipuè per causam, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causæ ad effectum, ut dicatur ordo causa ad effectum certus quando causa infallibiliter effectum producit.* Hæc S. Thomas. Igitur verbum, infallibiliter, etiam de certo ordine causæ ad effectum dicitur, & non solùm pertinet ad intellectum, ut hi authores opponunt.

145 Dicendum secundò hoc auxilium efficax gratiæ, ut à Deo venit, nullo modo esse qualitatem aliquam etiam actualem, seu actualiter fluentem, quia in terminis S. Thomas docet, 1. 2. *q.* 110. *art.* 2. sic dicens in corpore. *Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur, uno modo, in quantum anima hominis movetur à Deo, ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum; & hoc modo ipse gratuitus effectus in hominem non est qualitas, sed motus quidam animæ, actus enim moventis in moto est motus.* Dicit esse motum animæ, non effectum ab anima, sed quo animam Deus movet, quod sequentibus verbis modò relatis clariùs exposuit. Vnde sæpe mecum miratus sum, quod ab aliquibus S. Thomæ discipulis dictum fuerit aliquando illud auxilium qualitatem esse, cum tamen expresè S. Thomas id neget sicut revera negandum est. Quia si actualis qualitas esset, creatura esset, quæ ex se haberet sic efficaciter determinare arbitrium quoad exercitium, sicut qualitas habitualis, nempè habitus, ex se habet habitualiter voluntatem, quoad specificationem determinare. Vnde libertari arbitrij videtur repugnare; Nullo modo ergo efficacia gratiæ qualitas est. Præterea in *nostro 3. lib.* agentes de prævio Dei influxu, sive concursu, & causis naturalibus, ex apertissimis aliquibus S. Thomæ testimoniis probatum reliquimus talem prævium Dei influxum nullo modo qualitatem naturalem esse, sed tantum naturalem Dei motionem, similique proportione servata, & consequenter loquendo dicendum est efficax Dei auxilium non esse qualitatem supernaturalem sed tantùm Dei motionem nec etiam est qualitas per modum fluentis, seu transeuntis, ut alij volunt, qui idem reipsa cum Conrado affirmant, nec eorum exemplum, quoad hoc utuntur de calefactione ut venit ab agente, quæ est qualitas in fieri, seu per modum transeuntis aliquid probat. Quia ideo de calefactione id potest affirmari, quod nempe sit qualitas per modum transeuntis, seu in fieri: quia in facto esse qualitas est. Quod si in facto esse non esset qualitas permanenter, nec in fieri qualitas esset, seu per modum transeuntis. Cum ergo actuale divinæ gratiæ auxilium in facto esse non sit qualitas permanens, nec in fieri, seu per modum transeuntis qualitas est. Nec audiendus est Conradus, qui in *com. ad* 1. 2. ait esse secundùm essentiam qualitatem, sed per modum actionis, seu motionis, quia potius secundùm suam essentiam motio est, non qualitas. Hoc enim S. Thomas docet *in* 1. 2. *citato loco.* Etenim in *illa q.* 110. *sic in illius titulo habet. De gratia Dei quantum ad eius essentiam.* Cum ergo in *art.* 2. illius inquirit, *Vtrum gratia sit qualitas anima*, de gratia secundum eius essentiam loquitur. Vnde cum *in corpore articuli* resolutivè docet, auxilium actuale, quo Deus movet animam, non esse qualitatem, manifestum est, quod loquitur de actuali auxilio gratiæ secundùm ejus essentiam. Deinde actuale auxilium gratiæ condistinguit contra habituale donum; sed habituale donum docet quod secundùm essentiam est qualitas: ergo sentit quod donum sive auxilium actuale secundùm essentiam suam non est qualitas. Ratio autem ob quam videretur repugnare illud auxilium libertati, si qualitas esset, hæc est, quia illa qualitas esset terminus divinæ motionis; unde iam non esset divina motio, cum esset illius terminus, quia cum terminus actionis est, iam intelligitur actio cessare; si autem iam non esset divina motio, nec intelligeretur tunc iam Deus movens, sed à motione cessasse. Et sic illa qualitas, seu terminus motionis ut creatura voluntatem determinaret ad exercitium actus efficaciter. Et sic iam creatura haberet efficaciam supra humanam libertatem, quod repugnat, & libertatem revera impediret, si sic illam traheret efficaciter, quia solus Deus habet potestatem supra libertatem creatam ad eam fortiter seu efficaciter, & simul suaviter secundùm suam conditionem movendam, à simili potest hoc declarari: si enim habitus qui qualitas est efficaciter moveret ad actum, iam qualitas ista efficaciter voluntatem determinaret, quod dici non potest; à simili, ergo philosophandum de quolibet alio, quod efficaciter voluntatem determinare potest ad actum infallibiliter determinando efficiendum. Verùm & hîc aliud extremum vitandum, videlicet auxilium efficax, non esse qualitatem, sed indeliberatam actionem, seu inspirationem indeliberatam voluntatis, quod nec est, aut esse potest, quia veritas utrumque reprobat, & in medio consistit, nec enim est qualitas, nec indeliberata inspiratio, sed est divina quædam efficax motio, quæ in numero non ponit cum Deo movente, quæ vt à Deo venit est eius efficax actio; ut ex dicendis fiet satis manifestũ.

Dicendum

Digitized by Google

146 Dicendum tertiò hoc auxilium efficax gratiæ est gratia excitans & adiuvans, seu initiatur in gratia excitante; completur verò & perficitur in adiuvante. Vel ut formalior sit sermo, est gratia adiuvans secundum quod præsupponit excitantem. Itaque non est solùm excitans gratia, quia hæc est tantùm auxilium sufficiens; nec est solùm adiuvans gratia, quia hæc sine ordine ad excitantem, quam præsupponit, nulla datur. Ad hoc enim efficaciter quis adiuvatur per adiuvantem gratiam, ut excitanti consentiat (ut dictum, & explicatum fuit supra, cum de gratia excitante, & adiuvante, & de distinctione earum, ac unius cuiusque proprio officio & munere sermonem instituimus.) Est ergo efficax gratia illa adiuvans quæ præsupponit excitantem, cui ob efficaciam suam facit consentire infallibiliter.

147 Dicendum quarto hoc actuale auxilium gratiæ efficax, quod in adiuvante gratia consistit ut præsupponit excitantem, est divina supernaturalis virtuosa motio, seu est motio actualis Dei habens in se virtutem & efficaciam, per quam Deus vires præbet efficacissimas voluntati, ipsamque movet & applicat, ut liberè excitanti Deo consentiat. Itaque duplex officium, & munus exercet Deus per talem efficacem gratiam: primùm est præbere animæ efficaces vires ad consentiendum Deo vocanti, & exercenti complendo eius virtutem, & illam reducendo in actum primum ad agendum. Secundum est sic roboratam animam per vires ei præstitas efficaciter promovere & applicare, ut ipsa libera voluntas liberè se moveat & determinet in actu secundo; & propterea dicitur, & est motio virtuosa, seu motio habens virtutem, & per virtutem quam habet, illam Deus animæ tribuat, & per motionem eam moveat; & applicet ad consentiendum. Si enim esset sola motio, & pura applicatio, nec prius vires efficaces animæ tribueret ad consensum supernaturalem præstandum, cum anima ex se illas non habeat, nec eam posset movere, nisi frustra ad talem supernaturalem consensum præstandum.

148 Diximus per talem virtuosam motionem præbere Deum vires animæ, & eam movere, & non diximus præbere vires soli voluntati, quia non solùm voluntati vires præbet, licèt principaliter eam adiuvet, sed etiam intellectui, ne erret in proponendo obiectum voluntati dirigendo consilium eius & disciplinam, ut 1. *nostro lib. in 2. & in 3.* ac etiam *in hoc* 4. in superioribus explicavimus.

149 Et quidem quod motio divina sit, *citato loco ex* 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. manifestè docet sanctus Thomas, & in omnibus aliis plurimis quibus passim dicit, Deum movere hominis voluntatem. Quod autem sit virtuosa, etiam sæpe proponit, cum docet esse vim quandam, & virtutem divinam in illa Dei motione. Et ipsum nomen, auxilium, seu adiutorium gratiæ hoc manifestat. Qui enim adiuvatur ad aliquid agendum, aliquam virtutem ab adiuvante participat ad sic operandum; aliàs non intelligi posset quod adiuvaretur. Sicut enim qui adiuvatur, aliquid & ipse facit, ita & qui adiuvatur ab adiuvante virtutem recipit ut faciat; utrumque enim de ratione adiutorij est.

150 Quamvis autem sit, & dicatur divina virtuosa motio, non tamen est intelligendum unam tantum realem motionem esse, quia duplex realiter distincta est; altera se tenens ex parte intellectus, & qua Deus intellectum supernaturaliter movet; & altera voluntati impressa, quæ voluntatē excitat, & adiuvat. Sicut ergo duplex potentia est, voluntas, & intellectus, & realiter inter se distinguntur; ita necesse est, quod divina motio, qua Deus utramque movet, & quæ in utraque recipitur, etiam realiter distincta sit: sed dicitur una virtuosa motio, quia adintegratur, & completur ex utraque una supernaturalis virtuosa motio, sive unum completum adiutorium efficacis gratiæ, quo Deus voluntatem facit bene operari. Qua etiam ratione una virtus instrumentalis dicitur esse in quolibet sacramento, cum revera, sicut materia, & forma sacramenti realiter distinguntur, ita & virtus quæ est in materia distincta sit à virtute quæ est in forma ad effectum sacramentalem inducendum. Quia tamen utraque ordinatur ad effectum unum, & ex utraque perficitur, & integratur una virtus operans in sacramento instrumentaliter; ideò dicitur vna virtus sacramenti ut in propria materia sacramentorum 3. *part.* à Theologis communiter dicitur.

Addendum, quod ipsa virtuosa motio non producit in voluntate qualitatem; Itaque nec est qualitas, nec qualitatem in anima producit, sed solùm motus est virtuosus; sicut artifex in instrumentum non imprimit qualitatem, sed solùm motum, ut est manifestum. Et si quæras ad quod prædicamentum pertineat ista motio, dicendum, quod quatenus producitur ad extra à Deo; ad prædicamentum actionis; quatenus verò recipitur in anima ad prædicamentum passionis. Quatenus tandem complet virtutem agentis, seu ipsius causæ vel voluntatis & intellectus, ipsasque reducit in actum ad agendum, reduci debet ad prædicamentum actionis, quia ipsa est principium actionis producendæ à voluntate ut est actio originalis, seu initiativa, & ipsa initiativa, seu originalis actio est, quæ debet poni in agente. 151

Dicendum quintò hæc divina virtuosa motio efficax est in intellectu, & voluntate, seu intellectui imprimitur, & similiter voluntati imprimitur, vel in intellectu recipitur, & in voluntate non tamen una & eadem motio in utraque potentia recipitur, sed alia est quæ recipitur in intellectu, & alia quæ est in voluntate. Hæc manifesta est, traditur enim à S. Thoma *citato loco ex* 1. 2. illis verbis. *Est motus quidam animæ:* actus enim moventis in moto est motus. Igitur actus moventis Dei per tale efficax auxilium, cum moveat intellectum, & simul voluntatem, debet esse motus in intellectu moto, & in voluntate similiter mota. Quod si ille motus est in intellectu, & voluntate motis; ergo in illis recipitur, seu illis imprimitur; quia aliter nec potest esse in illis. Vnde *tertio libro*, agentes de præmotione pro actionibus naturalibus, diximus, & probavimus ex S. Thoma illam recipi & imprimi in causis secundis, quod docet præter alia testimonia ibi inducta 3. *contra gentes cap.* 91. sed hic inquirunt aliqui an sit illa motio dicenda inhærere intellectui, & voluntati. 152

Ad quod dicendum sextò quod cum illa supernaturalis divina efficax motio aliquid sit extra Deum animæ nostræ impressum, quo Deus ipsam movet, aliquo modo inhæret animæ nostræ, sed propriè seu absolutè, ac simpliciter non est dicenda nostræ animæ, aut potentiis illius inhærere. Est clarius dicere, quod inhæret animæ nostræ instrumentaliter, non propriè, & principaliter. Prima pars probatur: nam à Deo procedit illa supernaturalis efficax motio, & per ipsam nostras movet potentias, intellectum scilicet, & voluntatem; ipsaque motio est in potentiis motis, ut 153

Digitized by Google

S.Thomas affirmat *ubi supra*, in ipsisque recipitur, ut dictum est: ergo aliquo modo, scilicet instrumentaliter illis inhæret. Patet consequentia, quia motus in subiecto receptus generali ratione qua accidens est, illi aliqua ratione debet inhærere, saltem ut instrumentum moventis.

Secunda pars aperitur, quia illud absolutè, & simpliciter ac propriè alteri inhæret, quod principaliter illi inhæret, & totaliter in suo esse ab illo pendet: patet de qualitatibus subi ctis inhærentibus, & de habitibus inhærentibus animæ: Hæc enim principaliter, imò totaliter à subiecto, in quibus sunt dependent: sed illa divina motio non dependet totaliter, imò nec principaliter à potentiis animæ nostræ, sed ab ipso Deo, cuius actualis motio est; tandiu enim est in anima, quamdiu Deus in eam agit; & cessante actione Dei, cessat & ipsa motio: ergo non propriæ animæ nostræ inhæret, nec absolutè & simpliciter illi inhærere dicenda est. Secundo quia illud accidens, quod absolutè propriè inhæret subiecto, ab ipso limitatur, ne ulterius procedat, ut in exemplis allatis constat: sed divina actualis motio, & tangit potentias animæ, & actionem, & effectum earum, & omnia penetrat, sicut ipse Deus movens in omnibus illis est immediate per essentiam, potentiam, & præsentiam, sicut *tertio libro* ostensum est: ergo absolutè & propriè non inhæret potentiis animæ nostræ.

154 Quomodo autem non verè & propriè inhæreat, explicat S.Thomas *quæst. 3. de potent. art. 7. ad 7.* dicens: *Quod virtus naturalis qua est in rebus naturalibus in sua institutione collata inhæret eis ut quadam forma habens esse ratum, & firmum in natura sed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis*, & proportionaliter: ergo auxilium efficax, quo Deus movet ad operationes supernaturales, non verè & propriæ inhæret animæ, sed est ibi ut intentio, sive est ibi modo intentionali, sicut colores sunt in aëre, & sicut virtus causativa gratiæ est in Sacramentis modo quodam intentionali, ut communiter à Theologis dicitur. Quamvis ergo non verè, & propriè inhæreat, concipitur tamen à nobis per modum inhærentis: quia licet non verè & propriè inhæreat, ita quod à subiecto determinetur, & limitetur, verè tamen tangit verùm subiectum, ipsumque movet, & aliquo modo intelligitur largè in illo inhærere.

155 Ad ostendendum autem quod aliqua motio, aliqua ratione dicatur alicui mobili inhærere, non autem absolutè & propriè, est accommodatum exemplum illud quod ex Sancto Thoma habetur *3. part. quæstione 61. articul. 4. solutione ad 1.* de virtute existente in Sacramentis, quæ propriè & absolutè non inhæret, cum sit spiritualis, Sacramentis quæ corporalia sunt, nec enim propriè & absolutè res spiritualis inhærere potest corporali, est tamen illa virtus spiritualis in corpore instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum. Sicut enim tunc corpus movetur motione spirituali, ita illa spiritualis motio aliquo modo, scilicet instrumentaliter inest illi corpori in quo recipitur, seu inest illi per modum intensionis, sicut dici solet.

156 Ex dictis convincitur auxilium gratiæ verè adjuvantis, seu veram efficaciam prævenientis gratiæ qua hominis voluntas verè adiuvatur, & efficaciter ad bene operandum movetur, nullo modo in indeliberatis motibus consistere, seu in indeliberata finis volitione, ita quod illa indeliberata finis intentio sit efficacia gratiæ, qua voluntas ad bene operandum movetur. Nec sustinendos discipulos aliquos S. Thomæ qui ita arbitrantur, nec illorum fundamentum subsistere, quo dicunt gratiam excitantem esse realiter adiuvantem, sicut supra & nos agentes de excitante, & adiuvante gratia præmisimus. Licet enim excitans gratia sit realiter adiuvans, id tamen intelligi omnino debet, prout suprà manet expositum, de omnium prima excitante gratia, seu de omnium prima motione, qua Deus effectivè, & efficaciter voluntatem excitat ad illum indeliberatum motum seu indeliberatam finis intentionem; quæ motio magis postea à Deo roborata voluntatem adiuvat, eamque efficaciter ad agendum movet, actus verò voluntatis indeliberatus, qui est gratia agens non effectivè, sed qua formaliter voluntas excitatur, nullo modo potest esse gratia verè adiuvans, & efficaciter voluntatem movens, ad actum sequentem liberum.

Primò quia ex dictis S.Thomæ verbis, illa de- 157
bet esse divina motio effectivè voluntatem movens; actus ille voluntatis indeliberatus nec est divina motio, nec effectivè movet voluntatem. Secundò quia licet per illam indeliberatam finis intentionem voluntas ad actum sequentem liberum efficiatur habendum, quia qualis unusquisque est, talis finis sibi videtur: hoc tantùm erit esse per illum indeliberatum actum affectum, & invitatum; gratia autem verè adiuvans debet voluntatem movere, non tantùm moraliter, sed & activè propriè, sive efficaciter. Tertiò quia ille indeliberatus actus multo imperfectior est, quam actus liberè subsequens. Vnde nec illius effectivum principium potest esse. Id autem per quod voluntas constituitur in actu primo respectu actus secundi æqualis perfectionis debet esse cum actu secundo producto. Quartò nulla potentia constituitur in actu primo per unum oppositorum ad producendum oppositum actum secundum, ut est satis notum. Cum ergo actus indeliberatus, & liber opponantur, sicut actus liber, & non liber quomodo poterit voluntas per actum indeliberatum constitui in actu primo ad producendum actum liberum. Planè si per actum indeliberatum movetur immediatè ad eliciendum alium actum, ille erit similis suo principio, simul indeliberatus, quia similis similem generat. Voluntas autem ut actuata actu indeliberato movetur ut natura, non ut libera, nec in actu aliquam habet libertatem, aut formaliter, aut virtualiter. Vnde si actum alium producit, indeliberatum producet.

Quintò voluntas ut actuata illa indeliberata finis 158
volitione, si ulterius à Deo non movetur ad alium actum, nunquam se movebit ad illum; aliàs non mota à Deo se movebit: & erit ipsa primum se movens ad talem actum. Nec sufficit dicere quod iam fuit mota à Deo ad illum actum indeliberatum, & per illum movetur ad actum liberum; quia illa motio, qua fuit mota ad actum indeliberatũ iam cessavit, & si permanet, manet, non ut motio ad alium actum, sed ut conservans illum actum indeliberatum quem primo produxit. Vnde sine Dei motione se movebit voluntas ad subsequentem actum liberum, & sic idem quod prius. Quod verò communiter dicitur, quod voluntas per volitionem finis se movet ad mediorum volitionem, in primis de illa indeliberata finis volitione non intelligitur, sed de libera volitione finis quoad exercitium

Digitized by Google

exercitium, ut in 2.*noſtro lib.* tetigimus, agentes de volitione finis: & de iſta ita debet intelligi, quod voluntas per illam volitionem finis actuata, mota tamen ulterius à Deo, ſe movet ad volitionem mediorum ſine qua ulteriori motione nullo modo ſe movebit.

159 Sextò per illum dicendi modum & actualis gratia operans, & cooperans videtur negari. De cooperante patet, quia hæc ſecundum S.Thomam 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 2. *ad* 3. & in corpore, præſuppoſito iam fine volito nobis cooperatur, ſi finem præſupponit, etiam liberè volitum quoad exercitium (de hoc enim S. Thomas planè loquitur) ergo non eſt gratia cooperans illa indeliberata finis volitio, quam jam præſupponit. De operante etiam conſtat, quia ibi docet S.Thomas quod gratia operans illa eſt, in qua Deus eſt ſolùm movens, & voluntas mota, ſed per illum actum indeliberatum, quando ille movere poſſet Deus non eſt ſolùm movens, cum ille à ſolo Deo non fiat, ſed effectivè à voluntate: à quo autem actus effectivè fit, ab eo habet virtutem & efficaciam; & ſic à ſolo Deo efficacia prævenientis gratiæ non erit; ſed etiam ab humana voluntate operante ſaltem ut natura, unde efficacia magna ex parte Deo denegatur, & humanæ voluntati malè tribuitur.

160 Septimò & ultimò gratia adiuvans omnino neceſſaria eſt ad converſionem, ut patet ex Tridentino Concilio *ſeſſ.* 6. At quod homo habeat priùs illam indeliberatam finis intentionem non eſt omnino ad converſionem neceſſarium, non enim neceſſaria videtur pro ſubitaneis, & inſtantaneis converſionibus, qualis illa Pauli fuit. Quod videtur tradi à S.Thoma 1.2.*quæſt.* 113.*art.* 3.& 8. docens quatuor ſolùm eſſe in iuſtificatione, primò infuſionem gratiæ, per modum motionis, ſecundò motum ſubitum in Deum: tertiò motum arbitrij in peccatum: quartò remiſſionem peccatorum. Et tamen ſi ſemper eſſet neceſſarius motus ille indeliberatus, quinque eſſent neceſſaria nec illum ſanctus Thomas prætermitteret. Et ratio id ſuadere videtur: quare enim non poterit Deus in inſtanti iuſtificationis immediatè movere ad conſilium, & actum liberum abſque eo quod primùm moveat ad actus indeliberatos. Planè id fieri non poſſe nulla ratione ſatis ſuadetur. Igitur ob dicta, & alia quæ quis facillimè invenire poterit, dicendum eſt, nullo modo efficaciam adiuvantis, & prævenientis gratiæ in illis indeliberatis motibus poſſe conſiſtere.

CAPVT XIII.

Eadem vera efficacia auxilij prævenientis gratiæ amplius declaratur.

161 CVm ferè tota difficultas in his materiis poſita cognoſcatur in vera intelligentia auxilij efficacis gratiæ, quod ex Deo ipſo independenter ab humana voluntate conſtituitur, & magna ex parte in ſuperiore capite explicata ſit: eandem doctrinam proſequendo, ut plenariè illius ratio propria intelligatur, dicendum arbitramur ulteriùs, quod cum auxilium efficacis gratiæ ſit illa virtuoſa motio, qua Deus agit in hominum voluntates, eas quò vult efficaciter inclinando, ipſum auxilium non eſt quod præmovet, aut prædeterminat voluntatem, ſed tantum eſt id, quo Deus eam movet, & prædeterminat, quia eſt inſtrumentum, quo Deus in voluntatem agit. Vnde etiam ſi illa efficax divina motio ſit extra Deum aliquod creatum, non tamen creatum aliquod voluntatem præmovet, aut ipſam efficaciter prædeterminat, nec hoc aliqua ratione debet concedi; ſed Deus eſt ſolùm, qui in voluntatem agit interiùs illam quocumque vult, efficaciter vertit, ſeu prædeterminat. Et ratio eſt, quia motio moventis non ponit in numero cum ipſo movente, ſicut nec actio qua agens agit diſtinguitur ab ipſo agente actualiter operante, nec inſtrumentum ut inſtrumentum formaliter ſumptum aliud agens eſt, vel ponit in numero cum cauſa principali operante. Quia cauſa principalis eſt quæ operatur medio inſtrumento agens eſt quod actione agit, & movens, quod motione movet. Et huius iterum ratio eſt, quia nec inſtrumentum formaliter ſumptum, nec motio, vel actio aliam virtutem habent, niſi quam actualiter à cauſa principali agente, & movente participant, quæ proinde virtus agentis, ſeu moventis non poteſt poni in numero cum ipſo agente actualiter movente nec ab ipſo poteſt diſtingui, vel aliud agens cum ipſo poteſt computari.

Hinc ſequitur omnino eſſe concedendum in 162 inſtrumento illo divino, & in motione illa Dei, ſeu in illo efficaci auxilio eſſe divinam virtutem, energiam, & efficaciam, qua Deus efficaciter voluntatem quò vult convertit. Quam efficaciam ei tribuit ut inſtrumento ſuo efficax divina voluntas, ut tale inſtrumentum, & talis virtuoſa motio proportionata ſit efficaci divinæ voluntati volenti per illam motionem efficaciter voluntatem movere; & propterea vocatur virtuoſa Dei motio, ſicut enim quodlibet aliud agens virtutem tribuit inſtrumento quod aſſumit, & actioni ſuæ proportionem & effectui quem efficere media illa actione intendit, ita voluntas Dei efficax volens efficaciter voluntatem humanam movere, ſuæ motioni, per quam eam movet, efficaciam tribuit proportionatam.

Qua etiam ratione S. Thomas 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 4. concedit in ſacramentis eſſe participatam à Deo divinam quamdam virtutem actualiter operantem effectum ſupernaturalem, perquam ſupernaturaliter elevantur à Deo ad illum effectum cauſandum, quæ actualis elevatio eſt etiam actualis divina ſupernaturalis motio virtuoſa: ſicut ergo quia Deus utitur ſacramentis, ut inſtrumentis ad gratiam cauſandam eis tribuit virtutem ſupernaturalem illi effectui proportionatam; ita quia efficax auxilium ſumit ut inſtrumentum ad efficaciter hominem convertendum; ei tribuit virtutem qua Deus hominem convertat: quæ virtus in auxilio quod tantum eſt ſufficiens non invenitur. Quod præterea ſanctus Thomas docuit 1.2. *quæſt.* 112. *art* 3. Dicens in auxilio efficaci eſſe intentionaliter virtutem Dei volentis efficaciter, quod homo, cuius cor movet, convertatur. Quæ virtus non eſt in auxilio tantum ſufficienti.

Deinde auxilium efficax eſt principium quod homo de facto convertatur; ſed principium tribuens quod homo actualiter convertatur, virtutem debet habere in ſe ipſo ad illum effectum; aliàs nec diceretur principium effectus talis, nec per illud verè potentia eſſet completè reducta in actum primum ad efficiendum actum ſecundum.

Nec obſtat ſi dicatur, idem auxilium ſufficiens 163 cum ſubordinatione ad Deum volentem efficaciter hominem convertere reddi efficax abſque eo quod ei tribuatur alia ſpecialis virtus; ut etiam in materia ſacramentorum arbitratur Suarez *tom.* 1.

in

Digitized by Google

1. *in 3. part. disput. 31. §. 6. in 3. editione*: cum tamen aliud dixisset *tomo 3. ad cand. 3. part. disp. 9. §. 2.* quia rationes inductæ oppositum probant. Et præterea id prætendere, contra sanctum Thomam est *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4.* probantem ex eo Deum utentem sacramentis novæ legis ad causandum gratiam, tribuere illis intentionalem virtutem ad id efficiendum, quia aliàs ipsa verè gratiam non causarent, sed tantùm Deus ad præsentiam illorum.

164 Item sola relatio non potest tribuere virtutem efficiendi; sed habitudo auxilii sufficientis ad decretum efficax Dei volentis hominem convertere est sola relatio: ergo illa sola non tribuit virtutem auxilio ad convertendum hominem, nisi ei specialis ad id virtus addatur. Igitur in seipso habet illud efficax Dei auxilium productum extra Deum efficaciam, qua Deus voluntatem efficaciter movet. Nec aliud, vel in sanctis Patribus, vel per rationem ipsam posset intelligi, sed illam efficaciam ex se non habet tale auxilium: Aliud est enim, quod in se efficaciam habeat, quod (ut ostensum est) negari nequit; aliud valde diversum, quod ex se illam habeat, quod dici non debet. Hoc ex dictis iam redditur satis notum; omnis enim in universum actio, & motio agentis cuiuscumque; & similiter omne instrumentum in se, ut diximus, virtutem habet, datam ab agente, qua proinde ipsum agens agit. At illam virtutem ex se instrumentum, motio, vel actio, non habet, sed ex agente, & movente illam participat. Quia quidquid instrumentum habet in ratione formali instrumenti ex causa principali habet, non ex se, ut est satis notum. Et similiter quidquid habet virtutis actio, seu motio, non ex se habet; sed ex agente, & movente; acproinde quidquid virtutis, energiæ, & efficaciæ habet auxilium gratiæ efficax, non ex se habet, sed ex Deo ipso, & ex efficacia voluntatis divinæ si autem gratia efficax non esset actualis Dei motio, sed verè qualitas, ut nobis ab his authoribus passim imponitur, utique ex se haberet efficaciam; quia tamen nos nihil magis negamus quam esse qualitatem auxilium efficax, etiam consequenter negandum est, ex se habere efficaciam, sed tantum illam habere dicendum est ex Deo ipso. Et sic pereunt penitus quæstiones quæ instare videntur, vel in hoc quod qualitas sit illud divinum auxilium vel in hoc quod prætendunt ex se habere efficaciam, ut utrumque magis impugnent; sed impugnant à se confictum, non à nobis dictum.

165 Vnde ut omnes propositiones quæ in hac materia formari possunt distinctiùs exponamus, omnes illas breviter subvocando, quale de quacumque judicium ferendum sit, breviter expendamus. Septem ergo propositiones formari posse arbitramur.

166 Prima talis est: *gratia præveniens, seu auxilium gratiæ prævenientis est qualitas*; & hæc, ut dictum est supra, nullo modo concedenda est. *Secunda auxilium gratiæ prævenientis est qualitas ex se, seu ex natura sua efficax*, & ista à fortiori nullo modo concedi debet, aut potest. *Tertia gratia præveniens de se, seu ex natura sua est efficax*: Et hæc, quamuis bonum possit habere sensum statim explicandum, quia tamen ipsum non exponit, & ex alia parte sensum alium potest importare falsum, in prædictis duabus præcedentibus explicatum, etiam concedenda non videtur, ne ex illa occasio sumatur erroris. *Quarta auxilium actuale gratiæ prævenientis ex se seu ex natura sua est efficax*: Et ista reipsa, & implicitè importat, id quod reipsa in hac materia, & causa dicitur, nempe quod gratiæ huiusmodi auxilium ex Deo ipso, & ut venit ex eius efficaci voluntate efficax est, cum auxilium actuale Dei, & eius gratiæ nihil habeat ex se & ex natura sua, nisi quod ab auxiliante Deo participat. *Quinta auxilium gratiæ prævenientis est divina motio, quæ ex se sive ex natura sua efficax est.* Et hæc magis sensum immediatè præcedentis declarat; sicut enim auxilium actuale nihil aliud habet ex se, seu ex natura sua, nisi quod ab auxiliante participat; ita & divina motio nihil ex se, seu ex natura sua habet, nisi quod à Deo movente participat. Vnde idem est, quod divina motio ex se, seu ex natura sua efficax sit, & quod ut venit à Deo, & eius efficaci voluntate, efficax sit. Sexta propositio est, quæ explicitè & expressè rem declarat, quæ & talis est; *Auxilium gratiæ prævenientis est divina actualis motio, quæ ut venit à Deo, atque eius efficaci voluntate, efficax est*; Et ista præ supra relatis sic expressè asserenda & affirmanda est. Septima & ultima est. *Auxilium gratiæ prævenientis est divina motio, quæ ut instrumentum divinæ voluntatis efficaciam participat: efficaciter habet movere hominis voluntatem ad actum bonum liberum:* quæ etiam clarius & expressè magis efficaciam talis divinæ motionis exponit.

Quod autem omnino concedendum sit, auxi- 167
lium gratiæ efficax in se habere efficaciam, qua Deus voluntatem efficaciter movet, præter dicta, id & Schola tota Thomistica cum S. Thoma docet; Scotus cum sua, imò ij authores cum quibus ista tractamus, apertissimè dicunt; quod posita divina præfinitione, seu divino efficaci decreto ante omnem præscientiam mediam de actibus humanæ voluntatis fiendis, consequenter debet in executione poni efficax præmotio, seu prædeterminatio efficax in voluntate per quam impleatur id, quod divina voluntas efficaciter determinauit. Quod est considerandum adversùs mediam quandam viam, qua unus, vel alter procedit, asserendo quod sufficit æternum efficax divinum decretum, sine efficaci præmotione. Quæ sententiæ nec consequenter loquitur, & falsissima est, imo reipsa videtur enervare divinum decretum, quod voce duntaxat nominat.

Probatur primò quod consequenter non lo- 168
quatur talis sententia ex his authoribus cum quibus agimus. Sic enim ipsi dicunt. *Vt ergo authoribus prioris sententiæ respondeamus: vel illi existimant Deum habere præscientiam conditionatam futurorum omnium priusquam ea esse decernat aut permittat, vel existimant in Deo non supponi talem scientiam ante omne decretum liberum voluntatis suæ. Si in priori fundamento procedunt, consequenter quidem loquuntur; quia revera si Deus tali præscientia præfiniret actum voluntatis meæ, non posset non applicare media, quibus meam voluntatem ad talem actum eliciendum prædeterminaret. Vnde ex tali prædiffinitione, sive illa præscientia necessariò sequitur prædeterminatio ad extra humanæ voluntatis; si ergo hæc repugnat libertati ut ostensum est, etiam illa repugnabit. Ratio autem illationis ipsius clara est, scilicet quia præfinitio infallibiliter, & efficaciter debet impleri. Vnde oportet ut ex vi ejus moveatur voluntas humana, ut omnino infallibiliter efficiat actum præfinitum, ergo si illa motio non potest esse infallibilis ex præscientia conditionata, quia hæc non est, oportet ut sit infallibilis ex efficacia sua, atque adeo ex vi prædeterminante omnino voluntatem; omne*

ni

Digitized by Google

nio, inquam; id est physicè, & inevitabiliter; quia ad infallibilitatem seu certitudinem effectus præfiniti nulla minor prædestinatio, ut moralis, vel alia similis sufficere potest.

169 In cuius authoris verbis, ut omittam modò quod dicit, nimirùm non solùm efficacem prædeterminationem ad extra in nostra voluntate positam tollere libertatem, sed etiam divinæ voluntatis præfinitionem sine priori scientia media quod falsissimum est, nec unquam ab ipso probatum, vel ostensum, imo oppositum nos copiosissimè 3. *lib.* dedimus manifestum. Quia id fuit totale antiquorum fundamentum quos expugnat S. P. Augustinus ad negandum efficaciam divinæ voluntatis & gratiæ supra liberas hominum voluntates: Similiter ut omittam quod vocabat physicam prædeterminationem omnino voluntatem prædeterminare & inevitabiliter illud etiam de suo opponit, & falsum est, quia inevitabiliter non prædeterminat, nisi addatur inevitabiliter in sensu composito prout à nobis *tertio nostro lib.* demonstratum est apertissimè; ut inquam, ista ad præsens omittamus, de quibus nec modò agimus, planè id quod dicit de consequentia doctrinæ, quod videlicet prædeterminatio ad extra in voluntate posita sequatur ex divina præfinitione sine priori media præscientia, verissimum est, nec ab aliquo penetrante hanc materiam, nisi protervè negari potest. Quia ut ait, & quidem rectè huius illationis ratio clara est, quam & clarius ipse deducit, & tamen adhuc novimus aliquos paucos illius claritatem non videre.

Scotus verò, quem sui sequuntur, efficaciter
170 probat in 2. *dist.* 37. *q.* 2. §. *contra istam*, quod posita efficaci Dei voluntate ut fiat actus humanus, poni debeat motio efficax in voluntate creata dicens: *Contra istam opinionem arguitur dupliciter. Primo, quia ex ipsa sequitur, quod Deus non sit naturaliter præscius futurorum. Secundò quod non sit omnipotens. Probatio primæ consequentiæ, quia non habet scientiam de futuris contingentibus, nisi quia certitudinaliter novit determinationem voluntatis suæ respectu eorum ad quæ voluntas sua est immutabilis, & inimpedibilis, sed si voluntas creata est totalis causa respectu sui velle, & ipsa contingenter se habet ad illud velle; ergo quantumque voluntas divina ponatur determinata ad unam partem eorum quæ dependent à voluntate creata poterit voluntas creata aliter velle; & ita sequitur certitudo ex cognitione certitudinis voluntatis divinæ. Probatio secundæ consequentiæ; quidquid vult omnipotens hoc fit, sed si velit volitionem meam fore, & ista est in potestate voluntatis meæ ut totalis causa contingenter se habentis ad aliud; ergo ipsa potest determinari ex se ad unam partem vel ad aliam indifferenter; & ita potest non fieri illud aliud ad quod voluntas divina illam determinavit.* Hæc Scotus. Nomine autem voluntatis habentis se ut totalis causa indifferenter, intelligit manifestè voluntatem non motam ab aliqua efficaci motione divina, ut ex contextu fit notum. Ecce aperte dicit Scotus quod quamtumvis ponatur divina voluntas determinata ut mea volitio fiat, si talis volitio totaliter relinquatur in potestate meæ voluntatis, ita quod non determinetur à motione divina, ipsa poterit aliud facere, quam voluntas divina determinavit; & sic frustrabitur certa Dei cognitio de illa mea volitione & non erit Deus omnipotens, quia non fiet quod ipse vult. Certissimè autem hoc probat Scotus, quod tunc non fiet mea volitio quam Deus vult, & hoc efficaciter probat. At nec aliquid aliud fiet, sed in suspenso manebit mea voluntas, nec aliquid volet, quia ad quodcunque volendum indiget supradicta præmotione divina, saltem quoad substantiam actus, ut omnes actus includamus, etiam illos qui peccaminosi sunt.

Sed & Sanctus Thomas præter innumera ferè loca allata 3. *nostro libro* pro præmotione ad ex- 171
tra voluntatis humanæ, quæ ibi videantur; Ita eam necessariam esse dicit, ut qui illam negat, neget divinam providentiam, & efficaciam divinæ voluntatis, & divinam determinationem, quamvis eam voce statuere videatur. Verba illius sunt notanda ex 3. *contra Gent. cap.* 93. *Unde Boëtius dixit quod factum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quoque nectit ordinibus. In qua fati descriptione dispositio pro ordinatione ponitur: rebus autem inhærens ponitur, ut distinguatur fatum à providentia, nam ipsa ordinatio secundum quod in mente divina est nondum rebus impressa, providentia est; secundum verò quod iam explicata in rebus fatum nominatur. Mobilibus autem dicit, ut ostendat, quod ordo providentiæ à rebus contingentiam, & mobilitatem non aufert, ut quidam posuerunt. Secundam hanc ergo acceptionem negare fatum, est negare divinam providentiam.* Manifestè ergo docet Doctor Angelicus, quod qui negat fatum sic explicatum, id est, inhærentem rebus mobilibus dispositionem, per quam divina providentia suis quæque nectit ordinibus, negat divinam providentiam: Sed inhærens illa dispositio rebus mobilibus nihil est aliud quam divina efficax præmotio, quatenus causas cum suis connectit effectibus, quæ sicut ob sui efficaciam fatum solet nominari; ita quia conservat causarum contingentiam, & libertatem dicitur inhærere rebus mobilibus; ergo qui hanc negat, negat divinam providentiam; Et ratione eâdem qui negat auxilium gratiæ, per quod Deus opera supernaturalia nobis, atque nobiscum efficit, negat ipsam divinam providentiam, ipsam prædestinationem, ipsam efficientiam divinæ voluntatis, & ipsam determinationem & præfinitionem voluntatis divinæ circa nostra opera supernaturalia, quia negat id per quod ipsa impletur, & executioni mandatur quod à divina voluntate determinatum est; licet verbis efficaciam divinæ voluntatis videatur astruere. Nullo ergo modo potest negari à ponentibus decretum efficax, & efficacem præfinitionem divinæ voluntatis, efficax præmotio ad extra in voluntate. Et à constituentibus voluntatem Dei efficacem de convertendo hunc, vel illum sine priore scientia media, efficax auxilium gratiæ ad extra, quod ex Deo ipso habeat efficaciam antecedenter ad omnem illam præscientiam boni usus.

Igitur non solùm ex S. Thoma, & Scoto; 172
verùm ex ipso Franc. Suarez convincitur, nullam esse mediam viam illam, qua efficax Dei æterna prædifinitio admittitur, & effectiva vera prædeterminatio in voluntate negatur; sed verbis duntaxat id prætendi: sicut nec aliorum alia via media est, qua efficaciam auxilij gratiæ defendunt, sed non prædeterminantem; sed tantum congruenter vocantem illa sua congrua vocatione sæpius nominata, & à nobis infra copiosius, impugnanda. Quomodo enim prætendere possunt hanc mediam viam esse inter nostram, & suam doctrinam, cum totaliter, & in omnibus sententia sit primò à Ludovico Molina, & sequentibus omnibus, in terminis publicata. An Molina hanc

Digitized by Google

congruam vocationem negavit, cum expresè semper illam potuerit? Itaque nulla ratione inter hæc duo medium esse potest: *Auxilium actuale divinæ gratiæ ex Deo ipso, & ex modo divinæ motionis efficax est, independenter omnino ab humana voluntate & auxilium actuale divinæ gratiæ non est efficax ex Deo ipso, & ex vi divinæ motionis independenter omnino à voluntate humana.* Primum nostra Doctrina est; secundum omnium illorum perpetua sententia. Quomodo ergo illorum aliqui mediam reipsa possunt prætendere viam inter illa duo iam explicata contradictoria.

Dicent qui ita verbis duntaxat publicant; se in illa sua congrua vocatione nec efficaciam eius Deo ascribere, nec humanæ voluntati. Quod si sic dicant, quod minus credibile est, nec errorem effugiunt sæpius à sanctis Patribus damnatum, quo efficacia motionis divinæ negatur voluntati: cuicumque postea tribuatur, sive humanæ, sive cuicumque alteri, quodcumque, vel quomodolibet illud confingant. Si autem confingant per talem congruam vocationem, efficaciam illius à Deo provenire, quod illorum quidam insinuare videntur; id solis verbis exterioribus duntaxat publicant: re autem ipsa Deo talem efficaciam negant, & malè humanæ voluntati ascribunt, cum enim illa vocatio data sit in talibus circunstantiis, quibus posita humana libertas præscitur à Deo per mediam illam scientiam ex sua innata libertate cõsensura (hoc enim est de intrinseca ratione illius vocatæ congruæ vocationis) qui dicunt hominem illi consentire, quia vult, ut ex sua sola libertate, per consequens dicere tenentur illam vocationem ex proprio hominis arbitrio reddi efficacem: quod ipsi expresè fatentur, & priores expresè, & apertius confessi sunt.

173 At illorum aliqui posteriores videntes id nimis durum ita apertè pronuniatum, nec illud Theologorum aures posse audire, sic sententiam temperarunt; ut sola voce exteriori & sua & nostra posset sententia deffendi, reipsa suam omnibus communem æstimando & sustinendo, & voce exteriori duntaxat, pro minus eruditis in hac materia, & causa nostram & veram publicando. Quasi id nouum sit modò, & non sæpius in eadem materia & causa ab antiquioribus Cassiano & Fausto, imò Iuliano factum & occultatum, ut Sanctus Hieronymus, Sanctus Pater Augustinus, Sancti Prosper, atque Fulgentius, non semel declararunt. Quod in istis nostris operibus ex illorum propriis verbis, & diximus sæpè, & iterum inferius dicemus. Non enim sine fundamento & causa id diximus repetendum, ut omnes diligenter advertant; in hac materia non solùm ad voces duntaxat, quibus se excusare prætendunt, sed ad rem ipsam esse attendendum; hac sola firma regula utendo; quod cum omnes admittant illam mediam scientiam ut absolutam ante divinæ voluntatis prædiffinitionem; hoc ipso, quidquid verbis temperent; reipsa tenent auxilium actuale gratiæ ex Deo ipso, & ex modo motionis divinæ independenter ab humana voluntate efficax non esse: sed ab humana voluntate accipere efficaciam.

174 Notandum ulteriùs actuale auxilium gratiæ ex Deo ipso independenter ab humana voluntate esse efficax, id est, secundum quod ex Deo venit efficax esse. Quæ propositio specificativè verissima est specificativè quidem, quia iste sensus fit, quod auxilium gratiæ ea ratione, qua venit ex Deo habet efficaciam; sicut ista: *Christus secundùm quod homo, est creatura*, vera est specificativè, quia facit hunc sensum; Christus ratione humanitatis creatura est.

CAPVT XIV.

Adhuc magis declaratur propria ratio auxilij efficacis gratiæ, secundùm quod ex Deo efficax venit.

175 COpiosè satis *tertio libro* egimus de prævio influxu Dei in voluntate impresso, physicè seu verè efficienter, ac efficaciter nostram voluntatem prædeterminante in actu primo, & verè activè propriè efficiente, ut ipsa se determinet in actu secundo, ostendentes controversiam hanc magnam de voce non esse, sed de re, illaque gravissima, quæ commodè ad præscindendas aliarum vocum, quæ prætenduntur, æquivocationes, per physicam, seu quasi physicam prædeterminationem importatur. Vbi pariter ostensum est, quod dato voces istæ novæ essent, quia tamen commode significant veritatem antiquam, iliamque sine æquivocatione conservant, rejiciendæ non essent; quia prædeterminatio in Patribus invenitur: physicè verò in hac significatione quod verè, & propriè efficiat, non quod causet ex necessitate naturæ in Concilio Ephesino magno expressum legimus. Cum etiam potissimè in sancto Thoma & aliis Doctoribus inveniatur expressum, quod Deus determinat verè voluntatem ad actum, quod si sic determinat, utique prædeterminat: & in Scriptura sancta ac Patribus aliæ voces reperiantur quæ ita strictè efficacem Dei motionem significant, ac voces prædictæ. Nec contra has voces infremere debent authores, qui eas impugnant, cum ipsi planè concedant Deum causam secundam determinare ad effectum singularem. Rationes plures quas ibi forthavimus ad efficaciter ostendendum Deum nostras verè efficienter prædeterminare voluntates in actu primo efficiendo quod ipsa se applicet magna libertate sua in actum secundum.

176 Quæ cum suprà fuerint satis discussa, nec repetitione indigent, sed applicatione ad auxilium supernaturale efficax gratiæ prævenientis, de qua modo agimus. Sicut enim influxus Dei prævius, quo Deus in omnes secundas causas, & in ipsas liberas hominum voluntates agit commodè, physicè, seu verè efficaciter prædeterminare dicatur, à fortiori gratiæ prævenientis auxilium efficax, prout à Deo venit antecedenter ad omnem actum humanæ voluntatis prævisum, verè efficienter prædeterminare nostram voluntatem ut ipsa se determinet libertate sua in actu secundo, dicendum est unum tamen sive alterum ex omnibus relatis locis venit memoriâ retinendum, & attentiùs considerandum; quod ex propria eorum authorum, cum quibus agimus confessione habemus, nimirum quod si auxilium prævenientis gratiæ ex Deo habeat efficaciam, qua infallibiliter faciat Deus voluntatem consentire antecedenter ad omnem eius prævisum bonum usum, illud auxilium est physicè prædeterminans, nec insistendum, vel inhærendum esse in voce, *physica prædeterminatio*, sed in reipsa: sed iam ex supradictis in impugnatione oppositæ sententiæ apertiùs constat prævenientis gratiæ auxilium ut à Deo venit antecedenter ad omnem usum humanæ voluntatis prævisum

Digitized by Google

visum, esse efficax, & efficaciter voluntatem inducere, ut actum eliciat: ergo illud commodè physicè, seu verè efficienter prædeterminare dicendum est.

177 Similiter aliud ex *supradicto lib. 3.* est in memoriam revocandum, eosdem videlicet authores ingenuè confessos fuisse; quod si gratia adiuvans in Concilio Tridentino expressa, qua ratione distinguitur ab excitante, præveniens est, & non solùm comitans, & subsequens influxum voluntatis nostræ (ut isti authores constituunt) illa est verè physicè prædeterminans; sed in superioribus in hoc eodem libro agentes de gratia adiuvante clariùs ostendimus, & efficaciter manifestavimus in Concilio Tridentino & Patribus gratiam adiuvantem ut distinctam ab excitante esse prævenientem, & non solùm comitantem; ergo ibi concluſum est ipsam commodè appellari physicè, seu verè efficienter prædeterminantem in actu primò, & verè efficientem & ut arbitrium se habere determinet in actu secundo. Ostensum ergo manet, & indubiè multipliciter probatum, auxilium gratiæ prævenientis, quod ex Deo ipso efficaciam habet, qua de facto Deus trahit voluntatem, sine inconvenienti aliquo posse dici physicè prædeterminare ut quò, seu vere propriè per illud Deum voluntatem nostram prædeterminare. Nec circa voces, *physicè prædeterminare*, seu *verè efficienter prædeterminare*, aliud occurrit dicendum præter id quod per plura capita *relato nostro tertio libro*, discussum, & explanatum est.

178 Sed præterea & illud oportet observare, aliam videlicet rationem esse de auxilio gratiæ efficaci, & de efficaci præmotione pro actionibus ordinis naturalis, quæ faciles sunt (quod iam supra nos dixisse meminimus) nimirum per motionem illam efficacem ordinis naturalis Deum tantum præmovere, & prædeterminare voluntatem, eam reducendo in actum ut agat, non autem ei priùs vires tribuendo. Quia in ordine ad tales operationes naturalis ordinis vires habet ipsa voluntas sufficientes, & tantum indiget efficaci applicatione. Cæterum pro operationibus supernaturalibus voluntas per se tales sufficientes vires non habet, ne dicam efficaces; unde necesse habet quod ab auxilio gratiæ sufficienti illas habeat sufficientes, & ab adjutorio efficaci gratiæ illas recipiat efficaces, quibus præmoveatur efficaciter ad agendum.

179 Vltimò circa propriam rationem huius divinæ gratiæ prævenientis auxilij ex Deo ipso efficacis antecedenter ad omnem bonum usum nostræ voluntatis prævisum, illud etiam manet attendendum, & diligentius observandum (quod & supra hoc quarto libro præmissum est: & in tertio non semel expositum) nempè hoc divinæ gratiæ auxilium non solùm movere efficaciter ut quo, sive Deum per illud, voluntatem quoad substantiam actus, sed etiam quoad proprium modum liberum eiusdem, faciendo voluntatem infallibiliter operari, & liberè operari, eidemque tribuere totum, quod in actu voluntatis est, & omnem rationem, seu modum in actu voluntatis repertum, nimirum actus substantiam, supernaturalitatem, vitalitatem, & plenam libertatem, & denique quidquid aliud sit quod in tali actione elicita à voluntate inveniatur. Itaque nullo modo illud auxilium, ut quo movet aut solicitat voluntatem ex necessitate naturæ (ut ij authores cum quibus ista tractamus vel opinantur, vel opponunt) sed ut quo movet voluntatem efficaciter, tamen modo libero voluntati proportionato; & vtrumque in illo efficaci gratiæ auxilio præhabetur, sicut in eo, quò Deus in voluntatem agit, & efficacia ad producendum arbitrium in operationem, & modus liber quem pro servanda potentia libera ei tribuit, actualem libertatem in ipsa efficiendo, ut ipsa velit liberè operari. Hoc enim omnino dicendum est.

180 Nam si illud gratiæ auxilium ex necessitate moveret voluntatem ut quo, ipse Deus per illud etiam ex necessitate voluntatem moveret. Vnde illius libertas non salvaretur. Vt ergo ipsa salvetur, sicut secundùm fidem salvatur, & salvari debet, cum voluntas excitata, & adiuta efficaci Dei gratia operatur opera ad salutem suam pertinentia, dicendum omnino est, quod sicut Deus voluntatem nostram efficaciter movet, seu prædeterminat & ad substantiam actus, & ad modum liberum eius (quod Sancti Patres docuerunt, & clarius S. Thomas semper exposuit) quia voluntatem nostram movet secundum eius propriam naturam, modum, & conditionem, non enim sua motione efficaci naturam voluntatis destruit, sed potiùs perficit; ita instrumentum, quo eam movet, sive eius efficax motio supernaturalis, qua nostram voluntatem efficaciter adiuvat, & in bonum consentire facit, in se à Deo habet hæc duo sibi communicata, & efficaciam, & modum liberum, applicando voluntatem ad liberè operandum. Etenim ex vi talis efficacis gratiæ ita voluntas movetur cum effectu ad hoc operandum, quod potest aliud operari: Dico ex vi illius motionis id eam habere, quia non solum habet posse operari, ex propria natura voluntatis, sed etiam ex vi motionis divinæ, quæ proportionata debet esse ipsi voluntati: Et ratio est, quia voluntas in ordine ad supernaturales operationes tantùm habet remotam & radicalem libertatem, qua operari potest; cæterum proximam libertatem comparatione eorumdem actuum supernaturalium ex gratiæ auxilio debet habere. Vnde sicut illud auxilium dat ipsum operari, ita dat ipsum liberè operari, dando quod ita id operetur ad quod est efficax, quod possit voluntas, si velit, vel non operari, vel aliud operari: Et ratio huius est, quia illud efficax auxilium eminenter in se habet indifferentiam ex multiplici capite; primò quia est virtualiter, seu eminenter sufficiens: secundò quia proportionatur potentiæ liberæ, & indifferenti, cui datur. Tertiò quia sicut ipse actus secundus liber est, ita & illius comprincipium libertatem virtualiter, & eminenter debet habere. Quartò & potissimè quia venit à primo libero, & a prima divina libera voluntate quod homo infallibiliter operetur, & liberè operetur. Vnde suæ divinæ motioni, seu auxilio suo efficaci hanc communicat indifferentiam simul cum efficacia, ut nimirum efficaciter faciat hominem operari, & liberè operari.

181 Itaque sicut movet Deus auxilio efficaci gratiæ suæ nostram voluntatem fortiter, & suaviter, fortiter sibi, ob sui in movendo insuperabilem efficaciam; suaviter nobis propter servandam, quam nobis ipse dedit libertatem, ut Sanctus Bernardus exposuit, & Pius quintus in Cathechismo loco inferius citando; ita utrumque suæ motioni, seu auxilio efficaci communicat, ut ipsum tanquam quo, utrumque habeat, & utrumque voluntati tribuat, & efficaciam, & modum libertatis, sicut de vitalitate actus supernaturalis communiter dici à Thologis solet; quod nimirum habitus supernaturalis, & supernaturale auxilium vitalitatem in se habent supernaturalem sive habitualem, sive actualem, quam actui supernaturali elicito ab intellectu, seu voluntate communicant.

Digitized by Google

182 Ad quod clarius exponendum distinguenda est ex Sancto Thoma duplex prædeterminatio, alia per modum naturæ; alia per modum libertatis 3. *contra gent. cap.* 90. duplex est etiam indeterminatio, seu indifferentia voluntatis, alia ex parte sui, alia ex parte eius ad quod dicitur; sive alia potentialis, qua voluntas omni actu privatur, & est impotentia ad quemlibet, & ista imperfectio est: Alia verò ipsi essentialis, quæ illi inest respectu obiecti, inquantum ad nullum determinatur, & ita est essentialis voluntati, ut sive moveatur à Deo, sive actu operetur, semper illam retineat. Illa autem prior cum privatio omnis actus sit & imperfectio, tollitur per divinam prædeterminationem qua constituitur voluntas in actu primo ad agendum, & reducitur de illa potentialitate, & imperfectione. Vnde divina prædeterminatio à voluntate nostra unam indeterminationem aufert; aliam perficit, nempe illam in qua libertas consistit.

183 Hinc manifesta solutio patet ad argumentum quod opponit author illius libelli *de concursu Dei ad actus liberos voluntatis creata*, nempe quod libertas consistit in indifferentia, & in indeterminatione voluntatis; sed ista tollitur per prædeterminationem: ergo per prædeterminationem tollitur libertas. Minor patet, quia prædeterminatio opponitur indeterminationi, nec secum illam compati potest. Respondetur enim, quod si rectè author legisset S. Thomam *citatis nunc locis*, hoc argumentum non opponeret; oportebat enim ipsum legere in allato testimonio ubi duplicem manifestè indeterminationem, & indifferentiam in voluntate constituit: Aliam ex parte sui, sive ex parte ipsius voluntatis potentialiter se habentis ad utrumque actum, & omni æqualiter carentis, quæ solet vocari indeterminatio respectu actus, quam ibi dicit esse potentialitatem & imperfectionem voluntatis, utpotè quæ in divina voluntate libera, quæ semper est in actu, nullo modo inveniri post. Aliam ibi constituit, & explicat indeterminationem, & indifferentiam ex parte obiecti, quæ videlicet est in libertate respectu huius, & alterius obiecti; & hæc (ut ibi declarat, & probat) de ratione libertatis est. Qua posita distinctione ad maiorem concedimus; quod libertas consistit in indifferentia illa voluntatis respectu huius, & alterius obiecti: & ad minorem dicimus, quod prædeterminatio hanc indifferentiam non tollit, sed illam aliam respectu actus, quæ potentialitas, & imperfectio est, hanc certè tollit, qui reducit potentiam de illa potentialitate in actum, efficaciter illam inclinando in actum respectu huius obiecti cum libera indifferentia eiusdem voluntatis, qua potest aliud obiectum appetere simpliciter, & absolutè.

184 Modum autem, quo utrumque Deus per efficax gratiæ auxilium efficiat, exposuimus *lib.* 1. 2. 3. & *supra in hoc* 4. quia enim id in praxi, & exercitio ostendit per talem efficacem prædeterminationem humanam libertatem conservari; imò actualiter perfici, ita id sæpius visum fuit repetendo proponere, & nunc ultimò tradendo explicare. Modus autem talis est. Omnium primò Deus supernaturali illustratione intellectum illuminat, proponendo ei supernaturale obiectum, & illi supernaturale lumen proportionatum tribuendo. Deinde intellectum movet ut tale obiectum simplici apprehensione apprehendat, & sub ratione convenientis sine deliberatione voluntati practicè proponat.

185 Secundò voluntatem excitat impulsu etiam supernaturali, ut indeliberatum actum circa tale obiectum habeat, indeliberatè, sed efficienter volendo illud bonum. Tertiò Deus illa excitatione & indeliberata inspiratione movet quoad exercitiū efficaciter voluntatem, ut per rationem deliberet an sit tali indeliberatæ volitioni consentiendum, ut est ex presta S. Thomæ sententia 1. 2. q. 15. *art.* 3. *in corp.* dicentis, *quod in ordine agibilium primo quidē oportet sumere apprehēsionē finis, deinde appetitum finis, deinde consilium de his quæ sunt ad finem.* Similiter per eamdem excitationem movet moraliter, & ex parte obiecti invitando, excitando, & alliciendo ad consensum. Duo enim officia, & munera habet illa excitans gratia; Alterum ex parte subjecti, nempè quoad exercitium movere voluntatem ut per intellectum deliberet an illi sit consentiendum: Alterum invitare, allicere, & excitare voluntatem, ut liberè consentiat, & hîc completur tota ratio gratiæ excitantis, per quam Deus incipit in nobis supernaturalem bonam operationem efficere, & ad bonum nos movere. Quæ omnia, certum est quod omnem nostram libertatem antevertunt.

Quartò Deus dirigit intellectum ne erret circa 186
illud consilium, ipsi mque adiuuat ut benè consilietur, & bonum consilium voluntati per imperium proponat, & hîc incipit gratia adiuvans; Ex parte intellectus nempè, quia verè adiuvat intellectum, tum ut bonum apprehendat Consilium, tum ut per imperium voluntati proponat; & ipsam, non solùm moraliter, & objectivè ordinando, intimando, & proponendo, sed etiam verè effectivè ad electionem movendo, ut tum 1. *lib.* tum 2. tum etiam *in hoc* 4. non semel explicatū est.

Quintò voluntatem etiam adiuvat ei vires ef- 187
ficaces tribuendo, ut acceptet quod sibi per imperium efficaciter proponitur; illamque adiuvando facit tali inspirationi & excitationi liberè consentire. Et in hoc completur ratio gratiæ adiuvantis sive efficacis, sive prædeterminantis, qua Deus hominem facit liberè excitanti gratiæ consentire; quia voluntas tunc consentit per volitionem sequutam ad consilium; volitio autem quæ ad consilium consequitur electio est, & ut nomen electionis sonat, est actus ita essentialiter liber, quod non potest, non esse liber. Itaque sicut id per quod omnium primò intellectum Deus applicavit ad bonum proponendum voluntati sine discussione aliqua postea fit gratia adiuvans intellectum ad bonum capiendum consilium, & illud per imperium voluntati proponendum; ita gratia ex parte voluntatis Primò eam effectivè excitans, fit postmodum adiuvans eamdem voluntatem; ut sæpiùs dictum est. Et ista adiuvans gratia ex parte voluntatis dicitur simpliciter, & absolutè gratia adiuvans; illa autem ex parte intellectus dicitur initiativè adiuvare.

Ex hoc tria manifestè sequuntur. Primò est; 188
auxilium efficax divinæ gratiæ in omnibus illis quinque consistere & ex illis completè quasi adintegrari: Incipit enim in excitante gratia tam ex parte intellectus, quam voluntatis (modo breviter, & in superioribus copiosè magis, explicato) & terminatur, sive completur in adiuvante, & intellectum primò, & voluntatem postea efficaciter adiuvante ipsam efficaciter verè movente, & applicante, ac prædeterminante ad actum, vnde auxilium efficax gratiæ; seu gratia prædeterminans, non consistit in uno solo actu, vel Dei motione; sed comprehendit omnia illa quinque numerata, sicut comprehendit excitantem & adiuvantem gratiam.

Sequitur

Digitized by Google

189 Sequitur secundò, auxilium efficax gratiæ ex Deo ipso habere efficaciam independenter à libera hominis voluntate, & ex consequenti esse ex Deo ipso voluntatem prædeterminans verè effectivè, sicut supra ostensum est; quia omnia illa quinque enumerata, in quibus tale efficax auxilium consistere dictum est, efficaciam habent ex Deo antecedenter ad omnem nostram liberam voluntatem, & omnem bonum usum illius. De primo enim manifestum est; quia subita illustratio intellectus omnem nostrum prævenit bonum usum. Similiter excitatio indeliberatæ voluntatis, (ut etiam hi authores fatentur) nostrum liberum bonum usum antecedit.

190 Tertium autem, scilicet voluntatem per indeliberatam volitionem applicare intellectum ad consilium etiam constat, quod sicut consilium ipsum præcedit, ita à fortiori liberam volitionem antecedit, quæ ad consilium consequitur. Quartum nempe intellectum consiliari, & per rationis imperium voluntati practicè proponere consentiendum esse excitationi, etiam apertè liberum usum voluntatis præcedit, quia ipsum voluntati imperat, & imperio suo efficaciter, seu effectivè in virtute prioris actus voluntatis ipsam movet ad eliciendum talem liberum usum bonæ voluntatis. Ac tandem quod Deus efficaciter gratia sua adiuvante præbeat vires, prævenit quod constituatur homo potens ad conversionis volitionem, & oppositum: sed ratione diversa in ordine enim ad volitionem conversionis constituitur potens per efficax auxilium gratiæ; respectu autem volitionis oppositæ potens constituitur voluntas per ipsammet innatam libertatem suam: sicuti, ut in exemplo palmario hoc ostendamus, cum voluntas operatur ex habitu, v. g. temperantiæ, potentiam habet liberam ad actum oppositum intemperantiæ (quod prædictus author non negavit, nec alius quicunque in sua sententia, qua negant efficacem Dei motionem.)

191 Quamvis autem pro perfecta argumenti solutione nihil aliud dicere oporteat, tamen Secundò respondemus, quod auxilium efficax gratiæ, sive prædeterminans, cum semper præsupponat excitans seu sufficiens, & cùm Deus per illud moveat voluntatem, non solùm quoad substantiam actus, sed etiam quoad omnem eius modum liberum voluntatem efficaciter movet ad illum actum conversionis liberè efficiendum, ac per consequens ipsam constituit potentem ad operandum oppositum volitionis, si ipsa voluerit. Cum potentia enim proxima quam voluntati tribuit ad operandum hoc, vel oppositum si voluerit, ipsam efficaciter prædeterminat ad actum bonum conversionis liberè efficiendum; & quantùm ad hoc non est simile de habitibus, habitus enim, quoad specificationem voluntatem ad unum determinant, nec tribuunt ipsi potentiam proximam ad oppositum actum. Cæterum auxilium actuale divinæ gratiæ, & Deus per illud debet movere voluntatem ad substantiam actus, & ad omnem modum illius liberum, nec ex necessitate naturæ determinat, sicut habitus, quomodo autem auxilium gratiæ id tribuat explicabimus alibi. Quia per auxilium gratiæ sufficiens quod supponit, sufficienter voluntatem movet ad actum bonum si voluerit. Quod si ipsa voluerit, vel ei impedimentum præstiterit, prædeterminat ad actionem quæ est in peccato, ut in 3. *libro* copiosè expositum est.

CAPUT XV.

Statuitur conclusio explicans efficaciam auxilij gratiæ secundùm quod ex Deo provenit, & multis sacræ scripturæ testimoniis probatur.

UT ergo omnia quæ de auxilio efficaci gratiæ dicta sunt unica conclusione cõprehendamus, quæ deinceps abundantius erit roboranda, & omnium probationum genere confirmanda, ita constanter asserimus: *Deus sua efficaci gratia movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solùm interiùs suadendo, invitando, aut aliter tantùm moraliter attrahendo; sed etiam verè, & activè, propriè efficiendo, salvâ tamen humana libertate talisque efficax gratia convenienter physicè prædeterminare dicitur.* Veritas ista brevi compendio universam hanc materiam, & primam ac fundamentalem eius quæstionem, & quoad rem, & quoad vocem clarissimè comprehendit; Et antequam multifariàm probetur, sicut aliquando multis modis, & efficacissimis argumentis probata fuit, priùs ab ea æquivocationes præscindendæ sunt, quæ etiam circa illam possunt prætendi. 192

Concedebant etiam aliquando authores illi, qui totam efficaciam gratiæ constituunt in congrua illa sua vocatione auxilium tale movere voluntatem, non solùm suadendo, invitando, excitando, seu moraliter attrahendo, sed etiam verè & activè propriè. Tum Primò quia Deus interiùs imprimit in anima verè & activè propriè illas suasiones & affectiones; sicut calor verè, & activè proprie producit in corpore calefactionem. Tum Secundò quia aliquis dicitur verè, & propriè aliquid movere, quia producit aliquid reale in alio; ita quod illud verè immutatur, & recipit aliquid verum, & reale; sicut aqua immutatur verè & realiter, & activè ab igne, quia recipit ab eo veram & realem calefactionem. Quo etiam modo Deus verè & activè propriè, ut aiunt, movet voluntatem; quia voluntas à Deo recipit illas veras suasiones, & excitationes. Tertiò modo, Deus, ut aiebant, dicitur movere voluntatem verè & activè propriè, quia propria sua activitate producit consensum voluntatis. Quartò modo dicitur Deus movere voluntatem activè propriè, ut ipsi prætendebant, quia aliquid imprimit in voluntate quo ipsam moveat verè, & activè propriè, ita tamen quod ipsa possit dissentire si velit. 193

Sed per istam quadruplicem, quam commentantur motionem, quâ Deus ponitur ab eis movere voluntatem verè, & activè propriè, ut ipsimet authores fatentur, nihil aliud ipsi intelligunt, nisi congruam vocationem, id est activitatem moralem, seu activitatem pendentem ab humana voluntate in sua efficacia, sive activitatem ab effectu, quam nempe arbitrium reddat pro innata sua libertate efficacem, vel inefficacem prout sibi placet. Vnde reipsa nullam veram motionem ex Deo admittunt, qua ipse verè & activè propriè moveat, & efficaciter applicet voluntatem ad consensum, sed solis verbis id proponunt; quia talis res est, ut saltem exterioribus verbis negari non possit. *Quid enim* ut locutione Sancti Patris Augustini utar *lib. de grat. Christi cap. 9. eos iuvat, quia diversis verbis eandem rem dicunt, ut non intelligantur, in lege atque doctrina* 194

Digitized by Google

interiori revelante, invitante, & excitante gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserunt adiuvari. Vt 1. *nostro libro à principio*, & *in* 2. *in fine* satis ostendimus; vel ad summum in adiutorio dante tantum posse, ut sæpius manifestauimus.

195 Quantum autem existimo ideo verentur intelligi, quia vident efficaciam gratiæ, & motionem Dei verè activè operantem se negare non posse. Et tamen latere se putant, cum aliis atque aliis locutionibus versãt significationẽ illius moralis motionis, seu cõgruæ vocationis nominibus motionis verè & activè liberum arbitrium moventis; nam etiam ille quem *prædicto libro cap.* 7. reprehendit Sanctus Pater Augustinus, pluribus verbis gratiam proponebat, dicendo. *Adiuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Per quæ verba etiam fatebatur illo quadruplici modo ab his authoribus exposito Deum movere voluntatem verè atque activè propriè. Quia concedebat Deum vera causalitate imprimere in anima illas suasiones & affectiones, & verè, & activitate propria voluntatem illas recipere, & per eas immutari, & illa sua activitate, morali scilicet, efficere consensum, & prædictas excitationes imprimere voluntati, quibus ipsam moveat ad consensum.

196 Vnde ut exponeret quod illo quadruplici modo Deus verè operatur in homine, continuò subiungit *cap.* 10. *operatur in homine velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succedit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis suadet omne quod bonum est.* Planè nec plura, nec significatiora verba modò ab his authoribus proponuntur ad fundandam & explicandam illam motionem moraliter tantum attrahentem. Quod si his addatur certa illa præscientia de futuro consensu arbitrij, sic moraliter attracti, nec hanc negavit, aut negare potuit ille qui à Sancto Augustino reprehenditur, *ubi suprà*, tanquam veram gratiam negans, & tantùm illam constituens in lege, atque doctrina.

197 Quod autem illam mediam scientiam Pelagius non negavit *primo nostro libro* ostensum est, *in confutatione illius mediæ scientiæ.* Imò ut argumentum ad hominem procedat atque convincat id expressè Franciscus Suarez fatetur *lib. secundo de caus. prædest. cap.* 16. §. *quod si quis.* Sic dicens. *Pelagius non negavit Deum præscire si his prædiceretur Evangelium cum his signis &c. qui sunt crediturí.* Et cum ibi §. immediatè antecedenti incipiente. *Quartò sententia illa*, etiam expressius concedat admisisse Pelagium internam revelationem, etiam dicere tenetur præsciviſse qui essent crediturí, si eis talis revelatio apponeretur: Parique ratione præsciviſse qui crediturí essent, si eis moralis quælibet excitatio adhiberetur. Imò si recursus, & differentia prætendatur, quod Pelagius non admisit gratiam adiuvantem, quam isti authores constituunt, etiam hoc prædictus Franciscus Suarez excludit *citato nunc loco* sic dicens. *Nec dubitaret Pelagius, etiam illam vocare gratiam excitantem voluntatem ut velit, & adiuvantem cum vult;* quæ est gratia adiuvans ab his authoribus posita. Non dubitaret, inquam, illam, id est prædicationem seu moralem excitationem vocare gratiam excitantem, ut velit, & adiuvantem voluntatem cum vult. Igitur in omnibus convenientia cum illo est in vocibus *excitantis, suadentis, revelantis*, & *invitantis gratiæ*, in *præscientia*, qua Deus scivit qui eis consensuri sunt, per quæ completur congrua vocatio, quam dicunt in eorum loquutionibus, quibus Deum quadrupliciter prætendunt verè, & activè propriè operari in nobis velle; hanc enim veram & propriam activitatem ille primus prætendebat, dicendo Deum operari per illas revelationes & excitationes in nobis velle. Nos autem illam gratiam, isti authores aliquando fateantur, desideramus, non qua Deus solas illas suasiones, & excitationes indeliberatas verè & activè propriè nobis immittit; quibus moraliter tantum, & obiectivè, & metaphoricè, ut dicunt, liberum hominis ad consentiendum movet arbitrium, sed illam, qua ulterius arbitrium verè adiuvando, ipsum efficienter & activè propriè movet, ut eisdem excitationibus præstet consensum. Ita quod ex efficacia talis prævenientis gratiæ motum, & excitatum arbitrium semper liberè consentiat, potens eisdem excitationibus dissentire, ut Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustificatione, cap.* 4. diffinit non tamen sic potest Deo efficaciter moventi resistere, ut scriptura sacra docet, *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*: & Sanctus Pater Augustinus *lib. de corr. & gratia cap.* 14. *non est itaque dubitandum voluntati Dei (nempe efficaciter moventis) qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere.* Aliud est enim posse dissentire, & aliud posse resistere. Illud primum, ut Concilium Tridentinum tradit, nostræ libertatis est; Illud autem secundum non pertinet ad nostram libertatem, neq enim humana libertas Dei efficaci motioni, seu voluntati potest resistere, ut scriptura inducta docet. Cum ipse Deus velit, & sua efficaci gratia faciat consentire volens quod simul possit dissentire; ac per consequens per posse dissentire potius Dei conformatur voluntati; tantum abest, quod Deo per hoc vel resistat, vel resistere possit. Præveniens ergo gratia ex Deo efficax hoc facit, ut semper arbitrium liberè consentiat excitanti Deo, servando eius potestatem, qua Deo excitanti potest dissentire. Similiter hoc facit ut eius efficaciæ nec arbitrium resistat, nec ei resistere possit, ut nostro primo libro, & supra in hoc quarto, & in alio nostro libro responsionem ad collationes pleniùs explicavimus. Hanc, inquam, gratiam verè, & activè propriè sic operantem in arbitrio desideramus, ut isti authores aliquando fateantur, & verborum æquivocationes omittant.

198 Hæc enim præveniens efficax gratia ex Deo ipso antecedenter ad omnem bonum usum prævisum, æquivalentibus verbis in plurimis scripturæ locis traditur & commendatur, & hoc sit pro auxilio gratiæ non ex nobis, sed ex Deo ipso efficax primum, & potissimum argumentum. Omissis enim plurimis efficaciora prius breviter referenda sunt, & postmodum brevitate eâdem cuiuscumque verus erit sensus tradendus, & falsus confutandus. In primis est illud celebre Apostoli testimonium *ad Philip.* 2. *Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Adiuncto alio illo Ezech. 36. *faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Cum alio Isay. 26. *omnia opera nostra operatus est nobis.* Qui respondet alter Apostoli 1. *Qui operatur omnia in nobis.* Isay. etiam 50. dicitur.

Digitized by Google

tur. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Cui ille alius respondet Actorum. 16. ubi dicitur Deus aperuisse cor Lydiæ purpurariæ attendere his quæ dicebantur à Paulo: præcipuum etiam illud testimonium est Prover. 21. *Cor Regis in manu Domini quocumque voluerit vertet illud.* Et illud Ester. 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo, in conspectu Leonis.* Et cap. 15. *convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & transfert cor illius in odium hostis nostri.* Et illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur.* Cum illo alio Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Cum alio ad Rom. 8. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Prima ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti; & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Rom. 9. *Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis,* Can. 1. *Trahe me post te curremus.* Et illud Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Item. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et illud aliud cap. 15. *Sine me, nihil potestis facere.* Et tandem ut plurima omittamus illud. Evangelij Luc. 14. *Compelle eos intrare.* Et iterum ad Rom. 4. dicitur, ut *Secundum gratiam firma sit promissio.* Firmitatem ergo habet divina promissio, & efficaciam ex gratia, non ex libero hominis arbitrio prævisо de quo testimonio videatur sanctus Pater Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 10. Ad Ephes. 3. *huius rei gratia flecto genua ad patrem Domini nostri ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.* Quibus virtutem & efficaciam à Deo petit quæ à Deo datur, & hanc corroborantem interius hominem satis apertè pronunciat Apostolus, de quo videatur ibi Sanctus Thomas. Et 2. *ad Thimoth.* 2. dicitur. *Fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu.* Vbi nedum de gratia habituali iustificante fit sermo sed etiam de actuali dono gratiæ (ut ibi Sanctus Thomas exponit.) quo homo interiùs nedum excitatur sed verè confortatur, adiuvatur, & virtute corroboratur. Simile est illud quod habetur ad Hebræos 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci; optimum est enim gratia stabilire cor;* per quod verbum, *stabilire,* sicut per illa alia, *confortati, corroborati,* non dubium quin efficacia gratiæ ex Deo proveniens clarius exprimatur. Simile est illud *faciam ut faciatis.* Et illud Hiere. 17. *Sana me Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero.* Et illud, *Convertere nos Domine, & convertemur.*

199 Et non omittamus etiam illa duo, quæ ab Antistite Hierosolymitano omnium primo adversus Pelagium obiecta sunt, nimirum illud; *psal.* 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam:* Et illud Apostoli 1. ad Chorinth. 10. *abundantius illis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum:* quæ à sancto Patre Augustino referuntur, *Epistola* 106. *ad Bonifacium, prope finem.* Quamvis enim, hæc tunc obiecta fuerint Pelagio admittenti gratiam solum ad facilius, non verò ut simpliciter necessariam, tamen etiam pro hac veritate efficacis gratiæ Dei pariter stare, vel ipsa publicant. Si enim, nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam; procul dubio, nisi Dominus inceperit, in vanum laborat qui incipere se iactat, & in vanum laborat, qui se à seipso efficaciter moveri publicat ad actum liberum efficiendum, nisi Dominus ad illum efficaciter ipsum moverit. Parique ratione dum sic clamat Apostolus, *non ego sed gratia Dei mecum;* non nos incipere, & postmodum à Deo nos adiuvari satis manifestat; nec nos partiales causas esse ostendit; Si enim, vel nos ad incipiendum in bono, vel ad aliud, Deum & nos partiales causas esse iudicaret, utique diceret ego; & non assereret, *non ego.* Vnde sanctus Pater Augustinus *citata Epist.* ait. *Nec Apostolus dixerit, & ego; sed dixerit, non ego autem, sed gratia Dei mecum: non quia ipse nihil boni agebat; sed quia nihil ageret, si illa non ad iuvaret.* Si ergo gratia non adiuvet, nec homo incipiet ante excitantem gratiam, ut ipsa ipsi tribuatur; nec post excitationem se ad illi consentiendum determinabit: nisi illa adiuvet; ut sic homo se ad bonum consensum determinet. Eandem prævenientis gratiæ efficaciam exponit Iob, 37. *Nubes spargunt lumen suum, quæ illustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Quod testimonium glossa sic explicat. *Nubes spargere & prædicatores sanctos exempla vitæ, & agendo, & loquendo dilatare, qui lustrant cuncta per circuitum quia prædicationis luce mundi fines illuminant.* Quod testimonium cum glossa inducit sanctus Thomas *opusculo* 19. *cap.* 10. & in ipso per voluntatem gubernatoris divina efficax motio satis ostenditur. Accedant & alia duo ex Apostolo testimonia, quo de spiritu sancto loquens, ad Rom. 8. ait, *Quod ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* id est, gementes, & interpellantes facit, quod ita propriè verè activè & efficaciter faciat nos facere, ut ipse dicatur interpellare. Aliud est illud commune Actu. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* id est, ipse nobis tribuit, sicut esse, ita vitam, & motum, seu actionem qua facimus bona. *Quidam autem,* ut ait sanctus Thomas 3. *cont. gent. cap.* 89. *non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem sic quod faciat vos velle hoc nec illud, sicut Origenes ponit in* 3. *lib. Periarchon arbitriũ defendens contra authoritates prædictas;* quem & olim multi, & istis temporibus plerique sequuntur, idem omnino cum illo defendentes. *Quibus tamen,* ut sanctus Thomas citato loco ait, *Authoritatibus sacræ scripturæ resistitur evidenter,* supra positis nempe, quod potissimè ex illo Isa. 26. etiam iam inducto probat *omnia opera nostra in nobis operatus es Domine,* Vnde, *non solùm* inquit, *virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem.*

Hæc igitur duo modò brevitate magna intellecta testimonia, & alia plura, quæ modò relata sunt, & inferius veniunt expendenda, atque alia quæ sine dubio in scriptura sunt plurima, satis manifestè proponunt Deum in ipso hominis arbitrio ita efficaciter operari, ut ipsum quocumque vult convertat, transferat, inflectat potenti sua virtute, & suavi efficacia, salva in omnibus eius perfecta libertate, itaut arbitrium infallibiliter faciat quod Deus vult, ut ipsum faciat, & magna cum libertate sua id faciat. Videatur S. P. Augustinus *lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 6. qui alia plura inducit scripturæ sacræ testimonia sic dicens contra Pelagianos. *Ita namque illis tumor ipse aures cordis obstruxit, ut non audiant, quid enim habes quod non accepisti? non audiant, sine me nihil* 200

potestis

Digitized by Google

poteſtis facere ; non audiant. Charitas ex Deo eſt. Non audiant, Deus partitus eſt menſuram fidei. Non audiant, ſpiritus ubi vult ſpirat. Et qui ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt. Non audiant, nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Non audiant, quod Eſdras, ſentit, Benedictus eſt Dominus Patrum noſtrorum, qui hoc dedit in cor Regis clarificare domum ſuam, quæ eſt in Ieruſalem. Non audiant, quod per Hieremiam dicit Dominus, & timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant : & viſitabo eos, ut bonos eos faciam. Maximèque illud per Ezech. proph. ubi prorſus Deus oſtendit nullis ſe hominum bonis meritis provocari, ut eos bonos faciat, id eſt, obedientes mandatis ſuis ; ſed potius hæc eis retribuere bona pro malis propter ſeipſum hoc faciendo, non propter illos. Ait enim, hæc dicit Dominus Deus. Ego faciam domus Iſraël, ſed propter nomen meum ſanctum quod prophanaſtis in gentibus, quo intrares illuc, & ſanctificabo nomen meum magnum quod prophanatum eſt in gentibus, & prophanaſtis in medio eorum & ſcient gentes, quia ego ſum Dominus &c. Et poſt pauca ſic ſubjungit S. P. & Doctor Auguſtinus. *Ego facio ſed propter nomen meum ſanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus : nihil ſic evertit Pelagianos dicentes gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, & iterum paucis interpoſitis. Itane nondum evigilatis ? non auditis faciam ut ambuletis, faciam ut obſervetis, poſtremò faciam ut faciatis ? quid adhuc vos inflatis, nos quidem ambulamus verum eſt, nos obſeruamus, nos facimus, ſed ille facit ut ambulemus, ut obſervemus, ut faciamus.*

201 In ſumma, ſicut certum de fide eſt, ineſſe homini liberum arbitrium, ſic etiam certiſſimum ex fide eſt, nihil boni ab homine fieri, niſi à Deo ſummo bono ei detur, qui omnipotenti ſua virtute liberè quæcumque vult facit, unde & bonus uſus liberi arbitrij quem homo habet à Deo ipſi tribuitur, per ſuam potentem, & efficacem gratiam. Quod ſi humana ratio modum huius concordiæ planè ac perfectè capere minùs poteſt, non idcirco negandum eſt, quod ita eſſe compertum eſt, ut S. docet Auguſtinus *lib. de dono perſever. cap.* 14. Cuius & verba ſunt. *Nunquid propterea dicturi ſumus quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe; quoniam cur ita ſit non poſſumus invenire, nunquid ideo negandum eſt quod apertum eſt quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt.*

202 Nec latuit Doctorē S. Auguſtinum hæc humano intellectui difficilis quæſtio de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, ſic enim ait *lib. de grat. Chriſti cap.* 47. *Iſta quæſtio ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Putetur, ait, auferri, quia revera non aufertur, ſed firmatur. De gratia ergo prævenienti ex Deo ipſo efficaci dicit ſanctiſſimus Doctor quæſtionem eſſe difficilem, quomodo nempe cum illa humana concordet libertas : hæc enim efficax gratia eſt, quæ difficultatem facit. Si enim ex Deo efficax non eſſet, ut authores, cum quibus agimus, defendunt nihil prorſus difficultatis eſſet in hac quæſtione de gratia & de libero arbitrio, quæ Sancto Patri Auguſtino difficilis viſa eſt. Sed mirabiliter illam explanavit : & contra Pelagianos negantes efficaciam gratiæ propter prædictam difficultatem, certiſſimè ubique defendit. Quam imitantes, ſicut in iſtis noſtris operibus ; & libris paſſim defendimus, & explicavimus, ita nunc ex ſacris Conciliis, Sanctis Patribus, Theologis antiquioribus, & efficaciſſimis rationibus magis ac magis probabimus, & confirmabimus.

Etenim antequam in particulari unum quodlibet ex inductis ſcripturæ teſtimoniis expendamus, illud omnium primo venit conſiderandum ; hæc nempe omnia & alia ſimilia teſtimonia pariter utrumque extremum errorem, & Pelagianorum omnium, & Lutheranorum, ac Calviniſtarum efficaciter debellaſſe, & media ſecura, ac Catholica via veritatem docuiſſe. Si enim ex una parte Dei efficaciam ac potentiam ſuper noſtrum Arbitrium ad illud quò vult immutandum expreſsè tradunt contra Pelagianos omnes, qui eam negant ; & ſimul noſtram libertatem oſtendunt contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui eam inficiantur. Pelagiani enim ea intelligunt de revelatione, & excitatione morali, ſeu obiectiva (ut ex relatis modò verbis Pelagij fit manifeſtum, & ex eius ſequacibus Iuliano, Caſſiano, & Fauſto, & aliis notum in ſuperioribus dedimus) : At Lutherus, & potiſſimè Calvinus ea introducit ad probandam illam ſuam violentam gratiæ efficacitatem, cui voluntas humana non liberè ſubſequendo cooperetur. Sed utrumque illum errorem illa divina teſtimonia condemnant. Et hinc fit ſine apparentia, & cum magna falſitate ab aliquibus his temporibus in ſuis libris & ſcriptis divulgari, hæc divina teſtimonia, potiſſimè illud primùm ad Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere.* Sæpiſſimè tanquam palmarium in diſputatione de gratia efficaci adferri, tum ab hæreticis ad probandum gratiam ita omnia facere, ut ei liberè non cooperetur, ut patet apud Calvinum *citatis locis*, tum à quibuſdam Catholicis ad improbandum gratiam prædeterminantem, ut ſine delectu atque penetratione doctrinæ huius aſſerit Leonardus Leſſius, quia enim ipſe mediam viam reglam, quam illa teſtimonia docent tenere neſcivit, ad illud primum extremum apertè declinavit, illa intelligens, ut efficaciā divinæ gratiæ negaret, de ſola motione morali obiectivè tantum movente voluntatem, ſive per modum legis, atque doctrinæ, ſeu moraliter, quod idem omnino eſt. Advertere enim debebat, quod licet Calvinus ea malè inducat ad ſuadendum efficaciam gratiæ lædentem arbitrium, cui arbitrium liberè non cooperatur, quod eſt aliud extremum ; Catholici tamen & hunc & illum primum morem æqualiter damnantes cum Sanctis Patribus, Conciliis, ac ſummis Pontificibus illa inducant, in vero ac proprio ſenſu quem faciunt, ut nempe fundent efficacitatem divinæ gratiæ quæ facit ſibi liberum arbitrium ſubſequendo magna cum illa libertate cooperari, & ſic & illos æqualiter perimunt. 203

Defendentes divinam omnipotentiam ſupra hominum corda, quam apertè illa ſcripturæ teſtimonia prædicant ; quam quæ oppoſitum ſentientes ſupra hominum liberas voluntates non admittunt ſatius fore arbitrati ſumus in confirmationem eorum & alia adferre quæ omnipotentiam Dei ſuadendo priora confirment. Primum itaque occurrit illud Eſther 13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tua poſſit reſiſtere voluntati.* Et 15. *convertit ſpiritum regis in manſuetudinem & illud Iob.* 12. *qui immutat cor Principum.* Et illud aliud Matth. 3. *potens eſt Deus de lapidibus illis ſuſcitare filios. Abrahæ.* Apertè docent Deum eſſe omnipotentem 204

ſupra

Digitized by Google

ſupra humanas voluntates, & illas quocumque voluerit, vertat: At ſententia quam impugnamus tradit oppoſitum: Ergo divinis litteris adverſatur. Oſtenditur minor: quia dicunt Deum non poſſe aliter trahere hominum voluntates, niſi mediis ſuaſionibus, & aliis motivis moraliter invitantibus datis tempore quo prævidetur humanum arbitrium ex ſua libertate illis bene uſurum. Hoc autem non eſt exercere ſupra hominum voluntates omnipotentiam, ſed ſuaſoriam artem. Supponamus enim quod Petrus ex ſua libertate non ſit hodiè alicui ſuaſioni conſenſurus: Ergo non poſſet Deus hodiè illum convertere. Ergo cor Petri in illa Die non erit in manu & poteſtate Dei, nec poſſet illum Deus quocumque voluerit vertere; & ſic Deus non eſſet omnipotens, nec omnipotentiam ſupra humana corda haberet.

202 Horum authorum cum quibus agimus aliqui quidem caſum admittunt contra quos argumentum factum planè convincit. Alij negant, ſed fruſtra, quia ita poteſt cor hominis obſtinatum eſſe in malo & lapideum, quod nullis ſuaſionibus cædat, niſi divina virtus, & efficacia ipſum immutet & in bonum potenter inflectat, non ſolum ſuadendo, ſed ſua omnipotentia verè efficiendo quod convertatur. Sed ut nulla poſſit eſſe excuſatio, Deus poteſt omnipotentia ſua cor Dæmonis cum illius libertate in bonum convertere, quod nullus negavit, nullis autem ſuaſionibus, vel præſcientia id poteſt efficere: ſed omnipotentia ſua ipſum in bonum inflectente. Accedit etiam illud Ezechiel. 1. de quatuor animalibus, de quibus dicit, quod *ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*. Quo ſatis clarè ſpiritus ſancti efficaciam trahentis poſt ſe homines oſtendit: nominando, *impetum ſpiritus*. An quia impetum ſpiritus dixit, ab animalibus ſequentibus ipſum abſtulit libertatem? an potius illam aſtruxit, atque fundauit? ſimile eſt illud Actuum 2. *factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum*; per exteriorem enim ſpiritum vehementem internam vehementiam, & efficaciam Spiritus ſancti ſignificari quis ambigat, qua totam domum implet, totumque hominis cor poſſidet. An vehementia iſta atque efficacia libertatem auferet ab homine? an ab homine in ſua efficacia dependet, ut illam ſibi homo faciat efficacem? quis hoc dicat? unde magnus Gregorius *homilia 30. in Evang.* ad explicandam hanc Spiritus Sancti efficaciam ſic ait. *Hodie namque Spiritus Sanctus repentino ſono ſuper diſcipulos venit, menteſque carnalium in ſui amorem permutavit* inquit, quo nihil clarius potuit ad ſignificandam ex Deo prævenientem efficaciam.

CAPVT XVI.

Concluſio probatur ſpecialiter explicando illud Apoſtoli teſtimonium: Deus eſt qui operatur in nobis velle, &c.

203 HAnc autem eſſe veram, ac legitimam illorum teſtimoniorum intelligentiam, patet ex ipſis verbis, quibus palam efficacem Dei operationem ſupra liberum arbitrium prædicant, & cum hoc eius libertatem defendunt. Quid enim potuit clariùs pro hac efficaci Dei gratia Apoſtolus prædicare, quam dicendo ad Philip. 2 *quod Deus eſt, qui operatur in nobis velle*, dicendo enim quod operatur in nobis velle, & efficaciam operationis divinæ, & libertatem noſtri velle apertè propoſuit. Et ſic efficaciam gratiæ contra Pelagianos, & libertatem noſtram contra Calviniſtas firmavit. Quo teſtimonio in hac eâdem vera intelligentia Sancti Patres uſi ſunt, ut adverſarios gratiæ depugnarent. Etenim illius adverſarij cum hoc teſtimonium viderent dogmati ſuo contrarium valde eſſe, illud de ſuaſionibus, & excitationibus moraliter & obiectivè, ſive per modum legis, atque doctrinæ moventibus exponebant. At ſancti Patres eo contra ipſos triumpharunt, ut veram efficaciam divinæ gratiæ aſtruerent, qua Deus operatur in nobis noſtrum liberum velle & quemcumque alium actum libertatis noſtræ; verè efficiendo per illam efficaciam gratiæ ſuæ, ut liberum arbitrium ei ſubſequendo, ut pediſſequum liberè cooperetur. Cum ergo modo ſimiliter qui hanc efficaciam divinæ gratiæ ſupra humanum arbitrium negant, eodem modo illud teſtimonium intelligant de operatione Dei metaphorica, obiectiva, & moraliter tantùm ſuadente, conſtat id etiam eos ideo efficere, quia vident illud dogmati ſuo valde eſſe contrarium. Patique ratione cum illi priores ideo ſic explicarent, quia (ut opinabantur) per aliam efficacem motionem noſtra impediebatur libertas; Etiamſi authores modo eadem ratione ducti dicant illo teſtimonio uſum fuiſſe Calvinum, ut gratiam aſtrueret, cum arbitrium liberè non cooperatur. Sed utrique per ſanctos Patres illo teſtimonio, & eius plana intelligentia devicti ſunt. Videatur de illo ſanctus Pater Auguſtinus *lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16. & 17. lib. de nat. & grat. cap. 32. lib. de grat. Chriſti cap. 5.* & potiſſimè 1. *lib. de grat. & lib. arb. cap. 9.* Cuius explicationem imò ipſammet litteram expreſſam ſcripturæ in proprietate ſermonis acceptam ſequuti ſunt omnes ſancti Patres, Hieronymus, Proſper, Hilarius, Fulgentius, Sanctus Thomas, & plures alij, quorum nec teſtimonia oportet inducere.

Secundum teſtimonium habetur Ezechielis 36. *faciam ut in præceptis meis ambuletis, & Iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*: apertius, & efficaciam, qua Deus facit ut faciamus exponit, & nos liberè facere oſtendit, ut pariter utrumque extremum illum relatum errorem Pelagianorum, & Calviniſtarum, damnaret. Vnde etiam ad hæc non attendens prædictus Leſſius aſſerit, quod Calvinus hoc teſtimonium inducit ad probandum Deum immediatè operari noſtrum conſenſum, quam immeditationem divinæ operationis in noſtrum conſenſum, ut ipſe neget, dicit teſtimonium eſſe intelligendum, quod Deus facit ut faciamus alliciendo, & excitando, illa ſcilicet obiectiva tantùm motione & propoſitione obiecti, quam alibi clariùs explicavit; & ſic dum unum errorem evitare contendit; in alium incidit, magnam læſionem, quantùm eſt ex parte ſua, faciens ipſe Leſſius divinæ gratiæ efficacitati. Quem propterea cum aliis expugnat ſanctus Pater Auguſtinus *lib. 1. ad Bonif. cap. 20. & lib. 4. cap. 6. & lib. de grat. & lib. arb. cap. 14. & 15.* Cuius verba ſunt poſt multa, illo cap. 6. *Ita ne nondum evigilatis? non auditis faciam ut ambuletis, faciam ut obſervetis, faciam, ut faciatis; quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos ſervamus, nos facimus; ſed ille facit ut ambulemus, ut obſervemus, ut faciamus.* Et libro de gratia; & libero arbitrio citato cap. 16. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam ut in Iuſtificationibus meis ambuletis;*

Digitized by Google

ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis. Audiunt Sanctum Doctorem Augustinum contra Pelagianos negantes Deum sua efficaci virtute & gratia dare vires, efficaces voluntati, cum dicit, *facit ut faciamus*; quas nedum efficacissimas vires, sed ne efficaces, imò nec verè sufficientes, nisi voce solummodo, tribuere potest voluntati illa suasio, illa
1 revelatio, illa obiectiva motio, quam suis propriis verbis tantùm ipsi exponunt nomine gratiæ: & adhuc non evigilant? Sed evigilarunt plane Doctores ij, ut explicationi Sancti Augustini contradicerent, ait enim Franciscus Suarez *lib. 3. de auxiliis cap. 15. §. Ad testimonia*; hoc allatum, & alia similia dicta fuisse ab Augustino de gratia excitante, & operante, quod licet ei admitteremus, tamen non attendit, quod gratia operans supra excitantem efficacem operationem sonat. At non de sola illa, sed de excitante & verè adjuvante, sive illa sit operans, sive verè cooperans à Sancto Augustino intelligimtur. Omnis autem adiuvans supra excitantem, efficax præveniens est, ut supra manet probatum.

204 Dicit secundò illud, *faciam, ut faciatis*, non solùm de operibus gratiæ, sed moraliter bonis procedere, imò de motione ad materiale peccati. Ad quod respondemus hoc ultimum falsum esse, quia illud testimonium solùm dicit, quod Deus faciat ut eius præcepta faciamus, & observemus, per donum videlicet gratiæ, quo illa præcepta facit observare.

205 Dicit tertiò ibi fieri sermonem non de efficaci auxilio gratiæ, sed de promissionibus generalibus factis, universæ Ecclesiæ, & potissimè de virtute sacramentorum. Ad quod dicendum loqui quidem prophetam de statu futuro Ecclesiæ, & de abundantiori gratia, qua in ea facturus Deus erat, ut plures de facto haberent Spiritum novum, & de facto Dei præcepta observarent: & sic semper vera est expositio Sancti Augustini quod nempe de efficaci auxilio dante vires efficacissimas procedat.

206 Simile est illud *sap. 8. attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia suaviter*: fortiter sibi, suaviter mihi. Fortiter inquam sibi ob sui potentiam, virtutem, & efficaciam, & suaviter mihi, ob meam quam efficaci sua virtute conservat libertatem. Quod testimonium Pius V. infrà citandus in Cathechismo ad hoc ipsum propositum inducit. Eamdem Dei prævenientem efficaciam sponsa, id est, Ecclesia 1. *cap. cantic.* confitetur cum Christo Domino dicit, *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ad quæ verba sic habet S. Thomas in impressione Romana, & aliis communiter. *Hactenus Locuta est synagoga: hic incipit loqui Ecclesia de gentibus Trahe me post te, quia inquit, meam infirmitatem cognosco, & video nihil me meis viribus boni posse agere: tua gratia trahe me ad tui imitationem, vel etiam cum cœlum ascenderis, trahe me post te, ut te sequi merear.* Hæc Sanctus Thomas nec aliud verbum habet, & tamen quod est considerandum; imo valde dolèndum in quadam impressione Parisiis anno 1587. Apud Bartholomæum Maiorum, in monte divi Hilarij sub scuto Britanniæ, hæc de novo ab aliquibus superaddita verba leguntur? quibus & textum S. Thomæ corrupere, & ipsi doctrinam quam semper expugnavit attribuere non formidarunt. *Sponsa*, inquiunt, *confitetur auxilium Christi etiam suave & validum*: continuatur autem sic: *non ad insipientiam dico trahe me post te, quia tuus tractus est suavis & validus, quia si tu me traxeris, non solùm movebor quakitercumque, sed etiam curram in odorem unguentorum tuorum, id est, velociter movebor, dummodo possim suaviter odorare virtutem & dona tua Notandum autem, quod cum sponsa dicat se currere ad tractum Christi, confitetur eius tractum non esse violentum, sed suavem, nam currere est voluntate moveri; etiam confitetur talem tractum esse fortem quia in cursu notatur velocitas motus, qua sine magna virtute esse non potest. Nec nimirum si Christus trahat suaviter, & fortiter quia Christus, est Dei virtus, & Dei sapientia secundum Apostolum 1. Corinth. & Sapientia ut legitur sap. 8. attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; & notandum quod sponsa, cum postulat se trahi nominat se in singulari, dicens trahe me post te; cum dicit huic tractui se obedire, nominat se in plurali dicens curremus &c. Cuius ratio est, quia Dominus quantùm est de se uno modo trahit, quia secundùm Dionysium 4. cap. de div. nom. sicut sol non ratiocinans, nec præeligens immittit radios suos intelligibiles, non tamen trahemur uno modo, quia licet Deus uno modo se habeat ad omnia, non tamen se habent omnia, uniformiter ad ipsum, quia eadem influentia diversimodè recipitur in creaturis.* Hæc omnia relata verba propter hæc ultima, quibus efficaciam prævenientis gratiæ ex Deo ipso efficacis in his qui salvantur penitus negant: Et S. Thomæ attribuere non verentur, ut nomine & authoritate Sancti Thomæ suam possint palliare sententiam. Eodem verò anno videlicet 1587. quo magna de efficacia divinæ gratiæ, & prædestinationis controversia Lovanij agitari cœpit contra Leonardum Lessium ex societate à Doctoribus Lovanienfibus, de qua in istis operibus sermonem fecimus: illo, inquam, eodem anno Parisiis textus Sancti Thomæ corrumpitur, & relata verba superadduntur, quæ etiam ipso vel primo aspectu quam aliena à phrasi, & modo loquendi Sancti Thomæ esse nullus erit qui non videat, quæ proinde in omnibus aliis impressionibus non inveniuntur. Parisiis etiam alia corrumpitur littera Sancti Thomæ super *epistolam ad Galat. cap. 3. lectione 6.* ad illa verba, *virum de mille unum reperi &c.* Quod Romæ, cum de materia Conceptionis Sanctissimæ Virginis tractaretur, planè ostendimus, & ex omnibus manuscriptis, & Codicibus in vaticano servatis, & in Bibliotheca Ducis Altemps: & Ducis Florentiæ apertissimè convicimus.

Efficacem divinam operationem, qua Deus in 207
nostro libero arbitrio operatur, vertens illud quocumque vult, non suadendo, & excitando, vel alliciendo tantùm, sed verè & activè propriè illud movendo, & ad liberam operationem applicando, tradit *Isaias cap. 26. Omnia opera nostra operatus es Domine*, & manifestius in illo Pauli. *Qui operatur omnia in nobis* satis constat.

Licet enim illud primum Isayæ tres alias legitimas explicationes habeat, quas & refert Leonardus Lessius, tamen quarta etiam legitima est, quæ facit ad propositum, quod nempè Deus in nobis omnia opera nostra faciat, non solùm invitando & excitando, vel dando tantùm possibilitatem ad operandum, sed etiam verè efficienter & activè propriè efficiendo, ut nos liberè operemur. In hac enim legitima expositione adducitur à sancto Thoma 3. *contra gent. cap. 89.* contra Origenem & sequaces, qui tantùm possibilitatem ex Deo nos habere admittebant, non ipsum velle, & operari; adversus quos ita sanctus Thomas affirmat: *Quibus quidē authoritatibus sacra*

scriptura

Digitized by Google

ſcripturæ reſiſtitur evidenter, dicitur enim. Iſay. 26. omnia opera noſtra operatus es nobis Domine. Vnde non ſolùm virtutem volendi habemus à Deo, ſed etiam operationem. Hæc ſanctus Thomas. Quæ expoſitio traditur à Paraphraſi Caldaica illamque ſequitur Lyranus ad illum locum, & alij plures. Vnde quod quidam ex his authoribus dixit, illa verba non extendi ad liberas hominum operationes ſed alia opera, quæ ſine noſtra libertate nobis eveniunt, minùs ad iſta quæ modò dicta ſunt, attendit.

207 Sed efficacius illud Apoſtoli, *Qui operatur omnia in omnibus*, veram Dei operationem, qua operatur omnia in omnibus liberis actibus noſtris commendat: quæ operatio de illa ſuaſorie, & obiectiva tantùm motione explicari nequit. Etenim per illam ſui deffenſores publicant non efficere Deum efficaciter, quod nos liberè operemur, nec quod actus liber fiat à nobis; quod enim actus liber à nobis fiat, ut aiunt, ex nobis eſt; ſed quod actus liber à nobis fiat, eſt aliquod opus noſtrum; ergo ſecundùm illam ſuaſoriam, & obiectivam motionem actus noſter liber non fit à Deo, & ex conſequenti non omnia opera noſtra in nobis Deus operatur. Quod illi Apoſtolico teſtimonio repugnat: ut ergo teſtimonium illud verificetur, oportet illam Dei efficacem operationem admittere, qua Deus verè efficaciter faciat quod nos liberè operemur, & quod liber actus à nobis liberè fiat. Simile eſt illud aliud Apoſtoli; ad Rom. 11. *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* profectò ſi ex ipſo ſunt omnia, & noſter actus liber ex Deo eſt, nec aliquod eius initium à nobis ſolùm procedit, quod id priùs Deo demus ut retribuatur nobis. Idem docet Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti* uſque ad illa verba; *inſtaurare omnia in Chriſto quæ in Cœlis ſunt, & quæ in terra ſunt in ipſo, in quo etiam nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur.* Ipſe ergo, ut credere incipiamus, & quodcumque aliud bonum initium operatur in nobis, qui univerſa operatur. Ipſe quod divinæ excitationi liberè conſentiamus operatur in nobis qui univerſa operatur. An univerſa alia præter hoc ſolùm Deus operatur in nobis? abſit. Imò hoc potiſſimè operatur in nobis, qui ſine aliqua exceptione univerſa operatur.

208 Hoc ipſum manifeſtè confirmat illud Chriſti Domini Ioann. 15. *ſine me nihil poteſtis facere;* non ergo ſine Chriſto & ipſius gratia incipere poſſumus noſtram bonam actionem. Non ergo ſine Chriſto, & ipſius gratia excitationi divinæ ex nobis ſolùm conſentire poſſumus, ſed quod divinæ excitationi conſentiamus ex Chriſto, & eius adiuvante gratia habemus. Profectò ſi ſine Chriſto, & eius gratia nihil facere poſſumus quod ad ſalutem pertineat, ut apertis verbis veritas dicit, nec incipere, nec conſentire, nec perſeverare uſque in finem ſine Chriſto & eius gratia poſſumus, ſed totum dandum eſt Chriſto, & gratiæ eius, & quod benè incipiamus & quod excitationi divinæ conſentiamus, & cætera omnia bona opera faciamus. Notentur verba, *nihil poteſtis facere*, ſi nihil ſine Chriſto, & eius gratia facere poſſumus, quomodo ſine ipſo nos ad bonum actum determinabimus; ita quod illa bona determinatio non ſit ex Deo, ſed ſolùm ex nobis, ut adverſarij contendunt.

209 Illud verò ex Iſaya cap. 50. relatum, *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*; ſignificat quod ideo non contradicit humana voluntas Deo, quia ipſe interiorem autem cordis efficacia ſua aperit, ut non contradicat; itaut hoc quod eſt non contradicere effectus ſit efficacis operationis auris cordis factæ per Deum.

Sed ad hoc teſtimonium ita Leonardus Leſſius dicit vbi ſupra. *Reſpondeo, parùm hoc teſtimonium vigere; unde nec Auguſtinus hoc unquam contra Pelagianos adduxit; loquitur enim propheta in perſona Chriſti, qui dicit Deum aperuiſſe ſibi aurem, id eſt, ab initio conceptionis revelaſſe illi ſuam voluntatem de redimendo humano genere per paſſionem eius; ſe autem non contradixiſſe, nec ad non contradicendum indiguiſſe Chriſti gratia prædeterminante.* Hæc illius reſponſio eſt. Cui & ego reſpondeo. Iam iſtum authorem fateri ſi non hoc teſtimonium, alia tamen à ſancto Patre Auguſtino allata fuiſſe contra Pelagianos; ſed non alia ratione allata contra eos inducit niſi ad confundendas eorum ſuaſiones obiectivè tantum voluntatem allicientes, ut ex toto libro de gratia Chriſti fit manifeſtum: ſignanter ex illo cap. 10. iam ſignato: ergo illa teſtimonia convincunt præter illas ſuaſiones obiectivas aliud prævenientis gratiæ verum adiutorium eſſe conſtituendum, quo Deus verè faciat excitanti gratiæ conſentire. Igitur ſi non propter hoc teſtimonium, ſaltem propter alia, quæ confitetur induxiſſe ſanctum Auguſtinum contra Pelagianos, admittat veram efficaciam adiutorij gratiæ ſupra illas ſuas ſuaſiones moraliter, & obiectivè tantùm allicientes. Nec nos, quia ſanctus Pater Auguſtinus hoc teſtimonio uſus non fuit, eo utimur, niſi ut hanc huius authoris confeſſionem expendamus: Et etiam ut aliam eius ſiniſtram Doctrinam refutemus, qua cum ſuis putat voluntatem creatam Chriſti Domini non indiguiſſe ad opera quæ faciebat adiutorio divino efficaciter eam movente, & applicante ad ſic operandum, quod planè falſum eſt, quia cum illa creata Chriſti voluntas creatura eſſet, utique efficaci Dei motione eam ad agendum applicante indigebat. Licet enim à verbo divino, cui perſonaliter coniuncta erat regeretur, & ſemper gubernaretur; illam tamen dirigebat, & optimè gubernabat per auxilium efficaciſſimum, quod ſemper illi tribuebat: ut ſic ſuaviter ipſam regeret, & gubernaret.

Ad aliud *Actorum* 16. de Lydia purpuraria, 210
cui Dominus aperuit cor attendere his quæ dicebantur à Paulo, dicere non poſſunt quod à Sancto Patre Auguſtino inductum contra Pelagianos non ſit ad ipſos convincendum, quod illa cordis apertio non per illas excitationes, & ſuaſiones moraliter, & metaphoricè, ſeu obiectivè tantùm allicientes, quas ipſi admittebant, facta fuerit; ſed per veram gratiæ efficaciam quæ illius cor aperuit & efficaciter fecit attendere eis quæ à Paulo dicebantur.

Prætereà illud *Proverbij* 21. *Cor Regis in manu* 211
Domini, quocumque voluerit, vertet illud, efficaciam convertentis cor humanum, quo ſibi placet, manifeſtè declarat, & per illud evidenter impugnat ſententiam quæ tantum ex Deo poſſibilitatem nobis dari ad bene operandum, Sanctus Thomas manifeſtè convincit 3. *cont. Gent. citato cap.* 89. Quid enim eſt aliud Deum vertere voluntatem, quò ipſe vult, quam intùs efficaciter ipſam movere & applicare quò ſibi placet. Per illam enim quam dicunt congruam vocationem, ipſe homo movet cor ſuum quò vult, non Deus ipſum vertit quò ſibi placet. Ideo autem dicitur

Digitized by Google

cor Regis in manu Domini, ut per manum efficaciam operationis divinæ ostendat; nec enim suasiones illæ & morales invitationes per manum significari quoquomodo possunt. Et ad hoc reducuntur plura scripturæ testimonia quibus dicitur Psalm. 72. *Tenuisti manum dexteram meam, & manus tua protexit me*; Psalm. 138. *& tenebit me dextera tua*, & similia alia, quibus non dubium quin efficacia divina per eius manum, & dexteram rectè significata monstretur, & non excitatio illa moraliter tantùm, & obiectivè, seu methaphorica motio.

212 Similiter illud aliud *Esther* 14. quod Regina illa Deum orabat ut transferret Dominus cor Regis in odium sui hostis, quam exauditam Codex sacer manifestat, dum ait cap. 15. *Convertit Deus Spiritum Regis in mansuetudinem.* Vbi Sanctus Pater Augustinus aliam translationem sequutus ita legit. *Convertit Deus & transtulit indignationem eius in lenitatem.* Qua utraque lectione potentem efficaciam qua Deus dominatur cordibus hominum, & illa transfert quò vult clariùs aperire non potest. Vbi enim hîc patere recursus potest ad congruam illam quam imaginantur vocationem suasoriam. Ecce violens Rex ille adversùs Reginam sicut Taurus infremuit, & oculis animi sui furorem ostendebat, sed illico Deus potenti sua virtute & efficacia tetigit illius cor, illud convertit, & transtulit in lenitatem. Hîc certè vocatio per circunstantias loci & temporis reddita congrua penitus cessat; imò in furore Regem illum tunc fuisse ostendunt. Quæ ergo alia congruitas, ut sic mutaret, & transferret illius animam de furore in mansuetudinem nisi Dei omnipotentia, qua potenter, faciliter, & suaviter in instanti de uno actu in alium oppositum transfert magna cum libertate illius, qui ita ab uno contrario actu in alium transfertur, & transmutatur, sicut contigit in Rege illo?

213 Sed Leonardus Lessius ita prædictum locum interpretatur. *Convertere enim potest indignationem in lenitatem, vel sola obiecti propositione, obijciendo phantasiæ & menti rationes amandi, & ignoscendi, & ostendendo rationes indignandi fuisse falsas, vel injustas (novit enim divina sapientia, quibus rationibus propositis ad quid mens humana se inclinabit, in quos effectus sese inducet) vel ulterius affectum aliquem prævium voluntati imprimendo.* Igitur & supradictum scripturæ testimonium & omnia alia supra relata similia, quæ docent Deum humanam voluntatem convertere, & transferre quò vult, explicanda dicit & intelligenda author iste, vel ex sola obiecti propositione, vel ulterius affectus impressione sufficit ergo secundùm authorem hunc ad veram intelligentiam omnium prædictorum scripturæ testimoniorum, quod Deus sola propositione obiecti, absque eo quod nihil voluntati imprimat, cor hominis ad se convertat, ipsum quò vult transferat, & in corde hominis operetur & velle. Cum autem idem omnino sit obiecti propositio, & lex atque doctrina (ut *in fine 2. libri* satis ostendimus, & passim supra in hoc quarto, imò id expressis verbis alius ejusdem familiæ affirmet, ut supra clarius retulimus) fit consequens quod iste author per solam legem, atque doctrinam dicat Deum operari in cordibus hominum bonas eorum voluntates, quæ est ipsissima sententia in Pelagio & aliis damnata. Sed consequenter loquitur author iste ad illud quod supra ex ipso relatum & impugnatum est, posse videlicet consistere efficacem gratiam in sola cogitatione supernaturali facta congrua per illam præscientiam; semper enim & ipse, & alij hujus congruæ vocationis defensores in hac sententia perseverant, quod sufficiat obiecti propositio, non attendentes quod alibi ipsa veritate convicti fatentur, solam obiecti propositionem legem esse, atque doctrinam, non veram gratiam.

Eodem modo per solam obiecti propositio- 214
nem, seu legem atque doctrinam exponunt illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui filij Dei sunt Spiritu Dei aguntur*, quod videlicet aguntur sola obiecti propositione, nec enim maiorem energiam habet verbum agi, quam verbum, vertere, convertere, transferre: si ergo ista de sola obiecti propositione verificantur, & illud aliud, scilicet, agi Spiritu Dei, & quodlibet simile scripturæ testimonium, imò omnia quæ Dei veram operationem docent in cordibus hominum intelligentur de sola obiecti propositione, & ex consequenti omnia explicari commodè poterunt de sola lege, atque doctrina. Quod si sic est sententia damnata Pelagij iterum sustinetur, & ruūt omnia quæ per summos Pontifices, Concilia, & Patres in illius dānatione diffinita sunt.

CAPVT XVII.

Eadem vera gratiæ efficacia ex Deo proveniens, quæ liberum movet arbitrium, ex aliis scripturæ sacræ testimoniis comprobatur.

ACcedit quod hoc affirmare est asserere uni- 215
versam scripturam nunquam propriè loquutam fuisse in omnibus locis, quæ planè ferè infinita sunt, quibus docet Deum operari intùs in cordibus hominum bonas voluntates; sed semper in sensu metaphorico, ut ipsi dicunt, qui improprijssimus est, sermonem faciat. Quod à nullo Theologorum poterit affirmari. Dicant enim nobis, si voluisset scriptura tradere veram & propriam, ac efficacem Dei motionem, qua Deus agit in cordibus hominum, ad immutandas illorum voluntates; quibus aliis efficacioribus verbis id poterat explicare; quam dicendo Deum operari in nobis velle, Deum cor Regis vertere quocumque vult, cor hominum transferre de uno in aliud, aperire cor hominum facere ut faciamus, & similia planè nec urgentiora nunc adhiberi possunt ad id explicandum. Credendum ergo magis est verbis scripturæ, quæ non patiuntur hanc quam dicunt vocationem congruam; credendum magis diffinitionibus summorum Pontificum, & Conciliorum, quæ illa verificari de sola obiecti propositione, sive lege atque Doctrina in illis prioribus damnarunt. Credendum magis sancto Patri Augustino, qui supradictum testimonium exponit de vera, ac propria efficiente efficacia, & motione divina, quàm his authoribus qui ea commodè posse explicari de sola obiecti propositione contendunt. Verba sancti Patris Augustini sunt. *Non se itaque fallant, qui dicunt, ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum; si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis, sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant, non ut ipsi nihil agant.* Cum enim illorum nunc relata oppositio, & quærimonia contra solam efficaciam prævenientis gratiæ, qua Deus operatur in nobis velle, procedat, ex qua malè inferebant se illa posita non liberè agere, &

ex

Digitized by Google

ex consequentis eis præcipiendum & prædicandum non esse, ut bene operentur: (quam quærimoniam & obiectionem in terminis ab his autoribus audimus fræquentissime opponi) sanctus Pater Augustinus utroque revincit, & ea Dei efficaci, & antecedente motione non tolli quod homines liberè agant, clarius ostendit relatis verbis, & qui filij Dei sunt, spiritu Dei verè agi, ut agant manifestat. Penetretur illorum obiectio, & responsio sancti Patris Augustini, & luce clarius constabit ipsum efficaciam prævenientis divinæ gratiæ in solo Deo efficacem docuisse, illam ex scriptura probasse, & confundere eos, qui ex illa inferunt tolli, vel impediri quod homines liberè agant. Non enim obiectioni illorum respondet, quod non operetur Deus in nobis illa sua efficaci prævenienti operatione, contra quam solam infremebant; & ex qua impediri nostram libertatem publicabant. Non, inquam, hoc eis respondet, sed potiùs confirmans, & ex scriptura probans Deum operari in nobis *velle* illa sua potenti, & efficaci gratia præveniente, illos redarguit, quod pessimè ex illa inferant, homines non liberè agere, dicens, quod qui filij Dei sunt, ita efficaciter aguntur à Deo, ut ipsi liberè agant, quia aguntur efficaciter ut agant, non ut ipsi nihil agant.

216 Quo etiam testimonio sanctus Pater Augustinus utitur *libro de gestis Pelagij* contra adversarios gratiæ nuper excusso; in illo enim *cap.* 14. ad probandum contra Pelagium hominem non propria voluntate regi, sed à Deo regi debere sic dixit: *Nam procul dubio, plus est agi, quam regi, qui cum regitur aliquid agit, & à Deo regitur ut recte agat, qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur, & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui malè agere non potest: & hoc cum fecerit, ab illo ut faceret ad vitam non dubitet, cui dicitur in Psalmo, Deus meus misericordia eius præveniet me.*

217 Duo alià testimonia *Rom.* 8. *ac* 1. *Corinth.* in quorum primo habetur quod spiritus sanctus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, in altero, quod non sunt sancti, qui loquuntur, sed spiritus Patris eorum qui loquitur in eis, sic sanctus Pater Augustinus exponit *Epist.* 105. Cuius vel sola expressio, & expositio huius efficaciæ gratiæ erit manifesta probatio. *Quid est autem*, inquit, *interpellat, nisi interpellare nos facit. Indigentis enim certissimum indicium est, interpellare gemitibus; nullius autem rei esse indigentem fas est credere spiritum sanctum: sed ita dictum est interpellat quia interpellare nos facit; nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio, non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis; neque enim hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur quod ut faciamus facit*, Magnam emphasim ista verba habent, *adiutorium spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit*, quasi clarius dicat, nihil est in operatione nostra quod à spiritu sancto non fiat in nobis, nihil libertatis in actione, quam ex adiutorio spiritus sancti non habeamus, & ideo sic expressum est, adiutorium spiritus sancti in scriptura, ut ipse dicatur facere quod facit, ut nos faciamus, si enim aliqua ratione, vel libertatis, vel alterius rei esset in actione nostra, quæ ab adiutorio spiritus sancti non fieret, non diceretur spiritus sanctus facere actionem nostram, ut est satis clarum.

Deinde sic expressum est adiutorium spiritus 218
sancti; ut ipse facere dicatur quod facit ut faciamus: sic, inquam, expressum est, ut intelligamus, quod sicut nos efficaciter operamur nostras operationes, & illas verè efficienter & activè propriè efficimus, non moraliter solum, metaphoricè, & impropriè: ita Deus dicitur illas nostras operationes efficere faciendo nos illas facere efficaciter, etiam verè efficienter, & activè propriè, & non solùm metaphoricè, seu proponendo obiectum tantùm.

Nec dubium quin celebre in hac materia sit 219
illud Apostoli 1. ad chorint. cap. 4. *Quid habes quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Adiuncta authoritate Cypriani sæpius à sancto Patre Augustino celebrata. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Quo testimonio adiuncta utriusque doctoris explicatione efficacissimè tota illa machina congruæ vocationis prosternitur. Etenim per illam (quod & illius defensores concedunt) aliqua ratio illaque potissima est in actu libero nostro, quæ à Deo non efficiatur, nisi tantùm sicut à dante possibilitatem, ad illamque suadente, ut si velit, operetur; à libero autem arbitrio verè fiat in exercitio, non alia ratione nisi quia ipsum arbitrium vult, ut sæpe in hoc libro, & prioribus fuit demonstratum supra. Dicto testimonio concordat illud Iacobi in sua Canonica. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre Luminum.* Omne, inquam, nihil in bono actu nostro exceptum, nec determinatio bona ad illum, nec applicatio, qua se liberum applicat arbitrium, nec aliqua ratio libertatis in actu ipso reperta, quæ à Deo nobis non tribuatur.

Insigne tandem illud *Ioan.* 18. quod Christus 220
Dominus discipulis dixit, *Ego sum vitis, vos palmites.* Et iterum. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me maseritis.* Quem locum exponens Concilium Arausi. *cap.* 24. & illo vtens ad probandum virtutem, & efficaciam ex Deo ipso provenientem, sic ait; *Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale subministret eis, non sumat ab eis, ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo discipulis prodest, & non Christo.* Quid clarius exprimi potuit pro efficacia & virtute divinæ gratiæ in liberum arbitrium? nam sicut palmites ferre fructum non valent nisi habeant virtutem à vite communicatam; ita nec liberum arbitrium, nisi in se habeat virtutem, & efficaciam sibi à vite Christo communicatam, nihil omnino operabitur. Vnde ex prædicta similitudine, concludit Christus, *Sine me nihil potestis facere.* Quomodo ergo poterit liberum arbitrium, ex sua innata libertate gratiam Christi efficacem reddere, & hoc palmes viti Christo præstare, seu communicare? Quis non videat hoc apertè contra prædictum non dico Concilium, sed Christi Domini testimonium militare?

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

Exponitur locus Apostoli ad Romanos cap. 9. Non est volentis, nec currentis sed Dei miserentis, *& ipso efficacia gratiæ divinæ prævenientis demonstratur.*

221 APostolus *in Epistola ad Romanos cap.* 9. veram efficaciam prævenientis gratiæ, quæ totum quod bonum habemus, in nobis efficit, & sine qua nullo modo se homo movet ad benè volendum, & benè operandum, illis verbis expressit: *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis.* Cuius planum sensum ad illum locum S. Thomas exponit, & *lib.* 3. *cont. gent. cap.* 149. sic dicens. *Non est volentis scilicet velle, nec currentis scilicet currere, sed miserentis Dei, quia scilicet oportet quod ad bene volendum & operandum homo divino præveniatur auxilio, sicut consuetum est, quod effectus aliquis non attribuitur proximo operanti, sed primo moventi, attribuitur enim victoria duci, qua labore militum perpetratur. Non ergo per huiusmodi verba, excluditur liberum voluntatis arbitrium, sicut quidam malè intellexerunt, quasi homo non sit Dominus suorum actuum interiorum & exteriorum, sed ostenditur Deo esse subjectum.* Hæc Sanctus Thomas. Quam subiectionem liberi arbitrij ad Deum si hi authores confiterentur nec vellent arbitrium suum liberum à Dei dominio esse liberum, & exemptum, controversia cessaret: & hoc Apostoli testimonium cum Angelico Doctore in vera intelligentia susciperent; sed quia id renuunt confiteri, ideò recurrunt ad extortas, & peregrinas hujus loci explicationes.

Primò dicunt esse Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi & aliorum dicentium verba illa non
222 esse Pauli affirmantis, sed posita ex persona alicujus obijcientis. Verum falsum est id Sanctum Hieronymum docere. Quamvis enim talis explicatio habeatur in *Comment. Epistolæ ad Romanos*, quæ nomine sancti Hieronymi circumferuntur; illa tamen cõmentaria non Hieronimi esse, sed ipsius potius Pelagij clariùs ostendimus *libro nostro secundo* ex Doctoribus Lovanien sibus, Sixto Senensi, & Cardinali Bellarmino; & colligitur ex Sancto Patre Augustino. In operibus autem indubitatis Sancti Hieronymi omnino invenitur oppositum, vt patet ex *epistola ad Ctesiphontem, & Dialogis adversus Pelagianos*; Similiter nec illa explicatio Sancti Ambrosij est, tum quia etiam commentaria *in Epist. ad Romanos*, quæ Ambrosio tribuuntur, ipsius non sunt, ut *citato libro secundo* in citato capite probavimus; tum quia si Sancti Ambrosij sint, ibi totaliter contrarium affirmatur, ut legenti facilè patebit.

De Sancto Chrysostomo verum est, quod il-
223 lam expositionem primò apposuit, sed statim hæc verba subdit. *Propterea non dixit vasa rectè factorum, nec vasa fiduciæ, sed vasa misericordiæ, ostendens rem totam Dei esse, nam illud non volentis nec currentis, & si in obiectionis ordine ac loco dictum sit, tamen à Paulo dictum nullam affert dubitationem, cum enim dicit non volentis, neque currentis, libertatem non tollit, sed ostendit rem totam non illius esse, sed superna indigere gratia.* Quibus semel & iterum dicit verba illa non solùm in obiectione esse proposita, sed etiam à Paulo ex propria sententia fuisse prolata, concedente scilicet obiectionis verba, sed in verò sensu, non falso, quem opponens intendebat.

Secundam adhibent explicationem, dicentes, 224
ex Anastasio Niceno Apostolum ibi loqui de electione qua Iacob in primogenitura temporali præ Esau à Domino electus fuit, quæ electio nec fuit Iacob volentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Sed hæc interpretatio hic expugnanda non est, quia copiosè satis in nostro secundo libro impugnata manet, quia impugnat potissimum fundamentum prædestinationis sanctorum, quam Apostolus ibi tradit.

Tertiam deinde opponunt, asserentes illis ver- 225
bis loquutum de divina electione, & prædestinatione ad gloriam; quæ licet, ut dicunt, reipsa, & in executione hominis voluntatis sit, converti, consentiendo divinæ vocationi cum Dei adiutorio, tamen quod Deus præparaverit homini vocationem talem eo modo, qui illi congruebat, hoc non fuit hominis volentis, nec currentis, sed Dei miserentis.

Sed ista expositio in uno vera est, in aliis 226
duobus valde falsa; verum quidem est agere ibi Apostolum de electione, & prædestinatione ad gloriam; falsum verò illam electionem, atque prædestinationem fieri per illam præparationem, & prædestinationem illius congruæ vocationis, secundùm illam præscientiam, ut copiosissimè dedimus manifestum secundo nostro libro. Similiter falsum est, quod non loquatur etiam de gratia in tempore hominibus data, ex cuius efficacia homo convertitur; & sine qua non est volentis, nec currentis, velle & currere; Quia sicut in illis prioribus verbis, *antequam quidquid boni, vel mali egissent*, loquitur Apostolus de electione, atque prædestinatione ad gloriam. Ita in illis subiunctis, *Non est volentis, nec currentis*, descendit ad gratiam qua in executione homo convertitur; & explicans illius efficaciam, à qua sicut à prima radice tota hominis conversio dependet, illa verba protulit, *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, ut perpetuò Patres intellexerunt, ut statim dicemus.

Et per hoc excluditur alia oppositio quæ ab 227
his authoribus fieri consuevit, quod nimirum si illa verba de efficaci Dei gratia procedant, etiam convincerent idem esse de volente & currente ad actionem peccati, quod illius non esset, sed Dei miserentis: Ad quam, vel ex ipsorum in hac tertia expositione facilè patet responsio non procedere illa verba de efficaci motione ad actionem peccati nec ad substantiam actus peccaminosi: cum illis verbis Apostolus tantum de electione, & prædestinatione ad gloriam & de effectu illius, qui gratia efficax est, loquatur; non generaliter de omni præmotione Dei, quæ etiam se extendit ad actionem, quæ est in peccato, quatenus præcisè actio est, de qua satis abundè in *nostro 3. libro* disputavimus.

Quartam expositionem superaddunt huiusmodi 228
verbis. *Insignis est locus ille apud Gregorium Nazianzenum oratione* 31. *vbi tractans illud Pauli, non est volentis, nec currentis, ita exponit, id est, non solùm volentis, nec currentis solum; quia licet ipsum velle nostrum sit, non tamen sine Deo opitulante, & adiuvante & principaliter operante.* Quam expositionem dicunt esse Chrysostomi; Theophilacti, Inò Augustini *lib. quæst in Exod. quæst.* 161. *& de spiritu & littera cap.* 20. In quibus verbis Nazianzenus non intelligit gratiam Dei & liberum arbitrium causas partiales esse; itaut non solùm voluntas partialiter concurrat;

Digitized by Google

rat; sed etiam gratia partialiter: hoc enim non intendisse constat; cum dicit nostrum velle esse principaliter à Deo opitulante atque adiuvante, adiuvantemque præveniendo & præparando voluntatem efficaciter ut velit. Vnde nihil ex illius verbis contra divinæ gratiæ prævenientem efficacitatem concludi potest. Quod si authores cum quibus agimus prætendunt Nazianzenum in citatis verbis illorum contra divinæ gratiæ efficaciam tradidisse doctrinam; Quam insignis sit illa Nazianzeni prætensa explicatio, pluribus locis S. P. Augustinus declarat, dum illam expugnans ostendit esse apertè contra Apostoli verba & intentionem sic dicens in Enchir. cap. 32. *Quomodo ergo non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est à Domino præparatur? alioquin si propterea dictum est, non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit id est ex voluntate hominis & misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, non volentis nec currentis, sed miserentis est dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis si non sit etiam misericordia Dei, non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis, ac per hoc si rectè dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet. Cur non è contrario rectè dicitur, non miserentis est, Dei, sed volentis, est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, nè Apostolo apertissimè contradicat, restat, ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei ut totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuvandam, & adiuvat præparatam:* In libro autem de grat. & liber. arb. cap. 7. ita ait. *Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei qua sententia nullo modo potest etiam sic converti, ut dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis; quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte se ostendit Apostolo contradicere.*

229 Parique ratione *epist.* 106. *in fine* sic exponit. *Quomodo ergo quod Deus iubet, sine adiutorio ipsius vel difficilè impletur, cum si Dominus non adificet, in vanum adificans laborasse dicatur? neque scriptum sit, est quidem volentis atque currentis facilius autem miserentis Dei: Sed scriptum sit non volentis neque currentis sed miserentis est Dei nõ quia nullus est hominis atque volũtatis cursus sed quia nihil potest nisi ille misereatur.* Licet igitur non sit illa prætensa Nazianzeni explicatio; nec ipsam intenderet, non tamen ita clarè se explicuit, quippe qui ante exortã hæresim Semipelagianã scripserit; sicut Sanctus Pater Augustinus, cuius doctrinam contra Pelagianos (quam ex citato Apostoli testimonio, & aliis scripturæ locis desumpserat) suam, dum eam approbavit, fecit Ecclesia: cuius proinde expositioni standum firmiter est. Nam præter huius Sancti Doctoris magnam authoritatem, & in his materiis supremam, ob rationem factam; ratio illius illam esse Apostoli intentionem & mentem clarè convincit hæc Sanctus Doctor Augustinus utroque citato loco per illum authorem oppositum dicit in primo enim dicitur quod ex utroque dictum est, Deo scilicet & hominibus nam homines facere debent, quod iubent, & Deus facit, cum facientes adiuvat, adiutorio scilicet prævenienti efficaci, ut semper exposuit. Nec verbum illud, ex utroque aliquid premit, quia ex utroque dixit Augustinus fieri opus, non sicut ex partialibus agentibus, sed sicut ex proximo operanti subordinato & subiecto priori operanti, & à principio huius capitis ex Sancto Thoma explicatum est; similiter: quod dicit de spiritu & littera quod accipere & habere voluntatis est; verum est quod id est voluntatis, sed efficaciter à Deo adjutæ, ita ut totum Deo detur sicut primo moventi.

Sed minùs ad hæc attendens citatus author qui 230
Nazianzenum induxit, videns illius explicationem per Sanctum Doctorem Augustinum modo prædicto esse rejectam: quia illa Nazianzeni sibi placet, & illi suæ congruæ vocationi congruit; ac illi doctrinæ, quæ Deum, & arbitrium causas partiales constituit: illa autem, quæ modò ex Sancto Augustino allata est, eius doctrinam funditus evertit, & veram efficaciam prævenientis gratiæ fundat & tradit: ad expositionem Augustini, sic ait: *Ad hoc tamen responderet Nazianzenus, non esse parem rationem, quia licet homo aliquid conferat ac operetur cum benè vult & currit, Deus tamen est, qui principales partes confert propter eius misericordiam, & velle atque currere tribuit, & homini attribuitur:* veruntamen nec Nazianzenus illud respondere posset, nec aliquis potest, quia ratio Sancti Doctoris Augustini, etiam militat, quamvis ponatur Deus habere principales partes, si Deo totum non datur. Licet enim admittatur Deum principales partes habere, constat quod possit dici, non miserentis est Dei, sed volentis hominis; quia illæ principales partes non sufficiunt, nisi homo suas etiam ex se ipso adhibeat, ut patere potest in quibuscunque duobus partialiter ad aliquod opus concurrentibus, quamvis alter principaliùs ibi operetur. Manifestum est enim quod sicut de uno, ita & de altero potest dici, quod alter solus non sufficiat, nisi alter concurrat.

His ergo peregrinis expositionibus per Sanctos 231
Patres reiectis, quæ illi Apostolico testimonio minùs conveniunt, fixum manet (ut ex Sancto Thoma & Sancto Patre Augustino ostensum fuit) Apostolum illis verbis; *Non volentis*, nec *currentis, sed Dei miserentis.* Id apertius docere quod littera sonat, videlicet non esse volentis velle, nec currentis currere, nec id esse in hominis potestate, nisi Deus suâ misericordia, & efficacia faciat hominem benè velle, & currere.

Quod ista sit Apostoli mens & intentio satis ostendit primò litteræ contextus, in quo manifestè docet Deum sine prævisis operibus actualibus, bonis, vel malis, quibus Iacob & in illo electi prædestinantur: & Esaü, & per illum intellecti mali reprobantur? prædestinasse Iacob & quos eligere voluit: & reprobasse Esaü, & quos reprobare constituit. Quo stabilito & fundato principio ex ipso deduxit illam conclusionem: *Igitur cuius vult misereatur, & quem vult indurat.* Et rursus illam aliam: *Igitur non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis.* Quæ illata conclusio ex illo relato principio apertissimè procedit de efficaci Dei volũtate miserente, & suâ misericordiâ efficaciter faciente quod homo benè velit & currat sicut principium. Ex quo infertur clarè quod de voluntate Dei volente efficaciter prædestinare sine prævisis operibus bonis procedebat. Quomodocunque enim aliter illa conclusio intelligatur & explicetur, illi principio ex quo deducitur non conveniret sed potius illi adversaretur.

Secundò id ostendit apertius argumentum quod 232
statim Apostolus adversùs se ipsum & suam doctrinam traditam in prædictis verbis opposuit; quòd

Digitized by Google

quòd nimirum nulla ratione opponi poterat, nisi contra Dei efficacem misericordiam, qua divina voluntas quorum vult misereri, efficaciter ad benè volendum & currendum movet. Sic enim illico obiecit: *Quid ergo queritur, voluntati eius quis resistit?* Quis hìc non videat hanc obiectionem solùm posse militare contra Dei efficacem voluntatem quæ efficaciter aliquos movet ad benè volendum & currendum, cui proinde nullus resistit, nec resistere potest, relictis aliis quibus talis efficax gratia non datur. Planè frivola esset oppositio, quod absit dicere, si non procederet contra solam efficacem Dei gratiam, & misericordiam aliquibus datam, & aliis denegatam.

233 Sed adversùs hanc ab Apostolo fundatam & stabilitam doctrinam cum magna apparentia argumentum instare videtur; & in illo se homines in apparentia videntur excusare posse, si non benè volunt & currunt. Si enim aliquibus datur efficax Dei misericordia & gratia, quâ Deus eos facit benè velle & currere, & si aliis non datur, & sine illa non est in potestate hominis se actualiter movere ad benè volendum & currendum, apparet quod possint isti Deo dicere, *Quid ergo queritur?* Id est, quid Deus de nobis conqueritur, si non benè volumus, & currimus, quia voluntati eius, nempè efficaci, nemo potest resistere; sed illa nobis denegatur, nec sine illa aliquid boni efficere possumus: ergò non videtur quod justè Deus conqueratur de nobis, vel justè nobis peccatum imputetur, quod vitare non possumus sine illa Dei efficaci gratia, & misericordia, quæ nobis non datur. Nunquid non est manifestum hanc oppositionem solùm adversùs Dei efficacem voluntatem procedere, quâ Deus quorum vult efficaciter misereatur. Igitur manifestum est hanc efficacem Dei misericordiam & gratiam ex efficaci ipsius voluntate provenientem in illis verbis Apostolum tradidisse: *Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis.* Quomodo autem hanc obiectionem adversùs se oppositam Apostolus solverit, dictum est *primo libro.*

234 Primò namque respondet, quod plurimis ob peccatum originale saltem gratia necessaria ad de facto benè operandum negatur. Vnde justè eis imputatur quod ex prava sua voluntate deficiant, quæ sola sæpissimè à Sancto Patre Augustino, & Sancto Thoma adhibita explicatur. Respondet secundò quod omni in universum homini, etiam primo parenti imputatur peccatum, licet donum, quo de facto perseveraverit, non habuerit: quia homo cum creatura sit, & ex nihilo factus, essentialiter est defectibilis, nec ei Deus debet, quod cum suâ gratiâ confirmet, vel statuat ne cadat; Imò potius hoc ei debetur, quod permittatur deficere, quia ad divinam providentiam attinet, ut defectibiles causas, quod eis proprium est, deficere permittat, Vnde cum Deus negat efficax gratiæ auxilium eâ sola ratione qua homini est indebitum; quod iustissimè fit; & ipse homo ex sua defectibilitate deficit, meritò ei imputatur ad culpam quod deficiat: nec de alio quam de sua propria connaturali miseria conqueri potest, quia tunc ei datur quod suum est.

235 Tertiò dicitur quod primo parenti & hominibus iustificatis Deus dat auxilium quo possint in bono perseverare, & in illius collatione offert efficax: & quia ipsi ex defectu suo illi resistunt, ideo illud non accipiunt. Vnde illis imputari debet, quod ipsum non habeant, & ex consequenti, quod ipso defficiente defficiant. Si enim ipsi non resisterent, Deus, sicut incepit dando sufficiens auxilium, perficeret tribuendo efficax. Potest quartò & ultimò dici, quod & in superioribus dictum meminimus, quod auxilium sufficiens datum primo parenti ad perseverandum non fuit vlteriùs factum efficax, quia impedimentum invenit ex parte ipsius hominis, etiam ante actum resistendi, nempè naturam hominis defectibilem, & naturam aptam natam deficere; sive radicalem quandam inadvertentiam, quâ nata est in arduis non advertere, nisi amplius dirigatur à Deo, & propter hanc defectibilitatem Deus, qui incepit dare auxilium sufficiens, non dat efficax, quod minimè debetur: sed permittit defectibilem naturam deficere. Vnde illa defectibilitas ex se impedimentum ponit aliquo modo auxilio sufficienti: Et propter illam sufficiens auxilium omnibus, quibus negatur, denegatum est. In omnibus ergo his solutionibus simul, & ex qualibet seorsum constat, quod semper auxilium efficax negatur homini propter illius culpam; ut semper verum habeat illud, *perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum.*

Similiter ad illud aliud argumentum, quod 236
nimirum per efficaciam Dei voluntatem, & efficax gratiæ auxilium quod ex illa provenit, & in virtute illius operatur, tollatur, vel impediatur libertas: idem Apostolus respondet quod potiùs confirmatur, dicendo, *O homo tu quis es?* Ac si dicat, cum tu sis creatura, & omnis creatura essentialiter in operari, sicut in conservari à creatore dependeat, sicut omnis secunda causa à prima, à qua nisi moveatur non se movet, quomodo ex ista subordinatione essentiali creaturæ ad creatorem tollitur creata libertas, cum potiùs sine tali efficaci Dei motione non stet, nec stare possit, quod de facto homo benè sua utatur libertate imo ut citatis locis ex sancto Thoma ostensum est eisdem prorsus verbis, quibus Apostolus opponit argumentum, diluit, quia ex hoc ipso quod nihil divinæ voluntati resistit, nec ei resistere potest, potius sequitur; quod homo liberè operetur: quia divina efficax voluntas suo efficaci auxilio, & vult quod homo infallibiliter operetur & liberè operetur. Vnde si homo non liberè operaretur, voluntati divinæ, cui nullus resistit, ipse resisteret. Sed ista dicta sint compendio brevissimo, quia sæpè explicata sunt in his operibus copiosè.

CAPVT XIX.

Exponitur illud Ioan. testimonium cap. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, *& eo gratiæ divinæ efficacia demonstratur.*

QVidam ex authoribus his, cum quibus ista 237
tractamus, illo Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Asserunt Manichæos usos fuisse ad negandam libertatem arbitrij, quia tractio in proprietate & rigore sermonis, ac prima impositione localem motum, imò violentum significare videtur; unde ut ipsi à Manichæis longiùs distent, illud testimonium de morali attractione interpretantur, dicentes Patrem ad filium suasione tantum trahere. Quod probant, quia in scriptura, sicut Deus dicitur trahere ad bonum, ita dæmon ad malum Apocal. 12. *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum* non physica prædeterminatione, sed

suasione

Digitized by Google

ſuaſione. Et Oſeæ cap. 11. *In funiculis Adam traham eos*; Id eſt, beneficiis, quibus ligari ſolent homines ſic etiam Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Hoc enim ultimum teſtimonium inter alias oppoſitiones hâc propriâ explicandum videtur, ut ſicut Chriſtus omnes illuminat paſſione ſua, ita quantum eſt de ſe ſufficienter omnes trahat ad ſe ipſum. In quibus proinde locis verbum, *trahere*, moralem illam tractionem, quæ ſuaſione fit, importat: ergo pari ratione in illo alio primo teſtimonio illam, non aliam ſonabit.

237 Sed author iſte, ut de alio inſuperioribus prænotavimus, incidit in Syllam cupiens vitare Caribdim: dum enim violentam illam tractionem à Manichæo & aliis hæreticis prætenſam cavere procurat, de quo laudandus eſt ſine dubio; ad alium extremum errorem divertit incautus prædictum teſtimonium de ſuaſionibus internis, ſicut Pelagiani fecerunt, interpretando: cum utrumque pariter & æqualiter evitare debuiſſet, & per ſecuram viam regiam incedere, ac cum ſancto Patre Auguſtino, & Patribus illud exponere & intelligere de efficaci Dei tractione qua ita pater trahit ad filium quos vult, ut eos efficaciter & cum effectu ad filium, & magnâ cum eorum libertate trahat, hac ſua efficaci & ſuavi tractione faciens ut ipſi infaillibiliter ad filium veniant, & magnâ cum ſua libertate veniant. Itaque triplex tractio eſt, violenta alia, ſuaſoria alia, tertia media efficax & ſuavis. Priores duæ, quia extremæ omnino fugiendæ ſunt; tertia media ſecura & vera eſt, à Catholicis defendenda.

238 Et quidem quod illud teſtimonium, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; Similiter & illud Cant. 1. *Trahe me poſt te, curremus &c.* non poſſit intelligi de tractione quam vocant congruam, alius eiuſdem doctrinæ defenſor, qui vltimò ſcripſit, expreſſis verbis fatetur, & reipſa priorem de illa ſua morali & congrua tractione reprehendit. Exponens enim illud *trahe me poſt te, curremus &c.* & idem dicit de illo, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, Ita dicit: *poſſet etiam exponi de tractu quem vocant congruum, ſed non videtur ad mentem ſcripturæ.* Ecce quam patenter reiicit illam congruam vocationem quam alij introducunt; ut per illam dicant Deum trahere ad ſe homines. Vnde quod defenſor tractionis congruæ illam probare nititur ex illo Apocal. 12. *Draco trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum*; ſuaſione, nihil penitus probat, quia dæmon aliter trahere nequit niſi ſuaſione & incitatione externa, quia intùs in corde operari nequit. At Deus intus in anima operatur efficaciter, illamque ſua virtute effectivè quò vult, trahit. Sed ille author perſeverat in eo quod dixerat, non aliter Deum trahere ad bonum, quam diabolus ad malum, quod à viro Catholico quomodo ſit dictum non video, cum debeat confiteri dæmonem intra animam operari non poſſe; ſed ſolum Deum ſic intra animam operari, & poteſtatem habere ſupra liberas hominum voluntates, quod dæmoni repugnat. Illud autem *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: intelligendum de efficaci operatione, quâ Deus in nobis infundit charitatem, ſanctus Thomas exponit ſuper *cap. 6. Ioan. lect. 5.* Illud autem, *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* non intelligitur de gratia ſufficiente, ut ille author intelligit, ſed de efficaci tractione, quâ omnia, quæ voluit, ſua paſſione efficaciter adimpleuit.

Reiecta ergo huius authoris attractione con- 239
grua per alium eiuſdem familiæ, ut ipſe ad mentem ſcriptura illam tractionem exponeret, eam explicat de tractione, qua homines, ſi velint, poſſunt ad Deum venire, ſic enim ait: *Eccleſia enim deſiderans imitari Chriſtum, flagitat gratiam ut id poſſit perficere*, & poſt pauca. *Simili modo illis verbis, trahe me, ſignificatur plurimos per illum tractum imitaturos Chriſtum & omnes per illum poſſe, ſi velint.* Itaque hanc explicationem reputat ipſe ad mentem ſcripturæ eſſe ut Deus trahat dando tantùm poſſibilitatem, qua homines, ſi velint, ad Chriſtum poſſint venire, non autem ita trahendo, ut ipſum det velle & operari. Sed profectò melius dixiſſet ad mentem illius eſſe, quem ſanctus Pater Auguſtinus per totum librum de gratia Chriſti impugnat, quòd poſſe tribueret ex Deo, non ipſum velle & operari: ut in toto illo eſt apertiſſimum & ad mentem Origenis, relati à ſancto Thoma 3. *contra gent. cap.* 89. & ibi per aperta ſcripturæ teſtimonia, per ſanctum Thomam evidenter impugnati, ut iam in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Vterque igitur author ad mentem ſcripturæ non loquitur, ſed ad mentem eorum, imo aperte illorum ſiniſtram expoſitionem ſequuntur: qui errando illud ſcripturæ teſtimonium, ſicut & alia ſimilia de tractu dante poſſibilitatem tantùm veniendi, vel de tractu per illam Congruam vocationem prius expoſuerunt. Vnde adverſus omnes ſanctus Pater Auguſtinus ita exponit: *lib.* 10. *ad Bonifacium cap.* 19.

Quam multi inimici Chriſti quotidie ſubito Dei occulta gratia trahuntur ad Chriſtum quod verbum ſi non ex Evangelio poſuiſſem quanta de me propter hoc iſte dixiſſet, cum etiam nunc obluctetur non mihi ſed illi, qui clamat, nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum; non enim ait duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi iam volebat & tamen nemo venit, niſi velit, trahitur ergo miris modis ut velit ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. 240

Qui exponunt de poſſibilitate tractionis vel de 241
longa vocatione, id apertè concedunt, quod & excitans gratia trahit, quia prius homo eam volebat, faciendo ſcilicet ex naturæ viribus totum quod poteſt. Similiter illa excitando ad vlteriorem effectum trahit de facto, quia homo illi ex ſe conſentire vult: ſed illis dicit ſanctus Pater Auguſtinus & nos cum illo: *Quis trahitur ſi iam volebat?* Igitur efficaci ſua gratia trahit Pater ad filium faciendo ex volente nolentem, itaut ideo ad Chriſtum veniat homo libenter & liberè, quia à patre trahitur. De quo etiam teſtimonio videatur ſanctus Thomas ſuper *cap. 6. Ioan. ſect. 5.* Ita dicens. *Non ſolum revelatio exterior, vel obiectum virtutem trahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens & movens ad credendum ideo trahit multos pater æternus ad filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum.*

Verum inſtat Leonardus Leſſius *citato loco* 242
quod ſi tantùm illi trahantur, qui efficaci tractione præparantur: ergo nemo trahitur à Deo, niſi qui de facto conſentit: atqui nemo ſine tractu Dei poteſt ſequi, iuxta prædictum teſtimonium, *nemo poteſt venire niſi pater meus traxerit*: ergo nemo poteſt conſentire Deo niſi qui conſentit, quod eſt contra ſanam doctrinam. Propter hoc ar-

Digitized by Google

mentum ipse expositionem illam elegit, quæ de possibilitate tractionis dicta est, quia vidit quod in citato testimonio non dicitur: *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*, sed dicitur, *Nemo potest venire*; & sic exposuit tractum tantum de dante hanc possibilitatem ad veniendum: sed non advertit, quod verbum, *potest venire*, in citato loco compositè sumitur; in hoc videlicet sensu, fieri non potest ut quis veniat ad me, nisi pater meus traxerit eum: & sic de tractu efficaci, quo quis de facto venit, & sine quo fieri non potest ut veniat, procedit testimonium, licet sine illo efficaci tractu per auxilium sufficiens seu excitantem gratiam, potentiam quis habeat ut veniat, si velit.

244 Simile est illud aliud dictum Christi Domini: *Sine me nihil potestis facere*: in quo efficax præveniens gratia commendatur. Si enim sine Christo aliquid facere possemus: ergo sine divina ipsius gratia vellemus suasioni & excitationi eius consentire: Quapropter dicere posset in contraria sententia homo inflatus Christo Domino: sine te possum, imò de facto efficio consensum, quoties excitationi consentio & cum sic consentire sit potissimum pertinens ad salutem, inflatus diceret possum sine Deo aliquid ad salutem pertinens, & possum sine hoc facere, & cum effectu id ex mea sola libertate inchoando facio parique ratione illud Apostoli: *Quis enim te discernit*, apertissimè efficaciam divinæ gratiæ convincit; nisi respondeat homo inflatus, quia ex me inchoationem mei consensus facio, per illam me discerno ab alio: qui illam, sicut similiter inchoare potest, non inchoat.

245 De illo autem testimonio Ioan etiam 6. *omnis qui audivit à patre, & didicit, venit ad me*: & quomodo in illo tradatur non solùm ex Deo provenire possibilitatem veniendi per fidem ad Christum, sive revelationem & excitationem, quâ homo, si velit, venire potest, sed ipsa efficacia interioris auxilij gratiæ, quæ virtute sua facit, ut homo infallibiliter per fidem veniat ad Christum, Videatur Sanctus Pater Augustinus, qui egregiè, ut solet, illud exponit. Similiter illud aliud Evangelij, *Compelle illos intrare*: efficacissimè illam congruam & suasoriam vocationem reijcit. Expositores videantur, & ipsa efficacia vocabuli attendatur, & erit manifestum efficaciam compellentis seu impellentis monstrari sine coactione tamen, sed salvâ intrantis propriâ libertate.

246 Item illud Sapientiæ: *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, hanc efficaciam divinæ gratiæ fortiter omnia attingentem, & suaviter salvantem arbitrij libertatem satis ostendit. Ad hoc enim propositum intelligitur à D. Bernardo in *tractatu de gratia & lib. arb.* Et à Pio V. Pontifice maximo in catechismo sequenti capite inducendo. Illud etiam Ephes. 6. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius*: Hanc potentem virtutem gratiæ, per quam homines confortantur, ostendit. Exeat etiam insignis quidam locus *Hieremiæ* 30. *cap.* In quo ipse Dominus apertis verbis docet se hominem sibi applicare, nec hominem sine Deo ipsum sibi applicante posse se Deo applicare, verba sunt hæc: *Et erit dux eius ex eo, & princeps de medio eius producetur & applicabo eum, & accedet ad me, quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus?* Quomodo autem Deus applicat hominem sibi, nisi applicando ipsum ut sanctis inspirationibus consentiat, ut & justè atque sanctè operetur: applicat ergo Deus auxilium gratiæ suæ hominem sibi ipsi applicando ad bonis inspirationibus consentiendum, & ad justè sanctèque operandum: nec homo ipse sine Deo sic ipsum applicante, se aliquo modo applicare potest ad rectè consentiendum, justéque ac sanctè operandum. Vnde ipse Dominus, relatis verbis, inquit: *Quis est iste, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus?* Qui ergo isti sunt, qui modò contendunt hominem sine Deo ipsum applicante ad benè consentiendum per seipsum se movere, se determinare, & se applicare ad rectè consentiendum? Absque dubio si attendere velint ipsum dominium, sua illorum sententia relatis modò verbis apertissimè reprobatur.

Tandem nè per plurima scripturæ testimonia 247
nimis diffundamur, illud Apostoli, ad Ephe. 2. *ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Manifestè efficaciam divinæ gratiæ, quâ nos Deus creat in operibus nostris ostendit, & efficaciam à nostro libero arbitrio minimè dependentem, ad hanc enim dependentiam omnino excludendam usus fuit Apostolus verbo, creare, ut intelligamus, quod sicut virtus qua quis creatur, à creatura non pendet in efficacia sua, ita virtus qua Deus nos creat, in operibus bonis, à nobis in sua efficacia non pendet. Vnde Sanctus Pater Augustinus in *Enchirid. cap.* 32. Ita illum exponit. *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. Tunc ergo efficimur verè liberi, cum Deus nos fingit, id est formar & creat, non ut homines.* Quod iam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua facit. Vt simus in Christo Iesu, nova creatura, secundum quod dictum est. *Cor mundum crea in me Deus.* Neque enim cor eius, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam Deus creaverat, sed renovationem animæ demorantis in corde Propheta postulat. Videatur S. Fulgentius *de prædestinatione ad Moninum.* Et S. Prosper *prosa de ingratis* illis verbis:

Sed mutans mentem atque reformans
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Sed contra supradicta scripturæ testimonia; 248
quæ manifestè, ut visum est, efficaciam divinæ gratiæ, quâ Deus convertit & trahit ad se homines, illorumque voluntates de malis in bonas transfert, ipsas creando in operibus bonis, opponunt nobis alia eiusdem scripturæ testimonia, quæ etiam sine dubio sunt plurima; quibus passim nos esse liberi arbitrij edocemur, & habere in nostra potestate actiones nostras proindeque à Deo exhortari, ut benè viuamus, & rectè operemur. Quasi ista & alia nunc pro efficaci Dei gratia allata sibi contrarientur, aut adversari adinvicem possint; & non potiùs magnâ sibi concordiâ cohæreant. Vtrumque enim scriptura sæpissimè repetit, & efficaciam divinam, quâ Deus quocunque vult, nostrum inflectit arbitrium, & libertatem nostram, quâ nos subsequendo illam divinam efficaciam liberè cooperamur, quia ipsa efficacia divina (quod multoties exposuimus) & nos facit operari, & liberè ad modum proprium operari; quia est causa non solùm substantiæ actus, sed etiam omnis illiusmodi, & omnis eius libertatis. Vnde Sanctus Pater Augustinus hac intentione librum illum *de gratia & lib. arb.* composuit, & utraque testimonia, & illa quæ pro libero faciunt arbitrio: & quæ divinam efficaciam ad illud movendum

Digitized by Google

vendum prædicant, in vera concordia & intelligentia exponeret; ne sibi adversari aliqua ratione quis putaret. Et propterea postquam à principio illa proposuit; quæ liberum designant arbitrium, quasi huic oppositioni quæ modò fit, respondens, illamque solvens ita protinus subiungit: cap. 4. *Sed metuendum est ne ista omnia divina testimonia & quæcunque alia sunt, quæ sine dubitatione. sunt plurima in defensionem liberi arbitrij sic intelligantur ut ad vitam piam & bonam conversationem, cui merces externa debetur adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur, & audeat miser homo, quando benè vivit, & bene operatur: vel potius bene vivere & benè operari sibi videtur in se ipso non in Domino gloriari, & spem rectè vivendi in seipso ponere, ut sequatur eum maledictum Hieremiæ prophetæ dicentis, maledictus homo qui spem habet in homine & firmat carnem brachij sui.*

248 In hac ergo parte & materia pro vera concordia utrorumque locorum scripturæ, & illorum quibus prædicatur arbitrium, atque eorum quæ divinam efficaciam supra ipsum manifestant, observanda & memoria retinenda illa regula est, quam Sanctus Doctor Augustinus tradit *lib. 2. cap. 10. ad Bonif.* post multa concludens: *Quæ cum ita sint, nihil in scripturis sanctis homini à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci, propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Similiter illa alia, vel potiùs eadem ampliùs explicata à Sancto *Thoma 3. contra gent. cap. 90.* postquam enim illorum sententiam retulerat, qui electiones humanas, & voluntatis motus à divina providentia & causalitate subtrahebant, hæc verba continuò subnectit. *Videntur autem quædam in doctrina sacra secũdum prædictam sententiam sonare: dicitur enim Eccles. 15. Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij sui.* Et infra; *apposui tibi aquam & ignem ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur illi.* Deuter 30. *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è converso mortem & malum. Hæc autem verba ait, ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrij ostendantur; nonut eorum electiones à divina providentia subtrahantur.* Frustra ergo & sine fundamento contra efficaciam divinæ operationis & gratiæ, toties & tam efficacioribus verbis in scripturis prædicatam opponunt quidam temporibus istis liberi arbitrij libertatem, etiam multoties in divinis litteris expressam, quasi ista nostra libertas & scripturæ testimonia, quæ illam tradunt, divinæ primæ causalitati, divinæque gratiæ efficacitati, & testimoniis plurimis quæ illam commendant, adversentur, illique, & illis repugnent; & non potius eadem nostra libertas in scriptura tradita per efficaciam divinæ operationis & gratiæ in eadem Scriptura posita habeatur, tribuatur, & perficiatur; ut contra illos priores, qui hanc oppositionem obiecerunt Sancti Patres, Concilia, & Pontifices summi ex divinis scripturis firmarunt & definierunt.

249 Verum qui tot, & tam apertis scripturæ testimoniis non convincuntur; ut nobiscum pariter divinæ prævenientis gratiæ efficacem prædeterminationem fateantur, quid dicent ad illud quod ipse Christus Dominus proprio ore protulit de vocatis & introducendis ad æternam vitam, ad fidem & gratiam, & vim quandam explicans quâ in illam debent intrare; dixit, *Compelle eos intrare;* Annon strictius quid significat in hac materia verbum, *Compelle*, quam efficaciter inducere, seu physicè prædeterminare? Hoc planè nullus poterit negare. Num dicent per verbum, *Compelle eos intrare*, tolli illorum, qui sic intrare compelluntur, arbitrij libertatem? Absit. Quomodo ergo tollitur per efficacem prædeterminationem? similiter cum Ecclesia in quadã oratione secreta in missa Dominum deprecatur; *Et ad te nostras propitius compelle rebelles voluntates*, libertatem nostram aufert, aut impedit? Absit, inquam, quod quis per hæc; *Compelle eos intrare, & nostras rebelles ad te compelle voluntates*, nostram deperdi, aut lædi libertatem existimet. Si nos hæc diceremus, illisque in hac materia uteremur, & à Christo Domino Ecclesiaque dicta non essent, quoties contra nos isti protulissent, quod hominum libertatem tolleremus, tamen Christus Dominus & Ecclesia ipsum sequens, *compelle*, dixit, *eos intrare*, absque minima libertatis læsione: sed ad ostendendam divinæ gratiæ doctrinam, potentiam, & efficaciam supra liberas hominum voluntates, *compelle eos intrare* dixit: sic ad eandem Dei efficaciam defendendam physicè seu verè effectivè & efficaciter Deum humanas voluntates prædeterminare dicimus.

CAPVT XX.

Ex summis Pontificibus eadem prævenientis gratiæ efficacia comprobatur.

IN fronte primi libri plures decretales epistolas summorum Pontificum apposuimus, quibus veritas ista de prævenientis Dei gratiæ efficacia traditur & definitur, quæ iterum transcribendæ non sunt; sed ex ipsis ea potissimè, quæ pro re tanti momenti faciunt seligenda, & in ipsis epistolis iam ad longam inductis, considerandæ. 250

Ex summis igitur Pontificibus, qui magna cum laude, summo zelo, & fidei defensione & augmento ab adversarijs gratiæ divinæ potentiam & efficaciam supra hominis arbitrium liberum ad illud potenter & suaviter salva eius libertate movendum vindicarunt, & Ecclesiæ Catholicæ illibatam conservarunt, primus se offert Innocentius primus, qui & primus fuit in damnandis illis, qui adversùs efficaciam divinæ gratiæ primi superbum hominis extulerunt arbitrium. Is enim in epistola responsiva ad Concilium Carthaginense, quod ipsum certiorem fecerat de pestifera novitate Pelagij, atque Celestij divinæ gratiæ inimica, pro illius defensione ita Patribus illis rescripsit: *Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere quod liberum arbitrium cum nasceremur, accepimus, ultra iam à Domino nihil quæramus, id est authoris nostri obliti eius potentiam, ut nos ostendemus liberos, abiuremus.* Quomodo enim non abiurant Dei potentiam, ut se ostendant liberos, qui dicunt, quod non potest divina voluntas applicare suam omnipotentiam, ut efficaciter influat, ut secum ferat humanam voluntatem ac eam determinet ut simul in eundem actum influat, salvâ illius libertate? Procul dubio qui sic dicunt ut se liberos faciant, divinam abiurant potentiam, & nullam supra liberum hominis arbitrium, qua ratione liberum est, confitentur. Eos

Digitized by Google

potentiam divinam docet Pontifex summus abiurare, qui prætextu suæ salvandæ libertatis eam de medio tollunt; non dixit eos abiurare Dei præscientiam vel suasiones & excitationes eius moraliter invitantes, sed potentiam, quia alia admittentes solam Dei potentiam supra suum liberum arbitrium habere nolunt. Planè in hoc unico verbo Summus Pont. efficaciam divinæ gratiæ & potentiam eius apertissimè docuit, & contrariorum omnia relata feliciter peremit.

251 Idem in Epistola alia ad *Concilium Milevitanum adversùs eosdem, sic ait. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt quam cum adiutoria divina cassarent, causamque quotidianæ precationis auferrent.* Quæ adiutoria dicit illos causasse, nisi illa, quæ ex Dei potentia, quam obiuraverant, veniunt, quibusque ipsa Dei potentia in libero arbitrio operatur, & quo vult potenter inclinat? sed ante illum & ante exortam hæresim Pelagianam Anicetus Papa sub anno 165. non solùm excitantem, sed verè adiuvantem gratiam docuit in Epistola 1. Decretali ad episcopos Galliæ sub his verbis: *Bonorum operum & spiritualium studiorum Deum authorem esse, non dubium est; qui bonorum hominum incitat mentes & adiuvat actiones.* Cuius planus est sensus, quod excitat mentes, ut benè velint, & adiuvat ut benè agant: hoc enim intelligit cùm dicit, quod adiuvat actiones: id est adiuvat ad agendum, secundùm illud quod in Paulo legerat, *Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur*, quia nempè aguntur, seu adiuvantur ut agant. Eadem omnino verba tradit Fœlix primus in *Secunda Epistola* dicens, *Bonorum operum, & spiritualium studiorum Deum esse authorem, non dubium est, qui eorum incitat mentes & adiuvat actiones.*

252 Bonifacius etiam secundus *Epistolâ ad Sabinam*, ei ita dicit: *His fulta scripturarum authoritatibus semper sta recta, & à via veritatis ne avertaris, ut gratiam Dei acquiras, & bonorum hominum amicitia fruaris, tantoque tua voluntas ab amore huius sæculi exeat, quantò & impellitur, dum vocatur.* Vide efficaciam gratiæ divinæ per impulsionem signatam.

253 Sed & Cœlestinus etiam huius nominis primus in celebri illa decretali sua ad Episcopos Galliæ, quâ Massilienſium damnauit errores, sic imprimis habet lib. contra Scotum: *Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus vrbanæ voluntatis ex Deo sit.* Non ergo Deus solùm operatur in cordibus hominum illas indeliberatas inspirationes, (quod est operari in voluntate ut natura est,) sed in ipso libero arbitrio, quatenus liberum est, operatur omnem motum bonæ voluntatis operando & verè efficaciter efficiendo ut illum bonum liberum motum liberum habeat arbitrium. Et iterum postquam ex Ecclesiæ orationibus necessitatem divini adiutoris probaret, declarans quod sit adiutorium illud quod à Domino postulatur. Ita dicit: *Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filij charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totum divini operis esse sentitur ut hæc efficienti Deo, gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.*

254 Vtitur autem ad significandam gratiæ prævenientis efficaciam verbis illis attrahere eruere, transferre, facere, quibus prius sanctus Pater Augustinus ex divina scriptura ad illam defendendam vsus fuerat; unde non dubium, quin illa in eadem acceptione & proprietate inducit, & consulto his usus fuerit. Vt autem clarius aperiret, se de prævenientis gratiæ divina efficacia, quæ ex Deo solùm efficaciam habet ad præmovendum & prædeterminandum in actu humanam voluntatem eius in omnibus, salva libertate: illi argumento respondet, quod contra illam opponi solet, quod scilicet per talem antecedentem efficaciam liberum impediatur arbitrium; huic itaque respondens ita continuo subiungit: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Sic ergo argumento respondet, quod solum contra prævenientis gratiæ efficaciam ex solo Deo venientem opponitur; constant quod illam divinam efficaciam ipse definit, & Ecclesiæ tenendam proponit, quam & sequentibus verbis adhuc magis corroborat atque confirmat subdens immediatè, *tanta enim inter omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.*

Si merita nostra sunt ipsius dona, & merita 255
habemus ex actu libero gratiæ informato: ergo ipse nobis donat ut actum liberum informatum gratia habeamus. Quod amplius sequentibus verbis manifestat: *Agit quippe*, ait, *in nobis ut quod vult, & velimus & agamus.* Quid clarius & efficacius adhibere potuit? *Agit*, inquit, *in nobis*, ecce operationem propriam. Et quid agit, nisi ut velimus & agamus? ecce effectum illius propriæ divinæ operationis: ut autem ostenderet, quod Deus priùs absolutè, & efficaciter voluit, quod nos velimus, subdit: *agit in nobis, ut quod vult & velimus & agamus.* Planè nisi nimia esset contentio, vel hæc sola definitio Pontificis sufficere deberet pro causa quam tractamus. Nisi enim magna vis illi fiat, & multiplicata verba extortè nimis capiantur, & explicentur, negari non poterit in nostris liberis actibus bonis divina causalitas, divina activa vera efficientia, & divinæ prævenientis, gratiæ virtus & efficacia ad secum infallibiliter trahendum liberum arbitrium, ut sibi liberè consentiat. Fœlix item IV. in Epistola exhortatoria ad Sabinam, ita ait: *His fulta scripturarum authoritatibus semper sta recta, & à via veritatis non avertaris ut gratiam Dei acquiras, & bonorum hominum amicitiâ fruaris; tantóque tua voluntas facilius ab amore huius sæculi exeat, quantò & impellitur dum vocatur.*

Adest præterea in Gregorio magno insignis 256
locus in Epistola 128. ad Recharedum Gothorum regem: ubi inter multa alia, quibus deprimit superbiam arbitrij aliquid de se præsumentis, sic dicit: *Quid ergo in his agendum est, nisi ut malignus spiritus cum nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra revocemus, quatenus & nostra cognoscamus esse, quæ peccando fecimus, & solius omnipotentis Dei munera, cum peccata declinamus.* Planè si solius Dei munere est quidquid boni agimus peccata evitando: ergo nihil boni in actu habemus ex nobis, sed quidquid boni in illo est, ex Deo dante habemus per illius solius gratiæ efficacitatem. Gregorius huius nominis secundus *Epistola ad Leonem Isaurum imperatorum* primò sic ait: *flectat animum tuum Deus, ad veritatem sermonum*

Digitized by Google

sermonum suorum efficacitate. Notanda sunt valdè illa verba, flectat & efficacitate quorum quodlibet, & multò magis utrumque simul prævenientis gratiæ divinam efficaciam ex solo Deo efficaciam apertissimè demonstrat.

257 In Gelasio extat Decretalis ad Picenos Episcopos in cuius fine ita determinat: *Quis autem audeat dicere Christianus aliquid habere boni sine gratia? quando magister gentium clamat, cuncta breviter in se dona concludens; gratia Dei sum id quod sum & gratia eius in me vacua non fuit. Vt ostenderet quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsequutus atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo.* Quibus verbis, ut omittam modò quod iam supra in hoc libro me dixisse recordor, sententiam illam penitus damnat, quæ dicit excitantem gratiam subsequi ad hominis arbitrium, faciens quod in se est ex solis naturæ viribus, & adiuvantem dari, quia arbitrium priùs ex se excitanti voluit consentire; quæ est sententia quam impugnamus. Vt, inquam, hoc modò prætermittam, in illis verbis (*quis audeat dicere Christianus aliquid habere boni sine gratia*) Etiam illam sententiam condemnat quæ ut efficaciam prævenientis Dei gratiæ neget apertè concedit, quod nos ex nobis habemus, quod nos ad bonum applicemus, moveamus, & determinemus, non ex gratia ipsa; sed & hi dicere consueverunt non habere nos illam determinationem ad bonum sine gratia, licet illam non habeamus ex gratia. At videamus an Pontifex summus hoc illorum modò assertum dicat, nihil nos habere sine gratia, an potius nihil nos habere, nisi ex gratia & efficacia eius? Vt enim hoc ultimum traderet, statim subdit: *Quando magister gentium clamat cuncta breviter in se dona concludens, gratia Dei sum id quod sum:* Si cuncta sua bona concludit Paulus gratiâ Dei haberi, sive per gratiam Dei, sive ex gratia ipsius, hoc enim manifestè sonat, *gratia Dei sum id quod sum*, ut est apertissimum; ergo nihil boni dicit se habere quod non habeat ex gratia: ergo nec quod se ad bonum determinet, docet habere nisi ex gratia, & ex consequenti nisi ex eius efficacia movente liberum arbitrium ad bonum.

258 Hormisda verò efficaciam prævenientis gratiæ, in cuius defensionem Sanctus Doctor Augustinus tot & tanta contra Pelagianos mirabiliter composuit, uno verbo complectens Possessori ita rescripsit: *De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quod Romana, hoc est, Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris S. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci, tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Quibus brevi sed compendiosissimâ sententiâ gratiæ potentem & suavem efficaciam, quam in omnibus suis libris S. P. Augustinus contra illius adversarios defendit, declaravit. Et omnia eorum tela evidenter contudit Pontifex summus confirmat: & eos qui doctrinæ S. Patris Augustini resistere audent, se Ecclesiæ doctrinæ contrariari apertissimè pronuntient.

Leo Primus *ad Martianum & Faustum Presbiteros.* Epist. 32. sic ait. 259 *Bonorum operum & spiritualium studiorum authorem Deum non dubium est qui quorum excitat mentes adjuvat actiones.* Non solùm ergo Deus excitat mentes, ut ab his authoribus contenditur: sed adjuvat actiones utique præveniendo, de hac enim præveniente adjuvante gratia, quæ supra excitantem non nisi efficax ex Deo est, planè loquitur. Leo II. in Epist. ad Const. Imper. qua approbat atque confirmat quæ in quinta & universali sexta Sinodo gesta & definita sunt sic habet. *Hac de piissimi animi vestri proposito Christianissimè augustorum efficaciter dici Dei gratia operante confidimus, qua sola & error omnis eversus est, & rectitudo Evangelica atque Apostolicæ fidei cum sincera charitatis copula apud cunctos Ecclesiarum Christi Præsules obtinetur.*

Ecce gratiæ operanti quæ sine dubio præve- 260
niens est tribuit Pontifex ille Magnus, quod homo efficaciter operetur, imò illi soli ascribit errorem exterminationem & Apostolicæ doctrinæ defensionem quia nempe sola ipsa efficacitate facit ut homines sic benè in deffensione fidei operentur si enim ipsa sua prævenienti efficacitate id non efficiat & causa partialis ad id esset, ut male quidam opinantur: nec de illa dici possit, quod sola errores exterminat, & veritatem deffendit; sicut non potest dici de duobus portantibus lapidem quod alter illorum solus lapidem portet ut est satis notum.

Adest etiam efficacissima confirmatio pro præve- 261
nienti Dei gratia ex Deo ipso efficaci ex Benedicto Septimo in quadam oratione, qua & Sacra Concilia uti solent, & Summi Pontifices in congregationibus, quibus præsunt, quam & nos sæpius ab utroque Pontifice Summo Clemente octavo, & Paulo V. recitari audivimus; quæ hujusmodi est. *Adesto Domine sancte spiritus adsumus peccati quidem immunitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur ostende, quid efficiamus operare; esto solus & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & Filio nomen possides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summè diligis aquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris nec persona corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum & in nullo deviemus à vero, qualiter in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis instiriam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro benè gestis consequamur præmia sempiterna:* Expendenda valdè illa verba sunt, sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, non aliter ergo Deus nos iungit efficaciter, nisi solius suæ gratiæ dono; ergo donum solius gratiæ Dei ex solo ipso Deo efficax est, non ex libero arbitrio; profectò si solius suæ dono gratiæ nos Deus sibi efficaciter iungit, illud gratiæ donum ut venit à Deo efficax est: alias per illud solum nos Deus sibi efficaciter iungere nequiret. Hic omnibus modis reprobatur sententia vocationis congruæ quæ efficaciam qua Deus nos sibi iungit, non ponit ex solo gratiæ dono provenire; sed potissimè ex arbitrio ipso, à Deo præviso ex se volituro & consensuro, & ipsum donum gratiæ sua consensione efficax reddituro; ut defensores plures illius verbis expressis fatentur, & omnes alij re ipsa, licet id verbis apertis proferre non audeant. Habetur supradicta oratio in 1. *tomo Conc.* statim in principio in instructione servanda à Conciliis ubi etiam eodem folio alia oratio dicenda ab eo qui præest Concilio habetur, in qua inter cætera hæc verba leguntur. *Te in nostris principiis occurrorem popoſcimus, te quoque in hoc fine iudiciorum nostrorum inductorem nostris excessibus speramus scilicet ut ignorantiæ parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam efficaciam largiaris.* Si in Conciliis

Digitized by Google

congregati à Deo humiliter petunt operis efficaciam, ergo illam Deus omnibus tribuit: ex Deo ergo hæc operis efficacia provenit non ex homine.

262 Tandem hanc divinæ gratiæ prævenientis potentem efficaciam, qua sibi efficaciter subdit arbitrium & secum verè activè propriè facit cooperando liberè consentire, apertissimè tradit Pius quintus in cathechismo Romano, quem ex Decreto sacri Tridentini Concilij composuit, & Ecclesiæ proposuit. In quo explicans illud totius nostræ Religionis principium, quo credimus in Deum Patrem omnipotentem, hanc omnipotentiã declarans ita dicit pag. 33. *Nec verò ita Deum Creatorem atque effectorem omnium credere oportet ut existimemus perfecto absolutoque opere ea quæ ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita eius virtute constare potuisse, nam quemadmodum omnia ut essent creatoris summa potestate, sapientia & bonitate effectum est, ita etiam nisi conditis rebus perpetua eius providentia adesset atque eadem vi qua ab initio constituta sunt, illas conservaret; statim ad nihilum recederent, atque id scriptura declarat, cum inquit, quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conservaretur.* Vbi ad articulum omnipotentiæ pertinere dicit ita subiungens: *non solum autem Deus universa quæ sunt tuetur atque administrat, verum etiam quæ moventur & agunt aliquid intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamuis secundarum causarum efficaciam non impediat, præveniat tamen, cum eius occultissima vis ad singula pertineat, & quoad modum: & quemadmodum sapiens testatur, attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter. Quare ab Apostolo dictum est cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant non longè est ab unoquoque nostrum in ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Quid clarius vel quid manifestius à nostro Pontifice dici potuit. Ecce ad articulum omnipotentiæ docet pertinere, quod Deus moveat intima sua virtute, & vi impellat omnes causas secundas ad agendum ipsas præveniendo, sed non tollendo earum propriam efficaciam, pariter docens hoc docere spiritum sanctum cum ait, *attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*, & cum per os Pauli iterum, ait, *in ipso vivimus movemur & sumus.* Id est in ipso nos movente & sua virtute ac vi nos præveniendo impellente movemur. Et quod magis est, id toti Ecclesiæ credendum & à Parochis omnibus Christiano populo proponendum ipse Pontifex summus proponit, procul dubio vel sola hæc cathechismi authoritas pro re quam defendimus, contra omnes, qui ei tanto tempore tantaque contentione adversantur.

263 Eandem Planè divini adiutoris efficaciam Ecclesia ipsa docet, in orationibus suis, in quibus illo modo petit: & primò id tradit oratio Dominica, cum à Deo petimus, & ne nos inducas in tentationem quid enim aliud petimus, nisi, ne nos inferri sinas. Vt Sanctus Pater Augustinus tradit *lib. de dono perseverantiæ, cap. 6.* quid inquit aliud petimus nisi dextera tua nos tene, efficacia tua nos defende, ne intremus in tentationem, quia si illa efficacia tua defficiat à tentatione superabimur.

264 Plures alias Ecclesiæ orationes referre possemus sed aliquas tantum ob brevitatem inducamus; & primò sit quæ habetur in vigilia Pentecostes sic orat Ecclesia. *Deus qui in Abraha famuli tui opere humano generi exempla obedientiæ præbuisti, concede nobis & nostræ voluntatis pravitatem frangere & tuorum præceptorum certitudinem adimplere.* Non solum petit Ecclesia auxilium supernaturale quo homines possint pravitatem frangere, sed etiam auxilium petit quo efficaciter & actualiter pravitatem suam frangant & divina præcepta de facto adimpleant: Ergo hanc efficaciam ex Deo esse cognoscit, & sibi dari petit Ecclesia.

Item Dominica 6. Post Pentecostem, sic orat. *Deus virtutum, cuius est totum quod est bonum insere pectoribus nostris amorem tui nominis & præsta in nobis religionis augmentum.* Cum ergo bonus usus arbitrij annumeretur sine dubio inter optima bona quæ à Deo petimus: Ergo Deus efficaciter tribuit illum bonum usum ipsumque præstat efficacia gratiæ suæ, nec ille habetur à sola innata libertate, ut adversarij publicant.

Præterea Dominica 8. *Largire* (inquit) *nobis Domine semper spiritum cogitandi qua recta sunt, propitius & agendi: ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus.* 265 Quis non intelligat spiritum quem petit Ecclesia impressum esse, & efficacem motionem à spiritu sancto provenientem, ut quæ recta sunt, cogitemus & agamus.

Insuper Dominica 12. sic orat Ecclesia. *Omnipotens & misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis digne & laudabiliter seruiatur, tribue nobis quæsumus ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.* 266 Non ergo hoc venit ab innata nostra libertate reddente efficax divinum munus & auxilium divinum.

Deinde Dominica 16. Sic orat Ecclesia. *Tua nos quæsumus, gratia, Domine, semper & præveniat & sequatur, & bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* 267 Ergo Dei gratia, præstat nos bonis operibus esse intentos, ergo hoc ipsa sua virtute & efficacia præstat nobis.

Clarius Dominica 22. *Deus refugium nostrum & virtus adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus author ipse pietatis, & præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.* Quid clarius & quantum ad rem, & quantum ad vocem exprimere potuit Ecclesia, pro divinæ gratiæ prævenientis efficacia ex solo Deo præveniente Ecce petit à Deo efficaciam bonorum operum, ut Deus efficaciter eam moveat, ad de facto obtinendum quod postulat, quomodo ergo hæc efficacia ex innata hominum libertate ab aliquibus dicitur provenire cum tam apertè Ecclesia à Deo petat; an necessaria ista petitio est ut Ecclesia à Deo petat, quod nos in nostra habemus positum potestate.

Tandem Dominica 4. post Pentecostem in 268 oratione secreta missæ sic orat Ecclesia. *Orationibus nostris quæsumus Domine placare susceptis, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* In quo modo loquendi manifestè fortis divinæ gratiæ efficacia monstratur qua voluntates rebelles vincuntur, quem modum orandi à Christo Domino, ut supra dictum est Ecclesia didicit, qui in Evangelio ait, compelle eos intrare, qui locus ex Evangelio cum hac Ecclesiæ sancta oratione plane convincere debebat quoscumque etiam rebelles contradictores divinæ gratiæ efficacitatis ex solo Deo & non ex innata hominum libertate provenientis. Vnde ad hæc attendens S. Pater Augustinus libro de dono perseverantiæ *cap. 7.* ait, prorsus in hac re non operosus disputationis expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas, orat ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem, orat ut creden-

tes

tes perſeverent: Deus ergo donat perſeverentiam uſque ad finem quod teſtimonium inter alia plura inferius ex S. Doctore referenda etiam infra iterum referemus.

CAPVT XXI.

Ex Sacris Conciliis eadem prævenientis gratiæ divinæ efficacia probatur.

269 POſt divinam ſcripturam, ſummoſque Pontifices, tertio loco ex Sacris Conciliis venit oſtendenda efficacia prævenientis gratiæ, qua Deus noſtrum efficaciter arbitrium ad bonum in actu prævio determinat: Eadem ſua efficaci prædeterminatione faciens ut arbitrium ipſum magna cum libertate ſua ſe per ſuum actum liberum determinet. Et primò eam Patres in Concilio Dioſpolitano ſive Palæſtino contra Pelagium primo publicaverunt, cum inter alia illum ad anathematizandam illam propoſitionem compulerunt non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio quod utique de efficaci ex Deo neceſſe eſt intelligatur, de hoc enim ille malè dicebat, non eſſe liberum arbitrium, ſi hoc Dei indiget auxilio. Vbi Pelagianus licet fusè tamen confeſſus eſt eſſe liberum arbitrium etiam ſi hoc Dei indiget auxilio quam damnatam & à Pelagio licet ficte objectatam propoſitionem iſti authores defendunt nihil enim magis clamant, nihil magis opponunt, nihil magis dicunt, quam non eſſe liberum arbitrium ſi Dei efficaci indiget auxilio: efficaciam autem divini auxilij ex ipſo Deo provenientem ex triplici illo teſtimonio valde magno epiſcopi deduxerunt. *Plus omnibus laboravi non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Et non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei: Et niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Quæ à S. Patre Auguſtino referuntur & explicantur in Epiſt. 106. ad Bonifacium, & de efficaci Dei præveniente gratia ſine qua nihil boni fit in homine, quod ad ſalutem pertineat, clarius exponuntur.

270 Similiter Patres in Concilio Carthaginenſi congregati, ut ipſi referunt in Epiſt. ad Innocentium primum inter plurima alia, hanc divinæ prævenientis gratiæ virtutem & efficaciam, qua Deus potenter ad ſe convertit rebelles hominum voluntates magna cum libertate, his verbis expoſuerunt. *Contradicitur etiam iſtorum contentione benedictionibus noſtris, ut incaſſum ſuper populum dicere videamur quidquid eis à Domino precamur, ut rectè acpiè vivendo illi placeant: vel illa quæ pro fidelibus precatur Apoſtolus dicens flecto genua mea ad Patrem Domini N. Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius. Si ergo voluerimus benedicendo ſuper populum dicere, da illi virtutem Domine corroborari per ſpiritum tuum: iſtorum nobis diſputatio ſic contradicit, affirmans liberum negari arbitrium.* Ecce manifeſtiſſimam efficaciam prævenientis gratiæ ex Deo ipſo provenientem & à Paulo & à Concilio prædicatam, cum eam vocant virtutem qua corda hominum corroborantur & vires accipiunt, quam virtutem corroborantem ſuaſiones & imitationes internæ efficere non poſſent, nec illa congra nuncupata vocatio quæ ex illis ex præſcientia Dei conſtituitur ut eſt ſatis clarum, nec enim illa habent virtutem corroborantem, ſed tantum ſuadentem ut homo virtute ſua ſe ipſum corroboret.

Pari Ratione Patres in Concilio Milevitano 271
pro eadem efficacia prævenientis gratiæ divinæ in Epiſt. Concilij Milevitani 2. ad Innocentium Papam firmum protulerunt teſtimonium, referentes enim Pelagianorum ſententiam ſub his verbis. *Damnant illud vero quod ſequitur, ne nos inferas in tentationem non ita intelligendum (nempè putant) tanquam divinum adiutorium poſcere debeamus ne in peccatum tentati decidamus: ſed hoc in noſtra poſitum eſſe poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere hominis voluntatem tanquam fruſtra Apoſtolus dixerit, non volentis nec currentis ſed Dei miſerentis.* Per quæ vltima verba Apoſtoli quale intelligant illud adiutorium quod poſcere debemus ne intremus in tentationem, ſatis oſtendunt, nimirum efficax ex Deo eſſe, quo videlicet efficaciter à tentatione liberemur, & ſine quo non eſt volentis velle, nec currentis benè currere; nam de adiutorio legis atque doctrinæ, ſive interioris revelationis, ſuaſionis & moralis excitationis: nec loquuntur, cum illud illi adverſarij gratiæ adverſus quos loquebantur, nec negabant ſed planè concedebant.

Poſtea in Concilio Milevitano 2. Eadem præ- 272
venientis gratiæ virtus & efficacia, quam ex Deo trahit non ab homine mendicat. Traditur in *Canone 3. & 4.* in tertio enim ita definitur: *Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam adiutorium ut non committantur, Anathema ſit.* Canon iſte licet principaliter de gratia habituali iuſtificante, qua formaliter iuſtificamur, procedat, non tamen de illa ſolum ſed etiam de actuali illo auxilio gratiæ quo iuſtificamur effectivè intelligi debet, cum enim per illum perfectè Pelagij error excludatur qui gratiæ adiutorium ponebat, in memoria qua nobis eſſe remiſſa peccata recordamur ut patet ex S. Patre Auguſtino *libro de gratia Chriſti cap. 2.* & in illo loco Sanctus Doctor oſtendat Pelagium id aſſeruiſſe de omni gratiæ adiutorio, ſive habituali ſive actuali (nullum enim admittebat quod ſubminiſtratione virtutis vires animæ tribueret ad operandum) fit conſequens ut de omni tali adiutorio ſive habituali ſive actuali canon intelligatur. Deinde quia teſtante Sancto Patre Auguſtino ubi ſupra, per illam memoriam remiſſionis peccatorum contendebat Pelagius Deum nos adiuvare per ſingula momenta & per ſingulos actus, ergo etiam id intelligebat de actuali adiutorio, quoad ſingulos actus indigemus: ergo ut Concilium eius ſententiam damnaret prout citato capite damnat, etiam diffinire debuit actuale adiutorium ad ſingulos actus neceſſarium, non conſiſtere ſolum in memoria remiſſionis peccatorum quæ iam commiſſa ſunt. Sed etiam in vero adiutorio ut amplius non committantur: per adiutorium autem quo homines adiuvantur, ut peccata non committant intelligit illud verùm gratiæ adiuvantis auxilium quo Deus eos verè facit peccata non committere per ſubminiſtrationem ſcilicet efficacis virtutis qua eos adiuvat nec peccata committant. Vt ex relato *cap. 2.* Sancti Patris Auguſtini ſatis liquet.

In Canone autem 4. Clarius id determinatur 273
cum ſtatim ſic diffinitur. *Item quiſquis dixerit eandem gratiam (ſcilicet tam habitualem quam actualem) per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum,*

Digitized by Google

dum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid apetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus Anathema sit. In quo apertius de actuali adiutorio gratiæ Dei, quo actualiter non solum revelatur & aperitur nobis intelligentia mandatorum, sed etiam nobis actualiter præstatur ut quod faciendum esse cognoscimus diligamus & faciamus, sermo fit ubi errorem Pelagij (contra ipsum enim & Celestium illud Concilium celebratum fuit) quem in tertio suæ calliditatis statu retinuit, nimirum esse necessariam interiorem revelationem obiectivè tantùm proponentem voluntati quid faciendum sit : ipsam ad id allicientem & invitantem solum seu excitantem moraliter præcisè quæ non recedit à lege atque doctrina, cum ipsa sit solum quædam interior suasio & magistra proponens quid facere expediat, & omnem vocationem congruam quæ in tali suasione sub præscientia consistit, quam præscientiam nec Pelagius negavit, ut est satis notum & in *cap.* 127. etiam ex propria confessione horum authorum monstratum est, apertissimè Concilium illud condemnat : & verum adiutorium prævenientis gratiæ quo per subministrationem virtutis efficaciter Deus liberum adiuvat arbitrium & adiuvando verè efficaciter facit sibi liberè consentire, clarius proponit.

274 Ex Concilio verò Arausiano secundo nec oportet canones expresè inducere cum in pluribus hæc divinæ prævenientis gratiæ efficacia, qua Deus facit nos liberè facere, tradatur & explicetur. In Can. enim 3. diffinitur Deum per gratiam suam facere ut invocetur à nobis. Ecce prævenientis gratiæ Dei efficientiam seu efficaciam evidenter illis verbis explicatam facere ut invocetur à nobis. Et in Can. 4. per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri ut purgari velimus, expressius determinatur ubi eadem vis atque efficacia divinæ operationis per quam Spiritus Sanctus efficit in nobis ut purgari velimus, satis ostenditur : quam ut significaret supra infusionem operationem apposuit, ne quis si tantum infusionem dixisset, de infusione quomodolibet interpretaretur, & non de vera Dei operatione, qua iustificationem infundit. Similiter in Canone quinto statim per Gratiæ donuum id est inspirationes Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem & crudelitatis effectum, & initium fidei & ipsius fidei augmentum nobis in esse prædicatur. Quibus etiam verbis satis efficacia Divinæ gratiæ, qua Deus cum effectu cor hominis corrigit, & trasmutat de malo in bonum manifestatur. Verba illius Canonis sunt. *Siquis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, præparatur voluntas à Domino, & Apostolo prædicanti : Deus est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate sua.* Si auxilium divinæ gratiæ non est efficax ex Deo ipso, sequitur manifestè quod expectat Deus, etiam quolibet auxilio à se dato, voluntatem hominis ut purgari velit : à qua proinde auxilium efficaciam habebit, & non à Spiritu Sancto quod expresè est contra Concilium.

275 Nec sat est respondere, ut quidam dicunt, solum diffinire Concilium, Deum non expectare hominis voluntatem, ut ipse solius suæ naturæ viribus incipiat, ad hoc quod, Deus illi tribuat gratiam sufficientem primò quia hoc in 3. Canone definierat, & in sexto sequenti : unde in hoc aliud determinat, tum quia loca sanctissima inducta de efficaci gratia, ex Deo procedunt, tum tertiò, quia docet, nullo modo Deum expectare voluntatem hominum incoante gratia, nec post illam in nobis atque nobiscum ut operemur operatur. Quem velle de illa congrua vocatione moraliter attrahente sub illa præscientia explicare, nihil est aliud quam, quia publicè negari non potest, tacitè ei contraire. Canon enim palam diffinit Deum in nobis operari ut operemur quid quid boni operamur & tamen illa congrua moralis vocatio dicit ut liberè operemur & consentiamus Deum in nobis non operari ; sed potius præsciè quod nos in nobis ex tali occasione constituit sic operabimur, & in Canone 2. determinatur quod nulla bona facit homo, quæ Deus non præstet ut faciat homo, cui planè contradicit quod deffensores illius nominatæ congruæ vocationis ex illa expresè concedunt aliquam rationem boni esse in opere nostro bono, quam nobis non præstet Deus, scilicet rationem actualis libertatis; sed hanc ex nobis esse & tantum ex Deo dante nobis possibilitatem ad eam, & nos ad illam invitante, non autem actualiter & cum effectu præstante ut illam habeamus.

Parique ratione in vigesimosecundo determinatur, quod nemo habet de suo nisi mendacium atque peccatum (de suo inquam) id est, sine Deo vel adjuvante in operibus gratiæ vel concurrente & præmovente inoperibus ordinis naturalis ; cui manifestè etiam repugnat, quod ijdem authores ex illa sua nominata congrua vocatione fatentur, quod actus noster sive in operibus naturalis ordinis, sive in operibus gratiæ, sit actu liber, ex Deo non esse, nec ex dono gratiæ suæ, nec ex ejus naturali influxu id actualiter dante, sed ex arbitrio solo. 276

Postremo Can. 24. id ipsum clarè proponit, cum dicit. *Ita sunt in vite Palmites ut viti nihil conferant sed inde accipiant unde vivant, sic quippè vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis.* In quo Canone explicatur dictum supradicentis. *Ego sum vitis, vos Palmites.* Ergo palmites nil Christo viti conferunt, sed inde accipiunt ut vivant. Cui sane contrarium est quod de palmitibus Christo adhærentibus illa vocatio nominata, congrua concedit, quod nimirum palmites aliquid boni operis Christo conferunt quod ab ipso non accipiant unde vivant, nempe illam actus actualem libertatem, quam vitis eis non subministrat sed potius sumit ab eis. 277

In actis etiam Concilij Niceni extat Epistola Alexandri Alexandrini Episcopi ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum ubi sic habetur. *Nam ille* (scilicet Deus) *cum sit in omnibus cumulatè perfectus & nullius rei indigens, est natura planè immutabilis : hi autem cum in utramque converti possint illius egent auxilio.* Si diceretur homines quia debiles, quia infirmi, quia extenuati viribus indigere Dei auxilio, id quidem commodius poni videretur : sed dicere ex eo, auxilio indigere divino, quia in utramque partem possunt converti, nisi altior & profundior lateret doctrina, nec aptè positum appareret quia potius qui gratiam insectantur ex eo negant hominem auxilio egere divino, quia liber est, & in utramque 278

partem

Digitized by Google

partem potest converti: Cæterum altiorem traditam ibi, intuemur doctrinam, quam & modo comprobamus. Quia cum homines liberi sunt & in utramque partem possunt conferri, ideo dicitur eos divino auxilio indigere, eos nempè reducente in actum primum respectu unius partis, quia nisi sic in actu reducantur per divinum auxilium, cum ipsi sint in potentia ad utramque partem, nec per se ipsos se ex illa potentia in actum possint reducere. Quod ex Philosopho S. Thomas demonstravit *libro 3.* à nobis relato & Patres illi antiquiores etiam ex eodem Philosopho optimè id noverant quod nunquam in actum reducerentur ad agendum & ex consequenti agerent nunquam, & propterea ex ipsamet eorum potentia libera ad utramque partem intulerunt Patres, homines auxilio egere divino, tradunt enim quasi in terminis doctrinam illam quam S. Thomas expressius tradit, in *2. q. art. 5. ad 3.* dicens, quod quia humana voluntas est ad utrumlibet, oportet quod à Deo determinetur ad unam partem ut illam de facto eligat; quia nisi sic determinetur à Deo nec ipsa se liberè determinabit quia se reducere de per se non potest de potentia in actum, deinde in *6.* Synodo Romana sub Simmacho sic habetur, Quia ergo in his omnibus divinæ gratiæ adjutorio opus est, omnipotentis Dei assiduis precibus clementiam exoremus quatenus ad hæc operanda nobis & velle tribuat & posse concedat, atque in ea nos via, cum fructu boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est dirigat; ut sine quo nihil agere possimus, per ipsum omnia implere valeamus. Ecce non solùm Deum auxilio suo dare dicit posse, sed velle ipsum, & rursus inquit quod sine ipso largire possumus: quomodo ergo ex nobis sine ipso poterimus ejus gratiam reddere efficacem & nostrum consensum solum ex nobis eius suasionibus exhibere.

179 Synodus etiam Provincialis Maguntina anno Domini 1549. celebrata ita determinat in cap. 7. de justificatione, *Talis autem justificationis initium ex Dei Gratia provenire; qua ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores sunt excitati & adjuti, & eidem gratiæ sic excitanti & adjuvanti consensientes & cooperantes ad justificationem disponuntur.* Deinde in cap. 8. sic ait, *non enim secundum humanas vires æstimanda sunt justificatorum opera, sed secundum eam gratiam quam in ipso influit Christus, ex qua deinde bona opera ipsorum promanant. Et secundum eam dignitatem quam de spiritu S. velut omnis boni operis motore & operatore sumunt, sic enim extenuanda vires humanæ; ut non simul gratia Dei vilis reputetur, sic in bono opere faciendo deprimenda est facultas hominis ut interim cogitemus spiritus S. motum & in nobis efficacem & apud Deum acceptum, ac pretiosum esse:* Quid clarius vel quid Manifestius dicere potuit pro commendanda prævenientis gratiæ efficacia ex Deo ipso & non ex homine provenienti. Ecce omnis boni dicit spiritum S. motorem & operatorem; ecce extenuandas docet vires arbitrij, ne gratia Dei vilis in nobis reputetur. Ecce tandem ita deprimendam asserit hominis facultatem, ut cogitemus spiritus sancti motum in nobis efficacem. Cesset hic humana audacia quæ contendit liberum arbitrium hominis efficacem reddere Dei gratiam, quia hanc supremam arbitrij facultatem deprimendam docet synodus prædicta, ut cogitemus spiritus S. motum in nobis ex ipso spiritu S. & non ex nobis efficacem. Apertis ergo vocibus ab illa synodo hanc veritatem novimus traditam & approbatam ut similiter in Concilio Lateranensi *6.* Can. 19. ita dicitur. *His omnibus rite dispositis & diuturna collatione deliberatis benedictionem, gloriam & honorem invisibili omnium authori rependimus luminum Patri, & in his conservandis ejus imploramus opem suffragij ut constitutionibus nostris robur tribuat seu virtutem, fragilitatemque humanam huic dispositioni reddat efficacem; ut non judicet prævaricatricem.* Cum enim Deum exorat ut fragilitatem humanam planè liberam dispositioni seu illi constitutioni reddat efficacem, ex Deo ipso provenire hanc efficaciam, qua reddit fragilitatem humanam efficacem ad benè operandum, de plano Concilium illud confitetur, & sententiam quam impugnamus, quæ è contra homines efficacem reddere gratiam & operationem divinam, prius per illud Concilium expugnatam cognoscimus.

Tandem *in 6. Synodo actione 18. in sermone* 180
acclamatorio; Sic de Deo dicitur *ipse & nunc vestram suscitavit serenitatem & ad rectè fidei zelum commovit* addidit, *commovit*; ut excitantem ac verè moventem Dei prævenientem gratiam astrueret & iterum ibi in epist. missa Agathoni Papæ à toto Concilio sic habetur: *Et quidem nos omnes Christo Deo continente, quod studebamus, facilè confecimus, Deus enim monebat, Deus coronabat concessum.* Non potest ergo negari quod Deus gratia sua nedum excitet; sed etiam verè moveat hominum voluntates.

Similiter *in 8. Synodo actione 10. in fine in* 181
Epist. encyclica sic habetur, *Quis enim nesciat quod in medio S. hujus & universalis Sydoni fuerit incomprehensibilis & incircumscriptus Christus; ac Dominus, qui dixit, ubi sunt duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum: & voluntate ipsius omnia à Deo mota S. hæc & universalis Synodus & tractaverit & fecerit.* Vnde cum in eadem 8. Synodo actione eadem decima in Epist. Basilij ad Adrianum & in alia totius universalis Synodi dicitur. Dei gratia & cooperatione factum est, per gratiam intelligunt excitantem & per cooperationem adjuvantem. Insuper Concilium Coloniense in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ de cuius jam *Suprà cap. 119.* mentionem fecimus; efficaciam divino auxilio ex Deo ipso provenientem manifestè declarat cum sic ait, *Gratia præveniens duplex una; qua Deus prævenit peccatorem ut resurgat, altera qua peccator prævenienti Deo assentiens jam resurgit, utraque voluntatem nostram prævenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur: in altera voluntas nostra, Deum prævenientem subsequens, per velle seu consensum remissionem peccatorum accipiendo cooperatur.* Ecce clarius docet, quod illa gratia qua homo iam resurgit, & est præveniens & per illam humana voluntas producit suum assensum, quo cooperatur Deo prævenienti & efficaciter per illam suam prævenientem gratiam efficienti, ut homo de facto resurgat & eliciat suum liberum velle liberumque consensum: quam proinde efficacem prævenientem gratiam, ibi Concilium condistinguit, contra priorem tantum sufficientem.

Idem Coloniense Concilium Christianæ insti- 182
tutionis *tract. de Sacramento Pœnitentiæ folio 29.* explicantes Patres illud *non est voluntas currentis*, ita dixerunt, his verbis docet Apostolus voluntatem nostram ad bonum penitus inutilem, & imbecillem, & cursum omnino inefficacem esse sine gratia Dei miserentis. Quibus verbis planè docent efficaciã conversionis in Deum non ab ipsa humana voluntate esse, sed à gratia Dei miserentis: alias

Digitized by Google

si humana voluntas Dei gratiam reddit efficacem (ut his temporibus publicatur non dicerent Patres illius Concilij voluntatem nostram inutilem & imbecillem, sed potius robustam & fortem, quippe ex sua innata libertate gratiæ auxilium redderet sibi efficax: quomodo enim dici poterat voluntas inutilis & imbecillis ad bonum: supernaturale nempe (de hoc patres loquebantur) si pro sua libertate innata auxilium sibi datum à Domino tantum sufficiens, ipsa efficax sibi redderet, docent etiam inefficacem esse sine gratia, quæ ipsi tribuat hanc efficaciam quam ipsa ex se non habet ut efficacem sibi reddat gratiam ipsam.

CAPVT XXII.

Ex Sacro Concilio Tridentino specialiter efficacia prævenientis gratiæ manifestatur, & comprobatur.

283 QVod nostro primo libro promisimus necesse est impleamus, & mentem ac litteram Sacri Tridentini Concilii quæ vel ipsa sola, pro confitenda divinæ gratiæ prævenientis efficacia sufficit, diligentius explicemus, quasdam non legitimas intelligentias, quæ ex ipso adhiberi solent, utpote quæ à mente Concilij sunt valdè alienæ, longius removendo.

Sic igitur contra prævenientis divinæ gratiæ efficaciam, quæ non absolute physicè seu quasi physicè prædeterminare dicitur aliquando ex prædicto Concilio opponebatur ut potiora illa & magis celebrata argumenta (talia enim fuisse quæ nunc objiciebantur nec aliquis poterit dubitare) modo referamus ut appareat omnium primo illorum debilitas antequam alia quæ post modum in aliquibus libellis objecta sunt diluantur.

284 Opponit itaque 1. *cap.* quintum eiusdem Concilij in *sess. 6. de justificatione, verba illa legendo: Declarat præterea ipsius justificationis exordium, in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur ut qui à Deo aversi erant, per eius excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens quippe qui illam abjicere potest:* Cui addebat & Canonem quartum in quo ita habetur. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passivè se habere anathema sit.*

285 Parique modo objiciebatur Concilium Senonense *in cap. 15. de libero arbit.* Illis verbis. *Nec enim liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam: quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum perstringere: sed justa sacrum scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta sese convertat in Deum, Deo appropinquet & ad veram illam gratiam se præparet qua tandem accepta fit ad vitam æternam. Nec tamen tanta gratia necessitas libero præjudicat arbitrio cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem pretereat in quo non stet ad ostium & pulset, cui si quis aperuerit januam intrabit ad illum & cœnabit cum illo; neque denique tale sit eiusmodi Dei trahentis auxilium cui resisti non possit. Quoties enim voluit congregare filios Ierusalem sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluerunt. Frustra certè Stephanus judæos duræ cervicis & incircumcisis cordibus argueret qui semper Spiritui sancto resisterent, frustra Paulus Thessalonienses admoneret spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.*

Tandem ex discipulis Sancti Thomæ adducebat alias quinque propositiones quas asserebant illis quinque relatis ex Conciliis esse contrarias: ex Magistro enim Bannes opponebant; quod dixerit implicare contradictionem, quod liberum arbitrium sit à Deo motum & non consentiat, item dicebat ex Francisco Davila, quæ propositio ut opponebatur contraria erat illi primæ & tertiæ, nunc ex Conciliis relatis. Similiter quod dicunt Sancti Thomæ discipuli in sensu composito non posse liberum arbitrium dissentire motum & excitatum, asserebant opponi illi tertiæ propositioni inductæ ex Concilio; parique ratione quod à Magistro etiam asseritur liberum arbitrium non se habere merè passivè quia producit actum, dicebatur opponi illi propositioni Concilij in qua dicitur quod recipiens arbitrium inspirationem non se habet mere passivè, ergo etiam recipiendo non se habet mere passivè & similiter dicebatur illi propositioni esse contrarium, quod ab alio comparatur arbitrium baculo moto à manu: quod se habet merè passivè. Quartam autem propositionem Concilij quod potest resisti auxilio, dicebant esse contrariam illi quam Sancti Thomæ discipuli dicunt non posse resisti auxilio efficaci: ac tandem quintam asserebant esse contrariam illi quam Franciscus Davila dicebat, Deum movere arbitrium inevitabiliter, ut sic concludebant propositiones à Sancti Thomæ discipulis traditas illis ex Conciliis deductis contrarias esse. 286

Ad hæc prius de Concilij Senonensis vera intelligentia, deinde de Tridentina mente & littera postea de illis quinque propositionibus ex ipsis deductis dicendum est. 287

Concilium illud senonense ut omnes sciunt Provinciale est, nec Pontifices summi authoritate confirmatum, unde nec ex illo pro dogmate fidei efficax sumitur argumentum deinde illud Concilium licet verum dixerit tradendo necessitatem gratiæ & libertatem arbitrij non tamen accuratè, sicut postea fecit Concilium Tridentinum, de auxilio gratiæ disseruit, sed id tantum dixit quod pro illo tempore sufficere visum fuit ad expugnandos hæreticos, contra quos congregatum fuerat. Vnde eius Plena intelligentia per sacrum Tridentinum Concilium habenda est: Tertiò eius intentio fuit damnare hæreticos qui dicebant Deum sua inspiratione inevitabiliter & sine libertate, nostram rapere voluntatem; quod & clarius proposuit in vltimis modo relatis: unde de inspirationibus loquens seu de gratia excitante per quam Deus incipit hominem ad se convertere, dixit quod non est tale illud inspirationis auxilium cui homo resistere non possit, quod utique verum est, sed illud auxilium excitans sive indeliberatè inspirans non est efficax, sed solum sufficiens seu inchoatio efficacis & sic ei potest resisti. Quod autem de hoc auxilio tantum loquatur ex ipso in allatis verbis fit manifestum, quia

Digitized by Google

quia pro illo auxilio cui resisti potest inducit tria scripturæ testimonia quæ in omnium sententia adhuc istorum authorum, qui ista opponunt, tantum procedunt de gratia sufficienti, non efficaci etiam illa sua quam ipsi confingunt efficacia, cui & ipsi dicunt quod resisti non potest, quia iam involvit consensum voluntatis prævisum, vel secundo dicatur loqui Concilium de omni auxilio prævenienti etiam efficaci ac trahenti homines ad Deum: cum autem dicit, quod illi resisti potest, sumit verbum resisti in ampla lataque significatione, ut sit idem quod, potest aliud velle ita ut sensus sit quod posito efficaci Dei auxilio attrahente non sic inevitabiliter homo consentit, quin aliud velle possit si vellet. Tandem tertio dicitur, quod sumpsit verbum resisti pro verbo dissentire, sicut postea, proprius & formalius Concilia diffiniunt, quod nempè liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire Deo vocanti & excitanti ut infra plenius & copiosius explicabimus; & ita sensus Concilij Senonensis est quod liberum arbitrium à Deo tractum seu motum potest dissentire divinis inspirationibus id est, Deo vocanti & inspiranti, quod autem si loquatur de auxilio efficaci, ita sit explicandum, sicut in secunda & tertia explicatione dictum est, ex eo constat, quod verbum resistere, sonat & importat oppositionem cum eo cui resistitur, Dei autem voluntati efficaci efficaciter moventi per auxilium efficax humana voluntas resistere non potest, juxta illud nec est qui tuæ possit resistere voluntati: unde necesse est explicare Concilium, si loquatur de auxilio efficaci, illa secunda vel tertia explicatione præmissa.

288 Quamvis autem hoc rectè dixerit Concilium illud, tamen vlterius non processit ad explicandum verum auxilium quod de facto nostram efficit conversionem, nec exposuit quid illud auxilium includat, quod tamen perfectissimè Concilium Tridentinum explicauit ut multoties est ostensum & Clarius nunc ostendetur.

289 Quod si dicas, (contra eam solutionem) si de auxilio efficaci illud Senonense Concilium non fuit loquutum; & hæretici contra quos agebat, de efficaci loquebantur, nihil ergo contra illos asseruit, respondetur quod sufficienter illos debellavit, tum quia ipsi negabant aliquod esse auxilium sufficiens, unde tradendo illas divinas inspirationes sufficienter moventes ad bonum, in quibus incipit auxilium efficax dicendo quod eis potest liberum arbitrium resistere sufficienter illis hæreticis contradixit. Secundò quia ipsum admisit auxilium efficax initiativè cui homo potest liberè resistere & per hoc libertatem nostram salvavit & auxilium gratiæ, licet illud perfectè non explicaverit nec addiderit, per quod arbitrium de facto illis inspirationibus indeliberatis consentiat, quod ut diximus completissimè Concilium Tridentinum declarauit, quare ex hoc Senonensi Concilio inferre quod omni gratiæ prævenienti etiam efficaci à quocumque efficax fiat, potest arbitrium resistere nimis est cõcludere. Fateantur ergo & ipsi necesse esse, nullo modo hoc Concilium loqui de gratia efficaci, & sic nullo modo ad propositum induci, vel si de efficacia loquitur quod sumit verbum (ut diximus) resisti, pro eo quod est dissentire Deo vocanti.

290 De sacro autem Concilio Tridentino, quia primo nostro libro, & in hoc quarto agentes de gratia adiuvante, clarius probavimus ipsum loqui de gratia efficaci, quod & ij authores fatentur & eam efficacem gratiam prævenientem manifestè constituit, illam dicendo esse simul excitantem & adiuvantem vt plenius ibi supra aperuimus & isti authores concedunt, quod si adiuvans supra excitantem est præveniens, illa est ex Deo efficax sive physicè prædeterminans ut publicè confessi sunt, quod supra agentes de adiuvante gratia retulimus vbi horum authorum sententiam penitus inseruimus, qui prævenientem gratiam actualem solum volunt esse excitantem, non adiuvantem ut expressis verbis & scriptis confessi sunt. Imo hoc est illorum fundamentum quod sola gratia excitans, præveniens sit, adiuvans vero ut ratione aliqua distinguitur ab excitante, sit comes non præveniens. Sicut oppositum fundamentum Concilii fuit in tota illa *sessione 6.* docere non solum excitantem sed etiam adiuvantem gratiam esse prævenientem quod licet fuerit sæpius demonstratum, id apertissime constat ex illo *cap. 5.* verbis inductis quibus Palam docet per excitantem & adiuvantem gratiam hominem disponi ad se convertendum in Deum. Si ergo gratia excitans & adiuvans disponit hominem ut se convertat; hæc dispositio ad conversionis actum, ipsum præcedit, ipsum prævenit, & ipsum præparat: ergo non solum excitans (ut isti authores dicunt,) est præveniens, sed etiam adiuvans, verè præveniens est secundum apertam litteram Concilij quod etiam in *cap. 6.* exposuit, subintulit. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum.* Ecce ut liberè in Deum moveantur debent esse excitati & adiuti, & non solum excitati, ut ergo liberè moveantur in Deum oportet ut prius ratione sint excitati & adiuti, & non solum excitati, non potuit clarius sacrum Concilium constituere gratiam adiuvantem prævenientem esse & non solum excitantem: in Canone etiam tertio diffinit necessarium esse supra inspirationem divinam adiutorium ut homo possit credere, sperare diligere, & pœnittere, prout ad salutem oportet. Vbi non solùm prævenientem inspirationem, sed etiam præveniens adiutorium veræ gratiæ adiuvantis, dicit ad illa opera pietatis necessarium: Et in *Canone 4.* modo inducto, dicens liberum hominis arbitrium à Deo excitatum & motum cooperari assentiendo Deo vocanti, aperte docet quòd non solùm debet esse excitatum per prævenientem gratiam excitantem, sed etiam verè motum per veram prævenientem gratiam adiuvantem, quæ adiuvando verè moveat arbitrium ut Deo excitanti atque vocanti consentiat.

Igitur manifestum est in expressa littera Con- 291
cilij Tridentini, tam in capitibus, quam in regulis fidei non solùm excitantem gratiam esse prævenientem, sed etiam adiuvantem distinctam ab excitante esse verè prævenientem, quæ est maior propositio; sed etiam manifestum est in doctrina horum authorum, quod & expressè confessi sunt, quod si gratia adiuvans ut distincta ab excitante est præveniens, illa est efficax ex Deo, & physicè prædeterminans, quæ est minor: ergo manifestum etiam est in Concilio prædicto tradi veram gratiam ex Deo efficacem, seu physicè prædeterminantem.

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Amplius eiusdem Concilij Tridentini mens de efficacia gratiæ prævenientis, explicando quinque propositiones ex eo deductas, & per adversarios in contrarium adductas.

SVpposita hac explicatione non quomodolibet sed ipsamet littera Concilij, quod videlicet gratia adjuvans ut distincta à præveniente sit verè præveniens, & supposita horum authorum aperta & publica confessione, quod nimirum si adiuvans gratia est præveniens illa est physicè prædeterminans, antequam ulteriùs omnia alia verba Concilij expendamus ex his duobus de vera prævenientis gratiæ efficacia: strictè nunc procedendo ad illas quinque deductas ex Concilio propositiones respondemus.

292 Et quidem illa prima quæ talis est, *liberum hominis arbitrium, dum tangitur divinis inspirationibus & gratia omni præveniente, illam potest abijcere.* Nullo modo vel ex Senonensi, vel ex Tridentino Concilio deducitur, nec in illis habetur, quantùm ad illam partem *omnem gratiam prævenientem potest abjicere.* Licet enim utrumque Concilium doceat, quod divinam illuminationem & inspirationem potest homo abijcere, quod Tridentinum *illo cap.* 5. expressè tradit; tamen illam illuminationem & inspirationem seu excitationem non esse omnem gratiam prævenientem Tridentinum Concilium in *illo cap.* 5. palmariè docet, ut visum est imò ut statim ex illo Concilio explicaturi sumus, docet gratiam prævenientem adjuvantem, seu efficacem non posse arbitrium abijcere; vel cum illa contrarium dissensum componere. Sed hoc ideo ab his authoribus opponitur, quia cum ipsi illam excitationem seu inspirationem dicant esse omnem gratiam prævenientem; id laborant Concilio Tridentino & Senonensi tribuere, cum totum oppositum potissimè in Tridentino inveniatur expressum. Igitur sensus Concilij est, quod tangente Deo cor hominis per Sancti Spiritus illuminationem & inspirationem & efficaciter motum arbitrium possit abijcere illam illuminationem & inspirationem; quia potentia ad abijciendam divinam illuminationem & inspirationem optimè stat cum efficaci Dei motione. Et quòd loquatur Concilium de arbitrio efficaciter à Deo moto, quod post inspirationem abijcere, ex eo patet primò, quia dicit, quod agit recipiendo illam inspirationem: agit nempè volendo eam recipere & acceptare: patet secundo quia loquitur de illuminatione & inspiratione cum qua habet quis simul gratiam prævenientem adiuvantem, per quam ostendatur ita volendo inspirationem recipere quod posset sine illa illam non recipere, sed abijcere. Patet tertiò quia ex *isto capite quinto* formatus est Canon quartus, in quo dicitur quod liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ita consentit Deo excitanti atque vocanti, quod credendo vocanti & excitanti potest dissentire si vellet. Quod enim in Canone fidei dixit posse dissentire Deo vocanti & excitanti, in *illo cap.* 5. dixit posse abijcere illuminationem & inspirationem, nimirum efficaciter adjutum & motum: quia loquebatur de illa prævenient gratia à quâ de facto sumitur exordium nostræ justificationis; quæ sine dubio est excitans & adjuvans, ut in *illo capite* 5. Concilium tradidit.

Secunda propositio quæ sic formatur; *liberum* 293
hominis arbitrium non se habet merè passivè recipiendo inspirationem & prævenientem gratiam. Hæc ex Concilio Tridentino habetur & manifesta est, quia arbitrium adjutum per gratiam adjuvantem illam inspirationem liberè acceptare vult, liberéque illi vult consentire: non ergo se habet merè passivè; sed ex ista propositione nihil vel à longè refertur contra prævenientis gratiæ divinam efficaciam.

Tertia illa propositio; quæ sic habet; *liberum* 294
hominis arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire, scilicet Deo excitanti atque vocanti, cui sic motum & excitatum consentit. Expressè traditur à Concilio Tridentino, *sess. 6. Can.* 4. sed malè ab iis authoribus intelligitur: de cuius vera intelligentia, & in primo nostro libro & in hoc quarto supra diximus, & statim clariùs agemus. Vnde ex ista propositione Concilij nihil prorsus contra efficaciam prævenientis gratiæ deducitur, vel deduci potest.

Quarta propositio hæc est: *Dei trahentis auxi-* 295
lium tale est, cui resisti potest: Quæ continetur in Concilio Senonensi; sed de quo auxilio loquatur, non videlicet efficaci, sed excitante & inspirante tantum, ex ipsius verbis monstratum est supra. Vnde nec ex hac propositione aliquid infertur, quod divinæ gratiæ efficacitati adversetur: etiamsi de efficaci auxilio loquatur, cum, ut dictum est, sumat verbum, resisti pro eodem quod est *dissentire Deo volenti & excitanti* & pro eo quod est *posse aliud velle*, ut superius manet explicatum. Vnde sive in primo modo dicendi, quod videlicet loquatur de auxilio sufficienti; sive in secundo, quod nimirum procedat de efficaci sumendo verbum, *potest resisti*, pro eo quod est *aliud posse velle*; vel *posse dissentire Deo vocanti, & excitanti*; quod objicitur contra divinæ prævenientis gratiæ efficaciam ex Deo ipso, non ex homine provenientem, nullum omnino est.

Quinta & ultima propositio in hunc modum 296
colligebatur: per auxilium divinæ gratiæ non rapitur liberum arbitrium inevitabiliter, quæ in Concilio Senonensi habetur. Sed nec ex illa aliquid concludi potest, quod efficaciæ gratiæ prævenientis contrarium sit: talis enim efficacia non rapit inevitabiliter arbitrium, sed fortiter & suaviter illud secum facit consentire cum omni ipsius perfecta libertate, ut sæpè ostensum est, & apertius ostendetur. Ad alias autem propositiones, quinque ex Sancti Thomæ discipulis collectas, quas prætendebant illis quinque ex Conciliis relatis esse contrarias, respondemus illam primam quæ ex magistro Bannes inducitur, scilicet esse impossibile, & implicare contradictionem, *liberum arbitrium motum & excitatum esse, & quod non consentiat*, nullo modo illi primæ ex Concilio deductæ, vel tertiæ adversari: quia illa prima inducta ex Concilio, quantum ad illam partem *omnem gratiam prævenientem potest abjicere* in Concilio non habetur, sed falsa est, & enervat efficaciam divinæ gratiæ, quam statuit & defendit illa propositio magistri Bannes. Non etiam opponitur tertiæ propositioni Concilij, quia illa tertia propositio docet arbitrium motum & excitatum consentire de facto Deo excitanti atque vocanti; i. posse dissentire eidem excitanti

Digitized by Google

citanti Deo & vocanti : non autem docet quod Deo efficaciter moventi possit dissentire, quia revera hoc est impossibile in sensu composito quem importat illa propositio, ut benè magister ille in sua propositione docuit : quæ propositio est Sancti Thomæ 1.2. *quæst.* 10. *art.* 4. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter.* Quam propositionem Sancti Thomæ quis dicet Concilio esse contrariam ; cum generaliter Concilium doctrinam Sancti Thomæ honorando receperit ; & ex ejus doctrina magna ex parte Canones formaverit, nihil penitus ex doctrina Sancti Thomæ rejiciendo; quod & Pius V. testatur in *constitutione mirabilis*, quod in 3. *libro tract.* 1. *cap.* 2. agentes de scientia, & doctrina Sancti Thomæ dedimus manifestum.

297 Quod autem tertiam propositionem ex Concilio deductam, videlicet quod potest dissentire arbitrium motum & excitatum, asserunt contrariam doctrinæ discipulorum S. Thomæ asserentium in sensu composito non posse dissentire efficaci gratiæ, nullo modo verum est : quia Concilium, ut diximus, & ejus verba expresè tradunt motum & excitatum arbitrium potest dissentire Deo vocanti & excitanti : quod omnes Sancti Thomæ discipuli concedunt, non autem quod potest dissentire Deo efficaciter moventi, quod S. Thomæ discipuli, & ipse Sanctus Thomas *ubi suprà* docet, & ab omni Theologo dicendum est, nisi velit cum Pelagianis negare efficaciam divinæ motionis supra liberum hominis arbitrium. Diversæ ergo, & valdè diversæ illæ duæ propositiones sunt, *liberum arbitrium motum, & excitatum potest dissentire Deo vocanti & excitanti ;* quæ verissima est à Sacro Concilio in terminis tradita & ista alia : *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire Deo efficaciter moventi :* quæ falsa omnino est & à discipulis Sancti Thomæ negatur. Cujus ratio est, quia illa ex vera dispositione terminorum cbmposita est: unde est sensus : quod arbitrium potest cum Deo efficaciter movente conjungere dissensum ; quod planè falsissimum est : sic enim hoc posset arbitrium, iam auxilium quod dicitur efficax revera efficax nullo modo esset, sed inefficax : Et sic negaretur cum Pelagianis & Semipelagianis prævenientis gratiæ divinæ efficacia, quæ ex Deo ipso & non ex homine habetur.

298 Pari ratione quòd tertio loco opponunt discipulos Sancti Thomæ ideo dicentes liberum arbitrium non se habere merè passivè, quia habet actum, adversari Concilio dicenti, quod homo recipiens inspirationem agit, minus attendunt quod Concilium loquitur de actu libero quo illam vult recipere, id est, acceptare, & illi consentire ; & hoc est quod ille Sancti Thomæ discipulus allatus dixit, quod ideo non se habet merè passivè, quia actum elicit arbitrium, cum quo illam indeliberatè producit à principio, quo postea actu libero illam recipere & acceptare vult. Manifestum est autem quod si utrumque actum ab arbitrio elicitum secludamus, quod merè passivè illam reciperet : & tamen doctores isti contendunt, quod etiam si arbitrium nullum eliceret actum, non se haberet merè passivè quod à nullo prætendi potest, qui proprias voces attenderit.

299 Rursus addo quòd etiam illa receptio inspirationis à principio recepta in arbitrio non se habet merè passivè, quia ideo recipitur, ut arbitrium agat, non ut ipsum nihil agat. Cum ergo illa receptio dicat ordinem ad hoc quod arbitrium agat : non potest etiam ex hoc capite dici merè passive recipi. Diximus quod illa receptio inspirationis à principio, id est, illa omnium prima qua Deus inspirat & tangit arbitrium, ut indeliberatam actionem eliciat ; formaliter excitatur inspirationis initiativè & effectivè ; excitatur hæc, inquam, omnium prima, ut diximus, adhuc non recipitur merè passivè. Et ratio est, quia ideo recipitur, ut arbitrium agat, non ut ipsum nihil agat : ut Sanctus Pater Augustinus docet, exponendo illud Apostoli : *Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur* : Aguntur, ait ut agant : non ut ipsi nigil agant :

Quod autem alius comparavit liberum arbitrium 300
baculo moto, ei imponi non potest, quod sentiat liberum arbitrium habere se merè passivè, nisi id similiter imponant Esaiæ, qui *cap.* 14. liberum hominis arbitrium, virgæ in manu Dei similiter comparat.

Quarta propositio, quâ docent Sancti Thomæ 301
discipuli non posse resisti efficaci auxilio ex efficaci Dei voluntate venienti, non adversatur illi quartæ propositioni ex Concilio Senonensi deductæ : quia illa non procedit de efficaci Dei auxilio, sed de excitante, vel inspirante tantùm. Vel si de efficaci procedit, sumit verbum, *resisti*, pro dissentire, ut dictum est. Non posse autem resistere arbitrium Dei voluntati efficaciter moventi per tale efficax auxilium Sanctus Pater Augustinus docet expresè *libro de correp. & grat. cap. ultimo.* Imò scriptura ait : *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*, nimirum efficaciter operanti, sive moventi.

De alia quinta propositione dicendum, quod 302
licet Deus non moveat voluntatem inevitabiliter, absolutè & simpliciter ; illam tamen movet inevitabiliter in sensu composito. In primo sensu loquitur Concilium Senonense, in secundo ille Sancti Thomæ discipulus vel ut clarius dicamus, licet arbitrium motum efficaciter evitare posset ut consentiat, quia absolutè liberam retinet potentiam, qua potest non consentire, & hoc docet Concilium Senonense in illa allata propositione, tamen fieri non potest ut arbitrium sit sic efficaciter motum, & evitet consensum : & in hoc sensu ille discipulus Sancti Thomæ loquitur. Imò idem Sanctus Thomas id docet *q. 6. de electione humana ad 3.* dicens, *Quod Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non potest : sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad plura non incurritur necessitas sed manet libertas.* Et Sanctus Pater Augustinus dicit, quod Deus movet voluntatem indeclinabiliter. Itaque, qui sic opponebant, sub æquivocatione laborabant, non attendentes ad illam necessitatem de sensu diviso atque composito, & unum sensum cum alio confundendo, in quo ipsos falli docet Sanctus Thomas *contra gent. cap.* 76.

Tandem impugnabant, illam doctrinam, qua 303
discipuli Sancti Thomæ dicunt Concilium Tridentinum loqui in sensu diviso respectu efficaciæ gratiæ, non in sensu composito, & explicabant sensum divisum esse, quod potest arbitrium dissentire, si ablata fuerit motio efficax, non autem possit dissentire illa posita, & hanc doctrinã sic explicatam discipulis Sancti Thomæ imponebant. Sed nullo modo ab eis hoc dici dedimus manifestum

Digitized by Google

1. *lib. part. 2. tract. 4.* ubi copiosè de vera intelligentia sensus divisi atque compositi egimus. Imò ibi monstravimus authores hos sic hanc doctrinam explicantes sequi Calvinum, qui eodem modo prorsus hanc distinctionem intelligebat, & sic intellectam catholicis attribuebat, ut eos, & veritatem impugnaret. Vnde nec referenda sunt quæ ex falsa illa intelligentia ab eis proponebantur, quia universa ex illa pessima & calviniana intelligentia procedunt, quam omnes Sancti Thomæ discipuli perpetuò damnarunt.

Id ipsum præterea egregiè confirmat, & in praxi satis persuadet celebre illud exemplum quod accidisse in Concilio Niceno legimus, lib. 2. capite 13. *quo plurimi Philosophorum &c.* Cuius meminimus nos supra *lib. 1. part. 2. tract. de sensu diviso & composito* mentionem fecisse, de illo nempè Arriano philosopho disertissimo, & ad impugnandam fidem paratissimo, & obstinatissimo, sicut illam multipliciter in illo Concilio impugnavit, quem Dominus medio quodam simplicissimo & illiteratissimo Episcopo Hispaniæ præcipiente ei in nomine Iesu Christi ut audiret fidem, quam & brevissimo sermone ei propositurus erat, mirabiliter sua potenti virtute & efficacia ad fidem convertit. Qui enim priùs summâ obstinatione, atque perfidia in plurimis fidem oppugnabat, auditâ simplici fidei prolatione, veluti, si nunquam ullum sermonem contradicendi didicisset, ita stupefactus virtute dictorum mutus ad omnia hoc solum potuit respondere, ita sibi videri nec aliud verum esse, quàm quod per simplicissimum Episcopum proponebatur ad ostendendum enim Domini virtutem & efficaciam, quâ quando vult, & quomodo vult, efficaciter hominis cor quod & in sua potestate habet magis quam ipse homo, convertit, & ad se trahit, divinâ sua ordinavit providentia, ut philosophus ille argutiâ suâ omnes doctissimorum Episcoporum prius rationes eluderet, vel oppugnaret; obstinatissimusque cum esset, omnibus arte dicendi contradiceret: & postmodum simplicitate verborum per divinam virtutem & efficaciam subito converteretur, quam & Philosophus ipse in se ipso expertus, confessus est dicens discipulis suis, qui simul aderant: *Audite ô eruditi viri donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui & qua dicebantur dicendis arte subverti, ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo.* Nihil certè urgentius pro divina efficacia, potentique virtute, quâ Deus homines ad se, cum vult, convertit, post Apostoli mirabilem conversionem possumus invenire. Vbi hæc obsecro congrua illa, quæ fingitur suasio, per quam Deus, ut dicunt, istum hominem convertit? Ecce consultò Deus omnes suasiones, quæ priùs nihil profuerant, Episcoporum doctissimorum excluſit, ut simplici verbo suam virtutem ostenderet, & efficaciam.

CAPVT XXIV.

Vera intelligentia eiusdem S. Concilij Tridentini cap. 5. sess. 6. *traditur, & declaratur respondendo obiectionibus ex eo contra efficaciam gratiæ deductis.*

¶ 4 POst modum in Sacro Concilio Tridentino instantiam fecerunt huiusmodi authores per libram à quodam suæ doctrinæ sectatore publicatum de concursu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ, ex quo breviter, sed strictè oppositiones, desumptas contra prævenientis gratiæ efficaciam ex Deo ipso procedentem, sive physicè aut ad modum causæ physicæ prædeterminantem referemus, & eâdem brevitate eis responsa præstabimus.

¶ 5 Sic Ergo prædictus author primò opponit *cap. 3. illius sui libelli* ex illis verbis Concilij sess. 6. cap. 5. in fine. *Vnde in sacris litteris cum dicitur convertimini ad me & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, cum respondemus, converte nos ad te Domine & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.* Ex quibus verbis tale ipse conficit argumentum: Non possumus nos metipsos convertere in Deum, nisi quatenus auxilium divinæ gratiæ prævenientis actu obtinemus: ergo præceptum illud, *convertimini ad me*, & admonitio libertatis non cadit supra nos, nisi pro eo statu qui divinæ gratiæ motionem includit. Hinc autem, ait, infertur nos motione illa gratiæ non physicè prædeterminari: quia si ea motio nos non relinquit indifferentes, ut convertamur si volumus, frustra præcipitur nobis, ut postquam huiusmodi motione præventi sumus, convertamur; ne dicam falsæ libertatis nostræ in actu conversionis admonemur. Hinc etiam infert cuiusdam moderni Thomistæ sententiam, asserentis efficaciam moralem relinquere indifferentem & indeterminatam nostram voluntatem, ut si vult, operetur, si non vult, non operetur; sed efficaciam auxilij prævenientis gratiæ physicè prædeterminare nostram voluntatem ad operandum; Ex quò, inquam, infert, quod etiam ex adversariorum sententia gratiam prævenientem physicè prædeterminantem, ad conversionem non relinquere hominem ita indifferentem, ut si velit convertatur.

¶ 6 Horum authorum argumentum multipliciter peccare dignoscitur. Primò, quia dato Concilium illis verbis loqueretur de homine habente efficax auxilium prædeterminans, adhuc ille posset suæ libertatis admoneri. Cùm enim ille sic physicè, seu efficaciter motus liberam potentiam habeat, quæ ita de facto consentit Deo vocanti, quod eidem potest dissentire, optimè vt hac sua libertate consentiat, potest admoneri. Nec huic obstat, quod opponit, videlicet formalem arbitrij creati libertatem sitam esse in activa indifferentia facultatis liberæ indifferenter se habentis ad opposita; ex verbis autem paulò superiùs relatis (illius scilicet moderni Thomistæ) evidens videtur facultatem physicè prædeterminationis ad unum, ad opposita indifferenter nequaquam se habere: Ad hoc enim respondetur istum authorem illud dictum citati discipuli Sancti Thomæ in alieno sensu sumere ab eo, quo ab illo prolatum fuit. Advertere enim debebat, quod, ut supra iam diximus, manifestum ex sancto Thoma 3. *contra gent. cap. 9.* & clariùs *in 1. contra gent. cap. 82.* duplex indifferentia & indeterminatio est in voluntate creata; altera respectu sui vel quoad actum, quæ potentialitas & imperfectio est; altera respectu obiecti, quæ est essentialis voluntati. Cum ergo ille discipulus Sancti Thomæ dicit auxilium physicè prædeterminans non relinquere voluntatem indifferentem ut velit, loquitur de illa prima indifferentia, qua ante tale auxilium voluntas æqualiter est in potentia ad utrumque actum, nec est in actu primo respectu alicuius. Hæc autem

Digitized by Google

tem indifferentia, & potentialitas revera tollitur per prædeterminationem, quæ voluntatem reducit in actum primũ respectu unius oppositorũ: nullo modo autem dicit quod tollitur per auxilium prædeterminans indifferentia alia essentialis activa, quæ est respectu obiecti; imò eam semper astruxit dicendo sæpissimè quod voluntas prædeterminata ita liberè consentit, quod potentiam activam habet liberam & indifferentem essentialiter ad non consentiendum. Sed quia hi authores non attendunt ad hanc duplicem determinationem confusè & æquivocè procedunt & nimis falluntur.

307 Quod autem ibi iterum obijcit, videlicet quod voluntas prædeterminata per auxilium non est potentia proxima & expedita, falsum est; respectu enim actus boni quem elicit, ita est proxima & expedita, quod etiam est in actu primo quo infallibiliter producit actum secundum; respectu autem oppositi actus est potentia quidem proxima, sed non reducta in actum respectu illius. Voluntas de se potentia proxima est etiam excitata ad abiiciendam talem excitationem, licet ut eam de facto abijciat debeat reduci in actum respectu actionis quæ est in peccato, quatenus actio est. De qua potentia proxima abundantius egimus *libro 3.* Quod verò ex Scoto & Capreolo inducit, eos nimirum asserere de ratione potentiæ proximæ operativæ esse, ut ad operandum nihil illi sit addendum vel substrahendum; etiam advertere debebat, illos authores loqui de potentia proxima reducta in actum ad agendum, seu de potentia proxima convincta cum effectu, non autem de potentia proxima ab actione separata, & non reducta in actum ad agendum. Plurima enim sunt, quæ licet in ratione potentiæ operativæ proximæ sint, indigent tamen reduci in actum ut agant, quod citato nostro 3. libro satis ostendimus. Itaque datur potentia remota, datur & potentia operativa proxima, datur tertiò potentia reducta in actum ad agendum: isti autem authores, hæc tria, nec considerant, & sic omnia confundunt.

308 Peccat secundò oppositum argumentum, quia illius author pro certo supponit quod non habenti gratiam prævenientem non potest imponi præceptum conversionis in Deum, nec potest suæ libertatis admoneri, ut expressè in argumento facto proposuit, ex eo quod sine illa præveniente gratia se in Deum convertere non potest. Quod tamen dici à Theologo nullo modo potest. Tum quia idem sacrum Concilium ad hoc illius argumentum respondet *cap.* 11. illis verbis: *Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis.*

309 Manifestum est ergo, quod licet homo non habeat gratiam prævenientem, cum ei præcipitur, ut convertatur in Deum, iubendo Deus illum monet petere quod non potest. Et quis dicat, quod prædicatores non possint semper exhortari homines ad conversionem in Deum, licet non omnibus Deus det semper gratiam prævenientem? Itaque certum est, quod etiam ij authores fatentur, quod non semper, & pro omni instanti Deus dat peccatoribus gratiam prævenientem; & tamen omnes confiteri tenentur, quod bene facerent prædicatores, si semper eos ad conversionem in Deum exhortarentur. An expectare debent ut sciant, illis Deum gratiam prævenientem iam dedisse, ut eos suæ libertatis & conversionis in Deum admoneant? Vnde quod prædictus author asserit, loqui scilicet Concilium de homine habente iam efficaciam gratiæ, cum ei dicitur. *Convertimini ad me*, in quo suæ libertatis admonentur, videtur expressè contra eadem verba loqui, quæ ex Concilio opponit, cum enim loquatur de illis hominibus, qui excitati libertatis suæ admonentur, cum eis dicitur, *convertimini ad me*, & sic excitati respondent Deo, *converte nos Domine & convertemur*: manifestè constat loqui de hominibus qui petunt auxilium efficax, quod nondum habent; si enim illud haberent; nec illud à Deo illa sua responsione postularent. Ego planè miror quomodo ad propria verba Concilij, quæ ille author opponit, non attendat.

310 Vt ergo perfecta intelligentia Concilij in illo capite habeatur, non tam explicanda quam legenda verba sunt illius cap. quinti ipsiusmet Concilij Tridentini: incipit enim in principio capitis docere initium iustificationis sumendum à Dei per Iesum Christum præveniente gratia, id est, ab eius vocatione, qua peccatores vocantur, ut per excitantem & adiuvantem gratiam ad se convertendum disponantur. Hoc habet expressè in principio capitis. Deinde quia dixerat prævenientem gratiam, à qua incipit initium iustificationis, esse non solùm excitantem, sed adjuvantem, statim declarat priorem esse excitantem, & ejus naturam exponit continuò subiungens: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere potest.* Illam enim vocando illuminationem & inspirationem Spiritus Sancti, declarat excitantem gratiam in illa illuminatione, & inspiratione consistere, quâ Deus hominem excitat, quam cum homo recipit, aliquid agit, aliquid, inquam, agit, primò quia activè indeliberatum producit actum, quo formaliter excitatur quia eumdem actum recipiens, illum recipit, ut postea suâ libertate agat, unde etiam in hac parte non est receptio merè passivè: Secundò quod Concilium illis verbis intendit, aliquid agit arbitrium recipiens, id est, acceptans actu suo libero illam inspirationem, quam & poterat non acceptare, sed abijcere: & hoc declarat, eum, ait, quod recipiens, id est acceptans illam inspirationem, eam potest abijcere, id est, ita eam liberè accipit seu acceptat, quod potest non recipere & acceptare, sed abijcere: ut supra iam dedimus manifestum; vel ut antea nos dixisse recordamur, etiam dum illam vult recipere, & postquam recipere vult, adhuc potentiam habet; qua eam potest inspirationem abijcere: quæ potentia sicut à principio, ita & postea, ac semper in arbitrio manet.

311 Quod enim hoc intendat Concilium per illa verba, *inspirationem recipiens, quippe qui eam abijcere potest*, satis constat, tum quia influxus, quo Deus facit arbitrium indeliberatum actum spontaneum efficere, à Calvino non negabatur. Tum secundò quia si de illo concursu loqueretur, qui indeliberatum, & spontaneum causat motum, non rectè diceret hominem agere inspirationem recipiendo; ex eo quod eam potest abijcere. Igitur loquitur Concilium de receptione, quâ libero actu ab arbitrio recipitur illa inspiratio, seu liberè acceptatur, per quod à Calvino contradicitur, & ratio facta à Concilio optimè probat, quod sic recipiens agit, cum ita velit recipere, quod potest, si vellet illam inspirationem abijcere, & quantum ad hoc hanc esse mentem Concilij in illis verbis, *recipiens &c.* etiam ij authores, cum quibus agimus, confitentur.

Deinde

Digitized by Google

512 Deinde exponit Concilium per quid de facto arbitrium recipit, & acceptat talem inspirationem, illa verba subdendo: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate potest.* Et sic exponit officium proprium gratiæ adjuvantis, quam absolutè gratiam vocat, esse movere hominem ad iustitiam, faciendo quod illuminationi & excitationi, seu inspirationi consentiat: & per utramque gratiam excitantem & adiuvantem, quarum munus & officium exposuerat, adæquatè comprehendit prævenientem gratiam, à qua de facto & cum effectu sumitur initium iustificationis nostræ.

513 Tandem illa verba adhibet: *Vnde in sacris litteris cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostra admonemur: cum respondemus, converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur:* concludendo & libertatem nostram & efficaciam adjuvantis gratiæ facientis arbitrium consentire; dicens quod in sacris litteris, cum dicitur, convertimini ad me & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum autem nos respondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei gratiâ nos præveniri confitemur, id est, confitemur nos præveniri Dei gratia, quæ nos facit converti, & qua posita prævenienti gratiâ infallibiliter nostra conversio sequitur. Hæc est plana & palmaria Concilij littera & intelligentia. Vnde verum est, quod loquitur Concilium in isto capite de gratia efficaci præveniente, quia loquitur simul de excitante & adjuvante gratia, quam adjuvantem prævenientem efficacem esse monstravit, dicendo quod semper efficit nostram conversionem, & quod hanc efficacem gratiam efficientem conversionem nostram nos à Deo postulamus: hoc illi authori concedimus. Sed ex hoc nullo modo infertur quod doceat Concilium nos posse dissentire gratiæ efficaci; sed tantum docet quod efficaciter adjutum arbitrium potest dissentire Deo excitanti, ut verba expressè habent, & infra copiosè ostendemus.

514 Deinde aliud argumentum ex verbis relatis deductum proponitur ab illo authore contra prævenientis gratiæ efficacem prædeterminationem ad liberè arbitrium consentiendum, quod & tale est: Vt homo gratia præveniente motus ad conversionem in Deum, liber sit ad conversionem & volitionem oppositam, debet habere unam, eandemque numero potentiam, per quam formaliter potens constituatur ad utramque volitionem; sed hanc non habet homo physicè prædeterminatus, quia potentia quam habet ad conversionem est quid conflatum ex arbitrio creato, & gratia efficaciter prædeterminante; potentia verò quam habet ad volitionem oppositam, non est illud ipsum conflatum, quia hoc volitionem oppositam producere, & recipere nequit: nam alioquin dissentiretur gratiæ efficaci, seu physicæ prædeterminationi in sensu composito.

515 Hoc argumentum, quia ex prima intentione intendit non esse in arbitrio habente auxilium gratiæ efficaciter prædeterminans, potentiam liberam ad oppositam volitionem iam solutam reliquimus supra, cum egimus de auxilio sufficienti, ubi illius solutio videnda est: verè enim habet liberam potentiam arbitrium à Deo prædeterminatum ad abijciendam inspirationem divinam, illique dissentiendum & cum illa coniungendum dissensum; non autem ad abijciendum gratiam efficacem, & illi dissentiendum, vel cum illa coniungendum dissensum: sunt enim ista tria valdè diversa, ut dicemus & exponemus. Vnde hæc non distinguentes ij Authores magna æquivocatione laborant. Quod autem dicit de illo, quod vocat conflatum ex potentia & auxilio efficaci, dicendum potentiam per illud auxilium esse reductam ad agendum in actu, non autem sic esse reductam in actu ad agendum oppositum dissensum & sic respectu oppositi dissensus est potentia libera, non autem reducta in actum ad illum eliciendum, sicut est per auxilium efficax in actum reducta ad consentiendum.

Prosequitur Idem author in *cap. 4. illius sui libri* & ex *cap. 7.* Concilij Tridentini eiusdem *sess 6.* argumentum aliud opponit ex illis verbis. *Iustitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Ex ijs verbis ita infert si secundùm mensuram auxilij efficaciter prædeterminantis datur mensura gratiæ, & non etiam secundùm conatum arbitrij, sola voluntas Spiritus Sancti dantis tale auxilium debuisset assignari tanquam gratiæ mensura, nec addenda illa verba fuissent, *& secundùm cuiuscunque propriam dispositionem, & cooperationem.* 516

Etiam ad hoc argumentum planè satisfactum 517
est supra inter discutiendum quæstionem illam an cum æquali auxilio stet unum altero intensiùs cooperari, quod hic author cum suis contendit hoc motus argumento, sed quam inefficax sit, & quam finistrè ad id inducantur verba illa Concilij, ostensum fuit plenariè supra, ut diximus, ubi in specie hoc argumentum authoris huius inter alia in terminis solutum est, & nunc breviter dicimus Concilium ibi docuisse sumi quantitatem gratiæ secundùm quantitatem dispositionis cuiuscunque, sed vlteriùs hanc quantitatem dispositionis sumendam secundùm quantitatem auxilij; quod Spiritus Sanctus tribuit unicuique prout vult.

Vlteriùs in capite primo eiusdem sui libri qua- 518
tuor argumenta proponit ad probandum quod destitutus auxilio gratiæ efficaci, & prædeterminatus ad actionem quæ est in peccato, quatenus actio est, non habeat verè auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & per consequens illi imputari debeant. Sed omnia illa quatuor argumenta à nobis supra soluta sunt; unde nihil hîc superest addendum pro perfecta illorum solutione, sed quæ ibi pro illorum plena confutatione dicta sunt, inspiciantur.

CAPVT XXV.

Eadem vera intelligentia S. Concilij Tridentini in Regulis fidei *proponitur, & falsa refutatur respondendo obiectionibus ex eis per adversarios malè deductis.*

POstquam supradictus author opposuit ex capi- 519
tibus illius sessionis sextæ, quæ retulimus & impugnavimus supra, processit ad eadem argumenta formanda & regulis fidei, quas Concilium sacrum in illa *sexta sessione* tradit. Vnde in *capite sexto* illius sui libri ita incipit. *Canon quartus totus ob oculos ponendus est, quia totus mirificè nobis favere videtur sic igitur habet: si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*

nihil

Digitized by Google

nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, neque passivè se habere, anathema est.

Vtique Canon iste quartus totus ob oculos ponendus est, quia totus mirificè prævenientis Dei gratiæ efficaciam definit, quam iste author cum aliis negat, & simul nostram libertatem defendit contra Lutherum & Calvinum ut illico aperietur. Aliquando in istis nostris operibus diximus liberum hominis arbitrium, etiam ut est à Deo motum per gratiæ auxilium non producere contritionem ut venit à Deo, & est ultima dispositio ad gratiam, licet se ad gratiam præparet atque disponat effectivè contritionem producendo: sed contritionem esse ultimam dispositionem ad gratiam à solo Deo datore auxilij procedentem, sicut ipse solus est causa efficiens habitualis gratiæ non homo ipse. Quæ doctrina amplius est hîc explicanda & confirmanda.

Pro cuius explicatione maiori aliqua in hac causa sunt certa & ab omnibus acceptanda: primum, hominem sine gratiæ auxilio se ad habitualem gratiam præparare non posse, ne dum ultimò & proximè, sed nec remotè, ut supra hoc quarto libro ostensum est.

320 Secundum, hominem motum auxilio gratiæ & excitatum se præparare, ad gratiam, secundùm illud Proverb. 16. *Hominis est præparare animam:* Probatur ex S. Th. 1. 2. q. 112. art. 2. quod & Canon Sacri Concilij Tridentini definit *sess. 6. de justificatione Can.* 4. quæ fidei definitio sæpius in his operibus relata est: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti & excitanti; quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat, & præparet &c.* disponit ergo se homo per actum suum habitum ex gratia excitante, atque movente ad justificationis gratiam, ut Concilium Sacrum definit.

321 Tertium, hanc dispositionem & præparationem ad gratiam principaliter fieri à Deo movente & excitante per auxilium gratiæ, secundùm illud *præparatur voluntas à Domino:* de quo videatur Sanctus Thomas *ubi suprà.* Hæc tria ab omnibus ut certa & indubitata recipienda sunt. An verò gratia ipsa justificans infallibiliter consequatur ad illam præparationem secundùm quod fit à libero hominis arbitrio moto per auxilium gratiæ; an sequatur infallibiliter ad eandem præparationem secundùm quod venit tantùm à Deo movente, maior difficultas est: nam Sanctus Thomas 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. non obscurè videtur asserere non sequi infallibiliter justificantem gratiam ad præparationem secundùm quod fit à libero arbitrio moto à Deo per auxilium gratiæ, sed tantùm infallibiliter sequi ad eandem præparationem secundùm quod fit à Deo movente hominem ad illam, verba sunt, *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, præparatio hominis ad gratiam est à Deo sicut à movente; à libero autem arbitrio sicut à moto: potest igitur præparatio dupliciter considerari, uno quidem modo secundum quod est à libero arbitrio & secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem: quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ: Alio modo potest considerari secundùm quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia, intentio Dei deficere non potest.* Et post pauca: *Vnde si ex intentione Dei moventis est, quod homo cuius cor movet, gratiam consequatur infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Ioan. 6. omnis qui audit à Patre & didicit venit ad me.* Quibus verbis docet gratiæ justificantis consequutionem non sequi infallibiliter ad præparationem, secundùm quod fit à libero arbitrio, sed tantùm secundùm quod fit à Deo movente.

Quod enim loquatur de præparatione facta à 322
libero arbitrio moto à Deo, & non facta à solo arbitrio, quod aliqui non considerant, tria videntur satis ostendere: primum est, quia præparatio ad gratiam habitualem nulla potest esse à solo arbitrio; ut idem sanctus Doctor præmiserat eâdem 1. 2. q. 109. art. 6. Cum ergo loquatur de præparatione ad gratiam habitualem justificantem, loquitur planè de illa, quæ fit à libero arbitrio mota à Deo. Secundò quia in *isto art.* 2. inducto se refert Sanctissimus Doctor ad secundum præcedentem, in eo autem dixerat liberum arbitrium à Deo motum se præparare ad gratiam & utramque præparationem illam fieri à Deo movente: ergo in hoc eodem sensu loquitur in *art.* 3. Et tandem quia verba ipsa illius articuli tertij hoc satis declarant, quæ relata sunt supra, quod nimirum præparatio ad gratiam est à Deo sicut à movente, & à libero arbitrio sicut à moto: cumque statim subdit, non sequi infallibiliter gratiam ad illam præparationem, secundum quod fit à libero arbitrio, intelligit planè secundùm quòd procedit à libero arbitrio moto, quod Sancti Thomæ sine dubio quod justificans gratia non sequitur infallibiliter ad præparationem seu quod idem est, ad contritionem, secundùm quod procedit à libero arbitrio moto à Deo, sed secundùm quod illa præparatio fit à Deo movente & intendente, quod infallibiliter homo gratiam consequatur; quod est clarius dicere, quod contritio secundùm quod est à libero arbitrio moto à Deo non est ultima dispositio ad gratiam, sed rationem ultimæ dispositionis habet à Deo movente & intendente, quod ad illam gratia infallibiliter consequatur. Namque hominis arbitrium à Deo motum efficaciter contritionem præcedit, quâ disponitur & præparatur ad gratiam, sed rationem ultimæ dispositionis ab ipso arbitrio atque à Deo moto non habet: sed solum à Deo movente, qui sicut solus est causa efficiens gratiam, & non motum liberum arbitrium: ita & causa solus est illius ultimæ dispositionis, ut ultima dispositio est: Iuxta commune dictum, quod qui est causa effectiva ultimæ dispositionis ad formam etiam causa effectiva est ipsius formæ: & cui repugnat causam efficientem esse formæ, etiam causam effectivam repugnat esse ultimæ dispositionis ad formam, secundùm quod ultima illius dispositio est. Quam rationem apponit in illo articulo tertio Sanctissimus Doctor, cum ait, quod donum habitualis gratiæ præcedit omnem præparationem virtutis humanæ, etiam à Deo motæ, quæ sit causa efficiens quod infallibiliter ipse homo justificantem gratiam consequatur: quia si esset efficiens causa liberum arbitrium motum præparationis, secundùm quod ultima dispositio est ad gratiam, ad quam proinde infallibiliter gratia consequeretur, esset causa efficax introducens ipsam gratiam; quod tamen ipsi repugnat.

Ex quo & aliud sequitur, quod nempe iusti- 323
ficans gratia non debeatur homini contrito, sed Deo illum disponenti; Deus enim sic hominem disponens sibi debet infundere gratiam. Si enim ad præparationem prout venit ab homine moto

Digitized by Google

infallibiliter, consequeretur gratia, debita esset gratia illi dispositioni, vel quod idem est, deberetur homini sic se conterenti, & disponenti ex auxilio divino: cum tamen gratia nec debita sit contritioni ut venit ab homine, nec homini habenti talem contritionem.

Quod si quis dicat: non sequi; quod si homo à Deo motus est causa effectiva contritionis secundùm quod ultima dispositio ad gratiam est, etiam sit causa effectiva ipsius gratiæ: quia hoc axioma solùm verum est, quando forma est prorsus eiusdem ordinis cum dispositione ultima: tunc enim verum est; quod qui est causa ultima dispositionis, etiam est causa formæ: non autem habet vim quando forma multum excedit ultimam dispositionem; sicut excedit iustificans gratia omnem hominis adjuti dispositionem; cuius & exemplum esse potest, quod habens gratiam habitualem ut quatuor, & ex divino auxilio producit actum virtutis ut octo, producit dispositionem ad augmentum charitatis habitus ut octo, effectiva causa non est augmenti habitus, sed habitus à solo Deo effective augetur: si enim quis sic respondeat; ad mentem Sancti Thomæ, & doctrinæ illius non respondebit, ut manet ex istius verbis satis ostensum: nec etiam ita poterit explicare quomodo iustificans gratia non sit eiusdem ordinis cum sua ultima dispositione ad quam infallibiliter consequitur: cum tam illa forma quam dispositio ordinis sint supernaturalis. Ad aliud dicendum eodem modo, quod ille actus ut octò charitatis non habet ab homine illum efficiente, quod sit ultima dispositio ad augmentum habitus, sed tantùm à Deo movente; & ad illum ut est à Deo movente infallibiliter sequitur illud habitus augmentum. Sed ad obiectiones revertamur.

324 Cum hoc Canone ait supradictus author, coniungenda sunt verba illa capitis quinti, quorum vim in hunc locum rejecimus expendendam, sunt autem illa: *Declarat præterea* Sancta Synodus *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo liberâ sua voluntate possit.*

325 Coniungenda sunt sanè hæc verba capitis quinti cum illis quæ ex Canone quarto relata modo sunt, cum Canon ille quartus ex doctrina tradita in capite illo quinto desumptus sit & formatus; quia in utroque eadem Catholica veritas prædicatur; nimirum quod liberum hominis arbitrium accipiens per adjuvantem gratiam, scilicet inspirationem, eam possit abijcere, ut habetur ex capite quinto: seu motum & excitatum ita assentiatur ob efficacem motionem Deo vocanti & excitanti dissentire possit. Sicut enim ad assentiendum Deo excitanti indiget arbitrium quod à Deo sit efficaciter motum ita ad recipiendam Dei inspirationem indiget quod sit efficaciter per gratiam adjuvantem adjutum.

326 In neutro autem dicitur (quod est valdè considerandum) posse arbitrium excitatum, & adjutum abijcere adjutorium & motionem Dei, quam efficacem esse docebat; vel Deo excitanti, & efficaciter moventi posse dissentire. Quod enim in capite quinto doceat liberum hominis arbitrium à Deo excitatum & adjutum posse abijcere inspirationem, illa verba declarant. *Ita ut neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui eam abijcere potest.* Igitur recipiens seu acceptans inspirationem aliquid agit. Cum ita illam recipere & acceptare vult, quod illam abijcere potest; unde & agit liberè illam volendo recipere, cum posset, si vellet, illam inspirationem abijcere.

Recipit autem inspirationem, seu acceptat 327
per adjuvantem gratiam & actum liberum, vt ibi expressè traditur: ergo arbitrium adjutum gratia adjuvante ita recipit & acceptat inspirationem, quod illam poterat non acceptare sed abijcere. Quod verò non dicat posse arbitrium adjuvantem gratiam abijcere, verba demonstrant, quibus planè dicitur, quod recipiens inspirationem, per gratiam scilicet adiuvantem, eandem inspirationem potest abijcere, non autem gratiam adjuvantem. Sicut in Canone fidei citato dicitur, quod motum & excitatum arbitrium assentit Deo vocanti, & excitanti quod potest dissentire eidem, scilicet Deo vocanti & excitanti; non autem dicit quod potest dissentire Deo excitanti, atque moventi.

Hoc loco, inquit ponendum est primò damna- 328
ri hæresim Calvini negantis nostri arbitrij libertatem in actibus ex gratia manantibus. Ponendum secundò hæresim Calvini illam fuisse, quam in institutione evomuit apud Ruardum Tapert. *articulo citato pagina 240. voluntatem*, inquiens, *movet gratia, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis motioni obtemperare vel refragari, sed illam efficaciter afficiendo:* eadem ferè verba repetit, dum ait, *in eo hallucinantur*, (scilicet Patres Concilij) *quod motum nobis afferri somniant, quid mediam electionem in nobis relinquant, nihil autem de efficacia illa cogitant qua cor hominis renovatur ut ex pravo fiat rectum.* Ponendum tertiam Calvini controversiam in proposito cum Catholicis fuisse de gratia efficaci, expressè enim hoc cernitur in verbis quæ retulimus.

In his tribus hinc inde consensio est & quod 329
in illo Canone damnetur hæresis Calvini & etiam Lutheri, & quod Calvini hæresis fuerit, sic Deum efficaciter movere voluntatem, quod libertatem ejus auferat, & de hac efficacia gratiæ Calvini controversiam cum Catholicis fuisse, sed & illud addendum, Calvinum efficaciam gratiæ non posuisse in excitante & adjuvante gratia, quia videbat per utramque libertatem salvari nostræ voluntatis, quod primo libro dedimus manifestum: sed aliam efficacem motionem rapientem arbitrium ut spontaneæ voluntati: sed sine libertate actum efficeret ad modum motus primò primi; unde Concilium sacrum & ejus hæresim damnaret, efficacem gratiam constituit in excitante & adjuvante Gratia, ex qua deduxit optimè, nostram salvari electionem & libertatem; itaque ut uno verbo omnia concludam, posuit Calvinus efficaciam gratiæ tollentem electionem & libertatem nostram ut ex relatis ejus verbis fit clarum. Concilium autem totum oppositum *diffinit* Statuendo efficaciam prævenientis gratiæ *saluantis* libertatem nostram & ponentis nostram electionem.

Quod autem Calvinus in Antidoto Patres 330
Concilij carpit quod dixerunt motum nobis à Deo

offerri

Digitized by Google

offerri, qui relinquat nobis electionem, nihil de efficacia illa cogitantes qua cor renovatur, ut de prauo rectum fiat, valdè profecto hallucinatur ipſe nec Patres Concilij intelligit, qui ſicut docuere Deum ita motum nobis præſtare, qui in nobis relinquat noſtram electionem, ita efficacaciam gratiæ qua Deus ad ſe homines convertit aperte tradiderunt in *cap.* 5. 6. & *in cant.* 3. & 4. ut ſtatim demonſtrabitur, cum quo manifeſtè conveniunt, qui modo dicunt gratiam prævenientem à Concilio traditam ſolam eſſe excitantem, ſi enim ſic eſſet motus nobis offerretur ſufficiens videlicet tantum, ſed de gratia Dei efficaci convertente ad ſe homines nihil penitus dixiſſet, quod affirmari non poteſt, hoc autem totum à priori ſtatim monſtrabitur. Hinc autem fit ut Concilium loquens & docens poſſe nos gratiam abijcere illique diſſentire intelligendum non ſolum de gratia ſufficiente ſed etiam de efficaci, id quod etiam ipſi adverſarij concedunt & quidem merito, nam alioqui Concilium Calvino non contradiceret.

331 Si Concilium docens poſſe nos Gratiam abijcere illique diſſentire, intelligendum eſt non ſolum de gratia ſufficiente, ſed etiam efficaci ut ait; quare ipſemet author tenet quod cum authores ſuæ ſententiæ dicunt ſenſum Concilij Tridentini eſſe, ut cum gratia efficaci, ad voluntatem boni coniungi poſſit, volitio ejuſdem, aut volitio oppoſita ſolum intelligunt, ut cum tota illa virtute auxilij, à quo de facto producitur volitio boni, poſſit ſeclusa ſuppoſitione & præſcientia conſenſus futuri conjungi nolitio ejuſdem boni, aut volitio oppoſita; ſi enim illa ſuppoſitio vel præſcientia ſecludatur, jam non manet ſecundum illos vocatio congrua nec efficax, cum per talem ſuppoſitionem & præſcientiam ut aiunt, congrua & efficax efficiatur; ergo non ſuſtinent poſſe arbitrium abijcere efficacem gratiam aut efficaci gratiæ diſſentire, ſed ſolum quod ſufficientem poteſt abijcere, illique diſſentire: ſufficiens enim ſolum eſt illa gratia ſecludendo, ut prædictus author ab illa ſecludit, ſuppoſitionem & præſcientiam: unde ſi eſt contra mentem Concilij poſſe abijcere ſolum gratiam ſufficientem, illique diſſentire, quia alias non contradiceret Calvino, profecto hic author eſt, qui contra Concilij mentem apertè loquitur.

332 Alius autem huius ſententiæ ſectator in publicis diſputationibus conceſſit, quod poſito auxilio efficaci per prævisum futurum conſenſum & determinationem voluntatis non magis ſalvatur in homine illud auxilium habente arbitrij libertas quam ſalvetur ratio hominis in homine puero: concedunt ergo non ſalvari hominis libertatem poſito illo, quod dicunt efficax auxilium, prout ab ipſis ponitur, per præſcientiam futuræ prædeterminationis voluntatis: ergo concedunt quod auxilio jam facto efficaci per illam prævisionem futuri conſenſus, non poteſt homo diſſentire, imò quod jam nullam habet veram libertatem, ſicut vera ratio hominis in homine puero præſto non eſt.

Itaque in ipſorum ſententia, planè convincitur quod efficaci auxilio non poteſt homo diſſentire: vel cum illo componere contrarium diſſenſum quod ſic oſtenditur: ipſi dicunt quod auxilium ſit efficax per futurum conſenſum voluntatis: ergo illud auxilium efficax includit illum futuræ voluntatis conſenſum; ſed auxilium includens talem voluntatis conſenſum; homo non poteſt abijcere, aut illi diſſentire: ergo auxilio efficaci homo diſſentire non poteſt probatur Minor: nam ſecundum ipſos poſſe diſſentire eſt poſſe componere & conjungere contrarium diſſenſum cum auxilio, ſed cum auxilio ab eis conſtituto efficaci per inclusionem futuri conſenſus non poteſt homo conjungere ſeu componere diſſenſum contrarium: ergo tali efficaci auxilio non poteſt homo diſſentire. Major iterum manifeſtatur; quia alias poſſet homo ſimul componere & conjungere reſpectu ejuſdem objecti, conſenſum atque diſſenſum, quod implicationem involuit manifeſtam, manifeſtum eſt ergo quod in ipſorum ſententia convincatur non poſſe liberum hominis arbitrium auxilio efficaci diſſentire. Si ergo ut ipſi contendunt neceſſarium eſt ad ſalvandam libertatem, quod poſſit liberum hominis arbitrium auxilio efficaci diſſentire opponentes Concilium quod loquatur in ſenſu compoſito: videant & ipſi quomodo, hominis libertatem ſalvent.

Sic ergo contra illos fiat argumentum cum 333
Concilium docet poſſe arbitrium in inſpirationem abijcere, poſſeque motum & excitatum diſſentire vel loquitur quod poſſit diſſentire auxilio ſufficienti vel efficaci, ſi ſufficienti: ergo ut, aiunt Concilium non contradicit Calvino, qui loquebatur de auxilio efficaci: ſi autem loquitur Concilium quod poteſt arbitrium diſſentire auxilio efficaci, ergo illi efficaci auxilio ſecundum ipſos homo diſſentire non poteſt: & ſic ſecundum illos jam non habebit libertatem: ex his ergo duobus eligant quod placuerit.

Quod autem dicunt etiam nos concedere Con- 334
cilium loqui de auxilio efficaci veriſſimum eſt, ſed attendant quod nos non dicimus, nec dici poteſt, docere Concilium efficaci auxilio poſſe hominem diſſentire vel illud abijcere poſſe: quod enim dicimus eſt tantum docere atque diffinire Concilium quod habens auxilium efficax poteſt diſſentire Deo vocanti & excitanti & quod excitationem & vocationem illam poteſt abijcere. Aliud eſt enim quod habens auxilium efficax poſſit diſſentire Deo vocanti & excitanti, quod veriſſimum eſt & in terminis Concilium diffinit: per quod & Calvino perfectè contradicit, qui contendebat, habentem efficacem motionem, nullo modo poſſe Deo & ejus vocationi diſſentire, nec ad id libertatem habere; & aliud quod Doceat Concilium, habentem efficax auxilium poſſe eidem auxilio efficaci diſſentire, quod Concilium ſacrum non docuit, ut noſtro primo libro ſatis oſtendimus, & adhuc infra hoc libro magis apertè monſtrabimus, imò docet quod eidem Deo vocanti & excitanti cui motum efficaciter à Deo arbitrium aſſentitur, eidem inquam vocanti & excitanti diſſentire poteſt ſi velit, id eſt ita efficaciter movetur à Deo ad aſſentiendum cum ſua plena libertate, quod liberè vult aſſentire Deo vocanti & excitanti, & ita liberè quod ſi vellet, poterat non aſſentiri, ſed diſſentire eidem vocanti & excitanti Deo in quo ejus plena ſalvatur libertas, & iſte eſt ſenſus à Sacro Concilio intentus; in quo etiam ſenſu præmiſerat in *cap.* 5. quod adjutus homo efficeret gratia adjuvante ad recipiendam divinam inſpirationem: ita eam liberè recipit, quod ſi vellet, eam poſſet non recipere, ſed abiicere: qui etiam eſt ſenſus traditus & intentus à Concilio ut noſtro primo libro *cap.* 134. citato jam antea tradidimus, deinde omittimus quod etiam ibi tetigimus, etiam verum eſſe quod, arbitrium recipiens jam ſuo conſenſu inſpirationem poteſt abijcere & cum illa oppoſitum conjungere diſſenſum

Digitized by Google

non autem consensu quo illam recipit: cum qua est manifestum non posse conjungere dissensum contrarium. Parique ratione verum est, quod liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ita cooperetur consentiendo, quod etiam jam consentiens seu assentiens Deo vocanti & excitanti, potest, seu potentiam liberam habet ad dissentiendum eidem Deo vocanti & excitanti & potentiam liberam habet ad conjungendum dissensum, cum Deo vocante & excitante, hæc enim potentia & ante motus efficaciam erat in arbitrio, & post illam motionem in ipso manet: nec enim per divinam motionem aufertur: Non tamen jam Deo vocanti & excitanti consentiens, potest sibi consentienti vel assentienti dissentire, aut cum suo consensu contingere seu componere contrarium dissensum; ut est satis notum, dicimus quod hoc ad præsens omittimus quia ut *nostro primo libro citato capite*, præmisimus in isto sensu nec videtur loqui Concilium, aut illud intendere sed in sensu priori jam explicato, quem revera intendit.

335 *Pagina* 5. eiusdem libri procedit author ad probandum quod Concilium Tridentinum in illa *Sessione* 6. propositiones alias (sivè per illas annuntietur voluntas cum gratiæ negatione sivè cum gratia vel alia positiva dispositione) secundum perusurparat in sensu composito: ergo in eodem sensu dicendum est usurpasse illam, liberum arbitrium a Deo motum & excitatum potest gratiæ dissentire, alias æquivocasset Concilium dum in aliis loqueretur, in sensu composito & solum in illo Canone in sensu diviso.

336 Iam patet ex dictis Concilium loqui de homine qui efficaci gratia adjuvante motus ita recipit inspirationem, quod potest illam quam recepit, si vellet non recipere, sed abijcere, quod docebat in *cap.* 5. similiter in *Canone* 4. loquitur de homine efficaciter moto & excitato, qui ita liberè cooperatur assentiendo Deo vocanti & excitanti quod si vellet non assentiretur, sed eidem Deo excitanti atque vocanti dessentiretur, non tamen sive in *cap.* 5. sive in *Canone* 4. loquitur cum docet, quod possit homo componere obiectionem inspirationis cum Deo efficaciter movente, ut inspirationem recipiat, vel quod posset liberum arbitrium ex Deo motum & excitatum coniungere contrarium dissensum cum Deo efficaciter movente, seu quod idem est quod possit Deo efficaciter moventi dissentire in sensu nempe composito & unde non loquitur in sensu composito. Ad probationem vero negatur quod in omnibus aliis propositionibus, loquatur in sensu composito: in aliquibus enim in sensu composito loquitur in aliquibus in diuiso, secundum proprias naturas propositionum, nec proinde æquivocationem aliquam committi, quia propositiones statuit secundùm proprias earum naturas, quæ cum diviſæ sunt necesse est quod illarum quædam compositè aliæ divisè sumātur. Vnde si aliquis vellet intelligere Concilium quod loquatur de homine jam recipiente per consensum inspiratione, & jam cooperante assentiendo Deo vocanti & excitanti: ita quod jam assentiens & cooperans possit abijcere inspirationem, & dissentire: quod & in litera Concilij fundari poterit, necesse est intelligat Concilium loqui in sensu diviso: quia alias implicaret posse dissentire vel contrarium dissensum componere cum suo consensu, sed quia hæc non videtur Concilij intentio, ideo nec in hoc instantiam facimus.

337 Probat omnes propositiones Sacri Concilij sumi in sensu composito prædictus Author; quia declarat *Can.* 2. hominem sine gratia justè vivere & vitam æternam promereri non posse. Ita ut sensus sit, quod cum illa gratia inspirationis & specialis auxilij ac privilegii negatione actus illi coniungi nequeant; nam quod homo illis ipsis donis (inquit) spoliatus, possit illos actus habere in sensu diviso, nulli dubium: cum homo ex se habeat potentiam, per quam possit ad illos actus concurrere, non coniungendo concursum cum illorum donorum negatione, hoc est coniungendo illum cum ipsa formali negatione oppositа.

Quare incipiens à *Canone* 2. omisit primum ni- 338
si quia fortè vidit illum in sensu diviso procedere, ut revera procedit: diffinitur namque in illo, hominem sive operibus naturæ viribus, sive per legem & doctrinam factis absque divina, per Iesum Christum gratia, non posse justificari coram Deo. Quæ propositio & definitio nec ex dispositione terminorum nec ex aliqua ratione urgente debet explicari in sensu composito, quia absolutè prolata sensum facit divisum quem pro se fert, nempe per nulla opera naturæ vel legis sine gratia Christi posse hominem iustificari, id est, habere ex se proximam potentiam ad iustificationem, sed hanc potentiam ei tribui per gratiam.

Similiter ob eandem rationem Can 2. etiam
in diviso sensu debet intelligi, docet enim Con- 339
cilium non habere ex se hominem veram potentiam sine gratia ad iustam vitam, & multo minus ad vitam æternam habendam, quia sine gratia talis vera potentia in homine non est nec potest esse, cum potentia ad actus supernaturales supernaturalis debeat esse, non naturalis nisi cum Pelagio consentire velimus: solùm ergo est in homine sine gratia capacitas ad habendum dona & auxilia gratiæ quibus veram obtineat pœnitentiam, qua possit jam benè vivere & vitam æternam promereri. Vnde quod author ait, nulli dubium esse quod homo spoliatus donis gratuitis gratiæ possit ex se habere illos actus scilicet, justè vivere & vitam æternam promereri in sensu diviso. Quomodo à Theologo dici possit non video quia potius omnibus hoc debet esse certum quod spoliatus homo omnibus donis gratiæ, non potest, nec potentiam habet ex se ad illos supernaturales actus, sed ex se præcisè tantum habet capacitatem, vel quod idem est potentiam radicalem atque remotam ut possit elevari per dona gratiæ & habere per illa potentiam proximam ad similes actus; quare negata gratia elevante, ut negatur in homine spoliato omnibus donis gratiæ, non est in homine ex se potentia ad actus supernaturales, quia illa potentia radicalis solùm est in homine ut possit elevari per dona gratiæ quæ potentia radicalis proinde capacitas est, quia capacitatem habet ut possit sic elevari, quæ capacitas non est in arbore, equo, vel lapide.

Canon tertius procedit in sensu composito, quia
diffinit sine spiritus S. inspiratione atque eius adiu- 340
torio hominem non posse credere &c. quia etiam sine adiutorio supra inspirationem posito, per solam inspirationem sive excitationem, quæ est, ut dictum & explicatum supra, auxlium sufficiens, potest homo in sensu diviso habere illos actus, non tamen potest per solum illud sine adiutorio vel adiuvante gratia coniungere consensum cum actibus illis, quod in illo Canone diffinitur. Diximus per inspirationem sine efficaci auxilio posse hominem credere, id est, habere, proximam sufficientem potentiam ad credendum quod intelligimus si illa inspiratio veras vires eius voluntati tribuat; alias non, si tantum objectivè moveat.

Canon

Digitized by Google

341 Canon similiter 22. in quo diffinitur non posse hominem justificatum sine speciali auxilio perseverare usque in finem, & cum illa posse, & debet omnino intelligi in sensu composito, quia & forma propositionis id denotat, quæ manifestè secundum dialecticæ regulas composita est: & præterea est certum quod per gratiam justificationis & auxilium sufficiens, sine speciali illo auxilio perseverantiæ potentiam habet justificatus ad perseverandum, ut Theologi omnes ad 1. 2. dicere solent, non tamen potest sine illo speciali & magno auxilio perseverantiæ coniungere sibi actum perseverandi, vel actum perseverandi componere simul cum negatione talis specialis auxilij.

342 Canon 23. qui in sensu composito à supradicto authore intelligendus dicitur sine dubio in sensu procedit diviso, author enim citat illum Canonem pro secunda parte relicta prima in qua patentissimè in sensu loquitur diviso qua sinceritate autem hoc fiat alij judicent: sic enim Canon ille citatur in *Can.* 23. omnia peccata etiam venialia sine speciali Dei privilegio, vitare non posse, quem suo modo intelligit in solo sensu composito procedere: at totus integer Canon sic habet. *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, nec gratiam amittere; atque ideo cum qui labitur & peccat numquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, Anathema sit.* Cuius prima pars Canonis apertissimè in sensu procedit diviso, cum diffinitur posse hominem justificatum peccare id est potentiam liberam esse in homine justificato ad peccandum, non enim potest esse sensus compositus, posse nempè hominem justificatum coniungere peccatum cum gratia justificante, nisi quis dicat facere sensum compositum tunc, videlicet, quod qui est justificatus potest peccare, quia potest amittere justificationem & sibi coniungere peccatum, in quo sensu potest illa propositio intelligi in sensu composito. Secunda etiam pars in qua objector instat omissa hac prima (quam quia contraria suæ intensioni erat prætermisit) etiam licet non ita manifestè in sensu diviso non intelligitur, quia in homine justificato non solum non est potentia ad coniungendum vitationem omnium venialium, cum negatione illius specialis auxilij, qui est sensus compositus, sed etiam in ipso potentia non est ad vitandum omnia venialia collectivè; sed hæc potentia datur per tale speciale privilegium, quod & Theologi in 1. 2. solent affirmare, igitur ex illis regulis fidei, quas inducit, & quas in sensu composito procedere dicit primus Canon & secundus cum 23. in utraque illius parte in sensu diviso procedunt, licet 3. & 22. procedant in sensu composito, ut visum est: falsum est ergo & contra mentem Concilij asserere quod in aliis omnibus propositionibus quas apponit Concilium in hac materia in illa sessione sexta loquatur in sensu composito.

343 Declarat prætereà idem Concilium, cap. decimo quarto, eos qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt; rursus justificari posse cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, meritò, Christi amissam gratiam recuperare procuravere. *Cap.* 15. omnes qui lethalia committunt peccata ab illis cum divino gratiæ adjumento abstinere posse. Can. 22. justificatum in accepta justitia cum speciali Dei auxilio perseverare posse. Can. 23. ex speciali Dei privilegio omnia venialia posse vitari. Quæ recentia testimonia non solum in sensu composito, sed etiam in diviso dicit esse accipienda & post expositum sensum compositum, explicans divisim hæc verba habet, sed prætereà singuli illi effectus absque singulorum bonorum consortio nulla ratione esse possunt.

Si sensus divisus est, quod singuli illi effectus, 344
quos Concilium prædictis verbis enumerat, absque singulorum bonorum consortio nulla ratione esse possint, falsum est quod præcedenti pagina præmiserat hominem ex se spoliatum illis donis gratiæ potentiam habere ad illos actus supernaturales efficiendos in sensu diviso, Parique ratione si isti canones modo ex Concilio ab isto authore inducti, secundum ipsum non solum in sensu composito sed etiam in sensu diviso, sunt accipiendi; ergo verum non est quod supra ex ipso relatum fuit, Concilium Tridentinum in omnibus aliis locis loqui in sensu composito, quod suadere laborabat, item in illo *Canone* 4. loqui in sensu composito, ne alias æquivocaret dum in illo loco loquitur in sensu diviso & in omnibus aliis in sensu composito, ut autem omittamus Canonem 22. & 23. quos sine causa iterum repeti, & iam in vera intelligentia explicati sunt: illud etiam quod adduxit ex *cap.* 14. & 15. contra ipsum militat, in his enim sensum divinum importare fit manifestum, nam justificatum posse excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum meritò Christi gratiam recuperare, quæ est propositio Concilij sensum facit divisum non compositum, quia non dixit excitante & adiuvante Deo, sed solum excitante Deo, dum ergo solum gratiam exposuit excitantem quæ solum sufficiens est: declaravit per illam posse hominem accedere ad Sacramentum pœnitentiæ & sic posse recuperare salutem, non autem quod fieri possit ut per illam solam excitantem de facto ad pœnitentiæ Sacramentum veniat vel quod cum sola excitante coniungat justificationem, & idem planè docet in *cap.* 15. quod nempè cum Dei adiutorio potest homo abstinere à peccatis, quæ committit: docet ergo quod committens peccata potest cum Dei adiutorio illa non comittere id est potentiam habet cum divino adiutorio sufficienti ad illa non committenda qui planè est solùm sensus divisus, nam compositus esse non potest, alias esset sensus quod committens peccata, potest ab eis abstinere id est coniungere simul abstinentiam cum peccatis quæ committit. Implicatorius est fateor, quod utrumque modo allatum testimonium aliter commodè intelligi potest, ut nimirum in primo nomine gratiæ excitantis intelligat non ipsam præcisè, sed etiam adjuvantem, sicut in aliquibus Ecclesiæ orationibus à Deo petimus, excita Domine, ubi non solam gratiam adjuvantem petimus sed etiam excitantem, sicut agentes supra de excitante & adiuvante gratia dictum est: ut tunc erit sensus quod per excitantem & adjuvantem gratiam potest venire ad Sacramentum Pœnitentiæ in sensu composito, nempè componendo & coniungendo de facto susceptionem Pœnitentiæ Sacramenti & justificationes. Similiter secundum testimonium potest sic intelligi, quod ille qui committit peccata potest cum Dei adjutorio non illa committere, sed ab ipsis abstinere, quia adiutus homo à Deo potest de facto non committere peccata; at ab eis abstinere coniungendo talem abstinentiam aptè cum tali auxilio, imò

Digitized by Google

tunc hic efficaciter adjutus illa corriget : si vero intelligatur quod qui peccata committit potest cum adjutorio sufficienti illa non committere sed ab eis abstinere, erit sensus divisus quia cum tali sufficienti auxilio potentiam habet ad peccata non committendum, non tamen potentiam habet ut in sensu composito possit cum solo auxilio sufficienti componere & conjungere abstinentiam à peccatis.

345 Proinde in eo tantum sensu verba & propositiones usurpare potuit Concilium in quo usurpantur ex communi loquendi consuetudine, hunc vero si respicias, non alium sane quam compositum sensum habere fateberis propositionem de qua agimus instar aliarum similium : cum enim dicimus hominem ad aliquid volendum vel faciendum illectum, invitatum, rogatum, aut suasum, posse allicientis aut rogantis, precibus vel suasioni dissentire semper (ut notissimum est) hæc intelligitur in sensu composito ; ita ut precibus & suationibus, & cum omni illo, in quo actus alliciendi atque invitandi consistit, possit actualis dissensus conjungi. Idem planè judicium est de propositione qua dicitur homo à dæmone tentatus posse tentationi dissentire, eamque expellere ac de aliis quibuscunque similibus.

346 Non dubium quin posse dissentire roganti invitanti & allicienti, sive dæmoni tentanti, sit posse dissensum conjungere, cum tali suasione invitatione ac tentatione, quia ut in nostro primo libro expositum est, quod in hoc quarto clarius etiam explicabimus, in similibus loquutionibus, ipsa compositio unius cum alio ut possibilis importatur : ac proinde communis loquendi consuetudo obtinuit, ut tales propositiones in sensu composito semper usurpentur : unde si propositio quæ à Concilio traditur vel *in cap.* 5. vel in *Can.* 4. his esset similis, non dubium quin etiam usurparentur à Concilio in sensu composito. Si enim Concilium in *cap.* 5. sic diceret, inspiratus potest inspirationem abijcere. Et in *Can.* 4. solum diffiniret liberum arbitrium à Deo excitatum posse excitationi dissentire, planè sensus importaretur compositus, quod inspiratus possit conjungere dissensum cum inspiratione, & excitatum arbitrium cum excitatione.

347 At propositio quam in *cap.* 5. tradit Concilium & quam diffinit in *Canone* 4. Nec ista nec illa est quæ modo proposita fuit, sed ab illa est toto cœlo diversa, quod author non advertit ; Nam illa quæ habetur in *cap.* 5. ita est : homo recipiens (scilicet) actu & consensu suo libero, (ut etiam hic author exponit) inspirationem, potest eam abijcere quam nunquam hi authores, cum argumenta conficiunt, vel voce opponunt, vel scripto tradunt, fideliter referunt, sed tamen sic objciunt, liberum arbitrium efficaciter motum, potest abijcere efficacem motionem, quam propositionem Concilium nunquam posuit, nunquam tradidit, nunquam vel à longè insinuavit. Referunt ergo parum fideliter ac sincerè, propositionem Concilij sicut in Concilio habetur in *illo cap.* 5. dicendo homo recipiens, (nempè consensu libero) inspirationem eam potest abijcere. Hæc enim est Concilij propositio, & postea suum, quem intendunt, exponant sensum compositum qui ut supra manet ostensum illi Concilij propositioni repugnat, quia implicatio est quod recipiens actu libero inspirationem possit conjungere dissensum cum tali receptione habita per consensum liberum. Optimè autem stat ut immediatè subjungemus in explicatione Canonis quarti eiusdem Concilij, ut homo recipiens consensu suo libero illam inspirationem, illam possit abijcere, & potentiam liberam habeat ad conjungendum contrarium dissensum cum illa inspiratione, non autem ad conjungendum dissensum cum assensu quo eam recipit, quomodo ergo ad ista non advertunt quare ista non considerant vel quare sic expressa verba Concilij recipere nolunt, sed quasi de industria ab illis omnibus avertuntur.

Similiter verba Canonis quarti, nunquam sin- 348
cere ab his authoribus, cum ex illo argumenta desumunt, referuntur, sic enim semper ipsi objciunt, Concilium docet quod arbitrium motum efficaciter illi motioni potest dissentire, vel quod motioni efficaci dissentire potest. At neutra talis propositio in Concilio habetur, imò fatendum est planè quod si aliqua ex illis in Concilio exprimeretur illa in sensu composito traderetur, sed sicut impossibile est quod motioni efficaci dissentiat arbitrium, vel cum illa possit componere contrarium dissensum, quia jam illa efficax non esset, ut est apertissimum. Et S. Thomas in terminis docet 1.2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad primum*, ita impossibile est quod à Concilio talis propositio in Canone illo quarto diffiniatur. Manifestum est enim aliam diversissimam esse quæstionem, quæ in illo Canone diffinitur. Ita enim est liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo excitanti & vocanti, & potest dissentire nimirum eidem Deo excitanti & vocanti, cujus Canonis prima expositio & intelligentia sic ab aliquibus viris doctis traditur : ut nimirum posse dissentire, sumatur à Concilio pro eo quod est aliud velle, ita quod dissentire sumatur in lata & minus propria significatione pro aliud velle, & tunc sensum importat manifestè, divisum quia aliud posse velle compositionem non importat ; ut etiam authores cum quibus ista tractamus concedunt : qui autem sic explicant dicunt hoc sufficere, ad intentionem Concilij quæ erat docere, ita hominem efficaciter adjutum & motum consentire Deo vocanti & excitanti quod poterat aliud velle in quo arbitrij libertas demonstratur.

Confirmant quia verbum resistere ex Concilio 349
Senonensi pro aliud velle ab ipso sumi in lata significatione ostensum est supra quod idem de Concilio Tridentino affirmant, cæterum non videtur hoc dicendum : quod nempè Concilium Tridentinum verbum dissentire sumat, in lata & minus propria significatione, cum potissimè necessario non cogat ad sic explicandum Concilium, sicut cogit explicare verbum resistere in Concilio Senonensi, unde dicendum sumere Concilium Tridentinum verbum dissentire in sua propria significatione : & tunc sensus est, quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ita cooperatur consentiendo Deo vocanti & excitanti, quod potest sic non consentire per propriam libertatem quam habet & arbitrium, sed potest dissentire eidem Deo excitanti & vocanti : vel sensus est quod non solum loquatur de arbitrio efficaciter moto per excitantem atque adjuvantem gratiam, sed etiam de arbitrio cooperante suo assensu ad motionem efficacem Deo excitanti atque vocanti, & diffinit quod arbitrium sic excitatum & motum efficaciter, atque cooperans assentiendo Deo vocanti & excitanti, & cum Deo vocante & excitante potest conjungere dissensum quæ propositio verissima est, quia arbitrium etiam excitatum & efficaciter motum atque jam assentiens Deo vocanti potentiam liberam retinet qua potest

conjungere

Digitized by Google

conjungere dissensum cum Deo vocante & excitante. Hæc enim potentia semper in arbitrio manet, quia connaturale arbitrio est ut cuicumque vocanti & excitanti, invitanti & allicienti possit conjungere contrarium dissensum, unde cum talis potentia connaturalis arbitrio sit ab arbitrio non tollitur nec tolli potest per efficacem Dei motionem; vel per suum proprium consensum, & sic semper in ipso permanet sic posse dissentire & posse conjungere contrarium dissensum Deo vocanti & excitanti.

350 Et ideò non dicit Concilium quod arbitrium motum & excitatum assentitur cooperando Deo moventi & excitanti, & quod possit Deo moventi & excitanti dissentire: cum enim ex parte arbitrij duo expressisset scilicet, ipsum esse excitatum & motum non docuit quod assensum præbeat Deo moventi & excitanti, sed omisso uno (scilicet) Deo moventi alterum solum exposuit, nimirum quod assentiat Deo excitanti, & illi possit dissentire, ut ostenderet non intendere facere compositionem dissensus, cum Deo movente, sed tantum cum Deo excitante alias planè dixisset quod motum & excitatum assentitur Deo moventi & excitanti, & quod Deo moventi & excitanti potest dissentire.

351 Non ergo docet Concilium quod arbitrium efficaciter motum potest dissentire efficaci Dei motioni, sed tantum Deo excitanti & moventi vocanti; hæc autem verba Deo excitanti atque vocanti ac si in Canone isto non essent, nunquam ab his authoribus referuntur, sed solum quod motum efficaciter illi motioni efficaci dissentire potest cum in illo Canone oppositum tradatur nimirum non posse arbitrium dissentire aut componere contrarium dissensum cum Deo efficaciter movente, vel cum suo proprio assensu, sicut revera arbitrium assentiens Deo vocanti non potest cum suo assensu conjungere dissensum; bene tamen illum conjungere potest cum Deo vocante & excitante.

352 Hæc ergo duo quæ in Concilio habentur expresse, sicut distinguenda sunt distinguant: alterum quod arbitrium motum efficaciter & cooperans assentiendo Deo vocanti & excitanti, potest Deo vocanti & excitanti dissentire, potens cum Deo excitante & vocante conjungere dissensum: alterum quod arbitrium sic efficaciter motum & assentiendo cooperans non potest dissentire efficaci motioni vel assensui suo nec cum illis potest conjungere dissensum, utrumque enim in Concilio aperte traditur, si verba perpendant & æquivocationes omittant; sicut enim cum Deo efficaciter volente quod arbitrium creatum non defficiat, stat potentia deficiendi, non tamen stat ipse defectus, ut planè docet Sanctus Thomas *quæst. 23. de verit. art. 5. ad 3.* qui est apertè sensus divisus, ita cum Deo efficaciter movente arbitrium ad consensum stat potentia ad dissentiendum, sed non stat ipse dissensus: similiter cum arbitrio consentiente stat potentia ad dissentiendum, sed non stat ipse dissensus, & cum arbitrio efficaciter moto stat potentia ad dissentiendum Deo vocanti & excitanti, non tamen stat ipse dissensus, nec potentia ad conjungendum dissensum cum Deo efficaciter movente, parique ratione, cum arbitrio jam consentiente Deo vocanti & excitanti stat potentia ad dissentiendum eidem Deo moventi vocanti & excitanti, non tamen stat ipse dissensus vel potentia ad conjungendum dissensum cum suo assensu, in quibus omnibus fit sensus divisus, ut planius atque perfectius reliquimus explicatum atque probatum, primo nostro libro *cap. 135. & cap. 138.* Sicut cum corpore habente albedinem stat potentia ad habendam nigredinem & illam sibi conjungendam, qui est sensus divisus non autem stat potentia ad conjungendam nigredinem sibi simul cum albedine, qui est sensus compositus, & cum hac materia actuata ista forma stat potentia ad habendam aliam, sibique conjungendam, quæ omnia accuratius in primo libro ostensa manent. Verissimum est ergo, quod quamvis Concilium dicat hominis liberum arbitrium motum & excitatum assentiri Deo vocanti & excitanti & quamvis potentiam habeat ad conjungendum dissensum cum Deo vocante & excitante quia tamen non composuit, cum Deo efficaciter movente facit sensum divisum, quia ut faceret sensum compositum, oporteret quod cum omni illo quod se tenet ex parte subjecti prædicatum conjungeretur, ut primo libro expositum est, non autem sic componit cum Deo movente, quod ex parte subjecti importatur in illa propositione liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo vocanti & excitanti, dissentire potest eidem (scilicet) excitanti & vocanti Deo.

Has ergo propositiones in summa necesse est; 353
Theologus observet, nisi in intelligentia Concilij Tridentini velit graviter errare. Prima est, Concilium diffinire prævenientem gratiam, qua Deus nos convertit, esse excitantem & efficaciter adjuvantem, in quo contradicit Calvino qui, ut visum est primo libro, efficaciam gratiæ prævenientis non ponebat excitantem & adjuvantem, sed aliam violenter rapientem voluntatem quam ipse confingebat. Secunda arbitrium sic excitatum & efficaciter adjutum seu motum ob efficaciam divinæ motionis semper cooperari assentiendo Deo vocati & excitanti. Tertia arbitrium sic cooperans assentiendo Deo vocanti & excitanti, eidem, scilicet, Deo vocanti & excitanti posse dissentire, vel cum eodem Deo excitante atque vocante posse conjungere contrarium dissensum, in quo etiam in terminis Calvinum damnat, qui contendebat arbitrium efficaciter motum posse dissentire aliquo modo Deo, nec ejus vocationi refragari. Quarta arbitrium ob efficaciam divinæ motionis, sic assentiens Deo vocanti & excitanti nunquam compositurum dissensum cum Deo excitante. Quinta fieri non posse ut sic efficaciter moveatur ad assentiendum Deo vocanti, & quod ei dissentiat, propter efficaciam divinæ motionis. Sexta multo minus fieri posse ut arbitrium efficaciter motum & jam assentiens Deo vocanti & excitanti eidem Deo vocanti & excitanti dissentiat. Septima arbitrium efficaciter motum & multo magis jam cooperans assentiendo non posse assentire eidem efficaci Dei motioni & minus suo proprio assensui, nec cum illorum aliquo suum conjungere dissensum oppositum. Octava liberum arbitrium efficaciter motum & præbens assensum posse in sensu diviso non præbere assensum quia assentiens potentiam habet ad non assentiendum absolutè, sicut sedens potentiam habet ad non sedendum, vel ad oppositum, nempè ad standum, ista autem non distinguere, occasio est ut à plurimis nec mens, imò nec littera Concilij Tridentini intelligatur, & plurimæ illationes & argumenta fiant quæ sub perpetua æquivocatione procedentes veritatem obnubilant.

Secundò Concilium intelligendum in sensu 354
composito, probatum quia non imitaretur aliquin usum loquendi sacrarum litterarum cum enim

Digitized by Google

enim Deo dicitur. Hester 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*, & Iob 9. *Deus cuius iræ nemo resistere potest*, & Iob 41. *Quis enim resistere potest vultui tuo?* Hæ sanè propositiones, ait, persimiles illi, de qua disputamus, compositum sensum habēt, ut scilicet possit resisti volūtati divinæ etiam in sensu diviso eo modo, quo adversarij dicunt in sensu diviso eidem posse dissentiri. Sicut enim liberum arbitrium sub extrinseca atque intrinseca prædeterminatione, secundùm adversarios, retinet potentiam, per quam possit actum oppositum producere, non coniungendo ipsum cum illis prædeterminationibus, atque hac de causa potest illis prædestinationibus in sensu diviso dissentire. Ita etiam retinet eodem modo potentiam, per quam conari possit in oppositum eius quod vult voluntas divina efficax, non coniungendo cum tali voluntate conatum: & propterea potest eidem voluntati etiam resistere in sensu diviso.

355 Et statim refotat solutionem, quæ differentiam statuit inter posse resistere, & posse dissentire, subdens quod in proposito actus dissentiendi & resistendi nullatenus differunt; gratiæ namque divinæ, ac divinæ voluntati dissentiendo resistimus, & resistendo dissentimus. Vnde sicut gratiæ sufficienti dissentimus, secundum illud Proverb 11. *vocavi & renuistis* ita ei dicuntur homines resistere, iuxta illud, act. 7. *vos semper spiritui sancto resistitis*, & Concilium (inquit) Senonense dixit, *Non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.*

356 Cum iste author agnoscat sacram scripturam in allatis negativis testimoniis (*non est qui tuæ possit resistere voluntati*) loqui de voluntate Dei efficaci cui in sensu composito non potest homo resistere. Quomodo contendit Concilium Tridentinum oppositam affirmativam propositionem diffinire, dicendo posse arbitrium divinæ voluntati efficaciter moventi resistere in sensu composito? An putat Concilium scripturæ sacræ esse contrarium; ut quod illa negativè protulit in sensu composito, Concilium affirmativè diffiniat in eodem composito sensu?

357 Nec valet, si dicant, ut solent, quod licet Dei efficaci voluntati non possit homo resistere in sensu composito, potest tamen in sensu composito motioni eius efficaci resistere. Hoc enim nihil est aliud quam contendere Dei efficaci voluntati posse compositè resisti; quia si resisti potest efficaci Dei motioni, cum illa instrumentum sit & actualis actio, quâ divina voluntas efficax operatur, procul dubio efficaci Dei voluntati ponitur posse compositè resisti quod tamen scriptura sancta expressè negat. Imò in illorum sententia (quod iam prænotavimus) sequitur quod possit resistere arbitrium efficaci illi quam dicunt motioni congruæ includenti iam liberum hominis consensum, si potest resistere in sensu composito efficaci Dei motioni, de qua fatentur loqui Concilium contra Calvinum, quod planè esset posse coniungere dissensum cum iam incluso in illa efficaci sua motione consensu: quod sine dubio est impossibile.

358 Quod enim dicunt, ut hoc effugiant impossibile, posse nimirum arbitrium resistere in sensu composito, ac per hoc coniungere oppositum dissensum cum omni entitate illius vocationis congruæ, non salvat aliquo modo quod efficaci motioni possit arbitrium resistere, quia illa omnis entitas vocationis congruæ includendo consensum, ut aiunt, non est vocatio efficax: ergo, secundum illos, vocationi seu motioni Dei efficaci non potest arbitrium resistere in sensu composito, neque mens Concilij est, ut aiunt, quod possit arbitrium resistere in sensu composito efficaci Dei motioni: si ergo vel tantisper attendere vellent, vel illis locis scripturæ quæ inducunt convinci debuerant, ut nunquam proferrent Concilium Tridentinum diffinire posse arbitrium resistere efficaci Dei motioni, quâ efficax Dei voluntas operatur, in sensu composito, nec Concilium Scripturæ Sacræ facerent esse contrarium.

Quod autem secundò adhibent, nos, quos ad- 359
versarios passim vocant, concedere quod prædeterminationibus potest arbitrium resistere in sensu diviso, id in nullo, ut arbitror discipulorum S. Thomæ legere potuerunt: nullus enim dixit, aut dicere potuit prædeterminationibus arbitrium posse resistere in sensu diviso, quia ista propositio, prædeterminationibus potest arbitrium resistere essentialiter est composita & sensum facit compositum, ut patet ex dispositionibus terminorum, quod & acuratiùs dedimus manifestum primo nostro libro. Vnde illa non potest sumi in sensu diviso. Quod dicipuli omnes S. Thomæ asserunt, est, quod arbitrium positum sub prædeterminationibus extrinseca & intrinseca, potest aliud velle, vel potest facere oppositum actum in sensu diviso.

Si autem ex hoc inferant ij authores quod si 360
potest aliud velle & facere in sensu diviso potest illis prædeterminationibus resistere in sensu diviso. Respondemus nullam esse istam illorum illationem, quia fit in argumento isto transitus à sensu diviso ad sensum compositum, sicut non sequitur in illorum etiam præscientia, quod si arbitrium positum sub præscientia potest aliud velle in sensu diviso quam sic à Deo præscitum, hinc sequatur quod possit falsificare divinam præscientiam, quæ falsificari non potest: quia etiam in ista fit transitus à sensu diviso ad sensum compositum. Sed tantum sequitur, quod si aliud potest velle, quam sit præscitum, vel prædeterminatum, poterit etiam divina præscientia, vel prædeterminatio aliud præscire seu determinare, ut rectè Scotum dixisse, & nos alibi etiam dixisse in his operibus recordamur. Similiter concedunt S. Thomæ discipuli liberum arbitrium à Deo prædeterminatum posse dissentire Deo vocanti, non autem Deo prædeterminanti.

Tandem quod tertiò asserit idem esse in his 361
propositionibus, posse gratiæ resistere, & dissentire: Respondemus, quod sicut auxilio sufficienti dissentimus, ita & illi resistimus, cum illo componendo contrarium dissensum: & quod in allatis scripturæ testimoniis, *Vocavi & renuistis*: & *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, (quæ solùm de voluntate Dei inefficaci, & vocatione sufficienti procedunt) id palam habetur: respectu autem efficacis Dei voluntatis, vel efficacis motionis nunquam, vel in divinis litteris, vel Sacris Conciliis affirmatur, quod efficaci Dei voluntati, vel motioni, vel resistamus, vel dissentiamus. De vera autem intelligentia Concilij Provincialis Senonensis dictum est supra. Vnde quod superaddunt in sensu diviso posse arbitrium resistere efficaci Dei voluntati vel motioni (quod etiam discipulis tribuunt S. Thomæ) dicendum hanc propositionem ex propria ratione terminorum esse compositam, non divisam, ut sæpè explicatum est; unde non potest dici. Et quidem Scriptura Sacra illam affirmativam negat, cum absolutè, negativam statuat. Imò addendum non esse in hoc potentiam simpliciter & absolutè, seu in sensu diviso ad resistendum efficaci Dei voluntati

Digitized by Google

luntati, nec in hoc consistere eius libertatem, ut alibi dedimus manifestum & in hoc, & in primo libro.

362 Tertium opponit argumentum ad probandum Concilium loqui in sensu composito, quia cum dicit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum posse gratiæ dissentire, eamque abijcere, ostendit usum libertatis, quem obtinet homo in actibus supernaturalibus; at si Concilium in sensu diviso loqueretur, usum nostræ libertatis nullatenus explicaret; ergo non loquitur in sensu diviso, sed composito: minorem probat, quia posse hominem dissentire motioni in sensu diviso nihil est aliud, nisi hominem cum movetur, ac excitatur, potentiam simul habere, per quam mediante opposita prædeterminatione ad substantiam actus mali, ita oppositum actum elicere queat, ut cum eâdem ipsum non coniungat. Quod rursus nihil est aliud, quam hominem physicè prædeterminatum ad unum, posse in sensu diviso physicè prædeterminari ad oppositum. At per hoc non explicatur usus libertatis. Necessitas enim omnino potest in ea potentia reperiri, quæ ad oppositа se habeat mediante receptione oppositorum impulsuum, seu motionum, cum quarum neutra coniungere possit contrarium actum. Imò huiusmodi potentiam ad oppositа mediantibus impulsibus concupiscentiæ & gratiæ unà cum vera necessitate tribuit Calvinus, in hoc cum fide pugnans. Quod etiam patet in eo qui trahitur invitus à potentiori ad aliquem locum, simul enim cum hoc motu coacto retinet potentiam, per quam superveniente actione moventis in locum oppositum, pari coactione ferri possit.

363 Ad hæc respondemus, concedendo maiorem, & negando minorem, quia Concilium in sensu diviso procedens, ut sæpius ostensum est, perfectè usum nostræ libertatis salvat. Nec alio modo potest salvari usus creatæ libertatis dependentis à Deo sicut à causa prima, nisi per utramque illam propositionem à Concilio traditam in sensu diviso, tam *in cap.* 5. quam *in Can.* 4. Quod sic iterum manifestatur. Nam in *cap.* 5. hanc apertissimè propositionem statuit: *Homo recipiens inspirationem, eam potest abijcere*, quam isti authores nunquam considerant, nunquam referunt, ut dictum est supra. Recipit autem homo per liberum consensum inspirationem, ut etiam ij authores concedunt: ergo docet expressè Concilium, quod homo recipiens libero suo consensu inspirationem, eam potest abijcere: ergo si accipitur illa propositio in sensu composito, ut contendunt, est sensus, quod fieri potest ut homo coniungat dissensum; quod abijcere potest inspirationem cum consensu quo eam recipit: quo nihil in hac materia dici potest absurdius, nihil impossibilius. Non ergo in hac impossibili implicatione usus nostræ libertatis consistit aut consistere potest. Nec enim potest consistere in potentia ad coniungendum dissensum cum efficaci motione causante dictum consensum, quo inspirationem arbitrium recipit. Quia sicut dissensus immediatè opponitur consensui respectu eiusdem obiecti, & propterea cum eo coniungibilis non est; ita mediatè opponitur motioni efficaci causanti consensum, & proinde etiam cum eo componibilis non est: nec in una, vel altera omnino incompossibili coniunctione usus nostræ libertatis consistere potest; quia aliàs impossibilis omnino usus nostræ libertatis poneretur, & nulla efficacioni viâ nostra posset negari libertas.

364 Parique ratione in *Canone* 4. diffinit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, & eidem scilicet Deo excitanti cui assentit, de facto ob efficaciam divinæ motionis posse dissentire si velit. In quo manifestè & clare potentiam ad coniungendum dissensum cum Deo excitante atque vocante expressit; sed potentiam ad coniungendum illam cum Deo movente, & cum cooperatione arbitrij assentientis ob efficaciam moventis Dei omnino negat: cum ista potentia ad utrumque simul coniungendum impossibilis omnino sit, & per consequens sicut traditur ibi ut compossibilis dissensus cum Deo excitante, in quo apparet aliqua compositio; ita traditur incompossibilitas dissensus cum Dei efficaci motione & assensu arbitrij, quem ex efficaci motione habet. Et ita respectu Dei efficacis motionis & assensus necessariò fit sensus divisus, supposito quod compositus implicatorius est, & omnino impossibilis. Quod nec debet fastidire si semper repetamus, cum opponentes hoc argumentum semper idem & ipsi repetunt.

Ostensa igitur palmaria doctrina Concilij ex 365
verbis ipsis, quæ ab his authoribus nullo modo considerantur; summa facilitate argumentum diluitur, & demonstratur quomodo Concilium usum nostræ libertatis salvet simul cum Dei efficaci motione quâ causatur. Primò namque salvat contra Pelagianos efficaciam Dei moventis, cui arbitrium, ut scriptura docet, resistere non potest, diffiniendo quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo vocanti, nimirum ob efficaciam Dei moventis, quam clarius expossuit per illud verbum, *motum*, additum supra, *excitatum*. Nihil enim aliud supra excitationem moralem potest significare verbum, *motum*, nisi veram & propriam efficacem motionem.

Postquam autem proposuit hanc excitatio- 366
nem moralem, cui arbitrium assentitur ob efficacem motionem, statim usum nostræ libertatis mirificè contra Calvinum explicavit, illa verba addendo, posse dissentire si velit arbitrium. Posse, inquam, dissentire Deo vocanti, & excitanti, diffiniendo ita arbitrium liberè consentire ob efficaciam divinæ motionis Dei excitationi, quod sic assentiens liberam potentiam retineat ad componendum dissensum cum Dei excitatione, non autem cum efficaci Dei motione, vel assensu suo ab illa causato. In hoc enim usus nostræ libertatis consistit, quod ita homo liberè assentiatur excitationi divinæ, quod si velit eidem excitationi possit dissentire, quod Calvinus negabat, nostram libertatem inficiando. Ac per hoc illa propositio utraque Concilij non componit cum efficaci Dei motione vel assensu arbitrij, ut possibilem dissensum, sed tantùm cum Deo excitante; unde comparatione efficacis motionis & assensus arbitrij, manifestè sensum importat divisum, & ex consequenti absolutè illa propositio est divisa, non composita; quia ut composita esset, deberet conjungere id quod se tenet ex parte prædicati cum eo omni quod se tenet ex parte subiecti, ut est manifestum ex traditis copiosè nostro primo libro: non autem componitur in propositione utraque Concilij id quod se tenet ex parte prædicati cum omni eo quod se habet ex parte subiecti. Quia ex parte subjecti utrumque est, scilicet, *excitatum & motum* cum dicitur *arbitrium motum & excitatum*, sed id quod est à parte prædicati, scilicet dissentire, solùm componitur cum arbitrio excitato, & simul moto, vel cum Deo excitante, & simul

Digitized by Google

movente. Non enim dicitur quod arbitrium excitatum & motum assentitur Deo excitanti, atque moventi, & quod eidem excitanti, & moventi Deo potest dissentire, ut sæpe expositum est.

367 Ad probationem minoris dicendum, hominem motum & excitatum, ac simul cooperantem assentiendo, potentiam simul retinere ad dissentiendum, sive componendum dissensum cum Deo excitante, quod in Concilio habetur expressum; non esse habere potentiam per quam mediante oppositа prædeterminatione possit habere contrarium actum, quæ in tali homine remanet. Quia etiam si non mediet oppositа determinatio, est in homine illo potentia ad dissentiendum, quâ potest dissentire, licet ut de facto dissentiat, debeat illa oppositа prædeterminatio mediare; nec fieri possit ut sine illa mediante homo de facto dissentiat. Itaque liberum hominis arbitrium & antequam aliqua prædeterminatione moveatur, & postquam ab ea movetur; imò postquam consentit, semper potentiam retinet liberam, quæ cuilibet excitanti, etiam Deo dissentire potest: in hac enim potentia eius essentialis libertas posita est; sed quia creata libertas est, ac per consequens Deo subiecta sicut primæ causæ indiget, ut de facto exeat in actum, Dei prædeterminatione, à qua mota se moveat, ut etiam Aristoteles cognovit.

368 Et quamvis sub una prædeterminatione posita non possit cum illa conjungere oppositum actum, non tamen ex hoc inferri potest quod non sit usus liber nostræ voluntatis, ex eo quod etiam in potentiis ex natura ad unum determinatis videmus, quod causa sub uno impulsu constituta non possit contrarium impulsum illi conjungere, ut arguens opponit. Advertere enim debebat hoc quod est potentiam non posse simul duo contraria conjungere, commune esse omnibus potentiis, & liberis, & ex natura ad unum determinatis. Sed una quælibet potentia illud commune omnibus ad suam propriam naturam determinat, ita ut sicut qui per vim trahitur ad unum locum, non potest simul per vim conjungi ad alterum locum, bene tamen potest cessante vi priori; ita liberum hominis arbitrium positum sub divina prædeterminatione, per quam liberè consentit Deo excitanti atque vocanti, in quo assensu manifestatur hominis libertas, potest eidem Deo excitanti liberè dissentire, in quo verè & patentissimè eius libertas explicatur. Non tamen potest liberè conjungere dissensum cum suo assensu priori, posset autem cessante priori determinatione, & ablato priori consensu. Quod autem Calvinus admisit necessitatem in nostra voluntate qua & à gratia, & à concupiscentia sive sua libertate trahatur, perfectissimè per supradicta manet damnatus. Quia admisit potentiam necessariam ad illa duo oppositа quam tamen liberam debuit confiteri.

369 Prosequitur author, in eodem tertio argumento probare nititur quod saltem de potentia absoluta possit Deus sine tali prædeterminatione voluntatem movere ad actum, cum ipsa prædeterminatio sit virtus & causa creata, & Deus possit facere per se ipsum omnes effectus determinatos, qui fiunt per quascumque causas secundas similiter per oppositum objicit, quod illa prædeterminatione posita poterit non sequi actus voluntatis, quia cum illa sit prior actu voluntatis secundùm totum suum esse, ab eo nullatenus pendet, ac providè esse potest, etiamsi actus postea non sequatur.

Ex non recta intelligentia divinæ prædeter- 380
minationis utraque objectio procedit; illa enim essentialiter divina actualis motio est, quâ Deus actualiter & efficaciter vult voluntatem movere, & cum ea actionem eius efficere; unde nec est qualitas, nec causa secunda, quæ voluntatem efficaciter prædeterminat, ut author malè intelligit, sed tantum est actualis motio, & instrumentum, quo Deus arbitrium ad agendum applicat. Sicut ergo impossibile est quod agens sine actione agat, & effectum producat, ita est impossibile quod Deus sine hac sua motione & actione voluntatem moveat ad agendum, vel ejus actum efficiat: Illud autem proloquium, quidquid Deus efficit cum secunda causa potest sine illa efficere, solum locum habet in causis secundis, quæ verè causæ secundæ sunt: non autem potest intelligi de sua propria motione, ita quod sine illa moveat voluntatem ad agendum. Imò de causis secundis intelligitur, in quibus genus tantùm efficientiæ reperitur, non genus causæ formalis, ut Thologi & metaphysici solent applicare.

Quod si vlteriùs instantia fiat quod sine Dei 381
actione immanente impossibile omnino sit Deum agere, non tamen impossibile esse agere de potentia Dei absoluta sine motione extrinseca in voluntate recepta; sed per Dei potentiam fieri posse, ut Deus velit efficaciter voluntatem moveri ad actum nihil in ea imprimendo: Respondemus, quod eo gratis concesso nihil contra traditam doctrinam opponitur, in qua de potentia ordinaria sermo fit: nec est recurrendum ad Dei potentiam absolutam, qua plura facere potest quam à nobis comprehendantur vel percipiantur.

Et per hoc patet ad aliud. Impossibile enim 382
pari modo est, vel quod Deus simultaneum concursum suspendat quia, ideo illum Deus tribuit, quia efficaciter vult quod voluntas operetur: quâ efficaci voluntate explicata per illam prædeterminationem incompossibile omnino est, & in sensu composito plenius impossibile quod Deus suspendat simultaneum requisitum concursum. Nam si sic suspenderet, vellet efficaciter actionem voluntatis non fieri; & ex consequenti daretur simul quod Deus vellet efficaciter actionem fieri, & vellet efficacitter actionem illam non fieri. Nec cum entitate actionis illius motionis, ut entitas est, infaillibiliter coniungetur humana operatio, sed cum illa coniungitur ut actualis efficax motio Dei est volentis efficaciter quod voluntas agat; & sic perit exemplum de spatio, quod ille author sine apparentia inducit.

Quartum opponit argumentum prædictus au- 383
thor ad idem probandum, nimirum Concilium Tridentinum *citato Canone* 4. loqui de potentia ad dissentiendum in sensu composito. Quia alioquin non contradiceret Calvino. Calvinus enim in institutione sic dicebat: *voluntatem movet gratia non qualiter multis saeculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* Quare hæretica propositio Calvini est hæc negativa, voluntas mota à gratia, quæ est efficax, non potest illi refragari, seu dissentire, eamve abijcere. Cui Concilium ut contradicat, affirmativam oppositam pronuntiat. Hoc posito sic argumentantur. Vel propositio Calvini negativa ab ipso intellecta fuit in sensu diviso, vel intellecta fuit in sensu composito, ut videlicet potentiam negaret ad coniungendum dissensum cum gratia? Non primum, quia juxta hæresim Calvini voluntas est talis potentia,

Digitized by Google

tentia, ut cum habet gratiam quæ est efficax actum bonum illi obsequendo necessario eliciat, cum verò gratia caret, concupiscentiæ ex necessitate obtemperando, actum oppositum ex necessitate eliciat, ut refert Tapert. *art.* 7. *pag.* 237. Voluit ergo Calvinus cum gratia efficaci manere potentiam ad actum oppositum, sed cum illa eum non posse conjungi. Quo fit ut non negaverit potentiam ad dissentiendum in sensu diviso. Si autem dicatur secundum propositionem, scilicet suam negativam intellexisse Calvinum in sensu composito, quis non videat Concilium minimè Calvino contradicere, nisi propositionem oppositam intelligat in sensu composito? Non enim sunt contradictoriæ propositiones, quarum altera aliquid in uno sensu affirmat, altera verò id in alio sensu negat. Hæc tota vis illius argumenti est, & quasi ipsi negetur contradicere Concilium Tridentinum Calvino, probare laborat illi Concilium contradicere.

384 Errores Calvini circa hanc materiam primo nostro libro clarius relati sunt, nec hic veniunt repetendi; tantùm breviter dicimus Calvinum nullam admisisse gratiam excitantem, seu sufficientem, nullamque efficacem adjuvantem, nec aliquam inspirationem Dei, vel excitationem, cui homo dissentire possit; sed solum quandam efficacem motionem posuisse, efficacia sua lædentem hominis libertatem, nec in eo liberam aliquam potentiam relinquentem ad oppositum volendum, vel faciendum, ut ipsius nunc relata verba testantur, & omnes periti in hac materia optimè norunt. Itaque contendit Calvinus, quod liberum arbitrium à Deo efficaciter motum nullam liberam potentiam retinet ad aliud volendum, vel faciendum, nec potest non velle, aut non operari, nec potest refragari, nec potest aliquo modo dissentire, sed quod sine aliqua libertate actum elicit: & hoc ex alio suo pravo principio consequenter errando deduxit; quo asseruit liberum hominis arbitrium per originale peccatum fuisse penitus extinctum: unde extincto in homine libero arbitrio cum Deus illud efficaciter movet extinctum arbitrium movet, & sic sine libertate ob efficacem Dei motionem spontaneè dumtaxat inevitabiliter movetur. Sicut per oppositum ablata efficaci motione gratiæ, quia nempè extinctum est, & sine libertate movetur motu concupiscentiæ, ut superiùs relatum est.

385 Illud etiam in prædictis verbis illius est observandum, quod ipse imponit Patribus, & Ecclesiæ quod multis ante sæculis tradiderint talem esse Dei motionem, ut illam voluntas inefficacem reddat, hoc enim expressit per illa verba, *ut nostræ electionis sit obtemperare, vel refragari*, imponens eis Pelagianorum errores, ut suum oppositum fundaret, constituendo Dei efficacem motionem tollentem voluntatem. Itaque unum extremum relatum Pelagianorum Ecclesiæ imposuit, quod ut declinaret, aliud elegit, ponendo Dei efficacem motionem non stare cum nostra libertate. Vnde Calvinus posita illa quam imaginabatur, efficaci mótione gratiæ nullam libertatem in voluntate admittebat, & potentiam liberam nullam, sive ad conjungendum cum illa motione dissensum, sive ad aliud liberè operandum, etiam in sensu diviso, cum ut, diximus, liberum hominis arbitrium extinctum per ipsum peccatum originale asseruit. Hæc de sententia Calvini sunt manifesta satisque nota.

Quod si ipse admisit, ut arguens prætendit, potentiam in voluntate manere sub gratia efficaci ad habendum actum oppositum in sensu diviso, non tamen in sensu composito, ad illum videlicet conjungendum cum gratia nihil penitùs retulerit, quia talem potentiam nullo modo liberam, sed tantùm spontaneam ad utrumque oppositorum constituit. Est autem de ratione cuiuslibet potentiæ, etiam omnino necessariæ, quod cum est sub uno oppositorum, aliud ei coniungere non valeat, licet potentiam retineat ad oppositum in sensu diviso, ut patet de corpore existente albo, quod potentiam retinet, etiam sub albedine, ad nigredinem in sensu diviso, non composito. Quid ergo mirum si hoc quod commune est omni potentiæ omnino necessariæ Calvinus admiserit in potentia voluntatis, quam omnino necessariè agere contendebat, sive sub gratia, sive sub concupiscentia poneretur.

Concilium ergo Tridentinum Calvino perfectissimè contradicit, diffiniendo talem esse Dei efficacem motionem, quod libertatem hominis non auferat vel impediat, sed potiùs salvet atque perficiat. Et sub quo constitutum arbitrium, sicut ante illam liberam habebat potentiam ad assentiendum & dissentiendum, cum nullo modo extinctum fuerit per originale peccatum, sicut priùs contra Calvinus diffinierat, ita eandem liberam potentiam retineat post efficacem Dei motionem, quæ non corrumpit illam liberam hominis potentiam sed perficit. Et per hoc directè illi contradicit, & simul Pelagianos uno ictu truncat, qui talem Dei efficacem motionem inficiantur, & mediam viam Catholicam docet: Ita efficaciam prævenientis gratiæ tradendo, ut illam salvare libertatem nostram simul tradat. 386

Hæc est substantia doctrinæ Concilij directè contra Calvinum. Vt autem hoc Concilium exponat, docet atque diffinit liberum hominis arbitrium à Deo non solùm esse moraliter excitatum, (ut arguens cum suis intendit) sed verè adjutum atque motum. Verum autem adjutorium atque motio supra excitationem, efficaciam ostendunt manifestè, sed talem divinam efficaciam, quæ cum sit supra excitantem adjuvans, ex utroque salvet libertatem, quia non excitatur moraliter, nisi habens libertatem, nec liberum arbitrium adjuvatur, nisi & ipsum aliquid sua libertate faciat. Et per hoc illam efficaciam, quam Calvinus fingebat tollentem libertatem & relinquentem spontaneam potentiam ad utrumque oppositorum, sive sub gratia, sive sub concupiscentia, perfectè damnavit.

Declaravit insuper quomodo liberum arbitrium à Deo excitatum, & motum cooperetur liberè assentiendo Deo ob efficaciam divini adjutorij, & qualiter sic efficaciter excitatum & motum possit eâdem sua libertate, si velit, dissentire; diffiniendo quod arbitrium motum efficaciter, & excitatum moraliter ob efficaciam motionis cooperatur assentiendo Deo vocanti, & excitanti, & quod potest dissentire, si velit, eidem Deo excitanti atque vocanti, cui assentitur. Videns enim Concilium quod nostra libertas non consistit, nec consistere potest in resistendo per dissensum Deo efficaciter moventi ad assensum; quia scriptura dicit, *non est, qui tuæ possit resistere voluntati*, non docuit posse arbitrium excitatum & motum resistere, vel dissentire Deo excitanti, atque moventi, rursus attendens nostram libertatem sitam esse in hoc quod cuilibet excitationi Dei, vel vocationi moraliter invitanti dissentire possit arbitrium, etiam quando est efficaciter motum 387

Digitized by Google

quod Calvinus negabat ; ideo dixit quod Deo excitanti atque vocanti possumus dissentire. Et sic efficacem Dei motionem contra Pelagianos defendit, & libertatem nostram contra Calvinum.

389 Verum illud oportet advertere quod prædictus author, & alij suæ sententiæ consortes, cum inducunt relata verba Calvini, nec ex integro illa referunt ; etenim sic ille ait, *ut nostræ sit postea electionis motioni obtemperare, seu refragari ; sed illam efficaciter efficiendo.* Quæ vltima verba ab ipso authore omittuntur, quibus videri poterat ideo Calvinum negasse nostræ electionis esse motioni obtemperare seu refragari, quia motionem efficacem ex Deo constituebat, nam ex motione Dei efficaci negabat nos non liberè obtemperare, vel refragari, quod in terminis author iste, & qui illius tenent sententiam mòdo inferunt, quod si ex Deo est motio efficax, nostra tollitur seu impeditur libertas, in ista illatione cum Calvino pariter conveniunt. Nos verò dicimus ex Dei efficaci motione nostram perfici libertatem.

390 Vnde si in forma arguant, propositio Calvini est ista : voluntas mota efficaci motione non potest illi refragari in sensu composito, & propositio Concilij est illi opposita : ergo propositio Concilij, est quod possit dissentire motioni efficaci in sensu composito, quod propositio hæretica Calvini non est, quod voluntas non possit refragari motioni efficaci, sed quod efficaciter mota voluntas nulli motioni, nulli inspirationi, & nulli excitationi possit refragari, quia nullam ad id habet libertatem. Quod enim dicit motioni non potest refragari, intelligit ipse nulli motioni refragari posse. Ideo autem dixit, motioni non potest refragari, quia ipse non admisit excitantem, & adjuvantem gratiam, sed moventem sine excitante. Vnde sententia illius est quod voluntas non potest refragari alicui motioni, quæcumque illa sit, qua à Deo moveatur. Propositio autem Concilij huic contraria est, nimirum quod voluntas efficaciter mota, & excitata possit dissentire excitationi, & vocationi Dei, quia ad id suam habet libertatem. Et quod illa sit prava sententia Calvini patet. Quia si ipse admitteret veram gratiam excitantem & adjuvantem, & diceret quod motum, & adjutum liberum arbitrium non potest dissentire efficaci motioni, bene tamen excitationi, & inspirationi, & quia ad id habet libertatem non erraret.

391 Vt autem omnibus sic arguentibus (ut arguit author prælictus) silentium imponeret, tria expressa verba proposuit, quæ ab ipsis non magis attenduntur, quam si in fidei diffinitione apposita non fuissent, dicens primò liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari assentiendo. Secundò, cooperari assentiendo Deo vocanti atque excitanti. Tertiò, posse dissentire eidem, scilicet Deo excitanti atque vocanti ; igitur fidei definitio est, quod arbitrium motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo vocanti atque excitanti, ex efficacia motionis divinæ, & quod potest eidem Deo vocanti dissentire, & cum illo coniungere dissensum, non autem cum assensu suo, quem ex efficaci Dei motione habet, vel cum tali efficaci Dei motione. Quare hæc tria non attendut ij authores ? Quare mentionem non faciunt, cum argumentantur ex Concilio, de assensu arbitrij, quem expressè statuit, & de assensu quo Deo vocanti atque excitanti, assentit, & de posse dissentire eidem, scilicet Deo vocanti, atque excitanti ?

Tandem cum arguens instet, negativam propositionem Calvini esse istam : voluntas mota à gratia efficaci non potest illi refragari in sensu composito, id est, non potest cum illa coniungere dissensum oppositum simulque velit mentem Concilij esse affirmativam oppositam, scilicet posse dissentire arbitrium efficaci motioni in sensu composito, id est posse cum efficaci motione coniungere oppositum dissensum, ut sic Concilium Calvino contradicat ; cum, inquam, arguens hæc firmet, quomodo non videt seipsum damnare ; cum dicit alibi posse arbitrium dissentire in sensu composito ; non motioni iam constitutæ efficaci per prævisum consensum, sed illi motioni antequam sic efficax constituatur ? ut iam in superioribus ex ipso retulimus. Si enim sic est, & sic secundùm illum, Concilium intelligitur, iam Concilium Calvino non contradiceret, cum Calvinus efficaci motioni dixerit non posse dissentire, hic autem arguens ex mente Concilij dicat posse quidem dissentire motioni, sed non iam factæ efficaci, in has angustias & contradictiones hi authores incidunt, non perpendentes mentem Concilij, quæ plana est, quod arbitrium nedum efficaciter motum, & excitatum ita cooperatur consentiendo in actu secundo Deo excitanti, quod potest eidem Deo excitanti dissentire, & cum eo coniungere dissensum, sed non cum suo consensu, quem habet iam elicitum aut cum efficaci motione ad consensum talem. 392

Quartum format argumentum ad idem probandum, quod videlicet Concilium loquatur de potentia dissentiendi in sensu composito. Quia assensus quem docet *cap.* 5. & *Canone* 4. præstari gratiæ, quæ de facto est efficax, est assensus verus & in sensu composito : Hoc est, coniunctio actus boni ad quem gratia mouet simul cum ipsa gratia. Quamobrem si Concilium doceret hominem, qui gratiæ præbet assensum, posse illum ei non præbere, sensus esset, quod homo habens illam gratiam, quæ de facto est efficax, possit non facere id quod facit, hoc est non coniungere cum eadem gratia illum actum bonum quod de facto cum ea coniungit ; ac propterea declararet Concilium posse hominem gratiæ, quæ de facto est efficax, non consentire in sensu composito, id est, simul cum illa non habere actum bonum quem simul habet, seu habere cum illa illius actus negationem. Cum ergo Concilium ut aliquid amplius diceret, expresserit potentiam positivè dissentiendi (quæ potentiam non consentiendi involvit, & aliquid addit) omnino intelligendum videtur de potentia dissentiendi in sensu composito. Nam alioquin longè minus nobis tribuisset, quam si solam potentiam expressisset non consentiendi. 393

Omisso quod confusissimè loquitur, & quod ab illis verbis, *Quamobrem*, usque ad illa, *cum ergo Concilium*, sensus non sit, insuper versatur semper in tribuendo Concilio, quod Concilium nullo modo dixit, nimirum ipsum efficaciæ gratiæ posse liberum arbitrium dissentire, aut cum illa contrarium coniungere dissensum, quod tamen, ut millies diximus, Concilium non habet. Sed & videns ipse Concilium cum efficacia gratiæ apertè coniungere bonum consensum, tam in *cap.* 5. quam in *Canone* 4. contendit illud etiam in falsa intelligentia exponere, explicando Concilium diffinire hominem, qui ex efficaci gratia motus ei bonum præbet assensum, posse illum bonum assensum non præstare, id est, posse coniungere cum efficaci gratia illius boni actus negationem. 394

Ex

Digitized by Google

Ex quo infert quod cum Concilium in sensu composito componat potentiam non assentiendi cum efficacia gratiæ, & insuper positivè loquatur de potentia dissentiendi, etiam potentiam dissentiendi componit cum gratia efficaci, aliàs minus traderet per potentiam dissentiendi, quam tradatur per potentiam non assentiendi.

395 Vt autem omnis ista confusio præscindatur, & propositiones quæ in hac materia ex Concilio planè deducuntur clariùs proponamus, prima propositio, quæ in Concilio habetur expressa in *cap.* 5. hæc est: *Homo recipiens* (scilicet actu suo libero) *Dei inspirationem, eam potest abijcere.* Cui similis est alia in Canone quarto, diffinita: *Liberum arbitrium motum & excitatum cooperatur assentiendo Deo vocanti, atque excitanti, & potest dissentire si velit*, Nimirum eidem excitanti Deo, cui assentitur. Vtraque manifestè in Concilio habetur. Ideo autem Concilium loquitur de homine iam recipiente inspirationem, & iam excitationi assentiente, quia vidit cum efficacia divinæ motionis semper bonum assensum coniungi.

Ex hoc rursus secundò istæ aliæ duæ propositiones deducuntur, altera ex *capite quinto*, altera *ex Canone quarto*, Illa *ex capite quinto* hæc est; *fieri non potest ut arbitrium sit recipiens inspirationem, & quod eam abijciat*, vel *non potest arbitrium recipiens inspirationem eam abijcere, in sensu composito*, quia non potest componere cum receptione inspirationis abijctionem inspirationis, vel negationem receptionis eius. Altera ex *Can.* 4. hæc est: *Fieri non potest ut arbitrium sit motum & excitatum, & quod non cooperetur assentiendo Deo vocanti*, quia non potest arbitrium motum & excitatum componere, seu coniungere cum excitatione & motione illa non cooperationem, vel non dissensum, vel negationem assensus, & hoc propter efficaciam moventis, ut in primo libro ex S. Patribus copiosissimè probavimus.

396 Vnde cessat obiectio, quod Concilium doceat posse arbitrium præbens consensum cum efficaci gratia coniungere non assensum, seu non actum bonum, seu negationem assensus. Ista enim incompossibilia sunt simul; & ex consequenti etiam cessat illatio illa, quod si ex Concilio potest arbitrium cum efficaci gratia coniungere negationem actus boni, & Concilium loquatur de potentia positivè dissentiendi quod etiam ex Concilio habeatur posse arbitrium coniungere cum efficacia gratiæ oppositum dissensum, & sic loquatur in sensu composito: cessat inquam penitus ista obiectio, quia nec positivus dissensus, nec negatio assensus est componibilis & coniungibilis cum gratia efficaci, nec hoc Concilium vel à longè insinuavit, imò planè totum oppositum docuit dum expressit assensum arbitrij ex efficaci gratia productum, cum quo nullus dicere potest quod potest coniungi vel negatio assensus, vel oppositus dissensus.

397 Tertiò *arbitrium motum, & excitatum & præbens assensum potest in sensu diviso non præbere assensum, vel præbere oppositum dissensum*, quia potentia non assentiendi, & potentia dissentiendi optimè stant, cum efficaci Dei motione, imò cum actuali assensu ipsius arbitrij, sicut sedens potest stare, & loquens potest tacere, & similes, quæ absolutè in sensu diviso veræ sunt.

398 Similiter, *arbitrium recipiens inspirationem absolutè potest illam non recipere* quia per hoc quod eam recipit, non abstulit à se potentiam quam habebat, ad illam non recipiendum. Itaque ut in summa dicamus, illas tres propositiones, quæ explicatæ sunt supra oportet mente retinere: quia per illas omnis confusio, & æquivocatio in hac materia præcluditur. Et etiam in summa sententia Calvini attendatur & quomodo consequenter ex errore errorem subintulit. Posuit primo liberum hominis arbitrium per peccatum originale extinctum, ex hoc intulit non dari gratiam excitantem, hanc enim negavit, quia vidit non excitari moraliter, nisi qui libertatem habet: Equus enim moraliter non movetur excitatus ad pabulum. Tertiò negavit gratiam adjuvantem, quia etiam vidit quod qui adiuvatur aliquid & ipse agit. Vnde quartò posuit gratiam moventem cui arbitrium nec liberè obtemperabat, nec liberè poterat refragari, ut ex verbis eius inductis patet. Quinto posuit quod cum arbitrium, vel potiùs homo à Deo efficaciter movetur, & sine libertate consentit, seu potiùs actum elicit, potentiam retinet non liberam, sed necessariam ad contrarium actum. Ista in summa fuit Calvini hæresis, quam proinde perfectè & quoad omnia Concilium Tridentinum damnavit. *Sess.* 5. & 6. *de justific.* ut plerisque ostensum est.

Tandem sextò opponit Concilium intelligen- 399
dum esse de potentia dissentiendi in sensu composito, quia implicat contradictionem ut homo possit gratiæ, quæ est efficax, dissentire in sensu diviso nam posse dissentire gratiæ efficaci, est posse cum illa coniungere oppositum dissensum, seu simul cum illa habere actum illi oppositum ergo implicat contradictionem, ut eidem possit homo dissentire in sensu diviso: & consequenter, vel simpliciter falsum est quod Concilium docet, posse nimirum hominem dissentire gratiæ quæ est efficax, vel illi verè dissentire posse.

Verissimum est quod gratiæ efficaci non possit 400
arbitrium dissentire, quia hæc propositio, gratiæ quæ est efficax, vel gratiæ efficaci potest arbitrium dissentire, ex propria terminorum dispositione composita est, nec potest sumi ut divisa, quia expressè componit cum gratia efficaci. Licet enim, possit quis dicere quod posse dissentire absolutè prolatum non essentialiter componat, sed possit sumi divisè, tamen cum compositio exprimitur, dicendo, gratiæ efficaci potest arbitrium dissentire, essentialiter importatur compositus sensus, nec ibi potest ab aliquo distingui sensus divisus. Vnde oppositio quantum ad hoc vera est: Quamvis autem id verum sit, non tamen tam claram implicat contradictionem, ut author vult, quia posset quis prætendere manere in homine absolutè & simpliciter potentiam, sive quod idem est, in sensu diviso ad dissentiendum efficaciæ gratiæ, quamvis non maneat potentia in sensu composito, ad coniungendum cum illa efficacia gratiæ contrarium dissensum: Qui licet id falsò assereret, non tamen ita apertè de implicatione contradictionis convinceretur. Sed quidquid de hoc sit, fatemur illam propositionem importare sensum compositum, nec esse sumendam in sensu diviso: & quantum ad hoc dicimus veram esse propositionem. Sed quod inde infert, nimis falsum est, nimirum Concil. Trident. vel in *cap.* 5. vel *in Can.* 4. docere illam propositionem, scilicet *gratia efficaci potest arbitrium dissentire*: falsumque esse; Concilium loqui in sensu composito, quia ut sæpissimè ostensum est, talis propositio à Concilio nullo modo traditur, sed reipsa totum oppositum. Nam in *cap.* 5. illam docet propositio-

Digitized by Google

nem (ut semper illam repetamus, quia semper in eadem instantia fit) *recipiens inspirationem potest illam abijcere.* Vbi de inspiratione loquitur quæ potest abijci, non de gratia efficaci, quæ abijci non potest, ita ut arbitrium efficaciter motum, & adiutum, inspirationem seu excitationem potest abijcere, non efficaciam, à qua ita fortiter, & suaviter movetur, ut inspirationem, seu excitationem illam moraliter suadentem & invitantem non abijciat, sed recipiat, licet illam possit abijcere, hanc enim potentiam liberum arbitrium quantumvis efficaciter motum semper retinet. Et iste est planus sensus Concilij in illo loco ut multoties dictum est.

401 Similiter in *Can.* 4. definivit arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari assentiendo Deo vocanti & excitanti, & sic motum & adiutum posse excitanti & vocanti Deo, cui ex efficacia motionis infallibiliter assentitur, dissentire. Vbi etiam non componit potentiam dissentiendi, seu coniung ndi oppositum dissensum, nisi cum Deo vocante & excitante, non cum Deo efficaciter movente Non ergo in tam periculosa æquivocatione laborent authores ij, imponentes Concilio quod in ipso non habetur, & quod Concilio potius adversatur; sed potiùs legant & intelligant, intueantur fateanturque Concilium Sactum expressis verbis distinxisse de inspiratione seu excitatione, & de adiuvante, & movente gratia, nimirum efficaci: & potentiam dissentiendi, sive coniungendi dissensum cum Deo excitante, & inspirante coniunxisse, quia talis potentia remanet in arbitrio efficaciter moto, per quam apertè eius libertas demonstratur; non tamen docuisse posse coniungi cum efficaci motione, sed potiùs eam ab illa divisisse, ut sic simul Dei, efficacem motionem astrueret, & simul cum illa nostram libertatem prædicaret.

402 Aliquando in his operibus nostris breviter diximus quod quamvis liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum contritionem producit quâ se ad justificationis gratiam disponit, ac præparat, ut Sacrum docet Trid. Conc. *sess. 6. de justif. Can.* 4. Non tamen illam producit secundum quod est ultima dispositio ad eamdem justificationis gratiam sed quod sub hac ratione à Deo movente fit sicut ipse solus est, qui gratiam justificationis infundit. Quod diximus ut sic salvaremus illud commune axioma, quod nimirum qui effectivè producit ultimam dispositionem ad formam, effectivè etiam producit formam ipsam, quod tamen homini effectivè producenti contritionem omnino repugnat, quod nempe producat gratiam ipsam. Quod explicatur magis. Certum est enim quod in formis naturæ liberæ & ultimis dispositionibus ista quatuor omnino reperiuntur: primum ultimam dispositionem & formam eiusdem prorsus esse rationis. Secundum quod oritur ex hoc primo vltimam dispositionem infallibiliter formam sequi. Tertium quod ex hoc consequitur, eam formam debitam esse ultimæ dispositioni & efficienti illam. Quartum & ultimum ut qui effectivè ultimam producit dispositionem effectivè, etiam formam ipsam producat; quæ quatuor proportionabiliter in formis supernaturalibus, & earum supernaturalibus dispositionibus servanda videntur.

403 Cum autem quatuor ista nullo modo contritioni, secundum quod ab homine moto à Deo producitur possint convenire, etiam dicendum videtur, quod talis contritio, secundum quod ab homine fit, non sit ultima dispositio ad gratiam ipsam justificantem. Et quidem quod illi non conveniat illud vltimum quod nempe homo motus à Deo, qui effectivè contritionem producit, effectivè etiam ipsam gratiam justificantem efficiat, manifestum est. Similiter quod ei non conveniat, ut ipsi contritio, & homini efficienti illam gratia justificationis debita sit, etiam est notum. Quod verò ad ipsam contritionem, ut fit ab homine, non sequatur infallibiliter gratia iustificans. S. Thomas clariùs docet 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. Et hinc etiam illud aliud sequi videtur, nimirum quod contritio secundùm quod fit ab homine moto à Deo non sit eiusdem rationis cum ipsa justificante gratia. Si enim ultima dispositio eiusdem rationis esset cum illa, ad illam, ipsa justificationis gratia infallibiliter consequeretur. Propter ista ergo dicendum videtur, quod contritio, ut fit ab homine, non sit ultima dispositio ad gratiam, sed tantùm ut à Deo movente fit ut concludi videtur ex *citato art.* 3. *q.* 112. 1. 2.

Quod si aliquis sustinere voluerit contritionem, 404
etiam ut fit ab homine, ultimam esse dispositionem ad gratiam, fateatur oportet illa quatuor, quæ diximus in omnibus formis naturalibus & earum ultimis dispositionibus reperiri, in supernaturalibus formis, & earum supernaturalibus dispositionibus proportionabiliter non inveniri. Ex eo quod justificans gratia sit forma omnino excedens quamcumque ultimam dispositionem secundum quod ab homine etiam moto per gratiam fit, ut S. Thomas planè docet *citato art.* 3. *q.* 112. Qui etiam secundus modus dicendi, nobis non displicuit. Vnde sive unum, sive alium sapiens lector ut sibi placuerit, poterit eligere. Confert insuper iste secundus dicendi modus, quia homo habens fidem, & charitatem & ex divino auxilio producens actum effectivè, ultimam dispositionem producere videtur, ad augmentum habitus, non tamen effectivè ipsum habitum auget, cum à solo Deo, qui illum effectivè producit, augeatur. Et hoc propter rationem inductam, quia videlicet iste habitus supernaturalis excedit omnino omnem dispositionem effectivè ab homine productam.

Supereſt jam ut ad probandam divinæ gratiæ 405
efficaciam ex S. P. Augustino revertamur, si tamen priùs eadem divinæ gratiæ efficacia ex Concilio Maguntino, quod post Tridentinum celebratum fuit demonstrata fuerit in *cap.* enim 8. sic habet. *Tum etiam, quia huiusmodi justificatorum opera, gratiæ Dei effectus sunt & movente & adiuvante spiritu sancto fiunt &c. Non enim secundum hominis vires æstimanda sunt justificatorum opera, sed secundum eam gratiam quam ipsos influit Christus; ex qua deinde ipsorum bona opera promanant, & secundum eam dignitatem quam de spiritu S. velut omnis boni operis motore & operatore sumunt. Sic enim extenuanda vires humanæ, ut non simul gratia Dei vilis reputetur, sic in bono opere faciendo deprimenda est facultas hominis, ut interim cogitemus, spiritus S. motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum ac pretiosum esse.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Prævenientis gratiæ divinæ efficacia ex S.P. Augustino ostenditur.

406 COnstito & ut arbitramur, satis efficaciter comprobato ex Tridentino Concilio gratiæ prævenientis adiutorio efficaci, quo Deus humanas voluntates efficaciter & suaviter prædeterminat in actu primo ut ipsæ se libere in actu secundo determinent ad primam sanctam operationem, solutisque argumentis, quæ ex non recta intelligentia Concilij ab aliquibus multiplicabantur, superest hanc eandem divinam prædeterminationem breviter ex S. P. Augustino manifestare. Breviter dixerim, quia id velle exactè discutere, nihil esset aliud quam integros illosque plures eiusdem S. Doctoris libros transcribere. Ne ergo contingat per omnes discurrere iam à principio huius quindecim capita, & in illis centum viginti tria ex S. Augustino relata sunt testimonia, quæ non à nobis sed à fœlicis recordationis Clemente VIII. Pontifice maximo ordinata sunt: In quibus hæc divinæ gratiæ efficacia ex solo Deo proveniens, multipliciter & mirabiliter repetita clarescit.

407 Quid enim aliud significare potest, quod Deus omnipotentissima sua facilitate hominum voluntates convertit, & ex nolentibus volentes facit quod sæpius S. Doctor affirmat? Quid aliud importare potest, quod Deus habet Dominium supra hominum voluntates, ut quocumque voluerit convertat eas, ut tum *alibi*, tum de *grat. & lib. arb.* affirmat *cap.* 20 ? Quid aliud ostendit cum docet, quod magis habet omnipotens in potestate sua hominum voluntates, quam ipsi suas? quid aliud tradit cum ait, quod Deus adjutorio gratiæ suæ efficacissimas vires tribuit voluntati? Quid aliud docet, cum ait, *quod qui filij Dei sunt Spiritu Dei aguntur, aguntur*, inquit, *ut agant, non ut ipsi nihil agant?* Quid aliud prædicat cum asserit, quod Deus inflectit, transmutat, transfert voluntates hominum de uno in aliud; & plurima alia similia quæ ferè sine numero à S. Doctore traduntur, quæ urgentiora sunt, quam efficax gratia seu efficax prædeterminatio cum potissimè dicat quod humana voluntas à divina gratia agitur insuperabiliter, & indeclinabiliter, ut statim probabimus. Vt autem in uno vel alio aliquantulum insistamus, & ab hoc vltimo loco allato incipiamus. Quis non videat S. Doctorem efficacem prædeterminationem divinæ prævenientis gratiæ strictioribus verbis, quam sit efficax prædeterminatio, tradere. *lib. de correp. & grat. cap.* 12. cum ait, *subventum est igitur infirmitati humanæ voluntatis, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret*: Audit theologus divina gratia agi, ut indeclinabiliter & insuperabiliter humana voluntas, quamvis de se infirma, infirmitati non cedat, sed bene, & piè operetur, Et de efficacia prævenientis gratiæ, seu de efficaci divina prædeterminatione quâ humanas voluntates ad bonum movet Deus poterit dubitare? Indeclinabiliter & insuperabiliter agit gratia, ut voluntas humana infirma non deficiat. Quæ verba si à nobis apponerentur, nec ea tam expresse S. P. Augustinus traderet, quanta contra nos isti authores dixissent; & tamen verum est, certum est, manifestum est, quod S. Doctor Augustinus, cuius Doctrina in hac materia ipsa est fides Ecclesiæ ut infra ostendemus, id docet, id tradit, id apertis verbis affirmat.

Tripliciter verò illa verba possunt intelligi, & 408
in triplici sensu accipi possunt, nec quartus oritur: primò ut ita Deus moveat voluntatem indeclinabiliter, & insuperabiliter, ut voluntas non possit simpliciter, & absolutè id superare, vel alio declinare, nec ad id potentiam habeat. Et hic sensus sicut falsus est, ita nullo modo à Sancto Doctore intentus, quippe qui semper docuit potentiam in libero arbitrio sic indeclinabiliter à Deo moto, quâ absolutè & simpliciter potest aliò declinare. In qua potentia libertas eius consistit. Secundus sensus est, quod ita Deus indeclinabiliter & insuperabiliter voluntatem movet, ut nunquam ipsa aliò declinet, nunquam id superet, sed semper sine declinatione bene operetur. Et hic sensus verissimus est, & à Sancto Doctore intenditur. Tertius sensus est, quod ita Deus indeclinabiliter & insuperabiliter hominis voluntatem movet, ut in sensu composito aliò declinare non possit, id est, ut non possit cum illa motione Dei indeclinabiliter movente contingere, seu componere ad aliud declinationem, seu dissensum. Qui etiam sensus verissimus est: Et illum verba magis sonare videntur. Verissimum enim esse satis apertè constat ex omnibus quæ in istis nostris operibus manent declarata: potissimè *libro* 1. agendo de sensu diviso atque composito.

Non minùs efficax est aliud eiusdem S docto- 409
ris testimonium, *ex lib. de dono persev. cap.* 6. ubi sic habet. *Quod itaque dicimus Deo ne nos inferas in tentationem, quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas, & hoc supposuit D. Cyprianus, ne patiaris nos induci in tentationem. Tutiores igitur vivimus si totum Deo damus non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus quod vidit ipse venerabilis Martir, nam cum eumdem locum orationis exponeret, ait, post cætera; Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ dum sic rogamus, nequis se extollat insolenter, nequis sibi superbe & arroganter aliquid assumat, nequis aut confessionis, aut passionis gloriam suam dicat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit, vigilate & orate, ne veniatis in tentationem, ut dum procedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur & cap.* 7. *Si ergo alia documenta non essent, hac Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam deffendimus sola sufficeret quia nihil nobis relinquit, in quo tamquam in nostro glorientur* Hactenus Augustinus & infrà: *Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas, orat ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem, orat ut credentes perseverent, Deus ergo donas perseverantiam usque in finem.*

Simile est illud aliud, quod *eodem libro de* 410
correp. & grat. cap. 14. subjungit, sub his verbis. *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium, sic enim velle & nolle in volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et alibi, *Deus*, inquit, *malas voluntates, quas maluerit quando voluerit, ubi voluerit, in bonum potest convertere.* Quando, inquam, voluerit, & ubi voluerit, non autem tempus expectat, non arbitrij bonum usum prævisum per illam exploratricem præscientiam

Digitized by Google

tiam sub conditione seu mediam ab aliquibus appellatam scientiam, sed quando voluerit, ubi voluerit, & quomodo voluerit voluntates convertit.

411 In *lib.* etiam *de grat. Christi cap.* 24. Deus interna, mirabili & ineffibili potestate operatur in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Clarius *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 5. *Vt autem de Cœlo vocaretur*, scilicet Paulus, *& tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Sola ergo gratia, sola prævenies illa Dei efficacissima vocatio, sola eius efficacissima virtus fecit ut Paulus converteretur. Non ergo humanum arbitrium gratiam sibi suo consensu reddit efficacem, non facit ut gratia cum eo efficaciter cooperetur, non facit homo libertate sua ut bene utatur ex se solo gratiâ sibi oblatâ, seu data ad sui conversionem, sed è contra efficacissima Dei gratia facit, ut homo convertatur.

412 Nullum hîc locum habere potest illa media scientia, nullum penitus illa ab aliquibus vocata congrua vocatio, cuius congruitatis efficacia malè ab homine ponitur provenire, quia clarè hoc verissimum pronunciatum audimus, quod sola gratia efficaciâ suâ facit ut homo convertatur, & quod ut Paulus de Cœlo vocaretur, & tam magna atque efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. Et quamvis hoc satis sit notum, & manifestum, & in relatis verbis apertissimum, placet adhuc id clarius aperire. *Gratia*, inquit, *Dei erat sola, ut Paulus tam magna, & efficacissima vocatione converteretur:* De vocatione ergo & de efficacissima vocatione fit sermo: ergo de efficacia prævenientis gratiæ sermo procedit: ergo si sola gratia illa efficacissima est, à solo Deo efficaciam habet: ergo illam non habet ab homine aliàs non sola gratia posset dici efficacissima ad Paulum convertendum. Quod iterum sic amplius aperitur. Si enim Deus fecit solâ gratiâ suâ ut Paulus tam efficacissima vocatione converteretur: ergo illa Pauli conversio aliqua ratione soli Dei gratiæ tribuenda est, hoc enim aperta littera clamat in prædicto testimonio; sed non potest illa conversio ad hunc sensum soli gratiæ tribui, quòd sola illa fecerit illum actum conversionis, quo se Paulus in Deum convertit: quia certum est, quod arbitrium Pauli à Deo motum & efficacissimè vocatum, illum actum suæ conversionis liberè effecit: necesse est ergo quod alia ratione illa Pauli conversio soli efficacissimæ Dei gratiæ tribuatur; hâc videlicet, quod sola gratia sua efficacissima virtute fecit, ut Paulus illam efficacem suam conversionem efficeret. Si enim Deus sola efficacia gratiæ suæ non fecit ut Paulus converteretur; sed objectivè tantum, seu moraliter suadendo, seu exp.ctando ut arbitrium sua libertate se converteret. Manifestum est quod non totum gratiæ aliqua ratione tribuitur: manifestum quod non sola gratia sua efficacia fecit ut Paulus converteretur. Cuius tamen totum contrarium littera illius citati testimonij proclamat.

413 Præterea Sanctus Pater Augustins *lib.* 1. *cont. Epist. Pelag. cap.* 19. explicans illud Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, advertit quod non dixit Dominus, *nisi Pater meus duxerit eum*, nam ducere est volentis priùs, sed dixit, *nisi Pater traxerit*, quod est nolentis prius; ut ostenderet voluntatem nostram non antecedere motionem Dei, sed è converso, si autem divina motio à Deo efficax non est, sed à libero consensu arbitrij hominis redditur efficax: ergo non trahitur homo à Deo, sed potius homo suo libero arbitrio secum trahit gratiam ut secum cooperetur quod est contra prædictum testimonium, & Sancti Patris Augustini sententiam.

Similiter quod docet *lib. de gestis cum Pelagio* 414
cap. 3. contra eumdem Pelagium asserentem omnes voluntate propria regi, id etiam apertè demonstrat sic enim habet: *Procul dubio plus est agi, quam regi; qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur ut aliquid agat, qui autem agitur, agere ipse vix intelligitur, & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendum commendet, qui male agere non potest. Et hoc cum fecerit, ab illo se ut faceret, adiutum non dubitet, cui dicitur in Psalmo misericordia eius præveniet me.* Et infrà *hoc enim spiritu non viribus propria voluntatis reguntur, & aguntur qui filij Dei sunt.* Quis hic non apertè cognoscat prævenientis gratiæ divinam efficaciam à Sancto Patre Augustino patentissimè tradi contra Pelagium, qui eam negabat? Clariora verba sunt, quam ut explicatione indigeant, ne fortè explicatione nostra obscurentur.

Circa quod testimonium author operis tripar- 415
titi in *annotationibus ad* 2. aliàs 3. *caput Sancti Patris Augustini in lib. de gestis Pelagij* asserit idem omnino esse, à Deo agi, ac regi, cum tamen littera illius 2. *cap.* apertè dicat plus esse sine dubio, agi à Deo, quam regi, ut verba relata testantur. Quid autem aliud magis importat, agi à Deo, quam regi, nisi quod qui regitur, aliquid ipsum facere est satis notum, qui autem agitur, vix aliquid agere ipse videtur, ut clarè Sancti Doctoris relata verba pronuntiant. Non dicit Sanctus Pater Augustinus, quod qui agitur, nihil ipse agat, sed quod agere vix intelligitur, propter efficaciam nimirum illius à quo agitur. Et sic agi à Deo, quod ex Apostolo probat, clarius efficaciam Dei agentis ostendit, quam non sic importat à Deo regi, & hanc efficaciam importatam per verbum, *agi*, supra verbum, *regi*, docet tradi expresè ab Apostolo dicente, *Qui filij Dei sunt, Spiritu Dei aguntur:* id est, efficaciter à Deo ad bene operandum moventur: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant, ut alibi explicuit.

Vnde *Sermone* 13. *de verbis Apostoli*, inquit; 416
Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, dicet mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo, imo & agis, & ageris. Et tunc benè agis, si à bono agaris, Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor est; ipsum nomen adiutoris præscribe tibi, quia & tu ipse aliquid agis..... nemo adiuvatur si ab illo nihil agatur. Quotquot enim inquit *spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, non littera sed spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante non te adiuvante.* Quibus docet eos, qui filij Dei sunt, à spiritu Dei agi, ut ipsi agant: agi, inquam, spiritu illuminante, exhortante, & adiuvante, & sic adiuvans gratia supra illuminantem & exhortantem prævenies est: à qua nimirum aguntur, qui filij Dei sunt; & ita illâ aguntur ut agant. Vnde adversus eos, qui opponebant, quod si homines aguntur, prædicto nempè efficaci adiutorio, ipsi non agunt, id est, non liberè agunt, sicut & modò opponitur; Respondet utrumque verum esse,

esse, & quod à Deo efficaciter aguntur, & quod ipsi liberè agunt: quia nomen, *adiutorium*, hoc importat. Manifesta est itaque Apostoli sententia quòd qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur aperta Sancti Patris Augustini intelligentia illius, quod aguntur prævio, ut nomen sonat, spiritu, non solùm illuminante & exhortante, vel quomodolibet moraliter solùm, sed verè adiuvante; & ita agi hac adiuvante gratia prævia, & ex Deo agente, & movente efficaciter ut ipsi liberè agant. Quo pro efficaci gratia ex Deo ipso nihil potest dici manifestius.

417 Insuper idem S. Doctor Augustinus explicans illud ad Rom. 9. *Igitur non volentis, nec currentis sed miserentis est Dei*, movet quæstionem quomodo dicit Apostolus non esse volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, cum homo ratione utens non possit credere, vel operari, nisi velit, & nisi voluntate currat. Et antequam quæstionem solvat refert quandam opinionem, & solutionem, quod videlicet propterea dicitur, *non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, quia voluntas sola non sufficit, si non sit etiam misericordia Dei. Quam solutionem impugnans, inquit, *Cur enim è contrario rectè non diceretur, non miserentis est Dei, sed volentis, & currentis hominis est: quia id sola Dei misericordia non implet.* Quibus verbis Ludovicus Molina, & eius sequaces refelluntur illam solutionem, quam S. Augustinus expugnat, adhibentes, quâ Deum faciunt causam partialem, & partialiter concurrentem cum libero hominis arbitrio, ex qua proculdubio sequeretur, quod etiam rectè diceretur, non miserentis est Dei, sed volentis, & currentis est hominis ut infert Aug. quod tamen absit, quod ab aliquo dici, aut concedi possit.

418 Illa ergo solutione & opinione impugnata ad quæstionem respondendo sic S. P. August. concludit. *Propterea rectè dictum non volentis, nec currentis sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adiuvat præparatam.* Ecce S. P. Augustinus totum à Deo dat, etiam bonum usum humani arbitrij, quem dicit & vocat bonam voluntatem. Constat autem, quod si auxilium gratiæ à Deo miserente, atque movente efficax non esset, totum Deo nullo modo daretur, sed partim Deo, partim libero hominis arbitrio, quod pro sola sua innata libertate bene uteretur auxilio Dei, ut venit à Deo indifferenti, & illud faceret secum benè cooperari. Vnde sententia authorum, cum quibus agimus, sicut negat auxilium gratiæ ex Deo ipso efficax esse, ita consequenter nec totum tribuit Deo, sed partim ipsi, partim arbitrio, faciendo Deum & arbitrium partiales causas, quæ propterea sententia expugnata manet, & per S. P. Augustinum, qui totum Deo dandum docet & non partem; alioquin rectè etiam diceretur, non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis hominis; quod absit. Tale insuper illud est, quod habet *tractatu* 105. *in Ioann.* cum ait, *propter quod dicit, ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, non ait, iussisti sed dedisti: vbi commendatur evidens gratia, quid enim habet, quod non accepit, etiam in unigenito humana natura?*

419 Illud præterea aliud iam relatum quod apponit *lib. de correct. & gratia cap.* 14. id evidentius confirmat cum ait S. Doctor *quod magis habet omnipotens in potestate sua hominum voluntates quam ipsi suas.* Si enim homines quia in potestate sua habent voluntates suas, ita se verè efficienter, seu physicè ad volendum determinant, quod per hoc nullo modo suam impediunt libertatem, multò minus Deus illarum voluntatum libertatem impediet, cum ipsas efficaciter determinat ad agendum, quia multò magis habet in sua potestate hominum voluntates quàm ipsi suas.

Nec audiendus Concionator quidam, qui ali- 420
quando in insigni quodam Auditorio, quo altius esse non potest, prædictum testimonium proponens, illud nimis exaggerabat dicens inter alia, quod si id S. Augustinus non dixisset, id ipse dicere non auderet, quæ si in hoc insinuans esse in illo S. P. Augustini testimonio doctrinam singularem, cum in omni doctrina S. Doctoris illa sit frequentissima, imò omnibus debeat esse pervia atque manifesta nec aliud rectè de Deo sentientibus sentiendum sit. Qui enim admittit, ut omnes admittere debent, cum id vera doctrina proponat, intimiùs esse Deum in ipsis creaturis, quam ipse sibi, & similiter intimiùs Deum in nobis, atque nobiscum operari, quàm nos ipsi, quomodo illi novum videri potest, quod magis habeat omnipotens in potestate sua hominum voluntates, quàm ipsi suas. Hæc ergo doctrina S. Doctoris Augustini, licet in seipsa non ita omnibus communis videretur, vel hac sola ratione, quod in materia prædestinationis & gratiæ ab ipso tradita deprehenditur, talis ab omnibus reputari debet, quod ei contradici non possit, cum, ut Card. Bellarminus rectè advertit, doctrina S. P. Augustini in supradicta materia prædestinationis & gratiæ ipsa sit fides Ecclesiæ. Vnde meritò debuit relati Concionatoris, vel admiratio, vel exaggeratio cessare, tum quia doctrinam illam S. Pater Augustinus tradebat expressè, tum etiam, ut diximus, quia omnibus rectè de Deo sentientibus communis esse debet. Omnes enim fateri tenentur Dei omnipotentiam super humanam voluntatem, & libertatem, sicut super omnem aliam creaturam: nulla enim creatura esse potest quæ Dei omnipotentiæ non subdatur, nullaque à Dei omnipotentia exempta sit. Vnde qui hanc efficaciam & Dei potentiam supra humanas libertates negant, negant etiam planè Dei omnipotentiam: Qua ratione S. P. Augustinus in *Enchirid. cap.* 95. contra sententiam Pelagianorum, & Semipelagianorum, ait, hoc est, nempe quod vos affirmatis contra illud primum confessionis initium, quo credimus in Deum Patrem omnipotentem. Quod & ibi probat, ad quod lectorem remittimus.

Ex quo etiam testimonio aliud consequitur 421
observandum, quod videlicet si per impossibile admitteretur conditionalis ista, quod si voluntas hominis ex se sola operari poneretur sine Deo efficaciter ipsam ad operandum prævovente, non liberiùs tunc, id est, maiori cum libertate operaretur quam nunc operatur Deo ipsum efficaciter ad operandum movente seu applicante. Quod quamvis vir aliàs doctus aliquando negaverit, id tamen verissimum est, & ex prædicto S. P. Augustini testimonio apertè deducitur. Si enim magis habet omnipotens in sua potestate hominum voluntates liberas, quam ipsi suas: ergo magis perficit eorum libertatem quam ipsi sibi eam soli perficerent.

Sed verba Card. Bellarmini referamus, qui- 422
bus dicit sententiam S. P. Augustini in hac materia esse fidem Ecclesiæ. *lib.* enim 2. *de gratia & lib. arb. cap.* 11. postquam ex Cœlestino, Leone I. Gelasio docuisset, approbatam S. P. Augustini

Digitized by Google

sententiam in materia prædestinationis, & gratiæ, continuò subiungit. *Itaque sedes Apostolica, non tantum semel, sed etiam secundò, & tertiò adversùs Pelagianorum reliquias sententiam tulit, ut iam in hac sententia non quorumvis Doctorum opinio sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.* Hac ergo pro maiori suppósita doctrina S. Augustini in materia prædestinationis & gratiæ est fides Ecclesiæ talis minor apponatur, sed doctrina S. Augustini est expressa, prævenientem Dei gratiam ex solo Deo efficaciam habere, non ex libero hominis arbitrio, prius per aliquam præscientiam præviso: ergo hoc pertinet ad fidem Ecclesiæ: maior, ut diximus, de fide est, ut rectè Card. Bellarminus advertit. Minor autem ex inductis, & inducendis constat apertè, & copiosiùs ex illis 123. testimoniis, per fœlicis recordationis Clementem VIII. Pont. max. selectis, quæ in principio huius ad verbum relata sunt.

423 Potest etiam minor illa ex alio capite demonstrari: quia S. Doctor Augustinus concordiam liberi arbitrij cum efficaci præveniente gratia docuit esse valde difficilem, nullam autem penitus, vel apparentem haberet difficultatem, si efficacia gratiæ à bono usu liberi arbitrij præviso per illam mediam scientiam penderet, ut est omnibus apertissimum: ergo sententia S Augustini non constituit efficaciam gratiæ cum illa boni usus præscientia, vel per illam mediam scientiam; sed efficaciám gratiæ ex solo Deo ipso constituit, & in eius forti, potentique, ac suavi motione antecedente omnem bonum usum quomodolibet præviśum, ipsum suâ efficacitate causante, cum hominum voluntatem præmovet, & prædeterminat, ut homo ipse operetur, & liberè operetur.

424 Præterea in *lib. de prædest. sanct. cap.* 8. *hæc*, inquit *gratia à nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Non dicit, ideo non respuitur, quia arbitrium illam vult acceptare, vel quia illam suo consensu efficacem reddit, ut quidam affirmant, sed ideo, ait, non respuitur à duro corde, quia nempè per ipsam priùs duritia cordis aufertur. Primitùs, inquam, per gratiam & eius efficaciam duritia cordis aufertur. Et ex hoc sequitur, quod à nullo duro corde respuitur, sed ex illa, & per illam benè liberè cooperatur.

In eodem libro *de prædest. sanct. cap.* 10. & 11. explanans illud Geneśis: *Patrem multarum gentium*; & illud ad Rom. 4. *Ideo ex fide ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini*, sic ait: *Hoc non de nostræ voluntatis potestate, sed de suæ prædestinatione promisit, promisit enim, quod ipse facturus fuerat non quod homines, quia & si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit; alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate. Et quod à Deo promissum est ab ipsis redditur Abrahæ.* Hæc S. Augustinus: si ergo auxilium gratiæ ex Deo efficax non esset, manifestè concluderetur inconveniens modò ex S. P. Augustino illatum, nimirum promissionem Dei Abrahæ factam non fuisse efficaciter impletam ab ipso Deo, sed ab hominibus, qui innata sua libertate illam ex auxilio Dei indifferentem, sibi efficacem reddiderunt, nec ex gratia firma esset promissio sed ex libero hominis arbitrio.

425 Libro etiam *de correp. & gratia cap.* 12. inquit, electis non solum dari ut perseverare possint, si velint, sed eis dari ut velint, & certissimè velint. Si per gratiam electis datur ut perseverare velint: non ergo ipsa gratia expectat ut velint, sicut aiunt, non per illorum velle redditur gratia efficax, ut exponunt, sed ipsa gratia eis hoc bonum velle tribuit. Si per gratiam electis datur ut velint ut perpetua est S. P. Augustini sententia: ergo non prævidit Deus eos benè usuros gratia quia ipse voluit, sed potius hoc prævidit, quod gratia ipsa efficaciâ suâ in eis facit ut velint. Et tandem si per ipsam gratiam hominibus datur ut velint: ergo ipsum bonum velle effectus est efficacitatis ipsius gratiæ, non causa, non ratio, non conditio ut gratia efficax fiat, sicut modò tanta contentione defenditur. Tandem ad ostendendum efficaciam gratiæ ex Deo ipso provenientem, & humanas voluntates prævenientem vti solet idem S. Doctor locis supra relatis, inquiens; *Ut Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima conversione converteretur gratia Dei erat sola.* Et *libro de lib. arb. cap.* 16. *sed illa facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati,* Et *lib. de correp. & gratia cap.* 8. *Quando rogavit ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide, liberrimam, fortissimam, invictissimam & perseverantissimam voluntatem.*

CAPVT XXVII.

Quædam ex S. P. Augustino opponuntur, & explicantur.

426 VErum contra hanc tam apertam, & tot locis multipliciter confirmatam sententiam Sancti Doctoris quid ex ipso contra ipsum laborent opponere audiamus. Sic aliquando opponebatur *ex tractatu 26. in Ioann. post initium*, illis verbis, *Quid hîc dicimus fratres, si trahimur ad Christum: ergo inviti credimus: ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Et postea nolite cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore.* Et infrà, ait, *trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita.* En, aiunt, quomodo S. Doctor asserit quod violentia non adhibetur, sed voluntas excitatur: ergo Deus excitatione trahit homines ad Christum ergo non physica prædeterminatione.

427 Ad hoc dicendum verissimum esse, violentiam non adhiberi, sed voluntatem excitari: Imò ideo violentia non adhibetur, quia voluntas excitatur, si enim primitus voluntas suaviter suasionibus non excitaretur, sed solum physicè moveretur, motio esset naturalis similis illi, qâ brutum animal movetur ad pabulum, nec libertas humanæ voluntatis seruaretur. At non dicit S. Doctor quod solùm, & per præcisam moralem excitationem animus trahatur, imò totum oppositum perpetuò docet, ut manet probatum. Excitatione igitur animus ad Christum trahitur, sed non sola & præcisa excitatione sed simul efficaci adjutorio, quo post excitationem eidem excitationi facit Deus voluntatem velle liberè consentire. Quod postmodum Concilium Tridentinum supra inductum docet sæpe, cum tradit non solum excitantem gratiam, sed verè adjuvantem seu moventem trahere hominis arbitrium ad conversionem.

428 Opponunt deinde: Sanctus Augustinus expressè constituit prævenientem efficaciam divini adiutorij in internis excitationibus, persuasionibus, seu interioribus vocationibus; ergo præter illas

Digitized by Google

illas in nullo alio efficaciam gratiæ constituit. Nullo ergo modo agnovit illam physicam prædeterminationem quæ in illis non consistit. Quod probant ex *quæst. 2. ad Simplicianum :* Vbi loquens de conversione Pauli, sic ait, *Quid volebat Saulus, nisi ut invaderet, & traheret &c. quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cœca, qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali, viso quo mens illa & voluntas refracta sævitia retorqueretur.* Ecce, aiunt, dicit, *quo viso voluntas &c.* ergo non alio adjutorio nisi visione refracta voluntas fuit, & sævitia eius.

429 Ad hoc dicendum: quam falsò tribuatur Sancto Patri Augustino, quod revelationibus, & suasionibus, seu interioribus visionibus tantùm humana voluntas ad Deum convertatur, ita quod præter illas nulla alia interior gratia requiratur ipsemet S. Doctor apertissimè ostendit, *lib. de grat. Christi cap. 7. 10. & sequentibus*, quibus manifestat talem gratiam in excitationibus, & visionibus internis à Pelagio constitui, nec illas revelationes & excitationes distingui, seu differre à commendatione legis, seu doctrinæ, in vocationibus autem interioribus efficacibus equidem veram gratiam prævenientem constituit; sed per illas efficax auxilium gratiæ intellexit, ut dictum est. Ad locum verò inductum dicendum, quod cum ibi mentio fiat, & sermo procedat de visione exteriori nullo modo potest intelligi quod per illam solam refracta fuerit sævitia &c. nisi jam velint ista opponentes exteriorem visionem sufficere ad hominis conversionem. Igitur ut hoc ipsi evitent, concedere tenentur quod præter illam visionem exteriorem Deus intus efficacia gratiæ suæ Paulum convertit, ut ex Sancto Augustino supra relatum est. Dicit autem illo viso conversum Paulum, quia exteriùs posita illa visione interiùs Deus efficacia gratiæ suæ Paulum convertit. Vel secundò dicendum, & fortè magis conformiter ad litteram illius allati testimonij, & Sancti Augustini mentem, quod per Christum Dominum, qui in visione illa Saulo apparuit, & per eius virtutem & efficaciam fracta fuit Sauli sævitia. Vnde consultò dixit Sanctus Augustinus *quo viso*, id est, quo Christo viso fracta fuit sævitia, quia per visum Christum, & per ipsius efficacem virtutem qua intus operatus est in Paulo, ille ad finem conversus est. Alia verò quæ pro illa sua vocatione congrua opponunt ex illa *quæst. 2. ad Simplic.* copiosè à nobis soluta sunt 1. *nostro lib.* agentibus contra illam mediam præscientiam.

430 Hoc idem argumentum modò solutum confirmabant ex alio simili desumpto ex *lib. de Spiritu & lit. cap. 34.* ubi dicitur quod Deus suasionibus agit, ut agamus. Ad quod dicendum primo hoc testimonium in hoc eodem sensu ad idem probandum allatum à Pelagio fuisse, & Sancto Patri Augustino oppositum, ut constat ex *lib. de grat. Christi cap. 10.* illis ex Pelagio relatis verbis, *quod non melius.* Ad hoc enim testimonium attendisse Pelagium verè plurimi viri doctissimi affirmant. Quidquid autem de hoc sit, dicendum secundo quod in illo loco *de spiritu & litera cap. 34.* seipsum paulò inferiùs ipse Sanctus Pater Augustinus declarat postquam enim præmiserat quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecùs, sive intrinsecùs, & postquam dixerat semel & iterum quod vocationi assentire, vel dissentire propriæ voluntatis est, ex quibus isti authores argumentum desumpserunt, statim paulò inferius hæc verba adhibuit: *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solùm occurrunt interim quæ respondere mihi placet, ô altitudo divitiarum, & nunquid iniquitas est apud Deum?* ubi per verbum *persuadere* intelligit efficaciam divini prævenientis adjutorij, quo Deus facit suasioni suæ consentire. Sic enim accipi *persuadere* supra *suadere* ipse exponit *lib. de gratia Christi cap. 11. & 12.* Vnde sensus illius est, cur ita illi suadeatur ut ulteriùs per efficacem gratiam ei persuadeatur, non autem alteri, cui solum datur suasio, non verò efficax auxilium persuadens, placet illa duo respondere &c.

Tandem tertiò dicendum, etiam si ibi verbum 431
persuadere non inveniretur, equidem ait S. Doctor suasionibus Deum hominem convertere, sed non dicit solis illis; ideo autem id tribuit suasionibus, quia in illis incipit hominis conversio; sicut fides dicitur justificare, non quia ipsa sola justificet, sed quia est primum justificationis initium. Præterea idem Sanctus Doctor *infra scriptus cap. 35.* clarè dicit, quod Dei gratia quâ Deus ad se homines convertit, non solùm ostendit quid faciendum sit, sed adiuvat etiam ut fieri possit quod ostendit. Et in *libris contra Pelagianos* non solùm docet adiuvare gratiam, ut fieri possit quod ostendit, sed adiuvare ulteriùs ut de facto fiat, præbendo vires efficacissimas voluntati: Ecce dicit apertè quod non solùm ostendit: non ergo solùm ostendendo suadet, sed quod adiuvat ut id fieri possit, & ut de facto fiat, quod aliis innumeris suæ doctrinæ locis clarius explicavit.

Tertiò opponebatur pro illa gratia sententia supra expugnata contra veram efficaciam gratiæ prævenientis ex *cap. 14. de dono persev.* ubi hæc verba habentur: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

Sed ad hoc prima responsio est; quod si aliquid 432
probat, probat utique quod solis auditis externis verbis, vel visis signis, & miraculis sibi congruis, ex illo naturali munere intelligentiæ sine aliqua gratia interiori quis ad fidem convertatur. Quia verba relata & opposita de verbis externis, & signis exterioribus visis congruis tantùm manifestè procedunt. Cum autem, hoc sit manifestè dogma Pelagianum, ut etiam hi authores concedere non dubitant, nescimus ad quod propositum in hac intelligentia ab eis inducatur. Quod si dicant, ut dicere solent, positis illis signis exterioribus, etiam interiùs poni sufficientem gratiam, ad hoc respondemus, hanc non causare hominis conversionem, dictum esse sæpius. Duplicem ergo veram habere intelligentiam illud dictum, secundùm quam à S. Doctore Augustino prolatum est, manifestè tradidimus *lib. 1. part. 2. tract. 5. cap. 29.* quæ ibi videantur, ne inutilis fiat repetitio, si omnia quæ ibi dicta sunt referantur.

Breviter autem illa iterum quasi recapitulando 433
in mentem inducere necessarium arbitramur, dicendo primò cum S. Thoma explicante 1. 2. quæst. 109. art. 4. illud Apostoli, *gentes naturaliter quæ legis sunt faciunt* ex eodem Sancto Patre Augustino, quod per verbum *naturaliter* intelligit naturam non puram, sed restauratam, & adjutam per gratiam. Eodem ergo modo secundùm eumdem Sanctum Patrem Augustinum & Thomam, illud naturale munus intelligentiæ posse optimè intelligi de munere intelligentiæ, non purè naturalis, sed restauratæ, adiutæ, & motæ per gratiam.

Digitized by Google

434 Secunda intelligentia, & explicatio quæ magis illi textui conformis videtur, quamque *supradicto cap.* copiosius declaramus, atque fundamus, illa est, quod ibi sermo fiat de motione obiectiva tantùm ad fidem, non verò efficaci, seu effectiva. Ita quod sensus est, inesse quibusdam naturaliter munus intelligentiæ, ut moveantur obiectivè ad fidem, si videant signa, aut verba audiant suis mentibus congrua, quia revera signa, vel verba supernaturalia, sicut est miraculorum patratio, & Evangelij prædicatio, magis congrua erant, & minus aliena à mentibus Tyriorum quam mentibus Iudæorum, ut magis per illa obiectivè moverentur ad fidem, prout magis 1. *nostro lib.* explicatum est. Ex quo tamen nihil omnino consequi potest ad fundandam illam congruam vocationem quam vocant, & negandam divinæ gratiæ prævenientis efficaciam ex solo Deo provenientem, & efficaciter voluntatem præmoventem, seu prædeterminantem ad bonum actum liberum eliciendum, quia objectiva tantùm motione congrua, quæcunque illa sit, vel quomodolibet tantùm obiectivè movere ponatur, nullo modo homo de facto, & cum effectu venit ad fidem aut convertitur; quia ad id insuper necessaria est interna divina gratia efficaciter liberum hominis arbitrium convertens, & trahens ad bonum magna cum ipsius libertate, cum & fortiter & suaviter iuxta naturam, & propriam conditionem liberi hominis arbitrij, ipsum ad fidem convertat.

435 Postmodum Leonardus Lessius *lib. de efficacia gratiæ* in defensionem illius suæ vocationis factæ congruæ per præscientiam boni usus futuri arbitrij, quæ inimica est veræ efficacitati prævenientis gratiæ, hæc congerit ex Sancto Patre Augustino testimonia. Primum quod in hoc ordine erit quartum, desumitur ex *lib. ad Simplicianum quæst. 2. Noluit ergo Esaü, & non cucurrit, sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset, qui ei etiam currere, & velle vocando præstaret, ni si vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim præstat Deus ut velimus, aliter præstat quod voluerimus: ut velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo: quod autem voluerimus solus præstat, id est posse bene agere, & semper beate vivere.* Hic docet Augustinus, ait quomodo Deus operetur in nobis velle, nempe vocando, id est illustratione intellectus, & affectione voluntatis. Quod si requireret aliquam motionem prævenientem distinctam à vocatione quæ voluntatem determinaret ad velle, non diceret, ut velimus voluit esse suum vocando, nostrum sequendo, sed suum determinando, nostrum ipsam determinationem patiendo.

436 Ad hoc respondemus secundùm manifestam Sancti Patris Augustini sententiam, duplicem esse vocationem, aliam communem, eorum scilicet qui invitati noluerunt venire ad nuptias, & hæc tantùm includit excitantem, sive sufficientem gratiam. Aliam specialem, eorum scilicet qui secundum propositum vocantur ad fidem, sive ad iustificationem, sive denique ad perseverandum, & ita includit præter gratiam excitantem, gratiam efficaciter adjuvantem, seu efficaciter prædeterminantem: & de utraque ista loquitur in objecto testimonio. De prima sufficiente vocatione illis verbis. *Qui etiam currere, & velle vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* De secunda in illis vltimis: *ut velimus suum esse voluit, & nostrum, suum vocando*, vocatione scilicet, quâ Deus facit velle, & quâ homo fit credens, ut dixit *de prædestinatione Sanctorum cap. 6.* Cum ergo vocatio hæc secunda includat gratiam verè adjuvantem & efficacem, sine apparentia prætenditur, quod solâ illustratione & affectione indeliberata voluntatis Deus homines convertat, quia docuit Augustinus eos Deum convertere vocando; intellexit enim per talem conversionem, illam, quæ ut dictum est præter illas illustrationes, & indeliberatas affectiones vlteriùs claudit in se veram adjuvantem, & efficacem gratiam, quâ Deus voluntatem ad bonum prædeterminat.

Hanc efficacem vocationem non solùm in libris, 437
quos post illos ad Simplicianum contra Pelagianos scripsit, millies exposuit; verum in *eodem 2. lib. ad Simplicianum* declaravit, dum de illa vocatione dixit, *quod est effectrix bonæ voluntatis* & in fine illius libri potissimè illis verbis. *Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, quandoquidem, nec velle, nec currere nisi eo movente & excitante poterimus.* Consultò autem priùs Deum moventem posuit, deinde excitantem, ne diceretur Deum movere concomitanter, vel subsequenter. Vt ergo ostenderet, quod non solum excitatio est præveniens, sed etiam efficax motio, ideo priùs nominavit Deum moventem, quam excitantem, vel ideo id fecit, ut ostenderet quod Deus movet efficaciter, ut excitationi homo consentiat. Et hac duplici etiam ratione Concilium Tridentinum *sess. 6. Canone 4. relato*, etiam prius arbitrium posuit motum, quam excitatum. Quamvis enim prius sit Deum excitare quam adjuvare, vel efficaciter movere, tamen prius est Deum efficaciter movere, quam excitationi consentire; & ideo prius ponitur motum arbitrium, quam excitatum.

Frivolum autem est quod vlteriùs opponitur, 438
videlicet quod si de prædeterminatione S. Doctor Augustinus loqueretur, diceret, quod suum esset determinando, nostrum determinationem patiendo; quia ad hoc argumentum quod *lib. de corrept. & grat.* sibi à Pelagianis refert obiectum, ipse respondet, *quod qui filij Dei sunt, Spiritu Dei aguntur: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant*, & sic nec merè passivè se habent, ut Concilium Tridentinum definit. Quamvis autem non dixerit expresse suum esse determinando, id tamen dixisse verbis omnino æquivalentibus ostensum est modò.

CAPVT XXVIII.

Alia ex Sancto Patre Augustino opposita testimonia adducuntur, & in legitimo sensu explicantur.

QVartò insuper opponit supradictus author ex 439
eodem libro 1. ad Simplician. ergo eadem 2. vbi docet Augustinus. *Quod non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod benè volumus, nobis verò tribui non potest quod vocamur.* Et infrà *sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur, quomodo verum erit multi vocati pauci verò electi.* Et ad hoc fusè respondet, attendens non omnem vocationem efficere bonam voluntatem, sed eam quæ congrua est affectibus hominum: *ut quamvis*, inquit, *multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et rursus. *Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis*

Digitized by Google

miserentis est Dei, qui eo modo vocavit, quo modo aptum erat eis qui sequuti sunt vocationem. Et infra. *Si vellet ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et iterum. *Illi electi qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamvis vocati.* Et præterea. *Et si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Ac insuper. *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Postremo, inquit, *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta, moveat, alio modo dicta non moveat aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere Deo defuisse modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob justificatus est.* Et tandem in fine eiusdem quæst. ad Simplicianum ait. *Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annunciatio nominis eius in universa terra, prodest eis ut timeant, & vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Ex his hominibus colligunt, non aliter Deum homines convertere, quam per vocationem illam suam, quam ipsi vocant congruam, per illas inspirationes, & indeliberatas affectiones, sub illa præscientia, quâ Deus præscit qui eis bene usuri sunt, & quibus præscit hoc modo congruere vocationem.

440 Ad hæc priusquam per singula respondeamus, illa oportet prænotare, quæ circa hunc locum præmissa sunt 1. *nostro lib. part. 2. tract. 5. cap.* 32. retentis enim illis pauca alia supperaddere visum fuit, secundùm quod ibi nos in hoc loco facturos promisimus. Diximus ibi, quod & confirmamus, non solùm disputativè ibi agere S. Doctorem sed etiam suam diffinitivè proposuisse sententiam. In quo ab aliquibus Thomistis dissentimus: diximus secundò non ita in illis accuratè loquutum fuisse S. Doctorem de efficaci divina vocatione sicut postmodum in libris quos exortâ jam Pelagianâ hæresi ad illam expugnandam exposuit: quod ibi ex eodem Sancto Patre probavimus, & à nullo etiam protervo negari potest. Diximus tertiò quod licet ibi aliquid fuisset propositum, quod adversari videretur veræ efficaciæ prævenientis gratiæ, id per innumera alia testimonia, quibus magis ex professo disputans contra Pelagianos de hac materia, efficaciam gratiæ defendit, esset exponendum; non è contra omnia illa per solum illum locum esse intelligenda, quod hâc ratione facta mirum est, si quis neget.

441 Diximus quartò nihil in tali loco inductis verbis de vocatione congrua dixisse, quod illi congruæ, quam isti authores confingunt, aptum sit aut congruum. Quod etiam ibi ex relatis verbis sancti præceptoris, illisque multiplicatis satis ostendimus. Et nunc (quod etiam ibi diximus) considerandum putamus verba, quæ Cardinalis Bellarminus de hoc libro ad Simplicianum habet *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15. Porrò*, inquit, *Sanctus Augustinus cum scripsit librum ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, nec multa invenerat in hac difficillima quæstione, quæ postea maiori diligentia investigavit, & reperit.* Insuper ibi dicit extortam adhibuisse explicationem illius Apostoli testimonij, *ut secundùm electionem propositum Dei maneret.* Et iterum: *Vides quam aliter sapiat Augustinus senex, quam Augustinus iuvenis, nam senex scripsit ad Sixtum & Paulinum, juvenis ad Simplicianum.* Cum ergo liber iste ad Simplicianum tam parvæ authoritatis apud hos authores sit, sicut relata verba declarant, mirandum est valdè quod in libro tam minoris apud eos authoritatis, velint ij authores negotium hoc gravissimum de efficacia gratiæ fundare, omissis aliis plurimis testimoniis, imò libris integris, quos majori studio contra Pelagianos dictavit, in quibus hujus congruitatis nunquam meminit, sed efficaciam gratiæ prout ex Deo venit, apertè tradit.

His ergo, quæ ibi probata reliquimus, retentis 442
& confirmatis ut magis ac magis illius loci intelligentia comprehendatur, considerandum & distinguendum est diligentiùs tria Sanctum Patrem Augustinum ibi tractasse, quæ confundenda non sunt: ut etiam 1. *lib. citato loco* aperuimus. Primum est, initium fidei ex nobis non esse, & quantum ad hoc se refert S. Doctor ad illum librum *lib. de prædest. Sanct. & 2. lib. Retract.* Approbans & confirmans in illis suis vltimis operibus quæ de initio fidei scripserat ad Simplicianum, ut ex apertis verbis illorum locorum constat. Secundum est, quod agit ibi de vocatione quâ Deus vocat, quando vult misereri, sicut scit congruere ut vocatus vocationem sequatur. Tertiò exponit illud Pauli, *vt secundum electionem propositum Dei maneret*, de proposito justificationis ex quo provenit electio operum ad regnum cœlorum.

Et ut omittamus modò hoc tertium, in quo 443
vel loquitur solùm de electione ad regnum, in ratione præmij & mercedis, non facta mentione de electione gratuita ad regnum, & ad gratiam, vel scripsit tunc, ut ibi constare videtur, nullam aliam esse electionem, nisi meritorum post justificationem, ut in secundo nostro libro aperuimus. Quod si sic loquatur, manifestè hanc sententiam retractavit in libris posteriùs scriptis contra Pelagianos; in quibus sæpissimè illud testimonium intelligit de electione gratiæ merè gratuita ante justificationis merita. Vt, inquam, hoc tertium omittamus modo, illud secundum quod nunc opponitur de vocatione congrua, pro illa, quæ his temporibus congrua appellatur ex morali excitatione, & præscientia, qua prævidetur arbitrium ex sua innata libertate illi consensurum, non adjutum & motum efficaciori alia præveniente virtute, quæ congruitas maximè veræ gratiæ efficaci incongruit, illique adversatur, pro ista, inquam, nominata congrua vocatione nihil omnino facit, quod ostendendum est accuratiùs.

Et quidem primo cum liber ille sit compositus, 444
ante hæresim Pelagianam, in quo præterea ex professo de efficaci gratia non tractabatur, non mirum quod ex ipso, ut ex libro de libero arbitrio, argumenta petantur, sicut & antiquitus petita sunt, ad impugnandam veram Dei gratiam efficacem, quâ Deus ad se homines convertit. Sed ad illa opposita argumenta primò cum Sancto Patre Augustino respondemus *lib. 1. Retract cap.* 9. Quod tunc efficacia divinæ gratiæ, quia nec Pelagiani erant, qui ipsam negarent, nec operosa illa ratiocinatione defensa est & explicata, quâ postea, cùm adversùs Pelagianos defensa fuit. Vnde nec turbare debet, si cum ibi dicatur Deum, cum vult misereri, ita vocare, sicut scit voluntati congruere, non simul explicetur à quo illa vocatio congrua efficiatur, à Deo, vel ab humana voluntate & libertate. Aliud est enim astruere Deum vocare sicut scit homini congruere, quod & verissimum est, & ibi S. Doctor non semel affirmat: & aliud quærere, & explicare à

Digitized by Google

quo reddatur congrua illa vocatio, quòd ibi ex professo non tractatur, quamvis ut statim dicemus nec id in illis libris omnino S. Doctor reticuit, sed aliqua verba multiplicavit, quibus ostendit se congruam illam vocationem ex Deo ipso faciente per suam gratiam quod congrua arbitrio sit, intellexisse; & de illa ibi sermonem fecisse, non de illa alia horum Authorum, quæ non ex Deo, sed humano arbitrio mendicat congruitatem.

445 Quod ut ampliùs ostendatur, & hanc fuisse in illis libris mentem S. Doctoris, per singula verba in oppositione allata discurramus. Priora sunt illa, *quod non præcedit bona voluntas vocationem, sed vocatio bonam voluntatem.* Per quæ istorum authorum sententia retunditur, quâ contendunt bonam voluntatem facientis hominis quod in se est « præcedere vocationem, quam & supra satis abundè expugnavimus. Secundò, alia verba sunt opposita, quibus habetur quod *Deo vocanti tribuitur quod bene volumus*, quæ de illa Dei vocatione efficaci includente excitantem & adiuvantem, sive moventem gratiam, prout ipse S. Pater se manifestè declarat in fine illius quæstionis dicta sunt, id est, de vocatione effectrice bonæ voluntatis. Vnde statim illa verba subiungit: *Sed si vocatio ita est effectrix bonæ voluntatis*, ad ostendendum de hâc præmisisse, *quod Deo vocanti tribuitur quod bene velimus.*

446 Tertiò ostendit *non omnem vocationem sic esse efficacem, & effectricem voluntatis bonæ, cum non omnes illam sequantur, sed multi sunt vocati, pauci verò electi*, quod ideo dixit, quia constat ubique apud S. Doctorem duplicem esse vocationem, aliam communem, quâ vocati sunt qui voluerunt venire ad nuptias; aliam specialem, quâ homo fit accedens, & fit bene operans, ut dictum est.

447 Quartò Exponit *illam vocationem, quæ effectrix est bonæ voluntatis, esse congruam libero hominis arbitrio, & per illam ita Deum vocare, quomodo scit homini congruere, ut vocationem sequatur*, quod repetitis verbis declarat, quod est verissimum, idque ingenuè fatemur? Negamus tamen illam congruam vocationem effectricem bonæ voluntatis fieri tantùm per illas illustrationes & indeliberatas affectiones sub illa ipsorum præscientia, quia ista congruitas vocationis à Iuliano, Cassiano, & Fausto inventa est. Imò à Pelagio ipso ut veræ congruitati gratiæ detraheretur. Nec illa congruitas, ut venit ex Deo, effectrix est bonæ voluntatis; sed ut ab homine sibi congrua fit, quod & Deus cognoscens illam tribuit in illa sententia ut per arbitrium congrua reddatur. Imò nomine gratiæ non recedere à lege atque doctrina ipsimet authores expressis verbis aliquando dixerunt, ut in fine secundi libri ex ipsis, & in hoc quarto supra dedimus manifestum, quæ proinde semper à S. P. Augustino impugnata est, & expugnata. Vnde etiam in fine illius quæstionis ad Simplicianum, exponit per quid fit vocatio congrua & effectrix bonæ voluntatis, expressè concludens, quod fit congrua Deo movente, & excitante ut superius ostensum est. Non ergo fit sola excitante indeliberata affectione, sed fit movente Deo efficaciter, & efficiente quod excitationi consensus præbeatur. Ad quæ verba attendant, qui ex illa *quæst.* 2. argumenta proponunt, & videbunt per illa omnem suam congruam vocationem negari. Item ibi sic concludit. *Quis habet in potestate, ut vel occurrat quod cum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit, cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit ille largitur.* Quid clarius? ut nos delectet quod volumus: quod est dicere, ut nobis congrua vocatio sit & delectans, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, non ergo nutu, & consensu nostro illam reddimus efficacem, sed gratia Dei hoc fit. Et iterum: *ut sit nutus noster, ut sit industria, ille tribuit, ille largitur:* non ergo initium & consensum ex nobis tanquam ex nobis habemus, quo congruam nostram vocationem efficiamus, ut authores illius congruæ vocationis prætendunt, & clarè pronunciant.

Igitur per illam congruam vocationem toties 448
repetitam in oppositis ex Sancto Patre Augustino verbis, intelligit S. Doctor illam quam præveniens efficax gratia congruam arbitrio facit, nihil enim arbitrio congruentiùs, quam quod efficaciter à Deo trahatur, ut excitationi consentiat, quod & sub his verbis ipse exposuit, *epist.* 105. *Quid enim debet esse Iucundius, vel infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris gratiâ, qua excitantur, vel volentibus gratia qua iuvantur.* Cum ergo dicit, quod quibus Deus miseretur, sic eos vocat, quomodo novit eis congruere, ut sequantur, hoc tantùm intendit, quod videlicet novit Dominus virtutem & efficaciam suæ vocationis, quâ sic quosdam vocat, ut vocando eos obtemperare faciat, & ideo sciat eos sequuturos, & obtemperaturos, ad eum modum, quo verissimè dicere possumus, sic vocatum fuisse à Christo Lazarum, quomodo sciebat eum suscitandum, quia nempe sciebat efficaciam suæ vocationis, quâ eum suscitaret: & sic intellexisse, & loquutum fuisse Sanctum Augustinum docet expressè Cardinalis Toletus super Lucam *cap.* 5. *annot.* 54. *& sup. Epist. ad Rom. cap.* 11. *annotat.* 4. dicens: *Augustinus existimat totum esse gratia, quia Deus facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat, ut velle possit, & facit velle.*

Similiter quod asserit, videlicet quod quamvis 449
multi eodem modo vocati sint, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt, illi solùm sequuntur vocationem, qui illius capiendæ reperiuntur idonei. Quamvis non desint, qui dicant, & sunt ij authores, quod voluntate humana sic bene afficiuntur, & redduntur idonei; nos tamen dicimus, quod id fit gratia & prædestinatione divina, quâ efficaciter adiuvantur, ut bene sint affecti & idonei ad recipiendam vocationem illam. Plura alia circa huius libri expositionem videantur *libro* 1. *citato loco.*

Et ultimatè hanc esse ipsissimam sancti Doctoris Augustini mentem, ex eo adhuc manifestiùs convincitur. Quod ipse in omnibus suis posterioribus libris post illos ad Simplicianum, quos iuvenis scripsit, perpetuò damnat moralem tantùm excitationem sub illa præscientia media esse gratiam quâ bene operamur. Ergo hanc non intellexit illa *quæstione* 2. *ad Simplic.* Sed postea in superioribus libris, quòd de hac illorum congrua vocatione non loqueretur, expressit ac declaravit. Antecedens primum ex quo totus discursus evidenter procedit, constat apertè ex *lib. de gratia Christi, cap.* 10. *& sequentibus*; ubi damnat Pelagium constituentem verum adiutorium gratiæ *in* internis suasionibus, revelationibus, & excitationibus, moraliter tantùm, dicens illas revelationes, & excitationes non recedere à lege atque doctrina. Scientia autem media, sub qua illæ revelationes & excitationes congruæ reddebantur, negatur à S. Au

Digitized by Google

S. Augustino *lib. 1. de origine anima cap. 12.* expressè & *cap. 9. de prædest. Sanctor.* Vt clarius ostendimus 1. *lib.* disputando adversùs illam mediam scientiam. Imo ipse Franciscus Suarez supra relatus, expressè docet Pelagium præter illas internas revelationes, & excitationes admisisse scientiam mediam, quâ Deus cognoscebat, qui illis si eis adhibitæ fuissent, essent consensuri; quæ est in terminis congrua ista horum authorum vocatio, sub illâ media scientiâ congrua facta, ut aiunt.

450 Quod si recurrant authores hi; ut à Pelagio se differre suadeant, ad illam gratiam adiuvantem, quam comitem, seu consequentem hominis determinationem constituunt, prætendentes, quod illam Pelagius non admisit, eis respondetur ex verbis quæ supradictus suus Franciscus Suarez ubi supra apponit dicens: *Nec dubitaret*, scilicet Pelagius, *etiam illam vocare gratiam excitantem voluntatem, ut velit, & adiuvantem cum vult.* Illam, inquam, sive naturalem congruam vocationem, sive revelationem & excitationem congruam factam per prædictam scientiam mediam, utramque enim admisisse Pelagium ibi expressè fatetur Franciscus Suarez, & illam congruam cogitationem naturalis ordinis, & illam interiùs supernaturaliter revelantem ostendentem, & stupentem suscitantem voluntatem: quæ sunt ipsiusmet Pelagij expressa verba à Sancto Patre Augustino relata, *supradicto cap. 10. de grat. Christi.* Cum ergo ista vocatio congrua facta per excitationem moraliter tantùm suadentem sub scientiâ mediâ sit Pelagianorum damnata sententia, efficacissimè à Sancto Patre Augustino millies expugnata, quomodo eidem Sancto Doctori attribui potest in illo libro ad Simplicianum *quæst. 2.* si non esset alia congrua vocatio, nisi tantùm ista quæ malè ab his authoribus intromittitur, forte argumentum haberet aliquid apparentiæ. Cum autem præter illam, quæ semper à Sancto Augustino damnatur, alia sit verè congrua, quam Deus sua efficaci gratia homini facit congruere, & quâ Deus adaptat voluntatem ad bonum, ut Paulus clamat, magnæ contentionis est de illa priori, & non de ista Sanctum Augustinum velle in illo loco interpretari.

451 Vt autem contra hanc congruam vocationem concludamus. Triplex congrua vocatio potest intelligi, seu explicari. Prima vera, quæ modo ex Sancto Patre Augustino congrua dicta fuit, quâ videlicet Deus suâ efficaci vocatione per excitantem, & simul adiuvantem gratiam prævenientem liberum hominis arbitrium efficaciter præmovet, ipsum faciens secum cooperari, & faciens sibi congruere, facienſque ipsum bonæ excitationi coaptari: quo nihil congruentius potest esse libero hominis arbitrioEt. hanc SS. Doctores & nos ipsorum vestigiis semper inhærendo, perpetuò defendimus, & adjuvante eadem congrua efficaci gratia congruentiùs defendemus.

Alia fingitur congrua vocatio per scientiam illam mediam, exploratricem humanæ voluntatis, & illius quod ipsa ex se ipsâ, & suâ innatâ libertate, si sic, vel sic vocaretur, factura prævidetur. Quæ ab his authoribus satis incongruè publicatur. Et ista rursus duplex est, iuxta illorum placita diversa. Plurimi enim ex ipsis, & ferè omnes dicunt, post illam supradictam mediam scientiam Deum prædiffinire bona supernaturalia opera fienda ab arbitrio: ita quod illa congrua vocatio in tempore facta, effectus sit illius prædiffinitionis post mediam scientiam, sitque id per quod prædicta prædiffinitio infallibiliter executioni mandatur. Ita Molina, Suarez, & communiter alij defensores scientiæ mediæ. Sed ista congrua vocatio minùs placet Leonardo Lessio, ut supra citavimus: qui in locis ibi ex ipso allatis illam graviter impugnat, non minùs quam physicam prædeterminationem. Et præterquam quod illam dicit facere Dei electionem, & vocationem duram, & quod homo non potest absolutè aliud efficere, quam quod per ipsum statuitur fiendum. Qua ratione reipla asserit, nec sine illa habere auxilium sufficiens, nec iustè imputari quod non rectè sed malè operetur. 452

Vnde concludit quod inconvenientia quæ ab ipsis inducuntur contra Dei prædiffinitionem sine scientia media, & contra prædeterminationem, *non tolluntur per præscientiam conditionatam, sed potius augentur. Quia subministrat modum occultè exequendi, & dissimulanter impediendi, ne quis electus in numerum salvandorum intret.* Igitur congrua vocatio per prædiffinitionem suppositâ scientia media (secundùm hunc authorem adversus suos) minus tolerabilis est quam prædeterminatio, quæ absolutam prædiffinitionem sine priori scientia media præsupponit. Et sine dubio eadem inconvenientia, quæ ipsi inferunt ex prædeterminatione, ex ipsa deducuntur. Vt supra *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 16.* Ostensum esse putamus. Præterquam quod ex ipsa convincitur, Deum non præscium futurorum, Deum non causare ut primam causam, quidquid boni, & entitatis est in rebus, Deum non esse omnium in universum actionum primam causam, quoad earum bonitatem, entitatem, & substantiam actus, sed liberum hominis arbitrium primum principium suæ actionis constitui; ac denique ipsum nullo modo verè liberum constitui: quæ omnia 1. *nostro libro* adversus illam mediam scientiam disputantes satis ostensa sunt. Igitur ista talis congrua efficacia & per suos authores, & per nos, ut impossibilis refutatur.

Vnde ipse Leonardus Lessius tertiam congruam 453
vocationem invenit, quæ sit effectus solius voluntatis antecedentis, & communis bonis & malis, sub illa præscientia absque aliqua prædiffinitione, vel hominum salvandorum, vel operum ad salutem pertinentium. Vt *disput. de prædest. & reprobat. citata supra* relatum est. At ista præcedenti peior est, & magis absurda, ut in fine nostri secundi libri latè contra hunc authorem disputantes ostendimus. Etenim illa, præter supradicta inconvenientia in quibus clarius cum supradictâ convenit, vlteriùs nullam maiorem, vel præstantiorem gratiam admittit prædestinatis tribui, quæ non tribuatur reprobis: sed pro omnibus indifferentem, & communem voluntatem Dei statuit dandi omnibus auxilia sufficientia ad salutem, præsciendo qui illa efficacia sibi reddent, & qui non: quæ apparet illorum antiquorum sententia; qui ex nobis prædestinationem certam astruebant: & ex nobis esse salutem contendebant, non ex Deo, De quibus ut præmisimus copiosius, & accuratius egimus citato *nostro libro 2. in fine.* Igitur cum utraque ista congrua vocatio plurimis, illisque gravissimis impossibilibus redundet, valde impossibilis est.

Præter has tres modò relatas congruas vocatio- 454
nes, quarum prima vera est, duæ posteriores meræ confictæ ut potè quæ prævisum consensum ex solo homine factum constituunt, per quem sibi reddit efficacem suam congruam vocationem, novissimè aliam quartam invenio in quodam Sancti Thomæ discipulo *in commentarijs ad 1. 1. super quæst. 15. disputat. 58. sect. 2. & 3.* quam & in Sancto

Digitized by Google

sancto Patre Augustino *citato loco ad Simplicianum* fundare laborat, quæ talis est. Quod nempè sit congrua & efficax ex seipsa, & effectrix bonæ voluntatis; non autem quod à libero consensu fiat efficax, ut duæ relatæ congruæ vocationes ponebantur ab alijs. Quam proinde efficacem ex seipsa congruam vocationem, ut ait S. Doctor, per simplicis intelligentiæ scientiam cognoscit Deus efficacem esse ad infallibiliter hominem convertendum, si tali congrua vocatione vocetur, & de hac S. Augustinum interpretatur *citato loco ad Simplicianum*.

Cæterum ista sententia nova est contra S. P. Augustini & Thomæ sententiam & revera voce duntaxat gratiæ efficaciam admittit, sed re negat, dum illam impossibili modo constituit. Vel enim per talem congruam, & ex seipsa efficacem vocationem ipse intelligit indeliberatos actus voluntatis, quibus formaliter voluntas excitatur, quæ solent dici indeliberatæ inspirationes & excitationes? Vel intelligit priorem divinam motionem excitantem effectivè voluntatem ad habendum illas indeliberatas actiones & inspirationes? Vel intelligit utrumque simul excitantem divinam motionem, & indeliberatam inspirationem à voluntate, ut natura est, elicitam? Quocumque modo sumat, veram efficaciam gratiæ facientem nos liberè consentire planè reipsa negat.

455 Et quidem si indeliberatam inspirationem intelligat, illi repugnat, quod efficax sit ad movendum voluntatem ad liberum consensum propter rationes, quas *hoc lib.* supra agentes de excitante gratia expressimus. Si intelligat de gratia effectivè excitante voluntatem ad tales inspirationes indeliberatas, idem rationes factæ concludunt: quia illa motio solùm excitat ad indeliberatas illas actiones, & ibi cessat, unde illa ad actiones liberas non movet efficaciter. Si utrumque simul conjugat, Idem planè sequitur, sicut ad rationes citato loco inductas nos remittimus.

456 Quibus & addendum putamus, quod cum ab illo authore dicatur, illam congruam vocationem consistentem in illis illustrationibus, & inspirationibus cognosci à Deo esse efficacem per scientiam simplicis intelligentiæ ante liberum decretum voluntatis Dei volentis hominem convertere, manifestè dicitur, quod à divina voluntate efficaci suam efficaciam non participet; nec ponitur instrumentum esse divinæ voluntatis, volentis efficaciter hominem convertere, quod satis est manifestum. Ponitur ergo talis illustratio, seu inspiratio objectivè tantùm movens habere ex seipsa illam efficaciam, sicut à causa principali. Hoc autem creaturæ omnino repugnat; quod nemò ut principalis causa efficaciter hominis voluntatem possit movere, quia solus Deus propter dominium quod habet in hominum voluntates, sicut in cæteras creaturas, efficaciter hominis voluntatem movere potest quocúmque voluerit. Imò si creaturæ talis efficacia concedatur, illa voluntatem absque ejus libertate movebit: humana enim voluntas, ut efficaciter, & cum libertate moveatur, nullo modo alicui creaturæ, sed soli Deo subditur, ut omnes debent concedere.

457 Quod ut effugiat, si author dicat, se non de indeliberatis inspirationibus agere, sed de divina motione quæ illarum causa est, & sola prima excitans gratia, quæ proinde cum Dei motio sit à Deo per simplicem intelligentiam cognoscitur instrumentum esse divinæ voluntatis, & in virtute illius agere: Ad hoc dicendum quod etiam hoc modo divinæ gratiæ efficaciam negat; illa enim excitans divina motio solùm habet ex parte intellectus illustrare, & ex parte voluntatis excitare ad actum indeliberatum; & quantùm ad hoc solam efficaciam à Deo habet. Vnde hoc modo tantum potest à Deo cognosci per simplicem intelligentiam, quòd nimirum solam efficaciam à Deo habet ad movendum ad actum indeliberatum: non ergo potest cognosci ut habens efficaciam ad actum liberum; & sic idem inconveniens & impossibile sequitur.

Vt igitur concludamus, dicendum quod si loquatur de indeliberatis inspirationibus in quibus efficaciam gratiæ constituit à Deo cognitam per simplicem intelligentiam ante omne decretum divinæ voluntatis, volentis hominem convertere, efficaciam divinæ voluntatis negat & eam creaturæ, ut causæ principali tribuit, quamcunque, vel quantamlibet gratiam dicat, sive includentem hominis consensum, à quo efficax redditur, sive non includat, sed illum efficaciter causet; & insuper efficaciam gratiæ negat. Imò si efficacia talis admittatur, sine libertate voluntatem hominis movebit, ut dictum est. Si verò loquatur de prima gratia effectivè voluntatem excitante, quæ divina motio est, cum ista quatenus sic excitans solùm habeat movere voluntatem ad actum indeliberatum, nec à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ potest aliter cognosci quam est. Hanc igitur non minùs impossibilem congruam vocationem quam sint illæ duæ supra relatæ, sancto Patri Augustino velle tribuere vanum est. Omnes enim illas tres in illo loco ad Simplicianum pariter recjicit, reipsa, & solam illam primam congruam vocationem ex Deo ipso efficacem tradit, ut satis manet ostensum. 458

CAPVT XXIX.

Nonnullæ aliæ objectiones ex eodem S. P. Augustino proponuntur, ac dissoluntur.

NIsi oporteret quædam sancti Augustini testimonia, quæ extortè ab his authoribus explicantur, ut suam possint fundare vocationem, quæ satis incongruè ab eis publicatur, in vera intelligentia explicare, & sanctum Patrem Augustinum ab hac imputata sibi doctrina, quam efficaciter, ipse expugnavit, defendere; nec esset in hac parte ampliùs immorandum: sed quia supradictus auctor, qui à principio Lovanij in prælectionibus palam in hac materia doctrinæ sancti Augustini adversabatur, sicut fecit Ludovicus Molina, postea attendens non sibi licere in hac causa doctrinam sancti Augustini deserere cogitavit, ut eâdem sententiâ retentâ illam sancto Patri Augustino ascriberet, in illoque fundaret aliquibus ex ipso inductis testimonijs malè intellectis quod alium ejusdem familiæ fecisse compertum est. Mutarunt enim modum apertum, quo sanctum impugnabant Augustinum, sed non sententiam, intolerabiliùs illam S. P. Augustino tribuendo. Quia inquam, in hoc tandem insistunt, necesse est omnibus notam & apertam sententiam sancti Augustini in hac parte, quam obscurare voluit, notiorem reddere, & magis conspicuam omnibus proponere, illorum objectionibus respondendo. 459

Progreditur ergo author ille, & tertio *loco* objicit illud testimonium ex *cap. 34. de Spiritu & litera*, jam ab alijs prioribus objectum & *à nobis* supra in vera intelligentia explanatum, *unde* nec aliud addendum est, 460

Opponit

Digitized by Google

461 Opponit quarto loco testimonium *ex lib. 83. quæstionum quæst. 68. in quo habetur: Ad illam cœnam, quam in Evagelio Dominus dicit præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent, nisi vocarentur*, Itaque *nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia venerunt vocati, nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi quoniam ut venirent vocati erant in eorum libera voluntate: vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, propterea & si quisquam sibi tribuit quod venerit vocatus; non tamen potest sibi tribuere quod vocatus est.* Ex hoc infert quod vocatio operatur bonam voluntatem, unde non est quærenda alia determinatio; Secundò vocatos habere in sua potestate venire etsi non veniant: at quomodo id verum est si non possunt venire sine motione prædeterminante quæ non sit in eorum potestate Teriò quomodo vocatus, si non venit, illi tantùm attribui debet, si defuit ei necessaria motio ad veniendum, quæ non erat in ejus potestate.

462 Ad hæc respondemus, & ad primum quod cum vocatio qua vocati veniunt, sit effectrix bonæ voluntatis, & efficax secundùm manifestam Sancti Patris Augustini sententiam, ipsa includit non solùm excitantem sed adjuvantem gratiam prævenientem, ut ubique Sanctus Doctor Augustinus ostendit; imò Tridentinum Concilium, ut sæpius supra explicuimus: & ex consequenti includit prædeterminationem quæ in illa excitante & adjuvante præveniente gratia consistit, potissimè quia adjuvans gratia, ut in superioribus probavimus, realiter sicut res à re non distinguitur à gratia excitante, sed realiter est ipsa gratia excitans, & munere & officio diverso ab ipsa distinguitur. Vnde vocatio efficax utraque includit, & sic verissimè & propriissimè salvatur, quod vocatio est effectrix bonæ voluntatis, & quod vocatio, nempè efficax, operatur bonam voluntatem, & quod vocatione sit credens homo, seu benè operans.

463 Ad secundum dicimus verissimum esse vocatos per vocationem communem seu generalem, sive sufficientem habere in potestate sua venire, etiam si non veniant & etiam si non habeant specialem aliam vocationem includentem adjuvantem sive prædeterminantem gratiam; quia venire potuerunt & noluerunt, & oblatam sibi prædeterminantem gratiam recipere noluerunt, ipsaque illis ob culpam eorum negata est. Vnde quod illam non habuerunt, ex defectu illorum est, & ipsis meritò imputatur, ut pleniùs supra agentes de auxilio sufficienti reliquimus explicatum, ubi simul manet ostensum hoc argumentum fuisse Sancto Patri Augustino in terminis oppositum ab adversarijs gratiæ, ut ipsemet refert *lib. de Corrept. & gratia cap. 4. 5. & 6.* unde in hoc argumento nec ij Patres deberent insistere vel illo aliqua ratione convinci; sed illud cum Sancto Patre Augustino & nobiscum pariter solvere.

Eodem modo respondemus ad tertiam objectionem, quæ ex eodem pede claudicat, prout copiosè citato in superioribus loco manifestavimus. Igitur ex verbis relatis Sancti Patris Augustini in illa *quæst. 68.* non inferuntur illæ exortæ rationes, quas prædictus author deducit, cum alibi ex professo adversarios gratiæ debellans illas in terminis Sanctus Doctor impugnet, & non ex sua doctrina posse deduci, sed contrariorum esse fundamenta ipse testetur.

464 Septimum testimonium *ex libro de dono perseverantiæ*, quem ipse suo more citat *de bono perseverantiæ*; quia fortè bonum veræ perseverantiæ, vel in libri inscriptione intelligi volunt nostrum; non autem donum Dei esse, cum tamen correcti Codices ad hanc occasionem præscindendam, non *de bono*, sed *de dono perseverantiæ* hunc librum inscribant. Inducit autem verba illa, *cap. 14.* jam *superius* ab alio ad idem obiecta: *Ex quo apparet in ipso ingenio habere divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant.* Ex quibus iterum illam suam congruam vocationem deducunt.

Sed jam superius dictum est hanc ipsorum ex- 465
plicationem contra literam esse, & duas legitimas à nobis traditas fuisse 1. *nostro libro part. 2. tract. 5.* Altera est ex eòdem Sancto Patre Augustino & Thoma, nimirum quod per divinum naturaliter munus intelligentiæ, accipitur ibi, non lumen solis naturæ viribus habitum, sed natura informata ex gratia, per quam movetur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Interior enim efficax gratia facit ut congrua sint audita verba, & visa signa. Secunda intelligentia est, quod ibi loquatur Sanctus Pater Augustinus de motione tantùm objectiva, non efficaciter movente, quæ objectiva motio & propositio objecti, vel auditio verborum, sive inspiratio signorum quibusdam mentibus magis congrua est, quam alijs ad objectivè movendum eos ad fidem. Sed nisi efficacia gratiæ superveniat, nunquam de facto per illam congruitatem vel auditorum verborum, vel signorum visorum, vel interioris excitationis tantùm moraliter incitantis ad fidem movebuntur.

Octavum opponit testimonium ex *lib. 12. de* 466
civitate Dei cap. 6. de duabus similiter corpore & animo affectis, & pari tentatione tentatis, in quibus inquiens causam, quare alter à castitate voluerit deficere, alius verò in ea perseverare, respondet non apparere aliam causam quam quod alter à castitate voluerit deficere, alter noluerit. Ex quo infert quod si necessarium esset auxilium determinans, non rectè dixisset causam esse quod hic voluerit, alter noluerit, sed dicere debuisset, quia hic habuit motionem quâ Deus illum ad castitatem determinavit, ille non habuit; illâ autem non habitâ necessariò deficere debebat: itaque non fuissent pares.

Ad hanc objectionem de vera intelligentia il- 467
lius dicti in *illo cap. 6.* adjuncto 7. 8. & 9. à quibus hi Doctores præscindunt, cum tamen in illis clariùs se exposuerit Augustinus, diximus satis supra, agentes contra illam aliorum doctrinam videlicet an posito omnino æquali gratiæ prævenientis auxilio stet unum converti, alterum non converti, ubi duplex vera intelligentia ex contextu illorum capitulorum assignata est, quæ ibi est inspicienda. Quatenus verò noviter hic locus introducitur contra Dei efficacem seu prædeterminantem gratiam, respondemus, quod is qui in castitate permansit, si graviter uterque tentatus erat, ex efficaci divino adjutorio permansit, quod alteri non est concessum, ut citato loco secundum veram intelligentiam tradidimus; sic verissimè de illo qui in castitate permanfit dicit Sanctus Doctor Augustinus, quod ideo permansit quia voluit, tradit enim proximam causam illius boni actus, sed ulteriùs sequentibus capitibus assignavit, & primam, dicendo quod ideo voluit in bono perseverare, sicut etiam bonus angelus, quia ille & iste fuerunt magis præ aliis, qui ceciderunt adjuti, & efficaciter in bono detenti,

Digitized by Google

seu efficaciter ut permanerent prædeterminati. Constat hoc apud eundem S. Patrem Augustinum *lib. de dono perseverantiæ cap.* 19. referentem sanctum Ambrosium exponentem illud Lucæ, *visum est & mihi*: per illa verba: *Potest* inquit, *non soli visum esse, quod soli visum esse declarat: non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus: qui ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit operatur; quem enim miseretur & vocat, & ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est & mihi: quod cum dicit non negat Deo visum, à Deo enim præparatur voluntas hominum;* Quæ verba ibi multùm celebrat sanctus Doctor Augustinus; ex ipsisque respondemus quod licet tantùm sanctus Augustinus in obiecto nunc loco diceret quod ille qui permansit in castitate, ideò permansit quia voluit, exponendo ibi tantùm proximam causam, non tamen per hoc negat, id Deum voluisse ut ille homo velit, quæ est prima omnium causa totius nostri velle boni: sed & eandem primam causam exposuisse in *cap. sequenti eiusdem libri manifestum est*, ut relato loco supra manet ostensum.

468 Ad id quod infert, videlicet quòd tunc jam pares non essent in auxilio, id necesse est omnino fateri ut in superioribus satis probavimus: nec in illo objecto testimonio dicitur, illos duos homines in omnibus omnino auxiliis esse æquales, quia æquales proponuntur tantùm in corpore, in animi affectione & æquali tentatione tentati, non autem æqualiter adiuti dicuntur; sed potiùs inæqualiter ut constat ex *dicto cap.* 9. Nonum testimonium opponitur ex *cap.* 22. *libri de Ecclesiasticis dogmatibus*, sed librum illum non esse Augustini sed Gennadij in nostro secundo libro ex sancto Thoma & pluribus alijs Doctoribus dedimus manifestum, unde nec illi aliter est respondendum quidquid ibi dicatur.

469 Ex dictis constat manifestè, quid dicendum ad aliud, quod alius novissimè opposuit, videlicet non convinci ex sancto Patre Augustino physicam prædeterminationem; nam, ut ait, omnes istæ propositiones extra controversiam sunt. Prima, ad singulos actus necessaria est gratia Dei præveniens, si illi actus supernaturales sint. Secunda gratia alia est efficax, alia sufficiens. Tertia efficax quibus datur, ex mero Dei beneplacito datur. Quarta gratia efficax aufert cor lapideum, est prævia non pedissequa, datur non quia volumus, sed ut velimus, facit ut faciamus, consequitur effectum suum infaillibiter, nec tamen tollit liberum arbitrium.

470 In his omnibus, inquit, quæ solùm important rem non modum, nulla dissensio est inter Catholicos, sed dissensio est circa modum quo gratia efficax est; an videlicet ea præstet physicè prædeterminando, an congruè movendo: ita ut relinquat potentiam ad dissentiendum, etiam in sensu composito. Verba autem sancti Augustini ut dicit, non inferunt physicam prædeterminationem, sed illam potiùs congruam, etenim cum Pelagianis & Semipelagianis non fuit controversia an gratia efficax physicè prædeterminaret an congrue moveret, sed an gratia ad singulos actus sit necessaria, an tollat liberum arbitrium si nullus actus bonus possit esse sine præveniente gratia.

471 Probatur autem quod ex verbis sancti Augustini non denotetur physica prædeterminatio, nam illud quod opponitur ex *lib. de prædest. sanct. c.* 3. id non sonat, nec velle possumus nisi vocemur & cum post vocationem voluerimus, non sufficit nisi Deus vires præbeat. *Epistola* 105. Quæ *ergo merita hominis præveniant.* Et iterum: *Quod ergo putant auferri sibi liberum arbitrium si nec ipsa in bonam voluntatem, sine adiutorio Dei hominem habere consenserint: non intelligunt se non firmare liberum arbitrium sed impellere.* Ex *lib.* 1. *ad Bonifacium* referuntur illa *ex cap.* 5. *Nec sub nomine gratiæ fatum asseximus: quia nullis hominum meritis gratiam dicimus antecedi:* hæc autem non sonant aut inferunt physicam prædeterminationem: Imò sanctus Augustinus pro congrua vocatione est *lib. de dono perseverantiæ c.* 14. illis verbis, *ex quo apparuit* usque ad illa *si congrua suis mentibus verba audiant, vel signa conspiciant.*

Ad quæ tamen nos breviter respondemus & 472
quidem primo quod sine causa hoc testimonium *ex lib. de dono perseverantiæ* inducant. Vt ab hoc ultimo incipiamus, satis ostensum est supra, quod si iste author vellet attendere, vel ad hunc *lib. de dono perseverantiæ* quem induit, in toto ipso videret controversiam fuisse cum Pelagianis, non solùm de initiis naturalibus ad gratiam, sed etiam de ipsa efficaci gratia quæ facit homines perseverare ut in toto illo libro probatur. Imò fatum; quod prædicatores gratiæ dicebant inferre, sicut modò etiam contra efficaciam gratiæ efficaciter, manifestè opponitur, tunc opponebatur. Legat author totum librum de gratia Christi, & ab hac oppositione cessabit, nihil enim in ipso aliud firmatur nisi gratia præveniens, quæ efficaciter actus moveat ad bene operandum & non revelationibus & suasionibus tantùm. Vnde in hoc etiam consistere Pelagianorum hæresim est manifestum, quod initium boni operis sit ex nobis & ex nostra naturali facultate, consummatio ex Deo: sed hoc initium ex nobis triplex malè constituebant, quod iste author non advertit, cum tamen id sit apertissimum. Primò ante omnem prævenientem gratiam dicebant præcedere initia ex naturæ viribus, saltem initium fidei. Secundo posità excitante gratia jam data ex meritis illis prioribus initiis, dicebant consequenter hominem ex sua innata libertate consentire excitationi divinæ, & Deum postmodum adiuvare. Tertiò consequenter etiam id dicebant de actu perseverandi; quod videlicet Deus sufficienter movebat ad perseverandum dando posse perseverare. Et quod homo ex sua innata libertate incipiebat bene perseverare, & Deus confirmabat eandem perseverantiam sic ab homine inceptam, & in omnibus istis initiis tribus ex innata libertate, *ipse author* qui hæc opponit cum suis convenit, ut *in* isto quarto libro copiosè comprobavimus. In primo initio quidem quia dicunt, quod facienti quod in se est ex solis naturæ viribus Deus certâ lege dat gratiam. In secundo verò quia dicunt quod excitantem Gratiam sua libertate homo benè incipiendo reddit efficacem, ob quod Deus cum illo sic ex se consentiente, seu incipiente consensum cooperatur. Tertiò quia idem dicunt de dono perseverantiæ. Igitur fallitur ipse author nominando solum ex Pelagianis & Semipelagianis primum omnium initium ex homine & omittendo alia duo initia quæ nobis ex nobis, & non ex gratia tribuebant.

Tandem dicimus, quod non solùm ex *illis in-* 473
ductis à se testimoniis Sancti Patris Augustini efficax seu physica seu quasi physica prædeterminatio infertur licet ex eis sufficienter, ut *dictum* est, deducatur: sed ex multis aliis efficacioribus & clarioribus, quæ à nobis inducta sunt supra.

Constat

Digitized by Google

474 Constat igitur nullo modo vel apparenter probari ex Sancto Patre Augustino: illa quæ ab ipsis vocatio congrua appellatur sed potius illam semper Doctorem Sanctum expugnasse, quando enim omnia illa 123. egregia testimonia non essent quæ in principio huius libri opposita sunt, vel illa objectioquæ sicut modo nobis, ita antiquitus Sancto Patri Augustinio objiciebatur, rem apertè demonstrat, docuisse semper Sanctum Patrem Augustinum contra illam illorum congruam vocationem efficaciam prævenientis seu prædeterminantis gratiæ. Siquidem contra Sanctum Augustinum sæpe opponebant, quod liberum per adjutorium gratiæ auferretur arbitrium quod argumentum solum ut est apertissimum contra prævenientem prædeterminantem gratiam potest opponi. Quibus Sanctus Doctor non respondet per illam vocationem congruam illorum, quia cum illis consentiret, nec controversia esset: sed illis semper se opponens veram gratiæ efficacitatem prævenientem arbitrium ac per consequens prædeterminantem semper astruxit, & mirabiliter defensavit ex aliis Sanctis Patribus vera gratiæ efficacia qua Deus voluntates hominum ad bonum prædeterminat ut dictum est supra.

475 Minus necessarium putamus diffusè ex aliis Sanctis Patribus qui ante exortam Pelagianam hæresim scripserunt prævenientis gratiæ efficaciam confirmare, tum quia jam breviare sermonem cogimur, ne in immensum procedat disputatio, tum etiam quia illud occurrit Sancti Patris Augustini documentum pro hac eadem materia traditum, & à nobis est omnino servandum quod habetur *de præd. sanctorum cap. 14. Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quæstione versari: quod proculdubio facerent si respondere talibus cogerentur, unde factum est ut de gratia Dei qui sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent, immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesia disputabant & in exortationibus ad quascunque virtutes quibus Deo vero & unico pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur, frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret, non enim poscerentur à Deo quæ præcipit fieri, nisi ab illo donarentur ut fierent.*

476 Quia igitur omnes Sancti Patres à Deo instanter petebant ut donaret quod præcipit fieri, convincitur eos omnes confessos in operis exercitio & doctrinæ fuisse prævenientis gratiæ divinam efficaciam qua Deus donat & efficit ut homo faciat, quod Deus fieri præcipit. Nec aliud est opponendum, sed tantum respondendo ad quædam quæ ex eis objiciuntur testimonia ostendere nec in illis aliquid eos docuisse quod huic veritati contradicat, quod infra ostendemus ex aliis authoribus Sanctis idem declaratur.

477 De aliis autem doctoribus Sanctis qui post Sanctum Patrem Augustinum Pelagianos omnes debellarunt ut pote, Hieronymo, Prospero, Hilario atque Fulgentio, nec etiam testimonia afferre visum est, tum ob brevitatem prædictam, tum quia aliqua inducere, non vero alia ipsis videretur derogari putantibus, qui tantum ea intuerentur alia in ipsis non inveniri. Cum tamen hujusmodi testimoniis ferè sine numero eorum opuscula sint plena. Legatur enim sanctus Hieronymus *Epistola ad Ctesiphontem & in tribus dialogis adversus Pelagianos*, & innumera quisque desumet: Et sæpe argumento de læsione libertatis à Pelagio contra prævenientis gratiæ veram efficaciam oppositos adversus enim illam sicut solum potest opponi, ita adversus eamdem solum ab illis objiciebatur, ipse manifestè respondet, & qui illud objiciunt potius libertatem tollere ibi demonstrat.

Sed quibus verbis illud argumentum expellat, 478
licet non semel fuerit relatum, iterum referre non pigeat, *Quod autem sursum deorsumque iactitant liberum à nobis arbitrium destrui: audiant è contra eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium, ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo rivulo fluit ad fontem refert, an qui dicit recede à me quia mundus sum, non habeo te necessarium, dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem ut faciam quod voluero; quid rursum te ingeris ut nihil possim facere nisi tu in me tua dona compleveris?* Et rursum in eadem epistola ad Ctesiphontem, *Iniuriam*, ait contra Pelagium, *tibi fieri putas & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper authorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas oculi mei semper ad Deum quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos unde & audes lingua proferre temeraria unumquemque suo arbitrio regi: si suo arbitrio regitur: ubi est auxilium Dei si Christo rectore non indiget: quo modo scribit Hieremias, non est in homine via ejus, & à Domino gressus hominis diriguntur:* quibus & efficaciam prævenientis gratiæ ex Deo efficacem ostendit & argumentum Pelagianorum contra illam dissoluit.

De Sancto Prospero plura opuscula id attestan- 479
tur in *Epist. enim ad Sanctum Patrem Augustinum* post excitationem gratiam illam, nempè, adjuvantem (nam alia esse non potest) requirit: quæ non sit solum comes ut illis istis temporibus publicatur sed quæ sit prævia, in quo manifestè efficaciam prævenientis gratiæ ostendit & illam negantes redarguit, ibique gratiam præoperantem defendit, id est, verè & præoperantem ut verbum sonat, quæ est absque dubio prædeterminans. Si enim verè & activè propriè præoperatur ut nos liberè cooperemur absque dubio prædeterminat ut liberè operationes eliciamus & ut alia opuscula omittam *Epistola ad Ruffinum*, & copiosius *prosa de ingratis* docet, illam excitantem gratiam, quam Semipelagiani admittebant tantùm habere normam legis atque doctrinæ, nec veram Christi gratiam esse: de qua scriptura est, quod facit ut faciamus. Et in fine opusculi contra collatorem, illarum argumento qui opponunt per efficaciam prævenientis gratiæ tolli libertatem (nec enim contra aliam quæ quovis modo gratia nominatur atque ponatur vires aliquas habet) ita respondet. *Non enim conturbat nos superborum inepta querimonia quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus & perseverantia in bonis usque in finem Dei dona esse dicantur, quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ:* & sæpissimè ad ostendendum veram efficaciam prævenientis gratiæ, illis verbis utitur, quæ illam maximè commendant dicendo quod *Per illam formatur arbitrium, mutatur, reficitur, reformatur & hoc non quomodolibet sed virtute creandi.*

Plurima testimonia possent induci similia ex 480
primo & secundo libro de vocatione gentium & ex Epistola ad Demetriadem quæ licet inter opera divi Ambrosij numeretur; tamen revera Sancti Ambrosij non est sed Sancti Prosperi ut 1. *nostro lib.* ostensum fuit sed oporteret quasi integros hos tractatus transcribere quippe qui nihil aliud pro-

Digitized by Google

bare nituntur quam prævenientis gratiæ divinam efficaciam; unde citata Epistola ad Demetriadem primo ait: *Huius igitur boni proprietas in confessione est gratia Dei, qua tota repellitur nisi tota suscipitur, sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte Sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, ita extra gratiam efficitur qui aliquid de eius plenitudine diffitetur: quasi homo auxilio Dei in quadam suarum actionum parte egeat in quadam autem parte non egeat.* Quibus concursum illum partialem gratiæ & voluntatis qui his temporibus divulgatur, expressè condemnat, & quod si in parte gratia adiuvare tamen dicatur, non in toto, quod tota ipsa gratia repellatur, affirmat quæ sunt verba attentiùs consideranda. *Et iterum unde siquis est qui aliqua se habere existimat bona quorum non Deus largitor sit; sed ipse sibi author existat: manifestum est hunc non Dei Spiritum habere sed mundi, & de illa sæcularis sapientia tumere doctrina de qua dicit Dominus perdam sapientiam sapientium & intellectum prudentium abscondam.* Planè qui determinationem boni propositi à se solo dicunt habere, aliqua bona sibi ascribunt quorum non Deus largitor sit, sed ipsi sibi authores existere profitentur. Vnde de illis, quod sanctus Prosper in his verbis affirmat verificabitur & postea. *Inter omnes igitur lapsus hominum inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quàm superborum ruina, maximè cum ipsa elatio in Dei tendit iniuriam; nam aliter inflantur qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri: aliter verò intumescunt qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt; & spem suam à Domino auferunt atque ad se transferunt, ut adimpleatur in eis quod scriptum est: maledictus homo qui spem habet in homine & firmat carnem brachij sui & à Domino recedit cor eius hæc superbia à diabolo sumpsit exordium, &c.* Ac postremò, *proinde quia manifestissimè & Prophetica & Evangelica & Apostolica doctrina, non superbos non vult esse nec desides, cooperatores non esse oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotidie provehentem, vigilanter & sobriè sub, equamur.* Ecce manifestè docet nos sequi debere non solum excitantem gratiam quæ præveniens sit sed etiam juvantem, quam proinde si sequi debemus necesse est quod etiam ipsa juvans gratia & non solum excitans præveniens sit, ac proinde prædeterminans ut notatum est. Ac tandem ut plurima omittantur: *Accepistis enim quæ habes & quidquid tibi diligentia tui laboris accrevit, tibi per ipsum est auctum per quem fuerat inchoatum. Itaque utendum tibi est his quæ largitus est Deus & ab eodem semper est petendum ut donis eius fideliter & scienter utaris.* Igitur apertè docet quod bene uti donis gratiæ ex ipsa gratia Dei est, qua Deus nos benè facit uti donis suis. Non ergo quod benè utamur gratiæ donis ex nobis est, ut in terminis authores cum quibus ista tractamus arbitrantur, & in suis libris expressè deffendunt.

481 Idem perpetuò docuit Hilarius in *Epistola ad Augustinum*, ut constat signanter ex illis verbis: *Hæc sunt itaque quæ Massiliæ vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur: Novum & inutile esse prædicationi, quod quidam secundùm propositum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere nisi credendi voluntate donata:* Et postea: *Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit:* Et iterum: *Nec cuiquam dari talem perseverantiam à qua non permittatur prævaricari, sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari.* Et tandem: *Deinde molestè ferunt ità dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quâ fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: Nunc verò sanctis in Regnum per Gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine illo dono perseverantes esse non possint, verumetiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Quibus singulis & potissimè simul sumptis manifestissimè constat Semipelagianos de quibus ista proponit nihil tam negasse quam auxilium prævenientis gratiæ per quod homines non nisi bene operantes sunt quod potentissimè est auxilium efficax gratiæ prævenientis sive hominem ad bene agendum efficaciter prædeterminantis, quibus se restitisse & non tacuisse, cum opus fuit testatur: & à sancto Augustino magis instrui desiderat, ut illos efficacius possit arguere: igitur manifestum est contra Semipelagianos deffendisse sanctum Hilarium efficaciam prævenientis præoperantis sive prædeterminantis gratiæ quam illi acrius impugnabant. Sanctus vero Fulgentius totus est in deffenda prævenientis gratiæ vera efficacia in utroque libro de prædestinatione ad Monimum, & in alio *de gratia Domini nostri Iesu Christi.* Nam *primo libro de prædestinatione*, ait: *Quoniam ut veritati obedire atque consentire valeam, ipsa veritas illuminat, ipsa adiuvat, confirmat.* Vbi adiuvantem veram gratiam statuit prævenientem apertè & per consequens prædeterminantem: hoc enim ultimum ex illo priori sequi isti authores, ut non semel diximus, confitentur. Et iterum: *Dat Deus cor novum, ut in justificatione eius ambulemus, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium. Dat etiam ut iudicia eius observemus & faciamus quod pertinet ad bona operationis effectum.* Et rursus: *hoc autem in Deo facimus quod Deo in nobis faciente datur nobis, ut faciamus.* Et plura similia habet in illo primo & secundo libro de prædestinatione, *in libro autem de Incarnatione & gratia*, clarius ait: *Deus ergo qui homini pœnitentiam dat, ipse mutat hominis voluntatem, mutare autem voluntatem, efficaciam, qua eam mutat demonstrat:* Et iterum ibi: *non dicat meum esse velle credere Dei autem gratia est adiuvare quod etiam modo ab his authoribus dicitur, sed dicat gratia Dei est adiuvare ut sit meum velle credere, tunc enim verè rectèque ait eius hoc velle cum gratia præveniens cœperit adiuvare.* Vbi in terminis gratiam adiuvantem prævenientem appellat & ex consequenti prædeterminationem, ut ex his authoribus relatum est modo & alias sæpe deinde. *Quoniam pessimum nefas asseritur dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur, & homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent.* Et rursus, *Deus hominum voluntates mutat ut esse bonæ incipiant.* Vbi contra illas illationes suasiones & morales excitationes, quas nomine prævenientis gratiæ Pelagiani admittebant ut omnibus est apertissimum, quod in his nostris operibus multoties demonstravimus, statuit Fulgentius prævenientis seu prædeterminantis gratiæ efficaciam per illa verba, quæ clare illam ostendunt, mutat Deus voluntates *ut bonæ sint.*

Similiter sanctus Ambrosius, *super Lucam* c. 1. 482
ad illa verba: *In Spiritu & virtute*, ait: *Bene ista junguntur utrumque enim sine virtute spiritus: nec*

sine

Digitized by Google

sine spiritu virtus est. Non ergo efficacia & virtus operationis hominis ex homine est, sed ex spiritu Et eius gratia. Item *super caput 22. in fine* postquam præmisit hæc vrba: *Nam si Petrus lapsus est qui dixit, & si alij scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor: quis alius de se iure præsumat:* Post pauca efficaciam tradens divinæ gratiæ, contra humanam præsumptionem subdit: *figulus autem ille qui nos formavit ex limo, de quo habes in veteri testamento; quia finxit Deus hominem de limo terræ: formandi per naturam: reformandi per gratiam habens pro suo arbitrio potestatem:* hoc Sanctus Doctor Ambrosius quibus potestatem reformandi per gratiam Deo tribuit: sicut & potestatem reformandi per naturam. Potestatem ergo reformandi per gratiam non libero hominis subdit arbitrio: sed Deo pro libito suo longe à verbis Ambrosij est, quod Deus solum moraliter excitet, mutet exhortetur & alliciet, cum potestatem & efficaciam reformandi per suam gratiam ei tribuat.

483 Sanctus Isidorus Hispalensis *libro secundo suarum sententiarum cap.4.* sic ait: *Confessionem hominis non esse humanæ virtutis. Nam si confessionem boni operis non in nobis Deus operaretur, cur per Prophetam dicitur: confessio & magnificentia opus ejus. Ab illo enim omnia bona gratia præveniente nobis donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod confessionem fidei accipere mereamur.* Et iterum in *cap. 162. Profectus hominis donum Dei est, nec à se potest quidquam sed à Domino corrigi. Non enim quidquam boni habet homo propriun, cuius via non est eius, testante Propheta: Scio, Domine quia non est hominis via eius, nec via est ut ambulet, & dirigat gressus suos.* Ac tandem: *Sciant liberi arbitrij defensores nihil posse in bonum sua prævalere virtute, nisi divinæ gratiæ sustententur iuvamine.* Vnde & per Prophetam Dominus dicit: *perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum; quasi dicat ut pereas tuo merito, ut salveris meo auxilio.* Sciant ista, quæ in suis sententiis dicit Isidorus liberi arbitrij defensores, & cessabunt defendere nos à Deo habere posse bene operari & posse bene salvari, & ab eius gratia præveniente; à nobis autem defacto nos determinare ad bonum & ex nobis bene uti gratia illa facientibus nobis nobiscum bene cooperari, ob brevitatem alios Sanctos Patres omittimus, videantur super illud quid habes quod non accepisti objcitur in contrarium, sed contendunt.

CAPVT XXX.

Objectiones ex Sanctis Patribus adducuntur, ac diluuntur.

484 SEd Contendunt hi authores se etiam invenisse in Sanctis Patribus quod pro suasoria & invitatoria gratia inducant contra veram illius efficaciam, & in primis inducunt Origenem, non attendentes, in hoc suam damnare sententiam cum illa Origenis in hac parte damnata sit. De Origene enim Sanctus Hieronymus *Epistola ad Ctesiphontem* hæc verba proponit cum Pelagio loquens: *Doctrina tua Origenis Ramusculus est.* Si ergo ipsi sequantur Origenem, videant qui prior illum errando fuit sequutus, & videbunt cuius doctrinam sequantur. Et Sanctus Thomas. 3. *contra gent. cap.* 89. de hac sententia in materia gratiæ reprehendit Origenem dicens, quod per illam *divinæ authoritatibus scripturæ resistitur evidenter.*

Inducunt Clementem Alexandrinum sed illius 485
opuscula apocrypha esse tradit Gelasius *cap. Sancta Romana:* ut tum: *primo nostro lib. part. 2. tract. 3.* tum in *secundo libro tract.* 101. dictum est: quæ sit prima solutio. Secundo quia ibi *lib. 4. fol. 27.* & *Epist. 3.* quæ allegantur, tantùm negat Deum movere voluntatem nostram vi, ita quod sit in homine vis ad unum determinata sine potestate libertatis, quod certissimum est. Non autem negat divinam prævenientem motionem efficaciter facientem hominem liberè operari.

Ex probatis autem libris & authoribus sanctis 486
inducunt sanctum Cyrillum *lib. 4. contra Iulian. sub finem,* ita dicentem *itaque si ineffabili quadam virtute & efficacia usus* scilicet Deus *mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo egerrimè discedere possit, & non sponte, ultra non esset fructus mentis.* Sed ad hoc Respondemus Cyrillum in his verbis non interprete indigere sed tantùm lectore; solum enim docet, quod Deus efficaciâ suâ non ita immutat hominum voluntates, ut ipsi sponte, id est, liberè non consentiant: quia si sic esset, nullus esset fructus mentis quod verissimum est, sed quod ad propositum hoc inducitur contra prævenientis Dei divinam efficaciam, qua fortiter & suaviter moventur hominum mentes ad liberè Deo cooperandum, ut millies ostensum est. Imò nullum ex Sanctis Patribus Græcis minori cum apparentia pro se possunt inducere quam Cyrillum. Qui sicut relatis verbis illam efficaciam violentam & tollentem libertatem negavit; ita aliam efficaciam suaviter hominem moventem clarius docuit *lib. 1. in Esay.* ubi expresè dicit hominum voluntates, esse instrumenta Dei, quia ad modum instrumentorum à Deo efficaciter moventur, sicut à principali & omnium primo agente. Et clarissimè *lib.* 1. de adoratione & cultu in spiritu & veritate prope medium duplex Dei constituit auxilium, alterum cui resistitur, scilicet sufficiens & alterum fortius quod & efficax appellat quod semper facit hominem bene operari de quo dicit verificari illud, apprehendisti manum dexteram meam, & in virtute tua deduxisti me, & ad hoc explicandum adducit illud *Gen.* 19. de Angelis, qui cum suaderent Loth ut egrederetur à subvertenda civitate, cum illa suasione ille dissimularet, ut ait scriptura, Angeli apprehenderunt manum eius & eduxerunt eum extra civitatem: & per hoc affirmat denotari illud efficax Dei auxilium supra relatum, verba Cyrilli quæ longiuscula sunt jam supra hoc libro expresè retulimus. Secundo inducebatur Sanctus Anselmus *lib. de concordia præscientia & prædestinationis cap.* 1. illis verbis: *licet enim necesse sit aut vitam, aut rectitudinem relinquere, nulla tamen necessitas determinet quam servet, nempe sola voluntas determinat sibi quid sentiat: nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur electio sola voluntatis.* Ex quo inferebatur, quod si voluntas se sola determinat à Deo non determinatur per gratiam.

Sed in his verbis Sanctus Anselmus dicit 487
quod voluntas se sola determinat in suo ordine & genere causæ secundæ, absque eo quod ab alio priori necessitetur, per absolutam necessitatem (talis est enim necessitas absolutè prolata sicut ab Anselmo profertur) quæ liberam auferat elationem voluntatis: hoc autem solum Anselmum intendere constat quia ipse ibi multiplicatis termi-

Digitized by Google

nis statuit influxum Dei in voluntate facientem ipsam operari, qui influxus præmotio seu prædeterminatio est. Illius enim verba sunt: *Facit itaque Deus omnia quæ iustè vel iniustè fiunt, id est, bona opera & mala, in bonis quidem facit quod sunt, sed non quod mala sunt.* Et post pauca: *Ipsum quoque velle, quod aliquando iustum est, aliquando iniustum, nec est aliud quam uti potestate volendi & voluntate quam Deus dat, in quantum est, bonum est, & à Deo est.* Et tandem: *Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt, in malis verò non quod mala sunt, sed tantùm quod per essentiam sunt.*

488 Præterea sanctus Chrysostomus opponitur *homil. 11. in Ioan.* qui ita habet: *Natura corporis quocumque eam opifex ducere velit eò sequitur nec resistit, anima autem sui iuris vim in se habet operandi, nec ulla in re Deo, nisi velit obtemperat, invitum enim & coactum minimè vult Deus.* Sed respondetur claram esse differentiam quam statuit intra naturam corporis & animam quod corpus in nullo actu habet libertatem nec Deo resistit, & anima in actibus suis libertate gaudet, quia in aliquibus Deo resistit, nempè non efficaciter moventi, ut dictum est supra in alijs autem cum movetur à Deo efficàciter Deo non resistit, quia Deus facit ut sua libertate voluntas nolit ei resistere, sed velit ei consentire & sic invitum & coactum animum Deus non vult.

489 Iterum Chrysostomus objicitur *homil. 31. in Matth.* qui scribit Matthæum tunc vocatum fuisse à Christo cum Christus vidit eum non repudiaturum vocationem; & idem dicit de vocatis ad vineam *homil. 59.* & *in Commentarijs super cap. 9. epist. ad Romanos*, iterum repetit vocatum fuisse Matthæum à Christo, quia sciebat ipsum vocationi consensurum, ex quibus potissimè locis isti authores insistunt pro sua congrua vocatione fundanda, asserentes illam tradi in terminis à sancto Chrysostomo *citatis locis.*

Verum ad hoc dicendum cum sancto Patre Augustino *libro de dono perseverantiæ, cap. 19.* ubi potissimè propter Chrysostomum illa verba protulit: *Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus, Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum eandem prædestinationem intelligere?* Et statim: *Hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas defendimus nisi errando disputare potuisse.* Cum ergo sanctus Chrysostomus dicit vocatum fuisse Matthæum à Christo quando Christus ipse sciebat ipsum non reluctaturum sed consensurum, loquitur ut exponit sanctus Doctor Augustinus de præscientia sequuta ad prædestinationem & efficacem vocationem, quam secundum divinas litteras ipse probarat: Nec compellamur dicere, aliter Chrysostomum interpretando, aliquid errando dixisse contra divinam prædestinationem.

490 Vnde Cardinalis Toletus *super Lucam* explicat sanctum Chrysostomum, dicendo tantum intendere in objectis locis Christum ità vocasse Matthæum, sicut ipse noverat cum ex efficaci sua vocatione & gratia esse consensurum atque sequuturum: & ità asserit esse explicandum Chrysostomum & in fine concludit: totum sanctum Augustinum esse in contraria sententia si non sic intelligatur & explicetur Chrysostomus. Igitur docet Cardinalis Toletus totum sanctum Patrem Augustinum esse in sententia contraria illi vocationi, quæ statuitur congrua per præscientiam. Sed sententia sancti Doctoris Augustini in hac causa de prædestinatione & gratia est ipsa fides Ecclesiæ ut apertè tradit Cardinalis Bellarm. *lib. 2. de gratia & libero arbitrio*, ergo ipsa est fides Ecclesiæ, quod non fit vocatio congrua sive efficax per illam præscientiam, ut ij authores prætendunt ratio facta conveniens est supposita Majori & minori quas uterque ille Cardinalis apertissimè statuit, ut illorum sequaces videant quam ipsi sententiam sequantur, hoc illis testantibus illustrissimis Cardinalibus illis.

Sanctus etiam Hieronymus contra prævenien- 491
tis gratiæ veram efficaciam opponitur *epist. 146. ad Damasum*, illis verbis. *Dedit illis liberum arbitrium, dedit illis mentis propriæ libertatem & ut viveret unusquisque non ex imperio Dei sed obsequio suo, id est non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum.* Ex quo ita aliquando opponebatur, quod non ita secundum sanctum Hieronymum vivit homo ex imperio Dei sicut ex imperio animæ aliæ potentiæ moventur; sed quod vivit homo ex imperio Dei ponentis præcepta, & quod hoc tantùm sanctus Hieronymus intendebat in illo loco. Si tantum ibi docet sanctus Hieronymus, ut aiunt, hominem vivere ex imperio Dei tantùm ponentis præcepta: ergo nullam aliam gratiam ipsi hac sua expositione se fatentur admittere, qua homo vivat nisi præceptorum impositionem. Quam esse Pelagianorum damnatam sententiam, & negantium divinam Gratiam nullus est qui non videat. Igitur non est hæc sententia & mens sancti Hieronymi, qui potentissimè Pelagianos de hoc debellavit ut apertissimè constat ex *epistola ad Ctesiphontem, & tribus dialogis contra Pelagianos citatis*, in quibus nihil aliud quam hominem vivere secundum solam istam impositionem præceptorum constantissimè & multipliciter damnat innumera ferè ex sancto Doctore poteramus inducere testimonia, sed quia pauca proponere, ubi tot ac tanta sunt illaque clarissima non expedit potius supra jam diximus, lectorem ad illa opuscula sancti Hieronymi remittimus & veram tantum oppositi testimonij intelligentiam ex ipsa littera proponimus; quæ ostendit tantum negare ibi sanctum Hieronymum imperium Dei, hoc est, necessitatem tollentem libertatem; non autem efficacem illius gratiam, per quam ut inductis locis sanctus Doctor affirmat nostra confirmatur & stabilitur libertas.

Deinde & sanctus Prosper objiciebatur, *res-* 492
ponsione sexta ad capita Gallorum illis verbis: *Prædestinationem autem Dei, sive ad bonum sive ad malum in hominibus operari ineptissimè dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere.* Ex quo deducebat negari physicam prædestinationem, secundum quam Magister Bañez dicebat Deum prædeterminare ad bonum sive ad malum.

Sed respondetur duo apertè negare in illo testi- 493
monio sanctum Prosperum: Alterum Deum non ita prædestinare ad malum sicut ad bonum, quod est certissimum, quia ad malum culpæ (malum enim absolutè prolatum hoc sonat) Deus non prædestinat, licet prædestinet ad pœnam suppositæ culpæ prævisione, ut secundo nostro libro dedimus manifestum. At ad bonum Deus *absque* dubio prædestinat nulla boni præscientia *præsupposita*, ut ibi longissimè disputando ostendimus. Alterum est Deum, nec ad bonum & *multo* minus ad malum ex necessitate impellere & *sine* eorum libertate quod nullus negare Catholicus

potest:

Digitized by Google

poteſt : ex hoc autem prædeterminatio quæ ſit per gratiam efficacem, nullo modo negatur, qua nec Deus ad malum culpæ prædeterminat nec neceſſitat voluntatem, ut ſine ſua id libertate velit, ſed potius ut explicatum eſt ſæpius noſtram ſtabilit ac firmat libertatem ut ex eodem Sancto Proſpero probatum eſt ſupra. Nec contrarium Magiſter Bañez inductus affirmat, quia ibi vel loquitur de malo pœnæ vel de prædeterminatione quæ eſt quoad entitatem & actionem quæ eſt in peccato, non quoad malum culpæ, ut ipſe multoties ſe clariſſimè declaravit.

494 Sanctus etiam Damaſcenus opponitur *libro ſecundo fidei orthodoxæ*, qui negat expreſsè ea, quæ ſunt in nobis à Deo eſſe prædeterminata, cuius verba ut etiam opponebatur intelligebat Sanctus Thomas 3. *contra gent. cap.* 90. & *prima parte quæſtione* 23. *articulo primo ad primum* quod Damaſcenus ibi tantum negaret prædeterminationem neceſſitantem & tollentem libertatem; ſed, ut opponebat, nulla maior poteſtas quæ tollat libertatem, quam phyſica prædeterminatio: ergo iſta ibi negata eſt.

Reſpondetur tamen quod ſi tantum Damaſcenum inducerent argumentum apparentiam haberet: at adhibere ſimul expoſitionem Sancti Thomæ & ad illam nolle attendere, intollerabile eſt. Per Damaſcenum enim intellectum in vero ſenſu ſicut eum Sanctus Thomas exponit totaliter horum authorum oppoſitio fugatur, nam in *loco ex* 3. *contra gent.* Poſtquam Sanctus Thomas efficaciter oſtendiſſet humanas electiones divinæ providentiæ ſubdi, contra hoc inter alia opponit Damaſcenum dicẽtem ea quæ ſunt in nobis à Deo non eſſe prædeterminata & ita reſpondet: *Exponenda illa verba ſunt ut intelligantur ea quæ ſunt in nobis divinæ determinationi non eſſe ſubjecta quaſi ab illa neceſſitatem accipientia.* Vbi pro eadem ſumit Sanctus Thomas providentiam & determinationem & dicit quod providentiæ & determinationi ſunt quidem ea quæ ſunt in nobis ſubjecta ſed non quaſi ab ea neceſſitatem accipientia. Duplicem ergo manifeſtè cognoſcit & tradit Sanctus Thomas providentiam & determinationem: primam neceſſitantem ad humanas volitiones & hanc negat, & de hac loquutum fuiſſe Damaſcenum teſtatur: aliam non neceſſitantem, ſed ſalvantem libertatem, & hanc docet eſſe admittendam. Idem Clariùs docet 1. *p. quæſt.* 23. *art.* 1. *ad* 1. Vbi pro eodem ſumens prædeſtinationem & prædeterminationem, ut ex illo argumento & illius ſolutione conſtat: duplicem diſtinguit: aliam imponentem neceſſitatem, & de hac intelligendum docet Damaſcenum; quæ revera non eſt reſpectu noſtrarum operationum: aliam non neceſſitantem, & hanc prædeſtinationem ſive prædeterminationem docet eſſe admittendam. Verba huius ſolutionis ad primum in ſecundo noſtro libro tractatu de providentia & prædeſtinatione relata & clarè propoſita ſunt. Quod autem objcitur per nullam aliam prædeterminationem magis voluntatem poſſe neceſſitari, quàm per phyſicam ex dictis à Sancto Thoma manet ſolutum, quia iſta nullo modo neceſſitat: ſed illa alia quæ eſſet ad modum naturæ & ſine priori deliberatione atque conſilio, ut primo noſtro libro agentes de prima radice contingentiæ dictum eſt.

495 Præterea Sancti Patres objciebantur, Cyrillus, Niſſenus, Leo primus atque Chryſoſtomus, qui docent Deum ita per gratiam voluntates hominum movere, quod in eorum poteſtate relinquat operari vel non operati: ſed reſpondetur hoc contra prædeterminantem gratiam non militare; quia illa ita in actu primo hominis voluntatem prædeterminat, ut eam faciat liberè ſe determinare in actu ſecundo: & ita homines movet quod in eorum libera poteſtate conſtituit operari cum libera potentia ad non operandum: quod ſi hij authores ita intelligant prædictos Sanctos Patres, ut dicant relinquere Deum in ſola poteſtate hominis operari aut non operari. Reſpondemus cum Sancto Hieronymo libro ſecundo adverſus Pelagianos prope medium, hoc falſum eſſe & à mente illorum Sanctorum valde alienum. Quia in poteſtate quidem noſtra eſt operari vel non: ſed non in ſola noſtra poteſtate exempta & libera à priori poteſtate divina, ſed in poteſtate noſtra illi ſubdita atque ſubiecta, ut modò ex ſententia expreſſa Sancti Thomæ dictum eſt illo loco ex 3. *contra gentes.*

Poſtremo inducebatur Sanctus Anſelmus in tractatu concordiæ, præſcientiæ & prædeſtinationis, qui ibi dicit ex neceſſitate ſuppoſitionis antecedentis tolli libertatem, non autem ex neceſſitate ſuppoſitionis conſequentis. Verùm in primo noſtro libro per tria capita perfectè undique veram intelligentiam Anſelmi in illo ſuo dicto ex proprio contextu oſtendimus, illam videlicet eſſe quod ex neceſſitate abſoluta antecedente tollitur libertas, non autem ex neceſſitate prævenicnte voluntatis divinæ volentis nos operari & cum libertate operari, & ad utrumque & modum & ſubſtantiam actionis homines moventis, quam meritò conſequentem vocat, ut ibi aperuimus. 496
Idem etiam Anſelmo objciebatur *ad* 6. *cap. Matthæi* illis verbis, *fiat voluntas tua*, ubi ita dicit. *Duæ ſunt voluntates in Deo, una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid à libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult ſalvos fieri, quod tamen in libera poteſtate eorum poſitum eſt: alia quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur, omnia quæcunque voluit, fecit; huic nemo poteſt reſiſtere;* ex quo hanc deducunt, *cui nemo poteſt reſiſtere*, eſſe ſuppoſitionem antecedentem, quæ tollit libertatem, cæterum hæc explicatio & valde falſa & contra Anſelmum eſt. Iam enim ſecundum hos authores, omnis voluntas illa quæ eſt de effectibus & de qua dicitur, *omnia quæcunque voluit; Dominus fecit*, eſſet tollens libertatem, quod nec dici poteſt, nec Sancto Anſelmo attribui: ſenſus ergo planus eſt quod voluntas antecedens quæ inefficax ſeu conditionata eſt, qua Deus generaliter vult omnes homines ſalvos fieri, non eſt cogens, id eſt, non eſt efficaciter inducens effectum. Sic enim ibi ſumit verbum, *Cogens*, non autem in proprietate vocis; nec aliquid aufert à libero arbitrio. Cæterùm voluntas Dei de qua dicitur, *omnia quæcunque voluit, fecit*, aſſerit, quod eſt de effectibus, id eſt, de facto inducit effectus, eo modo quo divina voluntas vult quod effectus fiant, vel neceſſariò à cauſis neceſſarijs, vel liberè à cauſis liberis, cui ob ſuam efficaciam docet quod non poteſt reſiſti: quia ſi Deus vult quod effectus fiat, & liberè fiat, fieri nequit quod non fiat, & cum libertate non fiat, ſicut divina voluntas vult.

Tandem inducuntur Sancti Patres qui aſſerunt Deum ſua prævenlente gratia movere homines illuſtrationibus, ſuaſionibus, excitationibus: non ergo eſt neceſſaria gratia efficaciter prædeterminans. Inter quos potiſſimè Sanctus Proſper opponitur *lib.* 2. *de vocatione gentium cap.* 26. ubi ita habet. *Gratia quidem Dei in omnibus in-* 497

ficatio

Digitized by Google

ſtificationibus principaliter præeminet ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidijs, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſupremo ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratia opitulatione ſi proficit. Ex quibus concludunt ſanctum Proſperum nullam aliam agnoviſſe gratiam prævenientem niſi illuſtrantem & excitantem: quia dicit quod voluntas eſt excitata prædictis præſidiis.

498 Ad hoc reſpondemus ſanctum Proſperum ibi agere de gratia efficaci, ut clarè conſtat ex fine præcedentis *capitis* 25. & ex initio illius *cap.* 26. ſic enim ibi incipit *hanc quippe abundantiorem gratiam* (ſcilicet ſpecialem diſtinctam contra generalem, *ita credimus & experimur potentem, ut nullo modo arbitremur eſſe violentam.*) Vbi potentiam ſive efficaciam ſpecialis gratiæ, quæ non omnibus ut præmiſerat *cap.* 25. datur ſed aliquibus, manifeſtè proponit: ut autem exponat quomodo non eſt violenta, ſed libertatem ſervat, illa verba ſubdit ſtatim quæ obiecto opponit, in quibus etiam non obſcurè omnem prævenientem gratiam efficacem quæ verè facit nos facere, declarat, manifeſtando qualiter eſt ſimul illuminans, excitans & adiuvans: nam per illa priora quatuor verba, *ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis*, excitantem gratiam comprehendit, cuius muneris eſt illa quæ relata ſunt voluntati proponere, per alia autem verba ſequentia; *dando intellectum, inſpirando conſilium, cor illuminando, & fidei affectionibus imbuendo* exponit proprium munus gratiæ adiuvantis, quod eſt verè dare intellectum, inſpirare de facto conſilium, propriè cor illuminare, & ei veras affectiones fidei tribuere: nam gratia excitans non inſpirat dando nempè veras vires, ad illas eliciendum, nec verè & cum effectu cor illuminat, & ipſum imbuit affectionibus fidei, id eſt, non ipſum imbuit viribus ad habendum fidei affectiones, quod enim ibi per fidei affectiones, non intelligat indeliberatas affectiones, conſtat, quia illas affectiones ſtatuit poſt conſilium, indeliberatæ autem excitationes ante conſilium ſunt: ſimiliter quod non intelligat per illas liberas affectiones patet; quia dicit quod illis ſubiungitur voluntas, illis autem ſubiungitur per affectiones liberas: ergo illæ affectiones quibus per alias liberas ſubiungitur, liberæ non ſunt: reſtat ergo quod per illas intelligat vires quibus illæ liberæ fidei affectiones eliciuntur, nominando cauſam nomine effectus, ut ſæpe fit: & quod hoc intendat, oſtendunt ſequentia verba quæ addit. *Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei atque coniungitur*, ſi enim de ſolis indeliberatis excitationibus loqueretur, diceret quidem quod voluntas eis coniungitur: non autem diceret quod ei ſubiungitur: hoc enim negant authores poſſe dici de ſola gratia excitante; quia non ei ſubiungitur voluntas; ſed potius excitatio ſubiungitur voluntati: quia voluntas eam ſibi ſubdit, ſibique ſubiungit, ut apertè concedunt. Sed ſanctus Proſper attendens potentiam (ſic enim illam nominavit) divinæ gratiæ, quæ incipit in excitationibus & per conſilium & virtutem quam animæ tribuit efficaciter, eam ſibi facit operari; ideo dixit quod voluntas ſubiungitur illi.

Sunt autem multa *in illo cap.* 26. *& ſequenti* 27. 499
quæ oſtendunt loqui ibi ſanctum Proſperum non ſolùm de illuminationibus & excitationibus moraliter tantum ſuadentibus verum etiam de vera efficacia prævenientis ſeu præoperantis gratiæ, quam ipſe ſemper docuit ut in capite præcedenti, & alibi non ſemel oſtenſum fuit. Primò quia in fine illius capitis doctrinam concludens, ait. *Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem: nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri, vel fidem vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt.* Igitur docet apertè quod præparat voluntatem faciendo eam per conſenſum liberum eſſe receptricem & famulam donorum ſuorum: quod ſolùm per efficaciam prævenientem facere poteſt: nam per excitationem moralem tantùm non præparat cum effectu conſenſum voluntatis, nec facit voluntatem receptricem & famulam donorum ſuorum; ſed potiùs ipſa voluntas, ut deffenſores moralis excitationis concedunt, ſubdit ſibi gratiam; quomodo autem famula voluntas ſit per illam excitationem, ſi è converſo eam ſibi ſubdit voluntas?

Deinde *in principio cap.* 27. dicit, quod Deus 500
per timorem efficaciter ſcilicet incuſſum, *non aliud agit quam ut quem fecerit timentem faciat & volentem*, verâ efficaciâ ſeu efficientiâ gratiæ: excitatio enim moraliter ſuadens non facit liberè vel timentem vel liberè volentem, & poſt pauca. *Vnde ſicut animus nihil virtutis accipit niſi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat, confert, niſi oculos in eo aperuerit voluntatis.* Vbi iterum efficaciam prævenientis gratiæ ſatis oſtendit, nec enim moralis, & indeliberata excitatio oculos aperit voluntatis, nec enim hanc efficaciam poteſt habere, & tandem ita in illo *cap.* 27. ſubiungit: *qui*, Deus ſcilicet, *in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent, non enim eſſet unde traherentur, ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent, quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt; neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt.* Ecce iterum clariùs efficaciam prævenientis gratiæ prædicatam, quæ facit ut homines velint: illa enim moralis excitatio non facit ut homines de facto velint; ſed ut velint ſi tamen ipſi voluerint, ut ſui deffenſores publicant. Rurſus ſi qui veniunt, trahuntur omnino, ut ait ſanctus Proſper; ergo efficaciâ gratiæ omnino trahuntur, quia moralis excitatio omnino trahere non poteſt, ut eſt ſatis notum.

Nè autem aliquis ſcrupulus maneat circa hoc 501
Proſperi teſtimonium, unum ex ipſo poſſunt opponere quod huic efficacitati gratiæ toties ab eo repetitæ obſtare videtur: dicit enim *in illo cap.* 26. poſt enumeratas omnes illas illuminationes, excitationes, conſilia, & fidei affectiones, quod quidem, fiat, *de ſua habet mutabilitate ſi deficit, de gratia opitulatione ſi proficit, quæ opitulatio omnibus*, inquit, *adhibetur & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia: quod à multis ſuſcipitur & gratia eſt divina & voluntatis humanæ.* Igitur loqui videtur de gratia ſolum excitante: hæc enim à multis rejicitur ab aliis acceptatur.

Sed reſpondetur loqui ſanctum Proſperum de opitulatione divina, & in ſui principio per excitantem gratiam, & in ſuo perfecto completo per efficacem adiuvantem. De illa ſecundum priorem rationem dicit, quod qui illi deficit, de ſua

Digitized by Google

mutabilitate deficit. De ea autem secundùm posteriorem rationem, ait, quod qui proficit, de opitulatione divina, nempè efficaci, proficit. Quod etiam illa verba sequentia confirmant. Non enim dicit, quod sicut qui eam refutat de sua voluntate refutat; ita qui eam recipit de eadem sua voluntate recipit, ut ponit sententia moralis excitationis; sed ait, quod à multis recipitur, & gratiæ est divinæ & voluntatis humanæ; gratiæ, inquam, divinæ primò, quæ sua efficacia facit, quod recipiatur, & voluntatis humanæ, quæ famulando, ut dixit, subiungitur & subditur ei liberè cõsentiendo.

502 Sed & sanctus Bernardus in prædicanda hac divina efficacia prævenientis gratiæ est totus, in tractatu enim *de gratia & lib. arb.* postquam præmisit totum opus & meritum liberi arbitrij esse quod benè consentiat, immediatè subiungit: *non equidem quod vel ipse consensus in quo omne meritum consistit, ab ipso sit cum nec cogitare, (quod minus est quam consentire) aliquid ex nobis, sicut ex nobis sufficientes simus verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est cogitare & velle & perficere attribuit Deo non suo arbitrio,* quibus apertè docet non ex nobis esse quod Deo vocanti consentiamus, sed ex Deo qui operatur in nobis tale bonum velle & infra explicando quomodo gratia & liberum arbitrium concurrant ad bonum consensum efficiendum: partiales illas causas malè à quibusdam introductas clariùs excludens subdit. *Non partim gratia, partim liberum arbitriũ, sed totum singula opere individuo peragunt totum quidem hoc & totum illa, sed ut totum in illo sic totum ex illa,* quibus verbis, sicut & illis prioribus modo relatis apertissimè efficaciam divinæ gratiæ prævenientis ex solo Deo efficaciã mirificè prædicat.

503 Deinde *serm. 67. in cantico* postquam ex sponsa illa retulit verba simulque exposuit: *dilectus meus mihi & ego illi:* statim alia sequentia, *ego dilecto meo & dilectus meus mihi,* exponit dicens, *cur ita nempe ut tunc magis gratia plenam se probet, cum totum gratiæ dederit, & primas scilicet illi partes adscribens & ultimas, alioquin quomodo plena gratia si quid habuerit quod non sit ex gratia: non est quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit: ergo jam plena confessio gratiæ, ipsius gratiæ plenitudinem signat in anima confitentis: nam si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam cedere illi necesse est, est gratiæ quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat, horreo quidquid de meo est, ut sim meus, nisi quod illud magis forsitan eum est quod me meum facit,* egregia quidem ac multiplicata verba quibus mirabiliter nihil nobis reliquit, quod non habeamus ex gratia, nec ipsum liberè consentire videatur in sermone *de 7. dõnis Sponsi,* ubi dicit quod quos Deus prævenit in benedictionibus dulcedinis, hanc præventionem efficit, attingendo à fine usque ad finem fortiter sapientia victrix videatur *ex serm. 9. super Psalmum, qui habitat,* ubi docet quod omnia fiunt per Deum, ita ut ipse sit largitor, ipse remunerator operis: videatur *serm. 37. inter parvos sermones,* ubi docet nihil boni posse inchoare hominẽ, donec à Dei misericordia præveniatur: videatur *serm. unico super illa verba, justum deduxit Dominus,* in quo potentiam Dei exponit, & potentiam in Dei vocatione constituit, ipsique potentiam attribuit. Sicut id quod potissimè in vocatione resplendet: videatur tandem *serm. 13. super cantica,* ubi ait: *quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei Sapientiæ deputa Christo,* non potuit certè vel clarioribus vel efficacioribus verbis vel magis repetito & confirmato sermone prævenientis gratiæ divinam efficaciam ex solo Deo efficacem vel tradere vel producere, præterea videatur *in serm. 1. in die sancto Pentecostes,* ubi clarissimè distinguit quid Spiritus sanctus in nobis operatur dicens. *Porro ad faciendum bonum, quod in nobis Spiritus bonus operatur? profectò monet, movet & docet; monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem; in his enim tribus tota consistit anima* & post pauca: *multi siquidem monentur ut benè faciant, sed minimè sciunt, quid agendum sit, nisi denuo gratia Spiritus sancti adsit, ut quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid scienti bonum & non facienti peccatum est illi gratia: propterea non solum moneri & doceri, verum etiam moveri & affici ad bonum necesse est utique ab eo Spiritu qui adjuvat infirmitatem nostram, & per quam in cordibus diffunditur charitas quæ est bona voluntas:* hæc S. Bernardus qui præter moneri & doceri, moveri nostram voluntatem à Spiritu sancto clarius affirmat, & affici ad bonum, & de hac motione intelligit illud Apostoli *qui adjuvat infirmitatem nostram ut bonum faciamus, insuper in sermone secundo eiusdem solemnitatis in fine* de eodem Spiritu sancto subdit, *qui nec minimam paleam infra cordis quod possidet habitaculum, patitur residere; sed statim ignè subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus dulcis & suavis, qui nostram voluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad juam, ut eam & veraciter intelligere & ferventer diligere & efficaciter implere possimus.* Notandum est, verbum, flectat, per quod prævenientis gratiæ divinam efficaciam apertissimè declarat: & vim ac virtutem eius manifestissimè ostendit, qua possimus coniungere & de facto nostram voluntatem cum divina coniungamus.

Tandem Gregorius Magnus efficaciam prævenientis gratiæ ex Deo ipso solum efficaciam suam habentis clariùs docet *hom. 30. in Evang.* post medium, illis verbis *cœlorum ergo virtus de Spiritu sumpta est: quia mundi huius potestatibus contraire, non præsumerẽt, nisi eos S. Spiritus fortitudo solidasset.* Vbi fortitudo Spiritus S. est & fortitudo solidans animos ad se opponendum sæculi potestatibus: quomodo ibi sola moraliter prævenientis Dei efficacia ex solo Deo fortitudinem habens prædicatur? An suasiones exhortantis, & invitantis interiùs hominem dici possunt Dei fortitudo solidans animos? Quis hoc sibi persuadeat. 504

CAPVT XXXI.

Prædeterminantis gratiæ vera efficacia ex sancto Thoma manifestè ostenditur.

LAborant defensores moralis excitationis & impugnatores efficacitatis divinæ gratiæ illam suam sententiam in S. Thoma fundare. Sed quomodo id fieri possit, ignoro. Excepto enim quod pro defendenda efficaci divina motione, quæ ex Deo habeat efficaciam ipse S. Doctor est totus, id & manifestâ experientiâ & ipsorum adversariorum irrefragabilibus argumentis apertissimè comprobatur. Experientia quidem, quia ipsa docet, cum illa peregrina, & nova doctrina Ludovici Molinæ, quæ efficacitati prævenientis sive prædeterminantis gratiæ totaliter adversatur, in Hispania cœpit divulgari, non alterius sed unius S. Thomæ authoritate atque doctrina per ipsius discipulos impugnatam fuisse & expugnatam. 505

Tunc enim ex sanctissimi Doctoris manifesta sententia semper illa oppugnabatur nova doctrina; sed illius defensores tunc pro nihilo 506

Digitized by Google

authoritatem sancti Thomæ habentes expressè sæpè confessi sunt: non obstante sancti Thomæ tententiâ se ita velle sentire, videbant enim ipsi à nullo, nisi oculos à sancti Thomæ sententia, vellet avertere, talem doctrinam in sancto Thoma posse fundari vel illam sancto Thomæ adscribi, & tamen ab eis reiectam tunc temporis sanctum Thomam postea vidimus in suum patrocinium invocari, & suam illorum doctrinam in sanctissimo Doctore eos velle fundare ut tandem, quia videbant se apertè tanti Doctoris authoritati non posse liberè contraire, saltem in apparentia illius prætensa authoritate protegerentur, sed in vanum pœnitus laborasse omnibus est manifestum.

507 Deinde primus, quem omnes sequuntur authorem, Ludovicus Molina in sua quam vocat concordia, *disputatione 26. & 27.* expressè fatetur sanctum Thomam influxum prævium illumque efficacem ex Deo in secundas causas docuisse, de quo proinde subiungit ipse, quod per illum libertati derogatur; & tamen in hoc solum sui defensores illum deserentes, suadere conantur sanctum Thomam eos influxus prævios & divinas præmotiones & applicationes non gasse.

508 Testantur Doctiores ex ipsis sanctum Thomam influxum in causas eas applicantem & moventem statuisse: nam illustrissimus Bellarminus *libro 4. de gratia & libero arbitrio, cap. 11.* concedit quod docendo, ut docet sanctus Thomas, Deum immutare voluntatem, in hoc admisit, quod physicè eam determinet. Verba illius sunt: *Observandum quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum: Primo modo efficienter & physicè immediatè illam movendo & determinando ad unum. Nam si potest ipsa se determinare, cur non possit etiam Deus eam determinare?* Et posita alia determinatione physica ponit hæc verba: *Et hos duos modos notavit S. Thomas, in quæst. 22. de veritate artic. 8.* De eodem modo *lib. 4. cap. 26.* iterum fatetur esse sancti Thomæ sententiam: quod Deus præcisè moveat & applicet secundas causas ad agendum: ut in *nostro tertio libro* ostensum est: Idem dicit Cardinalis Toletus, Pereirus, Ioannes Azorius, relati *tertio nostro libro 1. part. tract. 1. cap. 9.* & nihilominus contra suos proprios authores illorum aliqui contendunt physicam prædeterminationem negasse sanctum Thomam.

509 Præterea copulata Conimbricensis relata *nostro tertio libro* expressè fatetur esse celebrem sententiam S. Thomæ, Ferrariensis, Capreoli & Thomistarum Deum movere & applicare causas secundas ad agendum & tamen postea ij authores, nihil tale dicere, sanctum Thomam opponebant: ac tandem liber ille de ratione studiorum tanta cum diligentia à societate compositus, & per generalem societatis omnibus suis studijs, ut observaretur, propositus inter plures propositiones quas fatetur sancti Thomæ esse, hanc *pag. 11. tractatu de opinionum delectu in Theologica facultate regula sexta* cognoscit esse sancti Thomæ *influxum Dei est in causas*, & tamen instant ij authores & contra veritatem ipsam & contra S. Thomam & contra seipsos proponunt S. Thomam nec docuisse influxum in causas nec prædeterminationem admisisse.

510 Sic enim habet liber ille pag. 10. regula sexta: *In Theologia doctrinam S. Thomæ nostri sequantur, exceptis paucis.* Et statim p. 11. subdit: *Nostri itaque non cogantur defendere quæ sequuntur.* Et inter propositiones alias ex 1. part. sancti Thomæ acceptas, ad quas defendendas cogi non debent, hanc sextam constituunt, *Secundas causas esse propriè & univocè instrumenta, & cum operantur Deum in eas primum influere, aut eas movere:* De qua, & alijs in illo libro stabilitis pleniorem relationem tradidimus *libro nostro primo, 1. part. tract. 6. cap. 1.*

Sed præ his habemus nos multo efficaciora, & 511
urgentiora argumenta, quæ luce clarius ostendunt totum sanctum Thomam esse in tradenda & defendenda divinæ motionis efficacia prædeterminante, itaut mirum sit, si quis etiam protervus hanc neget vel in dubium vertat: nam præsuppositis plurimis testimonijs eiusdem sanctissimi Doctoris, quæ *tertio libro ad longum inducta sunt*, generaliter pro influxu prævio applicante secundas causas ad suas operationes & aliis præmissis quæ eodem libro referuntur pro prævio Dei influxu applicante voluntatem ad agendum ac tandem aliis superadditis eodem libro quæ specialiter de prædeterminatione procedunt quæ ibi videnda sunt & expendenda; vel solus legatur sanctus Doctor *1. p. quæst. 19 art. 3. ad quintum*, ubi expressè constituit Deum determinare hominis voluntatem ad agendum. Et *art. 8.* in terminis efficaciam antecedentem divinæ voluntatis constituit & ei non posse resisti, affirmat, & libertatem simul voluntatis salvat, ac totale & fundamentale argumentum horum authorum diluit potissimè *solutione ad 1.* (qui solus articulus pro hac materia & veritate sufficeret) unde ex his duobus articulis id libet modò, sicut aliquandò factum est, hanc physicam prædeterminationem ex sancto Thoma demonstrativè probare. In primo enim testimonio *ex 1. parte quæst. 19. art. 3.* tale quinto loco proponit argumentum. *Ab eo quod est ad utrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit comment. in 2. Physic. si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habebit aliquam causam priorem.* Quod argumentum evidenter procedit de causa priori determinante per modum causæ efficientis voluntatem, quæ est ad utrumlibet ut de facto ipsa operetur & intendit quod quia Dei voluntas non potest habere priorem causam, à qua efficienter determinetur, ipsa Dei voluntas non est ad utrumlibet libera, sed omnia ex necessitate vult ad quod argumentum sub his verbis sanctus Thomas respondet: *Ad quintum ergo dicendum, quod causa quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina quæ ex se necessitatem habet determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Quibus verbis apertam constituit differentiam inter voluntatem omnem creatam & divinam voluntatem, quod creata omnis voluntas, quia de se est contingens, ad utrumlibet cum potentialitate & imperfectione necesse est quod ab alio determinetur sicut à vera priori causa efficiente, ut de facto liberè operetur. At verò divina voluntas, quia est prima causa in se necessaria semper in actu, & sine potentialitate, non determinatur ab alia priori causa, sed ipsa se determinat liberè ad volendum id, ad quod habet habitudinem non necessariam. Itaque docet manifestè, quod sicut est de ratione divinæ voluntatis, quia prima causa libera est, quod à nulla priori causa determinetur ad agendum; ita est de ratione cuiuscunque creatæ voluntatis, quia secunda causa libera est, quod à Deo determinetur sicut à prima causa, ad determinatè aliquid libere volendum, determinare autem ad volendum, est prius ratione voluntatem determinare, quam ipsa velit, prius autem

Digitized by Google

autem ratione determinare est prædeterminare verè efficienter seu physicè.

512 Nec valet aliquorum solutio, quæ expressè contra litteram procedit, dicentium Sanctum Thomam loqui ibi de determinatione obiectiva, sivè quæ fit per obiectum propositum quæ est determinatio quoad specificationem, non vero de effectiva, sive quæ fit ex parte subiecti, quæ est prædeterminatio quoad exercitium; quia argumentum modo factum cui Sanctus Thomas respondebat manifestè, ut declaratum est modo, procedit de determinatione quoad exercitium, sive verè efficiente & physica à priori prima causa proveniente. Vnde ii solutio Sancti Thomæ de illa non procedit sed de alia determinatione quod ad specificationem, & obiectiva, non respondet aliquo modo ad argumentum, nec illud soluit. Insuper si Sanctus Thomas non loquitur de prædeterminatione verè efficaci, falsa esset illius doctrina nullaque differentia esset quam constituit inter divinam voluntatem atque voluntatem creatam, quantum ad hoc quod divina voluntas non determinetur ab alio ut agat, bene tamen creata voluntas; nam si sermo est de determinatione obiectiva, quæ per intellectum fit, etiam divina voluntas sic determinatur quoad specificationem à divino intellectu. Vnde si de hac loqueretur, non diceret Sanctus Thomas, quod utraque voluntas in tali determinatione differt sed potiùs assereret quod utraque in illa conveniret. Vtraque enim illa determinatione à suo intellectu determinatur. Cum ergo Sanctus Thomas expressè dicat creatam voluntatem ab alio determinari ad agendum, non divinam voluntatem, necesse est, loquatur de prædeterminatione quæ fit à causa priori efficienter, sive quoad exercitium actus, tunc enim assignat verissimam differentiam inter utramque voluntatem, quod divina voluntas à nulla priori causa determinatur efficienter sive quod ad exercitium actus; creata autem voluntas ab alio scilicet Deo efficienter & quoad exercitium actus determinatur ut liberè agat.

513 Idem omnino argumentum quod prima parte opposuerat & modo formatum est, sub eisdem ferè terminis opponit 1. *cont. gent. cap.* 82. cuius propterea verba ad brevitatem omittuntur, & illi ita respondet tradendo illam mirabilem doctrinam, quod esse ad utrumlibet (id est contingens seu liberum) stat dupliciter, uno modo cum potentialitate & imperfectione ex parte subiecti: alio modo cum indifferentia activa respectu obiecti & absque tali potentialitate & sic dicit; quod divina voluntas est ad utrumlibet indifferens absque potentialitate, & ideo non indiget quod ab alia priori causa determinetur. Voluntas autem creata quia est indifferens ad utrumlibet cum potentialitate, ideo indiget à priori causa determinari quæ tollat illam potentialitatem. Quibus verbis iterum soluit argumentum sicut 1. *part. citata nunc solutione* post quam solutionem statim hæc verba subdit Sanctus Thomas: *Quamvis autem divina voluntas ad sua causata non determinetur, non tamen oportet dicere quod nihil eorum velit, aut quod ad volendum ab aliquo exteriori determinetur. Cum enim bonum apprehensum voluntatem sicut proprium obiectum determinet, intellectus autem divinus non sit extraneus ab eius voluntate, cum utrumque sit sua essentia; si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis divinæ per aliquid extraneum facta.* Quibus verbis constituit divinam voluntatem à suo divino intellectu quoad specificationem determinari sicut & creata à suo etiam intellectu hoc genere determinationis determinatur, in quo convenientia est.

Sed ulteriùs divina voluntas efficienter & quoad exercitium à nullo extrinseco agente determinatur: benè tamen creata voluntas ob rationem factam: in quo magna inter utramque voluntatem differentia est, idem amplius à Sancto Thoma monstratur. 514

Præterea 1. *part. quæst.* 105. *art.* 1. *ad* 3. ait: 515 *Ad 3. dicendum hoc ipsum quod causæ secundæ determinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo:* determinat ergò secundum Sanctum Thomam, Deus secundas causas ad effectus determinatos, quod si sic determinat, profecto prædeterminat; ut omittamus modo quod *quæst* 3. *de veritate articulo* 7. & 8. statuit omnes effectus secundarum causarum ex divina prædiffinitione provenire & quod omnia per divinam providentiam diffiniuntur. Et ut etiam prætermittamus, quod docet *quæst.* 5. *de veritate articulo quinto*, ubi sicut & 1. *part. quæst.* 23. *articulo* 1. *ad primum* & sicut *tertio contra gent. cap.* 90. explicat verbum Damasceni dicentis, *ea quæ in nobis sunt, non esse prædeterminata*; de prædeterminatione ad unum per modum naturæ, non per modum libertatis. Et similiter omittimus, quod tradit *quodlibet* 12. *articulo quarto*, videlicet omnia esse reducenda in divinam providentiam, à qua omnia prædeterminata & ordinata sunt. Quibus omnibus locis sub conceptis terminis & multipliciter confirmatis, docet apertissimè Deum nostras voluntates, ad agendum prædeterminare prædeterminatione, ut ostensum est, quoad exercitium, sivè verè efficienter physicè prædeterminante, imo argumento quod opponitur, quod tollat libertatem, ibi respondet.

Sed omittendum non est, quod in *quodlibet. citato*, postquam tradidit omnia esse per divinam 516 providentiam prædeterminata, ubi divinam providentiam prædeterminantem constituit; nec aliam providentiam nisi prædeterminantem agnovit (ut clarius secundo nostro libro probatum est) statim subiungit hæc verba: *Et secundum istos fatum erit quidam effectus providentiæ, quia providentia nihil est aliud quam ratio ordinis rerum prout est in mente divina: fatum verò est explicatio illius ordinis prout est in nobis. Vnde Boëtius, fatum est immobilis dispositio rebus immobilibus inhærens.*

Quæ immobilis dispositio rebus immobilibus po- 517 sita nihil est aliud quam physica prædeterminatio, sive prædeterminatio efficax, ut est apertissimum. Omnia autem loca & testimonia velle ex Sancto Thoma referre, quibus docet Deum efficaci sua motione sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ antecedenter ad omnem bonum usum voluntatis, quomodolibet prævisum, ita voluntatem nostram movere & applicare ad agendum, quod voluntas infallibiliter operatur taliter quod non stat ipsam non operari & magna cum sua libertate operetur, quæ efficax motio etiam ut ij authores fatentur, nihil est aliud quam physica prædeterminatio esset planè totum, quod de isto quarto libro superest, solis testimoniis Sancti Thomæ adimplere.

Verum ob prolixitatem vitandam & quia potissimè his ista proponimus, qui optimè sciunt in- 518 numera ferè esse talia ex Sancto Thoma testimonia; ideo missa facimus. Plura tamen videre quis poterit *tertio nostro libro* 1. *part. tract.* 1. *cap.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. *& seq.* ex quibus aliqua ex parte potiora colligimus. Solum ergo nunc vel unum præcisè testimonium expendendum putamus *ex* 1. *part. quæst.* 19. *articulo octavo*, cuius articuli

Digitized by Google

ticuli, vel sola littera, si ab his authoribus inspiceretur, vel inspecta non prætermitteretur, absque dubio sufficeret pro Dei efficaci prædeterminatione fundanda & defendenda.

519 Duo enim ut breviter dicam continet articuli littera, quæ cum ibi sint apertissima, nollem mea relatione potius obscurare alterum est, quod cum actus liberè & contingenter fit illius contingentia seu libertas non provenit solum ab ipsa secunda causa libera & contingenti, quia alias talis actus liber & contingens eveniret præter Dei intentionem & voluntatem.

520 In quo totum fundamentum horum authorum evertit, qui volunt ut actus sit liber, & per hoc capax virtutis & laudis, à solo esse arbitrio creato. Alterum est, quod actus humanus habet quod sit liber, sicut à prima causa & radice ab efficacia divinæ voluntatis, quæ ob suam efficaciam & vult quod actus à voluntate infallibiliter fiat, & vult quod cum omni sua libertate fiat: quia utrumque vult ob suam efficaciam, & utrumque causat & substantiam actus, & modum illius liberum.

521 Vnde mirandum est planè quod ex eodem principio, ex quo Sanctus Thomas deducit hominis actualem libertatem: Ex eodem & non ex alio, colligunt ij authores tolli vel destrui libertatem ex efficacia namque voluntatis divinæ deducit Sanctus Thomas, sicut ex prima radice nostram actualem libertatem, & ex eadem divinæ voluntatis efficacia colligunt ij authores sequi ablationem libertatis; an verò Sanctus Thomas demonstret ex efficacia voluntatis divinæ deduci nostram libertatem actualem, theologi in littera videant.

522 Declarans autem ampliùs Sanctus doctor hanc efficaciam voluntatis divinæ esse omnino antecedentem ad omnem usum prævisum voluntatis. Contra illam opponit tertio loco in hunc modum: *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolutè, sicut animal mori est necessarium quia est ex contrariis compositum; sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius à quo habent necessitatem; Cum hac conditionalis sit vera, si aliquid Deus vult, illud est; omnis autem conditionalis vera est necessaria: sequitur ergo quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolute:* Quod argumentum solum impugnat illam divinæ voluntatis efficacem priorem & omnino antecedentem, omnem prævisum usum humanæ voluntatis, sicut causantem absolutam necessitatem in rebus à se volitis & tollentem earum omnem contingentiam & libertatem.

523 Quod est in terminis argumentum Achille & fundamentale, quo his temporibus pro magno opponunt ij authores contendentes quod necessitas antecedens, seu ex causa priori tollat libertatem.

524 Ad quod tamen ita respondet: *Ad Tertium dicendum quod posteriora habent necessitatem à prioribus secundùm modum priorum. Vnde & ea, quæ fiunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum, & sic non omnia sunt necessaria absolutè.* Manifestè ergò ad illorum millies repetitum argumentum semel Sanctus Thomas respondet, & illud solvit evidenter, dicendo quod necessitas ex priori suppositione divinæ voluntatis in actibus contingentibus, & liberis quæ fiunt ab humana voluntate non lædit eorum libertatem; quia ista necessitas est conditionalis, quæ servat libertatem, ut in corpora attem demonstrarat, non autem est absoluta necessitas, quæ auferret libertatem.

Et rationem reddit, quia voluntas Dei ante- 525
cedens & prior ob suam efficaciam vult quod humana voluntas in suis actionibus habeat tantum necessitatem conditionatam. Et idem omnino responderat solutione ad primum, dicendo quod in rebus à Deo volitis non est necessitas absoluta sed conditionalis quia necesse est hanc conditionalem veram esse, si Deus hoc vult necessariò hoc est, necesse inquam est, quod sit eo modo quo Deus vult, quod sit vel absolutè, vel tantùm conditionaliter sive vel absolutè & sine libertate vel conditionaliter & cum libertate.

Vnde semper S. Thomas docet non esse dicen- 526
dum sine oppositio modo, Deus hoc vult, ergo hoc necessariò erit, sed debere explicitè opponi modum dicendi, dicendo, Deus hoc vult quod necessariò fiat? ergo necessariò fiet, & hoc aliud vult, quod contingenter & liberè fiat, ergò necesse erit quod contingenter fiat & liberè: quam doctrinam non solum Sancti Patris Augustini esse & Sanctorum Patrum ac Conciliorum sed expressè traditam fuisse ab Apostolo Petro respondente ad argumentum quod modo nobis opponitur & ipsi prius à Simone mago oppositum fuerat diximus primo nostro libro. Tandem *in solutione ad secundum illius articuli* 8. ex eo quod efficaciæ divinæ voluntatis nullus resistit, aut resistere potest, optimè deducit, quod homo operatur, & liberè operatur ex eo quod divina voluntas, cui nullus resistit, nec resistere potest, & vult quod homo operetur, & liberè operetur. Verba sunt in illa solutione. *Ad secundum dicendum quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solùm fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.* Procul dubio quando mihi aliud in doctrina Sancti Thomæ inveniretur, vel sola doctrina tradita in hoc articulo sufficere deberet pro efficaci Dei motione præveniente sive omnino antecedente ad usum prævisum (quæ ut ij authores fatentur, physica prædeterminatio est) docenda confitenda & ab omnibus defendenda & pro argumentorum solutione perfecta omnia enim huc tendunt, ut necessitas antecedens tollat humanam voluntatem; quæ tamen omnia nec strictius ponuntur ab ijs authoribus quam Sanctus Thomas illis tribus factis opposuerit nec verius efficacius aut clarius solui possunt, quam ab Angelico Doctore ibi solvantur maneat ergo convictum & apertissimè demonstratum totum Sanctum Thomam esse pro efficacia divinæ motionis, & efficaci seu physica prædeterminatione, quam & in terminis pluries affirmavit.

Sed in particulari de prævenientis gratiæ di- 527
vina efficacia sunt apertissima ipsius testimonia: quorum aliqua, quia omnia difficillimum & longissimum esset, adducentur 1.2. *quæst.* 109. *art.* 6. id apertiùs docet potissimè *solut. ad* 1. ubi de præveniente auxilio gratiæ quo Deus efficaciter, & cum effectu homines ad se convertit, sermonem instituit: & idem repetit *solut. ad* 4. & *art.* 10. *illius quæstionis* signanter *solut. ad* 3. loquens de dono perseverantiæ, quod sine dubio præveniens est: dicit, quod non solum tribuit *homini* per Christum quod possit perseverare; *sed tribuit* quod de facto perseveret Tribuere *autem* de facto perseverare supra posse perseverare, manifestè prævenientem efficaciam sonat.

Deindo

Digitized by Google

528 Deinde *quæstione* 110. *eiusdem* 1. 2. *art.* 2. *in corpore*, eandem prævenientem gratiam exponit illam nominando motum, quo Deus animam ad bonum movet potissimè *quæstione* 111. *art.* 2. gratiam operantem prævenientem appellat, & in tantum efficaciam ei tribuit, quod dicit, quod illi attribuitur operatio qua omnia in Deum moventur. *Et solut. ad* 2. id manifestiùs docet quæ omnia supra sunt satis explicata.

529 Præterea *quæstione* 112. *art.* 2. *in corpore* non obscurè tradit. Et *artic.* 3. apertissimè, dum loquens de præparatione qua homo ad gratiam præparatur docet: *Quod illa potest considerari secundum quod est à Deo movente & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia Dei intentio deficere non potest.* Quo nihil clarius pro efficaci prævenienti gratia potuit à S. Doctore dici vel tradi.

530 In *quæstione* 111. *art.* 3. inter effectus quos gratia causat in nobis tertium sub his verbis constituit: *Tertius est, ut bonum quod vult efficaciter operetur*, quo nihil clarius dici potuit pro firmanda divini auxilij efficacia.

531 Et insuper 3. *cont. Gent. cap.* 149. loquens de divino auxilio, quod præcedit motum liberi arbitrij ratione & causa de illo intelligit illud Apostoli *ad Rom.* 9. non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis, per quæ verba ait: *Non excluditur liberum voluntatis arbitrium, sicut quidam malè intellexerunt, quasi homo non sit Dominus suorum actuum interiorum & exteriorum, sed ostenditur Deo esse subiectum: & Thren.* 5. *dicitur converte nos Domine ad te & convertemur: per quod patet quod conversio nostra ad Deum præuenitur auxilio Dei nos convertentis.* Quibus manifestè prævenientis auxilij gratiæ divinam efficaciam commendat.

532 Deinde *Opusculo* 17. *cap.* 9. sic habet: *Dicit etiam Apostolus ad Roman. quicumque Spiritu Dei aguntur, hi Filij Dei sunt ubi dicit glossa Augustini, non quia nihil agant, sed quia impetu gratiæ aguntur.* Non autem agitur impetu Spiritus sancti, qui resistit, vel tardat. Est ergo proprium filiorum Dei ut impetu gratiæ agantur ad meliora non expectato consilio scilicet humano. De quo etiam impetu dicitur *Esaiæ* 59. *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit.* Non dicit esse violentum, sed quasi violentum propter impetus efficaciam & post pauca ad hanc impetus efficaciam ostendendam inducit illud Ezechielis cap. 1. *Quocumque ibat spiritus illuc eunte Spiritu, & rotæ pariter levabantur sequentes eum.* Et paucis interjectis: *Hoc etiam ad interioris inspirationis efficaciam pertinet; ut homines inspirati subitò ad maiora provehantur; quod significatur per hoc quod Congregatis in unum Discipulis, ut legitur Actuum* 2. *repente Spiritus sanctus super eos veniens, eos fecit magnalia Dei loqui ubi dicit glossa, nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Et Ecclesiastici 11. dicitur, *facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem. Hanc etiam efficaciam Dei intrinsecus inspirantis Augustinus ostendit in libro de prædestinatione sanct. inducens quod habetur Ioan.* 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: valdè inquit remota est à sensibus carnis hac Schola in qua Pater auditur & docet ut veniatur ad filium: nec agit hoc cum carnis aure sed cordis*; Et postea subdit: *itaque gratia quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo corde duro respicitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Hanc etiam efficaciam inspirationis interna, Gregorius in homilia Pentecostes commendat, dicens: ô qualis artifex est iste Spiritus! nulla ad docendum mora agitur, in omne quod voluerit mox, ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse docuisse est: nam humanum animum subito ut illustrat, immutat.* Hæc sanctus Thomas, quibus nec apertius nec clarius, nec magis expressis & conceptis verbis potuit efficaciam prævenientis gratiæ demonstrare, cum sæpe sub propriis verbis eam efficaciam inspirationis appellet. Tandem *in* 3. *sent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 4. loquens de beatissima Virgine inquit: *Et quod plus est, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, itaut, quamvis esset pulchra corpore à nullo unquam concupisci potuit.* Et in q. 3. ait: *in prima sanctificatione gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans.* Nihil ergo in doctrina sanctissimi Doctoris manifestius commendatur quam divina gratiâ ex Deo ipso efficaciter arbitrium creatum ad bonum inclinans, & prædeterminans.

CAPVT XXXII.

Solvuntur quæ ex sancto Thoma opponuntur recentiores contra efficacem divinam prædeterminationem.

533 QVia nulla tam clara veritas est vel in Doctore aliquo, vel quod magis est in Scriptura sacra divina, quæ ex aliquibus testimoniis eiusdem vel Doctoris, vel sanctæ Scripturæ non rectè intellectis non valeat impugnari; prædictam sancti Thomæ sententiam luce ipsa clariorem in hac parte, quæ summatim ostensa est supra, laborarunt hi authores obscurare; cum suadere conati sunt Doctorem sanctum suæ adhærere sententiæ & divinam prædeterminationem negasse, quædam ad id opponendo testimonia ex Angelico Doctore excerpta. Sic ergo primò objiciunt supposita illa sententia, quam Caietanus, Capreolus, & Conradus tanquam ex sancto Thoma defendunt quod motio Dei non est influxus in causas secundas, sed immediatè cum illis in ipsarum operationes manifestum est, quod negat physicam prædeterminationem. Sed etiam admisso sanctum Thomam tradidisse prævium influxum in causas, adhuc ex hoc non sequitur tradidisse prædeterminationem physicam latius enim patet prævius influxus in causas, quam physica prædeterminatio. Vnde ex illo inferre istam, est arguere à superiori ad inferius affirmativè. Sicut hac ratione non sequitur, hoc est animal, ergo est homo. Et instantia, inquiunt, est manifesta in auxilio sufficienti quod est prævium in voluntate non tamen est prædeterminans.

534 Ad hæc & responsum est, & respondemus concedendo quod si sanctus Thomas negaret influxum prævium in secundas causas negaret, prædeterminationem: sed falsum omnino esse Caietanum, Capreolum, & Conradum id vel tenere, vel de mente sancti Thomæ ita sentire: quod enim influxum prævium expressè sanctus Thomas tradiderit in secundas causas & *tertio nostro libro*, ostensum est copiosè & *cap. præcedenti* innumeris penè illisque patentissimis S. Doctoris testimoniis. Imò ut à principio capitis huius præmisimus, id multipliciter hi authores confessi sunt: quod verò nec Caietanus nec Capreolus, nec Conradus influxum

Digitized by Google

influxum prævium negent, nec tanquam de sententia sancti Thomæ, vel de sua propria: sed illum cum sancto Thoma defendant, ostendemus infra, cum mentem Scholasticorum circa hanc materiam investigabimus.

535 Ad illud aliud dicendum, quod quamvis ista consequentia sit nulla & teneat à superiori ad suum inferius affirmativè, *Deus movet auxilio prævio influendo in voluntatem: ergo physicè prædeterminat*, ut patet in auxilio sufficienti quod inducunt, tamen ista consequentia est evidens, Deus physicè influit in voluntatem ipsam efficaciter applicando ad agendum: ergo physicè prædeterminat: quia tenet ab æquivalentibus, quod etiam isti authores non negant. Cum ergo sanctus Thomas, ut ex dictis relinquitur manifestum constituat prævium Dei influxum in secundas causas, quo illas efficaciter movet, & ad agendum applicat, quando nihil aliud dixisset, ibi tradit auxilium physicè prædeterminans: sed quod amplius est, expressis terminis docet, quod Deus voluntatem determinat & prædeterminat ad agendum ut visum est supra.

536 Secundum testimonium opponitur ex 1. 2. *quæstione* 9. *art.* 6. *ad* 3. ubi habetur. *Ad tertium dicendum quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum; sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam.*

537 Ad hoc dicendum, veram intelligentiam huius testimonij haberi ex his quæ docet idem sanctus Thomas *in art.* 4. *eiusdem quæst.* 9. & ex his quæ postea docuit 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. agendo de gratia operante & cooperante & talis est, quod ad volitionem finis voluntas se non movet, quia se non potest movere nisi per deliberationem quæ finis volitionem supponat. Sed tamen à Deo mota ipsa liberè dicit eiusdem finis volitionem, & quia universale bonum, ad quod Deus movet ut universalis motor est finis universalis nempe beatitudo in communi, ideo docet quod ad illam Deus volontatem movet, ita quod ipsa se ad illam non movet nec determinat, & idem est in his quos movet per gratiam operantem ad aliquid determinatè volendum ad quod voluntas non se movet, sed est mota, ut docuit *illo art.* 2. *quæstione* 111. *citata.*

538 Cæterum ad volendum hoc vel illud particulare bonum, sive per rationem sive per gratiam cooperantem moveatur. Cum illud bonum sit medium & ad volitionem mediorum voluntas non solum sit à Deo mota, sed etiam verè se per rationem moveat, ideo dicit sanctus Thomas quod per rationem se movendo determinat, mota tamen & à Deo determinata. Itaque ad finis volitionem sive naturalem sive supernaturalem solum à Deo movetur voluntas, non autem seipsam movet, ad volitionem autem mediorum & movetur & se movet & se determinat & hoc tradit in isto obiecto testimonio & nihil aliud. Quod clariùs sanctus Doctor præmiserat in *articulo* 4. *illius quæst.* 9. *ad* 3. dicens: *Quod voluntas quantum ad aliquid sufficienter se movet, & in suo ordine, scilicet sicut agens proximum, sed non potest seipsam movere quantum ad omnia.* Cuius clarus sensus est in illo art. expressus: quod quantum ad aliquid, id est quantum ad volitionem mediorum seipsam movet in suo genere voluntas ut agens nempè proximum; licet ad id etiam moveatur à Deo sicut à primo agente. At verò quantum ad omnia, id est quantum etiam ad volitionem finis non se movet, nec se determinat, sed movetur & determinatur à Deo, & ipsa sic mota liberè elicit talem volitionem.

Tertium testimonium opponitur ex *eadem* 1. 2. 539
quæst. 80. *art.* 1. *solutione ad* 3. ubi dicitur: *Ad tertium dicendum quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani; sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à Diabolo per modum persuadentis vel appetibilia proponentis.* Ex quo inferebatur, quod licet dicat sanctus Thomas Deum esse universale principium omnis motus humani, non tamen dicit quod in omni motu Deus voluntatem determinat, sed quod ipsa voluntas se determinat.

Ad hoc dicendum sanctum Thomam in illo 540
loco tantum asserere, quod Deus non determinat ad malum consilium, nec ad malam actionem quæ ex ipso sequitur, sicut nec ad id movet, sed quod sola voluntas èst, quæ se determinat directè ad malum consilium & malam electionem ex ipso sequutam, sicut etiam se ad id sola movet. Cum quo tamen optimè stat, quod sanctus Thomas ubique agens de hac materia docuit, quod Deus sicut est universale principium movens ad omnem rationem & motum voluntatis, quatenus entitas & actio est, quia ut sic bona est, ita determinat ad omnem motum & actionem omnem, quatenus & actio est: & hoc ideo, quia est universale principium omnis entitatis & actionis quatenus entitas & actio est.

Quartum testimonium objicitur ex 2. *sent. dis-* 541
tinct. 25. *art.* 1. *ad* 3. ubi sic habetur: *Ad tertium dicendum quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum eius conditionem, unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret & ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.*

Ad hoc dicendum, quod in hoc loco hanc 542
constituit Sanctus Thomas differentiam inter alias res naturales & liberum arbitrium quod aliis rebus naturalibus Deus dat virtutem & eas naturaliter ad unum movet atque determinat: ita quod determinatio actionis & finis illorum potestati non relinquatur. At vero in libero arbitrio ita operatur ut ei det facultatem operandi & ita in eo actualiter operatur, ipsum ad actionem movendo & determinando in actu primo: & tamen determinatio actionis & finis in actu secundo potestati liberi arbitrij relinquatur, ita ut se liberum arbitrium ad agendum determinet, non autem sicut primum agens, sed in suo gradu, & ordine sicut agens proximum sub determinatione primi agentis; & præterea illa verba addidit Sanctus Thomas, quod determinatio actionis relinquitur arbitrio, sed non sicut primo agenti, quod scilicet ab alio non determinatur, ut expressè Sanctus Thomas docuit 1. *part. quæst.* 19. *art.* 3. *jam supra relato.*

Quintum testimonium opponitur ex eodem 2. 543
sent. dist. eadem 25. *art. eodem* 1. *in fine corporis* ubi habentur hæc verba: *Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur; non*

Digitized by Google

non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis causis prioribus. Ex quo inferebant quod si liberum arbitrium determinatur ab alia causa priori liberum non est arbitrium.

544 Ad hoc dicendum, in his verbis nihil aliud, ut ipsa sonant importari, nisi quod res non habentes intellectum, nec iudicium habent de actione propria nec Dominium sui actus, nec se determinant ad actiones suas: sed ab aliis prioribus causis determinantur, per oppositum, autem, quia res habentes intellectum, iudicium rationis habent de actione sua, inde est quod Dominium sui actus habent: nec determinantur determinatione naturali sed à prima causa deteminatione sibi proportionata necesse est, quod determinentur alias se determinarent sicut agens primum, quod ibi à Sancto Thoma negatur.

545 Sextum testimonium inducitur ex *eodem* 2. *sent dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 1. vbi sic dicitur: *Non enim esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.* Sed in his verbis Sanctus Thomas tantum affirmat, quod ut homo liber sit, oportet quod se liberè determinet. Sed non dicit quod ad ipsum pertineat taliter se liberè determinare, ut à nullo alio, etiam Deo, prius in actu primo determinetur, quia ut præmiserat citatis prioribus testimoniis, hoc est proprium primo libero, quod secundis liberis convenire nulla ratione potest.

546 Septimum testimonium obijcitur ex 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstione* 2. *ad primum* ubi sic habet: *Ad primum ergo dicendum quod potentia rationalis se habet ad oppositа in his, quæ ei subsunt, & hæc sunt illa quæ per ipsam determinantur, non autem potest in oppositа illorum quæ sunt ei ab alio determinata: & ideò voluntas non potest in oppositum eius, ad quod ex divina impressione determinatur.* Si ergo non potest rationalis potentia in oppositum eius ad quod ex divina impressione determinatur, ergo nec potest in oppositum eius ad quod ex divina prædeterminatione, quæ impressio in virtute est, determinatur & sic nec ad id libertatem habebit.

547 Ad hoc respondetur mirandum esse quod iste locus opponatur truncatè, & prætermissis verbis immediatè sequentibus. Post illa enim inducta ultima verba, non autem potest in oppositum eius ad quod ex divina impressione determinatur, immediatè subiungit: *scilicet in oppositum finis ultimi: potest autem in oppositum eorum quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.* Solùm ergo ibi docet Sanctus Thomas quod cum voluntas naturaliter sit determinata ad finem ultimum quoad specificationem & hoc ex divina impressione quæ ei talem naturam dedit, non potest ipsa appetere oppositum finis ultimi; appetendo scilicet non bonum in communi, ut patet ex argumento cui respondebat, quod ob brevitatem nec refertur; & nihil aliud ibi docet Sanctus Thomas quod verissimum est. Imo qui istum locum opponit, poterat non avertere oculos ab aliis verbis immediatè præcedentibus quæ ita habent. *Ad secundam quæstionem dicendum quod operatio causæ secundæ semper operatur super operationem causæ primæ & præsupponit eam:* & ideo oportet quod omnis operatio animæ procedat ex suppositione eius, quod inditium est animæ, & ex impressione primi agentis scilicet Dei per quæ verba totaliter excluditur sententia horum authorum, qui nolunt, actionem secundæ causæ fundari in actione primæ causæ, nec quod illam præsupponat: Igitur truncatè testimonium producitur, omissis immediatè antecedentibus verbis, & etiam immediatè sequentibus, per quæ non solum veritas aperitur, sed istorum authorum sententia refellitur. Sic autem loca opponere nec sinceri animi est.

Octavum testimonium opponitur ex *quæst.* 3. 548
de potentia art. 7. *ad* 13. ubi ita dicitur. *Ad* 13. *dicendum quod voluntas dicitur habere Dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet.* Parique modo inducebatur *art.* 4. *ex quæst.* 1. *in* 1. 2. cuius ad idem verba sunt: *Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat.* Quibus utrisque verbis prætenditur Sanctum Thomam negare Deum determinare voluntatem imo addebatur falso ex utroque isto testimonio colligi Deum determinare voluntatem, sed non ex necessitate, quia negatio non sequitur, sed antecedit, non enim dicitur quod Deus determinat sed non ex necessitate sed dicitur quod Deus non determinat ex necessitate. Vnde omnem determinationem negat.

Ad hæc duo testimonia, quæ idem omnino 549
proponunt; respondetur illa maximè divinam prædeterminationem, qua Deus voluntatem determinat, fundare. In illis enim Sanctus Thomas planè docuit, Deum movere & applicare voluntatem ad agendum, iuxta suam propriam naturam. Hæc autem motio & applicatio ut dictum est supra determinatio est. Attendens autem Sanctus Thomas se dixisse reipsa Deum determinare voluntatem iuxta suum proprium modum, ut aliam determinationem, quæ est ex necessitate, & sine libertate excluderet, illa opposita verba adhibuit: dicens quod Deus non determinat voluntatem ex necessitate. Quod autem obijcitur de negatione quæ non sequitur, sed antecedit frivolum est: si enim quis diceret, Petrus non est homo niger, quamvis negatio antecedat solum negat esse hominem nigrum non esse hominem, vel hominem album, sic cum Sanctus Thomas docuit quod Deus voluntatem non determinet ex necessitate tantum negat ut verba sonant determinationem ex necessitate, sicut est in aliis rebus naturalibus: non autem negat aliam determinationem sine necessitate & cum libertate quam sæpius in sua doctrina expressissimè tradit & in illis duobus locis reipsa & implicitè ut ostensum est.

CAPVT XXXIII.

Alia objecta ex Sancto Thoma testimonia contra efficacem Dei prædeterminationem diluuntur.

SAtis laboraverunt ij authores quærentes in 550
Sancto Thoma invenire quo vel apparenter se possent protegere sed in vanum laboraverunt, quia potius occasionem non minimam præstant, ut Sanctus Thomas diligentius inspiciatur & veritas magis ac magis ex ipso Doctore S. omnibus nota proponatur. Opponunt ergo insuper ex *quodlibet* 1. *art.* 7. illud non semel repetitum & replicatum quod cuicumque auxilio prævenienti ipsa

Digitized by Google

ipse homo potest resistere in quo ut aiunt, clarè efficacem prædeterminantem gratiam negat, cui homo resistere nequit.

561 Ad hoc dicendum iam de vera intelligentia huius loci nos egisse non semel & in his operibus & in libro responsionum ad collationes, & omnia summatim recapitulantes dicimus: loqui ibi Sanctum Thomam de motione Dei scilicet efficaci in suo principio, quando movere incipit, cui procul dubio in sensu composito resistere potest homo & cum illa conjungere dissensum. Non autem loqui de illa in sua completa virtute prout iam ex divina voluntate efficax est: huic enim non posse hominem resistere ipse sanctissimus præceptor sæpissimè docuit, ut ostensum est multoties quam explicationem superius adhibuimus Concilio Senonensi idem dicenti testimonium inducunt ex *quæst. 6. de malo*, quæ est de electione humana *art. unico ad 15.* vbi sic habetur. *Ad decimum quintum dicendum quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiam si sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri, ut quandoque effectum suum non sequatur. Sicut causæ naturales quæ non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus; quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat: quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstare, vel removendo talem considerationem quæ inducit eum ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet quod hoc quod proponitur ut bonum secundum aliquid non est bonum.* Ex quo tale formabatur argumentum: causa quæ facit nos facere potest poni impedimentum per voluntatem; sed physicæ prædeterminationi non potest per voluntatem impedimentum poni: ergo Sanctus Thomas negat illis verbis physicam prædeterminationem. Ad hoc respondetur tantum ibi docere Sanctum Thomam, quod licet voluntas sit à Deo reducta in actum necesse sit necessitate infallibilitatis & consequentiæ quod operatur, tamen non ex necessitate operatur sed liberè, quia potentiam habet liberam etiam posita illa efficaci motione eam reducente in actum ad non agendum, ad non operandum vel ad divertendum alio cogitationem & hoc tantum intendit ibi Sanctus Thomas verum est quod limatius loquitur 1. p. & 1-2. ac aliis in locis suæ summæ in quibus non dicit quod potest voluntas impedimentum præstare auxilio efficaciter moventi quia ista propositio sensum videtur importare compositum.

562 Vndecimum testimonium opponebant ex 1. *part. quæst. 83. art. 1. ad 5.* ubi dicitur: *quod dispositiones & inclinationes* (quæ nimirum sunt in voluntate) *subiacent iudicio rationis, cui obedit inferior appetitus, ut dictum est. Vnde per hæc libertati arbitrij non præiudicatur.* Ex quo loco inferebant, quod physica prædeterminatio cum sit in ipsa voluntate, ut illius salvetur libertas, debet subiacere iudicio rationis & si non subiacet, (ut revera non subiacet) tollit eius libertatem. Sed ad hoc dicendum hoc testimonium totaliter extra propositum induci: quia sanctus Thomas ibi tantum loquitur de passionibus & qualitatibus naturalibus, ut patet ex argumento cui respondebat, quibus inclinamur ad aliquid agendum, & de his docet quod non necessitant voluntatem, quia illæ subduntur iudicio rationis, ex hoc autem nullo modo licet inferre quod divina motio seu prædeterminatio quæ est instrumentum Dei voluntatem moventis, ut salvet libertatem debeat subjici iudicio rationis, sed potius ipsa sibi subdit arbitrium, & sua efficacia facit, ut operetur & liberè operetur ut ex sancto Thoma in superioribus monstratum est.

Duodecimum testimonium objicitur *ex 3. part.* 563
quæst. 46. art. 1. in corpore, in quo ita habetur: *Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori, quod quidem si sit causa efficiens vel movens, facit necessitatem coactionis; utpotè cum aliquis non potest ire propter violentiam detinentis ipsum.* Et ad idem aliud proponebatur testimonium ex eodem S. Thoma 2. *phys. lectione* 15. ubi dicitur quod necessitas ex causis prioribus est necessitas absoluta. Ex quo utroque testimonio pariter inferebatur, quod necessitas ex auxilio prædeterminante est necessitas ex causa priori illa est necessitas absoluta, & ex consequenti quod auferat libertatem.

Ad primum tamen respondemus Sanctum 564
Thomam ibi loqui de causis prioribus, quia ponit exemplum in eo qui per violentiam detinetur ne exeat quo vult; quod autem ibi non loquatur de priori Dei voluntate seu motione patet quia ibi dicit quo licet pater æternus prius diffinierit (seu determinaverit) Christum pati, tamen Christus voluntariè & liberè patiebatur. Imo ad hoc argumentum quod de causis prioribus procedit Sanctus Thomas in terminis respondet 1. *part. quæst. 19. art. 8.* ut visum est supra.

Similiter ad aliud testimonium ex 2. *physic.* 565
dicendum ibi Sanctum Thomam sicut & Philosophum, quem commentatur, loqui de causis prioribus naturalibus & determinatis ad unum ut manifestè constat quia dicit necessarium esse absolutè hominem mori, quia est compositus ex contrariis quia hoc est esse absolutè necessarium, ex priori causa materiali: similiter ibi dicit hominem esse rationalem esse absolutè necessarium quia est necessarium ex priori causa naturali, formali, & ex causa priori naturali efficiente dicit esse necessarium absolutè alterationem noctis & diei propter motum solis. Vbi loquitur tantum de prioribus causis naturalibus & ad unum determinatis. Cæterum cum in specie agit de necessitate proveniente ex Dei voluntate priori sicut ex priori causa expresse docet talem necessitatem non esse absolutam, quæ tollit libertatem, sed conditionalem quæ libertatem servat, ut patet ex *citato loco 1. p. quæst. 19. art. 8.* cuius litteram in superioribus explicatam vel potius relatam præmisimus.

Decimum quartum testimonium sic opponitur 566
contra divinas efficacis voluntatis Dei prædiffinitiones ex 1. *part. quæst. 23. art. 7.* ubi Sanctus Thomas dicit minutissima quædam, ut arenæ maris, culices, & cætera similia non esse à Deo prædiffinita; quod ex Caietano confirmant dicente ibi, quod ista cognoscit Deus præcognoscitivè non prædiffinitivè.

Ad quod respondemus Sanctum Thomam in 567
isto loco non dicere corruptibilia nullo modo esse prædiffinita, ut arguentes opponunt, sed tantum docere non esse primo & per se prædiffinita sed per aliud nempe ratione rerum incorruptibilium hanc autem esse veram intelligentiam aperta littera illius articuli clamat & eodem modo debet intelligi ibi Caietanus, quando dicit quod *illa* non sunt prædiffinitivè, sed præcognoscitivè quod non sunt præffinitivè primo & per se, bene autem, secundo & per aliud.

Decimum quintum testimonium objiciunt ex 568
Sancto Thoma 2-2. *quæst. 174. art. 1. in corpore:* vbi Sanctus Thomas hæc verba habet: *Alio modo*

Digitized by Google

do præcognoscit Deus aliqua in se ipsis, vel ut fienda ab ipso, & horum est prophetia prædestinationis; quia secundùm Damascenum Deus prædestinat ea quæ non sunt in nobis; vel ut fienda per liberum arbitrium hominis, & sic est prophetia præscientiæ, quæ potest esse bonorum & malorum, quod non contingit de prophetia prædestinationis quæ est bonorum tantum. Ex quo inferebatur docere Sanctum Thomam expressè actus nostros liberos qui à nobis liberè fiunt esse tantum à Deo præscitos non autem prædestinatos.

569 Ad hoc respondemus nullum aliud testimonium tanta cum apparentia induci sicut istud. Cuius tamen vera intelligentia traditur ab eodem Sancto Thoma *quæst.* 12. *de veritate art.* 10. ubi eandem quæstionem tractans, quam tractat 2. 2. *ubi supræ solutione ad tertium argumentum* tradit eandem doctrinam quam tradiderat 2. 2. *loco in contrarium obiecto*, sic dicens: *Ad tertium dicendum quod præscientia hic accipitur contra prædestinationem divisa quantùm ad ea, in quibus præscientia prædestinationem excedit: Non autem excedit præscientia prædestinationem in malis solùm, si prædestinatio strictè accipiatur, sed etiam in omnibus bonis quæ non fiunt solâ virtute divina.* Quibus verbis iterum docet quod prædestinatio, ut distinguitur à præscientia, est eorum tantum, quæ fiunt sola virtute divina præscientia autem est tam bonorum quam malorum quæ fiunt à nostro libero arbitrio & hanc doctrinam ita in isto loco, sicut in *illo* 2.2. tradit sicut doctrinam Sancti Hieronymi, Sancti Damasceni & suam. Postquam autem eam docuit *solutione ad* 3. statim contra illam opponit in quarto loco sic dicens. *Præterea prædestinatio, ut dicit Augustinus, est de bonis salutaribus; sed inter bona salutaria nostra merita computantur, quæ ex libero arbitrio dependent: ergo prophetia secundum prædestinationem nostrum admiscetur arbitrium, & sic Hieronymus malè distinguit.* In quo argumento opponit Sanctus Thomas, Sanctum Augustinum, Sancto Hieronymo, Sancto Damasceno & sibi ipsi; quia Sanctus Augustinus docet quod prædestinatio est de bonis salutaribus in quibus comprehenduntur merita nostra, quæ sine dubio salutaria sunt, & à nostro fiunt arbitrio at Sanctus Hieronymus & Damascenus & ipse Sanctus Thomas dicunt prædestinationem esse solum eorum quæ à solo Deo fiunt, & non à nostro libero arbitrio. Idem magis confirmatur.

570 In solutione autem huius quarti argumenti concordat perfectè Angelicus Doctor, Sanctum Augustinum, Sanctum Hieronymum, Sanctum Damascenum & doctrinam à se traditam tum ibi, tum 2. 2. *in obiecto loco*, quod scilicet prædestinatio non est eorum quæ à nostro fiunt arbitrio, ita subiungens: *Ad quartum dicendum quod meritum nostrum & est ex gratia, & ex libero arbitrio, non autem subiacet prædestinationi, nisi secundùm quod est ex gratia quæ à solo Deo est. Vnde id quod ex nostro arbitrio est, prædestinationi subesse dicitur per accidens.* Hæc Sanctus Thomas, quibus verbis sub una brevissima distinctione prædictos Sanctos Doctores concordat, veram tradit doctrinam & omnem æquivocationem & difficultatem aufert. Distinctio est ea quæ primò & per se substant prædestinationi à sola fiunt divina voluntate, & nullo modo à nostro pendent arbitrio; ea vero quæ subduntur prædestinationi secundario & per alium, fiunt & dependent à nostro libero arbitrio. Cum ergo Sanctus Hieronymus, Sanctus Damascenus asserunt & Sanctus Thomas 2. 2. dicit, quod prædestinatio est eorum quæ à sola fiunt voluntate divina & non à nostro libero arbitrio, loquuntur ipso opponente Sancto Thoma de his quæ primo & per se subduntur prædestinationi. Cum autem Sanctus Pater Augustinus in hac quæstione inductus de veritate dicit, quod opera salutaria, inter quæ merita nostra computantur quæ à nostro sine dubio fiunt arbitrio prædestinationi subduntur; intelligit quod secundariò & per aliud prædestinationi subdantur, & sic est summa concordia Sanctorum Doctorum & veritas patebit, quod nempè bona opera nostra; quæ à nostro fiunt arbitrio non sunt præscita tantùm, sicut oppositio prætendebat, sed etiam sunt verè prædestinata, secundario tamen & per aliud quod à sola fit voluntate divina & quod primo & per se est prædestinatum. Hoc autem quod à sola fit voluntate divina & primo & per se prædestinatum est nihil est aliud quam gratia præveniens efficax hæc enim primo & per se cadit sub divina prædestinatione & hæc à sola debet fieri voluntate divina: & hæc concludit oppositio facta ex Sancto Thoma 2.2. quod non fit à nostro libero arbitrio nec ab illo dependet.

Igitur non solum oppositio facta aliquid pro- 571
bat contra efficaciam prævenientis seu prædeterminantis gratiæ; sed si doctrina Sancti Thomæ attendatur, illam manifestè convincit, quod præveniens gratia efficax, non fiat efficax à nostro arbitrio vel ab illo in sua efficacia dependeat, ut ij authores asseverant; sed solum efficax sit à sola voluntate divina, quia ipsa efficax præveniens gratia est, id quod primo & per se cadit sub prædestinatione quod ita est verum, ut si præveniens gratia non sit efficax ex solo Deo, sed efficax fiat à libero arbitrio, cum deficiat id, quod primo & per se cadit sub prædestinatione, & id per quod bonus usus arbitrij debet cadere sub prædestinatione necesse sit dicere quod nullo modo bonus usus arbitrij sub prædestinatione cadat. Et propter hanc rationem ij authores cum negant efficaciam prævenientis gratiæ à solo Deo esse efficacem, sed efficaciam habere à libero arbitrio, consequenter contendunt bonum usum arbitrij non esse à Deo prædestinatum, sed præscitum tantum, ut oppositio prætendit, & Ludovicus Molina quem ij authores sequuntur, expressè posuit in concordia bonum usum arbitrij non esse effectum prædestinationis, nec esse prædestinatum, nec esse effectum prævenientis gratiæ, sed tantum esse præscitum.

Quomodo autem contra veritatem sit & con- 571
tra expressam Sanctissimi Patris Augustini sententiam (quæ ut Cardinalis Bellarminus dicit, in materia prædestinationis & gratiæ est ipsa fides Ecclesiæ) contendere bonum & salutarem usum arbitrij esse tantum præscitum non autem verè prædestinatum; Imo quomodo convincat hunc esse Pelagianorum damnatum errorem, constat apertè ex omnibus libris, quos adversus hos errores conscripsit: potissimè ex illis duobus de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ: in quibus sæpè repetit quod si Deus præscivit, utique sua dona præscivit, & quod si præscivit, id quod ipse facturus est præscivit, dicens in *cap.* 10. *de prædestinatione sanctorum*, in explicatione illius Apostolici testimonij. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio, quia qui promisit potens est, & facere* inquit: *non ait* (scilicet Apostolus) *præscire, non ait prædicere, quoniam aliena facta & peccata potest*

Digitized by Google

præscire atque prædicere, sed ait, potens est, & facere, ac per hoc facta non aliena sed sua. Quia si non facimus ipse facit ut faciamus.

573 Decimum sextum testimonium opponitur ex *quæst. 6. de veritate art. 3.* ubi docet, quod circa prædestinatum tot adminicula præparat Deus, quod vel non cadat, vel si ceciderit resurgat. Ex quo inferunt quod Deus prædestinatum non moveat ad bonum efficaci gratia prædeterminante.

574 Ad hoc dicendum, falsissimam esse istam intelligentiam; tum quia per hoc volunt Sanctum Thomam sentire, Deum in confuso cognoscere; quo videlicet medio homo debeat in bono perseverare; quo nihil falsius potest contra Sanctum Thomam fingi: Tum quia in *illo eodem art.* præmiserat Sanctus Doctor bonum usum arbitrij verè à Deo esse prædestinatum, & non solùm præscitum: ibique tradit circa prædestinatos, non solum certitudinem præscientiæ, sed etiam certitudinem prædestinationis mediorum, & ordinis. Ista autem certa media prædestinationis sunt efficacia auxilia prævenientis gratiæ, ut dictum est. Vera igitur intelligentia est verborum obiectorum, quod de auxilijs gratiæ Deus multa præparat; determinat tamen quod hoc vel illo in particulari homo convertatur, vel perseveret, ob efficaciam auxilij talis, ad ostendendam autem humanam libertatem, ut ait Sanctus Thomas, Deus tot auxilia multiplicat, quorum aliquibus homo sua libertate resistit; alteri verò, nempe efficaci, eâdem suâ libertate adiutâ per efficaciam illius auxilij consentit, & in utroque maxime hominis libertas commendatur. Si enim nulla alia auxilia daret Deus, nisi solum illud efficax, quo homo convertitur, non tam clarè appareret humana libertas.

575 Postremò opponebant Sanctum Thomam tantùm in *quæstionibus de veritate* non autem in *summa*, docuisse Deum per aliquid voluntati impressum prævie applicare, & determinare voluntatem, quod quam falsum sit, *tertio nostro libro* dedimus manifestum ex plurimis inductis testimonijs ex summa Sancti Thomæ ibi relatis & in superioribus id satis ostendimus.

576 Similiter ex alio principio nitebantur colligere negasse Sanctum Thomam efficaciam prævenientis seu prædeterminantis gratiæ; quia nempe ipse docet futura contingentia cognosci à Deo in seipsis prout sunt iam determinatè præsentia, addens quod in suis causis non sunt certò à Deo cognoscibilia; & tamen si Deus prædeterminaret causas ad illa, proculdubio in ipsis causis essent certò cognoscibilia: ergo Sanctus Thomas talem causarum secundarum prædeterminationem illo suo dicto negat.

577 Ad hoc dicendum quod de hoc plenariè *primo nostro libro in fine* actum est: ubi diffusè ostendimus Deum secundum expressam Sancti Thomæ sententiam, non solùm cognoscere futura contingentia in se ipsis, secundum quod sunt æternitati præsentia, sed etiam in determinatione suæ divinæ voluntatis, & in prædeterminatione secundarum causarum. Quod autem docet, quod in causis contingentibus futura certò non cognoscuntur (ut ibi notum fecimus) loquitur de causis contingentibus secundùm se, & prout sunt sine divina prævia motione omnino indifferentes ad opposita, ad quæ ibi copiosè tractata, & probata lectorem remittimus.

578 Tandem quod opponunt, positâ illa efficaci prædeterminatione libertatem impediri: Ad hoc respondet Sanctus Thomas quod potius illâ positâ ponitur actualis libertas, quæ sine illa non apponeretur: quia ut docuit *1. 2. quæst. 109. art. 1.* sine illa prævia & efficaci motione non stat voluntatem operari. Quomodo autem positâ tali efficaci præmotione ponatur actualis libertas, ex eodem Sancto Thoma ostensum reliquimus supra ex littera articuli 8. *ex 1. part. quæst. 19.* quia videlicet Deus sua efficaciâ est causa & substantiæ actus, & modi illius liberi.

Præterea, ad hoc argumentum respondet *quæst.* 579
3. de poten. art. 7. ad 13. dicens, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia operatio causæ primæ voluntatem ad unum non determinat sicut determinat alia quæ libertate carent. Quod apertius exposuit *1. contra gent. cap. 68.* ita concludens: *Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari.*

Ista ergo duo tantum excludit humana liber- 580
tas: & quod voluntas habeat permanentem virtutem ad unum determinatam: & quod ab alia extrinseca causa violentiam patiatur; sed non excludit nec excludere potest, imò essentialiter præsupponit influentiam primæ causæ, à qua prævie & efficaciter moveatur, applicetur, in actum reducatur, & determinetur ad agendum. Quia de ratione secundæ causæ liberæ est quod in sua libertate non sit libera & exempta à motione primæ causæ, sed potiùs quod ei subiecta sit, eique subdatur, & tantò liberior, quantò ei subiectior. Vt alibi dixit S. P. Augustinus *Epistola* scilicet 105.

Manifestum est ergo contra Sanctum Thomam 581
fuisse & esse, prætendere non esse efficacem prædeterminationem; & ex Sancto Thoma contra eundum opposita supradicta argumenta fuisse, cum ipse Angelicus Doctor semper hanc efficacem prædeterminationem docuerit, & ex eius doctrina illius discipulos omnem sanè doctrinam quæ efficaci divinæ gratiæ adversatur, impugnasse, & expugnasse.

Accedit & Sanctus Doctor Bonaventura, qui 582
ut *3. nostro libro 1. p. tract. 1.* ostensum est divinam efficacem prævium motionem in genere docuit: sed in specie loquendo de divina gratiæ efficacitate præveniente ita ait *in 2. sent. dist. 26. quæst. 6. dicendum quod absque dubio, sicut authoritates Sanctorum dicunt, necesse est ponere liberum arbitrium à gratia moveri, & excitari. Ab ipsa enim gratia operante prævenitur, & à cooperante ad opera meritoria elevatur. Ita quod respectu operis meritorij gratia est sicut principalis motrix, & voluntas sicut pedissequa. Qualiter autem ipsa gratia, cum sit accidens animæ, ipsam habeat movere, hoc habet difficultatem. Ad huius tamen difficultatis explicationem duplex est modus dicendi sive intelligendi, secundùm quem liberum arbitrium dicitur à gratia moveri. Vnus modus dicendi est, quòd gratia movere dicitur liberum arbitrium, quoniam ipsa est dispositio ad quendam spiritualem motum. Sicut enim pondus in corporibus disponit ad motum, sic & suo modo pondus in spiritibus gratia autem est quoddam spirituale pondus datum animæ per quod habet sursum tendere: Et quoniam liberum arbitrium est natum se ipsum movere secundus actus in quo potest de se: cum est adjutum, & informatum gratia, excellentius movet se ipsum: ita quod, cum liberum arbitrium sit movens*

Digitized by Google

vens & motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis: & pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratiâ informatum movet se ipsum, per quem modum amor dicitur movere hominem ad magna opera facienda. Alius est modus intelligendi secundùm quem liberum arbitrium dicitur à gratia moveri: gratia enim est sicut quædam influentia procedens a luce superna, quæ semper habet coniunctionem cum sua origine; sicut lumen cum sole; & quia semper suæ origini coniungitur, ideò non tantum attribuitur ei operatio ratione subiecti in quo est, sed etiam ratione subiecti à quo est. Vnde sicut lumen non solum operatur cum aere, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione coniunctionis cum suo fonte, sic & gratia non solùm operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet. Vnde non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse Spiritus Sancti instrumentum ad movendum liberum arbitrium. Hæc Sanctus doctor Bonaventura qui quamvis dicat utrumque modum dicendi esse convenientem, nos hunc secundum verissimum esse arbitramur. Non enim gratia operatur in anima ut quod sicut ille primus modus dicendi insinuare videtur, sed absque dubio tantùm operatur ut quo, vel ut instrumentum, quò Spiritus Sanctus animam ad se convertit, ut in superioribus reliquimus explanatum. Per quem modum aptissime prævenientis gratiæ divina efficacia exponitur & explicatur.

CAPVT XXXIV.

Ex Scholasticis authoribus efficacia divinæ prædeterminantis gratiæ ostenditur.

583 SCholastici etiam doctores omnes graviores semper divinæ gratiæ prævenientem, sive prædeterminantem efficaciam, quâ Deus operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, cognoverunt, & agnitam in suis libris tradiderunt. Quos breviter per suas classes referre placet & quia scholasticorum omnium princeps Sanctus Thomas (ut patet ex præcedentibus) illam perpetuò docuit, eandem asseruerunt graviores & antiquiores eius discipuli, qui ante exortam hanc controversiam multo tempore scripserunt: nam alios recentiores, etiam graves, & qui nondum exorta hac controversia multa dictarunt omittimus, ut Canum, Bannes, Victoriam, & similes: & solùm de antiquioribus testimonia petemus.

584 Sed ante ipsos Magister sent. imprimis in 1. *lib. sent dist* 45. ait: *hæc itaque summè bona voluntas*, nempe Dei, *causa est omnium.* Et post lit. C, *Voluntas ergo Dei, ut ait Augustinus in 3. lib. de Trinit. prima, & summa causa est omnium specierum, atque motionum.* Vbi efficaciam divinæ voluntatis, quæ causa est omnium motionum, apertissimè tradit multa similia dicit in *tota illa distinct.* & *dist.* 46. *sequenti* inquit littera B. *Quis enim tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Quod ibi ex Sancto Patre Augustino inducit, fundat, & probat deinde Abulensis ad *cap.* 11. *super Iosue* potissimè *quæst.* 13. mentionem facit illius scientiæ conditionatæ, sed illam non probat. Imò *quæst.* 52. 81. & 82. in quibus de operatione divinæ gratiæ tractat satis diffusè, apertissimè tenet atque defendit eiusdem prævenientem potentem efficaciam, qua Deus efficaciter hominum voluntates movet ad bonum plurima ex eo inducere poteramus sed lectorem remittimus, ut ibi ea consideret.

Capreolus *lib. 2. sent. dist.* 1. *concluf.* 1. *quæst.* 2. ita dicit: *Deus est causa non solum creaturæ, sed etiam cuiuslibet actionis creaturæ. Quatuor modis hanc ponit Sanctus Thomas, de potentia Dei quæst.* 3. *art.* 7. Cuius articuli totam literam transcribit & cum Sancto Thoma præviam Dei efficacem præmotionem, sive prædeterminationem amplectitur; Et etiam aliis in locis doctrinæ suæ, quæ copiosè, & fideliter relata sunt 3. *nostro lib. part.* 1. *tract.* 1. ubi quædam testimonia ex ipso, quæ in oppositum ab his authoribus opponebantur, in vera, & contextuali intelligentia explicata sunt. 585

Quod adeò certum est, hanc nimirum esse Capreoli manifestam sententiam, ut etiam hi authores ante exortam hanc controversiam id fassi fuerint *in sua physica copulata Conimbricensi* à toto illo collegio edita *in qua ad lib. 2. phys. cap.* 7. *quæst.* 13. ita dicit *circa modum, quo Deus cum causis secundis ad earum operationes, & effecta concurrit, discutienda se offert celebris opinio Sancti Thomæ* 1. *parte quæst.* 105 *&* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 1. *& quæst.* 3. *de potentia art.* 7. *eiusque sectatorum, Capreoli in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *Ferrar* 3. *contra gent. cap.* 70. *& aliorum existimantium omnes causas secundas, antequam operentur, accipere à Deo influxum quendam, & motum qui sit quasi esse intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitantur, eo modo quo artium instrumenta, ut dolabra & securis præviam motionem à fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur.* Cum ergo tam manifestè hanc de prævia efficaci motione sententiam dicant esse Capreoli, mentem frivolè aliquando Capreolum pro sua sententia objiciebant. Imò, quia prætendunt, (ut in fine capitis præcedentis visum est) Sanctum Thomam non in summa hanc de efficaci præmotione teneri sententiam, sed in quæstionibus disputatis tantùm, advertant quod efficaciter per suos proprios doctores de hoc impugnantur: dum confessi sunt Sanctum Thomam, & 1. *part.* & 1. 2. illam doctrinam tradidisse. 586

Similiter Ferrariensis *citato loco à copulata prædicta*, eam sequitur, & defendit. Vnde quia id confitentur, nec ex eius dictis amplius id oportet manifestare; quamvis *tertio nostro libro 1. p. tract.* 1. ex Ferrariensi non pauca induximus testimonia, quæ id attestantur. 587

Consentit Caietanus, quem potissimè isti authores, (quia nec illum intelligere volunt) pro se inducunt contra efficacem Dei prædeterminationem multis in locis potentissimè efficacem præviam Dei motionem tradit, quæ relata, & inducta sunt 3. *nostro lib. loc. cit.* ubi perfectè responsum est ad illum locum in quo ij authores suam fundant sententiam: & ibi pariter ipsum in aliis locis veram præviam Dei motionem in causas docere ostensum fuit. Quæ omnia citatis locis videnda & consideranda consulimus, addendo ad præsens quendam ex Caietano insignem locum, qui nullo modo poterit aliter explicari, cum evidentissimus sit, pro efficacia prævenientis, sive prædeterminantis gratiæ. *Ad caput enim* 4. *Matth.* ad illa verba, *& procedens inde vidit alios duos,* 588

Digitized by Google

sic ait: *Nec est mirandum quod isti, & illi statim sequuti fuerint Iesum, quia interiori operatione Iesus movebat (motione non invitatoria, sed efficaci) corda eorum ad relinquendum omnia, & sequendum ipsum. Tali enim attractioni interni Spiritus nullus unquam restitit, nullus etiam resistet unquam, quia efficit voluntarium sectatorem, operarium, Martyrem.* Nihil planius, & clarius, nihil evidentius contra moralem excitationem, quam isti authores tantùm admittunt, pro vera efficacia gratiæ potuit dicere Caietanus: negat enim expressè illam fuisse solam invitatoriam, vel suasoriam, vel allicientem tantùm moraliter, ut ij opinantur, & è contra istam docet fuisse verè efficacem cui nullus unquam resistit; quia efficaci præmotione docet illorum corda movisse Deum.

589 Pari ratione Conradus etiam citatus *primo nostro libro ibidem* pro vera efficaci Dei prævia motione firmus stat, & ad defensionem illius ex eo habentur efficacia testimonia ibi citata.

590 Sed ante illos Magnus Albertus sancti Thomæ Magister eandem præviam Dei motionem efficacem docuisse probatum reliquimus ibidem cuius nec verba repetenda, sed ibi consideranda sunt. Vbi etiam eandem docuisse sanctum Antoninum, & sanctum Vincentium ex ipsorum propriis verbis ostensum est, simul cum Pio Quinto Pontifice Maximo *in Catechismo* qui pro efficaci gratia egregium illud protulit testimonium, quod in superioribus relatum est. Omnes hi gravissimi Doctores ex prædicatoria familia ante omnem exortam hanc controversiam mirabili concordia, apertis verbis, divinæ gratiæ prævenientiam seu prædeterminantem efficaciam docuerunt, & amplexati sunt.

591 In alio ordine sunt Doctores alij, illique gravissimi, qui pari consensu pro efficacia divinæ operationis supra hominum voluntates egregia tulerunt testimonia, ut enim ad Magistrum sent. revertamur, ipse *in 1. distinct. 47.* ita dicit: *Voluntas quippe Dei semper est efficax, ut fiat omne quod velit, & nihil fiat, quod nolit, qua de homine semper impletur quecunque se vertat.* Loquitur autem de voluntate beneplaciti, de qua præmiserat quod cassari non potest. Deinde in *2. dist. 27. §. cum ergo ex gratia*, ita habet: *Sed in bonis meritis causa principalitas gratia attribuitur, quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium & sanatur, atque juvatur voluntas hominis, ut sit bona.* Vbi sermo est ad litteram de gratia præveniente, docetque quod non solùm per illam excitatur, & invitatur arbitrium, sed quod per illam juvatur, ut bonum sit, imò quod per illam sanatur. Quibus verbis prævenientis gratiæ efficaciam, prout à Deo venit, manifestè prædicat. Et *dist. 26. eiusdem libri* agens de distinctione gratiæ operantis & cooperantis, ait de operante: *Etenim liberatur, & præparatur hominis voluntas, ut sic homo bonum efficaciter velit.* Et denique *dist. 29. in eodem libro* inquit, quod homo in primo statu indiguit gratiâ operante, *non ut liberaret voluntatem suam, qua peccati serva non erat; sed ut præpararet ad volendum efficaciter bonum.* Quod si ad hanc efficaciam præparabat hominis voluntatem, utique illa sic præparans efficax erat: à qua ut illius effectus efficacis volendi bonum proveniebat. Quomodo autem Scotus cum Schola sua (uno excepto Corduba) prævium Dei motionem efficacitet ut quo, secundam causam applicantem, & determinantem ad agendum multis locis suæ doctrinæ tradiderit, notum dedimus supra. Et ad quædam dubia quæ ex aliis locis opponebantur plenariè satisfecimus, ea ex vera doctrina Scoti declarando. Quibus addimus Vegam eiusdem Scholæ qui *libro de iustificatione cap. 5. Concilij Tridentini* efficaciam divinæ prævenientis gratiæ, quæ semper habet effectum illum ad quem datur immediatè, manifestè tradit & defendit.

Alexandro verò Alensi alibi relato pro vera ef- 592
ficaci Dei motione addendum, tradere eundem Alensem *1. part. quæst. 40. membro 3.* cuius ibi verba sunt: *Ex quo accipitur quod voluntas nostra subjicitur in malis actibus divine voluntati materialiter: scilicet ut materia sub agente, quia de voluntate nostra mala, & actu modo voluntas Dei operatur bonum: in bonis verò actibus voluntas nostra subjicitur divine voluntati ut efficiens sub efficiente, secundum illud: omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Notanda illa verba sunt: *In bonis actibus subjicitur sicut efficiens sub efficiente*, per quod Deum verè efficere in voluntate nostra illi subiecta, quod faciamus, & per consequens illam ad agendum prædeterminare docet. Hanc enim subiectionem ad Deum verè efficientem; si in voluntate nostra admitterent Doctores cum quibus agimus, sicut doctè & piè illam tradit Alensis, nec controversia aliqua in ista causa maneret, sed nolunt ij authores subditam debere esse Deo efficienti voluntatem nostram, ponentes eam prætextu libertatis à dominio Dei exemptam, & liberam.

Deinde *quæst. 23. de scientia Dei art. 4.* dicit. 593
Item est quoddam incommutabile secundum causam superiorem, tamen mutabile secundum causam inferiorem, ut si Deus prævidit me iturum Romam secundum causam superiorem est immutabile, secundum causam inferiorem est mutabile, cum Deus providerit, & disposuerit quod iste actus eliciatur à mea voluntate non coacta. Vbi efficaciam, & immutabilitatem divinæ providentiæ de actu hominis libero statuit, & simul mutabilitatem arbitrij, quod potest aliud facere, quia non cogit ipsum divina voluntas; nec ipsum est à natura determinatum ut actus talis fiat, sed liberè se determinabit, determinando quod ille actus liberè à creata voluntate fiat.

Sanctum Bonaventuram citavimus *tertio nostro* 594
libro pro præmotione naturali pro causis ordinis naturalis respectu suarum naturalium operationum efficiendarum, ibique pro isto loco reservavimus illa ex S. Doctore proponere quæ specialiter efficaciam prævenientis gratiæ commendant, quæ jam patefacere oportet. Nam in *2. sent. dist. 26. quæst. 6.* cuius titulus est, *an gratia comparetur ad animam in ratione motoris*, resolvens quæstionem ait: *Alius est modus intelligendi, secundum quem liberum arbitrium dicitur à gratia moveri; gratia enim est sicut quædam influentia procedens à luce superna, qua semper habet coniunctionem cum sua origine: sicut lumen cum sole; & quia semper sua origini coniungitur, ideo non tantùm attribuitur ei operatio ratione subiecti in quo est, sed etiam ratione subiecti à quo, est. Vnde sicut lumen non solùm operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione coniunctionis cum suo fonte; sic & gratia, non solùm operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet. Vnde non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, quam dicere gratiam esse instrumentum Spiritus sancti ad movendum liberum arbitrium.* Hic planè efficaciam prævenientis gratiæ prædeterminantis liberum arbitrium,

Digitized by Google

bitrium, & traditur, & prædicatur, cum dicitur quod gratia non solum cum libero arbitrio operatur, sed in liberum arbitrium & instrumentum Spiritus sancti. Et infra *solut. ad* 1. *Deus per gratiam movet voluntatem, nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas vult sic moveri à Deo;* quia nempe gratia, quæ est Spiritus sancti instrumentum, facit quod ipsa velit sic à Deo moveri & *solutione ad tertium* respondendo ad illud quod quæritur ita habet: *dicendum quod movet voluntariè non à voluntate quâ ipsa gratia fit volens, sed à voluntate quâ Deus gratiam influens est volens, & à voluntate, quâ liberum arbitrium gratificatum vult movere seipsum.* Quibus verbis aliud istorum authorum cum quibus agimus destruit fundamentum quo contendunt gratiam movere ex necessitate naturæ quod falsissimum esse superius est demonstratum: & sanctus Bonaventura relatis verbis confundit dicens quod gratia non movet naturaliter sive ex necessitate, sed quod movet ut quo liberè quatenus est instrumentum Spiritus sancti qui mediâ gratiâ liberè movet voluntatem, ad liberè operandum & quod illam immutabiliter movet.

595 Ægidius efficacem Dei prædeterminationem verbis omnino æquivalentibus docet in 2. *sent. dist.* 5. *quæst.* 2. sic dicens: *Gratiam ergo gratum facientem præcedit conversio, quæ est dispositio ad gratiam: conversionem autem præcedit motio, & operatio Dei facta in anima, quæ est impetus quidem ad bonum, quem sequentes convertimur.* Ad significandam efficaciam gratiæ prævenientis vocat eam impetum. Et infra: *Sed ut velit bonum gratiæ, & ut convertat se in Deum, per quam conversionem recipiat gratiam, requirit specialem Dei impetum & motionem, quam sequendo dicitur converti ad Deum.* Et iterum: *Sed sufficit quod sit ibi operatio divina faciens impetum in liberum arbitrium, quem sequendo disponamur ad gratiam.* Et statim: *Nec oportet inter talia esse prioritatem secundum durationem ad tempus, sed sufficit quod ibi sit prioritas naturæ & originis.* Et post pauca: *Cum ergo quæritur utrum Angeli indiguerint gratia ad sui conversionem, dicimus quod ante conversionem, id est motum liberi arbitrij in Angelis ad suscipiendam gratiam, non requiritur gratia prævia sed consummans, ni velimus appellare gratiam ipsum Dei impetum, & motionem sine qua non potuit esse huiusmodi conversio.*

596 Et *distinct.* 14. *quæst.* 3. explicans quid faciat Deus per hunc impetum, quem imprimit libero arbitrio adjicit: *Sed cum anima humana quantùm ad suam essentiam creetur immediatè à Deo, oportet quod immediatè quantum ad voluntatem, & quantum ad liberum arbitrium sit supposita ipsi Deo Deus enim licet non possit cogere voluntatem; quia tunc voluntas non esset voluntas, quod implicaret contradictionem: potest tamen eam pro libito immutare, quia cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud.* Ecce prævium impetum immutantem voluntatem fatetur Ægidius: qui impetus voluntatem immutans est ipsissima physica prædeterminatio. Et iterum: *Quantùm* inquit, *ad liberum arbitrium non sumus subiecti nisi soli Deo, licet indivisè, ut persuadendo alijs simus subiecti:* Vbi indirectam subiectionem quæ est persuasione tantùm non admittit respectu Dei, ut opinio, quam impugnamus, statuit: sed directam subiectionem nostræ voluntatis ad Deum constituit, sicut ad immutantem verè efficienter voluntatem.

597 Respondens etiam ad argumenta ait: *Respondendo ad argumentum primum dicendum, quod deformitas & variabilitas actuum liberi arbitrij reducitur in uniforme, sed non in motum cœli &c. sed directè reducitur in divinam providentiam, & in voluntatem Dei.* Deinde in *eodem* 2. *sent. dist.* 25. *quæst.* 1. *in responsione ad argumenta* ita dicit: *Propter quod licet non possit Deus cogere liberum arbitrium, potest tamen ipsum immutare.* Et ibi dicit immutatam à Deo fuisse Pauli voluntatem. Postremò *dist.* 36. *art.* 3. ait: *opera bona gratia sunt à Deo secundùm prioritatem, à nobis autem secundum posterioritatem. Nam quod à Deo sint secundum prioritatem habetur Hieremiæ ultimo, ubi dicitur, converte nos Domine ad te, & convertemur.* Ergo nos Deus convertit ad se, & postea nos convertimur ad ipsum. Et tandem: *Aliquando verò prioritas dicit principalitatem, vel dicit agere principaliter; posterioritas verò dicit agere instrumentaliter; & secundum hunc modum prioritas boni operis propter principalitatem attribuitur Deo; posterioritas verò quod est agere instrumentaliter attribuitur nobis, quia coadiutores Dei sumus, & instrumenta eius in agendo secundum enim istum modum totum aliquod opus, principium, & finis poterit attribui nobis instrumentaliter, & totum Deo principaliter.*

598 Non potuit Ægidius efficacioribus verbis prædeterminantem Dei motionem explicare, quam dicendo nos esse instrumenta Dei principaliter in nobis operantis; ut est satis notum. Vocat autem nos Dei instrumenta in agendo, non quod reputet verè & propriè instrumenta nos esse Dei, quia secundæ causæ principalitet operantes sumus in ordine ad ipsum, sed quia nos habemus ad modum instrumenti respectu Dei, quatenus nos non movemus ad agendum, nisi priùs ratione Deus efficaci suâ motione nos moveat, sicut nec instrumentum movet nisi motum à principali agente.

599 Ex controversistis autem hanc efficacem Dei prædeterminationem probabimus sequenti capite, respondendo ad plures ex illis, quos pro sua sententia inducere solent authores cum quibus agimus, ostendendo eos illorum sententiæ non favere, sed pro veritate divinæ prædeterminationis stare. Accedant & florentissimæ Academiæ, quæ pari consensu hanc prævenientis gratiæ divinam efficaciam tradiderunt (quas, & *nostro* 1. *libro* agentes contra illam mediam scientiam induximus) ut antiquissima, & doctissima illa Lovanienſis, eruditissima Duacensis, sapientissima Parisiensis, & insignis Salmanticensis, quarum verba ibi sunt, nec hic veniunt ulteriùs repetenda.

600 Cum quibus consenserunt sapientissimi Episcopi, & alij Theologi doctissimi, qui à principio huius controversiæ suum in hac causa consulti judicium protulerunt quorum censuras apud nos habemus. Fuerunt autem insignes isti episcopi, & Theologi doctissimi, Dominus Petrus Pacheco tunc Episcopus Segovienſis, Dominus Episcopus Cartaginensis, Dominus Episcopus Placentinus, Dominus Episcopus Terrasonensis, Dominus Episcopus Mindovensis, qui illis temporibus, cum cepit controversia ista, prædictas Ecclesias regebant. Theologi autem sunt, doctor Surra Canonicus Burgensis, magister Franciscus Cumel generalis ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, Doctor Petrus de Castro, qui postea fuit Episcopus Lucensis, Magister Michael Salon ordinis Sancti Patris Augustini, Ma-

Digitized by Google

gister frater Ludovicus Coloma eiusdem ordinis, Doctor Franciscus Camata nunc decanus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, magister frater Ioannes Rada ordinis Sancti Francisci, & præterea ex Societate Iesu, doctor Enricus Enriquez, qui per 16. propositiones materiam istam divisit, & perdoctè ostendit dari auxilium ex parte Dei efficax sive motionem verè, & physicè prævenientem, cum qua optimè libertas arbitrij consistit.

601 Tandem hanc veritatem Cardinalis Toletus etiam ex eadem societate doctissimè tradit: interpretans enim locum illum Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet annot.* 20. sic ait: *Istæ duæ enuntiationes valde differunt: omne quod dat mihi pater ad me venit, & omne quod venit ad me id mihi dat pater: hæc posterior significat omnem venientem ad Christum datum esse à Patre: at illa prior significat eos, qui dati sunt à Patre venturos ad Christum: hæc autem duo longè esse diversa probabitur: qui enim dicit, omnis qui venit datus est à Patre non propterea significat omnem datum à Patre venire. Ac quando dicit quodcunque dat mihi pater venit ad me, significat neminem esse ex his qui à Patre dati sunt qui non veniat.* Explicans autem ibi quomodo datur hoc à Patre, monet quod à Patre habet & venire possit, & ut de facto veniat, & propterea certissimè venit.

602 Et paulo inferiùs, iterum ait: *Ostendit Dominus neminem venire, nisi qui à Patre datus est, & omnem qui à Patre datus est, efficaciter, & infallibiliter venturum.* Et *annot.* 21. adversùs hæreticos ostendens non propterea liberum hominis arbitrium in conversione ad Deum esse negandum, quia scriptura dixerit *nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Sic ait: *utitur autem Scriptura hoc verbo, ut efficaciam divinæ vocationis explicet*, Et infra: *Hac efficax, & solius divinæ dexteræ mutatio tractio dicitur, non quod vi, necessitate ad Deum trahantur homines (sic enim minùs efficax esset motio) sed quod ab ijs, qua solâ & vehementissimo amore diligebant, volens, & libens homo ad omnino contraria repente mutatur.* Hæc ille, quibus divinam tractionem rectissimè vocat efficacem & solius divinæ dexteræ mutationem. Vnde quod postmodum invenitur *super Epistolam ad Rom.* istis contraria sensisse, neminem movere debet, quia commentaria illa post illius mortem in lucem edita sunt, cum jam Romæ apud Sanctam sedem causa ista tractaretur, & ab his fuerunt addita qui ex prædictis verbis Cardinalis Toleti impugnabantur, quod etiam tunc fuit valde consideratum.

CAPVT XXXV.

Diluuntur objectiones petitæ ex authoritate Scholasticorum Doctorum, & ostenditur eos nihil contra efficacem Dei prædeterminationem dixisse.

603 IN tres ordines aliquando ordinabantur à defensoribus moralis excitationis & impugnatoribus efficacis divinæ gratiæ Scholastici doctores, quos prætendebant suæ morali motioni favere, & efficacitati gratiæ esse contrarios. Et potissimè ex controversistis quædam testimonia proponebant, qui adversùs hæreticos huius temporis scribentes physicam, aiebant, prædeterminationem negarunt, sicut minùs cum humana libertate cohærentem. In primo ordine opponebant Thomam Vualdensem *doctrinalis fidei libro 1. art. 1.* ita dicentem: *Necessitas ergo præcedens non compatitur arbitrij libertatem, & ideo ipsa non convenit humanis effectibus. Periculosè, ergo, ut mihi videtur, quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operationibus, & quod fluat à voluntate Dei, maximè cum in antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperiri possit.*

Ad Vualdensem dicendum, quod *libro de Sacra-* 604
mentis cap 3. efficaciam præcedentem divinæ voluntatis admisit respectu nostrarum humanarum operationum, & ex consequenti necessitatem priorem ex divina voluntate procedentem; sic enim ibi habet ex Sancto Patre Augustino: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terra, etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minùs faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus, quod vult & cum vult facit* Et iterum hæc verba Sancti Patris Augustini refert, & sequitur: *Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in eis operatus est, traxit: si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas &c.* Qui ergo Vualdensem ex sua familia sequuntur, & propter oppositum testimonium pariter, & ipsi divinæ gratiæ efficacitati adversantur, ad ista modò relata verba attendant, & videbunt Vualdensem vel in utroque loco sibi esse contrarium, & quod in isto tradidit ibi negasse: vel in illo à nobis objecto illum exponant tantum necessitatem præcedentem absolutam negasse, non conditionatam, vel ex suppositione priori divinæ voluntatis. Vnum enim ex his duobus dicere planè tenentur; quia in verbis à me ultimo loco allatis manifestè necessitatem priorem, seu antecedentem ex divina voluntate provenientem supra humanas voluntates admittit, qui à priori necessitate præcedente necesse est voluntatem operari, id quod vult talis Dei antecedens voluntas; dicit namque humanas voluntates divinæ voluntati non posse resistere. Igitur divinam antecedentem voluntatem admisit, cui voluntates humanæ non possunt resistere: igitur necessitatem antecedentem illius prioris divinæ voluntatis plenè constituit, supposito quod ei non possunt humanæ voluntates resistere. Si enim illi non possunt resistere; ergo necesse est quod faciant id quod eas facere divina voluntas vult; ergo antecedentem necessitatem divinæ voluntatis apertè posuit, si vel verba perpendantur.

Præterea cum admittat cum Sancto Patre Au- 605
gustino, quod magis habet omnipotens in sua potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quomodo non expressè docuit, quod ex illa potestate efficaci, imò efficacissima potest immutare, & convertere voluntates hominum quo sibi placuerit, ita quod illi potestati efficaci non possint voluntates hominum resistere, sed necesse est faciant id ad quod divina illa potestas illas vertere voluerit.

Si ergo Vualdensis in objecto testimonio om- 606
nem negat necessitatem antecedentem, etiam conditionalem, tanquam periculosam, supra humanas voluntates, sibi contradicit in alio loco, & seipsum asserentem hanc periculosam necessitatem reprehendit. Cum autem hoc minus credibile sit de viro docto, nec id sibi sui sequaces

attri

Digitized by Google

attribuerint, necesse est secundùm illud supra positum fateantur, & omnia illius dicta ex concordia manebunt; Quod nempe in illo opposito testimonio solùm antecedentem necessitatem absolutam negaverit. Quod ex eo præterea constat, quia ibi illam absolutam necessitatem, quam Vuicleph statuit, damnabat. Quod si ipse arbitratus est illos magnos viros, quos nec nominat, illam absolutam necessitatem periculosè defendere minùs eos intellexit, nulli enim sunt theologi aut magni viri intra Ecclesiam qui illam admiserint, cum illa plenè destruat libertatem, sed tantùm necessitatem conditionalem ex Sancto Thoma, & omnibus rectè sentientibus defendunt & docent quæ nostram salvat libertatem.

607 Secundo loco objiciebatur Pyghius *lib. de grat. & lib. arb. contra Calvinum.* Vbi hanc necessitatem antecedentem, & determinationem negat, sicut minus salvantem libertatem: sed idem omnino dicendum ad Pyghium, imò generaliter ad alios controversistas, quod tantùm illam priorem, seu antecedentem necessitatem, seu efficacem motionem negaverint, quæ ab illis contra quos agebant, Calvinistas nempè, malè ponebatur. Hæc autem erat necessitas prior absoluta, & libertatem tollens: ergo hanc solam ipsi negarunt. Intelligendi enim Doctores sunt & explicandi iuxta propriam materiam quam tractant, & iuxta finem quem intendunt, & non aliter, ut est satis omnibus notum. Finis istorum erat Calvinum impugnare & illius efficacem motionem tollentem libertatem ac illam necessitatem antecedentem quæ libertatem negabat, quæ sola est necessitas absoluta: solam ergo istam negarunt, nec materia, quam agebant aliud postulabat. Vnde quoties ipsi dicunt necessitatem antecedentem tollere libertatem, vel quoties damnant illam necessitatem antecedentem, semper intelligunt illam quam ex professo in Calvino impugnabant, & illam solum negant, nisi expressis verbis dicant necessitatem non solùm absolutam, sed etiam conditionalem tollere libertatem. Quod si hoc sub expressis verbis haberent, illos planè possent pro se inducere authores citati. Sed cum hoc in eis non inveniatur nec ex ipsis aliquid affertur quod veritati repugnet.

608 Addiderim etiam quod cum ipsi totaliter insisterent in illo errore extremo Calvini extirpando, quo ipse contendebat efficacem Dei motionem & necessitatem divinæ voluntatis prioris tollere nostram libertatem. Non mirum si aliquando excesserint & ad contrarium dogma Pelagij tantisper declinaverint, dum perfectam mediam viam fortè aliquando non tenuerunt; nec hoc tamen dicimus assertivè sed conditionaliter tantum. Solum enim in hac materia & causa hoc contigit magno Doctori Augustino, & eis qui illius postea doctrinam sequuntur & admirantur, ut ita perfectè extremum Pelagianorum errorem damnaverit, quod nullo modo ad sinistram declinaverit, errori Manichæorum, & Calvinistarum in aliquo cavendo; imò ut ipse palam docet, mediam viam securam, & Catholicam semper tenuit qua pariter utrumque extremum errorem damnavit, & ideo eius doctrinam Ecclesia Catholica in hac causa suam fecit, quemadmodum Summi Pontifices definierunt de quibus supra.

609 Si ergo controversistæ clariùs & efficaciùs istam materiam contra Calvinum tractassent, triplicem prævenientem motionem apertius debuissent distinguere: primam tantum suadentem, invitantem, & allicientem præcisè, & hanc refutare deberet sicut errorem Pelagianum: secundam rapientem, & per modum naturæ efficaciter moventem arbitrium sine eius libertate, & hanc sicut illi priori per extremum oppositam tanquam a Calvino assertam deberent destruere. Tertiam mediam inter utramque quæ sic excitans, & adiuvans efficax gratia, quæ proinde ita ex Deo efficax venit ut salvet arbitrium, & ipsum secum faciat cooperando magna cum sua libertate consentire. Et hanc ut Catholicam salvantem Dei potentiam supra creatum arbitrium, & illius perficientem libertatem: ac utrumque extremum relatum damnantem, ut Catholicam debebant amplecti. Quod quia sic clarius nec distinxerunt, & tradiderunt occasionem præbent, ut ij authores cum quibus agimus putent eos illi primæ ex istis tribus relatis assensisse sententiæ.

Inducebatur tertio quid Ioannes Maria Carme- 610
litanus, qui negabat in *quinta quadam concluſ.* Deum determinare voluntatem ut illius salvet libertatem: sed potest intelligi de determinatione ad unum, & per modum naturæ, & quod tantum istam neget. Quod si aliam non intellexit vel intellectam seu cognitam non penetravit, ipsamque negare libertatem dixit, in hoc erravit. Nec enim opus est omnes minimæ vel parvæ authoritatis ab errore liberare, vel illorum dictis aliquam fidem adhibere.

Clitoveus *quarto libro* objiciebantur in *quodam* 611
capite de libero arbitrio contra Lutherum §. Ad hæc autem: Franciscus Barlearius opusculo contra dogmata Calvini, Antropologia etiam contra ministros, efficacem Dei motionem & determinantem voluntatem inficiantes.

Sed respondemus prout supra eos tantum illam 612
efficacem motionem seu determinationem, quam Calvinus astruebat lædentem libertatem impugnasse, nec de alia ibi sermonem instituisse.

Quinto loco opponebantur & *in 1. quæst. 3.* 613
dist. 14. & Armacanus *lib. 16. cap. 7. suarum quæstionum* ac Ioannes de Bononia, etiam efficacem Dei prædeterminationem oppugnantes. Sed eadem responsio est; sunt enim omnes hi inducti authores minimæ, vel nullius authoritatis, ut sive hoc, sive illud dicant, veritati de efficaci Dei motione salvante libertatem aliquod possint inferre præiudicium, quam Scripturam sacram tradere, Pontifices Summos definisse, Concilia determinasse, sanctum Patrem Augustinum docuisse, sanctos Patres observasse, sanctum Thomam defendisse, & graves antiquiores Scholasticos amplexatos fuisse ostensum est supra. Vel dicatur eos illam Calvinianam prædeterminationem rapientem arbitrium sine libertate, contra quam disputabant, tantùm negasse non aliam quam vel non cognoverunt vel non explicarunt.

Et quidem Ioannes à Bononia efficacem Dei 614
prævenientem gratiam defendit, sic enim in fine, sui libri & pag. 11. dicit: *Quare assentire gratiæ divinæ est etiam bonum præstantissimum, & id sine dubio proficiscitur à patre luminum. Vnde qui assentitur non habet unde glorietur nisi, in Christo.* Quibus verbis istorum authorum sententiam damnat, & verè efficacem gratiam defendit. Et statim post pauca; *Est enim utrumque gratia Dei operantis opus posse bonum, & velle perficere, idcirco docuit Paulus cum timore, & tremore nos debere nostram operari salutem. At ne nos metuerimus ad eam non posse nos pertingere, cum certum sit id minimè nostris viribus fieri posse, subiungit nos habere Deum ducem, & patronum, qui efficaciam toti operi præbeat, & voluntatem nostram, ac opus sic formet; ut nec minima quidem operis portio sit arbitrij,*

Digitized by Google

arbitrij, quin & eadem principaliter sit gratia, & Deo ascribenda.

615 Apertissimis his verbis efficaciam divinæ gratiæ multipliciter statuit, primo dicendo quod Deus efficaciam nobis tribuit, quid clarius? Secundò quod voluntatem format? Tertiò quod nec minima portio (st arbitrij quæ Deo non sit tribuenda; per quæ ultima verba adversarios condemnat: qui influxum bonum arbitrij, & bonam determinationem non ex Deo haberi, sed ex arbitrio solùm suadere laborant.

616 Sexto loco opponebatur Cardinalis Bellarminus *libro primo de gratia & libero arbitrio, cap.* 12. §. *Est igitur alia sententia*, ubi illam de physica prædeterminatione dicit aut esse omnino eandem cum errore Calvini, & Lutheranorum, aut parum ab illo distare. Et *libro secundo de gratia & libero arbitrio, cap.* 14. §. *hæc sententia*, ubi illam iterum impugnat seu minùs libertatem conservantem. Et similiter opponebatur Gregorius de Valentia 1. 2. *disput.* 8. *puncto quarto, in materia de gratia.*

617 Ad quod respondemus primò quod isti authores sic dicunt, sed hanc illorum sententiam impugnamus, quia omnes de societate, exceptis quibusdam paucis, quos retulimus tertio nostro libro hanc suam suasoriam, & invitantem, sive allicientem Dei excitationem introducunt, ut negent veram Dei efficaciam supra nostram libertatem. Respondemus secundo Cardinalem Bellarminum sui memorem esse debuisse; nam in *eodem* 4. *libro de gratia, & libero arbitrio cap.* 11. ita dixerat. *Tertiò est observandum posse quatuor modis voluntatem à Deo inclinari, ad aliquid appetendum vel fugiendum: Primò efficienter, & physicè immediatè illam movendo, & determinando ad unum. Nam si potest ipsa se determinare, cur non possit etiam Deus eam determinare.* Notanda valde ista verba sunt, *cur non possit eam etiam Deus determinare*; quæ revera evidentissima sunt; quod si voluntas sine læsione suæ libertatis se potest determinare, etiam Deus sine libertatis læsione eam determinare póteſt, cum magis ipse habeat in sua potestate hominum voluntates, quam ipse suas, ut præcedenti capite ex Sancto Patre Augustino relatum est. Sequitur præfatus Cardinalis, & posito alio modo movendi voluntatem, ita concludit: Et hos *duos modos notavit Sanctus Thomas quæst.* 22. *de veritate art.* 8. Quod si agnitam Sancti Thomæ doctrinam de physica prædeterminatione ipse velit in oppositis locis damnare; nos respondemus, quod & aliquando responsum fuit, aliter summos Pontifices, de quibus egimus *tertio nostro libro* doctrinam Sancti Thomæ honorasse, & commendasse: Vt enim plures omittam ubi supra relatos sic de doctrina Sancti Thomæ Innocentius sextus dicit: *Huius doctoris doctrina præ cæteris exceptâ Canonicâ habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit inveniatur à veritatis tramite deviasse; & qui eam impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus.* Cum ergo hæc dicat Pontifex summus adversus eos qui doctrinam Sancti Thomæ impugnant, multò magis adversus eos hæc profecto docent qui attentant doctrinam illius qualificare. Sed, & ipse illustrissimus Cardinalis *eodem libro quarto de gratia, & lib. arb. cap.* 16. illa protulit de hac sententia Sancti Thomæ non mediocre testimonium sub his verbis in principio illius capitis expressum: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione divina, & fortasse etiam probabilior est iuxta sententiam Sancti Thomæ, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum secundis causis etiam liberis, ut non solùm eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognosci potest ex* 1. *part. quæst.* 105. *art.* 5. *& libro* 3. *contra gentes cap.* 70. *& in quæst.* 3. *de potentia art.* 7. *Quæ sententia videtur valde consentanea, tum scriptura quæ dicit nos in Deo esse, vivere, & movere Actuum* 17. *tum etiam rationi, & ordini quem habet prima causa cum secundis. Nec laborandum est in hac sententia ut ostendamus nihil omnino fieri sine Deo.* Si ergo in duobus obiectis testimoniis efficaci prædeterminationi Cardinalis Bellarminus contradicit, in aliis duobus in eodem primo, & secundo libro ipsam defendit. Nec negativa quædam non resistentia qua vult sancti Thomæ sententiam explicare in hoc ultimo citato loco admittenda, sed penitus fugienda est, ut in secundo nostro libro copiosè probavimus.

Præterea inducebantur Alphonsus de Mendo- 618
za *in quodlib. quæstione* 6. Ioannes Antonius Delfinus *lib. de iustificatione, vers. de multiplici* & Stapletonius *feria* 6. *prima hebdomadæ* & in *Matthæi cap.* 25. parabolam de talentis explicans. Respondemus nullam aut parvam authoritatem hos tam modernos authores habere in hac gravissima materia & causa, quia illi sequuntur horum authorum, quos impugnamus, doctrinam, quæ sicut alia nova placere solent, placuit, & ipsa multis à principio quousque ventilata, discussa, & perfectè examinata fuit, nam tunc plures ab illa recesserunt.

Et quidem de Stapletonio dicendum illum in 619
utroque tomo super Evangelia, & in promptuario Catholico malè de divina gratia fuisse loquutum; quia totam eius efficaciam in illa congrua vocatione sub scientia media, quam ille vocat scientiam simplicis, intelligentiæ constituit, ut patet *primo tomo. cap.* 37. *pag.* 101. Idem dicit *pag.* 286. Vnde *pag.* 293. pro illo Ioan. *Ego scio quos elegerim*, citat explicationem sancti Patris Augustini, & illam rejicit: in *pag.* verò 335. consequenter non loquitur ad superiora, dum dicit quod efficacia gratiæ non dependet à cooperatione nostra, cum tamen sit manifestum congruam illam vocationem, ut probatum est supra, in sua efficacia à nostra pendere cooperatione. Item *secundo tomo cap.* 11. refert Gregorium de Valentia, & Molinam pro firmanda scientia media, & ut plura omittam in promptuario *pag.* 100. habet hæc verba: *Ac per hoc Dei gratia sicut, & Christi miracula non procedunt ab absoluta aliqua Dei voluntate infallibili, quâ scilicet quomodocunque dispositos Deus sanare velit sed procedit à voluntate Dei antecedente, quâ paratus est Deus sanare, & Christus miracula facere, ubi ex parte voluntatis humanæ impedimentum non erat.* Qua verbum Fausti, & Cassiani, & aliorum Semipelagianorum sententiam redolere manifestum est. Vnde cavendus est & Stapletonius sicut sancto Patri Augustino contradicens, & Pelagianis favens. Vt enim evitaret Calvinismum incidit magna ex parte in Pelagianismum, nesciens mediam viam inter utrumque tenere.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

Aliæ ſolvuntur objectiones ex Scholaſticis Doctoribus oppoſitæ.

620 DEinde in ſecundo ordine inducebantur Alenſis 1. *part. quæſt.* 40. *membro* 4. *in* 3. *argumento*, & Cardinalis Ægidius *quodlib.* 4. *verſus finem* reſpondemus jam ſupra manere probatum Alexandrum Alenſem, & Ægidium potiùs pro efficaci Dei gratia ſtare, & adverſarijs à quibus inducuntur contradicere.

621 Opponebantur etiam Ocham in 1. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 2. Henricus de Gandavo *quodlibeto* 9. Gregorius de Ariminio in 1. *dist.* 38. *part.* 2. *art.* 3. Caſtronovo in 1. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. Gabriel *in* 2. *diſt.* 38. *quæſt. unica.* Ad quod dicendùm ipſos, utpote nominales qui in alijs plurimis erraverunt & communiter à Scholis reprobantur, nec fuiſſe inducendos in hac materia, & cauſa: nullius enim momenti eſt quidquid, vel pro, vel contra dicant, vel affirment, illos ſequantur. Similiter allegatur Didacus de Payva *lib.* 4. Carthagena *libro de prædeſtinatione, & reprobatione* Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 45.

622 Reſpondetur Cordubam ſolum (ut dictum eſt ſupra) contra Scotum, & Scholam ſuam tenere. Vnde vel ipſe ſolus in ſuo ſenſu, malè abundat, Scotum enim ſequi debebat, & alios doctores Scholæ ſuæ, & non eſſe ſingularis. De Carthagena diximus *libro noſtro* 2. *de prædeſtinatione:* de Didaco Payva multa poteramus inducere, quibus veram gratiæ prævenientis efficaciam ipſe ſtatuere videtur ſed pauca referam *libro* 4. *pag.* 138. Dicit quod, ut oblatam gratiam valeamus amplecti, utraque virtute roboramur. Et ibi dicit quod per potentiſſimam gratiam Deus non ſolum nobis tribuit, ut converti poſſimus, ſed ut convertamur. Et iterum ait, quod gratia voluntatem confirmat, & quod arbitrium impulſionem Spiritus Sancti ſequitur: quæ impulſio gratiam efficacem oſtendit. Et *pag.* 141. loquens de gratia prævenient qua homines convertuntur, dicit *Etſi gratia hæc quæ ad operandum neceſſaria eſt, & velle facit, non ſit quæcunque inſpiratio, aut cogitatio ſancta, ſeu boni propoſiti ſuggeſtio, ſed efficax Dei operatio; quamvis hæc omnia vera admittamus, & ex divo Auguſtino varijs in locis elici poſſe concedamus, tamen ſemper liberum relinquitur divinæ operationi, præbere impedimentum, eamque eam amplecti vel repudiare.* Per hæc autem uſtima verba, licet non ita propriè loquatur, tantùm intendit manere liberam potentiam poſitâ in voluntate illa efficaci gratia, quam præmiſerat: niſi fortè velit ipſe illam explicare efficaciæ gratiam per illam moralem congruitatem. Quod ſi ita eſt illi pariter ac his, qui illum inducunt, contradicimus, eoſque nimis falli in hac parte conſtanter aſſerimus, ut ex toto iſto libro plenissimè manet oſtenſum.

623 In tertio ordine opponebantur qui dicunt, quod ſi Deus prædeterminat ad actionem quæ eſt in peccato, quatenus entitas, & actio eſt, etiam prædeterminat ad Malitiam. Sunt autem Durandus in 1. *diſt.* 47. *quæſt.* 1. *art.* 6. Carthagena jam citatus *verſ. dico* 2. Vvalden. *lib.* 1. *cap.* 28. Cumel 1. *part. quæſt.* 22. *art.* 4. *concluſ.* 5. Ad quod in primis reſpondemus, non debuiſſe hos Authores in hac cauſa allegare Durandum, quem conſtat propter tale argumentum negaſſe errando Dei concurſum. Nec Ocham, qui ſimiliter contra Eccleſiam rebellando erravit; nec Armacanum qui negavit Dei providentiam circa futura contingentia. Ab his errantibus quale patrocinium hi authores poſtulant?

Dicimus ſecundò Authores citatos graves; ut Cumel, tantùm negaſſe, movere Deum ad materiale peccati, ut materiale eſt, non tamen negaſſe quod ad actionem, quæ eſt in peccato, ut actio & entitas eſt, Deus moveat. 624

Dicimus tertiò nos hic agere de efficaci gratia non de motione ad entitatem quæ eſt in peccato; de hac enim copioſè *libro tertio* tractavimus. 625

Dicimus quartò omnes inductos authores tantùm diſputare contra hæreticos huius temporis, & ſolùm contra ipſos negate efficacem prædeterminationem tollentem libertatem, non illam quæ libertatem ſervat. Quod ſi aliqui etiam iſta negarunt cum contra ſententiam Sancti Patris Auguſtini, cui ſtandum eſt, teneant, corrigendi ſunt, vel rejiciendi. 626

Duos tamen ex controverſiſtis graviores pro ſe inducunt tandem ij authores, Ruardum Tapert, & Ioannem Driedo, primum *art.* 7. *ad argumentum Calvini*, ſecundum *in concord. lib. arb.* quos tamen oportet attentiùs intueri, & nihil eos dixiſſe contra prævenientes Dei divinam efficaciam erit manifeſtum. Et de Ruardo Tapert qui fuit egregius controverſiſta, ac proinde multi ponderis eſt; quod neget divinam prædeterminationem. Ruardus enim Tapert *citato art.* 7. *de libero arbitrio pag.* 216. ſic ait: *Gratia autem ad operandum neceſſaria eſt motio, quâ Deus applicat intellectum ad cogitandum ſalutaria, & voluntatem ad ea bene afficit: ſic autem his viribus divinitus applicatis, & motis per eas liberè operamur, hoc eſt, per liberum arbitrium ſicut principium effectuum, cuius ratio agendi eſt divina motio, aut vis intentionalis ei impreſſa, quaſi inſtrumento à cauſa principali.* Audiunt ij authores, qui hunc opponunt, eum vim impreſſam libero arbitrio fateri, & motionem quâ Deus applicat voluntatem (quam applicationem ipſi perpetuo negant, quia vident eſſe efficacem & prædeterminantem) & dubitant ipſam prædeterminationem defendere. Audiunt ipſum palam docere, Deum ut cauſam principalem illa vi & motione movere arbitrium ut ipſius inſtrumentum, & adhuc non vident Ruardum eis contradicere? Deinde *pag.* 217. proponit contra hanc efficaciam gratiæ argumentum Achille ipſorum authorum ſic objiciens: *difficillimum namque eſt intelligere quod Deus operetur ipſum velle utens voluntate tanquam inſtrumento, ipſam applicans ad opus, ſicut intellectum ad ſalutares cogitationes, ut docent ſcripturæ; ipſam tamen voluntatem ſic applicatam, & motam ad opus bonum, nihilominus poſſe, & in ſua habere poteſtate liberè eligere, & velle contrarium, & refutare opus ad quod moveatur, vel non moveatur, potiſſimè comparatione Dei, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt; qui ut omnipotens plenum in omnia habens Dominium multò magis quam figulus in vas quod format, vel maſſam ex qua lutum ſumit. Non igitur in poteſtate liberi arbitrij eſſe videtur agere, vel eligere aliud quam agit, vel eligit cum non operetur niſi motum: Motum autem videtur non poſſe ceſſare vel agere aliud quam ad quod movetur.* Hoc eſt unicum, & totale argumentum in quo fundantur authores, cum quibus agimus, pro oppugnanda efficaci prædetermina- 627

Digitized by Google

tione: sed illius audiant solutionem à Ruardo statim adhibitam, sequitur enim. *Sed hæc obiectio, & difficultas non minùs adversatur libertati voluntatis in naturalibus, in politicis, in quibus etiam per divinam providentiam movetur & determinatur ad opus. Cuius propterea providentiæ concordia cum arbitrio superat omnem intellectum, ut docet Caietanus circa quæst. 22. in prima parte B. Thomæ art. 4. itaut magis fide credatur quam plenè intelligi possit. Et illustrari potest hæc obscuritas, si consideremus Deum operari in unaque creatura secundum eius conditionem, & naturam: & propterea agentia libera ut instrumenta movere, atque ad opus applicare, itaut liberè, & contingenter ipsa operentur: suasio enim sola, sive à Deo fiat, sive ab homine, non movet voluntatem efficaciter; quia solùm in genere causæ finalis, & obiectivè movet, etsi activè non sufficienter.* Et iterum sic concludit: *Ex quibus patet quod sicut instrumentum nihil operari valet, nisi motum à principali agente, ita nec voluntas, nec liberum arbitrium nisi à Deo ut authore naturæ per virtutes naturaliter insitas ad opera naturalia moveatur, & ad opera pietatis.* Quod ex doctrina sancti Patris Augustini ubique à sancto Doctore tradita profitetur. Nullus planè potest, nec nos valemus clarioribus verbis & efficacioribus efficacem Dei prædeterminationem tradere, defendere, & explicare, quàm à Ruardo Tapert proposita fuerit, & tradita verbis prædictis: Primò namque in argumento, quod opponit ut difficillimum, docet secundùm Scripturas Deum movere, & applicare intellectum & voluntatem ad agendum & uti humanis voluntatibus sicut instrumentis, ubi non solum applicationem efficacem, & prædeterminationem quomodolibet tenet; sed Scripturas sacras illam docere manifestè pronuntiat. In quo de fide esse hanc efficacem applicationem, & prædeterminationem Dei clarè protestatur. Ad quæ verba si tantisper attendere vellent ij authores, qui illum pro se inducunt, nec illum opponerent, nec efficacem Dei applicationem, & prædeterminationem respectu humanæ voluntatis, aliquo modo oppugnarent, ne convincantur per authorem à se adductum, quod Scripturis divinis in hac sua oppositione adversentur. Hoc igitur primò in Ruardo Tapert est diligentiùs expendendum deinde quomodo illud argumentum, quo isti authores convincuntur ad impugnandam divinam efficacem prædeterminationem, clarè solvit eâdem doctrinâ firmissimâ qua sanctus Thomas illud diluit iam supra relatus. Tertiò qualiter expressis terminis illam istorum congruam vocationem suasoriam, & invitatoriam internam, & à solo Deo immissam excludit, & reprobat quia finaliter tantum, & obiectivè (ut rectè ait) movet, non autem efficaciter: Et tandem semper confirmat voluntatem non posse agere, nisi à Deo ad modum instrumenti moveatur, applicetur, & ad agendum determinetur. His enim vocibus ipse usus est, ut ex relatis patet attendant ergo quomodo egregius controversista contra Calvinum Ruardus secundum Scripturas divinam prædeterminationem defendat.

628 Præterea idem Ruardus *pag.* 226. ita dicit: *Ponam aliquot propositiones primò circa libertatem arbitrij, quas & omnia quæ hic & in sequentibus dicturus sum, quæque superiùs dixi iudicio Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ, & omnium rectè sentientium subjicio.* Et inter has fundamentales propositiones in tertia ita dicit: *Intelligitur præterea gratia, operatio ipsa Dei efficax, qua hæc dona, fidem, conversionem, & opera pietatis, & horum initia in nobis operatur.* Et statim constituit quæstam propositionem seu conclusionem sub his verbis: *Omnes gratiæ quæ sunt in nobis operandi principia, aut quibus dirigimur, & protegimur, & universa quæ præcedunt tempore, vel naturâ Dei operationem efficacem, esse possunt sine usu, & fructu, & in vanum à nobis accipi, ita ut eis positis possimus non credere, non converti non benè operari, nec voluntatem adducunt necessariò.* Ac in quinta conclusione ita subiungit: *Sola gratia efficacis operationis divinæ posita, necessariò sequitur effectus, quem operatur fides scilicet, conversio, perseverantia, & opus bonum; quamvis simpliciter per arbitrij libertatem possint non fieri.* Potuit ne clariùs aut efficaciùs pro antecedenti efficaci gratia aliquid proferre egregius ille controversista Ruardus contra istos authores? Certè non potuit. Et tamen illum pro se inducunt, & per hæc intelligendum est & explicandum id quod alibi Ruardus dicit æquali auxilio gratiæ stare quod unus convertatur non alius, quod isti authores ex ipso obiiciunt: intelligit enim cum æquali auxilio sufficienti non efficaciter movente, quia hoc necessariò, ut ait, necessitate ex suppositione semper producit effectum.

Ad alium secundum etiam doctissimum con- 629
troversistam Ioannem Driedonem veniamus, qui his authoribus non favere, sed illis potentissime resistere, & illorum sententiam refellere, ac nostram sequi, quæ sequuntur ostendunt. Primò libro *de Concordia fol. 43. pag. 1.* Ita dicit *sic enim argumentatur Apostolus Paulus. Si per legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est, & ita non sequitur Deum sua prædeterminatione neque dirigere, nec determinare hominum voluntates ad opera bona verum quidem est homines iam Dei prædestinatione iustificatos suis studijs, suis circunspectis deliberationibus, suisque consilijs rectis seipsos determinare ad bonorum operum electiones, sed Deus facit eos bene vivendo Spontaneè determinare seipsos, & omnia hæc facere libera voluntate.* Ecce docet Deum facere quod homines se liberè determinent ad bonum, dicens quod sua prædestinatione eos ipse determinat, quia negat sequi, eos Deum non determinare, & *fol. 46. pag. 2* referens argumenta quibus malè aliqui inferunt tolli libertatem hominis ex ista efficaci Dei motione ita habet. *Illa enim sunt antiqua hæreticorum retia iam olim ab initio trita, eventilata, & absoluta à patribus scientibus in Scripturis sacris nobis revelatum esse, huiusmodi consequentias esse invalidas, quibus ex divina præscientia, prædestinatione, electione, seu infallibili, & sempiterna voluntate concluditur absoluta rerum futurarum necessitas; nam præscientia Dei, & efficacia voluntatis illius exigit non solùm ut illud existat, quod Deus præscit,* & vult illud *existere, &c.* Ad quæ verba si vel ea legere voluissent ij authores, illa argumenta non conficerent contra Dei efficacem gratiam, quod ex ipsa tollatur hominum libertas, quæ Driedo dicit esse antiqua hæreticorum retia iam à patribus trita, & comminuta. Nec illas deducerent consequentias, quas dicit invalidas esse per revelationem ex Scripturis sanctis nobis traditam: & multo minus authorem pro se inducerent qui tam acriter eis contradicit & sententiæ ac argumentis quibus illa fundatur.

Deinde folio 117. pag. prima, declarans in quo 630
hæretici, fallantur in his consequentiis ita habet. *Confert autem huic materiæ intellecta distinctio dialectica de necessitate consequentis, & consequentiæ*

Digitized by Google

tia multa enim sunt consequentia necessaria, quarum consequens est contingens; sed hæreticus ne hac distinctione vinceretur, & concluderetur, victus libidine contradicendi singulis & universis Ecclesiæ doctoribus, nisus est destruere omnem dialecticæ artis vigorem; refellens maximè eam doctrinam, quæ de diversitate inter necessitatem consequentiæ & consequentis tractat, quam tamen ex Scripturis sacris semper ab initio intellexerunt Ecclesiæ Patres Tertullianus, Origenes, Chrysostomus, Ambrosius Augustinus, &c. Quam proculdubio necessariam distinctionem sicut par est receperunt ij authores nec illam malè exponerent, ut impugnarent, tota illorum in hac parte cessaret contentio, ut alibi dedimus notum.

631 Tandem idem author *de captivitate & redemptione generis humani tractatu 6.* Ita dicit: *Est quartus modus Dei gratiam concipiendi secundum quam Deus suâ gratiâ iuvans hominem potest intelligi sese habere ad liberum hominum arbitrium, sicut artifex sese habet ad instrumentum; Quemadmodum is qui scribit aut ligna secat, ad opus movet calamum, aut securim, aut serram ita Deus, &c. Vnde solet dici*, inquit, *quod liberum hominis arbitrium operatur sub Deo instar causæ instrumentalis sub principali movente videtur autem hac via intelligendi gratiam fundari in Scripturis docentibus Deum movere hominem ad actionem & motum.* Et iterum; *Quemadmodum enim homo facit calamum aut serram facere vel scribere aut ligna dividere; ita & Deus significatur in Scripturis facere ut nos faciamus.* Hoc autem magis exponens subdit statim. *Habent quidem ista similitudinem sed non omnimodam æqualitatem, similitudinem quidem in eo quod liberum hominis arbitrium à Deo recipiat non vires solum seu possibilitatem operandi, sed & motum ac actionem qua fiunt opera bona: in hoc tamen est dissimilitudo, quod instrumentum non ex libero suo rationis indicio, sed necessitate & vi quadam impellitur ab artifice.* Et *folio 153. pag. 2.* ita concludit. *Vnde & hac ratione Pelagiani à sanctis Patribus coarguuntur, quod gratiam Dei non ducem, sed comitem dixerunt esse humanæ voluntatis; nam è contrario res se habet nimirum humanam voluntatem esse pedissequam, comitem atque ancillam.* Addens paulò inferiùs: *loquitur enim sanctus Augustinus de prædestinationis, seu perseverantiæ gratia, qua ex massa perditionis electi certissimâ Dei præscientiâ, & indeviabili providentiâ liberantur:* In multis gravissimus iste controversista authores, qui eum inducunt, redarguit: primò quia ipsi pariter gratiam Dei non præviam sed comitem volunt esse humanæ voluntatis, cum & gratiam, & voluntatem causas partiales constituunt, quod alibi ostensum est abundanter: deinde, quia sicut & Ruardus Tapert ex Scripturis sacris dicit haberi, quod Deus moveat hominum voluntates sicut artifex Serram vel calamum; hoc enim dicens contra Calvinum agebat, nec tamen timuit Scripturæ adversari cum efficacissimam Dei motionem, supra humanam voluntatem constituit. Vt enim vere doctus, & pius impium Calvinum de negatione libertatis ita redarguit, quod simul efficacem Dei motionem moventem libertatem ad modum quo instrumentum movetur à principali agente, cum Scripturis sacris confessus est. Quod si illum isti authores sequerentur nobiscum, imo veritati consentirent: nec contentione tanta efficaciam prævenientis gratiæ [qua Deus verè & efficienter facit nos liberè velle, & operari non suadendo, vel excitando solùm moraliter] quotidie impugnarent. Sed de Scholasticis Doctoribus satis.

CAPVT XXXVII.

Rationibus efficacis gratiæ efficiens prædeterminatio monstratur.

POst Scripturas divinas, Summos Pontifices, 632
Concilia sacra, sanctos Patres potissimè Augustinum, & Thomam, & Scholasticos Doctores, quibus veritas de efficaci Dei prævenientis sive prædeterminantis gratiæ copiosè ostensa est, & ex eisdem antiqua argumenta noviter opposita de ablatione libertatis contrita, & comminuta fuisse pariter ostensum est: sicut & illa quæ contra veritatem ex divinis litteris, & Patribus habita instantiam faciunt, ut signanter ex sancto Patre Augustino, Hieronymo, Prospero, Hilario, Fulgentio, sancto Thoma, Bonaventura, Scoto, cum Schola sua, & his duobus insignibus controversistis, qui contra Calvinum disputarunt, visum est supra. Superest ut Theologicis rationibus, quod in gravissima hac materia ultimum sibi vendicat locum, eam veritatem ostendamus, quas non ex nobis placuit, vel invenire, vel inventas modulo nostro formare, sed quas sapientissimus Guillelmus Estius, Primarius Professor in insigni universitate Duacensi ut verè pius priùs formavit, & formatas tradit eisdem verbis, sicut ad nos delatæ sunt; proponere, & omnibus exhibere ut illi magno Doctori, & in his temporibus optimo defensori divinæ gratiæ à Theologis cognitæ, & receptæ, debeantur.

Proponit ergo egregius iste Doctor explicandum 633
quo sensu gratia dicatur efficax & pro illius resolutione (ut integrum brevem illius tractatum de verbo ad verbum referamus) dicit. [Quamvis secretissima sit operatio Dei in homine, & soli eius largitori ad plenum cognita, ut verè dictum sit ab Augustino *libro 2. contra literas Petiliani cap.* 84. paucos esse qui valeant intellectu penetrare, quomodo Deus per gratiam homines attrahat, & nihilominus eos dimittat libero suo arbitrio; ea tamen quæ de eiusdem gratiæ operatione nobis in Scripturis sacris, Ecclesiæ traditione, Patrumque doctrina patefacta sunt, incunctanter ab omnibus suscipi, & retineri debent; etiam si ad ea intellectu comprehendenda plerique tardiores simus, qualia sunt Deum operari in nobis ipsa opera, & facere ut faciamus, trahere nos ad se, convertere corda, mutare voluntates, dare pœnitentiam, obedientiam, & consensum boni: Denique ex contumacibus humiles, ex nolentibus facere volentes: atque alia huiusmodi, quæ adeò certò probant efficacem gratiæ divinæ circa liberum hominis arbitrium, ut nemo sit Catholicorum, qui efficacem Dei gratiam non confiteatur. Verùm ubi quæritur quo sensu gratia dicatur efficax: non eadem est omnium sententia: imo de hac re variæ, multumque diversæ inter Theologos enatæ sunt opiniones, quas hic breviter recensebimus.

Vna opinio est gratiam efficacem consistere in 634
aliquo dono, quod homo iam præventus à gratia vocante, & excitante possit cum auxilio Dei consequi per pium usum sui liberi arbitrij, quodque in uno genere causæ sit natura prius quàm ipsa libera conversio, & in alio genere posterius. Hoc autem donum consistere in infusione habituum gratiæ ac virtutum, quatenus per eos habitus mens hominis roborata

Digitized by Google

roborata elicit actum conversionis. Secundum hanc opinionem gratia efficax aut est gratia habitualis quatenus infunditur ; aut ipsa eius infusio quatenus scilicet per illam gratiam infusam liberum arbitrium elicit suam ipsius conversionem.

635 Alia opinio est eorum qui gratiam efficacem constituunt in assensu, & cooperatione humana; ita ut efficax dicatur gratia ab eventu, dum videlicet effectum suum sortitur per hoc quod voluntas humana eo cooperatur. Ex hac opinione consequens est & ab authoribus qui ita docent conceditur, situm esse in potestate liberi arbitrij perficere.

636 Tertia opinio constituit gratiam efficacem in vocatione sive suasione interna, qua Deus ita movet hominis voluntatem, quomodo videt eam consensuram scilicet proponendo ea homini quæ novit menti eius, & ingenio congruere. Vnde hanc gratiam novo nomine vocant congruam.

637 Harum opinionum prima manifestè deficit in eo quod gratiam efficacem non agnoscit nisi in infusione gratiæ habitualis, qua peccator iustificatur cum nulla sit dubitatio agnosci eam oportere ad singulos actus veræ pietatis, tam præcedentes, quam consequentes ipsam iustificationem. Omnes autem tres in eo deficiunt quod secundum eas efficacia gratiæ Dei non sit omnino absoluta comparatione bonæ actionis, sed dependenter se habeat à consensu liberi arbitrij ut fatentur ipsi authores : Vnde & apud eos vocatur efficacia moralis : quare nullo modo sententiæ dicendæ sunt quia ut sæpius ostensum credimus semper reprobatæ fuerunt.

638 Quarta igitur sententia est eorum, qui gratiam efficacem constituunt in gratuita ac Benigna Dei operatione, qua propriè in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem, seu alium quemcumque actum veræ pietatis scilicet ipsum voluntatis actum efficienter attingendo : hoc est, voluntatem ipsam applicando, & determinando ad volendum, & eligendum bonum, quæ operatio physica vocatur, vel efficiens propriè dicta, qualis nimirum agnoscitur in Deo ad alios quoscumque effectus ab ipso procedentes. Quoniam verò fieri nequit, ut Deus voluntatem determinet, & non ipsa voluntas determinetur, agatque id, ad quod tanquam secunda causa applicatur à Deo; sequitur fieri non posse ut gratia ista non habeat suum effectum. Vnde hac ratione iuxta hanc sententiam efficax dicitur gratia Dei, nimirum efficacitate physica & propriissimè dicta.

639 Tres priores opiniones multis argumentis, & rationibus singulæ refelli possunt sicut efficaciter multis modis in istis nostris operibus reprobatæ sunt. Vnde nec de novo ipsas reprobare necesse est potissimè, quia veritate bene constituta & confirmata, quidquid ei contrarium est, statim ac per se corruit; ideò satis nobis erit quartam sententiam, quam & verissimam & sinceriſſimam, ut pote à sanctis patribus sicut catholicam traditam amplectimur, eorum rationibus stabilire.

CAPVT XXXVIII.

Rationes ex Scriptura, & Patribus pro absoluta efficacia gratiæ divinæ.

640 EX divinis literis & Sanctorum Patrum scriptis argumenta seu rationes quam plurimæ colligi possunt, quibus doceatur Dei gratiam efficaciter, & absolutè movere voluntates hominum iuxta sententiam paulò ante declaratam, quæ quidem rationes huius doctrinæ, fundamentales ac demonstrativæ dici possunt ; pleræque enim demonstrandi vim habent; & tales sunt ut ad unamquamque earum multa scripturæ testimonia & Sanctorum Patrum referri possint. Nos eas in hunc numerum, & ordinem reduximus, imo reductas & hoc ipso ordine formatas ex manuscripto doctissimi Guillelmi Estij duacensis Academiæ primarij professoris ante aliquot annos legimus, ipsasque postmodum in libris eiusdem qui supersunt vidimus ; sed quia ante talem impressionem jam istis nostris operibus insertæ erant nec eas iustum fuit alterare.

Prima ratio ex promissione Dei. Nam Deus 641
quæcumque promittit potens est, & facere; est enim promissio de his quæ præstanda sunt ab ipso promittente. Vnde Salomon 3. *prou.* significare volens Deum præstitisse quæ promiserat, sic eum alloquitur, *Ore loquutus es, & manibus perfeciſti*, videlicet ea quæ promisisti, ipse tua potenti operatione præstitisti. Promissiones autem ad gratiam novi testamenti pertinentes, huiusmodi sunt *Ezech.* 11. & 36. *Non propter vos ego faciam sed propter nomen sanctum meum...& dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri....& faciam, ut in præceptis meis ambuletis &c.* Et Hierem 31. *Dabo legem meam in viscеribus eorum & in corde eorum scribam eam.* Quem locum ad Hebr. 8. citat Apostolus. Qualis etiam extat promissio *Deut.* 30. Hoc argumento utitur Augustinus libro de prædest. sanc. cap. 10. *Deus* inquit, *non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines : quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit ; non illi faciunt, ut ipse faciat quæ promisit : Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Sic ille. Quæ extrema verba sine dubio sunt consequentia ex eorum sententia, qui operationem gratiæ dependentem constituunt ex conditione cooperationis liberi arbitrij, quasi non hæc ipsa cooperatio proprij sit effectus gratiæ. Vnde Sanctus Prosper conditionem hujusmodi à promissione Dei simpliciter removet & *libro 1. de vocat. gent. cap. 9.* Sic inquiens *monet prorsus & quotidie impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione, promisit, sine lege donavit.* Hanc autem promissionem deinceps secundum scripturas exponit de fide gentium & obedientia, & perseverantia bonorum operum.

Secunda ratio ex doctrina legis, & gratiæ 642
Nam ad legem spectat notitia agendorum, & fugiendorum : *Per legem enim* inquit Apostolus *cognitio peccati :* eodem pertinent omnes illustrationes, inspirationes, exhortationes, conceptiones terrores, suasiones, tam internæ quam externæ quandoquidem non tangunt affectum neque cor emolliunt. Proprius autem effectus gratiæ est amor, obedientia, voluntas bona, cor novum & spiritus novus. Vnde Pelagius constituens gratiam Christi in lege atque doctrina, quamvis ab ea non excluderet, inspirationes, & suasiones divinas haud quaquam patribus visus est rectam & sinceram gratiæ confessionem tenere eam differentiam legis, & gratiæ probat prophetica, & Apostolica doctrina maximè Pauli in Epist. ad Rom. & Galatas.

Tertia ratio ex Orationibus fidelium ac totius 643
Ecclesiæ

Digitized by Google

Ecclesiæ. Quidquid enim orando petimus à Deo hoc ipsum credimus Deum facere posse, & facturum speramus, & ut faciat expectamus, petimus autem à Deo non solùm illustrationes, & suasiones internas, quibus obiecta proponat voluntati sicut ei congruum novit ut sequatur, & velit, sed ipsam bonam voluntatem, electionem, acceptationem, atque ipsa bona opera: ergo ad hæc omnia extenditur efficax operatio gratiæ Dei. Probat hoc in primis oratio Dominica, qua dicimus: *Fiat voluntas tua: Et ne nos inducas in tentationem:* adeò ut *si alia documenta non essent* (ait Augustinus *libro de don. perseu. cap. 7.*) *hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus sola sufficeret*, & tamen eandem efficaciam gratiæ nobis evidenter monstrant & astruunt & aliæ preces Ecclesiæ, de quibus sic ibidem Augustinus: *Sed attendat* (nempe Ecclesia) *quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem, Orat, ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem &c.* Et Cœlestinus Papa *in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 10. Obsecrationum* inquit, *Sacerdotalium respiciamus Sacramenta, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi:* Ac deinde enumeratis ijs, quæ pro omni hominum genere orat Ecclesia ita concludit. *Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hac efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur* Præterea videantur Innocentius *Epistola ad Concil. Milevit.* quæ est apud Augustinum *Epist. 93.* & ipse Augustinus *Epist. 107. ad Vitalem.* Concil. Cartagin. sub initium *Epistola ad Innocentium* ubi argumentum hoc vehementer urget. Item idem August. *Epist. 252.* & *libro de don. persev. cap. 23.* Et cathechismus ad Parochos *tit. pro quibus orandum.*

644 Quarta ratio superiori connexa sumitur ab his quæ nobis à Deo præcipiuntur, nam ut ait Augustinus *libro 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. Nihil in scripturis sanctis homini à Domino video iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab eius bonitate, vel poscì propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Hinc illa est oratio Augustini frequentata in confessionibus, & contra Pelagij morsum defensa *lib. de dono persev. cap. 20. Domine da quod iubes, & iube quod vis.*

645 Item illud eiusdem *in Psalm. 118. lit. A. C.* & Prosperi ibidem: *Dona ipse quod mandas.* Quod sanè non aliud est dicere, quàm quod in Oratione Dominica dicimus *fiat voluntas tua; fac nos facere quod præcipis.* Huc pertinet quod Patres secundum scripturas, & fidem Catholicam docent gratiam præcepta legis implere atque perficere iuxta illud Christi authoris gratiæ Matth. 5. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Vnde & scripturæ sibi respondentes sunt dum loquuntur de præcepto, & de gratia ut, *facite vobis cor novum.* Ezech. 18. *Ego dabo vobis cor novum* Ezech. 36. & *Ambulate in præceptis meis, & faciam ut in præceptis meis ambuletis:* Ezech. 36. *Salutem vestram operamini Deus enim est qui operatur in vobis velle & perficere* ad Philip. 2. *Cor. 13. Perfecti estote:* & *oramus vestram consummationem* Psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus:* & *intellectum tibi dabo in via hac qua gradieris.* 2. ad Timoth. 2. *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum* Et Hierem 1. *ne formides à facie eorum nec enim timere te faciam vultum eorum.*

Quæ omnia manifestè convincunt hoc ipsum 646
à Dei gratia neri, aut expectari quod à Deo præcipitur, ipsam legis obedientiam; & non solam suasionem ad id quod præcipitur. Quam solam si Augustinus in prædictis verbis intelexisset, non fuisset cum irrisione reprehensus a Pelagio.

Quinta ratio ex gratiarum actione. Nam pro 647
bonis operibus Deo gratiæ sunt agendæ, non tantùm quia gratiam obtulit, sed etiam ipsum sequi, velle, eligere, acceptare, bene operari. Hoc enim totum comprehendi necesse est in plena & perfecta gratiarum actione, qualem pro omnibus bonis Deus à nobis exigit, dicente Apostolo, *in omnibus gratias agite*, & orante Ecclesia, *dignum, & iustum est æquum & salutare nos tibi semper & ubique in omnibus gratias agere.* Quam in agendis gratijs Ecclesiæ mentem clarè explicat Cœlestinus Pontifex verbis supra citatis, quibus dicit. *Quod adeò totum divini muneris esse sentitur, ut hac efficienti Deo, gratiarum semper actio laudisque confessio referatur* Atque hoc ipsum significatum esse in illis verbis salvatoris *Matth. 22. reddite quæ Dei sunt Deo*, intellexit Hilarius in commentariis.

Sexta ratio ex gloriatione; docent enim nos 648
Scripturæ de nulla re gloriandum nobis esse nisi in Deo *Qui gloriatur* (inquit Apostolus) *in Domino glorietur*, & *quid gloriaris quasi non acceperis.* Et Psalmista, *Psalm 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et peculiariter de operibus iterum Apostolus Ephes. 2. *Non ex operibus, nequis glorietur.* Vnde est illud Cypriani toties cum laude commemoratum ab Augustino *in nullo gloriandum, quia nostrum nihil est.* At verò si sola suasio vel gratiæ oblatio sit Dei, nostra autem sit acceptatio, & electio, & voluntatis ad bonum determinatio, plurimùm profectò vobis relinquitur in quo tanquam de nostro gloriemur. Multæ sunt in hanc rem Augustini, Gregorij, Bernardi, & aliorum Patrum, insignes sententiæ quas brevitatis causa præterimus. Illud omittendum non est, quod Patres Conc. Trident. sess. 14. cap. 8 professi sunt in hæc verba. *Non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est.*

Septima ratio ex virtute spei. Hæc enim in eò 649
consistit, ut non tantùm futuri sæculi bona sed etiam omnia media ad illa ducentia, (ut sunt potissimè bona opera, & sancta desideria, & bona voluntas) à Deo authore & largitore expectemus. Quam spem tam multis orationibus publicis Ecclesia profitetur, ut superiùs ostensum est.

Octava ratio ex virtute humilitatis, & ex op- 650
posito vitio superbiæ. Ad virtutem enim humilitatis propriè pertinet, ut homo nihil boni in se cognoscat, nisi datum à Deo iuxta illud. *Quid habes quod non accepisti.* Vnde Augustinus *lib. de don. persev. cap. 13.* sic ait; *Hoc nobis expedit & credere & dicere. Hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo.*

Nona ratio cum superiori coniuncta ex lapsu 651
Sanctorum. Nam Sanctos idcirco permittit Deus interdum labi in peccata, ut agnoscant non suæ voluntatis & electionis fuisse tanquam suæ, quod stabant & bene ambulabant, sed totum illud operis ac beneficij fuisse divini qua de re plura diximus, cum de gratia ad singulos actus necessaria ageremus.

Digitized by Google

658 Decima ratio à sacrificio spirituali bonorum operum. Nam ad generalem sacrificij rationem in præsens spectat, ut hoc ipsum quod Deo offerimus, totum nos à Deo accepisse profiteamur. Certum autem est ex Scripturis sacris omnia bona opera, desideria, motusque voluntatis esse sacrificia quædam spiritualia, & ut Petrus loquitur epist. 2. cap. 2. *Spirituales hostias Deo offerendas & acceptabiles per Iesum Christum.* Quare necessariò profitendum nobis est, quod ea omnia à Deo acceperimus, non minus propriè quàm profiteri debebant Iudæi se corporales hostias quas Deo offerebant, de eius manu accepisse, pari modo etiam profiteri debemus omnia corporalia bona nos à Deo accepisse.

659 Vndecima ratio ex potentia attributa gratiæ Dei. Passim enim Scriptura, Patres, & tota Ecclesia in publicis precibus tribuunt omnem divinæ gratiæ in nobis effectum, omnipotentiæ ac virtuti Dei. *Potens est Deus* inquit Ioannes Baptista, *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et Ecclesia in quadam oratione, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas:* Et iterum *Deus virtutum cuius est totum quod est optimum.* Imò plurimæ Orationes Ecclesiæ hoc habent initium, *Omnipotens sempiterne Deus*, vel *omnipotens misericors Deus*, & in quotidiana oratione ad primam, *Tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera*; sic etiam Augustinus in *Ench.* 97. & 98. ad Dei omnipotentiam refert quod malas hominum voluntates quando voluerit, & ubi voluerit in bonum convertat. Quod & protestatur in oratione liturgica Basilius *Malos*, inquit, *bonos fac, omnia enim potes.* Quod si efficacia gratiæ consisteret in suasione, quâ Deus ita suadet eo modo quo prævidit congruere voluntati ut sequatur, certè non tam omnipotentiæ quàm præscientiæ Dei Tribuendi essent effectus gratiæ: quoniam efficacia eius propriè niteretur illi scientiæ quâ prævidetur inclinatio seu congruitas voluntatis ad sequendum, si tali vel tali modo, sicut aiunt, fuerit excitata.

660 Duodecima ratio quâ præcedens confirmatur, scilicet ex eo quod gratia vocatur efficacissima. Sic eam vocat August. *libro de gratia, & lib. arb. cap.* 5. & D. Thomas 1. *part. quæst.* 19. *art.* 8. generaliter affirmat voluntatem Dei efficacissimam esse non solùm quoad efficientiam nostrorum actuum; sed etiam quoad modum eorum ex quo vult ostendere quod non tantùm actus nostri sint referendi in efficaciam voluntatis divinæ, sed etiam ipse modus quo liberè fiunt à nostra voluntate. At verò si gratia consisteret in suasione quam Deus novit hominem sequuturum certissima quidem illa ob infallibilem præscientiæ divinæ certitudinem rectè diceretur, sed non efficacissima quia sequelam & subiectionem voluntatis ipsa propriè non efficeret.

661 Decimatertia ratio ex eo quod gratia non tantum tribuit posse aut facilè posse bonum, uti dicebat Pelagius, sed ipsum agere bonum. Quare non tantùm suadet, sed perficit in ipsa voluntate id quod suadet, scilicet ipsum voluntatis actum attingens.

662 Decimaquarta ratio *ex operandi, & faciendi* vocabulo, gratiæ Dei respectu nostrorum operum, attributo Isay. 26. *Domine omnia opera nostra operatus es in nobis* Apostoli. *Qui operatur omnia in omnibus.* Item ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.*

Decimaquinta, ex eo quod gratiæ tribuitur totum nostrum bonum sine exceptione, uti ostendimus in proprio capite. 666

Decimasexta, ex eo quod ipsum velle nostrum, quod propriissimè est actus voluntatis, operationi gratiæ Dei tribuitur. *Deus* inquit Apostolus *operatur in nobis velle* & Sapiens *Proverb.* 8. secundum septuaginta sæpe citante Augustino *præparatur voluntas à Domino.* 664

Decimaseptima, ex nomine creationis quo Scriptura utitur ad effectus gratiæ significandos. *Ephes.* 2. & alibi. Vnde, & Deus electos vocat opus manuum suarum *Isaiæ cap.* 19. 665

Decimaoctava ex verbis gratiæ Dei passim in Scriptura attributis ad significandam eius in nobis efficacem operationem dicitur enim gratia, vel ipse Deus per gratiam corda & voluntates hominum convertere, mutare, aperire, inclinare, innovare, & sanè inauditum est in Ecclesia quòd Deus peccatores convertat solùm moraliter, & suasoriè. 666

Decimanona ex vocabulo *trahendi, & compellendi; Nemo venit ad me dicit Dominus* Ioan. 6. *Nisi pater meus traxerit eum*, & Ioan. 12. *Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*, quod maximè secundum voluntatem intelligendum est. Trahit autem Dominus per gratiam, non cogendo voluntatem, sed efficaciter movendo. Eadem ratione Ecclesia Deum orat ut nostras etiam rebelles ad se propitiùs compellat voluntates. Qua item ratione fatetur August. (quod ei à Pelagianis obiectum fuerat) gratiam invito, & reluctanti homini inspirari *lib.* 2. *contra* 2. *epistolas Pelag. cap.* 8. & 9. 667

Vigesima ex vocabulo *dandi*, & aliis eiusdem rationis Deo, & gratiæ eius attributis ut sunt donare, tribuere, largiri, præstari, & similia, quibus Ecclesia in publicis orationibus ad significandam divinæ gratiæ in nobis operationem, post Scripturas utitur quam frequentissimè. Scripturæ autem sunt Sap. 8. *Non possum esse continens nisi Deus dederit.* Hierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, & dabo vobis cor carneum.* Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Luc. 1. *Daturum se nobis ut serviamus illi in sanctitate & iustitia cunctis diebus nostris.* 1. Cor. 3. *Deus dat incrementum* 2. Timoth. 2. *Nequando Dominus det illis pœnitentiam* 2. Cor. 8. *Gratias Deo qui dedit eandem sollicitudinem in corde Titi.* Act. 11. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Iacobi cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum.* Si ergo Deus dat, donat, largitur hæc omnia, nihil relinquitur quod in eis tanquam suum, & proprium sibi vendicet liberum arbitrium, sicut meritò sibi vendicat ille qui acquiescit suadenti tantùm, & non efficienter ac propriè moventi. Quo argumento usus est ipse Apostolus *Ephes.* 2. cum ait: *Non ex vobis, Dei enim donum est.* 668

Vigesimaprima ex eo quod omnia merita nostra sunt Dei dona. Quæ sententia decantatissima est apud Augustinum, & Prosperum aliosque Patres & Cœlestinus Papa scribens ad Episcopos Galliæ cap. 12. & Synodus Tridentina *sess.* 6. *cap.* 16. luculenter comprobant cum dicunt *tantam esse Dei bonitatem erga homines, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* Hoc autem propriè 669

non

non diceretur, si ipsum liberi arbitrij motum quo meremur, Deus in nobis efficaciter non operaretur. Nam merita propriè sunt actiones liberi arbitrij.

664 Vigesima secunda ratio. Ex eo quod bona opera nostra magis sint Dei quam nostra testatur id Augustinus *lib. ult. de civit. Dei cap. ult.* cum ait *ipsa bona opera nostra ipsius Dei potius intelliguntur esse quàm nostra.* Et lib. de continentia cap. 13. sic inquit: *sunt autem alia opera hominis quæ magis dicenda sunt opera Dei: Deus est enim inquit Apostolus qui operatur in nobis & velle & operari.* Item libro 4. de Genesi ad literam cap. 17. *Quæ bona opera in nobis agnoscimus illius potius esse quàm nostra* Idem Augustinus scribens *in psalm.* 137. *ad versum* opera manuum tuarum ne despicias: *Quæcumque* inquit *sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quàm mea sunt;* Et ad hoc citat illud Apostoli *Ephes.* 2. *creati in operibus bonis &c.* Similiter D. Thomas 1.2. *quæst.* 93. *à 6.* scribit hominis opera qui à Spiritu Sancto agitur, magis esse opera spiritus sancti quàm ipsius hominis. Eiusdem rationis est quod Augustinus *libro de corrept. & grat. cap.* 14. dicit quod Deus *magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.* Ac simile quid habet Thomas *de verit. quæst.* 22. *art.* 8. Hæc autem vera non essent si Deus opera bona non physicè, id est propria & perfecta actione, sed moraliter tantùm, & suasione in nobis operaretur.

665 Vigesima tertia ratio ex victoria tentationum, quæ utique secundum scripturas & patrum definitiones Deo ut authori propriè tribuenda est. *Deo gratias* inquit Apostolus *qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*, & in Palæstina synodo contra Pelagium decreta sententia est victoriam nostram esse ex Deo non ex libero arbitrio. At non malè dixisset Pelagius victoriam nostram esse ex libero arbitrio, si Deus tantùm suadet, quantumvis congruenter nostræ voluntati id faciat.

666 Vigesima quarta ex dilectione Dei: nam Deus nihil diligit nisi se & opera sua & ea quorum ipse propriè est author diligit autem omnia opera bona & omnem bonam actionem, & motum & electionem voluntatis, nec quomodocumque ea diligit, sed ut bona præcipuè pro quibus velit reddere felicitatem æternam: Ergo hæc omnia propriè sunt Dei opera; & nequaquam aliena; quia Deus nihil alienum diligere potest, sed tantùm id quod propriè suum.

667 Vigesima quinta ex dictione *Dei:* Nam Dei dicere est facere; verbum enim Dei efficax, est efficacia propriè dicta ad faciendum quodcumque voluerit iuxta illud psalmi. *Ipse dixit, & facta sunt*, loquitur autem Deus Oseæ 2. *dicam non populo meo, populus meus es tu:* Ergo Deus efficaciter facit ex non populo suo populum suum, videlicet, convertendo voluntates malas in bonas: quomodo dixit *fiat lux & facta est lux.* Vrget hoc argumentum Bernardus *in sermone de conversatione ad Clericos* tractans illud ex psalmo *dixisti convertimini filij hominum.*

668 Vigesima sexta ex benedictione Dei. Nam benedicere Dei est benefacere; gratia autem benedictio est dicente Apostolo Ephes. 1. *Benedictus Deus qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Quare sicut Deus dicitur benedicere terræ quando facit eam fructificare, sic & benedictionem gratiæ suæ tunc tribuit homini, quando facit efficaciter eum bene operari.

Vigesima septima ratio à gratia præveniente. 669
Neque enim propriè gratia præveniret liberum arbitrium in bono opere, si non actione physica id est propriè dicta moveret, & applicaret liberum arbitrium ad opus nimirum efficaciter faciens ut faciat est autem ad hunc sensum omnis gratia præveniens: quia sicut dictum est ab Augustino misericordia Dei in omnibus prævenit nos: qua de re plura diximus circa divisionem gratiæ. In prævenientem, & subsequentem.

Vigesima octava ratio à gratia adiuvante. Hanc 670
enim etiam adversarij fatentur operari physicè. Quare consimili ratione id fatentur de gratia excitante, & præveniente cum de utraque specialiter loquantur atque sonent scripturæ, & Patres atque Ecclesiæ Orationes; cumque hactenus quoad efficaciam omnes theologi similiter loquuti fuerint de gratia præveniente, & subsequente.

Vigesima nona ex prædeterminatione gratiæ: 671
si enim Deus per gratiam prædeterminat ac prædirigit voluntatem hominis ad bonum opus, (uti ex Sancto Thoma & alijs monstravimus) movet voluntatem efficaciter, non suadendo tamen, sed Physicè causando.

Trigesima. Ex eo quod gratia negatur expectare voluntatem, ut habet Canon quartus Arausicani Concilij, expectaret autem si tantum moveret instar suadentis: Nam omnis suadens expectat assensum eius cui suadet. 672

Trigesima prima ratio ex discretione originaliter attributa gratiæ (attestante Apostolo) *Quis enim te discernit*, quod si gratia tantùm moraliter, id est, per modum suadentis assensum moveret voluntatem, certissimè sequeretur quod non Deus per gratiam, sed homo per liberum arbitrium originaliter & primò discerneret seipsum. Huc pertinet quod toties apud Augustinum, & Prosperum legitur inscrutabile nobis esse cur Deus alium præ alio trahat ad se per gratiam. 673

Trigesima secunda ex prædestinatione Dei absoluta, minimeque conditionata, si enim, non adeò Deus hominem prædestinat, quia prævidet bonum aliquem motum voluntatis eius, sed prædestinat absoluto decreto quo præordinat; ac dare constituit homini omne bonum pertinens ad salutem, planè consequens est ipsum quoque gratiam, quæ prædestinationis executrix est, prorsus independentem esse ex conditione prævisæ cooperationis humanæ ut pote omnis huiusmodi cooperationis causam per se efficacem. Et confirmatur ex Augustino dicente quod prædicare prædestinationem divinam non aliud est quàm prædicare quod Deus omne bonum pietatis in nobis operatur. 674

Trigesima tertia ex præmio bonorum, id est 675
gloria Cœlesti: si enim Deus gloriam causat actione physica: ergo & gratiam, id est, bona opera huius vitæ. Quæ sequela valida est: tum quia scriptura similiter de utraque dicit, *psal.* 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Tum quia Deus non minùs efficaciter, & propriè author est meriti quam mercedis.

Trigesima quarta ex gaudio speciali: quod nul- 676
lum nobis esse debet nisi in Deo, & rebus atque operibus divinis: sicut enim quis gloriatur, in Domino gloriari debet, ita & qui gaudet nonnisi in eo gaudere, monente Apostolo ad Philippens. 4. *Gaudete in Domino semper:* quia ut idem Apostolus ait Rom. 14. *Regnum Dei est gaudium in spiritu sancto.* Vnde, & sanctorum cum Christo regnantium nullum prorsus est gaudium nisi in Deo;

Digitized by Google

Deo : Hinc ergo consequens est in nullo opere ac merito vel nostro vel aliorum gaudendum nobis esse, nisi quatenus illud est opus Dei, id est tale quod propriè Deum authorem habeat; gaudendum est autem in omni bono opere; ergo omne bonum opus ita efficienter à Deo procedit ut nihil in eo sit proprium libero arbitrio; nam alioqui ex parte aliqua gaudere possent iusti in seipsis, & non in Deo.

677 Trigesimaquinta, ab exemplis vocatorum & conversorum efficienter à Deo, ut Matthæi, peccatricis, latronis, Petri & Pauli. Nam exceptis externis adminiculis Christi vocantis, suscipientis, alloquentis, respicientis, aut prosternentis, quæ memoratis peccatoribus adhibita legimus, omnium eorum qui ad Christum veniunt similis est vocatio, & omnium peccatorum similis conversio, ut de istis Patres Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, loquantur tanquam tractis efficaciter à Deo, id est vocatione per se efficaci, ad quam significandam Hieronymus adhibet comparationem magnetis attrahentis ferrum: ergo & de cæteris omnibus idem est sentiendum.

678 Trigesimasexta, ab exemplis Beatorum de quibus Apostolus 1. *Cor.* 15. ait quod *erit illis Deus omnia in omnibus*, nimirum efficaciter ac propriissimè, etiam in illis operationibus; non cessabit autem in beatis liberum arbitrium; at neque plus aliquid tribuendum libero arbitrio beatorum: ergo & in hac vita Deus omnia in omnibus pari efficacia operatur.

679 Trigesimaseptima ratio ab exemplo Christi: neque enim negari potest quin divinitas efficaciter operata fuerit in Anima Christi omnem actionem, motum, assensum voluntatis, tametsi liberrimè agentis, efficaciter, inquam, causalitate physica seu propriè dicta. Id plane significant hæ Christi voces apud Ioan. cap. 5. *Non possum à me ipso facere quidquam.* Et cap. 5. *A me ipso facio nihil.* Et iterum cap. 8. *Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est.* Et cap. 19. *Pater in me manens ipse facit opera.* Et cap. 7. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Ac sanè si quis dixerit divinitatem, ipsumque Dei verbum suasione tantùm operari motum humanæ voluntatis in Christo, videbitur haud satis recedere à Nestorio Christum in duas dividente personas, ut pleniùs ostendimus cum de prædestinatione gratuita egeremus. Quod si ita res se habet in Christo: ergo & in nobis, & si efficax illa divinitatis operatio libertatem ab humana voluntate Christi, non excludit: ergo nec à nostra. Hoc argumento ab exemplo Filij Dei utitur Francon. *tom.* 10. *de gratia Dei*, & ante eum Augustinus *tract.* 105. *in Ioan.* ad illud opus, *consummavi quod dedisti mihi ut faciam*, ubi inquit: *Non ait iussisti, sed dedisti: ubi commendatur evidens gratia. Quid enim habet, quod non accepit, etiam in unigenito humana natura? An non recepit, ut nihil mali, sed bona faceret omnia: quando in unitatem personæ susceptæ est à Verbo; per quod facta sunt omnia?* Nam hoc requirebat virtus perfectissimæ humilitatis in Christo, ut omnia humanitatis suæ bona referret ad divinitatem, & authorem.

680 Trigesimaoctava ratio ex merito Christi: Nam Christus meruit nobis omne bonum salutare dandum à Patre sine ulla exceptione, quemadmodum dicitur *in* 3. *dist.* 18. Atqui inter bona salutaria præcipuum habent locum motus, assensus, electio voluntatis in opere bono, nam in his opera bona præcipuè consistunt: Igitur non sola suasio à Deo est, sed illud ipsum quod suadetur, est propriè perfectéque ab authore Deo per meritum Christi. Vnde Ecclesia preces suas omnes terminat hâc clausulâ: *Per Christum Dominum nostrum.*

Trigesimanona ex difficultate intelligendi concordiam gratiæ & liberi arbitrij: hanc enim difficultatem agnoscunt omnes Patres qui de gratia, & libero arbitrio disputaverunt, & in primis D. Augustinus, pluribus in locis ut *lib.* 2. *contra literas Petil. cap.* 84. *de gratia Christi cap.* 24. & 47. *lib.* 5. *contra Iulianum cap.* 8. *lib.* 2. *de pec. merit. cap.* 18. *de prad. Sanct. cap.* 8. & 20. & *epist.* 46. & 47. Atqui non est intellectu difficile quomodo gratia cum libero arbitrio consentiat, si efficacia gratiæ constituenda sit in assensu, & cooperatione arbitrij, vel ut aliis placet, & in ea suasione, qua Deus ita movet liberum arbitrium, quemodo videt ipsam sequuturum; in his enim modis facillimè etiam à mediocribus ingeniis agnoscuntur partes liberi arbitrij tanquam distinctæ ab efficacia gratiæ, scilicet assentire, cooperari, sequi, acquiescere, quæ ad gratiam pertinent excitare, & suadere. Quare ex sententia Patrum est maximè Augustini non est his modis explicanda gratiæ efficacia, sed potiùs eo modo quem iam tot rationibus probavimus. Hic enim modus est, & non alius quem tanquam ad intelligendum perdifficilem multipliciter adversarij semper impugnarunt, identidem inculcantes se non posse intelligere, cum per simplicem fidem sibi parare viam ad intelligentiam deberent, uti rectè eos admonet Div. Bernardus.

Quadragesima eademque postrema, & efficacissima ratio est, quæ sumitur ex verbali operatione Dei tanquam primæ ac supremæ causæ, primique motoris respectu omnium effectuum, & motuum procedentium à quibuscunque causis secundis: Neque enim in tota creatura Deus alios quidem effectus producit causalitate physica, alios verò causalitate morali, sed omnes omnino effectus producit perfectissimo causalitatis modo, tanquam causa principalis, & primò operans, sive per causas secundas naturales, sive per liberas operetur. Cum igitur sub verbali operatione Dei contineatur operatio gratiæ eius per Christum, quâ salutem in nobis, & quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent, operatur, manifestum est etiam piam operationem iuxta illum perfectissimum; causandi modum respectu suorum omnium effectuum efficacem esse. Quod argumentum indicatur à Fulgentio *in fine lib. de Incarnat. & grat. Christ.* Nititur autem Scripturis quæ docent Deum omnia in omnibus operari; nos in Deo esse vivere, & moveri; ex ipso, per ipsum, & in ipso esse omnia. 681

Porrò hæc generalis ratio multas speciales complectitur ad rem propositam demonstrandam nihilominus validas, ut quæ petuntur ab unitate principij, à veritate & proprietate causæ efficientis: à voluntate beneplaciti Dei, quæ est voluntas absoluta: ab universali, & perfecto eius Dominio: à perfecta dependentia creaturæ ex Deo: à vera & propria instrumenti ratione competente libero arbitrio creato respectu Dei, & alios similes complectitur quarum explicationem brevitatis causa prætermittimus. Videantur autem pro tota hac doctrina, quæ est de efficacia gratiæ Dei ea quæ scribit Augustinus *Epistola* 205. *ad Sixtum in Enchir. cap.* 45. & 46. & 98. *lib.* 2. *contra duas Epistolas Pelag. cap.* 6. *De prædest. sanct. cap.* 20. *De dono perseverantia duobus postremis capitibus. De gratia, & lib. arb. cap.* 14. & 16. & 681

Digitized by Google

16. & *homil.* 44. *in volum.* 5. *homiliar.* Videatur, & S. Prosper *libro primo de vocat. gent. cap.* 14. & *quatuor sequent.* & *lib.* 2. *cap.* 33. item in *comm. Psalm.* 147. & in *Carmine de ingratis cap.* 15. & *cont. Collat. cap.* 6. Quibus in locis tradit hoc, & similia: nimirum gratiam Dei nullam pati moram ex moribus nostris, nihilque ei obsistere posse quominus id quod voluerit impleat, ut quæ ipsa suum consummet opus: nec ulla esse tam detestanda facinora, quæ avertere possint gratiam Christi, sicut nulla tam præclara sunt opera, quæ eam possint accersere. Denique doctrinam hanc manifestè tradunt Patres Arausicani Concilij *Can.* 3. 4. 6. & *aliquot sequentibus.*

683 Hormisdas Papa in *epist. ad Possessorem: De gratia* inquit, *& libero arbitrio quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & sentiat Ecclesia, licet ex variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum* (hi sunt de prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ) *possit agnosci tamen & in Scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Hæc sunt capitula Epistolæ Cœlestini Papæ.

684 Rationes has verissimas & quæ Theologum convincere debent pro vera efficaci gratia præveniente, sive prædeterminante arbitrium. In actu primo, ut ipsum se liberè determinet in actu secundo & contra Pelagianos, & contra Calvinum mediam regiam viam incedens Doctor Guillelmus Estius, ut verè pius, & doctus collegit atque formavit. Quibus nihil vel addendum, vel detrahendum putamus, sed omnes eas Theologos recipere debere, nisi in hac materia, & causa errare velint, arbitramur.

685 Concludamus ergo cum illa quæ semel & iterum facta fuit supraque desumitur ex verbo, *Compelle*, quo in hac materia & causa nedum Ecclesia, sed Christus Dominus utitur, dum Ecclesia *Dominica* 2. *post octavas Trinitatis in oratione secreta* Deum deprecans ait: *Et ad te nostras propitius compelle rebelles voluntates*, & Christus Dominus *Lucæ* 14. de invitatis ad nuptias, qui invitati, exhortati, & suasi noluerunt venire, ad ostendendum suasiones, invitationes & morales quascunque tantùm exhortationes minimè homines defacto ad nuptias trahere, sed ad hoc necessariam esse maiorem energiam, & efficaciam præstantiorem, & potentiorem hanc ipse explicavit per verbum, *Compelle*, dicens, *Compelle eos intrare, ut impleatur domus mea.* Quis hic non videat per verbum, *Compelle*, procul excludi morales illas tantùm suasiones, & invitationes? An moralis tantùm excitatio quæcunque illa sit, prævisa, sive præscita, vel quomodolibet appellata congrua, seu congrua reddita potest dici *compellere hominum voluntates*, cum potissimè ad hoc à suis inventoribus apponatur, ut omne id quod videtur posse compellere voluntates, penitus ab ipsa excludatur? Quis non videat verbum, compellere, strictiùs sonare, & magis, si id quod per ipsum significatur attendamus, in apparentia opponi libertati quam physicè, seu quasi physicè, seu verè effectivè, aut efficaciter prædeterminare proculdubio manifesta sunt ista. Si ergo vel à longè cum Ecclesia orat, ut Deus ad se nostras propitius compellat rebelles voluntates, & cum Christus Dominus eodem verbo utens idem suo proprio ore protulit nulla ratione insinuant nostram vel tolli vel impediri libertatem, quomodo per Verbum *efficaciter prædeterminare*, tollitur vel impeditur, quod non ita durè sonat? Si ergo authoribus, cum quibus agimus, audire non placet quod Deus nostras efficaciter prædeterminat voluntates, ad minus nobiscum compellantur & ipsi fateri; atque prædicare: *Deus efficaci sua virtute nostras ad se compellit voluntates: Deus sua potenti virtute ad se compellit homines intrare: Deus sua gratia ad se homines venire compellit: Deus ad se nostras venire compellit labiles voluntates.* His ergo terminis in hac materia utantur, & illam congruam vocationem ab homine in sua efficacia dependentem, & quæ ab homine efficax redditur prædictis verbis Christi Domini, & Ecclesiæ ut incongruam penitus rejicient.

CAPVT XXXIX.

Argumenta contraria solvuntur.

OMnia quæ in hac parte cumulantur argumenta ab his qui efficaciam prædeterminantis gratiæ impugnant, ad tria capita reducuntur, ut notum est: vel enim ex efficaci gratia prædeterminante inferunt consequenter debere poni prædeterminationem proportionabiliter pro actionibus omnibus naturalis ordinis, etiam pro illis, quibus peccata committuntur; & hinc ulteriùs inferunt sequi Deum prædeterminare, non solum ad entitatem, quæ est in peccato, quatenus entitas & actio est; sed etiam ad peccata ipsa, quo nihil absurdius, nihil poni potest impossibilius, nihil quod magis Calvini doctrinam commendet; magisque in Concilio Tridentino; & Arausicano secundo damnetur. Vel ex prædeterminatione gratiæ (quod est argumentorum secundum caput) inferunt negari auxilium verè sufficiens, & tantùm admitti illud quod efficax est. Quod etiam à Calvini doctrina non recedit. Vel tandem (& hoc est tertium, & potissimum caput argumentationum suarum) inferunt, nimiaque contentione publicant, per talem prædeterminantem gratiam tolli, lædi, aut impediri hominis libertatem. 686

Verùm de primo argumentorum genere, & quomodo nulla ratione sequatur Deum prædeterminare ad peccata, licet prædeterminet ad actiones, quæ in peccatis sunt, quatenus præcisè sunt actiones, & entitates, diffusè satis ut arbitramur, egimus in tertio nostro libro, in quo omnia illorum argumenta & strictiùs proposita, & clariùs soluta manent: quibus nec verbum addendum videtur; sed omnia ibi in sua propria sede inspiciantur.

Similiter argumenta quæ in secundo illo ordine objiciuntur de ablatione auxilij sufficientis, quod negari opponunt, si detur verè efficax seu efficiens prædeterminans ex Deo ipso, & omnes illationes & consequentias, quæ ab his authoribus cum quibus agimus fieri solent, etiam, ut putamus, manifestè supra *in hoc quarto libro, suo proprio loco* tractantes de auxilio sufficienti diluimus, & malas esse omnes illas illationes, & consequentias, ac illorum, qui earum prætextu divinam gratiam primitus impugnarunt proprias fuisse ibi apertè monstravimus. Vnde nec de isto argumentorum genere, nisi ex superfluo dici aliquid potest. Cum omnia quæ ad ipsa pertinent, sive pro oppositione firmanda, sive pro ipsa solvenda, abundè ibi manent explicata ubi etiam illud ostensum fuit, & denudatum idem prorsus argumentum contra istos authores, cum quibus agimus, militare, eosque teneri etiam qui illud, & proponunt, solvere. 687

Digitized by Google

689 Tertium autem caput, quo prætenditur tolli aut impediri nostram libertatem in actionibus nostris, quibus ad Deum convertimur, & piè operamur, ac usque in finem perseveramus, si auxilium gratiæ prævenientis efficax ex Deo ponatur; vel quod idem est, efficaciter ex Deo ipso prædeterminans voluntatatem nostram, ut piè ipsa operetur, si quæ dicta sunt in his nostris operibus attendantur, multipliciter, tum in primo libro, tum in secundo, tum in tertio, tum denique in hoc quarto invenitur ex scriptura, summis Pontificibus, sacris Conciliis, Sanctisque Patribus, & Scholasticis doctoribus confractum ac comminutum; tamen quia ab his auctoribus, pro quibus hos labores suscepimus, sine fine proponitur, etiam sine fine dissoluitur. Novissimè verò agentes de sententia Sancti Thomæ paulò superiùs, ex eiusdem doctoris Angelici apertis verbis ostendimus illud in terminis à Sancto Thoma sibi obiectum, & ab eodem apertissime fuisse solutum, & à Ioanne Driedone, & Ruardo Tapert ita confractum, ut illud ipsi appellare non dubitaverint hæreticorum retia, per sanctos patres confracta, & comminuta. Nec planè aliud pro perfecta illius solutione & confutatione esset addendum; sed fastidio non sit quædam veluti recapitulando hoc vltimo loco colligere, quæ in illius confutationem Sancti Patres postularunt, incipientes ab antiquiore Sancto Hieronymo.

690 Sic enim illud ipse opponit *Epistola ad Ctesiphontem: Hoc quod dico non meum est argumentum: unus discipulorum eius, imò iam magister, & totius ductor exercitus, & contra Apostolum vas perditionis per solœcismorum (& non ut sui iactitant) syllogismorum spineta discurrens, sic philosophatur, & disputat: si nihil ago absque Dei auxilio & per singula opera eius est omne, quod gessero: ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium; frustraque dedit arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuverit: destruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit nisi fecero quod voluero. Ac per hoc ait: aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruitur.*

691 Quis non videat hoc ipsum in terminis argumentum esse, quod modò pro magno opponitur, dum frequenter auditur non habeo in mea potestate illud efficax auxilium, & ipso dato non possum ei resistere: ergo non liberè operor. Si enim non tale oppugnaret auxilium inductum apertè ex Sancto Hieronymo, nec ex illo inferret negationem arbitrij. Constat enim quod licet quis alterius ope egeat; si tamen ea ipse utitur ut libet, sive in hanc, sive in illam partem, nullâ apparenti ratione inferri potest, quod liberè non operetur. Vt ergo illius argumentum apparentiam habeat, necesse est dicere, quod illud oppugnabat auxilium, quod nec ut detur, in nostra est potestate, & semel collatum efficaciter infert quod arbitrium operetur: ita quod non stat tunc non operari. Imo hoc expressis verbis ille arguens opposuit, dum dixit, *si eius* scilicet Dei; *est omne quod gessero: ergo non ego, sed auxilium coronabitur:* Quibus efficaciam auxilij prævenientis quæ solùm oppugnabatur, ostenditur. Igitur manifestum est idem in terminis esse eum modò relato à Sancto Hieronymo argumentum, quod modò semper opponitur.

692 Quomodo autem illud Sanctus Hieronymus solvat audiamus. Sequitur immediatè post verba relata: *Qui hæc dicit quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat?* Et postquam ex scripturis probavit indigere nos semper illo efficaci auxilio quod impugnabatur, ait: *Quod autem sursum deorsum iactitant, liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario eos arbitrij destruere libertatem: qui malè eo abutuntur adversus beneficium largitoris &c.* ut iterum ibi de illo, qui illud opposuerat argumentum, & aliud simile, ita dicit. *Audi ingrate, imò sacrilege Apostolum prædicantem &c.* Et rursus: *Iniuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper authorem recurras, si ex illius pendeas voluntate &c.* Deinde *frustra blasphemas, & ignorantium auribus ingeris nos liberum arbitrium condemnare.* Notanda illa verba sunt, *& ignorantium auribus ingeris*; non enim sine magno dolore audivimus, & experientia comprobavimus auribus ignorantium, & mulierum aliquos ingerere, quod si Deus eos ad volendum movet efficaciter, eorum tollit libertatem. Et post pauca *liberum arbitrium*, inquit, *dat liberam voluntatem*, & non statim ex libero arbitrio homo facit; sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. Et in principio Epistolæ de his qui sic argumentantur, hæc verba proponit. *Quæ enim potest alia maior esse temeritas, quàm Dei, sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vendicare, & brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti.* Et ista alia verba notanda sunt, *sed æqualitatem.* Ex quibus sine dubio Sanctus Thomas 2. *sent.* d. 37. *art.* 5. deduxit qui negat efficaciam divinæ motionis supra humanam voluntatem, Manichæis favere & creatum arbitrium æquale Deo constituere; quod alibi satis reliquimus explicatum.

693 Hæc omnia multiplicata & gravissima verba in eos, non nos, sed Sanctus Hieronymus profert, qui prædictum opponunt argumentum, quod per efficax auxilium Dei, nostrum auferatur arbitrium.

694 Ex *lib.* 1. adversus Pelagianum ex persona Pelagij, quem ibi per Critobolum introducit sic argumentatur. *si in omnibus ille,* scilicet Deus, *& cooperatur non est meum, sed eius qui adiuvat; imo qui in me cooperatur: præsertim cum absque eo facere nihil possim.* Vbi manifestè argumentum procedit de cooperatione præveniente efficaci, cui propterea actionem tribuit, non libero voluntatis arbitrio: aliàs si de cooperatione subsequente vel concomitante procederet; evidentiss mum esset ex illa non posse inferri quod liberum arbitrium non operetur. Cui tantum ita respondet: *Fruere liberi arbitrij potestate, ut contra Deum armes linguam tuam, & in eo te liberum probes, si tibi liceat blasphemare.* Plura similia ex Sancto Hieronymo afferri possent; sed quibus ista non sufficiunt ad abhorendum illud argumentum, plura non proderunt.

695 Ex Sancto Patre Augustino plurima in diversis locis operis huius induximus testimonia, quibus prædictum refutat argumentum: ex quibus etiam aliqua colligenda videntur.

696 In *Epist.* 119. ita illud diluit. *Hæc enim voluntas libera tantò erit liberior quantò sanior: tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* Et iterum. *Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur quia iuvatur. Sed ideò iuvatur quia non tollitur.* Et loquitur de adiutorio gratiæ, quod sæpe dixerat dare voluntati efficacissimas vires ad operandum. Ac rursus *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis*

Digitized by Google

tis huius ? gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum : cur non dixit potiùs per meum liberum arbitrium ; nisi quia libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia ; Planè sine efficaci auxilio prævenientis gratiæ, sine quo homo non iustificatur, nec gratiam habet liberantem à peccato libertas, nec libertas est sed contumacia.

697 In *Epistola verò* 105. hanc eandem defendens veram prævenientis gratiæ efficacitatem ex Evangelio ostendit quod credentes non pertinent ad Dei præscientiam, sicut non credentes, id est, quod sicut utrisque prædicato Evangelio eisque dato auxilio sufficienti ad credendum, in non credentibus præsciat quod ex sola eorum mala voluntate fidei resistunt ; ita in his qui credunt præsciat quod ex sola sua voluntate ei consentient. Hoc inquam ostenso : in quo manifestè efficaciam gratiæ facientis credere tradidit : etiam illam, quam vocant congruam vocationem apertissimè damnat : statim adversus impugnatores eiusdem efficacitatis gratiæ ita subdit. *Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imo deceptores quia insaltores, & inflatores quia præsumptores ; non adversum nos, sed adversum Evangelium loquuturi, quid aliud dicunt, quàm id quod Apostolus sibi quasi à talibus diceretur obijcit, dices itaque mihi, quid aliud quæritur ? nam voluntati eius quis resistit.* Quod magis exponens *in §. Postremo* hoc argumentum damnatum esse, & contra apertam Apostoli sententiam, qui illud prius solvit objectum, clarius ostendit. Cuius verba jam non semel alibi à nobis inducta ad præsens omittenda ob brevitatem duximus. Et iterum ibi : *Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere consenserint : non intelligunt non se firmare humanum arbitrium ; sed impellere ut per inania feratur ; non in Domino tanquam in petra stabili collocetur.* Deinde *in Epist.* 107. sic eos qui hoc argumentum objiciunt admonendo docet, ut ab illo desistant, dicens *si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam* & loquitur apertissimè de adiutorio eius efficaci *qua nostrum ad declinandum à malo & faciendum bonum, liberatur arbitrium ; ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.* In qua Epistola *§. Recognoscis, & §. Quomodo dicitur, ac aliis sequentibus* manifestissimè prævenientis seu prædeterminantis gratiæ divinam efficaciam tenet & docet, & contrariam sententiam gravissimè refutat ; cuius verba quia ea alibi expendimus, hic omittimus.

698 Præterea *libro 2. ad Bonif. cap. 5.* relatis Pelagianorum verbis quibus Sancto Patri Augustino opponebant quod nomine gratiæ fatum induceret, tollens nimirum hominis libertatem : ita ipse respondet. *Ex his eorum verbis intellexit, ob hoc illos, vel putare, vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine gratiæ ; quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari sed per ipsius misericordiosissimam voluntatem ; qui dixit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Vbi consequenter adiunctum est. Igitur non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei. Posset etiam hic quisque similiter stultus fati assertorem Apostolum putare vel dicere.* Nunquid non est evidens, ideo fatum Sancto Patri Augustino opposuisse nomine gratiæ ; quia ipse efficaciam illius antecedentem seu prævenientem, ex qua infallibiliter arbitrium operabatur, docebat ? Nunquid non similiter nobis, quia talem efficacem gratiam defendimus, fatum tollens libertatem sub nomine gratiæ obiiciunt ? est ergo in eadem causa eidem argumento respondendum, quod modò ex Sancto Patre Augustino responsum esse retulimus. Et *cap. 6. eiusdem libri* ita ait. *Itane filij superbiæ, inimici gratiæ Christi, & novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit gratiâ Dei omnia bona hominis merita præveniri, fatum vobis videtur asserere libro autem 4. ad Bonif. c. p. 6.* adversus eos qui prætextu oppugnandi Manichæum ; liberum se defendere arbitrium iactitabant : & idem prorsus est de illis, qui modò prætextu recedendi à Calvino arbitrium contra ipsum se defendere ostentant, sic ait. *Quid eis hoc prodest, quandoquidem non tam contra Manichæos defendunt, quam contra Catholicos extollunt liberum arbitrium.*

In *libro verò 1. ad eundem Bonif. præmiserat in cap. 2. liberum arbitrium defendendo præcipitant.* Et *cap. 4. Hoc isti nolunt elati & superbi, nec purgando defensores, & extollendo præcipitatores liberi arbitrij.* De Sancto Prospero, & Sancto Hilario atque Fulgentio ac Sancto Thoma qualiter efficaciter, & ipsi refutaverint idem argumentum quod de negatione liberi arbitrij contra prævenientem efficacem gratiam Pelagiani objiciebant dictum est supra competenter. 699

Similiter quomodo Concilia, & summi Pontifices illud solverint imo comminuerint, ostensum fuit supra. Pro omnibus sufficiat egregia illa Cœlestini authoritas, qua postquam prævenientis gratiæ divinam efficaciam diffinivit ut ex apertissimis verbis illius decretalis constat, quæ explicata sunt supra respondens ipse summus Pontifex illi argumento quo Pelagiani, contra quos diffinivit, convincebantur ad negandam prædictam gratiæ prævenientis divinam efficaciam ; ita determinat. *Quo utique auxilio & Munere Dei, non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de prævo rectum, de languido sanum, de imprudente fit providum.* Hæc audientes & legentes quomodo non cessant ab hac antiqua & comminuta oppositione authores cum quibus agimus, objicientes destrui libertatem per prævenientis seu prædeterminantis gratiæ efficaciam divinam ? Ecce in fidei diffinitione, illorum argumentum nullum prorsus esse summus Pontifex eadem fidei certitudine declarat atque determinat. 700

CAPVT XL.

Idem argumentum ratione dissolvitur.

CVm ergo tota ac tanta contra hoc putridum argumentum sancti Patres, Summi Pontifices, & Scholastici Doctores cum Conciliis superiùs inductis potissimè Tridentino illud priùs diluentes tradiderint, gravissimisque verbis increpaverint, ut ex sancto Hieronymo, & sancto Patre Augustino visum est) eos qui illo utuntur, ipsoque convincuntur. Supereſt ut ex vera ratione Theologa diluatur, brevissimè tamen, quia sæpe credimus in his materiis & operibus fuisse solutum. Tota machina, tota vis illius in hoc posita est, non est possibile quod homo convertatur sine tali auxilio prævenienti efficaci ; & non est in hominis potestate illud effectivè habere seu illud sibi effectivè dare, nec etiam homo potest ex se habere aliquam dispositionem, ob quam illud efficax auxilium illi Deus tribuat effectivè : neutrum 701

Digitized by Google

absque dubio est in hominis potestate, ut patentissimè sanctus Thomas docet 3. *contra gent. cap.* 159. *relato supra cap.* 136. ubi docet apertè quod homo non potest actu suo mereri gratiam vel eam acquirere: ergo actu suo nec illam potest habere, vel ad illam habendam se disponere: Ex hoc igitur quod non potest homo habere actu suo auxilium efficax: & illo in voluntate semel posito, non potest resistere, inferunt hi authores: ergo non liberè homo operatur. Patet, inquiunt, consequentia, quia qui non habet in potestate sua id quod est requisitum ad operationem, nec habet in sua potestate operationem ipsam; quod si illam in sua potestate non habet; ergo nec liberè eam operatur. Et idem prorsus argumentum fit de actione perseverandi, & de quolibet alio actu pietatis, ad quem efficax auxilium requiritur, quod nec est in potestate hominis, nec illi potest arbitrium resistere.

702 Ad hoc etiam in forma respondemus concedendo maiorem simul cum minori, & negamus consequentiam. Et antequam ad improbationem consequentiæ deveniamus, oportet ostendere quàm sine fundamento ex illa maiori, & minori illud consequens inferatur. Planè ex hoc quod non sit possibile hominem operari, sine illo efficaci auxilio pietatis actum, quicumque ille sit, & illud tale auxilium in activa hominis potestate collocatum non sit, nec illud effective sibi homo dare possit, nec in voluntate posito ei possit voluntas ipsa resistere, ex his planè non sequitur hominem non liberè operari actum pietatis sive conversionis in Deum, sive post conversionem suam, sive denique usque in finem perseverantiam. Nam maior illa certissima est, & in philosophia naturali, & in Theologia, & in fide, quæ docent humanum arbitrium secundam causam esse secundumque liberum in omni operatione sua potissimè supernaturali: impossibile autem esse aliquam secundam causam, & secundum liberum operari sine motione causæ, quæ prima causa sit primâ causalitate: Quod si prima est causalitate: ergo eius causalitas prior est causalitate causæ secundæ, & ad illam priùs ratione præponitur vel supponitur; ac per consequens manifestum est, quod sine illa prævia motione supernaturali primæ causæ, impossibile est hominum arbitrium operari aliquod supernaturale opus. Similiter minor quoad utramque partem eadem certitudine habetur. Prima enim, quod illud auxilium, seu efficax supernaturalis motio non sit in activa hominis potestate, ratione facta convincitur. Non enim potest esse in effectiva potestate secundæ causæ, motio & actio causæ primæ. Hoc enim repugnat causæ primæ, quæ sicut prima est causalitate, ut dictum est; ita eius actio seu causalitas supponitur ad actionem causæ secundæ: implicat ergo quod causa secunda per actionem suam activè possit acquirere actionem primæ causæ; quia iam motio seu actio primæ causæ posterior est & non prior causalitate causæ secundæ, & sic esset prior, & non prior respectu causalitatis causæ secundæ, quod manifestam involuit contradictionem.

703 Et idem etiam ostenditur de dispositione quam ex se homo resectu talis auxilij dandi à Deo, habere non potest Quia illa dispositio non ex auxilio efficaci esset, cum ad illud disponat: ergo esset ex efficacia arbitrij: ergo sine priori divina causalitate illam haberet secunda causa: quod esse impossibile probatum est modo. Et insuper cum ei auxilium efficax daretur ex priori merito hominis si sic ex se ad illud disponentis daretur, iam auxilium gratiæ non esset, sed naturæ debitum, id est naturali illi hominis dispositioni iam dicta.

Consultò diximus quod nec est in potestate 704
activa hominis vel se disponente ad illud tale auxilium efficax, quia secundum aliam rationem iam supra hoc libro satis expositam tractatu de auxilio sufficienti *cap.* 15. aliquo modo dicitur esset in nostra potestate auxilium efficax: in quantum, videlicet, si homo sufficienter adiutus non resisteret, nec impedimentum opponeret oblationi auxilij efficacis, Deus qui illud offert in collatione auxilij sufficientis, sicut incepit, ita & dando illud, quod incepit perficeret. Quod si de facto homo illud non recepit, ex defectu suo est; quia ei ponit impedimentum, ut ibi explicatum fuit. Secunda autem pars minoris expresè traditur in Scriptura, quæ docet voluntati Dei, nimirum efficaciter volenti, seu efficaciter operanti, arbitrium hominis non posse resistere: ut est illud *ad Rom. 9. Nec est qui tuæ possit resistere voluntati*, operanti scilicet efficaciter, & per efficacem motionem suam. Quod si motione Dei efficaci sive auxilio habenti efficaciam, ut venit à Deo, posset arbitrium resistere; utique voluntati Dei per illud efficax auxilium operanti, posset resistere, ut est apertissimum: quod tamen Apostolo citatis verbis contradicit. Igitur manifestum est ex divina Scriptura quod efficaci auxilio divino ut venit ab efficaci Dei voluntate, non potest liberum arbitrum resistere.. Cum ergo, ut ostensum est, illa tria quæ in maiori, & minori propositione habentur, sint non quomodolibet certa, sed sint certa in Philosophia naturali; in Theologia, imo ex Scriptura ipsa divina deducantur; quomodo ex tanta ac tam magna certa veritate inferri potest illud consequens quod supremam continet falsitatem, contra omnem Philosophiam, Theologiam, imo contra ipsam fidem militantem, qualis est, hominem in sua conversione ac aliis salutaribus operibus non habere libertatem? Non enim fieri potest ut ex maiori, & minori vera & de fide certa, inferatur conclusio falsa, & contra fidem: quis hoc dicat? Et tamen proculdubio hoc reipsa illo suo argumento isti Patres prætendunt. Igitur nullum est illud argumentum. Ad probationem autem consequentis, respondemus falsum esse quod qui non habet in sua activa potestate antecedens, non habeat in sua potestate consequens, quia illud antecedens, sive illud auxilium efficax quod in potestate activa creati arbitrij non est, in potestate illius ponit consequentem suam liberam operationem. Hoc enim est de ratione creatæ libertatis, ut sæpè diximus, quod habeat quidem Dominium & potestatem liberam sui actus, non per exclusionem prioris dominij, & potestatis Dei, sed sub illa: & quod de facto exercet liberam potestatem supra actionem suam, supponendo priorem motionem primæ causæ. Nisi velint isti authores quod verbis æquivalentibus confessi sunt, creatum arbitrium esse primum se determinans. Quod si primum est se determinans; ergo in omni actione sua creatum arbitrium est primum liberum, quo nihil falsius, nihil potest dici absurdius; nihilque quod magis creato arbitrio repugnet; & quod magis verificet illam sancti Hieronymi relatam sententiam, quod arbitrium creatum suprema temeritate æquale Deo constituit; illamque aliam sancti Thomæ *in 2. dist. 37. art. 5.* quod cum Manichæo duplex constituat primum principium, quod ibi sanctus Thomas claré probat.

Ex quibus id fit apertissimum quod primo 705
nostro

Digitized by Google

noſtro libro ac tertio dedimus manifeſtum, in primo agentes contra mediam ſcientiam, in tertio tractantes de præmotione divina: nullâ aliâ efficaciori viâ negari poſſe cum Manichæo, Luthero, ac Calvino libertatem noſtram in noſtris actionibus, quàm negando efficax auxilium gratiæ prævenientis pro actionibus ſupernaturalibus & divinam efficacem præmotionem pro naturalibus. Qua utraque efficaci præmotione ſeu prædeterminatione negata: negatur eo ipſo id quod eſt neceſſarium ut liberè arbitrium operetur, & ſine quo impoſſibile eſt, ut Patres docent & Sanctus Thomas ſæpius repetit, quod arbitrium operetur. Sicut deficiente cauſalitate primæ cauſæ, neceſſe eſt quod actio ſecundæ cauſæ deficiat, & deficiente prima rota magiſtrali in hoc creato horologio libertatis humanæ, quæ eſt prima cauſalitas, quod omnes aliæ inferiores ceſſent in noſtro arbitrio, nullaque actio fiat. Quia etiam philoſophia cognoſcit quod ſecunda cauſa mota movet, & per conſequens non mota non movet. Quomodo ergo efficacius noſtra poteſt negari libertas, quàm negando efficacem Dei præmotionem quæ illam in exercitio cauſat, & ſine qua impoſſibile eſt quod actualem habeat libertatem. Vel quomodo magis poteſt fundari hæreticorum, nempe Lutheri, & Calvini error negantium noſtram libertatem, quàm principium ſtatuendo, per quod omnis noſtra actualis impeditur libertas; imo impeditur omnis noſtra operatio, ſive libera, ſive non libera? Et ſic verum redditur illud quod Sanctus Pater Auguſtinus ſæpè repetit adversùs illos qui ei opponebant, quod per adiutorium gratiæ liberum impediretur arbitrium, eos vocando non defenſores, ſed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrij. Quæ enim maior poteſt eſſe liberi arbitrij præcipitatio, quàm illud tale re ipſa ponere; quod nulla ratione poſſit actualiter, nec liberè, nec non liberè operari?

706 Non attendunt itaque Authores, hi quod quantò plus extollere nituntur arbitrium, ut eius ſalvent libertatem: eò amplius eius propriam lapidant, præcipitant, & deſtruunt libertatem: & quò magis oſtentant ſe à Luthero, & Calvino longius ire; eo magis illorum ſententiam negantem arbitrium, ſtabiliendo fundant. Aliquando enim contingit quod per viam contrariam ad eundem tendatur errorem; quod Sanctus Thomas *opuſ.* 19. *cap.* 4. expoſuit, & exemplo comprobavit, eorum ſcilicet, qui dicebant Monachos ſine authoritate Papæ poſſe prædicare & confeſſiones audire: & eorum qui dicebant Papam hoc eis non poſſe concedere, qui manifeſtè errores ſunt contrarij: Et tamen in utroque hoc extremo errore idem error fundatur, quod eſt negare Papæ auctoritatem, ſive uno ſive altero extremo ex relatis. Sic & Lutherus, atque Calvinus expreſsè negantes arbitrium ex efficaci Dei motione: & iſti authores aſtruentes expreſſe, & voce arbitrium ex negatione efficacis præmotionis, qui ſunt errores contrarij. Vtrique ad eundem per contrariam viam, tendunt errorem, qui eſt negare noſtram libertatem, ut jam eſt clarè deductum, & amplius ſic oſtenditur. Creatum arbitrium eſt ſecundùm liberum eſſentialiter: ergo illius propria ratio & definitio eſt, quod ſecundò & dependenter à primo libero operetur: ergo qui ei hanc propriam definitionem & rationem tollunt, tollunt eius propriam libertatem: ſed qui dicunt ipſum ſe primò liberè determinare, negant manifeſtè quod ſecundariò ſe determinet, & dependenter à primo libero: ergo auferunt patentiſſimè illius propriam rationem & diffinitionem; & ex conſequenti illius propriam liberam naturam tollunt; & ſic illius omnino negant propriam libertatem.

Non igitur noſtra creata libertas conſiſtit aut 707
conſiſtere poteſt in hoc quod habeamus in noſtra poteſtate efficax divinum auxilium prævenientis gratiæ, vel quod illi reſiſtere valeamus: ſed in hoc verè conſiſtit quod ab efficaci præveniente auxilio moveatur ad bene operandum, & liberè operandum: Quia Deus per illud, ut ex Sancto Thoma dictum eſt, cauſat & ſubſtantiam actionis & modum liberum eius, qui modus liber, eſt non reſiſtere efficaciter Deo volenti; ſed ita hoc agere quod ſi velit voluntas, poſſit agere oppoſitum, vel poſſit ſic efficaciter motum arbitrium Deo excitanti diſſentire, ut Concilium Tridentinum etiam nobis declaravit ſicut explicatum ſatis manet: nec poſſe facere aliud, eſt poſſe reſiſtere efficaci auxilio. Sicut in præſcientia ſolet dici quod poſſe facere aliud quàm Deus præſcivit, non eſt poſſe falſificare divinam ſcientiam: ſed poſſe facere aliud ab eo quod eſt præſcitum ſeu prædeterminatum, tantùm infert quod Deus potuit aliud præſcire ſeu prædeterminare, ut alibi expoſuimus.

Quod autem ultimò opponere ſolent hanc effi- 708
cacem divinam prædeterminationem à Calvini ſententia non recedere, nec attendunt quantum illius partes ipſi agunt, ut modo breviter, & in his operibus noſtris copioſius fuit comprobatum, & oſtenſum id hac intentione opponi, ut hac horribili hæreſi obiecta cuius ſe iactitant eſſe contrarios, lateant inimici gratiæ in laude naturæ: verum admiſſo quod ab illius errore ipſi reipſa, & non ſola voce recedant, quid eos iuvat cum alia via in aliud extremum declinent? Non enim unum peſtilentiæ eſt genus quemadmodum in corporibus ita, & in mentibus: Deſinant ergo Catholicis obiectare quod non ſunt, nec ideo ſe velint haberi amabiles, quia Calviniſtarum ut aiunt adverſantur errori; ſed ſe cognoſcant reprehenſibiles, quia alio modo à veritate recedunt. Poſſunt enim duo errores inter ſe eſſe contrarij, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ambo veritati adverſantur. *Si enim* (ut ſanctus docet Auguſtinus) *propterea diligendi ſunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos, diligendi ſunt Manichæi, quia oderunt Pelagianos, & ſi ideò diligendi ſunt Arriani, quia oderunt Sabellianos, diligantur & Sabelliani, quia oderunt Arrianos. Et ſi Neſtorianos oportet diligere, quia adverſantur Eutichianiſtis, & ipſi Eutichiani diligantur, quia Neſtorianos oppugnant, ſed abſit, ut Catholica veritas propter alterorum odium alteros eligat amare, cum monente atque adiuvante Domino debeat utroſque vitare, & cupiat utroſque ſanare.*

Semper quod eſt advertendum, qui errorem 709
introducebant alteri errori contrarium illum oppoſitum ſe deteſtari iactabant, nec eos iuvaſſe non modò ſancti Doctores, ſed & Pontifices Summi paſſim obſervant, & illorum vanam excuſationem rejiciunt palam denudantes quam frivola, & pernicioſa ſit hæc illorum prætenſio. Sic enim, ut unum ex multis, quæ poterant exempla proponi referamus, Leo huius nominis primus habet epiſtola 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum: *Quamvis, quod multum dolemus, quidam adhuc, (ſicut ſermo indicat nuntiorum) tenebras ſuas diligant, & cum ubique diei ſplendor exortus ſit, etiam nunc cæcitatis ſuæ delectentur obſcuro, & perdita fide, ſolo & vacuo remanſerint nomine Chriſtiani*

Digitized by Google

non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore discernant, & blasphemiam Nestorij ab Eutichetis impietate distinguant. Nec enim ideò excusabilis videri aliqua eorum falsitas potest, quia ipsi sunt in sua perversitate contrarij. Nam cum Nestorium Eutichetis Discipuli detestentur, & Eutichetem anathematizent Nestorij Sectatores; Catholicorum indicio pars utraque damnatur: & amba simul hæreses à corpore Ecclesiæ resecantur, quia neutra falsitas nobiscum potest habere concordiam. Nec interest quo sacrilegio ab Incarnationis Dominicæ veritate discordent, dum id quod pravissimè sentiunt, nec auctoritas Evangelij, nec ratio recipiat Sacramenti.

710 Imo ut iam fuit ostensum, & ex sancto Thoma declaratum per viam contrariam ij authores partes Lutheri, & Calvini negantium hominis libertatem patentissime iuvant, quod & Lovanienſis Schola non semel in his operibus inducta in sua doctissima censura protulit dicens, quod *istorum authorum doctrina à Pelagio non satis procul abscedit; Lutheri vero, & Calvini, & reliquorum nostræ tempestatis hæreticorum dum ab ea (scilicet sententia) videri vult quam longissimè recedere, potentiusque* debellare, magis imprudens stabilit atque confirmat.

711 Tandem hoc illorum argumentum quod non semel in his operibus notum dedimus æqualiter contra illos militat & contra illam, quam vocant congruam vocationem; etenim illa in hominis potestate non est, ut palam affirmant; nec enim in hominis potestate esse potest, quod congruè vocetur, sic autem vocatus congruè, nec resistere potest: fieri enim nequit, ut sic vocatus resistat, quod est non posse resistere: quia ut primo libro probatum est abundantius, posse resistere compositum sensum importat. Itaque in illo priori, in quo sic congruè vocatur antequam consentiat, resistere nequit homo illi congruæ vocationi. Cum ergo illa talis vocatio non sit in hominis potestate, rursus, illa posita ei non possit resistere homo, hinc etiam ipsi inferunt: hominem talem non habere in potestate sua liberè operari, sed eius impediri libertatem, ut argumentantur.

712 Quod si dicant illam congruam vocationem involuere prævisum consensum liberum hominis, illumque supponere unde cum libertatem præsupponat, eam impedire non posse, nec necessitatem arbitrio inferre: ac propterea simile non esse de prædeterminatione; quæ efficacia sua omnem nostram prævenit libertatem. Ad hoc dicendum cum Leonardo Lessio iam superius inducto, quod si illa congrua vocatio supponat prædiffinitionem etiam post illam illorum mediam scientiam: ita quod illa vocatio illius effectus sit (sic enim ferè omnes ij authores admittunt illam congruam vocationem) illa necessitatem talem libero hominis adfert arbitrio ut absolutè aliud efficere non possit: quam per talem vocationem venientem ex prædiffinitione illa proponitur, & ex consequenti in homine impedit exercitium libertatis suæ. Et ad argumentum dicendum, quod licet vocatio congrua facta per scientiam mediam sine aliqua prædiffinitione hominis supponat futurum actum liberum à libera voluntate efficiendum: tamen congrua vocatio ex illa prædiffinitione veniens libertatem impedit: quia illa superveniens futuras prævisas actiones liberas quodammodo immutat, ita ut quæ secundum se omnino potuissent impediri, iam non possint ut citato loco supradictus Leonardus Lessius pluribus probat. Igitur per Leonardum Lessium & ipsi convincuntur quod in sua sententia idem argumentum currat, quod contra nostram opponunt.

713 Si autem illorum aliquis talem congruam vocationem statuat, qualem sine prædiffinitione etiam post mediam scientiam Lessius agnoscit: præter inconvenientia alia quæ satis diffusè contra hanc illius sententiam in fine nostri secundi libri retulimus ex alia via efficacius, nostra per illam congruam vocationem impeditur libertas; quatenus impossibile omnino est, quod non mota voluntas humana à prima causa ad aliquid se liberè, vel non liberè volendum ipsa se moveat clarius tollitur, & penitus aufertur negata omni divina prædiffinitione, & posita tantum vocatione indifferenti tam pro bonis quam pro malis, cum sola præscientia quod isti benè illa utentur, ex se ipsis non aliis: undique ergo per omnem illorum congruam vocationem nostram impediunt ipsi libertatem.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS VLTIMVS.

DE MAGNO PERSEVERANTIÆ DONO.

CAPUT I.

Primus homo ad ſimpliciter perſeverandum in bono indiguit ſupernaturali Dei auxilio ſuperaddito virtutibus infuſis.

1 CIrca Magnum illud perſeverantiæ donum, quod inter cætera omnia efficacia prævenientis gratiæ auxilia nobiliſſimum obtinet locum: utpote quo homo perſeverat in bono uſque in finem, & quo ultimam ſalutem conſequitur, ſe offert in fine huius quarti libri, & totius noſtri aſſumpti operis diſputare, ſed non diffusè, quia omnia, quæ in ſuperioribus diſcuſſa ſunt, & tradita de auxilio efficaci prævenientis gratiæ, de hoc potiſſimo auxilio perſeverantiæ æqualiter procedunt, nec aliam maiorem difficultatem hoc habet in hac materia, quam ſit illa, quæ omni auxilio prævenientis gratiæ communis eſt. Quæ etiam omnino manet ſuperata. Vnde breviſſimè pauca tangemus occaſione ſolum aſſertionum, quæ circa donum perſeverantiæ ex his authoribus relatæ fuere primo noſtro libro *cap.* 66. quibus ipſi ſuam circa donum perſeverantiæ exponunt ſententiam breviſſimè inquam quia iam huic libro, & his noſtris operibus finem imponere deſideramus cum hac materia perſeverantiæ uſque in finem.

2 Prima ex illis tribus, quæ & ibi eſt 95. verſatur circa explicationem *Canonis* 19. Concilij Arauſicani ſecundi cuius verba ſunt. *Natura humana etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſe ipſam creatore ſuo non adiuvante ſervaret.* Vnde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit: quomodo ſine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit? De cuius intelligentia primo dicunt hi authores Patres Concilij in eo Canone hanc potiſſimam concluſionem adversùs Pelagianos intendiſſe hominem ſalutem ſpiritualem amiſſam recuperare non poſſe ſuis viribus ſine gratia, & ſpirituali auxilio ſuo modo ab eis explicato. Aſſerunt ſecundo quod ut hoc Patres illius Concilij diffinirent, præmiſerunt illa verba de natura humana, ſi permanſiſſet in ſua integritate, à fortiori concludentes, quod ſi natura in ſua integritate non potuit ſe ipſam ſervare ſine adiutorio Creatoris ſui, multo minus natura lapſa poteſt ſine gratia, & eius adiutorio recuperare amiſſam gratiam.

3 Ne autem ad iſta duo revertamur, eis libenter fatemur hanc fuiſſe Concilij in illo Canone intentionem, & mentem, quam & verba ipſa in illo diſpoſita clarius oſtendunt. Sed aſſerunt tertio ſenſum, & intelligentiam eſſe quod natura humana ſi in illa integritate maneret nullo modo ſe ipſam conſervaret ſolis viribus ſuis ſine creatore ſuo adiuvante, ſaltem per influxum habitualem iuſtitiæ Originalis, & gratiæ ac Theologicarum virtutum, unde à fortiori multo minus natura lapſa ſolis viribus ſuis, & ſine omni prorſus gratia poterit recuperare, quod perdidit. Ex quo inferunt quarto neminem ex iſta Concilij diffinitione poſſe colligere primos parentes in Innocentiæ ſtatu ad vitandum peccata lethalia perſeverandumque in gratia eguiſſe auxilio particulari ſuperaddito habitibus iuſtitiæ originalis, & gratiæ theologarumque virtutum. Vnde, & alij authores ex ipſis citati noſtro primo libro ubi ſupra expreſſis verbis concedunt non indiguiſſe primos parentes in ſtatu Innocentiæ ad perſeverandum aliqua gratia excitante eos ad bonum ſupra habitus Iuſtitiæ Originalis, & alios virtutum infuſarum. Et hoc tandem probant ex Sancto Thoma 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 2. 3. & 4. ubi dicit, quod ut homo naturæ integræ naturali dilectione Deum ſuper omnia diligeret, ſervaretque præcepta omnia naturalia etiam quæ ſub veniali culpa obligabant atque adeò ab omni peccato abſtineret nullo gratuito Dei auxilio, ſed ſolo univerſali, quo cum omni ſecunda cauſa cooperatur indiguiſſe in articulo autem illius quæſtionis is docet eguiſſe auxilio Dei in bono conſervantis, quo ſubtracto, ut ait etiam ipſa natura in nihilum decideret. Nomine autem huius auxilij non aliud videtur intelligere, quam influxum univerſalem, quo cuncta in eſſe conſervat. In hac quæſtione ſupponimus id, quod etiam ij Authores concedunt, quod ab omnibus admitti debet primos parentes in ſui creatione in illo fæliciſſimo ſtatu Innocentiæ, non ſolum fuiſſe integros in ſuis naturalibus per Iuſtitiam originalem, ſed etiam habuiſſe ſupernaturalem gratiam, & habitus infuſos.

Qua præhabita veritate, de qua primo noſtro 4
libro egimus copioſè inter impugnandam omnium primam horum authorum aſſertionem dicendum falſiſſima eſſe hæc tria quæ modo ex citato Authore relata ſunt: falſum enim eſt primo, quod Concilio Arauſicano 2. illo Can. 19. per illa verba ſine gratia, intelligat habitus infuſos, & non actuale auxilium illis ſuperaditum: falſum eſt ſecundo neminem ex illo Canone poſſe recte colligere indiguiſſe primos parentes ſpeciali auxilio gratiæ ad perſeverandum. Falſum denique Sanctum Thomam allatis teſtimonijs docere cum auxilio naturalis ordinis illos potuiſſe uſque in finem vitæ perſeverare, ſed prius advertendum aliud eſſe hominem in illo primo ſtatu indiguiſſe auxilio ſupernaturali ſuperaddito illis infuſis habitibus ad bene operandum, & aliud, eo indiguiſſe ad perſeverandum. Nam in illo ſtatu indiguit quidem auxilio ſupernaturali ipſum applicante ad bene operandum: ſicut modo indiget homo etiam iuſtificatus. Et ratio eſt quia ille erat integer, & habebat integras vires ad bene operandum ex habitibus infuſis, poſito quod ſolum moveretur, & applicaretur ad operandum ex illis. Quod

autem

Digitized by Google

autem indigeret etiam tunc in illo auxilio applicante, patet quia alias applicatio ad bonum ex ipsomet esset, & ipse esset prima causa sic se applicans ad bene operandum quod dici nullo modo potest. Cæterum ad continuò seu immobiliter in bono perseverandum non solum indigebat auxilio supernaturali merè applicante, sed ipsum adiuvante eique vires addendo ut firmiter in bono usque ad finem perseveraret: quod ex sententia sancti Thomæ statim citandi ex 3. *cont. gent. cap.* 155. manifestabimus. Quod & Concilium allatum Arausc. citato Canone docet requirit etiam in homine in primo statu ad perseverandum, in bono novam gratiam, id est novum gratiæ auxilium dans illi virtutem ad perseverandum propter magnam difficultatem, quæ est in hoc quod est continuo in bono perseverare, hæc enim firmitas in bono ex causa firma, non ex variabili qualis erat etiam tunc humana natura debebat provenire: hoc etiam sanctus Thomas docet 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10. *ad* 3. dum docet quod in illo per gratiæ donum facilius poterat homo perseverare in quo nulla erat rebellio carnis ad Spiritum, quam nunc possit. Idem ergo gratiæ donum requirit in utroque statu ad perseverandum scilicet dans vires ad perseverandum: licet eo facilius in illo statu posset homo perseverare quàm modo.

5 Qua veritate explicatur illud primum dictum (quod videlicet in illo Canone intendat Concilium, quod natura humana si in sua integritate maneret, non se conservaret solis naturæ viribus sine Deo adiuvante salutem per habitus virtutum infusarum: ita quod non requirat Concilium ad hoc quod illa natura integra in bono perseveraret nisi solum habitualia illa dona, non autem aliquod actuale auxilium gratiæ quo eam in bono conservaret) contra aperta verba Concilij est, & contra illius intentionem. Concilium enim asserit hominem primum accepisse salutem nimirum per supernaturales habitus infusos; hoc enim sonant illa verba salutem quam accepit. Et clarè docet hanc salutem, quam accepit, non potuisse hominem illum custodire sine gratia: ergo conditinguit manifestè illam salutem habitam, per habitus supernaturales infusos, contra illam gratiam sine qua non poterat custodiri. Igitur manifestè per illam gratiam sine qua non poterat custodiri salus habita per supernaturales habitus infusos, intelligit gratiam superadditam illis infusis habitibus. Sed ista gratia superaddita necessaria secundum Concilium non erat alia habitualis; ut est certum: Ergo erat actualis gratia quæ faceret ut homo custodiret salutem sibi à principio datam per infusos habitus supernaturales.

6 Præterea intentio Concilij id ostendit: intendit enim Concilium arguere à fortiori, quod si homo in primo statu habens naturæ integritatem, & simul salutem sibi datam per infusos habitus non poterat custodire illam supernaturalem salutem, tam per illos habitus sine alia speciali gratia, quæ modo sine gratia Dei poterit homo recuperare salutem quam perdidit? Nec est intentio Concilij propriis & apertis verbis explicata, quis autem non videat quod nisi sic loquatur de gratia superaddita habitibus infusis nullum prorsus esset argumentum Concilij. Deinde aliud asserere est manifestè ponere quod homo tunc in illo statu ex seipso perseveraret, & non ex Deo ipsum faciente perseverare, quod est ex nobis ponere potissimum bonum quale est perseverare, & non ex Deo. Probatur, quia habitibus utimur cum volumus, & ipsi habitus comparantur dormienti, ergo illis habitibus infusis uteretur voluntas, ex seipsa, quia vellet, & eos secum ipsa traheret, ut secùm bene operarentur usque in finem vitæ vel operari perseveranter oriretur sicut ex prima causa ex illis habitibus vel ex humana voluntate non ex habitibus qua illi non applicant voluntatem ad operandum: ergo primo, & originaliter, ex voluntate ipsa suis viribus esset ista bona, & perpetua applicatio ad bonum. Postremo hoc est contra totum librum sancti Patris Augustini de dono perseverantiæ, ut est satis notum.

Tandem hoc est negare necessaria fuisse in 7
primo parente ad perseverandum in bono actualia auxilia gratiæ quod est nimis falsum, & contra apertam sancti Patris Augustini & sancti Thomæ doctrinam, ut statim probabimus, estque enervare, & de medio tollere necessitatem actualis auxilij divinæ gratiæ esse necessarium ad perseverandum in bono. Sed consequenter loquuntur authores isti cum enim ipsi teneant in hominibus iustificatis etiam in hoc statu naturæ lapsæ ipsos habitus supernaturales Theologicarum virtutum habere rationem gratiæ excitantis, nec aliam excitantem requiri vel aliquam aliam actualem gratiam prævenientem, quid mirum si hoc etiam in statu innocentiæ habitibus iustitiæ orginalis, & aliis infusarum virtutum concedant? Sed quam falsa ista doctrina sit, declaratum est supra.

Secundo id asserere est contra mentem expres- 8
sam sancti Patris Augustini in toto libro de corr. & gratia, & de dono perseverantiæ cuius doctrina in hac parte à Catholicis, ut dictum est sæpe, omnino recipienda est, quia per Ecclesiam est approbata, ut tum sanctus Prosper in fine libri contra Collat. ostendit, tum illustrissimus Cardinalis Bellarminus multoties ad hoc inductus fatetur. Ipse enim sanct. Doctor in relatis libris passim docet primum hominem habuisse adiutorium quo perseverare posset, si voluisset, non tamen habuisse adiutorium quo de facto perseveraret, quia si hoc habuisset, utique perseveraret. Vbi multipliciter ex Scriptura probat illud adiutorium quo Deus facit nonnisi, ut perseverantes sint esse donum Dei, nec fieri posse, ut homo sine illo perseveret. Plurima ad hæc testimonia in utroque illo libro habentur, quæ legentibus erunt satis manifesta. Vnde nec est cur inducantur à nobis, quia in re notissima nolumus immorari.

Tertio talis peregrina intelligentia est apertè 9
contra sanctum Thomam 1.2. *quæst.* 109. *art. ultimo solutione ad tertium*, ibi enim postquam in corpore articuli admisit quod perseverantia nihil est aliud quàm continuatio, quædam in bono usque ad finem vitæ in illa *solutione ad tertium*, ex sancto P. Augustino docet hominem in primo statu accepisse donum per quod perseverare posset, non autem accepisse ut perseveraret, & in argumento, sed contra ex eodem sancto Doctore Augustino docet hoc donum faciens perseverare esse donum Dei, quod etiam iustificati à Deo petunt, alias si donum Dei non esset, sed in hominis esset potestate; irrisoria petitio esset, qua à Deo id sancti postularent. Idem clarius docet 3. *cont. gent. c.* 155. in prima ratione dicens: *Omne enim quod de se est variabile; ad hoc quod figatur in uno indiget auxilio alicuius moventis immobilis; homo enim variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in malum; ad hoc igitur quod immobiliter perseveret in bono, quod est perseverare* indiget auxilio divino. *Et in ratione* 3. ait; *quod homo non potest volendo facere, quod voluntas in eo quod vult, ad id quod vult, vel eligit, immobiliter se habeat: hoc*

autem

Digitized by Google

quem requiritur ad perseveran iam ut sci cetvoluntas in bono immobiliter permaneat : perseverantia igitur non est in potestate liberi arbitrij : oportet igitur adesse homini auxilium divinæ gratiæ ad hoc ut perseveret. Hæc Sanctus Thomas ubi pariter explicat auxilium perseverantiæ facere hominem immobiliter in bono persistere nec hæc immobilitas aliquo modo libertatem nostram impedit. Et quod ibi loquatur generaliter etiam includendo primum hominem conditum in natura integra cum habitibus infusis facile constat si quis ad rationes attendat, quibus id probat in *illo 3. cont. gent. cap.* 155. quæ sine dubio etiam procedunt de homine in statu naturæ integræ habente habitus infusos. Prima enim talis est, omne quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in uno indiget auxilio alicuius moventis immobilis : homo enim variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in malum (quod manifestè verum habet etiam de homine in statu naturæ integræ habente habitus infusos) ad hoc igitur quod immobiliter perseveret in bono, quod est perseverare, indiget auxilio divino.

10 Adhuc ad illud quod excedit vires liberi arbitrij indiget homo auxilio gratiæ, sed virtus liberi arbitrij non se extendit ad hunc effectum, qui est perseverare finaliter in bono, quod sic patet : potestas enim liberi arbitrij est respectu eorum quæ sub electione cadunt, quod autem eligitur est aliquod particulare operabile : particulare autem operabile est quod est hic, & nunc, quod igitur cadit sub potestate liberi arbitrij est aliquid, ut nunc operandum, perseverare autem non dicit aliquid, ut nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus : iste igitur effectus, qui est perseverare in bono est supra potestatem liberi arbitrij, indiget igitur homo ad perseverandum in bono auxilio divinæ gratiæ. Quæ ratio apertè etiam procedit de homine integro habente habitus infusos, cum ex propria, & essentiali natura liberi arbitrij procedat : igitur indigebat etiam ille auxilio divino superaddito, habitibus infusis ad perseverandum.

11 Ampliùs, licet homo per voluntatem & liberum arbitrium sit Dominus sui actus, non tamen est Dominus suarum naturalium potentiarum; & ideo licet liber sit ad volendum, vel non volendum aliquid non tamen volendo facere potest quod voluntas in eo quod vult, ad id quod vult vel eligit, immobiliter se habeat; hoc autem requiritur ad perseverandum, ut scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat : perseverantia igitur non est in potestate liberi arbitrij : oportet igitur adesse homini auxilium divinæ gratiæ ad hoc quod perseveret. Constat autem quod tam maior quam minor rationis huius se extendunt etiam ad hominem in natura integra habentem habitus infusos : Ergo indigebat ille auxilio gratiæ superaddito habitibus infusis.

12 Præterea si sunt plura agentia successivè, quorum scilicet unum agat post actionem alterius, continuitas actionis istorum non potest causari ex aliquo uno istorum, quia nullum eorum semper agit; nec ex omnibus, quia non simul agunt. Vnde oportet quod causetur ab aliquo superiori, quod semper agat, sicut Philosophus probat. *in* 8. *Physicorum* quod continuitas generationis in animalibus causatur ab aliquo superiori sempiterno; ponamus autem aliquem perseverantem in bono : in eo igitur sunt multi motus liberi arbitrij in bonum tendentes, sibi invicem succedentes usque ad finem huius : igitur continuationis boni quod est perseverare, non potest esse causa aliquis istorum motuum, quia nullus eorum semper durat; nec omnes simul, quia cum non simul sint, non possunt simul aliquid causare. Relinquitur ergò quod ista continuatio causetur ab aliquo superiori : indiget igitur homo auxilio superioris gratiæ ad perseverandum in bono. Manifestum est autem hanc etiam rationem ex propria natura motuum liberi arbitrij, & ex propria ratione continuationis perseverantiæ fieri; & ex consequenti etiam in homine integro, & habente supernaturales habitus infusos vim habere; Igitur indiguit primus homo ad perseverandum speciali auxilio gratiæ superaddito virtutibus infusis.

Item si sint multa ordinata ad unum finem to- 13
tus ordo eorum, quousque pervenerint ad finem est à primo agente dirigente in finem : in eo autem qui perseverat in bono sunt multi motus, & multæ actiones pertingentes ad unum finem; oportet ergò quod totus ordo istorum motuum, & actionum causetur à primo dirigente in finem. Ostensum est autem quod per auxilium divinæ gratiæ diriguntur in ultimum finem; igitur per auxilium divinæ gratiæ est totus ordo & continuatio bonorum operum in eo qui perseverat in bono. Quæ etiam ratio ultima, sicut & præcedentes ob rationes insinuatas, in omni homine sive in natura lapsa, sive integra vim suam habet : ita quod etiam ille in natura integra, & cum infusis habitibus indigebat ad perseverandum auxilio gratiæ dirigente superaddito ipsis habitibus infusis.

CAPVT II.

Idem amplius explicatur ostendendo auxilium gratiæ ad perseverandum non esse habitum gratiæ & alios habitus infusos, sed esse speciale auxilium illis superadditum.

POstquam autem Sanctus Thomas inductas ra- 14
tiones construxit, quibus in genere probat quod homo, etiam si integer sit & cum habitibus supernaturalibus, indiget ad perseverandum auxilio gratiæ statim declarat hoc gratiæ auxilium non esse habitum gratiæ, & alios habitus infusos; sed esse speciale auxilium gratiæ ipsis habitibus superadditum : Nam post pauca subiungit : *Sciendum tamen est quod cum ille qui gratiam habet petat à Deo ut perseveret in bono, sicut liberum arbitrium non sufficit ad istum effectum, qui est perseverare in bono sine exteriori Dei auxilio, ita nec ad hoc sufficit aliquis habitus nobis infusus : habitus enim qui nobis infunduntur divinitùs secundum statum præsentis vitæ, non auferunt à libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum; licet per eos liberum arbitrium aliqualiter stabiliatur in bono; & ideo cum dicimus hominem indigere ad perseverandum finaliter auxilio gratiæ, non intelligimus quod super gratiam habitualem prius infusam ad bene operandum alia desuper infundatur ad perseverandum, sed intelligimus quod habitis omnibus habitibus gratuitis adhuc indiget homo divinæ providentiæ auxilio exteriùs gubernantis.*

Manifestum est ergo in Sancti Thomæ sen- 15
tentia indiguisse primum hominem habentem habitus

Digitized by Google

bitus infusos, auxilio speciali gratiæ illis superaddito ut perseveraret.

16 Nec aliquem moveat quod semel, & iterum dicit hoc auxilium esse exterius, & exteriùs hominem gubernare, ut intelligat non exigi à S. Doctore auxilium interius esse necessarium, ut de facto homo perseveret, quia nomine auxilij exterioris, ut patet ex rationibus eius inductis, non intelligit auxilium puræ exterioris gubernationis: sed intelligit auxilium intra animam eidem tribuens vires ad continuationem actuum, quibus homo perseveret: sed vocat illud exterius auxilium, sicut 1.2. *quæst.* 10. *art.* 4. vocat Deum agens extrinsecum respectis nostræ voluntatis; & *ead.* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. loquens de auxilio præparante hominem ad gratiam, quod interiùs animam movet, illud vocat in titulo articuli auxilium exterius, dicens, *utrum homo possit seipsum ad gratiam præparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiæ.* Eâ autem ratione ipsum exterius vocat, quia non est semper intra animam, sed ab extrinseco provenit.

17 Vltimò quia illam perseverantiam pro hoc statu tantum admittere, est gratiam primæ conditionis solum agnoscere, non autem gratiam veræ nostræ redemptionis. Vnde ut illam S.P. Augustinus se defendere ostenderet, librum illum quem contra Pelagium scripsit, de gratia Christi prænotavit: qui proinde in toto illo libro probat non dare tantùm posse bene operari, si homo velit, qualis fuit primæ conditionis gratia; sed tribuere ipsum velle, & operari ac in bono usque in finem vitæ perseverare.

18 Quod autem S Thomas 1.2. *cit. art.* oppositum nec adeò insinuet (quod erat tertium ab illo authore additum) adeo clarè illorum articulorum littera testatur, ut appareat qui illum aliter intelligit, ex proposito vel ad ipsum advertere noluisse; vel si advertit, eodem proposito contra expressam eius litteram, & aperta verba, eum sic opponere voluisse In primo enim *articulo illius q.* 109. ut in re evidentissima immoremur (ad hoc enim opposita objectione coarctamur) *in fine corporis*, ita concludit: *Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cuiuscumque veri homo indiget auxilio divino ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum; non autem indiget ad cognoscendum veritatem in omnibus nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam quæ excedunt naturalem cognitionem.* Quibus verbis tria manifestè docet: Primum, intellectū ad cognoscendum ea quæ non excedunt naturalem cognitionem non indigere novâ illustratione superaddita naturali illustrationi. Secundum indigere ad illa cognoscendum auxilio divino naturalis ordinis proportionato illi naturali cognitioni movente intellectum ad illorum cognitionem. Tertium indigere nova illustratione superaddita naturali illustrationi ad cognoscendum ea quæ excedunt naturalem facultatem.

19 Ex his unde sequitur, vel unde inferri potest, non indiguisse primum hominem ad perseverandum in supernaturali gratia & salute quam acceperat, novo auxilio gratiæ superaddito illis supernaturalibus habitibus, in quibus creatus fuerat à principio? Imò planè totum oppositum potiùs convincitur, quod videlicet ad perseverandum in his quæ excedebant naturalem illustrationem, indigeret auxilio movente proportionato excedente etiam naturalem illustrationem. Nam sententia S. Thomæ ibi expressa est, quod nulla potentia, nullaque natura quantumcunque perfecta potest in suam operationem exire sine auxilio Dei actualiter movente sibi proportionato; itaut potentia naturalis indigeat auxilio simili naturali actualiter movente ad naturales operationes; Potentia autem affecta habitibus supernaturalibus ad eliciendum operationes supernaturales illis habitibus supernaturalibus proportionatas (qualis erat potentia primorum parentum per habitus virtutum infusarum Theologarum) indigeat actuali auxilio movente supernaturali proportionato, & habitibus illis, & operationibus supernaturalibus ab illis eliciendis.

In *articulo* autem *secundo* clariùs hoc exponens, cum præmisisset quod homo tam in statu naturæ integræ, quam lapsæ indigebat auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcunque bonum, sicut primo movente, statim hæc verba subdit: *Sed in statu naturæ integræ quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonum sua naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ.* Igitur apertè docet non sufficere in natura integra naturalem virtutem operativam, & auxilium movens illi proportionatum, scilicet naturalis ordinis, ad volendum, vel faciendum bonum superexcedens, quale est bonum virtutum infusarum; sed primus homo in sua integritate non solum habebat naturalem virtutem operativam) nec solam originalem iustitiam, sed etiam habitus virtutum infusarum, eratque in gratia creatus: ergo ad perseverandum in gratia, quam ex illis virtutibus infusis habebat, quod absque dubio erat bonum superexcedens naturæ facultatem, non sufficiebat auxilium actualiter movens ordinis naturalis; (ut isti authores imaginantur:) sed expressa sancti Thomæ sententia indigebat auxilio superexcedente eandem naturæ facultatem proportionato gratiæ & habitibus infusis, in quibus creatus fuerat homo. 20

In *tertio* præterea *articulo* consequenter eandem tradens, & prosequutus doctrinam docet quod homo in statu naturæ integræ ad diligendum dilectione naturali super omnia Deum authorem naturæ non indigebat auxilio supernaturali, sed tantùm naturalis ordinis quo ad illam naturalem dilectionem actualiter moveretur verba illius sunt: *Et ideò dicendum est quod homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis.* Nullo ergo modo dicit quod primus homo in statu naturæ integræ non indigeret supernaturali auxilio actuali ad perseverandum in gratia quam acceperat. 21

Postremò in *articulo quarto*, docet quod ad servanda omnia præcepta quantum ad substantiam actus homo in statu naturæ integræ non indigebat auxilio supernaturali; bene tamen ad servandum ea quantùm ad modum, prout nimirum ex charitate servantur: ergo cum primus homo fuerit in gratia & charitate constitutus, ad servandum præcepta ex charitate, & quantum ad modum, ac perseverandum in tali observatione in eadem gratia, & charitate, indigebat, secundùm expressam sancti Thomæ sententiam in illo articulo, supernaturali auxilio gratiæ. 22

Tandem in *art.* 8. ultimò oppositò solùm docet quod homo in statu naturæ integræ, etiam sine gratia habituali poterat non peccare etiam venialiter, non tamen hoc poterat sine auxilio Dei conservantis. In quo loco loquitur in casu quò homo fuisset in solis naturalibus integer creatus sine 23

aliqua

Digitized by Google

aliqua habituali supernaturali gratia, ut verba apertè pronuntiant: Vnde pro illo solùm requirit auxilium conservantis Dei authoris naturalis, & auxilium etiam ordinis naturalis eum ad bonum naturæ movens, ut in aliis prioribus articulis docuerat; Ex quo nullo modo potest inferri quod primus homo, qui de facto fuit creatus etiam in gratia habituali, ac aliis infusis habitibus, ad perseverandum in gratia non indiguerit auxilio actuali supernaturali illis habitibus superaddito; imò, ut visum est, totum potius contrarium ex literalibus horum articulorum habetur.

25 Quod si quis opponat, homo in statu illo innocentiæ potuit solo auxilio naturalis ordinis moventis, ipsum diligere Deum authorem naturæ super omnia dilectione naturali, & similiter poterat omnia mandata quoad eorum substantiam observare, ut dictum est: ergo cum solo illo auxilio poterat in bono perseverare; etenim in bono perseveraret (sicut illo auxilio potuit) diligendo Deum naturaliter super omnia, & nullum transgrediendo mandatum, quoad substantiam actus. Quâ fortè ductus ratione citatus author hoc attribuit sancto Thomæ, idque infert ex illis duobus nunc relatis, quæ sanctus Thomas concedit; potuisse nimirum primum illum hominem facere in statu illo solo auxilio naturalis ordinis mandatum.

26 Ad hoc dicendum, quod quamvis homo ille cum solo illo naturalis ordinis auxilio posset, & Deum naturaliter super omnia diligere, & omnia quoad substantiam servare mandata: non tamen cum solo illo sine adiutorio gratiæ supernaturali posset in bono in quo à Deo creatus fuerat, perseverare: Quia cum creatus fuerit ne dum in suis naturalibus integer, sed etiam in gratia supernaturali, & cum habitibus infusis, si non haberet actuale auxilium supernaturale, non posset in illa supernaturali gratia perseverare. Itaque potentiam proximam haberet ad servanda naturalia præcepta in tali casu; non autem ad servanda supernaturalia Fidei, Spei, & Charitatis. Et quia sæpius dictum est, quod teneretur illa diversa supernaturalia præcepta servare, & in illis ambulare, ut id de facto exhiberet, & potissimè ut in illis numquam deficeret, sed in illis perseveraret, indigebat supernaturali auxilio ipsum applicante ad faciendum illa diversa supernaturalia mandata, & ad perseverandum in illis. Vnde de facto incompossibilia erant in illo homine ista duo, & quod ipse perseveraret in dilectione Dei naturali super omnia, & in observatione præceptorum naturalium quoad eorum substantiam, & quod de facto peccaret immediatè contra aliquod supernaturale præceptum: quia eo ipso quod immediatè peccaret contra supernaturale aliquod præceptum, ex consequenti etiam averteretur à Deo fine naturali; nec ipsum naturaliter super omnia diligeret. Et ex consequenti etiam ista duo incompossibilia essent in tali homine, & quod Deus efficaciter illum moveret auxilio naturalis ordinis ad perseverandum in dilectione Dei super omnia; & quod permitteret eum peccare immediatè contra supernaturale præceptum; non dando ei efficax auxilium supernaturale ad adimplendum illud supernaturale præceptum.

CAPVT III.

In statu naturæ lapsæ multò magis indiget homo, ut de facto perseveret, auxilio efficaci Dei, quod ipsum faciat perseverare.

DE magno dono perseverantiæ quod pro hoc 27
statu ad perseverandum necessarium est, ita ij authores cum quibus agimus philosophantur, & illud his verbis à principio Lovanij explicarunt: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem illa gratia, qua poterat perseverare si vellet: ergo, & nunc sufficit.* Vt ex ipsis relatum manet *primo nostro libro part. 1. tract. 6. cap. 24. assertione 96.* Quam magis explicantes ita addiderunt. *Est quoddam perseverantiæ donum consistens in quodam speciali auxilio, & protectione, quâ Deus ita protegit, & munit quosdam, ut ferè indeclinabiliter in gratia perseverent usque ad mortem, quod quibusdam conceditur ut fortè Apostolis post acceptum Spiritum sanctum, & aliis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiæ donum quod consistit in quodam auxilio, & protectione, quâ Deus ita adest, ut possint in gratia perseverare si velint, & hoc donum est necessarium ad salutem, & datur omnibus.*

Priusquam hæc illorum doctrina impugnetur, 28
sicut ab omnibus impugnanda est, oportet in quo sensu illum intelligant, explicare: quem & ipsi apertis verbis exposuerunt, & exponunt. Cum enim dicunt sufficere ad perseverandum gratiam illam, quâ homo potest perseverare, si velit, quam & omnibus dari dicunt, & hoc esse auxilium perseverantiæ, ita intelligunt illam gratiam sufficere ad salutem, quod præter illam nulla alia ex parte Dei præveniens gratia necessaria sit, ut de facto homo perseveret. Sic enim ipsi intelligunt, & explicant auxilium sufficiens ad perseverandum; nec aliam sufficientem ad perseverandum gratiam admittunt, ut ex dictis supra de auxilio sufficienti constat, & ex ipsorum verbis relatum fuit manifestè.

Quo supposito illa illorum assertio prioribus il- 29
lorum verbis exposita valde à veritate deficit, tum in antecedenti; tum in consequenti. In antecedenti quidem, quia asserunt potuisse primum hominem perseverare, si vellet, per illam gratiam, quam ad perseverandum de facto habuit. Itaque etiam nulla alia potentiori gratia ei collata, si ipse vellet, cum illa perseveraret de facto, illam videlicet sibi efficacem reddendo sua cooperatione. Quæ sententia ex omnibus dictis, & superiùs abundè probatis, omnino efficaciter, manet expugnata; quia ex Deo tantùm admittit donum quo homo potest perseverare; ex homine autem ipso, velle & perseverare. Quæ doctrina à quo principio fuerit prolata, sanctus Pater Augustinus refert expresè libro de gratia Christi contra Pelagium; referunt & sancti Prosper, & Hilarius potissimè Epistolis ad eundem sanctum Patrem Augustinum; unde amplius præter dicta impugnanda non est. Contradicit etiam expressissimè sancto Doctori Augustino, qui *lib. de correct. & gratia cap. 6.* & toto de dono perseverantiæ apertè docet, & ex divinis litteris probat, quod Adam non habuit illam gratiam seu illud donum quod facit perseverare, quia si illud habuisset,

Digitized by Google

buiſſet, utique perſeveraſſet unde ſæpe de illo homine docet quod habuit quidem gratiam qua potuit perſeverare ſi vellet ; non tamen habuit gratiam qua perſeveraret : & utramque gratiam clariſſimè diſtinguit. Quam tamen duplicem gratiam, & qua poteſt homo perſeverare, & qua non niſi perſeverans ſit, iſta iſtorum aſſertio & doctrina manifeſtiſſimè reijcit : non ſolùm oppugnans Sancti Patris Auguſtini doctrinam ; ſed illorum qui eam approbarunt & ſuam fecerunt, qui fuerunt plures ſummi Pontifices videatur Sanctus Thomas 3. *cont. gent. cap.* 155. ubi poſtquam docuit indigere hominem ſupra habitus infuſos actuali auxilio quo voluntas eius in bono immobiliter permaneat, docet errorem Pelagianorum fuiſſe ; quod ad perſeverandum in bono ſufficit liberum hominis arbitrium. Poſuit tandem Iulianus, & alij ſui erroris conſortes habitus ſupranaturales cum quibus homo poterat perſeverare ſi vellet : quia ſat erat ; quod habitus illi darent poſſe ſi homo vellet, in illis perſeverare. Quod autem illud poſſe perſeverare detur ab habitu, ſeu ab auxilio actuale dante tantùm poſſe in idem omnino redit ut eſt ſatis notum.

30 Deficit etiam in conſequenti, quia multò major gratia requiritur ad perſeverandum in homine lapſo, quàm in homine integro ; quia ut Sanctus Thomas docet. 1.2. *quæſt.* 109. *art. ultimo ad* 3. faciliùs homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu Innocentiæ in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſimus cum reparatio gratiæ Chriſti etſi ſit inchoata quantum ad mentem ; nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem. Quod ſi iſti authores admittant maiorem requiri gratiam ad perſeverandum in homine lapſo, quàm in homine in illo primo ſtatu, ſed intra limites gratiæ dantis tantum poſſe perſeverare non autem facientis de facto perſeverare. Tunc dicendum eſt, quod ſicut primus homo nullo modo de facto perſeveraret niſi ex dono Dei, quo ipſum faceret perſeverare ; à fortiori multò minus in natura lapſa homo de facto in gratia perſeverabit, niſi ex magno illo perſeverantiæ dono quo Deus per Chriſtum Dominum & eius meritum, ipſum hominem efficaciter faciat perſeverare. Quod etiam potentius illo alio eſſet.

31 Quia verò utramque aſſertionem Schola Lovanienſis, & Duacenſis in ſuis doctiſſimis cenſuris à principio impugnarunt in 13. & 22. aſſertione in his authoribus, quas utraque Academia refert, & reprobat : ideò viſum eſt pro perfecta expugnatione earum, ea tantùm verba quæ ex illis graviſſimis univerſitatibus habentur in medium proferre.

32 Illam propoſitionem. In ſtatu Innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem illa gratia qua poterat perſeverare ſi vellet : Ergo nunc ſufficit. Ita Lovanienſis Academia reprobat : *Hæc ſententia, quæ habet ſufficere nunc iuſtis ad perſeverandum eam gratiam, qualis fuit in primis parentibus data ; & Maſſilienſium olim fuit, & directè ac ex profeſſo beati Auguſtini doctrinæ repugnat* cap. 12. *de corrept. & grat. & Eccleſiæ Orationes evertit.* Schola autem Duacenſis eadem confirmans ſic eam reijcit : *Idem hoc volebant Maſſilienſes, quibus non placuit diſcrimen illud gratiæ quod inter hominem integrum, & lapſum poſuerat Auguſtinus in libro de Correct. & grat. ut eſt Epiſtola Hylarij ad Auguſtinum. Infirmitatem autem huius argumenti percipiet, qui legerit caput undecimum, & duodecimum libri memorati. Certè bonum hoc argumentum fortaſsè ei videbatur, qui ſtatus utriuſque diſtantiam, & ortam ex peccato naturæ noſtræ corruptionem non ſatis perpenderit. At non ita S. Auguſtinus cuius ut unum, ex multis teſtimoniis ponamus, hæc apertiſſimè verba ſunt dicti operis c.* 12. *Primo homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adiutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut perſeverantia ipſa donetur ; non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.*

Aliam verò ſubiunctam propoſitionem à prin- 33
cipio huius capitis relatam, quam etiam ij authores cum quibus agimus, Lovanij publicarunt de illo duplici auxilio perſeverantiæ quod ſtatuunt, aliud pro confirmatis, in gratia, aliud verò pro alijs, utraque illa inſignis Academia perfectiſſime ſuis cenſuris refutavit. Ex quibus ut formalia verba omittamus, hæc in ſubſtantia confutatio eſt. Primò illam diſtinctionem de duplici auxilio perſeverantiæ non ex Concilio Tridentino, aut ex Patribus, ut ſtatim oſtendetur, ſed ex Catherini paradoxis deſumptam eſſe, qui ſimiliter duplex electorum ſeu prædeſtinatorum genus commentus eſt, & idem olim nonnulli Pelagianorum dixerunt, prædeſtinationem abſolutam in ſolis Apoſtolis accipiendam contendentes, cæteris prædeſtinationem ex operum prævisione tribuendo : ut ſignificatur in fine operis Hypognoſticon.

Secundo hanc duplicis doni perſeverantiæ di- 34
ſtinctionem in hominibus lapſis, itaut aliquibus detur donum perſeverantiæ quo perſeverare poſſint, etiam ſi non perſeverent ; aliis autem detur donum ut de facto perſeverent, nec ſcriptura ſacra nec Tridentini Concilij patres, nec Sanctus doctor Auguſtinus, nec alij doctores Eccleſiæ agnoverunt, ſed vnam ſolam perſeverantiam tradiderunt, de qua ſcriptum eſt. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſaluus erit.* Nec aliud donum perſeverantiæ docuerunt, quam id quod Concilium Trident. *ſeſſ. 6. de Iuſtif. Canone* 16. ſub his verbis definit : *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum abſolutâ, & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, Anathema ſit :* Qua fidei regula ſupradicta ſententia, quæ illi adverſatur refellitur : primò quia Concilium ſolùm unum agnoſcit perſeverantiæ donum ; quo perſeveratur uſque in finem ; prædicta autem ſententia præter hoc, aliud introducit, quo uſque in finem non perſeveratur, ſed quo perſeverare quis poteſt, etiam ſi non perſeveret. Secundo quia de illo in *cap.* 13. præmiſerat : *Quod hoc donum aliunde habere non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere :* Ergo donum perſeverantiæ datur ut quis perſeveranter ſtet, non ut perſeverare poſſit, etiam ſi non perſeveret, ſecundum aperta verba Concilij. Tertiò quia Concilium planè definit quod citra ſpecialem revelationem nullus poteſt dicere ſe certò habiturum donum perſeverantiæ : ergo non loquitur de dono quo quis poteſt perſeverare ſi voluerit. Hoc enim tale auxilium quilibet eſt certus ſe habiturum ; ut

nem

Digitized by Google

nempe per illud possit, si velit, perseverare: quia certum est, quod tale auxilium omnibus iustificatis conceditur, ut nempe possint perseverare si velint. Igitur apertè est contra Tridentinum Concilium, imaginari aliud donum perseverantiæ præter id, quo de facto homo perseverat. Vnde donum perseverantiæ quod, ut ex Concilio visum est) solum unum est, quo scilicet perseveratur de facto usque in finem, omnibus, & solis electis proprium esse constat; iis videlicet qui Christo à patre dati sunt; & pro quibus ipse orat patrem, ex quibus nullus omnino periit, quia omnis talis in bono usque in finem vitæ de facto perseverat. Quod autem illa sit sancti Patris Augustini sententia, constat ex loco superiùs inducto, scilicet de *Correct. & gratia cap.* 11. & 12. & *ex toto libro de dono perseverantiæ*, ubi passim post lapsum donum perseverantiæ in solis agnoscit electis; per quod donum, ut ait, nonnisi perseverantes sunt; & de quibus dicit, quod quia non perseverabunt nisi possint & velint, perseverandi eis possibilitas simul & voluntas divinæ gratiæ largitate donatur: Et *per quod ita subventum est*, ut ait, *infirmitati voluntatis humanæ; ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur, ut quamvis infirma sit, non tamen deficiat, nec adversitate aliqua vincatur.*

35 Id etiam sanctus Prosper post sanctum Patrem Augustinum exponit *ad septimum cap. Gallorum*, & sanctus Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *art. ultimo.* De quo etiam dono perseverantiæ præclarè scriptum est à sancto Thoma 2. 2. *quæstione* 24. *art.* 11. ubi ait: *Impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando. Nam donum* (inquit) *perseverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur, ut inquit Augustinus.*

36 Et ratio est manifesta: quia supra impugnata sententia non ipsam perseverantiam, nec ipsum perseverare, sed tantùm posse perseverare Dei dono adscribit in illo secundo, quod vocat perseverantiæ donum: At posse perseverare non est perseverare; nec si detur posse perseverare, continuo datur ipsum perseverare: imò eo ipso quod quis non perseverat, manifestum est ipsum non habuisse donum perseverantiæ, ut post sanctum Patrem Augustinum in *principio libri de dono perseverantiæ*: docet sanctus Prosper, *ad citatum cap.* 7. *Gallorum.*

37 Hoc igitur perseverantiæ donum à sanctis Patribus traditum, & à Concilio Tridentino diffinitum, in hac assertione, quam impugnamus, non agnoscitur, sed excluditur potius, sicut illud Massilienses excludere nitebantur, supra dictam doctrinam sancti Patris Augustini carpentes, ut *in Epist. ad eundem sanctum Augustinum* testatur Hilarius. Ad quem respondens idem sanctus Doctor Augustinus illud perseverantiæ donum multo etiam copiosiùs, apertiúsque describit in libro, cui ab eodem dono titulum dedit: Manifestum est ergo præter illos paucos, quos dicunt in gratia confirmatos, pro omnibus aliis electis, & in regnum Dei prædestinatis, non agnoscunt illius sententiæ assertores illud magnum perseverantiæ donum, quo Deus efficaciter facit homines infallibiliter perseverare, quod est contra expressam sancti Patris Augustini, imò Concilij Tridentini doctrinam.

38 Quod enim vel ipsi, vel alij qui ipsorum sequuntur sententiam opponunt ex sanctis Patribus, quod nimirum qui non perseverarunt perseverare potuerunt, ex quo ipsi inferunt, quod ita potuerunt, ut in illorum fuerit positum potestate efficax sibi reddere illud auxilium quod habebant, ut possent perseverare pro quo inducunt sanctum Hieronymum, *lib.* 1. *Dialog. contra Pelag.* sanctum Patrem Augustinum *lib. de dono persev. cap.* 6. & *de corrept. & gratia cap.* 7. sanctum Prosperum *ad capita Gallorum cap.* 7. & *in respons. ad obiectiones, Vincentianos cap.* 7. 10. 12. 14. 15. & 16. & *lib. de vocat. gent.* 1. *cap.* 8. & *lib.* 2. *cap.* 11. 12. 16. ac 28. Quod, inquam, hoc opponunt, cum periculosissima æquivocatione procedunt referentes ex verbis sanctorum aliquid, quod nec verba sonant, & quod sancti illi Patres perpetuò in Pelagianis illis ultimis damnarunt, ut manet ostensum.

Licet enim constans sanctorum Patrum sententia sit; quod qui non perseverarunt, perseverare potuerunt, & ex defectu suo non perseverarunt; ex hoc tamen inferre quod sicut ex defectu suo non perseverarunt, ita ex seipsis sine alio auxilio faciente verè eos perseverare, perseverarent, si ipsi voluissent, contra sanctos Patres & Tridentinum Concilium est, ut manet ostensum. Imò nihil magis illi sancti Patres in Pelagianis damnaverint. Quod enim qui habebant sufficiens auxilium quo poterant perseverare, non perseverarunt, ex suo defectu est quod verò de facto perseverarent donum Dei esset; quo illos efficaciter faceret perseverare. Et sic non solum posse perseverare ex Deo sit: sed etiam ex ipso habeatur velle, & perseverare. 39

Frivolum autem est opponere quod sanctus Pater Augustinus *citato loco de dono persev. cap.* 6. dicit, posse minùs excusari, qui non perseverat, quam qui non credit Evangelio sibi non prædicato, quia illi potest dici, perseverares si voluisses; quod non potest dici alteri, crederes si voluisses; frivolum, inquam, est hoc apponere: verum est enim quod ille perseveraret si voluisset; sed Deus in ipso hoc idem operaretur ut vellet; sicut per totum illum *lib. de dono perseverantiæ* apertè docet. Imò in *illo eodem cap.* 6. *& sequenti* 7. manifestè declarat sicut & alibi dicit: *Non est homo bonus si velit; sed Deus in ipso hoc idem operatur ut velit.* Et eodem prorsus modo intelligendi sunt sanctus Hieronymus, ac sanctus Prosper in inductis locis. 40

CAPVT IV.

Explicatur amplius horum authorum sententia.

VErùm & pro illis quos dicunt in gratia confirmatos licet primâ facie videantur ij authores verum perseverantiæ donum constituere, si tamen illorum sententia, & verba perpendantur, nullo modo etiam in eis illud eorum donum perseverantiæ admittunt. Neque enim concedunt in aliquo, etiam in confirmatis in gratia, illud magnum perseverantiæ donum, quo Deus efficaciter præveniendo ipsorum voluntates in bono faciat infallibiliter, & liberè perseverare. Hoc enim semper impugnant tanquam læsivum libertatis: sed intendunt dari confirmatis in gratia inhærentem habitualem gratiam quâ possint perseverare & 41

Digitized by Google

simul eis assistere extrinsecum quoddam auxilium, seu extrinsecam Divinam providentiam, & protectionem, per quam ita ab extrinseco gubernantur; ut ferè indeclinabiliter, & infallibiliter bene operentur. Hæc enim illorum verba sunt superius relata quæ hoc apertè videntur significare, cum dicunt illud donum perseverantiæ consistere in quodam speciali auxilio, & protectione, quâ Deus ita protegit, & munit quosdam, ut ferè indeclinabiliter, & infallibiliter in gratia perseverarent usque ad mortem. Quibus verbis non fatentur etiam in confirmatis in gratia aliquod intrinsecum auxilium in voluntate collocatum, quo Deus eos faciat infallibiliter perseverare, sed tantùm extrinsecam protectionem per quam nec Deus eos faciat indeclinabiliter, & infallibiliter perseverare: sed quo faciat eos fore declinabiliter, & fallibiliter perseverare. Quod extrinsecum auxilium, seu extrinsecam protectionem excogitarunt ad negandum in illis sicut in omnibus magnum illud perseverantiæ donum eis intrinsecè collatum, quo ita efficaciter à Deo moveantur, ut indeclinabiliter, & infallibiliter de facto perseverent, quod quamvis in eis maneat flexibilitas in malum, seu potentia ad peccandum simpliciter & absolutè (de quo statim sermo fiet) in sensu tamen composito ita perseverent indeclinabiliter, quod fieri non possit, ut sic moveantur, & ab illo dono deficiant, seu per peccatum à gratia cadant. Vnde illud verbum ferè ideo ab his authoribus appositum est, ut neque in confirmatis in gratia simpliciter, & absolutè admittant donum aliquod perseverantiæ, quod verè infallibiliter, & indeclinabiliter faciat eos in bono perseverare.

42 In hoc ergo distingunt istud donum pro confirmatis in gratia ab alio dono perseverantiæ, quod omnibus tribuunt, ut nempe per illorum nullum. Verè Deus faciat efficaciâ suâ homines infallibiliter & liberè in bono perseverare; sed tantùm in hoc quod per illud commune omnibus collatum possint homines perseverare, si velint, ut supra ex ipsis dedimus manifestum; per hoc autem donum datum confirmatis in gratia ita à Deo ipsi exteriùs gubernentur, ut fere infallibiliter, & indeclinabiliter in bono perseverarent, hoc illorum aperta sententia est, ne, ut arbitrantur libertati confirmatorum in gratia inferant præiudicium si eis attribuant donum in ipsis receptum, quo infallibiliter eos faciat in bono perseverare; quare nullum verum admittunt donum perseverantiæ. Quomodo enim admittunt in confirmatis verum perseverantiæ donum, cum nec in illis constituant firmam infallibilitatem perseverandi in bono, sed fere firmam, & fere infallibilem; si enim nec omnino infallibilis est, nec omnino firma erit quod non omnino infallibilis, & firma est; sed ferè firma, &, infallibilis falli aliquando licet raro poterit, & aliquando frustrabitur, & quandoque à gratia cadet ille quem propterea sola voce confirmatum in gratia dicunt.

43 Hac igitur reiecta sententia indubiè tenendum est confirmatos in gratia habere magnum illud perseverantiæ donum, quo ita firmiter, & indeclinabiliter tenentur in bono, ut in illo omnino & infallibiliter perseverent.

44 Quod ut videtur manifestum de omnibus confirmatis in gratia, dicendum erit acuratius, eos omnes in quadruplici ordine collocando. In omnium primo Christus Dominus est constituendus qui cum simul fuerit viator, & comprehensor inter omnes confirmatos in gratia primum & nobilissimum locum tenet: deinde post ipsum omnes beati, qui perfectè sunt in gratia confirmati in tertio ordine Sanctissima Virgo Mater Domini est collocanda, quæ post Christum Dominum, & beatos præ omnibus aliis, dum esset in via obtinuit confirmationis in gratia præcipuum donum. Tandem in quarto constituuntur, qui fuerunt sanctificati in utero, ut Ioannes Baptista, & Hieremias Apostoli Sancti post receptionem Spiritus Sancti, & post eos ad istum ordinem pertinent, omnes habentes illud magnum perseverantiæ donum per quod in gratia confirmatur. Sicut enim per illud habent, quod in gratia infallibiliter perseverent: ita per illud habent quod in eadem gratia confirmentur. Donum enim perseverantiæ & donum confirmationis in gratia idem omnino sunt secundum communem Theologorum sententiam.

De singulis ergo, quæ illis sunt propria expendamus oportet, & quidem de Christo Domino 45
certissimum est ita fuisse in gratia singularissime confirmatum ut omnino impeccabilis esset, nec aliqua in ipso facit flexibilitas in malum seu potentia peccandi propter nimirum unionem Hypostaticam cui penitus repugnabat peccabilitas seu potentia peccandi. Alio etiam secundo titulo ei repugnabat peccabilitas, quia simul erat viator & comprehensor, & quatenus comprehensor ei repugnabat potentia peccandi: communis est theologorum sententia contra... qui minus bene in Christo Domino constituit potentiam peccandi. Secundò certum est fuisse in ipso libertatem quantum ad exercitium. Tertio & illud est indubitatum hanc libertatem quoad exercitium sufficientissimam fuisse ad meritum, & sic perfectissimo infinite Christum Dominum meruisse. Vt in secundo nostro libro in fine agentes de prædestinat. & merito Christi reliquimus manifestum.

De Beatis in patria etiam communis, & certa 46
sententia est, ita esse in gratia perfectè confirmatos ut omninò etiam impeccabiles sint, nec illam habeant flexibilitatem in malum seu potentiam peccandi: quia ab intrinseco sunt determinati ad bonum. Secundò ipsi non habent libertatem etiam quoad exercitium respectu dilectionis beatificæ. Tertio habent libertatem quoad exercitium respectu aliarum bonarum operationum, quæ habent extra verbum. Quartò eos per illas nihil omnino possunt mereri, cum sint totaliter extra viam, & extra omnem statum merendi: iam in termino de Sanctissima Virgine in tertio ordine relata, sine contradictione ab omnibus sunt affirmanda: primum ipsam cum adhuc esset in via post Christum Dominum, & Beatos in patria præcipue fuisse in gratia confirmatam. Secundo habuisse perfectam libertatem, & post Christum supremum meritum. Tertio in sensu composito nec potuisse, nec venialiter peccare, quod ipsius Virginis singulare fuit privilegium. Quartò ipsam in eodem sensu composito sive secundum quid fuisse impeccabilem, cum ut diximus in sensu composito, nullum peccatum etiam veniale facere potuisset; quod de aliis confirmatis in gratia non est dicendum. Quamvis enim in sensu composito peccare mortaliter non potuerint. Imo de facto venialiter peccáverunt, aliquando non possunt dici impeccabiles etiam in sensu composito; quatuor ista ab omnibus sine contradictione concedenda sunt de Virgine Sanctissima: aliud autem quintum est quod in dubio vertitur apud

Theo

Digitized by Google

Theologos an videlicet sanctissima Deipara fuerit absoluta, & simpliciter impeccabilis, ita quod nulla in ipsa fuerit simpliciter, sive in sensu diviso flexibilitas in malum, sive potentia peccandi sunt enim, qui dicant ipsam absolutè, & simpliciter impeccabilem fuisse, nec habuisse potentiam peccandi. Alij id negant concedentes tantum ipsam secundum quid sive in sensu composito fuisse impeccacabilem prout supra manet expositum authores primæ affirmativæ sententiæ fundantur in loco sancti Thomæ in 3. *sent. distinctione* 3. *quæst.* 3. *quæst.* 2. Vbi sic habetur similiter etiam ex parte altera in prima sanctificatione gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans quamvis non esset sufficiens ad tollendam flexibilitatem liberi arbitrij in malum, quam etiam homo in prima ætate habuit, in secunda vero sanctificatione gratia superaddita fuit, quæ ita potentiam liberi arbitrij implevit ut in contrarium flectere non posset, non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum, sicut materia cœli ex eo quod subsistit forma, quæ omnem privationem ab ea excludit non est in potentia ad corruptionem hoc sanctus Thomas. Quod testimonium minus explicari potest quod procedat in sensu composito, ut aliqui conantur exponere primo quia ibi sanctus Thomas condistinguit secundam sanctificationem contra primam: constat autem quod in prima in qua gratia movebat efficaciter ad bonum ut sanctus Thomas concedit in sensu composito flecti in malum non poterat: hoc enim est de ratione divinæ motionis efficaciæ ut mistis operibus nostris passim ostensum est: concedit autem in secunda sanctificatione abundantiorem præ illa collata in prima, sine secunda sanctificatione erat impeccabilis in sensu composito, in secunda per abundantiorem gratiam mansit impeccabilis etiam in sensu diviso. Secundò quia docet in illa secunda sanctificatione ablatam à Virgine fuisse flexiblitatem in malum, seu potentiam peccandi, sive defectum. Quod tamen verum non esset, si tantum in sensu composito impeccabilis esset; quia simpliciter in ipsa maneret defectus seu flexibilitas in malum. Tertiò quia exemplum allatum de cœlo tam videtur reddere manifestam ex eo enim tota capacitas materia repletur seu satiatur eius forma: non est absolute corruptibile cœlum, nec potentiam aliquam habet simpliciter loquendo, ad corruptionem. Vnde vult sanctus Thomas, quod pari modo ità Virgo sanctissima in secunda sanctificatione ita fuerit gratia repleta, ut absolutè in ipsa non manserit potentia peccandi sive flexibilitatem in malum.

47 Per oppositum autem, qui hanc potentiam peccandi absolutè in Virgine docent id & ipsi probant, & sanctum Thomam *3. part. quæst.* 52. *art.* 6. *ad* 3. dicente ibi, quod in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vita, & *in quæst.* 79. *art.* 6. *in eadem* 3. *part. ad* 1. dicit quod homo in statu viæ est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum, & malum quod confirmant ex eodem S. Doctore *quæst.* 24. *de veritate art.* 9. Vbi absolutam impeccabilitatem negat: posse competere puro viatori idem tandem confirmant ex 4. *lib. cont. gent. cap.* 70. ubi idem efficacius probat.

48 Secunda sententia magis fundata est, primo quia magna difficultate fundari & explicari potest, per quid à Virgine sanctissima fuerit totaliter ablata potentia peccandi, ita quod absolutè impeccabilis redderetur. Quod enim hoc per gratiam habitualem etiam perfectissimam qualis in Virgine fuit: factum non sit sanctus Thomas probat in illa *quæst.* 24. *de veritate art.* 9. citato cum per illum solum sit manifestum quod homo non confirmatur in gratia firmiter nisi adveniat divina protectio & magnum illud perseverantiæ donum quæ illam protectionem & alia interna auxilia homini collata includit. Si ergo sola habitualis gratia ex sui rationes non sufficit ad confirmandum hominem in gratia quomodo per illam auferetur potentia peccandi.

Viator omnino impeccabilis, quod multo magis est? quod si recursus fiat ad totum simul nempe gratiam perfectissimam habitualem, & perfectissimum donum perseverandi: nec commodè explicari potest quomodo per totum hoc reddatur viator purus impeccabilis ita quod in illo non fuerit potentia ad peccandum quia ista pia peccandi non tollitur per gratiam habitualem ut dictum est nec etiam potest tolli per donum perseverantiæ hoc enim donum quatenus includit divinam custodiam, & protectionem non potest tollere potentiam peccandi quia hæc puro viatori qualis erat sanctissima Virgo, intrinseca est: quæ proinde per extrinsecam custodiam, & protectionem tolli non potest. Quatenus aut donum perseverantiæ importat auxilia actualia homini collata quibus continuò efficaciter inclinatur in bonum, etiam peccabilitatem ab homine seu potentiam peccandi non auferit sed tantum efficit ut homo infallibiliter bene operetur relinquendo in illa potentiam ad peccandum. 49

Dices quod tantum potest esse, & tam perfectum hoc perseverantiæ donum ut auferat potentiam peccandi. Cum autem in sanctissima Virgine fuerit supremum, & perfectissimum ab ipsa abstulit peccandi potentiam. Ad quod tamen dicendum cum sancto Thoma in *illo loco ex cont. gent. citato*, quod non potest auferri ab homine talis potentia peccandi, nisi eius voluntas mutetur, & expolietur ita quod suo fini coniungatur, quod repugnat concedi in via alicui puro viatori unde quantumvis crescat donum perseverantiæ, sicut numquam potest ponere viatorem in perfecta coniunctione ad finem, ita nunquam poterit ab eo tollere potentiam peccandi, quia hoc excedit omnem rationem doni perseverantiæ viatoribus quod proprium est. 50

Præterea in Christo Domino, in quo fuit omnium perfectissima gratia habitualis, & etiam excellentissimum perseverantiæ donum, nec ex isto capite, vel gratiæ habitualis, vel doni perseverantiæ in ipso negatur potentia peccandi, sed ex unione hypostatica, & ratione, qua simul erat comprehensor: ergo nec in sanctissima Virgine ratione gratiæ habitualis, vel doni perseverantiæ, ab ipsa ablata dicenda est simpliciter potentia peccandi. 51

Tandem id confirmatur quia licet illa testimonia inducta ex 3. *parte quæst.* 52. & 79. non ita efficaciter probent intentum, cum generaliter procedant de puro viatore, ac perconsequens poterit quis prætendere non includi in illis Virginem sanctissimam de qua oppositum in specie dixerit sanctus Thomas *in* 3. *sentent. citato loco*, & hoc secundum illam iuris regulam, nimirum quod generi derogatur per speciem: & illam aliam: nimirum quod in generali concessione non veniunt intelligenda quæ in particulari negantur; tamen illud tertium inductum testimonium ex *quæst.* 24. *de veritate art.* 9. plané efficax apparet 52

ad

Digitized by Google

ad suadendum ibi sanctum Thomam illam mutasse sententiam quam in 3. *sentent.* docuerat: quia ibi *in argumento sed contra* expressam mentionem facit de sanctissima Virgine, quod fuerit confirmata in gratia: quod etiam dicit de sanctis Apostolis post receptionem Spiritus sancti. Et iterum *solutione ad secundum* mentionem facit de perfectissima gratia collata Virgini præ Angelis; & tamen in illo articulo ratione duplici probat (quam non transcribendam putamus sed ibi legendam, & considerandam relinquimus) non posse à puro viatore, quantumvis in gratia confirmato, tolli omnino impeccabilitatem, seu potentiam peccandi. Non habere enim hanc impeccabilitatem ibi solum tribuit Christo Domino, & Beatis: sentit ergo fuisse in Sanctissima Virgine hanc impeccabilitatem, aliàs faciendo de illa mentionem, semel & iterum etiam ipsam ab hac peccabilitate exciperet unde in hac sum sententia, salvâ meliori, ibi Sanctum Thomam reipsa, ut præmisimus, illam mutasse priorem sententiam, quam habuerat *in* 3. *sent.* Accedit quod in 4. *cont. gent. cap.* 70. jam relato in 2. *ratione* concludit quod impeccabilitas in homine esse non potest sine immutabilitate voluntatis; immutabilitas autem voluntatis aut non potest homini competere, nisi secundùm quod attingit ultimum finem ex hoc enim, ut probat, voluntas immutabilis redditur, quod totaliter impletur, ita quod non habet quò divertat ab eo in quo est firmata: impletio autem voluntatis non competit homini nisi ut finem ultimum attingenti quando enim restat aliquid ad desiderandum voluntas impleta non est: sic igitur ut concludit, homini impeccabilitas non competit antequam ad ultimum finem perveniat. In quo etiam testimonio non dubium, quin priorem illam sententiam mutaverit; ex 3. *sent.* quæ cum hac doctrina minimè stare potest. Doctrina enim ista cum dicat non posse tolli impeccabilitatem in puro viatore; sed solùm in patria in qua voluntas totaliter mutatur & omnino impletur, omnem personam puri viatoris, & per consequens Sanctissimæ Virginis includit. Quæ etiam est sententia Sancti Prosperi *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 215. ubi exceptione sola de Christo Domino facta in omnibus aliis peccabilitatem inesse dicit.

CAPUT V.

Opinio Molinæ & aliorum, tertium à præcitatis auxilium confingentium affertur.

52 PRæter illud auxilium quod dat tantùm posse perseverare generaliter in omnibus si ipsi velint; & præter illud aliud pro tot confirmatis, jam supra impugnatum, quod ut diximus à principio Lovanij ij authores tradiderunt. Tertium aliud postea Ludovicus Molina, Gregorius de Valencia, Gabriel Vasquez, & Franciscus Suarez relati nostro primo libro 1. *p. tract.* 6. *cap.* 24. *assertione* 97. imaginati sunt sub illa congruitate facta per illam ipsorum mediam scientiam qua Deus ita det auxilium quo homo perseverare possit, ut simul certò sciat hominem ex innata sua libertate ei bene cooperaturum, & usque in finem vitæ in gratia perseveraturum; suo nimirum libero consensu efficiendo ut illud auxilium quod ut venit à Deo tantùm dat possibilitatem perseverandi de facto efficax sit & efficax reddatur. Hanc enim apertam illorum sententiam & inducta verba illo *cap.* 24. nostri primi libri patenter ostendunt, & omnis illorum doctrina manifestissimè tradit. Vnde nec oportet illorum verba in illo cap. 24. fideliter relata, hîc iterum transcribere nec etiam hanc illorum doctrinam efficaciùs vel diutius impugnare; quippe quia in toto isto libro de gratia excitante & adjuvante, & de gratia sufficiente & efficaci longissimè & efficacissimè expugnata est: An eò redituri sumus, ut adhuc disputemus quanta absurditate, & falsitate dicatur, prævenientis gratiæ divinam efficaciam, sive ad conversionem in Deum, sive post illam, ad piam & salutarem operationem, sive denique ad perseverantiam usque in finem, non donum Dei esse, sed ex hominis libertate haberi, qui à Deo præscitur eam efficacem suo consensu redditurus. An iterum revertemur ad impugnandam illam quam vocant congruam vocationem, congruam effectam per illam mediam scientiam, quæ cognoscit non quod Deus decrevit ut fieret, sed quod homo ex se tanquam ex se operaturus est, reddendo efficax auxilium perseverantiæ, ut cum perseverante homine, perseverantia concomitanter cooperetur, non autem efficiat quod homo perseveret. Quæ copiosiùs supra manet expugnata? *Nunquid tutiores vivimus*, ut docet sanctus Pater Augustinus lib. de dono pers. *Si totum Deo damus & non nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*, ponendo ipsum dare possibilitatem ad perseverandum; ex nobis autem ipsis quod ad perseverandum nos ex nobis determinemus; & ipse simul nobiscum sic nos ex nobis determinantibus concomitanter operetur. Paulus clamat, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis*, etiam cum omnium primum & perfectissimum bonum salutare sit pia cogitatio; & hanc non ex nobis habeamus: ne tanto Apostolo contradicamus, audebimus ipsam perseverantiam usque in finem in quo nostra completur salus, & beatitudo initiatur ex nobis tanquam ex nobis adscribere Deo tantùm ad id dante possibilitatem & quod potissimum est, ipsum velle & perseverare non operante in nobis, sed nobiscum solum concomitanter cooperando? Item Apostolus prædicat, *quid habes quod non accepisti?* Et nos inflati proferre non timemus habeo ex me quod in bono perseverem, quod non accepi ex illo, sed ex mea voluntate id habeo: ex Deo dicit superba voluntas habeo quod perseverare possim; at quod de facto perseverem ex me habeo: & Deus ex sua præscientia hoc prævidit. Si enim ex me id non haberem? nec ipse id prævideret, nec donum perseverantiæ fieret. Audimus sæpe sanctum Patrem Augustinum celebre illud antiquissimi Cypriani dictum [quod cum omni veritate nos ad humilitatem provocat, sine qua nec salus consistere potest] referendo collaudare; *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est*, & adhuc non evigilamus humiliter id confitentes: sed adversus Deum & eius gratiam extollimur, & ingratitudine maxima inaniter gloriamur ex nobis nos ad bonum determinare: & ad perseverandum in bono contendimus ex nobis nos habere illam ad perseverandum piam determinationem; nec Deum nos prædeterminaret illam bonam liberam determinationem habeamus; sed tantùm præscire illam nos habituros ex nobis, posita ex Deo possibilitate ad perseverandum, ac simul cum nostra determinatione quam ipse non operatur in nobis, concomitanter seu potius consequenter concurrendo.

Nunquid

Digitized by Google

54 Nunquid non inaniter, constituitur aliquid boni, imò præstantissimum bonum, quale est nos determinare ad perseverandum inveniri in nobis quod non habeamus à Deo? quo nihil absurdiùs, nihil potest poni impossibiliùs. Docet enim Apostolus, *vobis datum esse in Christo non solum ut in ipsum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini* in quo & bonum initium fidei, & optimum finem, id est ipsam in bono perseverantiam dicit donum Dei esse, & nos dicemus perseverantiam non esse donum Dei, sed nobis esse ex nobis: omnes Ecclesiæ Orationes ferè nihil aliud à Deo petunt; quàm ut nobis det in bono perseverantiam, quarum longum Cathalogum inserere possemus, sed minus expedire arbitramur, quia omnibus id notum est qui divinum recitant officium quæque jam supra à nobis inductæ sunt *in hac parte tr.* 4. *cap.* 19. & tamen aliqui contra contendere non timent, Deum dare tantum possibilitatem ad perseverandum; ex nobis autem esse quod illud donum efficax efficiatur, & sic de facto perseveremus: quasi hoc solum à Deo petamus, ut det posse perseverare, non autem perseverare ipsum: qui proindè ut S.P. docuit Augustinus non tam disputationibus quam orationibus, & Ecclesiæ gemitibus refellendi sunt. Imò in ipsa oratione dominica, (quod S.P. Augustinus exponit) nihil penè aliud quàm perseverantia à Deo petitur, & postulatur. An irrisoria ista petitio est, ut à Deo petatur quod ipse non donat, sed ex nobis esse contenditur? Si quis petit ab alio, quod ipse in sua habet positum potestate? perseverare à Deo postulatur, non tantum posse perseverare, & tamen hoc solum Deo, illud quod potissimum est nobis ex nobis tribuitur.

55 Sed & Martyrũ glorioſa trophea, Virginũ Constantia, puellarũ inclita tolerãtia, insignia sunt & practica testimonia ex Deo ipso esse quod in bono perseveretur, quod fortiter mũdo, carni, Dæmoni resistatur. Nec enim est credibile, aut à viro cordato, ne dicam theologo dici potest, tot ac tanta tormenta passas fuisse potissimè Virgines delicatas, & ad illa perferenda ex se ipsis se determinasse, & Deum prævidisse hanc fortissimam illarum determinationem ex illarum viribus fuisse futuram, nisi ipse Dominus eis tolerantiam illam magnam dedisset, eas per spiritum suum in bonum corroborando, confortando, vires efficacissimas ad id tribuendo, & eas ad tam insignem victoriam determinando, inflectendo, & verè faciendo, quod indeclinabiliter, & insuperabiliter tot tormẽtis fortissimè resisterent. Vnde & Ecclesia de Deo confitetur: *Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti.* Miracula sunt ista divinæ potentiæ firmantis arbitrium in bono, non rogantis, non suadentis tantum, non præscientis, quod Virgines illæ ex se ipsis ad tam insignia opera se determinent, sed sua divina potentia efficientis eas, sic fortiter in bono perseverare. Vnde veritas ista tot pro se habet testimonia quot sunt martyrum coronæ, & si liceret per plurimorum martyria discurrere, luce clariùs ipsa praxi probaretur doni perseverantiæ divina & efficacissima efficacia.

56 Quomodo autem se debeat Christianus habere in sperando hoc perseverantiæ donum, paucis exponam dicendo primò quod quilibet Christianus ex virtute spei potest, & debet sperare se nisi per ipsum steterit in bono perseveraturum; sicut enim virtus spei primo & principaliter tendit in beatitudinem, ita secundario & minus principaliter tendit in medium necessarium ad illam obtinendam: quale est donum perseverantiæ. Vnde qui desperaret se habiturum donum perseverantiæ mediatè, & secundario ageret contra virtutem spei. Principalis conclusio traditur à Concilio Tridentino, *sess. 6. de justificatione c.* 13. illis verbis *tametsi in Dei auxilio firmissimã spem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.*

57 Dicendũ secundò, potest quilibet Christianus de Dei misericordia donum perseverantiæ, sibi promittere: hæc non multũ differt à præcedenti, & illam in terminis tradit S. P. Augustinus *libro de concept. & gratia c.* 6. ex mente Apostoli. Nec ex hoc infertur potest, quod certo sibi quis promittere possit tale donum perseverantiæ, sed potiùs.

58 Dicendum est tertiò, quod nullus potest sibi absoluta certitudine promittere donum perseverantiæ, ut allatum Concilium Tridentinum tradit citato loco. Vnde utrumque simul Concilium docet, & quod non potest quis absoluta certitudine sibi promittere donum perseverantiæ. Et quod firmissimam spem in Dei auxilio ponere debet quod illud habebit.

59 Dicendum quartò, nullus suis tantum innixus viribus potest sibi quoquomodo promittere donum perseverantiæ. Hoc de se patet, quia oppositum Pelagianum esset manifestum.

60 Dicendum quintò, si per hominem non steterit, habebit de facto donum perseverantiæ. Vnde quibus non datur ob illorum deffectũ eis negatur. Hæc est doctrina S. P. Augustini per totum librum de dono perseverantiæ, & constat ex relatis verbis illis Concilij Tridentini, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet.* Et ratio est quia gratia nulli denegatur, nisi qui illi impedimentum ponit S. Thomas 3. *cont. gent. c.* 159. & 160. & defectus gratiæ est ex nobis S. Thomas 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. Vbi etiam loquitur de gtatia perseverantiæ, ut patet ex secundo argumento & illius solutione.

61 Vnde dicendum sextò quod licet absolutè non sit in potestate nostra habere donum perseverantiæ, sed in potestate Dei, ut idem Concil. Trid. tradit *cit. c.* 13. tamen aliquo modo illud est in potestate nostra, quatenus si nos ex deffectu nostro non defuerimus gratiæ Dei Deus quod cœpit dando gratiam illud perficeret per donum perseverantiæ.

62 Ex quibus concludendum est septimò & ultimò donũ perseverantiæ quo antecedenter nos facit Deus efficaciter perseverare, nullo modo nostram impedire aut lædere libertatem, sed potiùs eam statuere atque firmare. Quæ conclusio probanda ampliùs non est: cum copiosè satis explicata, & probata maneat ex dictis supra de efficaci auxilio gratiæ quo de facto Deus nos facit bene operari.

CAPVT VLTIMVM.

Confirmatur eorumdem Authorum sententia.

63 ACcedit quod qui hanc efficaciam doni perseverantiæ negant prætextu nostræ conservandæ libertatis, non attendunt quod nulla alia efficaciori via nostra potest negari libertas, quam hac divina efficacia negata, quod primo nostro libro copiosè dedimus manifestum, & in hoc ultimo iterum adnotamus, quia ponere & ij Authores statuũtur Deum dare omnibus auxilium quo possint perseverare si velint, cum illa præscientia, qua certo sciat hos illo bene esse usuros, & perseveraturos, nihil est aliud quam totaliter nostram in perseverando negare libertatem; manifestum est enim quod præscientiæ Dei certæ certum, & determinatum objectum debet esse: ergo certum & determinatum est illum hominem bene usurum arbitrio suo ut perseveret; id autem certum & determinatum est ex meritis propriis illud determinatæ objectivæ veritatis, ut dicunt ante omnem primam divinam libertatem: ergo illa objectiva veritas est simpliciter, & absolutè, & omninò necessaria, quæ penitus libertatem negat. Patet consequentia, quia tum in Aristotele, tum in Philosophia, tum apud Theologos est manifestum quod singulare futurum contingens, si ex meritis propriis ponatur determinatum ad unam partem illud contingens non est, sed omninò necessarium. Vnde, & author concordiæ hoc ipsum demonstrat contra alios ex suis, qui illud futurum contingens determinatum ad unam partem statuunt, ut citato libro mo disputantes contra mediam illam præscientiam si ostendimus.

Digitized by Google

64 Deindè quomodo magis potest nostra negari libertas quam ei attribuere ut isti authores attribuunt, id quod omnibus modis ei repugnat, & contradictionē implicat manifestam, quod ei possit convenire; esse videlicet nostram voluntatem primùm se determinans in actionibus liberis, & primum liberum in actionibus iisdem nulla ratione à Deo determinatum, vel ei subiectum in tali sua libera determinatione, quod, & illorum sententia apertè cōstituit, & ipsi manifestis verbis fatentur, ut alibi etiam ostendimus? ipsi primum in suis actionibus volunt esse liberum arbitrium, sed implicat contradictionem, quod sic liberum sit: ergo impossibilem omnino nostram constituunt libertatem, & sic dum eam in superbiam extollunt negant, destruunt, præcipitant ut S. P. Augustinus non semel de hac illorum sententia id intulit cum sancto Hieronymo epist. ad Ctesiphontem, & S. Thomas *in 2. sent. dist.* 37. *art.* 5. ubi id apertè demonstrat.

65 Tandem negantes divinam efficacem motionem, qua Deus nostrum inclinet & inflectet arbitrium ad hoc vel illud volendum, negant arbitrium creatum motum à prima causa movere, sed essentialiter ipsum motum movet, nec movet nisi à Deo sit motum, ergo si non movetur, nec movet, ergo nullum penitus actum habebit, sed immotum permanebit, & sic nunquam in actu secundo erit liberum, quo omnis nostra patentissimè negatur libertas. Nulla ergo efficaciori via Calvino, & Luthero potest faveri, nulla urgentiori ratione potest nostra negari libertas, quam negate id, per quod in actu secundo nostra ponitur, & efficaciter stabilitur libertas, quod efficax divina motio est.

66 Vnde quod hi authores affirmant in assertione 9. quod ante receptionem gratiæ & in ejus receptione, & postea in argumento illius, suum locum Deus relinquit libero arbitrio, ut propria industria, & laus ei servetur, nisi ab his authoribus quorum cognitus sensus est, diceretur, posset utique sensum habere perfectum. Verum est enim quod semper Deus efficaciter movendo arbitrium, & ante gratiam ad opera naturalia seu moralia, & ad illa quibus se disponit ad gratiam, & in receptione gratiæ, ac postea in augmento illius ad perseverantiam, usque in finem inclusivè, semper Deus suum locum relinquit arbitrio, & semper ejus industria, & laus servatur, qui locus, industria, & laus in hoc essentialiter posita sunt, ut efficaciter à Deo motum arbitrium sua libertate pedisequa ad efficaciam gratiæ, consentiat, ita quod illum locum, illam industriam, illam laudem suam ex Deo habeat acceptam, ex Deo illam participet, ex Deo vere recipiat qui facit eum illam habere libertatem industriam, & laudem, ut scriptura sacra testatur, Summi Pontifices diffiniunt, Concilia determinant, & sancti Patres perpetuo docuerunt ac ostensum est sæpe in hoc quidem sensu propositio illa universalis vera est, sed non in hoc illam sui assertores affirmant in alio valde diverso atque contrario, quo ut præmisimus in omnibus operationibus humani arbitrij, & ante justificationem, & in ipsa justificatione, & post ipsam in augmento ipsius usque ad finalem perseverantiam inclusivè locum, laudem, & industriam volunt arbitrium habere, quæ nullo modo ex Deo habeatur nullo modo ex ipso participetur nisi tanquam à dante ad id possibilitatem per creationem & invitante per gratiam, excitantem ac cooperantem post determinationem ipsius arbitrij ab ipsis solo arbitrio habitam. Hæc est laus, hæc industria, iste est locus, quem non cum sancto Patre Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio, Petro Diacono, & alijs sanctis Patribus, sancto Thoma, Concilijs sacris, ac Summis Pontificibus sæpissime superioribus inductis; sed cum Juliano, Cassiano, Fausto ac alijs Massilienſibus libero servant arbitrio; ipsum, ut probatum est, non servando, sed destruendo, & præcipitando, & in magnam superbiam adversus Deum extollendo; hunc locum, industriam, & laudem, non Christianam Patres cognoverunt, sed Ciceronianam, & Pelagianam esse docuerunt.

Quod si supradicti authores in assertione 99. & 100. relati primo nostro *lib.* 1. *p. tract.* 6. *c.* 25. contendunt nisi supradicto suo modo locus, industria & laus servetur arbitrio; sicut illo modo non fuisse servatam à S. P. Augustino (cujus ut tandem quod ostensum est sæpius repetamus, doctrina in hac parte ipsa est Ecclesiæ doctrina) expressè in illis apertionibus fatentur, dicentes se non scire an explicata sit penitus, & abundè reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrij cum Dei providentia, prædestinatione, & causalitate, & hoc necesse est fateantur usque ad ipsos, & usque ad doctrinam suam (de qua primus illius his temporibus divulgator hæc verba perfert. Nec nostra ratio Conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione à nemine quem viderim hucusque sit tradita) Nec per Patres nec per summos Pontifices nec per Concilia quæ de hac materia & causa absoluta sunt antè istam suam quam novam agnoscant doctrinam; explicatam & abundè redditam rationem integram consiliandi arbitrij libertatem cum Dei prædestinatione fuisse. Planè quando in istorum authorum doctrina quam his nostris operibus impugnavimus, nihil aliud esset nisi hoc quod expressè profitentur; suam doctrinam in hac parte novam esse; sicut prophanam novitatem quicumque Theologus illam evitare, & damnare debuisset. 67

Quod verò novus ille concordator insuper dixit, ut primo nostro *libro* 1. *p. tract.* 6. *c.* 25. ex ipso relatum est, quod si illa quæ ipse dixit in hac sua nova concordia data explanataque semper fuissent, forsitan nec Pelagiana hæresis fuisset exorta, nec Lutherani arbitrij libertatem ausi fuissent negare; meliùs & veriùs multo dixisset, ut non sæpè ostensum in his nostris operibus est, potius per illa quæ ab ipso data sunt & explanata in hac concordia, & Pelagianam hæresim fuisse confirmatam, & potissimè illam, quæ Semipelagianorum fuit & Lutherani atque Calvinistæ illi gratias egissent quod illorū pravum dogma in neganda libertate ipse stabiliret eorum pravam consequentiam approbando, quam ex vera Dei prædestinatione, & gratiæ efficacia intulerunt, negantes libertatem arbitrij; benè enim illos intulisse fatetur ipse, & eos quasi ex consensu pro fundamento in tota sua doctrina habet. Vnde rectissimè de illorum & suorum sententia Lovanienſis Schola quod nō semel notavimus dixit quod ista istorum sententia à Pelagianorum, & Semipelagianorum sententia non satis procul abscedit: Lutheranorum verò, & Calvinistarum dum vult impugnare, eam magis imprudens stabilit atque confirmat. 68

Nos igitur pro antiqua doctrina pro Dei potentia, & dominio super libertatem humanam, & pro Christi Redemptoris gratia laborātes; hanc illorum ab ipsis cognitam novam rejicientes, tanquam noviter in Scholas introductā; cum prioribus secluſi per SS. PP. fæliciter fuerit debellata; hos labores læti suscepimus, quos sicut priùs in disputationibus plurimis sustinuimus pro vera, & antiqua Sanctorum Patrum veritate certantes, ita, & his quatuor libris, aliquali diligentia prout à quo est totum quod bonum est, elaboratos Pio Lectori tradimus, & sicut Domino adjuvante incepimus, ita eo confirmāte, & ad finem usque perducente complevimus, & usque ad illorum finem perseveravimus. Quod si in ipsis aliquid est, quod humani ingenij est proprium, quod à veritate declinet, totum Sacro Sancto Romanæ Ecclesiæ judicio, & correctioni submittimus. Et Dominum cujus est velle, & perficere pro bona voluntate humiliter deprecamur, ut hos assumptos labores pro defensione gratiæ suæ, & liberratis humanæ benignus suscipiat. Et illud magnum, & efficacissimum donum perseverantiæ usque in finem vitæ nobis ex gratiæ suæ immensitate largiatur per D. N. Iesum Christum Filium suum qui cum Patre, & Spiritu Sancto nomen possidet gloriosum, & vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quæ in hoc quarto Libro continentur ordine alphabetico digestus.

Primus numerus partem, secundus tractatum, tertius marginalem, ultimus paginam designat.

A

Actio.

ACTIO non semper imputatur omittenti, non adjuvanti aut non removenti prohibens, & quando imputetur. part.2.tr.3.n.86.p.53

Actus.

Actus secundus est absolutè & simpliciter perfectior quam habitus. part.2.tr.1.n.64.p.11

Actus tum indeliberati tum deliberati ex divina motione rationem habent auxilij prævenientis respectu subsequentium. part.1.tr.7.n.109.p.225

Actus quo quis crederet revelatis prout revelatis solis naturæ viribus, sine fundamento dicitur non esse prout oportet ad salutem. part.1.tract.4. n.106.p.103

Actus deliberati, timoris, fidei, vel spei, &c. quantumvis imperfecti quibus disponitur homo ad alios perfectiores, nempè contritionem aut actum charitatis, non sunt effectus gratiæ excitantis, sed adjuvantis. part.1.tr.4.n.246.p.244

Actus deliberatos & indeliberatos respectu ejusdem objecti esse unius ejusdemque speciei est probabilissimum. part.1.tr.7.n.83.p.221

Actus Fidei, spei, Charitatis, & aliarum virtutum infusarum sunt quoad substantiam supernaturales. part.1.tr.1.n.22.p.5

An actus supernaturales sine habitu eliciti, habeant aliquod principium distinctum à voluntate creata & Deo efficaciter supplente habitum. part.1.tr.7. n.13.& seqq p.211

An si bonus actus ex gratia fieret, non cederet in laudem hominis. part.1.tr.4.n.23.& seqq.p.104

Quilibet actus indeliberatus respectu divinæ præmotionis à quo efficitur, dicitur auxilium subsequens, respectu verò actus deliberati ad quem ordinatur, dicitur auxilium gratiæ prævenientis. part 1.tr.7 n.111.p 225

An actus qui fiunt post justificationem haberi possint sine gratia excitante & cooperante. part.1. tr.1.n.38.p.7

An actus virtutum infusarum sint quoad modum supernaturales. part.1 tr.1.n.1.p.2

Et an ponant Recentiores quod actus naturalis attingat formaliter objectum & ordinem supernaturalem. part.1.tr.6.n.145.p.158

Actus credendi in Deum in quo sit, & an requirat necessario habitum fidei infusæ. part.1.tr.4.n.206. p.119

Quid sit credere Deo, & quæ sit ratio formalis actus illius. part.1.tr.4.n.207.p.119

Quid sit credere Deum, quæ sit ratio formalis illius actus, & an haberi possit sine habitu fidei infusæ. part.1.tr.4.n.208 p.119

An actus quo quis solis naturæ viribus crederet revelatis prout revelatis, distinguatur specie ab eo quo crederet eisdem Catholicus. part.1.tract.4. n.101.p.102

An actus fidei quo quis Christum audiens & miracula credens, assentiretur ejus doctrinæ cum solo concursu generali, auferret ab homine peccatum infidelitatis. par.1.tr.4.n.69.& seqq.p.98

An qui sic crederet, impleret præceptum fidei quoad substantiam actus tantum, an verò esset verè fidelis. ibid.n.74

An actus quo quis crederet solis naturæ viribus revelatis prout revelatis, esset tantum fides humana vel opinio. part.1.tr.4.n.102.p.103

An esset merè naturalis non autem supernaturalis. ibid.n.104

Actus hominis facientis quod in se est, cui dicitur gratia ex certa lege dari, gratiæ illius meritum includere probatur ex SS Prospero & Fulgentio. part.1.tr.6.n.118.p.154

An actus virtutum infusarum sint quoad substantiam supernaturales. part.1.tr.1.n.3.p.2

Primus actus interior voluntatis nullo modo subjicitur imperio rationis. part.1.tr.8.n.106.p.282

Actus omnes virtutum infusarum, nempè Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, & aliarum sunt quoad substantiam supernaturales. part.1. tr.1.n.8.p.3

Circa actus fidei non tantum errarunt Pelagiani quod assererent actum fidei humanis solis viribus elicitum esse initium fidei, sed etiam quod dixerunt posse illum humanis viribus haberi, ac per illum

Digitized by Google

illum credi revelatis prout revelatis. part.1.tr.4. n 48.p.93
An prædicti actus sint quoad modum, aut quoad substantiam supernaturales ex Sancto Thoma dilucidè comprobatur. part.1.tr.1.n.28.p.7
Actus virtutum infusarum tam quoad substantiam, quam quoad modum, quomodo definiantur à Scholasticis Doctoribus. part.1.tr.1.n.7.p.3
Actus interior voluntatis ille est qui habet finem pro objecto. part.1.tr.8.n.76.p.275
An ad actus supernaturalitatem sufficiat potentia obedientialis in creatura, Deo assistenti perfectè subordinata. part.1.tr.7.n.31.& 32.p.214
An actus aliquis meritorius ut meritorius fiat ab aliqua gratia operante. part.1.tr.8.n.67.p.272
In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus prot ector noster orandus est. part.1.tr.3.n.58. pag 66
Quomodo intelligendum, quod sit in nobis actus liber, quem Deus sine nobis operatur. part.1.tr.8. n.43.p.269
An actus supernaturales liberi, & indeliberati æquè egeant ad supernaturalitatem auxilio intrinseco supernaturali in potentia. part.1.tract.7.num.28. p.214
Supernaturalitas actuum virtutum infusarum an ex Deo independenter ab humana libertate dependeat. part.1.tr.1.n.19.p.5

Adamus.

Adamus an per peccatum perdiderit bonum tantum fini supernaturali accommodatum, an verò etiam quod est accommodatum fini naturali, & quænam sint præcipua naturalia quæ perdidit. part.1. tr.3.n.126.p.79

Adjutorium.

Adjutorium aliud est sine quo aliquid non fit, & aliud quo aliquid fit. part 2.tr.2.n.100.pag.31.& tr.3.n 33.p.42
Ex culpa hominis est quod efficax adjutorium gratiæ non habeat. part.2.tr.3.n.75.& seq.p.51
An possimus sine Dei adjutorio non adorare idolum, non mœchari, non occidere. part.1.tract.3.n.70. pag.69

Adverbium.

Adverbium *magis* sæpissimè sumi aversativè non comparativè. part.2.tr.4.n.124.p.119

Adultus.

An adulti omnes gratia præveniente vocentur. part.2.tr.3.n.220.p.80
Cur adultis infidelibus negetur gratia efficax. part.2.tr.3.n.93.p.54

Ægidius.

Ægidius gratiæ prævenientis efficaciam tenuit, & hanc Dei impetum appellavit. part.2.tr.4.n.595. p.205

Affectio.

An affectio quæ oritur in voluntate, ex cogitatione supernaturali sit ex ipsa supernaturalis. part.1. tr.7.n.172.p.235

Agens.

Quid requiratur ad hoc ut agens aliquod sit liberum. part.2.tr.4.n.545.p 199
An qui convertitur ad Deum ita agatur ut ipse non agat. part.2.tr.4.n.416.p.176
Agi à spiritu Dei, & regi ab eodem quid differat, & an ipsum agi, tollat libertatem arbitrij. part.2. tr.4.n.216.p.141

Albertus.

Alberti Magni & Altissiodorensis sensus quis fuerit cum dixerunt hominem faciendo quod in se est se disponere ad excitantem gratiam. part.1. tr.6.n.399.p.193

Alensis.

Quæ sit mens Alensis de gratia danda facienti quod in se est. part.1.tr.6.n.413.p.195

Ambrosius.

Quæ fuerit D. Ambrosij mens dum dixit, quod nemo sanatus ostenditur, nisi qui religioso officio studuerit sanitati. part.1.tr.6.n.138.p.157

Amicus.

Quod per amicos possumus, per nos ipsos possumus. part.1.tr.1.n.53.p.11

Angelus.

An Angelus tenuerit fidem humanam omnium articulorum posse haberi, solo concursu generali. part.1.tr.4.n.136.p.108
Quæ fuerit causa seu occasio peccati Angelorum. part.2.tr.3.n.89.& seq.p.53
An Angeli primusque parens sua culpa ceciderint & quomodo. part.2.tr.3.n.87.& seq.p.53
An Angeli deserant omni modo obduratos, quorum curæ erant denudati. part.2.tr.3.n.227.p.81
Angeli apprehendentes manum Loth uxoris ac filiarum ejus, ut eos educerent ex Sodomis gratiam efficacem à sufficienti distinctam expresserunt. part.2.tr.2.n.105.p.32

Anselmus.

Steteritne B. Anselmus pro gratia ex libero arbitrio efficaci quam intrudunt Recentiores. part.2.tr.4. n.487 p.189
Asseruerintne S. Anselmus posse hominem lapsum cuilibet etiam gravi tentationi resistere sine auxilio gratiæ quandiu judicium rationis non absorbetur. part.1.tr.3.n.120.p.78

Applicare.

Quomodo Deus dicatur hominem sibi applicare. part.2.tr.4.n.246.p.146

Arbitrium.

Liberum arbitrium non cogitur à Deo, gratia tamen in homine generatur ut liberum arbitrium bene velit, &c. part.1.tr.7.n 340.p.256
An liberum arbitrium possit dissentire non vero resistere Deo vocanti, & quid ista differant part.2. tr.4.n.197.p.134
Quod liberum arbitrium ex adversariorum mente sit causa per se congruitatis aut incongruitatis seu efficacitatis aut inefficacitatis gratiæ. part.2. tr.2.n.25.& seqq.p.16
Et an bene illud ab iisdē probetur. ib.n.26.& seq.
An motus liberi arbitrij antecedat motionem divinam, saltem in genere causæ materialis. part.2. tr.2.n.50.& seqq.p.20
An liberum hominis arbitrium existens in potentia proxima per habitus supernaturales, egeat insuper excitatione supernaturali. part.2.tr.1.n.40.p.7
An liberum arbitrium cooperans sit causa efficaciæ aut inefficaciæ auxilij divini, & qua ratione. part.2.tr.2.n.3.& seqq.p.12
Quid circa hoc sentiant adversarij. *ibid. & toto capite sequenti.*
An liberum arbitrium possit intensius operari quam sit mensura auxilij prævenientis. part.2.tr.4.n.92. & seqq. totoque cap. seq. pag.116
Arbitrium recipiens operationem absolutè potest illam non recipere. part.2.tr.4.n.398.p.173
An liberum arbitrium per consensum fiat causa proximè dispositiva aut meritoria efficacitatis aut augmenti gratiæ. part.2.tr.2.n.28.p.16
Liberum arbitrium etiam consentiens Deo vocanti liberam habet potentiam ad eidem dissentiendum. part.2.tr.4.n.334.p.164
Liberum arbitrium quomodo acceptet inspirationem, & an possit gratiam adjuvantem rejicere. part.2.tr.4.n.327.p.162

Digitized by Google

Liberum hominis arbitrium cooperatur tam gratiæ operanti quam cooperanti ſubſequendo, & liberos effectus producendo. part. 1. tr. 8. num. 120. p. 284

An liberum hominis arbitrium etiam in habente habitus ſupernaturales infuſos, determinetur à Deo ut benè operetur. part. 2. tr. 1. n. 48. p. 8

Arbitrium motum & excitatum & præbens aſſenſum poteſt in ſenſu diviſo non præbere, & præbere contrarium diſſenſum. part. 2. tr. 4. num. 397. p. 173

Arbitrium recipiens inſpirationem non poteſt eam abjicere in ſenſu compoſito. part. 2. tr. 4. n. 395. p. 173

Quod ſententia aſſerens arbitrium priùs natura inchoare conſenſum quam ibi gratia cooperetur incidat apertè in ſententiam damnatam. part. 1. tr. 8. n. 100. & ſeqq. p. 280

Et quod ſic negetur gratia cooperans. ibid. n. 104. p. 281

Arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit non autem poteſt eſſe niſi adjutum ſi venit. part. 1. tr. 7. n. 275. p. 248

Quid perdiderit liberum arbitrium per peccatum. part. 1. tr. 3. n. 94. p. 75

An liberum arbitrium cooperetur tam operanti quam cooperanti gratiæ. part. 1. tract. 8. num. 61. p. 271

Quomodo liberum arbitrium poſt peccatum verè ſit liberum etſi non poſſit vitare peccatum. part. 1. tr. 3. n. 95. p. 75

Libero arbitrio tantum tribuunt recentiores, ut melius ſit quod ab eo eſt, quam quod eſt à Deo. part. 2. tr. 1. n. 32. p. 5

Liberum arbitrium movetur à gratia & quomodo. part. 2. tr. 4. n. 582. p. 202

Aſſerentes ſufficere liberum arbitrium ad omnia Domini præcepta ſervanda ſine Dei auxilio quo adjuvetur, à gratia ſunt penitus alieni. part. 1. tr. 2. n. 172. p. 35

Hæc propoſitio *liberum hominis arbitrium prædeterminatum ad actionem qua eſt in peccato, poteſt diſſentire auxilio ſufficienti*, tres alias continet & quas. part. 2. tr. 3. n. 70. p. 49

Et iſta pariter. *Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, poteſt diſſentire Deo vocanti & excitanti.* ibid.

Arbitrij libertatem non deſtrui per gratiam prævenientem efficaciſſimis verbis adſtruit S. Hieronymus aliique. part. 2. tr. 4. n. 478. & ſeqq. p. 187

An arbitrium ſe habeat merè paſſive in recipienda inſpiratione. part. 2. tr. 4. n. 299. p. 157. & n. 310. p. 159

An eo quod liberum arbitrium moveatur inevitabiliter ſequatur in eo neceſſitas. part. 2. tr. 4. n. 302. p. 157

Argumentans, Argumentum.

Argumentantes ex Concilio Tridentino contra nos ad ipſius verba non attendunt. part. 2. tr. 4. n. 39. & ſeqq. p. 172

Argumenta opponi ſolita contra gratiam à Deo efficacem quod nempè tollat libertatem, non ſunt nova, ſed ab antiquiſſimis Patribus, Conciliiſque ſæpius ſoluta & quomodo. part. 2. tr. 4. n. 689. & ſeqq. p. 218

Solvuntur eadem Theologicè. ibid. n. 701. & ſeqq. p. 220

Quæ ſint argumenta quæ contra impotentiam hominis lapſi ad vitanda omnia peccata, ſolent objici. part. 1. tr. 2. n. 201. & ſeqq. p. 42

Aſſenſus, Aſſentiri.

Aſſenſus revelatis prout revelatis ex ſolis naturæ viribus habitus eſt ſupra opinionem & infra ſcientiam ex Scoto. part. 1. tr. 4. n. 129. p. 107

Sintne in actibus fidei plures aſſenſus diſtincti, nimirum quod Deus v. g. ſit trinus & unus, quod id ipſe revelarit, & quod Ioannes dicat ſibi revelatam. part. 1. tr. 4 n. 256. p. 128

Aſſenſus fidei Chriſtianæ atque Catholicæ, eſt quo aſſentimur certo omnibus revelatis prout revelatis, & quia ſunt revelata, & hic requirit auxilium gratiæ ut neceſſarium. part. 1. tr. 4. n. 182. p. 115

Aſſentiri revelato à Deo prout revelato, eſt proprium infuſæ fidei, nec poteſt competere facultati naturæ. part. 1. tr. 4. n. 129. p. 107

Quid ſit aſſentiri articulis fidei ſicut ex fide eo quod illud importet. part. 1. tr. 4. n. 132. & ſeqq. p. 108

Qui aſſentiretur omnibus articulis fidei propter humanam perſuaſionem, malè aſſentiretur. part. 1. tr. 4. n. 143. p. 109

An qui aſſentitur revelatis, tanquam à Deo revelatis haberet tantum humanam fidem non autem divinam. part. 1. tr. 4. n. 55. & ſeqq. p. 95

Aſſertio.

Aſſertio recentiorum de gratia efficaci ex effectu poſito ex libertate arbitrij quam multa involvit impoſſibilia. part. 2. tr. 4. n. 17. & toto cap. ſeq. p. 103

S. Auguſtinus.

S. Auguſtini loca, quæ afferuntur ad fundandum doctrinam de danda gratia certa lege facienti quod in ſe eſt, expenduntur ac explanantur convinceturque quam malè in eam ſententiam accommodentur. part. 1. tract. 6. num. 325. & ſeqq. p. 185.

S. Auguſtini mens explicatur circa hæc illius verba ut velimus ſuum voluit eſſe & noſtrum, quod autem voluerimus ſolus præſtat. part. 1. tr. 8. n. 72. p. 274

Quæ fuerit S. Auguſtini mens de auxilio gratiæ ſufficienti, & an omnibus & illo fuerit conceſſum. part. 2. tr. 7. n. 170. & ſeqq. p. 69

Fueritne mens S. Auguſtini quod Deus nulli negat gratiam niſi obicem ponenti. part. 1. tr. 6. n. 338. p. 187

An S. Auguſtinus aliquando erraverit & tenuerit poſſe actum fidei humanis ſolis viribus haberi. part. 2. tr. 4. n. 49. & 50. p. 93

S. Auguſtinus quomodo intelligendus ubi ait habere quoſdam in ipſo ingenio, naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant. part. 2. tr. 4. n. 465. p. 185

Cur S. Auguſtinus prius Deum nominaverit moventem quam excitantem. part. 2. tract. 4. n. 437. pag. 180

An S. Auguſtini doctrina de gratia efficaci importet phyſicam prædeterminationem. part. 2. tr. 4. n. 469. & ſeqq. p. 186

Quæ ſit S. Auguſtini mens, de potentia aut impotentia hominis lapſi ad reſiſtendum tentationibus & multa illius dilucidantur teſtimonia. part. 1. tr. 2. n. 102. & ſeqq. p. 77

Qua ratione S. Auguſtinus tribuerit converſionem humanæ voluntatis, revelationibus, ſuaſionibus & viſionibus interioribus. part. 2. tr. 4. n. 429. p. 179

An S. Auguſtinus fuerit aliquando in ſententia Pelagianorum ſed ſine culpa. part. 1. tr. 6. num. 131. p. 156

S. Auguſtinus ita Pelagianam hæreſim impugnavit, ut in contrariam non inflexerit. part. 2. tract. 4. n. 608. p. 207

Digitized by Google

Index

An cum dixit D. Augustinus non posse hominem sine gratia vincere tentationes locutus sit de omnibus collectivè, an verò etiam de gravibus divisivè. part.1. tr.3.n.67.p.68

An S. Augustinus plus justo dixerit, cum asseruit quod Deus magis habet in sua potestate hominum voluntates quam ipsi suas. part.2.tr.4.n.429. p.177

Quo sensu dicat D. Augustinus homines non converti quia nolunt. part. 1. tract.6.n.297. & 290. p.181

Author.

Author assertionis quæ habet dari ex merito Christi facienti quod in se est, duo mala committit doctrinam scilicet reprobatam publicat & injuriam infert Christi merito. part.1.tr.6.n.221. p.170

Sententia Authoris concordiæ propugnans potentiam hominis ex suis viribus ad resistendum tentationibus, valde ad Pelagianos accedit. part.1. tr.3.n.164.p.85

Quod nullus authorum qui afferuntur pro confirmanda sententia quæ habet posse hominem solis naturæ viribus assentiri omnibus articulis fidei prout revelatis id asseruerit. part.1.tr.4.n.128. p.107

Quid Author concordiæ de gratia præveniente senserit. part.1.tr.1.n.20.p.5

Auxilium.

Auxilium duplex est homini necessarium quibusve de causis. part.2.tr.1.n.20.& seqq. p.3.

Auxilium primo parenti datum quale fuerit. part.2. tr.3.n.148.p.65

Auxilium gratiæ prævenientis non est qualitas sed motus animæ. part.1.tr.7.n.102. p.224

Et quis sit iste motus. ibid.n.103

Auxilium gratiæ prævenientis est triplicis generis. part.1.tr.7.n.112.p.226

Auxilium quod contra efficax distinguitur congruenter apellatur sufficiens. part.2.tr.3. n.13. & seqq.p.38

Auxilium gratiæ prævenientis non est unicum sed multiplex. part.1.tr.7.n.110.p.225

Auxilia divina ita se habent ad operationes supernaturales animæ, ut vires propriæ ipsius ad operationes ejus naturales. part. 1. tract. 7. num. 53. p 218

Auxilium quo indigent justi ad benè operandum ex habitibus infusis, est excitans & adjuvans simul. part.2.tr.1.n.33. & seqq.p 6

Homo indiget auxilio non solum quantum ad exteriora, sed etiam quantum ad interiorem motum. part.2.tr.2. n.89.p.28

An doctrina asserens præter auxilium particulare gratiæ prævenientis & concursum Dei generalem necessarium esse aliud auxilium particulare sit vera. part.1.tr.8.n.135.p.287

Potest unus converti alter verò non etsi externa habeant eadem auxilia. part.2.tr.4.n.69.p.111

Idem dicendum venit de auxilio interno sufficienti tantum. ibid.n.70.& seqq.p.114

Quod auxilium gratiæ habeat efficaciam à Deo independenter à libera hominis voluntate. part. 2. tr.4. n.189. p.132

Omne quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in uno indiget auxilio alicujus moventis immobilis. part.2.tr.5.n.9.p.224

Qua ratione auxilia gratiæ conatibus hominis commensurata fuerint à Cassiano, usque ad perfectam justificationem. part. 1. tract. 6. n.492. & seqq. p.107

Fuerint ne aliqui qui dixerint posse hominem lapsum sine Dei auxilio gravi tentationi resistere. tr.3.n.1.& seqq.p.55

An alicui possit imputari quod non habet id quod sine auxilio alteriùs acquirere non potest. part.2. tr.3.n.204. p.76

Quodnam cujusque generis sit auxilium gratiæ necessarium ad servanda omnia mandata naturalia. part.1.tr.2.n.250.p.54

Et an se teneat ex parte intellectus, an verò ex parte voluntatis. ibid.

Possitne pie credi Deum concedere gratiæ facienti quod in se est, etsi id non concedatur ex certa lege. part.1.tr.6.n.417.& seqq.p.196

Possitne homo solis suis viribus optare auxilium gratiæ. part.1.tr.5.n.1.& seqq. p.129

Quæ sint fundamenta & rationes tenentium assertivam. ibid.à n.1.ad 6

Refellitur eadem assertiva, simul cum conditionibus in ea appositis. ibid.n.6.& seqq p.130

Et quod eadem sit intolerabilis & damnata. ibid. num.8

An auxilium gratiæ necessarium homini lapso ad servanda omnia mandata naturalia, sit tantum removens prohibens. part.1. tr.2. n.252. & seqq. p.55

An auxilium generale sufficiat homini lapso ad servanda omnia mandata. part. 1. tract.2.num.166. p.34

Homo etiam justificatus indiget auxilio gratiæ ad rectè operandum & superandas tentationes. part. 1.tr.3.n. 150.& seqq.p.84

An auxilium illud sit insufficiens per quod non est tantus influxus, quanto indiget effectus ut sit. part.2.tr.3.n.100 p.55

Auxiliorum varia genera distinguntur. part.2. tr.3. n.128. p.61.& n.146. p.65

Auxilium gratiæ non ita datur omnibus ut qui voluerit eo operetur reddatque illud efficax vel inefficax. part.2.tr.3.n.137.p.63

Deturne semper auxilium gratiæ prævenientis, expendenti ea quæ proponuntur credenda. part.1. tr.7.n.114.& seqq.p.226

Duplex est auxilium generale, & in quo unumquodque sit. part.1.tr.3.n.162. p.85

Credere non potest homo sine Dei auxilio. part.1. tr.1.n.38. p.8

In quo posita sit, sufficientia, ac efficacitas auxilij divini. part.2.tr.2.n.102.& seqq.p.31

Deus dat justificatis omnibus auxilium quo perseverare possint si velint. part.2.tr.3.n.149. p.65

Quod recentiores nullatenus admittant auxilia gratiæ dare veras vires agenti. part.1.tr.7.num.209. p.240

Quod si cum æquali auxilio gratiæ prævenientis alter de facto consentit convertitur &c. alter non, nulla sit gratia efficax. part.2.tr.4.n.60. & seqq. p.110

An auxilium divinum actuale sit necessarium habenti habitum fidei, spei, aut Charitatis. part.2.tr.1. n.1.& seqq.p.1

Illud esse necessarium ostenditur. ibid. n. 12. & seqq.p.2

Adjutore Deo assiduè indigemus. part.2.tr.1.n.12. & seqq. p.2

Auxilium divinum necessarium esse etiam justo, & habenti habitus acquisitos fidei, spei &c. definiunt, Innocentius primus & Cœlestinus. part.2. tr.1.n.12.& 13.p.2

Idem docet Concilium Arausicanum. ibid.n.17.p.3

Probatur ipsum testimoniis S.P. Augustini. ibid. n.19.& seqq.p.3

Et S. Thomæ. ibid.n.20.& seqq.

Digitized by Google

Rerum & Verborum.

Actuale.

Auxilium actuale rectè dividitur in efficax & sufficiens. part.2. tr.2.n.93.& seqq.p.29

Efficax.

Auxilium efficax gratiæ, est gratia adjuvans, secundum quod præsupponit excitantem.part.2. tr.4. n.146.p.125

Auxilio ex Deo efficaci tolli libertatem arbitrij malè & sine causa quæruntur adversarij.part.2.tract.4. n.215.p.140

In quo posita sit auxilij efficacis aut inefficacis causalitas. part.2.tr.2.n.3.& seqq. p.12

Dari à Deo auxilium efficax probatur ex sacris scripturis. part.2.tr.2 n.94. & seqq.p.29

Quod recentiores nullum auxilium gratiæ efficax admittant ex eo demonstratur, quod dicant cum æquali gratia præveniente alterum converti, alterum verò non converti.part.2. tr.4.n.60.& seqq. p.110

Aliud est dicere quod habens auxilium efficax potest dissentire Deo vocanti & excitanti & aliud quod possit eidem auxilio dissentire. part.2. tr.4. n.334. p.163

Quod nihil habeamus quod non acceperimus apertè auxilium ex Deo efficax demonstratur.part.2.tr.4. n.219.p.141

Quomodo auxilium efficax sit in potestate hominis habentis sufficiens. part. 2. tr.3.n. 82.pag. 52

Sitne auxilium efficax aliquo saltem modo in nostra potestate & quo. part 2. tract.4.n.704.pag 220

Quid præstet auxilium efficax supra sufficiens.part.2. tr.2.n.98.p.55

Hominem habentem auxilium efficax non posse dissentire concedere tenentur ipsi adversarij. part.2. tr.4. n.332.p.163

Sitne diversa ratio auxilij efficacis gratiæ, & præmotionis efficacis ordinis naturalis. part.2. tr.4. n.178.p.131

Deturne auxilium aliud efficax aliud inefficax ex parte Dei independenter ab humano consensu.part.2. tr.2.n.121.& seqq. p.34

Auxilium excitans est efficax tantum secundum quid & simpliciter sufficiens. part.2. tr.3.n.111. p.58

Vnde negatur auxilium efficax justificatis qui cadunt. part.2.tr.3.n.94.p.54

Quod homo non possit resistere auxilio efficaci. part.2.tr.4.n.704. p.210

Efficax Dei auxilium in quibus completè, & integraliter consistat. part.2.tr.4.n.188. p.132

Quid sit auxilium efficax & inefficax, & unde sit orta hujusmodi divisio. part.2. tr.2.n.2.p.12

Qnid auxilium efficax voluntati tribuat,& an illam necessitet. part.2.tr.4.n.179.p.131

Et unde salvetur illius libertas. ibid.n.180

Auxilium efficax gratiæ non est qualitas actualis aut actualiter fluens. part.2.tr.4.n.145. p.124

An eo quod homo non habeat actu suo auxilium efficax, & illo in voluntate posito non potest resistere, sequatur eum non operari libere. part.2. tr.4.n.701.& seqq.p.220

Quibus fundamẽtis adversariorum sententia nitatur auxilium efficax non distinguens realiter à sufficienti, & efficaciam tribuens libertati creatæ. part.2 .tr.4.n.64.& seqq.p.111

Refellitur eadem sententia. ibid.n.67.& seqq.

An auxilium efficax destruat sufficens.part.2.tr.2. n.115.p.13

Auxilij efficacis quatuor sunt genera diversa & quæ. part.2. tr.2.n.116.p.33

Naturale.

Auxilia naturalia quibus possint homines Deum authorem naturæ cognoscere nemini negantur aut negata sunt. part.2 tract.3.n.128. & seqq. pag.61

Præveniens.

Auxilium præveniens efficax, verè & efficienter dicendum est prædeterminare humanam voluntatem. p.2.tr.4.n.176.p.130

Auxilium præveniens quo infallibiliter facit Deus voluntatem consentire, antecedenter ad prævisum ejus bonum usum verè est prædeterminans. part.2.tr.4. n.176.p.130

Auxilium præveniens quid importet super inspirationem. part.2.tr.7. n.310.p.253

Auxilium gratiæ præveniens est principium verè effectivum ut benè operemur. part.1. tr.7. n.52. & seqq. p.218

An habens auxilium Physicè prædeterminans, possit adhuc suæ libertatis admoneri. part.2.tr.4.n.306. p.158

An parum interfit ad Ecclesiæ doctrinam, utrum dicat quis auxilium præveniens habere Physicum influxum in opus, aut dicat habere tantum moralem. part.1.tr.7.n.215.p.241

Auxilium gratiæ præveniens, non esse aliud quam actiones humani intellectus & voluntatis, secundum quod procedunt à Deo immediatè, est impossibile. part.1.tr.7.n.51.& seqq.p.217

Sufficiens

Auxilium sufficiens semper est efficax respectu alicujus actus & cujus. part.2. tract.3.n.103. & seqq. p.56

Quomodo auxilium sufficiens distinguatur ab efficaci. part.2.tr.2.n.123.p.34

An auxilium manens infra terminos sufficientis dicendum sit inefficax & qua ratione. part. 2. tr.2. n.126. p 35

Quomodo tam qui non habet auxilium sufficiens quam qui habet, dicatur posse salvari. part. 2. tr.3.n.145.p.64

An auxilium sufficiens melius apellaretur auxilium generale; communis vocatio; vel auxilium sine quo non potest homo rectè operari salutis opera. part.2.tr.3.n.13.& seqq.p.38.

An & auxilium simpliciter sufficiens. part.2. tr.3. n.6.p.38

Auxilium sufficiens importat in suo formali ut per illud possit homo rectè operari si velit. part. 2. tr.3.n.17.p.38

Defectus auxilij sufficientis provenit ex solo hominis arbitrio resistente. part.2. tract.3. num. 18. pag.38

Non est negandum auxilium esse sufficiens, aut dicendum imperfectum ex eo quod actum non efficiat sine efficaci supervenienti.part.2.tr.3.n.19. p.38

Auxilium sufficiens est in sua ratione completum & quo modo etiam dicatur incompletum. part.2. tr.3 n.21.p.39

Auxilium sufficiens dicit ordinem ad actum & quem. part.2.tr.3.n.22.p.39

Quomodo auxilium revera sit sufficiens ante voluntatis consensum, & in quo consistat ratio ejus formalis. part. 2. tract. 3. num. 23. & seqq. p.40

Et quomodo aliud impugnent adversarij. ibid. num.24. & seqq.

Auxilium sufficiens tantum dat posse benè operari non autem ipsum benè operari & cur.part. 2.tr.3. n.29. p.41

Et quo sensu tribuat posse bene operari.ibid.n.30. 31

Quod *cum auxilio sufficienti homo benè operaretur si vellet*, quomodo sit intelligendum & qui possint esse

Digitized by Google

esse sensus illius propositionis veri, quive falsi. part.2.tr.3.n.35.& seqq.p.42
Si non daretur auxilium sufficiens distinctum ab efficaci sequeretur Deum justos deserere prius quam ab ipsis deseratur. part.2.tr.2.n.109.p.32
An auxilium sufficiens quo possent credere, vel pœnitentiam agere, &c. aliquibus denegetur. part.2. tr.3.n.163.& seqq.& p.68
Habentes auxilium sufficiens nisi ipsi defuerint recipient efficax. part.2.tr.3.n.74.p.50
Est doctrina Concilij Tridentini. ibid.
Et S. Augustini. ibid.n.75
Et ipsius S. Thomæ. ibid.n.76
An quod auxilium habens sufficiens non habeat efficax, sit ex defectu ipsius, an verò hominis, & quomodo. part.2.tr.3.n.73.& seqq.p.50
Nisi darentur omnibus auxilia sufficientia, delusoriè diceret Deus, velle se omnes homines fieri salvos. part.2.tr.3.n.115.p.59
Quid de auxilio sufficienti omnibus parato statuerint Lovanienses, & quibus argumentis. part.2. tr.3.n.114 p.59
Homo resistens auxilio sufficienti justè privatur efficaci. part.2.tr.3.n.87.p.53
Quid sit auxilium efficax & inefficax, & unde sit orta hujusmodi divisio. part.2.tr.2.n.2.& seqq. pag.12
Auxilium sufficiens fiatne efficax ex cooperatione liberi arbitrij ex adversariorum mente & qua ratione. part.2.tr.2.n.3.& seqq.p.12
Quæ sint potissimæ adversariorum sententiæ de efficacia aut inefficacia auxilij sufficientis. part.2. tr.2.n.3.& seqq.p.12
Auxilium gratiæ sufficiens non datur omnibus. part.2.tr.3.n.135.& seqq.p.63
Auxilium sufficiens tantùm, non dat potentiæ ultimum complementum. part.2.tract.4.n.133.& seqq.p.122
An auxilia sufficiens & efficax rectè comparentur causæ in actu primo, seu in potentia ad operandum, & causæ in actu secundo seu actu operanti. part.2.tr.2.n.120.p.34
Deturne omnibus auxilium sufficiens. part.2.tr.3. n.114.p.58
Sufficientia auxiliorum bene explicatur per sufficientiam causarum,& cum ea comparatur.part.2. tr.3.n.58.p.46
Ratio formalis auxilij sufficientis quatuor includit & quæ illa sint. part.2.tr.3.n.35.& seq.p.142
Explicantur tria ad auxilium sufficiens pertinentia. part.2.tr.3.n 33.p.42
Quis sit sensus istius propositionis, quod *si quis bene utatur auxilio sufficienti dabit illi Deus efficax.* par.2.tr.3.n.38.& seqq.p.43
Et an involuat impossibile. ibid.n.40
Quis sit bonus usus auxilij sufficientis & quotuplex. part.2.tr.3.n.41.p.43
An quod homo non bene operetur cum auxilio sufficienti sit defectus ipsius auxilij. part 2.tract.3. n.45.& seqq.p.44
An auxilium sufficiens appelletur ex eo quod alio non indigeat. part.2.tr.3.n.51.p.45
An & eo ipso quod alio indigeat dicendum sit insufficiens. ibid.n.53.p.45
Habenti auxilium sufficiens quid desit ad operandum tam in nostra quam adversariorum sententia. part.2.tr.3.n.56.p.45
An necesse sit ut homo bene operetur cum auxilio sufficienti, ad hoc ut tale dicatur. part.2.tr.3. n.59.p.46
An cum auxilio sufficienti, homo pereat non sua culpa. part.2.tr.3.n.61.& seqq.p.47
An ex eo quod non dentur omnibus auxilia sufficientia, minus vituperanda sit Caini, aut Judæ desperatio. part.2.tr3.n.241.& seq.p.84
Auxilij sufficientis variæ sunt acceptiones & quæ. part.2.tr.3.n.2.& seqq.p.36
Si non daretur auxilium sufficiens Adam sua culpa non cecidisset. part.2.tr.2.n.108.p.32
An certum sit dari aliquibus auxilium sufficiens ad operandam salutem, & quibus. part.2.tract.3. n.146.& seqq.p.65
An si auxilium sufficiens daretur omnibus esset aliquid naturale. part.2.tr.3.n.199.p.74. & n.207. p.77
An homo cum auxilio sufficienti, possit conjungere bonum actum cum prædeterminatione ad actionem in peccato. part. 2. tract.3.num.67.& seq. p.48
Auxilium gratiæ sufficiens non datur æqualiter omnibus. part.2.tr.3.n.136.p.63
Alia sunt auxilia Dei simpliciter sufficientia, alia actu sufficientia, seu efficacia. part.2.tr.2.n.93. & seqq.p.29
Sitne de ratione auxilij sufficientis, ut det tantum influxum quantus requiritur ad operandum. part. 2. tr. 3. n. 100. p. 55
An & quomodo habeat homo in sua potestate id quod auxilio sufficienti deest ad operandum. part. 2. tr. 3. n. 65. p. 48
An auxilium merè sufficiens sit positivè inefficax prout venit à Deo. part.2.tr.2.n.137.p.35
An qui dicunt non dari omnibus auxilia gratiæ sufficientia, debeant etiam dicere aliquem non posse converti ad Deum, dum est in vita. part. 2. tr.3. n.143.p.64
Auxilium sufficiens respectu alicujus actus procedit ex decreto Dei absoluto, at non respectu alterius. part.2.tr.3.n.104.p.56
Auxilium sufficiens supernaturale, est vera Christi gratia, adeoque nec omnibus datur. part.2.tr.3. n.205.p.76
An Lovanienſis Academia usurparit aliquando nomen auxilij sufficientis pro efficaci. part.2.tr.3. n.10.p.37
Auxilium gratiæ sufficiens potest Deus omnibus denegare sine injustitia. part.2.tract.3.num.140. p.63
Parari, & dari omnibus auxilia sufficientia multimodè probatur. part. 2.tract. 3. n. 114. & seqq. p.58
Qui sentiunt auxilium sufficiens omnibus dari eo quod aliqui peccatum eis non posset imputari SS. Augustino & Thomæ adversantur. part. 2. tract. 3. n. 212. p. 78
Et pejus sentiunt quam qui asserunt illud dari facientibus quod in se est viribus naturæ. ibid. n.213

Supernaturale.

Auxilium supernaturale præveniens non est sola subordinatio ad potentiam & imperium Dei intimè assistentis. part.1.tr.7.n.30 p.214
Deus non tribuit omnibus auxilium supernaturale sufficiens immediatè ad credendum, aut ad alios actus ex sua substantia supernaturales.part.2.tr.3. n.163.p.68
Auxilium supernaturale gratiæ, non esse aliud quam intima Dei assistentia creatæ voluntati sibi subordinatæ, quibus tationibus & exemplis suadere conentur Recentiores, & an illa aliquid probent. part.1.tr.7.à n.16. ad 20.p.212.& n. 45.& seq. p.217

Digitized by Google

B

Baptizatus, Baptiſmus.

BAptizati quale auxilium recipiant à Deo. part. 2. tr. 3. n. 152. p. 66

Vnde negata ſit gratia pueris decedentibus ſine baptiſmo. part. 2. tr. 3. n. 93. p. 54

Beatitudo.

Quæ fuerit cauſa beatitudinis bonorum Angelorum, & miſeriæ malorum. part. 2. tract. 4. n. 83. p. 114

Beatus.

Beati in Patria ſunt omnino in gratia confirmati, & impeccabiles non habent libertatem exercitij quoad dilectionem beatificam, ſecus quoad alias bonas operationes nihil tamen per illam poſſunt mereri ulteriùs. part. 2. tr. 5. n. 46. p. 230

S. Bernardus.

S. Bernardus efficaciſſimè gratiæ prævenientis efficaciam propugnat. part. 2. tr. 4. n. 502. & ſeq. p. 193

Blaſphemans.

Cujus virtutis ſit actus ille quo peccator reſpondet blaſphemanti v.g. pro honore Dei tuendo. part. 1. tr. 2. n. 247. p. 53

Et an is fieri poſſit ſine gratiæ Dei auxilio. ibid.

Bonum.

Bonum aliquod ſine Deo ex nobis an habeamus. part. 1. tract. ult. n. 54. p. 233

An aliquid boni habeamus quod non habeamus ex gratia. part. 2. tr. 4. n. 257. p. 149

Poſſitne concedi quod qui ſe exercet in bonis moralibus minus ſit indiſpoſitus ad gratiam. part. 1. tr. 6. n. 9. p. 136

In homine bona fiunt quæ non facit homo, nulla vero facit homo quæ non Deus præſtet ut faciat homo, & quomodo illud. part. 1. tract. 8. num. 14. p. 265

Non habet homo quidquam boni proprium. part. 2. tr. 4. n. 483. p. 189

An habeat homo in ſtatu naturæ lapſæ eaſdem prorſus vires ad bonum naturale quas habuiſſet ſi in puris naturalibus conditus eſſet. part. 1. tr. 3. n. 136. & ſeqq. p. 81

An & quo ſenſu oportet nos eligere quæ bona ſunt ut Deus quæ ſua ſunt introducat. part. 1. tract. 6. n. 130. & ſeq. p. 156

C

Calvinus.

CAlvinus gratiam omnem excitantem, ſufficientem, prævenientem & adjuvantem negavit, & quibus fundamentis. part. 1. tr. 7. n. 337. & ſeqq. p. 257

Idem ex efficaci Dei præveniente motione malè intulit ablationem humanæ libertatis. ib. n. 343. p. 258

Cauſam negandæ gratiæ prævenientis communem habuit cum Pelagianis & Lutheranis. part. 1. tr. 7. n. 344. p. 258

Et cum illis convenire neceſſe eſt illos omnes qui eandem noſtris temporibus negant. ibid. n. 345

Quæ fuerit Calvini hæreſis de gratiæ efficacia, & in quo eam poſuerit. part. 1. tract. 4. num. 329. p. 162

Calviniſtæ, Lutherani ac Pelagiani, divinis teſtimoniis abutuntur ad tuendum errorem, nos moderatè utimur ad ſtabiliendam arbitrij libertatem cum efficacia gratiæ prævenientis. part. 2. tract. 4. n. 203. p. 136

Calvinus Patribus & Eccleſiæ impoſuit. part. 2. tr. 4. n. 385. p. 171

Canonizatio.

Quid de Canonizatione Sanctorum. part. 1. tract. 1. n. 92. & ſeq. p. 20

Canon.

Canones Concilij Tridentini de juſtificatione, quo ſenſu ſint intelligendi, compoſito ſcilicet an diviſo. part. 2. tr. 4. n. 337. & ſeqq. p. 164

Canonum Concilij Trid. verba parum fideliter referuntur ab adverſariis, ut eos detorqueant in ſuam ſententiam. part. 2. tr. 4. n. 347. & ſeq. p. 166

Capreolus.

An Capreolus doceat poſſe hominem ſolis naturæ viribus aſſentiri articulis fidei prout revelatis. part. 1. tr. 4. n. 130. p. 107

Caro.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. part. 1. tract. 1. n. 57. p. 12

An homo conſtitutus ſub gratia poſſit dici Carnalis. part. 1. tr. 1. n. 57. p. 12

Caſſianus.

Caſſiani mens & error de victoria tentationum ſine Dei auxilio. part. 1. tract. 3. num. 28. & ſeqq. p. 60

Caſſianus à S. Proſpero refellitur, quod diceret jobum propriis viribus ſine Dei auxilio maximas ſuas tentationes ſuperaſſe. part. 1. tract. 3. n. 29. p. 60

Catholicus.

Poſſitne Catholicus per fidem acquiſitam aſſentiri huic veritati. *Eccleſia veraciter proponit ea quæ ſunt de fide.* part. 1. tr. 4. n. 233. p. 124

Cauſa.

Cauſa per accidens in moralibus ſæpè habetur pro vera cauſa, eique imputatur. part. 1. tract. 6. n. 242. p. 174

Quod cauſa movens multipliciter dicatur. part. 1. tr. 7. n. 299. p. 251

Quibus ex cauſis definierit Concilium Tridentinum neceſſariam eſſe homini gratiam tum excitantem tum adjuvantem. part. 1. tr. 7. n. 353. p. 259

Sitne cauſa completa in potentia tantum, alia verò completa in actu, & quæ. part. 2. tract. 3. num. 5. p. 36

Poſſitne cauſa principalis non ſupernaturalis elicere actum ſupernaturalem. part. 1. tract. 7. num. 26. p. 214

Sitne de ratione cauſæ proximæ ad actum quod ſit applicata. part. 2. tr. 3. n. 58. p. 46

Cauſalitas.

Poſſitne ſuſtineri cauſalitatem gratiæ prævenientis ut prævenientem eſſe tantum ſuadentem, invitantem & allicientem. part. 1. tr. 7. n. 202. p. 239

Certitudo.

Certitudo intrinſeca fidei neceſſaria eſt ad ſalutem. part. 1. tr. 4. n. 211. p. 120

Certitudo adhæſionis non eſt propria virtutis fidei. part. 1. tr. 4. n. 121. p. 106

Poſſitne certitudo ad fidem neceſſaria haberi humanis viribus. part. 1. tr. 4. n. 209. p. 119

Poſſitne major eſſe certitudo in hæretico reſpectu articulorum fidei quos non negat, ſed firmiter tenet quam ſit in minimo Catholico. part. 1. tract. 4. n. 95. & ſeq. p. 101

Certitudo quælibet ex parte credentis non ſufficit ad credendum rebus fidei prout oportet. part. 1. tr. 4. n. 219. p. 121

Alia eſt certitudo cognitionis, alia certitudo ordinis. part. 2. tr. 4. n. 141. p. 124

Sitne certitudo adhæſionis propria virtutis fidei. part. 1. tr. 4. n. 212. p. 120

Poſſitne major eſſe certitudo ex parte credentis, ſi

Digitized by Google

ei superaddatur lumen supernaturale, quam si solis naturæ viribus crederet. part.1.tr.4.num.91. p.101

Charitas.

Charitas excedit naturæ facultatem. part.1.tract.1. n.3.p.7

Charitas diligit Deum secundum quod est objectum Beatitudinis, & secundum quod homo habet quandam spiritualitatem cum Deo. part.1.tr.1. n.31.p.7

Charitatis actus primus est diligere Deum super omnia, & ideò est supernaturalis. part.1.tr.1.n.9. p.3

An justificatus cum minima etiam charitate sine gratiæ auxilio possit cuilibet tentationi etiam maximæ resistere, excepto si pro fide aut virtute esset mors obeunda. part. 1. tract. 3.n.156.p.85

Et an sine illo possit etiam tentationem vincere. ibid.n.161

Christus.

Christus Dominus fuit perfectè in gratia confirmatus,& quibus titulis fuit viator & comprehensor, & habuit libertatem exercitij sufficientissimam ad meritum. part.2.tr.5.n.45.p.230

Christus ex sententia Recentiorum non semper salvator, sed aliquando susceptor est. part.1.tract.6. n.211.& seqq.p.168

Christus Dominus verè redemptor est omnium,etsi omnibus non tribuantur auxilia supernaturalia sufficientia, & quomodo. part.2.tr.3.num.193. & seqq.p.73

An ex eo quod trahamur ad Christum sequatur quod inviti credamus. part.2.tr.4.n.426.& seqq. p.178

Si sine Christo nihil facere possumus : ergo neque ab bonum actum nos determinare, &c. part.2. tr.4.n.208.p.139

Quod licet pro omnibus mortuus sit Christus, sitque salvator omnium non tamen ideò dantur omnibus auxilia sufficientia. part.2.tr.3.num.261. p.87

An ex eo quod Christus pro omnium salute sit passus, sequatur dari omnibus auxilium supernaturale sufficiens. part.2.tr.3.n.193.p.73

An qui Christum audierunt ejusque miracula viderunt potuerint solo concursu generali assentiri doctrinæ illius. part.1.tr.4.n.69.& seqq.p.98

Quo sensu dicatur Christus passus esse pro salute omnium. part.2.tr.3.n.193.p.73

Potueritne Christus mereri ut daretur gratia certa lege, facienti quod in se est ex solis naturalibus. part.1.tr.6.n.289.p.180

Possitne aliquis Christo datus petire. part.2.tract.4. n.58.p.110

S. Chrysostomus.

An etiam S. Chrysostomus fuerit in sententia Pelagianorum, & cur ? an & sine culpa. part. 1. tr.6. n.131.p.156

Et quomodo sit à D. Augustino vindicatus à calumnia illius hæreseos. ibid.n.134.p.157

Fueritne S. Chrysostomi mens quod Deus adjuvet hominem ideò quia facit quod in se est, solis naturæ viribus. part.1.tr.6 n.128.p.156

Dixeritne S. Chrysostomus quod homo incipiat priùs bene operari ex suis viribus, quam postea Deus sua gratia adjuvet, & quam ob causam libertatem arbitrij tantum extulerit. part.1.tract.6. n.135.& seqq.p.157

Cœlestinus.

Cœlestinus primus evidentissimis testimoniis gratiam Dei prævenientem efficacem,asseruit.part.2. tract.4.n.253.& seqq.p.148

Cœlum.

An cœlum agat in intellectum & voluntatem & quatenus. part.1.tr.6.n.143.p.158

Cogitare, Cogitatio.

Cogitare Deus sine nobis consentientibus perficit in nobis, velle non efficit sine nobis liberè consentientibus, perficere autem efficit per nos. part.1.tr.8.n.70.p.273

Pia cogitatio data in certis circunstantiis ex adversariis habet rationem gratiæ efficacis, unde & recedunt in Pelagianismum. part. 2.tr.2.num.38. & seqq.p.18

Quo sensu cogitationes & volitiones indeliberatæ dicantur esse gratia excitans. part.1.tr.7.num.99. p. 224

An ex cogitatione supernaturali tantum quoad modum oriatur affectus naturalis an supernaturalis. part.1.tr.7.n.173.p.235

Conatus.

Conatus liberi arbitrij & cassi sunt si non adjuvantur, & nulli si non excitentur. part.1.tr.7.n.282. p.249

Concilium.

Concilium Tridentinum specialiùs prævenientis gratiæ efficaciam confirmat. part.2.tr.4.n.283. & seqq.p.154

An Concilium Tridentinum dicens posse liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum gratiæ dissentire eamque abjicere, loquatur in sensu composito. part.2.tract.4.num.362.& seqq. p.169

Concilia Arausicanum secundum & Tridentinum admittunt alias dari à Deo gratias sufficientes tantum, alias efficaces. part.2.tract.2.num.96. p.30

An si Concil. Tridentinum loquatur in sensu composito de potentia ad dissentiendum Deo moventi & excitanti, Calvino non contradicat. part.2.tr.4.n.383.& seqq.p.170

Imò non ei contradiceret ex mente adversariorum. ibid n.392.p.172

Quæ qualisve sit gratia à Calvino posita. part.2. tr.4.n.384.p.171

Doceatne Concilium Tridentinum posse arbitrium præbens consensum Deo moventi & excitanti conjungere non assensum. part.2.tract.4.n.393. & seqq.p.172

Concilium Tridentinum gratiam ádjuvantem supra excitantem adstruit. part.2.tract.4.n.290.p.155

An Concilium Arausicanum definiens non posse hominem operari solis naturæ viribus prout oportet, definiat consequenter posse eum aliquid boni agere, licet non conducens ad salutem, & posse assentiri revelatis prout revelatis. part. 1. tr.4.n.111.p.104

Quæ sit mens & Doctrina Concilij Tridentini de gratia excitante, & prævenient efficaci. part.2. tr.4.n.310.p.159

An Concilia addentia in suis definitionibus *prout oportet* sint tantum intelligenda de modo accidentali actus, non vero de ejus substantia.part.1. tract.4.num.114.p.105

Primum intellectus consilium quo deliberat an consentiendum sit præmotioni, non tam ipsi voluntati illud actu indeliberato imperanti quam Deo ipsi tribuendum est. part.1.tract.7.num.240. p.244

Quod Concilium Tridentinum dividat gratiam adjuvantem per operantem & cooperantem. part.1. tr.8.n.17.p.265

An ex Conc. Trid. constet auxilium sufficiens supernaturale omnibus dari. part.2.tr.3.n.220.p.80

Digitized by Google

Concilium Senonense, quantæ sit authoritatis, ad quid congregatum, & quid de gratia prævenient statuerit. part.2.tr.4.n.287.p.154

Conclusio.

Conclusio explicans efficaciam auxilij gratiæ secundum quod ex Deo provenit habetur. part.2.tr.4. n.192.p.133

Concordia.

Etsi concordia liberi arbitrij, cum gratiæ prævenientis donis difficilis est intellectui non tamen ideò est neganda. part. 2. tract. 4. n. 201.& seqq. p.136

Quod difficilè sit intelligere concordiam gratiæ liberi arbitrij, ut asserunt Patres, ex eo datur manifestum sententiam Recentiorum intellectu facillimam non esse germanam. part.2.tr.4.n.680. p.216

Concupiscentia.

Concupiscentiis est resistendum. part.1.tr.1.n.59. p.12

Concursus.

Concursus simultaneus à Recentioribus invectus quo Deus immediatè cum causa secunda supernaturali producit operationem supernaturalem rejicitur. part.2.tract.1.n.60.& seqq.p.10

An concursus Dei generalis sufficiat cum habitibus acquisitis fidei, spei, & charitatis, ad actus illis habitibus proportionatos. part. 2.tract.1. num.2. & seqq. p.1.

Prævius Dei concursus ad extra, & cooperatio libera nostræ voluntatis non est una indivisibilis actio. part.2.tr.4.num.137.p.122

Confessio.

Confessio hominis non est humanæ virtutis. part.2. tract.4.n.483.p.189

Confirmatus.

Confirmati in gratia in quadruplici ordine distinguntur, & qui sint in unoquoque ordine habendi. part.2.tr.5.n.44.& seqq.p.230

Confirmati in gratia quale habeant perseverantiæ donum. part.2.tr.5.n.43.& seqq.p.230

Consensus.

An consensus voluntatis ex libero arbitrio sit causa sufficiens efficacitatis gratiæ. part. 2. tr. 2. n. 26. p. 16

Consensus quo Deo vocanti consentimus totus est noster, & totus Dei & Dei magis principalis. part.1.tr.7.n.328.p.256

Consequentia.

Quæ sint quotve malæ consequentiæ quæ ex Recentiorum sententia oriuntur asserentium, posse hominem lapsum solis suis viribus cuilibet gravi tentationi in particulari resistere. part.1.tract.3. n.83.p.71

Consequentia quæ ex divina præscientia, prædestinatione, electione, infallibili ac sempiterna voluntate concludunt absolutam necessitatem, sunt invalidæ. part.2.tract.4.n.629.p.210

Contradictio.

An implicet contradictionem quod homo possit dissentire gratiæ efficaci in sensu diviso. part. 2. tract.4.n.399.p.173

Contritio.

Contritio quoad formam est à charitate, quoad substantiam vero est à Deo per infusionem gratiæ in ratione auxilij moventis. part.1.tract.1. n.34.p.8

An in contritione secundum quod ab homine à Deo moto producitur, inveniantur ea quæ in formis naturæ liberæ, & in ultimis dispositionibus, & quænam ea sint. part.2.tr.4.n.402.p.174

Homo conditus in puris naturalibus si mortaliter peccaret, non posset conteri sine gratiæ infusione, & sine contritione elicita ab habitu pœnitentiæ infusæ. part.1.tr.1.n.11.p.3

Converti, Conversio.

Quisquis convertitur aut perseverat, semper habet nobiliùs & majùs auxilium gratiæ prævenientis eo qui non convertitur, aut non perseverat. part.2.tr.1.n.77.p.112

An qui convertitur majus habeat auxilium gratiæ cooperantis & concomitantis, quam qui non convertitur. part.2.tr.4.n.78 p.113

An majus habeat sub ratione beneficij. ibid.n.79

Quid efficiat Deus & quid requiratur ex parte hominis ut convertatur. part.1.tr.7.num.316.p.254. & n.327.p.256

Quod ad Deum nos convertimus nisi ipso excitante & adjuvante non possumus. part.1.tr.7.n.268. p.248

Conversio hominis ad Deum, est ex solo Deo efficaciter movente. part. 2. tr. 4. num.410.& seqq. p.175

An conversio Eunuchi Candacis Reginæ, vel S. P. Augustini pependerit aliquo modo à lectione vel prædicatione sacra. part.1.tr.7.n.165.p.234

Non potest effici conversio ex sola recordatione gratiæ prævenientis. part.1.tr.7.n.217.p.242

Quare conversio ad Deum, dicatur non esse volentis aut currentis sed Dei miserentis, cum homo non possit credere aut operari nisi velit. part.2. tr.4.n.417.& seqq.p.177

Et an propter cooperationem voluntatis humanæ dici possit, vicissim non esse Dei miserentis, sed hominis volentis & currentis. ibid n.417

Homo in conversione sua non regitur aut ducitur, sed agitur. part.2.tr.4.n.413.& seq.p.176

Cur uni ita suadeatur conversio ut persuadeatur, alteri vero non. part.2.tr.4.n.430.p.179

An & quomodo conversio voluntatis humanæ tribuatur suasionibus internis. part. 2. tr.4.n.431. & seqq.p.179

Coversio propriè dicta est qua ex mala voluntate in Deum homo convertitur. part.2.tr.1.n.38.p.7

Conversio infidelis quomodo, quove ordine fiat. part.1.tr.7.n.319.& seq.p.255

Cooperari, Cooperatio.

Cooperari dupliciter dicitur, & qualiter. part.1.tr.7. n.289.p.250

Cooperari unum alteri quot modis theologicè dicatur. part.1.tr.8.n.81.p.276

An cooperatio gratiæ & nostra sint relativæ. part.1. tr.8.n.83.p.276

Quod cooperatio gratiæ quam ponunt adversarij, sit impossibilis, aut si possibilis inutilis. part.1. tr.7.n.221.p.242

Et statuitur modo prorsus impossibili. ib.n.223. 225.226

Quæ divina cooperatio sit negata à Pelagianis ut libertatem salvarent. part.1.tr.6.n.473.p.205

An simultanea cooperatio gratiæ & nostra sit per accidens. part.1.tr.8.n.83.p.276

An si simultas cooperationis gratiæ & nostra esset naturæ tantum salvari posset ratio gratiæ cooperantis. part.1.tr.8.n.85.p.277

Et an sententia simultatem illam adstruens salvetur à Pelagianismo. ibid.& n.seqq.

Et quod Apostolo apertè contradicat. ibid.n.89. p.278

Cor.

Corda Regum quomodo sint in manu Domini,&c. & an indè probetur efficacitas auxiliorum ex Deo. part.2.tr.4.n.211.p.139

Digitized by Google

Correctio.

Correctio, exhortatio, aliaque charitatis officia nulli sunt subtrahenda quandiu est in vita. part.2. tr.3.n.141.p.64

Corruptio.

Remanet etiam in homine sanato corruptio secundum carnem: obscuritas in intellectu,&c. part.1. tr.3.n.152.p.84

Creatio, Creatura.

Creationis vox qua scriptura utitur ad effectus gratiæ significandos ipsius efficaciam indicat. part.2. tr.4.n.663.p.214

Proprium est creaturæ rationalis ut moveatur à Deo objectivè & effectivè. part.1.tr.7.n.352.p.259

Culpa.

Quomodo culpa hominis sit, quod non est sine peccato. part.2.tr.3.n.183.p.72

Cumel.

Quid sentiat Cumel, de lege danda gratiæ homini facienti quod in se est, ex solis naturæ viribus. part.1.tr.6.n.429.& seqq.p.198

Custodia.

Custodiam Angelorum an admiserit Cassianus. part.1.tr.6.n.465.p.203

D

Dæmon.

Dæmonum quæ qualisve sit fides, an spontaneè propriéque fides assentiens reve atis prout revelatis. part.1.tr.4.n.164.p.113.& n.169.& seq. p.114

Debitum.

Debitum duplex est, quod videlicet est ex merito,& quod ex conditione naturæ. part.2.tr.3.n.199. p.74

Defensio.

Patris Valentia defensiones pro sententia asserente dari gratiam certa lege facienti quod in se est ex solis suis viribus,afferuntur & refelluntur. part.1. tr.6.n.274.& seqq.p.177

Refutantur quæcumque in defensionem illius sententiæ, quod facienti quod in se est Deus ex certa lege det gratiam, ab illius defensoribus sunt cumulata. part.1.tr.6.n.244.& seqq.p.174

Vbi & ostenditur illa eadem esse quæ à Pelagianis & Semipelagianis prætendebantur, vel certè magis periculosa. ibid.

Definitio.

Possitne ex definitione Conc. Arausicani colligi hominem in statu innocentiæ non indiguisse auxilio supernaturali à virtutibus infusis distincto ut perseveraret in sua innocentia. part.2.tract.5. n.2.& seqq.p.223

An definitiones summorum Pontificum & Conciliorum se extendant tantum ad omnes in quos expresè militant, an verò etiam ad alia quæ ex illis sequuntur. part.1.tr.3.n.62.p.67

Deus.

Deus est qui operatur omnia in nobis velle,&c. & quis sit germanus verborum illorum sensus. part.2. tr.4.n.203.p.137

Detne Deus gratiam facienti quod in se est, saltem & non apponenti nouum impedimentum. part.1. tr.6.n.234.& seqq.p.173

Quod Deus homini peccatori facienti quod in se est non det gratiam certa lege. part.2.tr.6.n.233. & seqq.p.172

Non ex nobis est quod Deo vocanti consentiamus, sed ex Deo qui operatur in nobis tale bonum velle. part.2.tr.4.n.502.p.193

Quod Deus velit omnes homines salvos fieri, non invehit dari omnibus auxilium supernaturale sufficiens. part.2.tr.3.n.260.p.87

Quod Deus non expectet nostram voluntatem posita gratia excitante. part.2.tr.4.num.47. & seqq. p.108

Quodque hæc doctrina damnata sit à Conciliis & PP. ibid.

Quod Deus ex sententia adversariorum relevet actus liberè elicitos à facultate naturæ per auxilium gratiæ. part.1.tr.7.n.118.& seqq.p.217

Imò quod Deus elevet eundem numero actum naturalem ad esse supernaturale. ibid.n.122.& seqq.

Deum sine intermissione ad ostium cordis pulsare quomodo intelligatur ab adversariis, & ab authore concordiæ. part.1.tr.6.n.200 p.167

An non alio modo Deus trahat bonos quam dæmon malos. part.1.tr.7.n 206.p.240

Deus nisi homines illius gratiæ defuerint sicut cæpit opus bonum ita perficit, operans velle & perficere. part.2.tract.3.n.263.p.88

Quomodo Deus hominem moveat interiùs per excitantem gratiam. part.1.tr.7 n.188.p.237

An ex eo quod velit Deus omnes homines salvos fieri, sequatur dari omnibus auxilium supernaturale sufficiens. part.2.tr.3.n.191.p.73

Deus cooperando perficit quod operando incipit & qua ratione. part.1.tr.8.n.6.p.263

Quinam propriè dicantur despecti à Deo. part.2. tr.3.n.232.p.82

Deum certò dare suam gratiam bene utenti libero arbitrio, eumque salvare,contra verò malè utentem damnare censuerunt Pelagius, Iulianus,Cassianus, &c. part.1.tr.6.n.13.p.137

Quod dedit Deus homini mentis propriæ libertatem ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, &c. quomodo intelligendum. part.2.tr.4.n.491.p.190

Deum ita voluntates humanas movere quod in eorum potestate relinquat operari vel non operari, quo sensu intelligendum. part.2.tract.4.n.495. pag.191

Deus miseretur bona tribuens, obdurat digna retribuens. part.1.tr 6.n.111.p.152

Quod Deus verè & efficaciter faciat, quod nos liberè operemur,& quod liber actus à nobis libetè fiat. part.2.tr.4.n.207.p.139

Asserentes Deum conferre gratiam infallibiliter facienti quod in se est cum Massilienſibus conveniunt. part.1.tr.6.n.103.p.150

Deum non antecedere nostras voluntates quo sensu dictum sit à D. Chrysostomo. part.1.tr.6.n.137. p.157

Non solum datur à Deo auxilium quo possimus venire ad Christum, sed etiam quo de facto veniamus. part.2.tr.2.n.83.p.27

Quod Deus illuminare dicatur omnem hominem venientem in hunc mundum, non importat auxilium supernaturale sufficiens omnibus dari.part.2. tr.3.n.26.p.87

Tripliciter dicitur Deus in nobis operari, & in quo unumquodque sit. part.1.tr.8.n.2.& 3.p.263

Quomodo Deus moveat indeclinabiliter & insuperabiliter humanam voluntatem. part.2.tract.4. n.408.p.175

Etsi Deus hominis cor aperiret ut attenderet,ac efficeret ut credibilissimæ apparerent res fidei; nullo tamen modo ex eo credere illas posset ut revelatas. part.1.tr.4.n.146.p.110

Possitne dici absolutè, Deus hoc vult ergo necessariò fiet, an verò cum apposito modo tantum. part.2.tr.4.n.526.p.196

Quod

Digitized by Google

Quod Deus infallibiliter & ex certa legè det gratiam facienti quod in se est, damnatur à SS. Prospero & Hilario. part. 1. tract. 6. num. 153. & seqq. p. 160

Deus etsi non possit cogere voluntatem, potest tamen eam immutare. part. 2. tract. 4. num. 596. p. 205

Qui convertitur ad Deum per auxilium prævenientis gratiæ, majus aliquid semper accipit præ eo qui non convertitur. part. 2. tr. 4. num. 72. & seqq. p. 112

An licet Deus non conferat gratiam propter opera antecedentia, non soleat tamen eam conferre nisi illa antecesserint. part. 1. tr. 6. n. 94. & seqq. p. 148

Et quod ex eo convincatur ea conferri ad salutem. ibid. & seqq.

Deus per timorem non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem faciat & volentem. part. 2. tr. 4. n. 500. p. 192

Deus solo naturæ lumine, & naturalis ordinis & auxiliis cognosci potest. part. 2. tr. 3. n. 128. & seqq. p. 62

Facit Deus omnia quæ justè vel injustè fiunt, ipsum quoque velle & quomodo. part. 2. tr. 4. num. 487. p. 190

Quod Deus det omnibus auxilia sufficientia. part. 2. tr. 2. n. 93. p. 29

Deus prout intimè assistens non est aut dici potest auxilium ad actus supernaturales. part. 1. tr. 7. n. 35. & 36. p. 215

Deus non tribuit omnibus hominibus auxilium sufficiens supernaturale, ad implenda præcepta naturalia, quæ supposito peccato impleri non possunt naturæ viribus, nec ut peccata vitari possint. part. 2. tr. 3. n. 168. p. 67

Determinetne Deus voluntatem ad malum. part. 2. tr. 4. n. 539. & seqq. p. 198

Qua ratione verum sit Deum neminem deserere nisi priùs ab eo deseratur & de quibus hæc propositio verificetur. part. 2. tract. 3. num. 262. & seqq. pag. 88

Quod Deus omni momento stet ad ostium & pulset quomodo sit intelligendum. part. 2. tr. 3. n. 268. & seqq. p. 88

Quod Deus per cooperantem gratiam efficiat ut perficiamus nostram voluntatem, jam bonam effectam. part. 1. tr. 8. n. 114. p. 283

Quid sit agi à Deo & quid regi, ac in quo differant ista duo. part. 2. tr. 4. n. 415. p. 176

Quid sit Deum fecisse ab initio hominem rectum. part. 1. tr. 2. n. 141. p. 29

Possitne Deus uno & eodem auxilio movere voluntatem & ad actum indeliberatum & ad actum liberum. part. 1. tr. 7. n. 378. p. 262

Differentia.

Quæ sit differentia determinationis voluntatis divinæ ac creatæ, & à quo utraque sit. part. 2. tr. 4. n. 515. & seqq. p. 195

Dilectio.

Dilectio Dei super omnia cogniti in speculo creaturarum non superat naturæ integræ facultatem. part. 1. tr. 1. n. 9. p. 3

Dilectionis Dei actus an sit super omnia supernaturalis. p. 1. tr. 1. n. 9. p. 3

Nullus purus viator potest habere perfectam Dei dilectionem. p. 1. tr. 1. n. 63. p. 13

Præceptum primum & maximum est dilectio Dei. p. 1. tr. 1. n. 6. p. 13

Homo potest semper actualiter diligere Deum per gratiæ specialissimum auxilium. part. 1. tr. 1. n. 64. pag. 13

Dispositio.

Dispositio materiæ potest præcedere actiones causarum particularium, imò & universalium creatarum sed non actionem causæ universalissimæ. part. 2. tr. 2. n. 61. p. 22

Dissensus.

An homo conjungere possit dissensum suum cum Deo movente & excitante. part. 2. tr. 4. n. 350. & seqq. p. 166

Dissidium.

Totum dissidium inter Pelagianos & Catholicos fuit utrum gratia nobis detur à Deo quia volumus an verò per ipsam Deus etiam det ut velimus. part. 1. tr. 6. n. 108. p. 151

Distinctio.

Distinctio dialectica necessitatis consequentiæ & consequentis est omnino retinenda, in materia gratiæ. part. 2. tr. 4. n. 630 p. 210

Divisio.

Divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, sumitur ex parte ipsius, independenter. ab humana voluntate. part. 2. tr. 2. n. 117. & seqq. p. 34

An S. Thomas agnoverit divisionem gratiæ in sufficientem, & efficacem. part. 2. tr. 2. n. 104. p. 31

Divisio gratiæ in efficacem & non efficacem abusiva est & tollit divisionem ejus in efficacem & sufficientem, cum Pelagianis & Calvinianis. part. 2. tr. 2. n. 70. & seqq. p. 24

Divisio auxilij in sufficiens & efficax sumitur ex ipsius natura gratiæ independenter ab humana voluntate. part. 2. tr. 2. n. 117. & seqq. p. 34

Divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, probatur ex sacris scripturis. part. 2. tr. 2. n. 93. & seqq. p. 29. & toto cap. sequenti.

Et ex Sacris Conciliis. ibid. n. 96. p. 30

Probatur etiam ex S. Patribus. ibid. n. 100. p. 31

An sit agnita à D. Thoma. ibid. n. 104. p. 31

Explicatur in quo posita sit ratio sufficientiæ, ac efficacitatis divinæ gratiæ. part. 2 tr. 2. n. 102. & seqq. p. 31

Divisio auxilij divini in sufficiens & efficax probatur scripturis. part. 2. tract. 2. num. 93. & seqq. p. 29

Probatur etiam ex Conciliis. ibid. num. 96. & seqq. pag. 30

Et ex SS. Patribus. ibid. n. 100. p. 31

Gratiæ divisio, in congruam & incongruam ab adversariis allata recidit in divisionem efficacem & inefficacem ex effectu. part. 2. tr. 2. n. 10. & seqq. p. 13

Doctor.

Doctores intelligendi sunt & explicandi juxta materiam quam tractant & finem quem intendunt. part. 2. tr. 4. num. 607. p. 207

Doctorum quamplurimorum testimonia contra prævenientis gratiæ efficaciam proferri solita, expenduntur & dilucidantur. part. 2. tr. 4. n. 603. & seqq. p. 206

Doctrina.

Doctrina S. Thomæ ab Innocentio sexto laudata. part. 2. tr. 4. n. 617. p. 208

Doctrina recentiorum de perseverantia, & auxiliis ad eam necessariis, peccat in multis, & est reprobata ab academiis Lovanienſi & Duacenſi. part. 2. tr. 5. n. 29. & seqq. p. 227

Et fuit olim Massilienſium. ibid. num. 32. p. 228

Recentiorum doctrina de gratia excitante in summarium redacta habetur. part. 1. tr. 7. n. 27. & seqq. p. 243

Et quod illa doctrina multa invehat impossibilia. ibid.

Vetæ sanæque doctrinæ de gratia prævenient com-

Digitized by Google

pendium habetur. part. 1. tr.7. n. 231. & seqq. pag.243

Dogma.

Dogma Pelagianum à recentioribus publicatur praetextu meriti Christi. part. 1. tract. 6. num. 222. p.170

Donum.

Donum perseverantiæ quare sit Angelis ac primo parenti denegatum. part. 2.tr.3.num.87. & seqq. p.53

Possitne homo spoliatus donis gratuitis gratiæ justè vivere & vitam æternam promereri in sensu diviso & quam ad id potentiam habeat. part.2.tr.4. n.339.p.164

Sitne aliud donum perseverantiæ quo quis perseverare possit si velit, aliud verò quo de facto perseveret. part.2.tr.3.n.34.& seqq.p.228

An dona gratiæ excitantis, prævenientis &c. non dentur pro qualitate liberi arbitrij, secus verò gratia efficax, seu effectus prædestinationis detur pro qualitate boni usus arbitrij. part.2.tr.4.n.56. & seqq.p.109

Dona omnia spiritus sancti ordinata ad operandum ad finem supernaturalem rationem habent auxilij prævenientis. part. 1.tr.7.n.113.p.226

Dormiens.

An & quando qui dormiens baptizatur, suscipiat verè baptismum, & principium illius suscipiendi impleat, & an id possit fieri sine auxilio gratiæ. part.1.tr.2. n.126.p.26

Driedo.

Ioannes Driedo docet Deum facere quod homines se liberè determinent ad bonum. part.2. tract.4. n.629.p.210

Quæ sit sententia Driedo, de gratia facienti quod in se est concessa, deturne scilicet ex certa lege. part.1.tr.6.n.420.p.196

Duo.

Cur è duobus alter vocantem sequatur alter non sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. part.1. tr.6. n.111. p.152

Durandus.

Durandus malè sensit posse hominem sine gratiæ auxilio divina omnia præcepta servare & est notatus à multis. part.1.tr.2.n.148.p.30

E

Ecclesia.

Ecclesia an positivè & efficaciter definiat esse impossibile homini lapso, servare omnia mandata sine gratiæ auxilio. part.1.tract.2.num.164. pag.33

An Ecclesia definierit tantum necessariam homini lapso gratiam ad servanda mandata supernaturalia non vero ad naturalia. part.1. tr.2. n. 167. & seqq.p.34

An Ecclesia definierit necessariam esse gratiam homini lapso ad servanda mandata omnia non simpliciter sed ad meritum.part.1.tr.2.n.169.& seqq. p.34

Efficacia.

Ratio generalissima divinæ gratiæ efficaciam confirmans affertur & dilucidatur. part.2.tr.4.n.681. & seqq. p.216

Efficaciam gratiæ prævenientis quæ præveniens & terminis æquivalentibus Conciliorum deducunt & quinam illi sint. part.2.tr.8.n.30.& 31.p.267

Effectus.

Quis sit gratiæ habitualis operantis effectus part.1. tr.8.n.77.p.275

Quinque sunt effectus gratiæ in nobis, quinam illi sint & respectu quorum dicatur præveniens & subsequens. part.1.tr.8.n.117.p.284

Quomodo stet quod primus effectus gratiæ prævenientis sit quod anima sanetur, secundus verò quod bonum velit, & quod primus effectus gratiæ operantis sit bonum velle, quod utrumque D. Thomas asseruit. part.1. tract.8.n.118. p.284

Quis sit proprius effectus gratiæ operantis, & quod in eo quæstionem habeant inter se discipuli ipsi S. Thomæ, quorum tres diversæ sententiæ referuntur & expenduntur.part.1.tr.8.n.33.& seqq.p.267

Proprius effectus gratiæ est amor, obedientia, voluntas bona, cor novum & spiritus novus.part.2. tr.4.n.642.p.212

Elevatio.

Homo assentiendo his quæ sunt fidei elevatur supra naturam suam. part.1.tr.1.n.29.p.7

Electio.

Electis non tantum datur ut perseverare possint si velint, sed etiam ut velint. part.2.tr.4. n. 425. p.178

Eleemosina.

An eleemosinæ aliaque bona opera facta in peccato sint peccata an verò aliquid conducant ad gratiam. part.1.tr.6.n.426.p.197

Quomodo eleemosina liberet à peccato, & sit utilis ad omnia, & an ei certa legè promissa sit gratia. part.1.tr.6.n.317.p.184

An & per illam disponatur peccator ad gratiam & qua ratione. ibid.n.321

Embrio.

An & qua ratione Embrio dicatur animal. part. 2. tr.2.n.125.p.35

Episcopus.

Episcopi & doctores multi doctrinam de efficacitate gratiæ prævenientis suffragio suo sanxerunt. part.2.tr.4.n.600.p.205

Error.

Errores tres Pelagianorum circa victoriam tentationum ab homine lapso. part. 1.tract. 3.num. 25. p.59

Si Error est dicere Deum semper prævenire voluntates etiam error est dicere quod aliquando præveniat, & si error est quod semper homo incipiat suam salutem, etiam error est quod incipiat aliquando. part.1.tr.6.n.208.p.168

Possitne qui explicitè omnia non credit omnes errores vitare, & qua ratione. part.1.tr.4. num.216. p.120

Possunt duo errores inter se esse contrarij, ideo non laudandus qui uni repugnat si tueatur alterum. part.2.tr.4.n.708.p.221

Erravit Author concordiæ dum asseruit se posse in statu puræ naturæ sine auxilio gratiæ cum solo generali Dei concursu Deum cognitum seu propositum super omnia diligere. part.1. tr.1. n.10. pag.3

Ethnicus.

An Ethnicus ab hæreticis adductus in suam sectam credere possit ea quæ sibi proponuntur, tanquam à Deo revelata, & solo concursus generalis auxilio. part.1.tr.4.n.13.p.88

Si Ethnicus assentiretur hæretico etiam in his quæ sunt veræ fidei perversam haberet fidem. part. 1. tr.4.n.155.p.111

Evangelium.

Nos prædicato Evangelio solis humanis viribus credere fuit aliquando error S.Augustini ab eodem retractatus qui & nunc rursus inducitur à recentioribus. part.1.tr.4.n.50.p.94

Non potest cum solis suis viribus relinqui cui Evangelium

Digitized by Google

gelium debitè prædicatur, & adversariorum sententia adeoque nec ille habet quo credat solis suis viribus. part.1.tr.4.n.150.p.118

Eucharistia.

An participans Eucharistiam tempore paschalis cum mortali, satisfaciat præcepto tum divino tum Ecclesiastico. part.1.tr.2.n.127.p.26

Et an is peccet tantum contra Religionem. ibid.

Excæcatio.

In quo posita sit excæcatio & induratio peccatoris. part.2. tr.3.n.233.& seqq.p.82

Et an sit de ratione illius ut privetur peccator omni auxilio etiam sufficienti. ibid.n.234

Fit ea duplici modo. ibid.

Excæcatus.

An excæcatis & induratis negetur auxilium sufficiens etiam in fine vitæ. part.2.tr.3. num.237. p.83

Excitare.

Excitare quid sit propriè loquendo quotupliciter sumatur nomen gratiæ excitantis. part.1. tract.7. n.185.& seqq. p.236

Non potest moraliter excitari qui liberè nequit operari. part.1.tr.7.n.350.p.259

An excitatio voluntatis ad actiones supernaturales, debeat esse supernaturalis. part. 2. tr.1. num. 40. pag.7

Excitatio moralis nostram libertatem ostendit, gratia verò adjuvans quod Deus facit ut faciamus. part.1. tr.7.n.351.p.259

Exemplum.

Exemplum Christi probat efficacissimè Dei gratiam efficacem. part.2.tr.4.n.679.p.216

F

Facere.

FAcere quod in se est an aliquid conducat homini ad habendam gratiam, an verò omnino frustraneum sit. part.1. tr.6.n.316.p.183

An facienti quod in se est, Deus det gratiam, idque semper, & an constituerit hac legè solummodo illam dare. part.1.tr.6.n.20. & seqq. p.138

Possitne tuto dici esse congruum, ut facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus det gratiam. part.1.tr.6.n.412.p.195

An sententia asserens quod facienti quod in se est Deus infallibiliter det gratiam, multum distet à Pelagianorum & Semipelagianorum errore. part.1.tr.6.n.28.& seqq. p.139

Et an ponat exordium salutis in viribus hominis. ibid.

An & quatenus non facere homini imputatur. part.1. tr.6.n.143.p.158

Qui dicunt facienti quod in se est, Deum ex certa lege dare gratiam, verè fabulas texunt. part.1. tr.6.n.114.p.153

Thomas Pius varias propositiones defendit quibus istam salvaret; facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & quænam hæ sint. part.1.tr.6. n.58.p.142

Idem Cassianum & Faustum contendit non esse Pelagianos, aut Semipelagianos. ibid.

Propositio ista; facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, expugnatur, tum intellecta ex mente Pelagianorum & Semipelagianorum, tum in sensu recentiorum. part.1.tr.6.n.60.& seqq. fusè p.143

Et authores illius aliud verbis aliud re defendunt. ibid.

Facinus.

Nulla sunt tam detestanda facinora quæ possint avertere gratiam Christi, sicut nulla sunt tam præclara opera quæ possint eam accersere. part.2. tr.4. n.682.p.217

Factura.

Quomodo simus factura Dei creati in Christo Iesu &c. part.2.tr.4.n.247.p.146

Facultas.

Sitne in facultate liberi arbitrij ad credendum quæ cum motivis proponuntur, cum generali tantum concursu Dei. part.1.tr.4.n.9.p.87

Fatum.

Fatum quid sit, & qua ratione distinguatur à providentia. part.2.tr.4.n.171.p.129

An & quo sensu qui fatum negat, divinam neget providentiam. part.2.tr.4.n.171.p.129

Fidelis.

An fideles etsi peccatores habeant semper auxilia sufficientia ad salutem. part.2. tract.3. num.153. pag.66

Fides.

Fides acquisita non est necessaria conditio, ad fidem infusam. part.1.tr.4.n.232. p.124

Fides hominum & dæmonum, ut discernenda, & in quo. part.1. tract. 4. num. 176. & 178. & seqq. pag 115

Fides unico actu fertur in rem revelatam Deumque revelantem &c. & qua ratione id fiat. part.1.tr.4. n.256. & seqq.p.128

Quæ sit vera fides. part.1.tr.4. n.59. & 60.p.96

Si fides naturalis potest attingere revelata prout revelata sequitur illam attingere supernaturalitatem objecti fidei adeoque eam esse supernaturalem. part. 1. tract. 7. numero 135. & seqq. p.229

An fidei Christianæ & naturalis distinctio quam introdunt recentiores sufficiat ad eos ab errore salvandos, dum asserunt posse hominem solis suis viribus assentiri revelatis prout revelatis. part. 1. tr.4.n.51.p.94

Et quod sententia hujusmodi componat hominem cum Deo & constituat initium fidei ex nobis perfectionem autem ex Deo. ibid.n.52.& 53

Sicut Dei mater nec concipere virgo potuit, nisi operaretur in illa spiritus sanctus, sic in corde Domini nec concipi potest fides, nec augeri nisi eam spiritus sanctus effundat & nutriat. part. 1. tr.4.n.65.p.97

Ad ea quæ fidei sunt attendere, ea cogitare & expendere donum Dei est. part.1. tract. 7. num. 127. p.228

Qui fidem ad divina munera non putat pertinere, perversitatem Pelagianam incurrit. part.1.tract.6. n.122.p.154

Ad facilè credendum necessarius est habitus fidei infusæ. part.1.tr.4.n.221.p.121

Habeantne aliqui naturaliter tale munus intelligentiæ per quod moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus verba audiant aut videant signa. part.2. tr.4. n.432.& seqq. p.179

Sintne aliqui ingenio ita benè affecto naturaliter, ut moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus audiant verba, vel signa conspiciant. part.2.tr.4. n.432.p.179

Ad volendum finem voluntas non se movet & cur. part.1.tr.8.n.75.p.275

Qui admitteret unum articulum fidei alios negando nullo modo fidem Christianam reciperet, sed humanam tantum. part.1. tract.2. num. 113. pag.24

An

Digitized by Google

An fides habitualis reſolvatur in fidem acquiſitam part.1.tr.4.n.230.& ſeqq.p.123
Non eſt occultanda veritas fidei ex timore incapacitatis audientium, & quid circa hoc fieri dicatur à prędicatoribus noſtratibus apud Indos rudiores. part.1.tr.4.n.158.& ſeqq.p.111
Quæ ſit fides dæmonum & an ſit propriè fides. part.1. tr.4.n.164.p.113
Poſſitne per fidem acquiſitam credi quod *Eccleſia errare non poſſit in proponendis iis quæ ad fidem pertinent.* part.1.tr.4.n.233.p.124
Fidei ultima reſolutio in quid facienda tum ex parte objecti tum ex parte aſſenſus. part.1.tr.4.n.249. p.126
Interrogatus unde credat quid habeat reſpondendum. part.1.tr.4.n.251.p.126
Poſſitne interrogatus unde credat reſpondere, quia ſibi viſum. part.1.tr.4.n.252.p.126
Quare non ſit facienda fidei ultima reſolutio in Eccleſiam revelantem. part.1.tr.4.n.254.p.127
Et quomodo ſit in eam reſolvenda. ibid.
An in fide divina ſicut in humana ſit in poteſtate arbitrij aſſenſum præbere cum generali Dei concurſu. part.1.tr.4.n.144.p.109
Convincuntur Recentiores quod tribuant homini poſſe ſolis naturæ viribus fidem formatam habere, & credere ſicut oportet. part.1.tract.4. n.101.p.89.& ſeqq.
An credamus fide acquiſita, myſteria eſſe revelata. part.1.tr.4.n.256.p.127
In fide quatuor veniunt conſideranda, & quæ, & quod ſit ex quatuor quæ in nobis ſunt, quæve illa ſint. part.1.tr.4.n.258.p.128
Poſſitne quis certo ſcire ſe habere fidem & quomodo. part.1.tract.4.n.83.p.100
Fidei actus an ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, oſtendere non eſt difficile. part.1.tr.1.n.9.p.3
Quomodo poſſit alicui imputari quod non habeat fidem. part.2.tr.3.n.154.p.66
Teneaturne homo ad aliquid credendum explicitè. part.2.tr.3.n.155.p.67.& n.197.p.74
Sitne fides acquiſita neceſſaria ut cauſa qua quis velit amplecti fidem. part.1.tr.4.n.243.& ſeqq. p.125
Sitne fides acquiſita neceſſaria ut quis aſſentiatur motivis quibus inducitur ad credendum. part.1. tr.4.n.236.p.124
Fides infuſa non poteſt inclinare ad falſum, & cur. part.1.tr.4.n.199 p.118
Qui negat fidem infuſam eſſe neceſſariam ob certitudinem, magna ex parte tollit neceſſitatem infuſæ fidei. part.1.tr.4.n.213.p.120
Quomodo poſſit fides per ſcientiam acquiri, nutriri ac defendi. part.1.tr.4.n.258.p.128
Fidem & amorem Deus nobis inſpirat, nullis præcedentibus bonis meritis. part.1.tr.6.num.152. p.160
Poſſitne quis fide acquiſita credere Deo immediatè revelanti fidei myſteria, an verò tantum ut verum dicenti. part.1.tr.4.n.203.p.118
Nicolaus de Niſſe, non tute loquitur dum dicit quod ſi nulla eſſet fides infuſa adhuc crederet firmiter hiſtoriis librorum propter authoritatem Eccleſiæ. part.1.tr.4.n.139.p.109
An fides purè Schiſmaticorum ſit vera fides, & quæ proſit ad ſalutem. part.1.tr.4.num.169.& 171. & ſeqq.p.114.& n.178.p.115
Poſſitne fidei divinæ ſubeſſe aliqua falſitas. part.1. tr.4.n.201.p.118

Filius.

Filij Dei qua ratione dicantur agi ſpiritu Dei, & quis ſit ille ſpiritus. part.2.tr.1.n.19.p.3
Filij Dei impetu gratiæ aguntur ad meliora. part.2. tr.4.n.532.p.197
Quatenus datum ſit hominibus ut filij Dei fiant, ex ſententia Recentiorum, octo propoſitionibus comprehenſa ex authore concordiæ. part.1.tr.6. n.20.p.138
Quid ad hæc Suarez poſtmodum addiderit, & qua ratione priorem ſententiam ſit interpretatus. ibid.n.22.& ſeqq.
Et quid opponant in ſuæ ſententiæ defenſionem. ibid.n.24.p.139

Fundamentum.

Fundamenta quibus Recentiores nituntur ut oſtendant actus virtutum infuſarum eſſe quoad modum ſupernaturales. part.1.tr.1.n.1.p.1

G

Gloria.

GLoria cœleſtis quæ datur in præmium bonorum operum demonſtrat hæc eſſe ex gratia efficaci. part.2.tr.4.n.675.p.215
An homo poſſit gloriam mereri. part.1.tr.1.n.51. p.11
In nullo gloriandum quando noſtrum nihil eſt. part.2.tr.5.n.52.p.232

Gratia.

Gratiam hominibus neceſſariam, reque ipſa dari, hanc excitare, juvare &c. conceditur noſtris his temporibus, at res ipſa negatur. part.2.tr.4.n.5. p.100
Gratiæ opitulatio quod à multis refutatur ipſorum eſt nequitiæ, quod à multis ſuſcipitur & gratiæ eſt divinæ & voluntatis humanæ. part.2.tract.4. n.501.p.192
Gratiam dari ex merito Chriſti, ſed certa lege facienti quod in ſe eſt naturaliter, nec dici poteſt à Recentioribus, nec ſi dicatur eos ab errore poteſt excuſare. part.1.tr.6.n.287.p.179
Gratia in Recentiorum opinione datur nobis quia volumus. part.1.tr.6.n.150.p.159
Quod gratia præveniat noſtras voluntates, non illæ gratiam. part.2.tr.6.n.127.p.155
Gratia non datur certa lege facienti quod in ſe eſt. part.1.tr.6.n.110.p.152
Gratia hoc agit, ut in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. part.2.tr.4.n.499.p.192
Gratia unde habeat ex Recentioribus quod ſit efficax. part.2.tr.4.n.8.p.101
Gratia Dei nullam patitur moram ex moribus noſtris. part.2.tract.4.n.682.p.217
Si gratia homines non adjuvet in hominibus cauſa eſt, non in Deo. part.2.tr.3.num.177.& ſeqq. p.70
An gratia detur infallibiliter homini non reſiſtenti. part.2.tr.3.n.83.p.52
Non ſola admittenda eſt gratia, quæ det poſſibilitatem, ſed etiam quæ adjuvet velle cooperari. part.2.tr.2.n.84.p.27
Gratia facienti quod in ſe eſt ex ſuis naturalibus datur ex congruitate quadam fundata in Dei miſericordia. part.1.tr.6.n.425.p.197
An gratia ex adverſariis fiat congrua vel incongrua ſeu efficax vel inefficax à libero arbitrio, velut à cauſa per ſe. part.2.tr.2.n.25.& ſeqq.p.16
An & tanquam à cauſa directa. ibid.n.31.& ſeqq.
Infuſio gratiæ quomodo fiat & quid operetur ex D. Thoma. part.2.tr.2.n.50.& ſeqq.p.21
Infuſio gratiæ prior eſt quam remiſſio culpæ. ibid. n.54.

Quod

Digitized by Google

Quod ſola gratia diſcernat bonos à malis, ideóque non poſſit hæc eſſe communis bonis & malis. part.2.tr.4.n.75.& ſeqq.p.112
An gratia comparetur ad animam in ratione motoris, & quomodo. part.2.tr.4.n.594.p.204
An gratia non detur niſi vigilanti.part.2.tr.6.n.130. p.156
Convincitur ex Recentiorum doctrina certò inferri, gratiam nonniſi ex merito dari. part.1.tr.6.n.139. & ſeqq.p.157
An aliquis poſſit dicere ſe non accepiſſe gratiam qua Deum amaret illique obediret. part.2.tr.3. n.288.p.93
Dari homini facienti quod in ſe eſt, gratiam ex certa lege ſtatuunt adverſarij, & quod inde ſequatur operari poſſe hominem ex ſolis ſuis viribus meritoriè ad ſalutem. part.1.tr.6.n.86.p.147
Et quod in eo profiteantur errorem Pelagianum apertiùs quam Fauſtus & Iulianus profeſſi ſint. ibid.n.87
Si gratia detur infallibiliter facienti quod in ſe eſt ex ſuis viribus propriis apertè convincitur initium ſalutis ab eo eſſe, & illum operari prout ad ſalutem oportet. part.1.tr.6.n.91.p.148
Et quod hoc ſit apertiſſimè contra Concilium Arauſicanum. ibid.n.92
Non poteſt homo in ſuis naturalibus relictus gratiam à Deo petere. part.1.tr.5.num.16. & ſeqq. p.131
Et contrarium affirmans incidit in Pelagianorum doctrinam. ibid.n.16.& ſeqq.
An ex eo quod habeatur in Evangelio *petite & accipietis, quærite, pulſate &c.* inferatur poſſe nos ſine gratiæ auxilio petere, pulſare, &c. part.1.tract.5. n.17.& ſeqq.p.132
Et an qui id affirmant conſtituant gratiam ſecundum illa merita dari. ibid.n.20
Iidem damnantur à Conciliis. ibid.n.23
Non poteſt homo ex puris naturalibus ullo modo ſe diſponere ad habendam gratiam etiam removendo prohibens. part.1.tr.6.n.6.p.135
Et an S. Thomas ſteterit pro affirmativa. ibid. num.7
Quod gratiæ ratio quam ſtatuunt adverſarij ſit verè gratiæ omnis negatio, & mera Pelagij doctrina. part.2.tr.2.n.49.p.20
Diviſio gratiæ in efficacem aut inefficacem, petita ex cooperatione liberi arbitrij, renuentis aut admittentis, eſt è Theologia eliminanda. part.2. tr.2.n.65.& ſeqq.p.23
Eſt contra mentem D. Auguſtini. ibid n.63
Et hinc conſequenter contra fidem Eccleſiæ & ſcripturam. ibid.& n.64
Evertit omne fundamentum divinæ prædeſtinationis. ibid.n.66.67
Eſt planè Pelagiana. ibid.num.72.& ſeqq.p.24.& n.84.& ſeq.p.27
Confutatur ex SS. Patribus, Auguſtino præſertim & Proſpero. ibid.n.79.& ſeqq.p.26
Quod ſi gratia detur certa lege facienti quod in ſe eſt, illa ſit naturæ debita. part.1.tr.6.num.104. & ſeqq
Quodque id ſit intolerabiliùs quam quod à Pelagianis & Semipelagianis ponebatur. ibid.
Quo ſenſu gratia dicatur efficax exponere perdifficile eſt,& quæ ſint circa hoc opiniones præcipuæ. part.2.tr.4.n.633.& ſeqq.p.211
Et quæ ſit earum potiſſima. ibid.n.638.p.212
In quo conſiſtat illa gratia quæ dicitur efficax. part.2.tr.4.n.634.& ſeqq.p.211
Quomodo gratia Dei moveat voluntates, & per quæ quave ratione illi voluntates cooperentur. part. 2. tract. 4. numero 497. pag. 192
De qua gratia intelligendum ſit Concilium Trid. docens, nos poſſe gratiam abjicere, illique diſſentire. par.2.tr.4.n.331.& ſeqq.p.163
Poſſintne gratia & liberum arbitrium eſſe cauſæ partiales operationis ſupernaturalis. part. 2. tr.4. n.20.p.104
Ex eo quod concedatur gratiæ, quod non tantum det poſſe ad bonum, ſed etiam ipſum operari efficax ipſa convincitur. part. 2.tr.4.num.661.& ſeqq.p.214
Gratia à nullo duro corde reſpuitur,& quare. part.2. tr.4.n.424.p.178
Recentiorum ſententia de gratia ex libertate arbitrij, facta efficaci damnatur à S. Thoma. part.2. tr.4.n.13.& ſeqq.p.102
An gratia ſumat ſuam efficaciam à Dei præſcientia quam dicunt ſcientiam mediam. part. 2. tract.2. n.17.& ſeqq.p.14
Gratia Chriſti quę operatur in nobis velle eſſe non poteſt gratia excitans. part. 1. tr. 6. n.22.& ſeqq. p.266
Gratia non datur certa lege facienti quod in ſe eſt tanquam removenti prohibens.part.1.tr.6.n.228. & ſeqq.p.172
Quibus fundamentis nitatur ſententia aſſerens. ibid. n.231
Quod hæc ſententia ſit intolerabilis, Pelagiani erroris aſſertiva, & à Conciliis damnata. ib.n.229. & ſeqq.
An poſſit homo in gratia conſtitutus omnia ſimul collectivè venialia peccata vitare. part.1.tract.1. n.96.& ſeq.p.20.& 21
Non dicendum noſtrum eſſe velle credere,Dei autem gratiæ adjuvare, ſed gratiæ Dei eſt adjuvare ut ſit meum velle credere. part. 1.tract.6.n.125. p.155
Per gratiam Dei & ejus ſpiritum poteſt homo ſervare divina mandata. part.1.tr.1.n.66.p.14
Qui dicit gratia ad me non perveniet, niſi ego priùs voluero, manifeſtè Apoſtolo reſiſtit. part.1.tr.6. n.123.p.155
Qui gratiam contendunt humana induſtria præveniri velle videntur humanam naturam peccato originali non eſſe ſauciatam. part. 1. tr. 6. n. 159. p.261
Et an id rectè ſequatur ex ſententia prædicta, nec non recentiorum. ibid.n.160.& ſeqq.
Et cur inferatur de originali potiuſquam de omni alio. ibid.n.161
Dum docemur non gloriandum eſſe niſi à Domino divinæ gratiæ efficaciam docemur. part. 2. tr.4. n.648.p.213
An eo quod conſentiant adverſarij quod Deus aliquando det gratiam non facienti quod in ſe eſt, excuſetur eorumdem ſentētia pro faciente.part.1. tr.6.n.199.& ſeqq.p.169
Et an hoc ſit negatum à Caſſiano. ibid.n.203
Si gratia daretur omnibus, eſſet donum naturæ debitum, & cur. part.2.tract.3.num.206.& ſeqq. p.77
An & hoc eſſet verum, ſi daretur omnibus etiam originale peccatum non habentibus. ibid.n.209
Quomodo gratia cum ſit accidens moveat voluntatem explicatur à D. Bonaventura. part.2.tract.4. n.582.p.202
Si noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adjuvare, injuſtè gratia dicitur. part.1.tr.6.n.125.p.155
Qui gratiæ adjutorium ſubjiciunt humilitati, obedientiæ humanæ damnantur à Concilio Arauſicano. part.1.tr.6.n.151.p.160

Digitized by Google

Index

Si certa lege detur gratia facienti quod in se est naturaliter, sequitur ut per hoc homo se discernat. part.1.tr.6.n.291.p.180

Sicut & sequitur dari rationem cur alius trahatur, alius vero minimè. ibid.n.292

Gratiarum actiones quas habemus Deo pro bonis operibus, gratiæ divinæ efficaciam arguunt.p.2. tr.4.n.647.p.213

Quod defendentes Deum certa lege dare gratiam facienti quod in se est, solis naturæ viribus per omnia conveniant cum Pelagianis & in multis peccent gravius, ostenditur fusè à n.274. ad 321. pag.177.& seqq.

An ex eo quod dicatur gratia dari infallibiliter facienti quod in se est, sequatur necessario illam & merito dari. part.1. tract. 6. num. 281. & seqq. pag.178

Quod sententia asserens dari gratiam ex certa lege facienti quod in se est etiam & solis naturæ viribus, non sit communiter recepta & prædicata contra quod asserit Lessius. part.1.tr.6.num.453. p.202

Primam gratiam dari propter bona opera naturæ solis viribus facta, infertur manifestè ex recentiorum doctrina. part. 1. tract.6. num.164.& seqq. p.162

Et an idipsum illi fateantur. ibid.

Et quomodo super hoc defendant authorem concordiæ. ibid.n.165.& seqq.

Quid virium habeant allatæ defensiones. ibid.

An gratia actualis auxilij subdatur libero arbitrio an & habitualis. part. 2. tract. 4. num. 85. & seqq. p.114

Possitne fundari certa lex de danda gratia facienti quod in se est, ex eo quod Deus velit omnes homines salvos fieri. part. 1. tract. 6. num. 309. pag.183

Gratiam ex merito dari in sententia recentiorum facienti quod in se est, rationibus convincitur. part.1.tr.6.n.150.& seqq.p.159

Assentire gratiæ divinæ bonum est præstantissimum & id sine dubio proficiscitur à Patre luminum. part.2.tr.4.n.614.p.207

Extra gratiam efficitur qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur. part.2. tr.4. n.480.p.188

Actus virtutum infusarum sine gratia effici nequeunt. part.1.tr.1.n.16.p.4

An gratia sit simpliciter necessaria ad hos virtutum actus. part.1.tr.1.n.26.p.6

Actualis.

Gratia actualis rectè dividitur in efficacem & sufficientem. part.2. tr.2.n.93.& seqq.p.29

Adjuvans.

Gratia adjuvans efficaciter movendo voluntatem ad actum liberum distinguitur realiter ab excitante. part.1.tr.7.n.361.p.260

An gratia adjuvans sit eadem realiter cum gratia excitante qua Deus à principio movet efficaciter voluntatem ad actum indeliberatum, incertum est. part.1.tr.7.n.363. p.261

Et undè probent suum intentum asserentes eas tantum formaliter distingui. ibid.& num. seqq.

Contraria tamen sententia veritati conformior esse demonstratur tum authoritate tum ratione.ibid. n.367.& seqq.

Et respondetur argumentis sententiæ contrariæ. ibid.n.374.& seqq. p.262

Quod adjuvans gratia sit præveniens ostenditur evidenter ex S. Augustino aliisque SS. Patribus. part 1.tr.7.n.265. & seqq. p.247

Et ex Divo Thoma. ibid. numero 289. & seqq. pag. 250

Ostenditur idipsum ex Conciliis. ibid. n. 292. & seqq.

Gratia adjuvans rectè dividitur in operantem & cooperantem. part. 1. tract. 8. num. 4. & seqq. pag.263

Quid propriè sonet vocabulum gratiæ adjuvantis in præsenti hominis statu. part.2. tr.1. n.51.p.9

Et quid habenti conferat. ibid.n.51.& seqq.

Gratia adjuvans est ita præveniens ut sine illa posita excitante, nullatenus homo convertatur.part.1. tr.7.n.264.p.247

Si gratia adjuvans verè est præveniens, est etiam efficienter prædeterminans.part.1.tr.7.num.281. p.249

Gratia adjuvans non est comitans tantum, sed etiam pertinet ad prævenientem. part.1. tr.7.num.262. & seqq.p.246

Gratia adjuvans efficaciter ad actum liberum distinguitur realiter à gratia excitante. part.1. tract.7. n.360.p.260

Gratia adjuvans malè à quodam S. Thomæ discipulo exponitur per cooperantem simpliciter, quasi hæc nomina planè synonima sint.part.1.tract.8. n.19.p.265

Gratia adjuvans rectè dividitur in prævenientem & subsequentem & quid utraque præstet. part. 1. tr.8.n.8.p.264

Gratiam adjuvantem esse prævenientem docet Concilium Tridentinum.part.1.tr.7. n.302. & seqq. p.252

Docent & ejus acta. ibid.n.315 & seqq.p.254

Iustificationis exordium in adultis est à gratia præveniente qua ratione fiat.part.1.tr.7.n.302.& seq. p.252

Gratia adjuvans & præveniens multorum SS. Patrum testimoniis stabilitur. part. 2.tr.4. n.477. & seqq.p.187

Si gratia adjuvans, prout distincta ab excitante præveniens est, & non comitans, & subsequens influxum voluntatis, est verè & physicè prædeterminans. part.2.tr.4.n.177. p.131

Cooperans.

Gratia cooperans necessaria est etiam justo, ut operetur ex habitibus supernaturalibus infusis.part.2. tr.1.n.41.p.7

Cooperans gratia subsequens est respectu voluntatis bonæ effectæ per gratiam operantem, præveniens verò respectu actus ad quem ordinatur illa bona voluntas. part. 1. tract. 8. n. 115. & seqq. pag.284

Gratiæ cooperantis ratio tota negatur si ponatur cooperari postquam arbitrium aliquo modo priùs natura incepit suum consensum.part.1.tr.8.n.91. & seqq. p.278

Et quid idipsum à recentioribus ponatur. ibid.

Quave ratione nitantur illud ipsum salvare. ibid. num.92

Evasio illorum præcluditur.ibid. num.93.& seqq. pag.279

Vera gratiæ cooperantis ratio consistit in eo quod confirmet hominis voluntatem in priori bona volitione finis, & præveniendo moveat, ut se moveat per deliberationem ad volitionem mediorum facultatem exteriùs præbendo.part.1.tract.8. n.105. & seqq.p.281

Et quod hæc sit ipsissima S. Thomæ Doctrina. ibid.

An gratia cooperans eo nomine dicatur tantum quia simul natura cum arbitrio nostro concurrit. part.1.tr.8.n.79.& seqq.p.276

Sitne gratia cooperans non solum præveniens & subsequens respectu diversorum sed etiam concomitans.

Digitized by Google

comitans. part.1.tr.8 n.119.p.284
Quod si gratia cooperans detur consensu voluntatis aliquo modo priùs natura inchoato, debeatur naturæ ex priori voluntatis merito.part.1.tr.8.n.99. p.280
Exindè insuper sequitur juvari arbitrium quia vult & non juvari ut velit. ibid.
Et quod consensus non inchoetur ab excitante gratia neque à cooperante. ibid.

Efficax.

Efficax gratia tria efficit in nobis & quæ.part.2.tr.4. n.134.p.122
Efficax gratia in quo constituta sit à Concilio Tridentino. part.2.tr.4.n.329.p.162
Efficacis gratiæ mirum exemplum. part.2. tract.4. n.303.p.158
Gratia efficax est motio actualis Dei, habens in se virtutem per quam Deus vires efficacissimas præbet voluntati ipsamque movet & applicat ut liberè excitanti Deo consentiat. part.1. tr.4. n. 147. p.125
An si datur aliquibus gratia efficax qua velint & currant denegatur verò aliis, possit istis imputari quod non velint, aut currant.part.2.tr.4.n.233.& seqq. p.144
Et quod ex illo non tollatur libertas arbitrij.ibid. n.236
Gratia est efficax ex dominio Dei super liberum hominis arbitrium. part.2.tr.2.n.87.p.28
In quo gratia efficax differat ab habitibus. part.2. tr.4.n.191.p.133
Quid sit gratia efficax ex mente adversariorum. part.2.tr.2.n.3.& seqq. p.12
Dari gratiam efficacem nemo unquam ausus est negare. part.2. tr.4.n.2.p.100
Multi tamen de ea subdole loquuntur, & aliter sentiunt quam oportet. ibid. n.3.& seqq.
Gratiam efficacem ex Deo, distinctam à sufficienti agnovit B. Cyrillus. part. 2. tract. 4. num. 486. p.189
Gratiæ efficacis impugnatores suam sententiam in S. Thomæ authoritate, fundare laborant sed incassum. part.2. tr.4.n.506.& seqq.p.193
Gratia efficax nullo modo consistit in motibus indeliberatis, aut in indeliberata volitione finis. part.1.tr.4.n.156 & seqq. p.126
Habeatne gratia efficax virtutem qua homo convertatur, à quo & in quo ea sit. part.2.tr.4.n.162.& seqq.p.127
Rationes ex scripturis ad probandam gratiæ efficaciam afferuntur. part.2. tr.4. num. 640. & seqq. p.212
An gratia efficax moveat voluntatem, an vero ipse Deus. part.2. tr.4.n.161.p.127
Gratia efficax est instrumentum, & qua ratione.p.2. tr.4 n.161.p.127
An nomen gratiæ efficacis sit recens Calvini inventum. part.2.tr.2.n.111. p.33
Gratiæ efficacis quatuor sunt genera diversa, & quæ illa sint. part.2.tr.2.n.116.p.33
Gratia efficax absolutè & simpliciter dicta est ipsa gratia adjuvans. part. 1. tr.4 n.244. p.244
Quare gratia efficax aliquando apelletur excitatio. part.1.tr.7.n.187.p.237
An efficax gratia consistat in actu indeliberato. p.2. tr.4.n.123.p.121
Efficacia gratiæ nullo modo pendet à liber tate arbitrij & contrarium falso affingitur D. Thomæ. part.2. tr.2.n.50.& seqq.p.20
Adversariorum sententia de efficacia gratiæ, recidit in dogma Pelagianum. part.2. tr.2.n.19. & seqq. p.15
Vnde efficacis gratiæ vocabulum sumptum fuerit. part. 2. tr.4.n.140.p.123
Quæ sint potissimæ sententiæ adversariorum,de efficacia aut inefficacia gratiæ sufficientis.part.2.tr.2. n.3. & seqq.p.12
In quo consistat gratia efficax quidve præstet. p.2. tr.4.n.136.p.122
De quadruplici significatione vocis *gratia efficax* & quid importet unaquæque singulare. p.2. tr.4. n.141.& seqq.p.123
Et quæ sit germana vocis illius significatio in qua præcisè sumitur toto isto libero.part.2.tr.3.n.144. p.124
Gratiæ efficacis nomen recentiores quidem retinent at rem ipsam negant. part.2.tr.4.num.1. & seqq. p.100
An efficacia gratiæ sit à libro arbitrio & qua ratione. part.2.tr.2.n.3.& seqq. p.12
An gratia efficax ex recentioribus aliquid addat reale supra sufficiens. part.2. tract.4. num. 7. & seqq. pag.101

Excitans.

Gratia excitans non est simpliciter & absolutè efficax sed tantum secundum quid part.1. tr.7.n.242. p.244
Gratia excitans respectu actuum indeliberatorum quos caulat semper est efficax,respectu verò ulteriorum liberorum est sufficiens.part.1.tr.7.n.237. & 238. p.244
Gratia excitans totam habet suam efficaciam ex voluntate Dei. part.1.tr.7.n.241.p.244
Gratia excitans exterior non est eadem cum sufficiente. part.1.tr.7.n.253.p.245
Gratia excitans interiot intellectum illuminans non est eadem cum sufficiente. ibid. n.254
In quo gratia excitans conveniat cum efficaci, & in quo distinguatur ab eadem. part.1. tr.7.n.249. & seqq. p.245
Gratia excitans & adjuvans sunt necessariæ homini justo ad operandum ex habitibus infusis. part.2. tr.1.n.34.& seqq. p.6
An gratia excitans sit tantum cogitatio vel motus indeliberatus voluntatis.part.1.tr.7.n.167.& seqq. p.234
Asserentes gratiam excitantem dare sufficientes vires voluntati, eamque præterea movere moraliter, suadendo alliciendo &c. conformius loquuntur ad veritatem. part.1. tr.7.n.224.p.242
Quod gratia excitans non sit cooperans contra falsam cujusdam doctoris sententiam ostenditur.p.1. tr.8.n.71 & seqq.p.273
An gratia excitans consistat in actu intellectus vel voluntatis. part.1.tr.7.n.178.p.235
Omnis gratia excitans completa est verè gratia sufficiens respectu actus liberi ad quem excitat. p.1. tr.7.n.255.p.245
Excitantem & adjuvantem gratiam esse prævenientem dicendum est ex necessitate.part.1.tr.7.n.337. & seqq. p.257
In quo præcisè consistat excitans gratia prout distincta ab adjuvante.part.1. tract.7. n.236.p.243
Explicatur fusius quis sit proprius effectus gratiæ excitantis ut excitans est. part.1.tract 7 n 235. & seqq. p.243
Gratia excitans duo comprehendit illuminationem scilicet intellectus & motionem voluntatis ad aliquod bonum efficiendum. part.1. tr.7. n.235. p.243
Respondetur ad objectiones negantium esse necessariam justo gratiam excitantem & adjuvantem seu cooperantem. part.2. tract.1. n. 54. & seqq. pag.9

Digitized by Google

Quis sit proprius effectus gratiæ excitantis ex parte intellectus. part. 1. tr. 7. n. 236. p. 243
Quid causet gratia excitans ex parte voluntatis, & quos præcipuè actus in ea excitet. part. 1. tr. 7. n. 237. p. 244
Quinam è recentioribus gratiam excitantem non admiserunt, qui etiam admiserunt & qua ratione. part. 1. tr. 7. n. 210. p. 241
Gratia solum moraliter excitans est imperfecta causa. part. 1. tr. 7. n. 299. p. 251
An posita sola gratia excitante possit justus benè uti habitibus infusis & ex eis operari. part. 2. tract. 1. n. 53. p. 9
Quid Deus efficiat per gratiam excitantem completam ex parte intellectus & voluntatis. part. 1. tr. 7. n. 256. p. 246
Gratia excitans complete, non est pura excitatio extrinseca. part. 1. tr. 7. n. 257. p. 246
Gratia excitans omnium prima non consistit essentialiter in actibus indeliberatis, sed in prævia motione. part. 1. tr. 7. n. 258. p. 246
Gratia excitans non est completè sufficiens ad hominis conversionem. part. 1. tract. 7. num. 259. p. 246
Per gratiam excitantem Deus in nobis quinque facit & quæ illa sint. part. 1. tr. 7. num. 260. pag. 246
An gratia excitans cum concursu Dei simultaneo sufficiat habenti habitus acquisitos fidei, spei & charitatis. part. 2. tr. 2. n. 2. & seqq. p. 1
Excitans & adjuvans gratia realitate idem sunt sed diversæ formalitate & officio. part. 1. tr. 7. n. 325. p. 256
Gratiæ excitantis & adjuvantis munera perbelle exponuntur ex S. Prospero. part. 2. tr. 4. n. 498. & seqq. p. 192
Et an sit intelligendus de gratia tantum congrua non vero efficaci ex Deo. ibid. n. 499. & seqq.
An gratia excitans & adjuvans distinguantur realiter an verò formaliter tantum. part. 1. tr. 7. n. 358. pag. 260

Habitualis.

Gratia habitualis non est imperfecta, ex eo quod egeat supervenienti auxilio ad benè operandum. part. 2. tr. 2. n. 19. & 20. p. 39
Gratia habitualis cooperans, cooperatur arbitrio simul natura, non autem ipsum præveniendo. p. 1. tr. 8. n. 131. p. 286
Gratia habitualis cooperans cooperatur arbitrio quia ipsa vult uti & cur ea velit uti arbitrium. part. 1. tr. 4. n. 131. p. 286
Habitualis gratia non datur solum in remissionem peccatorum, sed etiam in adjutorium ut alia non committantur. part. 2. tr. 1. n. 54. p. 9
Quid sit & in quo differant gratia habitualis & auxilium actuale. part. 2. tr. 4. n. 84. p. 114

Justificans.

An gratia justificans debeatur homini contrito. part. 2. tr. 4. n. 323. p. 161
An gratia justificans infallibiliter præparationem secundum quod fit à libero arbitrio moto, an verò secundum quod venit à Deo movente. part. 2. tr. 4. n. 321. p. 161
An gentiles qui multa atrocia pro defensione patriæ sustinuerunt, sine gratia justificante ea sustinuerint sine auxilio gratiæ Dei. part. 1. tr. 2. n. 118. pag. 25

Operans.

Operans gratia est quæ prævenit & præparat voluntatem, cooperans vero quæ voluntatem jam factam bonam subsequitur. p. 1. tr. 8. n. 111. p. 283
Gratia operans est solum ad volitionem finis ad quam movet, & quam cum voluntate mota efficit: cooperans vero ad alios omnes subsequentes, sive elicitos sive imperatos, respectu etiam cujuscumque facultatis necessariæ. part. 1. tr. 8. n. 106. p. 282
Et hæc est clarissima S. S. Augustini, Bernardi & Thomæ doctrina à Conciliis approbata. ibid. n. 107. & seqq.
Quare gratia operans dicatur sola nostrum velle operari. part. 1. tr. 8. n. 48. p. 270
An sententia dicens gratiam esse operantem secundum quod causat in nobis intentionem finis, sit eadem cum ea quæ docet gratiam operantem causare actum interiorem & an hæc sit S. Thomæ. part. 1. tr. 8. n. 73. & seqq. p. 274
An gratia operans & cooperans sit una eademque cum duplici effectu. part. 1. tr. 8. n. 56. p. 271
An præter gratiam operantem & cooperantem, necessarius sit concursus Dei generalis. part. 1. tr. 8. n. 136. p. 287
Explicatur in quo consistat ratio gratiæ operantis & cooperantis habitualis. part. 1. tr. 8. n. 130. & seqq. p. 286
An gratiæ operantis sit prædeterminare ad omnem liberum consensum, cooperantis vero concurrere ad quemlibet actum liberum. part. 1. tr. 8. n. 57. p. 271
Quæ sit gratia operans, & in quo ratio formalis illius posita sit. part. 1. tr. 8. n. 21 & seqq. p. 266
Sitne gratia operans seu præoperans idem cum gratia excitante, quemadmodum adversarij contendunt. part 1. tr. 8. n. 21. & seqq. p. 266
An gratia operans præveniat nostrum cogitare tantum velle autem & perficere comitetur. part. 1. tr. 8. n. 70. p. 273
Quomodo gratia operans & cooperans sint una & multa ex S. Thoma. part. 1. tr. 8. n. 134. p. 286
Quomodo gratia operans & cooperans tam actualis quam habitualis distinguantur. part. 1. tr. 8. n. 133. & seqq. p. 286

Præveniens.

Gratia præveniens duplex, & in quo utraque sit. part. 2. tr. 4. n. 281. p. 153
Gratiæ prævenientis efficacitas mirificè adstruitur & declaratur à S. Bonaventura. part. 2. tr. 4. n. 582. p. 202
An gratiæ prævenientis causalitas, sit moralis tantum. part. 1. tr. 7. n. 192. & seqq. p. 237
Et quæ sit circa illud recentiorum mens & doctrina & an benè sibi constent. p. 1. tr. 7. n. 192. & seqq. p. 237
An una eademque gratia præveniens sit & excitans quatenus invitat arbitrium nostrum ad actus fidei, spei, &c. adjuvans vero quatenus suo influxu & actione cooperatur ad eosdem actus. part. 1. tr. 7. n. 260. & seqq p. 246
An gratia præveniens interna agnita sit à Massiliensibus an vero posita in sola vocatione externa. part. 1. tr. 6. n. 489. p. 207
Gratiæ prævenientis efficacia rationibus demonstratur. part. 2. tr. 4. n. 632. & seqq. p. 211
Ioannes à Bononia gratiam prævenientem efficacem apertis verbis docuit. part. 2. tr. 4. n. 614. p. 207
Qui prævenientis gratiæ efficaciam negat Dei potentiam abjurat. part. 2. tr. 4. n. 250. p. 147
Prævenientis gratiæ divinæ efficacia, ex multis Conciliis stabilitur. part. 2. tr. 4. n. 269. & seqq. p. 151
Et specialiter ex Tridentino. ibid. n. 287. & seqq. p. 154
Concilia multa prævenientem Dei gratiam efficacem affirmant. part. 2. tr. 4. n. 269. & seqq p. 151
Gratiæ prævenientis nomen & rationem habet quidquid

Digitized by Google

quidquid aliquo modo conducit ad salutem. p.1. tr.7.n.113.p.226
In quo consistat præveniens Dei gratia. part.2.tr.4. n.135. p.122
Quod gratia præveniens in sententia adversariorum non sit necessaria simpliciter sed tantum ad melius seu facilius operandum. part.1. tr.7. n.117. p.226 & n.129. & seqq.p.228.
Prævenientis gratiæ efficacia comprobatur, authoritate D. Augustini. part.2. tr.4. n.406. & seqq. p.175
Quod Deus gratiam prævenientem efficiat in nobis sine nobis quomodo sit intelligendum. part. 1. tr.7.n.89 p.222
Explicatur quid & in quo sit gratia præveniens.p.1. tr 7.n.91.& seqq. p.222
Gratia præveniens antecedit omnes actus nostros etiam indeliberatos. part.1.tr.7.num.91. & seqq. p.222
Gratiæ prævenientis efficacia ex multis Ecclesiæ orationibus demonstratur. part.2.tr.4.n.263.& seqq. p.150
Gratia præveniens est virtuosa, moverque naturam & qua ratione.part.1. tract.7.n.105.& 106. p 225
Præveniens efficax gratia, antecedenter ad omnem bonum usum prævisum, ex multis scripturæ locis adstruitur. part.2. tract.4. num.198. & seqq. p.134
Asserere gratiam prævenientem nihil esse distinctum à Deo intimè præsente & assistente animæ est Conciliis illorumque definitionibus illudere.p.1. tr.7. n.20.& 21.p.212
Adversatur hæc eadem sententia doctrinæ SS.Patrum. ibid.n.23. p.213
An gratia præveniens determinet voluntatem ad unum & illam necessitet. part. 2. tr.4. num.25. p.105
Non potest gratia preveniens tantum moraliter, suadendo scilicet, invitandoque ad actum liberum, ad eundem postea cooperando physicè juvare. part.1.tr.7.n 219. p.242
Si gratia præveniens adjuvans nullam supponeret excitantem, neque esset verè adjuvans, sed determinans per modum naturæ modo non humano. part.1.tr.7.n.346 p.258
Gratiæ prævenientis efficaciam doctores omnes majoris notæ agnoverunt & docuerunt. part.2. tr.4. n.583. & seqq.p.203
Magister sententiarum gratiæ prævenientis efficaciam docuit. part.2.tr.4.n.584. p.203
Prævenientis gratiæ efficacia ex Deo probatur authoritate summorum pontificum.part.2. tract.4. n.250. & seqq.p.147
An gratia præveniens sit creatum aliquid an vero tantum ipse Deus prout animæ intimè assistens. part.1.tr.7.n.12. & seqq. p.211
Quæ sit gratia præveniens in mente recentiorum quæ ejus ratio formalis & quid importet.part.1. tr.7. n.1.& seqq.p.210
Assertum discipuli cujusdam S. Thomæ asserentis quod gratia præveniens coincidat cum excitante, & vocante, & concomitans seu cooperans cum adjuvante peccat in multis, & qua ratione.part.1. tr.8.n.32.p.267
Quod gratia præveniens distinguatur absolutè ab operatione humana etiam considerata prout est à Deo immediatè concurrente. part.1.tr.7. n.51. & seqq.p.217
An gratia præveniens sit qualitas in anima recepta. part.1. tr.7.n.59.& seqq. p.219
Et quomodo intelligatur illa qualitas ab assertoribus illius. ibid. num. 59. & 60. pag. 219
Quod gratia præveniens non videatur esse in actu aliquo indeliberato.part.1.tr.7.n.62.& seqq.p.219
Gratiam Dei prævenientem non esse realem & propriè dictam qualitatem rationibus ostenditur. part.1.tr.7.n.69.p.220
Et quod si illa admitteretur, voluntas humana creaturæ absolutè subjaceret, nec remaneret libera. ibid.n.74.& 75.p.220

Sufficiens.

Divisio gratiæ sufficientis in efficacem & inefficacem unde sit orta. part.2.tr.2. n.3.& seqq.p.12
Gratia sufficiens dupliciter accipitur, pro sufficienti perfecto, scilicet & imperfecto, seu pro sufficienti simpliciter,& pro efficaci.part.2.tr.2.n.94. p.30
An gratia sufficiens reduci debeat ad excitantem. part.1.tr.7.n.252. p.245
An gratia sufficiens includatur formaliter in efficaci. part.2.tr.2.n.112.& seqq. p.33
Quod Deus tantum det sufficientem gratiam ad benè operandum est contra scripturas. part.2. tr.2. n.86.p.28
An gratia sufficiens possit fieri efficax ex eo quod voluntas illi consentiat ex libero arbitrio. part.2. tr.2.n.26.& seqq. p.16
Gratia sufficiens unde fiat & dicatur efficax. part.2. tr.2. n.3.& seqq.p.12

Gressus.

Gressus hominis non diriguntur quia voluit, sed volet quia diriguntur. part.1. tract.6. num.115. & seqq. pag.153

H

Habitudo.

HAbitudo quam habet gratia sufficiens ad decretum efficax Dei volentis hominem convertere an possit ei tribuere virtutem effectivam.p.2. tr.4.n.164.p.128

Habitus.

Habitus fidei infusæ necessarius ostenditur, ad credendum cum discretione rebus fidei. part. 1.tr.4. n.223.p.122
Habitus fidei infusæ necessarius est, ut certo facilè, & discretè quis assentiatur catholicis veritatibus. part.1.tr.4. n.189. p.116
Et hæc est communis doctorum sententia. ibid. n.205.p.119
Habitum fidei necessarium esse ad certo discretè & facilè credendum rationibus ostenditur. part. 1. tr.4.n.218. & seqq. p.121
Habitus fidei nos adjuvat in duobus & quæ illa sint. part.1.tract.4.n.215.p.120
Habitus suos & inclinationes sequi cuique pronum est. part.1. tr.2.n.179.p.37
Habitus virtutum moralium, infusarum & acquisitarum, & similiter actus ab utrisque eliciti sunt diversæ speciei, diversæ formalis rationis, & diversæ substantiæ atque essentiæ. part.1.tr.1.n.28. pag.7
Habitus fidei necessarius est ut quis faciliter & discretè credat ea quæ sunt fidei. part.1.tr.4. n.214. & seqq. p.119.& 120
Et hæc est communis doctorum sententia. ibid. n.203
Habitus infusi ad quid sint necessarij. part. 1. tr.4. n.214.p.120
Habitus respectu diversorum actuum est simul sufficiens & efficax. part.2. tr.3. n.106. p.57
Si homo posset benè uti habitibus supernaturalibus

Digitized by Google

ſine ſpeciali Dei auxilio fruſtra oraret ne inducatur in tentationem. part.2.tr.1.num.25. & ſeqq. pag.4

An habitus acquiſiti fidei, ſpei, aut charitatis ſupernaturalis acquiſiti, rationem habeant gratiæ prævenientis & cooperantis. part. 2. tract. 1. num. 2. & ſeqq.p.1

Qua ratione ſe habeat habitus ad actum. part.2. tr.1.n.66.p.11

An homo poſſit bene uti habitibus ſupernaturalibus ſine ſpeciali Dei auxilio. part. 2. tract. 1. n. 25. pag.4

Quod Recentiores non ponant habitum fidei neceſſarium ad hoc ut actus ſit ſupernaturalis part.1. tr.4.n.227.p.123

An habitus gratiæ & charitatis ſolum efficiant quod opera ex eis elicita ſupernaturalia ſint, noſque relinquant de cætero ad vitia inclinatos. part.1.tr.3.n.146.p.83

Sitne habitus fidei infuſæ neceſſarius ut certo, firmiterque facilè, & diſcretè credatur. part. 1.tr.4. n.190.& ſeqq.p.117

Poſſitne diſcretio ad credendum neceſſaria haberi per naturam ſine habitu fidei infuſæ. part.1.tr.4. n.224.p.122

Sitne habitus fidei neceſſarius ad certitudinem reſpectu eorum quæ de Deo per rationem cognoſci poſſunt. part.1.tr.4.n.210.p.119

An habenti habitus infuſos ſufficiat ad perſeverandum exterior divinæ providentiæ gubernatio. part.2.tr.5.n.16.p.226

Quare habitus fidei infuſæ ponatur ab Recentioribus neceſſarius ad aſſentiendum revelatis. part.1. tr.4.n.189.p.116

Hæreticus.

Hæreticus habet tantum aſſenſum naturalem circa articulos fidei, quos credere ſe profitetur. part.1. tr.4.n.116.& ſeq.p.105

Hæreticus confitens unum articulum fidei, negando alium, etiam in illo quem confitetur præceptum non implet. part.1.tr.2.n.114.p.24

An ex eo quod poſſit hæreticus pertinaciter mori pro ſuo errore tuendo, ſequatur & mori poſſe pro aliquo bono rationis ſine Dei auxilio. part.1. tr.2.n.119.p.25

Poſſitne hæreticus perſuadere ſibi articulos fidei in quos non errat, tanquam à Deo revelatos.part.1. tr.4.n.6.p.87

An ſicut hæreticus poteſt ſolis ſuis viribus aſſentiri myſterio Trinitatis cum aliis ſuis erroribus, poſſit rudis aliquis cui fides debitè proponitur omnibus credendis aſſentiri prout ſibi proponuntur & explicantur. part.1.tr.4.n.156.p.111

Teneaturne hæreticus præcepto fidei. part.1.tract.2. n.115.p.24

Poſſitne hæreticus ſine auxilio ſupernaturali, confiteri myſterium Trinitatis quod non negat.part.1. tr.2.n.112.& ſeqq.p.24

Poſſitne hæreticus ſolis ſuis viribus pro confeſſione illius articuli quem non negat mortem ſubirè. part.1.tr.2.n.117.& ſeqq.p.25

Homo.

Homo ad rectè vivendum duplici indiget auxilio & quo. part.2.tr.1.n.20.p.3

Homo in ſtatu naturæ integræ poterat abſolutè & ſimpliciter vitare omnia in univerſum peccata. part.1.tr.2.n.136.p.28

Homo motus auxilio gratiæ & excitatus ſe præparat. part 2.tr.4.n.320.p.161

Homini peccatori rectè imputatur quod gratiam non habeat, etiam ſi ſibi deſit auxilium ſufficiens ad gratiæ præparationem. part. 2. tr. 3. num.204. p 76

Homo non convertitur per ſolam excitationem, niſi vera gratia adjuvante voluntas illius præveniatur. part.1.tr.7.n.218.p.242

Poſſe hominem ſolis naturæ viribus reſiſtere tentationibus aſſeruit author concordiæ, & quæ ſint illius ſententiæ fundamenta. part.1.tr.3.num.15. & ſeqq.p.58

Non poſſe hominem ſine gratiæ auxilio aſſentiri revelatis prout revelatis probatur ex D. Auguſtino. par.1.tr.4.n.47.& ſeqq.pag.93

Et inſuper ex SS. Fulgentio & Proſpero. ib.n.59. & ſeqq p.96

An ſi hominibus juſtificatis Deus particularia auxilia non conferat, tam facilè conturbentur tamque proni ſint ad ſuccumbendum, ac ſi non eſſent juſtificati. part.1.tr.3.n.148.p.83

Poſſitne homo impedire vel non impedire gratiam ex mente D. Thomæ. part.1. tract.6.num.235. p.173

Poſſitne homo cuicumque auxilio prævenienti reſiſtere & qua ratione. part. 2. tract. 4. num. 560. p.199

Quatenus ſit hominibus conceſſum ut filij Dei fiant ex adverſariorum mente. part.1.tract.6.num.80. p.146

Et quid ex illorum aſſertione ſequatur. ibid. n.81

Non potuit homo etiam ab initio antequam ſectæ naſcerentur aſſentiri revelatis prout revelatis ſine gratiæ auxilio. part.1.tr.4.n.152.p.111

Duplex poſſe diſtinguitur in homine, & in quo ſit utrumque. part.2.tr.3.n.272.p.90

Poſſitne homo in ſuis naturalibus relictus aliquando contra præcepta ſupernaturalia non peccare. part.1.tr.2 n.129.& ſeqq.p.27

Stat pro affirmativa Cajetanus. ibid.n.129

Probatur aſſertio contraria. ibid. n. 131. & ſeqq.

Poſſitne homo ſine gratiæ auxilio implere præceptum ſuſcipiendi baptiſmi, & confeſſionis, &c. part.1.tr.2.n.120.& ſeqq.p.25

Quod homo poſſit ſe ſufficienter diſponere ad gratiam prophetiæ tenuit Rabi Moyſes. part.1.tr.6. n.18.p.137

An cogeretur homo in puris naturalibus conſtitutus cum impotentia ad reſiſtendum tentationibus. part.1.tr.3.n.98.p.75

An homo in puris naturalibus habuiſſet auxilia ſufficientia naturalis ordinis, quo poſſet in eo ſtatu perſeverare. part.2.tr.3.n.132.& ſeq.p.62

An dicere hominem ſuis viribus poſſe velle quidquid ad præſentem pertinet vitam, ſit dicere poſſe eum velle quidquid fini naturali eſt accommodatum. part.1.tr.3.n.125.& ſeq.p.79

Quoties homo convertitur ſimul tempore gratia Dei prævenitur. part.1.tr.7.n.216.p.242

Quæ ſint ea quæ homo lapſus ſolis naturæ viribus poteſt efficere. part.1.tr.2.n.237.p.51

Et quæ difficilia quæ non poteſt facere. ibid.

Si homo in gratia conſtitutus non poſſet reſiſtere tentationibus conſenſus in illas ei non imputaretur. part.1.tr.3.n.98.p.76

Non poſſe hominem lapſum ſine Dei auxilio, gravi cuipiam tentationi reſiſtere probatur rationibus. part.1.tr.3.n.80.& ſeqq.p.70

Poſſitne homo certò cognoſcere ſe eſſe in graria, ex eo quod experiatur in ſe quod non ſit reus tranſgreſſionis alicujus præcepti. part. 1. tr. 2. n. 230. p.50

Quod hominis ſit præparare animam Dei vero gubernare linguam, quomodo exponatur à Suarezio. part.1.tr.6.n.180.p.164

Et

Digitized by Google

Et quomodo à S. Augustino. ibid.
Qui statuunt posse hominem solis naturæ viribus credere revelatis prout revelatis, statuunt consequenter fidem non esse donum Dei. part. 1. tr. 4. n.110.p.164
An bene comparetur homo lapsus homini infirmo & quid ex hac collatione sequatur. part.1.tr.3. n.82.p 71
Possitne inferri ex S. Thoma, quod homo habeat per se sine auxilio gratiæ vim sufficientem ad resistendum cuilibet tentationi. part.1.tr.3.n.129. & seq p.80
Potuissetne homo in natura integra vitare aliqua peccata contra præcepta supernaturalia, licet non posset illa implere. part.2.tr.2.num.137.& seqq. p.28
Possitne homo sine speciali auxilio bene uti habitibus supernaturalibus, & ex eis operationes supernaturales elicere. part. 2.tr.1.num.24.& seqq. pag.4
Qua ratione homo excitatus & motus à Deo ac cooperans potêtiam retineat ad dissensum.part.2. tr.4.n.367.p.170
Possitne homo aliquando non vitare quin gratiæ ponat impedimentum, & an in casu sit illi imputandum quod illud posuerit. part.2.tr.3.n.200. & seqq.p.75
An homo lapsus possit sine gratiæ auxilio servare mandatum dilectionis Dei. part.1.tract.2.n.172. p.35
An homo habeat sufficientia auxilia naturalis ordinis ad amandum & glorificandum Deum sicut ad illum cognoscendum. part.2.tr.3.n.130.& seq. p.62
An & in quibus indiguisset homo auxilio supernaturali in statu naturæ integræ. part.2.tr.5.n.14. & seqq.p.225
Quare non possit homo lapsus omnia mandata implere sine auxilio gratiæ divinæ. part.2.tract.2. n.177.p.36
Posse evenire in aliquo casu ut possit homo naturaliter diu vivere sine peccato mortali, asseruit Cajetanus, & in hoc improbatur. part.1.tr.2.n.148. p.30
Possitne homo per inspirationem sine auxilio efficaci credere & qua ratione, part.2.tract.4.n.340. p.164
Possitne homo sine speciali auxilio perseverare in finem. part.2.tr.4.n.341.p.165
An & quando imputaretur homini non habenti auxilium supernaturale, quod non implevisset præcepta. part.1.tr.2.n.135.p.28
Homo faciens quod in se est ex puris suis naturalibus ex adversariorum sententia, jus habet ad habendam gratiam. part.1.tr.6.n.284.p.179
Qui tribuunt homini posse se solo credere revelatis prout revelatis, tribuunt illi quod est formale in fide, & constituunt verè fideles. part.1.tr.4.n 82. & seqq.p.199
Posse hominem lapsum solis suis viribus absque auxilio gratiæ omnia implere divina mandata, idque facilè, asseruit Pelagius. part.1.tract.2.num.143. p.29
An si homo non potest solis suis viribus naturalibus se continere ab omni peccato mortali, sequatur vel dari tantum tempus in quo non possit se continere; possit tamen in minori, vel dari minimum in quo possit, non possit tamen in majori. part.1.tr.2.n.222.& seqq.p.47

I

Ignorantia.

Ignorantia an causa fuerit vel conditio quare D. Paulus misericordiam consecutus sit. part. 1. tr.6.n.310 & seqq.p.183
An ignorantia Dei authoris excuset saltem infideles negativè. part.2.tr.3.n.319.p.98
An & qua ratione facta per ignorantiam aut necessitatem imputentur. part.1.tract.2.num.208.p.44

Illatio.

Quæ sint illationes malæ quas eliciunt adversarij ex admissa gratia prædeterminante efficaci & quid ad singulas observandum & respondendũ.part.2. tr.4.n.686.& seqq.p.217

Illuminatio.

An illuminationem & inspirationem abjicere possimus, & an iis positis, nos movere possimus ad Deum. part.1.tr.7.n.307.p.253

Impedimentum.

Impedimentum ponenti auxilio sufficienti, imputantur omnia quæ peccat, etsi ex illo sit ei impossibile non peccare. part.2.tr.3.n.285.& seqq. p.92
An si homo nullum poneret impedimentum infallibiliter gratiam à Deo reciperet qua salvari posset. part.1.tr.6.n.23.p.139

Impœnitens.

An impœnitentes finales peccent speciali peccato. part.2.tr.3.n.237.p.83

Impossibilitas.

Impossibilitas moralis quæ sit, quotuplex & unde oriatur. part.1.tr.2.n.187.& seq.p.39
Explicatur hæc exemplis. ibid.n.189.& seqq.
Impossibilitas conversionis quæ asseritur in scripturis, summam tantum difficultatem signat. part.2. tr.3.n.114.p.59
Si Hieronymus impossibilitatem hominis lapsi ad servanda omnia mandata sine auxilio gratiæ, scripturæ testimoniis mirè confirmat. part.1.tract.2. n.167.p.33

Impotentia.

Impotentia hominis ad se continendum longo tempore à peccato solis suis viribus, non petitur à longiturnitate temporis, sed aliundè. part.1.tr.2. n.226.p.49
Si impotentia ad resistendum malo, vel ad faciendum bonum non esset pœna peccati, tunc defectus in operatione ab illa proveniens non imputaretur; secus autem nunc quia est peccati pœna. part.1.tr.3.n.98.p.75
Rectene hominis lapsi impotentia ad bene operandum infirmo comparetur. part.1.tract.2.n.192. p.40
Impotentiam hominis lapsi ad servanda omnia mandata sine auxilio gratiæ, Pontifices summi docuere. part.1.tr.2.n.157.p.32
An Recentiores nobiscum aut contra nos sentiant de impotentia hominis lapsi ad implenda mandata divina, & vitanda peccata. part.1.tr.2.n.195. & seqq.p.40
An potiùs sentiant cum Pelagianis, & si nobiscum loqui videantur. ibid.

Inchoatio.

Inchoatio omnis boni operis etiam in justo est à Deo & per quid fiat. part.2.tract.1.num.48.p.8.

Infallibilitas.

Infallibilitas duplex est sicut & duplex certitudo, & in quo utraque sit. part.2.tr.4.n.144.p.124

Infans.

Digitized by Google

Infans.

Infantium mors ante baptiſmum apertè convincit, non omnibus dari auxilium ſupernaturale ſufficiens. part.2.tr.3.n.215.p.78

Et an diſpar ſit ratio paruulorum & adultorum. ibid.n.216.& ſeq.p.79

Infidelis.

Infidelis ut liberè gratiam Dei acceptet quid requiratur. part.1.tr.7.n.318.p.255

Eſſetne infidelis qui propoſitioni fidei debitè prædicatæ contradiceret, etſi non haberet auxilium ſufficiens. part.2.tract.3.n.154.p.66

Deturne infidelibus omnibus auxilium ſupernaturale gratiæ ſufficientis. part.2.tr.3.n.163.& ſeqq. p.68

Infideles negativè non damnabuntur propter ſuam infidelitatem. part.2.tr.3.n.325.p.99

An infideles negativè qui legem naturæ ſervaverint ſint ſalvandi. part.2.tr.3.n.324.p.99

An ignorantia negativè infidelium ſit peccatum, an vero tantum peccati pœna. part.2.tr.3.num.320. & ſeqq.p.98

An infideles qui tormentis magnis reſiſtere, & mortem etiam ſuſtinuere, id fecerint propter bonum finem & propter bonum virtutis incertum eſt. part.1.tr.3.n.136.p.81

Sicut incertum eſt an id ſolis naturæ viribus præſtiterint. ibid.

Non dari infidelibus omnibus auxilium ſufficiens, rationibus convincitur. part.2.tr.3.n.205.& ſeqq. p.76

Infidelitas.

Infidelitatis peccatum quibus imputetur & quibus non. part.2.tr.3.n.155.p.67

Quæ ſit infidelitas purè negativa. part.2.tr.3.n.322. p.99

Deturne infidelitas purè negativa. part.2.tr.3.n.319. p.98

Qui ſint qui peccatum infidelitatis habeant, & qui non. part.2.tr.3.n.154.& ſeqq.p.66

Infuſio.

Infuſio gratiæ juſtificantis eſt vera gratia etiam in optime diſpoſito, non autem donum debitum. part.2.tr.3.n.209.p.77

Quod Deus infuſione una operatur omnia quæ requiruntur ad juſtificationem quomodo ſit intelligendum,& quid hoc importet. part.1.tr.7.n.377. p.262

Initium.

Initium ſalutis non eſſe ab homine, non ſatis ſalvant Recentiores, licet dicant poſſe quidem eum moraliter agere, ſed non meritoriè faciendo quod in ſe eſt. part.1.tract.6.num.73.& ſeqq.p.145

Et quod dicant implicitè poſſe hominem ſine gratia operari prout oportet ad ſalutem ibid.

Quæ initia bonæ operationis in nobis ſint admiſſa à Pelagio ejuſque ſequacibus. part.1.tr.6.n.14. & ſeqq.p.137

Et qui ſint ejus ſententiæ alij ſtipulatores, & qui reſtitutores. ibid.

Initium triplex boni operis ex nobis triplex conſtituebant Pelagiani, & malè quibus & Recentiores conſentiunt. part.2.tr.4.n.472.p.186

An ſi primum initium fidei ſit à Deo tollatur humana libertas. part.1.tr.4.n.27.p.90

Confutatur hæc Recentiorum aſſertio. ibid.n.29

An primum initium fidei ſit ex nobis,augmentum autem à Deo. part. 1. tract. 4. num. 27. & ſeqq. pag.90

Innocentia.

An in ſtatu innocentiæ neceſſaria fuiſſet gratia adjuvans qualis nunc requiritur ad bene operandum. part.2.tr.1.n.51.p.9

Aſſerentes quod primi parentes in ſtatu innocentiæ non indiguiſſent auxilio gratiæ ab habitibus ſupernaturalibus diſtincto,quo perſeverarint in via ſalutis, apertè S. Auguſtino & S. Thomæ contradicunt. part.2.tr.5.n.8.& 9.p.224

Docueritne S. Thomas primos parentes potuiſſe in innocentia perſeverare ſine auxilio ſupernaturali, ordinis. part.2.tr.5.n.3.& ſeqq.p.223

Homo in ſtatu innocentiæ per donum originalis juſtitiæ potuiſſet omni peccato, etiam veniali carere. part.1.tr.1.n.88.p.19

Inſtrumentum.

Sumus inſtrumenta Dei principaliter in nobis operantis. part.2.tr.4.n.597.p.205

Intellectus.

Poſſitne intellectus & voluntas creata per intimam Dei aſſiſtentiam effici cauſæ ſupernaturales.part.1. tr.7.n.26.& 27.p.214

Intentio.

Tota operationis noſtræ intentio ex gratia eſt & tota ex libero arbitrio. part.2.tract.4.num.105. p.118

Iudæus.

Iudæus nunc aſſentitur omnibus quæ in lege ſua ſunt ex ſolo ſuo beneplacito. part.1.tract.4.n.151. p.110

An Iudæi nunc temporis credant omnibus quæ per legem ſibi proponuntur, actu merè naturali, ex generali Dei concurſu. part.1.tr.4.n.11.p.88

Vnde Iudæi peccatũ infidelitatis incurrerint. part.2. tr.3.n.159.p.67

Iudicium.

Iudicium de doctrina Scoti aſſerentis poſſe hominem ex ſolis naturalibus habere attritionem bene circunſtantiatã, & in eſſe naturæ & in eſſe moris in cujus ultimo inſtanti Deus infallibiliter dabit juſtificantem gratiam, ſicut veræ diſpoſitioni illam merenti de congruo. part.1.tract.6.n.409. p.194

Iulianus.

Iulianus Pelagij diſcipulus ſicut & ipſe Pelagius æquivocatione utebatur ut Catholicos falleret, quod & videntur imitari Recentiores. part.1.tr.2. n.196.& ſeqq.p.41

Iulianus primus fuit qui aſſeruit voluntatem elevari à Deo in opere primum incepto ſolis viribus naturæ. part.1.tr.7.n.127.p.228

Iuſtificatio.

Iuſtificatio impij quibus gradibus procedat. part.2. tr.1.n.55.p.9

Ad juſtificationem impij, quatuor requiruntur quæ illa ſint, & quo ordine ponantur. part.2.tract.2. n.53.& ſeqq.p.21

Quid faciat homo in ſua juſtificatione. part.1.tr.7. n.322.p.255

Primum in juſtificatione eſt gratia Dei movens. part.1.tr.7.n.317.p.254

Quæ propoſitiones potiſſimè ſint obſervandæ circa juſtificationem ex Conc. Tridentino ne eatur in errorem. part.2.tr.4.n.353.p.167

Iuſtificationis gratia non tantum datur ad faciliùs implendam legem, ſed etiam omninò neceſſaria eſt ad ſimpliciter impléda divina mandata.part.1. tr.2.n.159.& ſeq.p.32

Iuſtificatus.

Quod omnes juſtificati habeant virtutem auxiliantem & cooperantem, cum multi ex his non perſeverent quomodo ſit intelligendum.part.1.tr.& n.132.p.286

Digitized by Google

Possitne quis justificatus diu in gratia perseverare, absque speciali auxilio. part.1. tract.3. num.144. pag.83
An homo justificatus possit omnia peccata venialia vitare. part.1.tr.1.n.82.& seqq.p.17.& 18
Iustificati præter habitum gratiæ, indigent ut Christus illis cooperetur. part.1.tr.8.n.131.p.286

Iustitia.

Quid justitia originalis præstabat in primo parente: part.1. tr.2.n.140. p.28

Iustus.

Vnde justi simus, qua mensura justitiam recipiamus,& quæ sit nostræ justificationis causa.part.2. tr.4.n.99. p.117
Ad quid necessaria sit in justo gratia excitans & adjuvans. part.2.tr.1.n.56.p.10
An homo possit esse justus sine observatione mandatorum Dei. part.1.tr.1.n.45.& 50.p.10.& 11

L

Lessius.

LEornardus Lessius idipsum convincitur admittere quod videtur negare, nempè initium salutis esse ex nobis. part.1.tr.6.n.501. p.209
Et meritum congruum ponit in potestate naturalis arbitrij pariterque donum fidei &c.ibid.n.506. & 508
Leornardi Lessij oppositiones ad defendendum certam illam legem qua Deus dat gratiam facienti quod in se est, ex solis naturalibus. part.1. tr.6. n.452.& seqq. p.201
Et quid ad singulas respondendum. ibid.
Leornardi Lessij mens, mens de natura, causa & quidditate auxilij gratiæ prævenientis. part. 1. tr.7.n.181.p.236

Lex.

Lex naturalis potestne ab homine per lumen rationis impleri. part.1.tr.1.n.52.p.11
Lex præcipiens liberam ostendit voluntatem, oratio autem divinæ gratiæ necessitatem.part.1.tr.7. n.350. p.259
Sitne lex infallibilis,qua Deus det explicitam fidem Christi facienti quod in se est, etiam ex divino auxilio. part.1.tr.6. n.427.p.198
Lex de danda gratia facienti quod in se est, apertissimè negatur multis locis à D.Augustino.part.1. tr.6.n.104.& seqq.p.150
Legem de danda gratia facienti quod in se est solis naturæ viribus, damnavit Concilium Arausicanum. part.1.tr.6.n.151. p.159

Liber.

Liber concordiæ aliique similes toti sunt in eo ut probent ut inceptio boni operis sit ex homine consummatio verò ex Deo. part.1. tr.6. num.61. p.143
Liber S. Augustini ad Simplicianum quando scriptus, & an rectè exponat omnia quæ pertinent ad gratiam. part.2. tr.4.n.441.p.181

Libertas.

Libertas in qua indifferentia consistat. part.2. tr.4. n.183. p.132
Libertas nostra quomodo & quibus tollatur.part.1. tr.ult.c.ult.n.64.& seqq.p.234
Libertatem nullo modo lædit donum perseverantiæ quo Deus nos facit efficaciter perseverare.part.1. tr.ult.n.62.p.233
Libertas ad utrumlibet stat dupliciter, & in quo unumquodque consistat, ac quodnam Deo, quodnam creaturæ conveniat. part.2. tr.4. num.513. p.195
Libertas arbitrij salvatur, licet homo sub una prædeterminatione positus, non possit cum illa conjungere oppositum actum. part. 2. tr. 4. n.368. p.170
Sitne libertas voluntatis potentia servandi rectitudinem, & an tunc eam habeat quando non habet rectitudinem. part.1. tract. 3. num. 120. & seqq. pag.78
An stare possit libertas cum impotentia ad benè illa utendum. part.2.tr.3.n.122. p.78
Circa libertatem arbitrij, & potentiam ad operandum salutem aut conversionem, eadem prætendunt recentiores quæ olim Pelagiani, eisdemque penè verbis se Catholicos simulant. part.1. tr. 4. n.43.p.92
Libertas nostra verè & propriè consistit in eo quod ab efficaci auxilio præveniente moveatur ad benè & liberè operandum. part.2. tract.4.num.707 p.221
Quid excludat quidve includat humana libertas. part.2.tr.4.n.580.p.202
Sitne verum quod libertas arbitrij melius concordet cum auxilio gratiæ, si actus fidei, cæterarumque virtutum infusarum sint solum supernaturales quoad modum. part.1.tr.4.n.113. p.104
Quod aliud longe diversissimum sit, non habere libertatem arbitrij ad superandas tentationes, & non posse eas superare. part.1.tr. 3. num. 92. & seqq.p.74
Libertas arbitrij plenè salvatur à Concilio Tridentino tam contra Pelagianos quam contra Calvinum & quomodo. part.2.tr.4. num.365. & seqq. p.169.& n.386.& seqq. p.171
An salvetur hominis libertas si dicatur posse illum dissentire Deo moventi & excitanti in sensu diviso. part.2.tr.4.n.363.& seqq.p.169

Lumen.

An præstantior in naturalibus cum æquali lumine gloriæ, perfectius videat Deum. part.2. tract.4. n.112.p.119
Et quæ fuerit circa id mens Cajetani. ibid. n.113

M

Malum.

MAlum quod consequitur ex peccato quandonam sit peccatum simul & pœna peccati,& quando non. part.2.tr.3.n.318.p.98

Mandatum.

Mandata Dei absolutè & simpliciter sunt homini possibilia. part.1.tr.1.n.54.p.11
Ad singula mandata implenda non requiritur gratia habitualis gratum faciens. part.1.tr.1. n.244. p.52
Ipsi qui defendunt posse hominem lapsum servare mandata distributivè sine gratiæ auxilio, excipiunt aliqua divina mandata etiam naturalia. p.1. tr.2.n.242. & seqq.p.52
Possitne saltem per breve tempus homo lapsus mandata naturalia servare & quatenus. part.1.tract.2. n.181.p.37
An observatio omnium mandatorum Dei sit homini possibilis. part.1.tr.1. n.44.p.10
Quid sit servare omnia mandata collectivè. part.1. tr.2.n.142.p.29
Si vis ad vitam ingredi serva mandata.part.1. tract.1. n.26.p.6

Digitized by Google

Ex quibus capitibus non possit homo sine gratia servare omnia divina mandata. part.1.tr.2. n.185. p.38

Sintne aliqua divina mandata in particulari, quæ homo sine Dei auxilio servare non possit. part.1. tr.2.n.231.& seqq.p.50

In quo posita sit & unde proveniat impossibilitas servandi mandata in statu naturæ lapsæ, sine auxilio gratiæ. part.1. tract. 2. num. 182. & seqq. p.37

Quid intelligatur per observantiam mandatorum Dei. part.1.tr.1.n.76. & seqq.p.15.16. & 17

An impossibilitas servandi mandata in statu naturæ lapsæ, sit tantum moralis metaphysica, seu consistat in quadam tantum difficultate magna. p. 1. tr.2.n.183.p.38

Et an ita sentire sit Pelagio consentire. ibid.n.188. p.39

Quod omnes possint si velint servare mandata, non probat omnes habere auxilium sufficiens. part.2. tr.3.n.299.& seqq. p.95

Non posse hominem lapsum omnia mandata collective servare sine auxilio gratiæ rationibus demonstratur. part.1. tr.2. n.175. & seqq. p. 35. & seqq.

Pluribus S. Scripturæ testimoniis comprobatur hominem posse per gratiam Dei & ejus spiritum servare divina mandata. part.1.tr.1.num.67. & seqq. p.14.& 15

Non posse hominem lapsum sine Dei auxilio omnia servare mandata Concilia definierunt. part.1.tr.2. n.158.& seqq. p.32

Ipsa Dei mandata gratiæ divinæ efficaciam convincunt. part.2.tr.4.n.644. p.213

Non potest homo lapsus sine gratiæ auxilio, omnia naturalia mandata collectivè per totam vitam servare quoad substantiam actus. part.1.tr.2. n.151. p.31

Non posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ servare omnia mandata collectivè SS.PP. docuerunt. part.1.tr.2.n.162.& seqq.p.33

Martyr.

Martyrum fortitudo, & constantia Virginum à quo proveniant. part.1.tr.ult.n.55.p.233

Martyrem illum verè futurum asserunt recentiores, qui conetur solis naturæ viribus pro Christo mori. part.1.tr.6.n.157.p.160

Materia.

Ista propositio, *materia habens formam hanc potest aliam habere* tres alias propositiones in se continet & quas. part.2.tr.3.n.71.p.49

Matthæus.

D. Matthæus quo sensu dicatur à Chrysostomo vocatus à Christo, cum vidit eum non repudiaturum vocationem. part.2.tract.4. n.489. p.190

Materiale.

Quid sit materiale ex objecto fidei quidve formale. part.1.tr.4.n.82.p.99

Medina.

An Bartholomæus Medina tenuerit posse hominem solis naturæ viribus assentiri revelatis prout revelatis. part.1.tr.4.n.141. p.109

Magistri Medinæ quis fuerit sensus ubi dixit esse probabile quod homini facienti quod in se est & solis naturæ viribus Deus dat gratiam. part.1. tr.6. n.403.p.194

Mens.

P. Lainez contendebat ut in canone 4. sessionis 6. Concilij Tridentini, pro vocibus illis, *liberum arbitrium motum* ponerentur istæ, *mens excitata & mota.* part.1.tr.7.n.333.p.257

Mensura.

De mensura gratiæ & unde sit petenda, quid senserit D. Thomas. part.2. tr.4. num. 106. & seqq. p.118

Meritum.

Meritum non est effectus gratiæ operantis sed cooperantis. part. 1.tr.8.n.65.p.272

Quod assentiantur omnes merita nostra esse Dei dona, & opera magis Dei sint quam nostra stabilitur ex eo gratiæ efficacia. part. 2. tr.4. n.669. & seqq.p.214

An negare merito de congruo in operibus sola vi naturæ factis, fiat sicut Deus acceptor personarum. part.1. tr.6.n.411.p.195

Miraculum.

An miraculis aliisque motivis fidei assentiri possit quis fide acquisita. art.1.tr.4.n.245.p.126

Misericordia.

Quomodo misericordia Dei præveniat nos & subsequatur. part.1.tr.8.n.8.p.264

Modus.

Modi plurimi loquendi quibus scriptura passim utitur ad gratiam significandam ejusque operationes & effectus, ipsius demonstrant efficaciam. part.2.tr.4.n.665.& seqq.p.214

Quis sit modus & progressus operationum gratiæ excitantis, & quis etiam adjuvantis, efficacis, prædeterminantis. part.2.tr.4.num.184. & seqq. p.132

Quid intelligatur per modum qui producitur in actibus virtutum infusarum. part.1.tr.1.n.24. & 26. pag.6

Mors.

Mors obita ab hæretico, ad tuendos articulos fidei quos non negat non est martyrium. part. 1. tr.4. n.224.p.122

An sicut quis potest solis naturæ viribus, mortem pro falsa Religione obire, similiter id possit quis pro vera. part.1.tr.3.n.136.p.82

Ex eo quod Deus nolit mortem peccatoris, quod patienter expectet &c. non benè infertur dari omnibus auxilium sufficiens supernaturale. p.1. tr.3.n.259.p.87

Possitne quis naturæ viribus, etiam morte imminente, continere se à peccato, & assensum cohibere. part.1.tr.3.n.177.p.82

Et an in tali casu continens consensum se habeat merè negativè. ibid. n.138

Motio.

Motio divina est primum concurrens ad justificationem impij. part.2.tr.2.n.53.p.21

Motio Dei efficax quare dicta tractio in scripturis. part.2.tract.4. n.602.p.206

Motio moventis est in anima præter actum & habitum. part.1.tr.7.n.108.p.225

Recentiores nullam veram & propriam motionem ex Deo admittunt. part.2.tr.4.n.194.p.133

An motio divina efficax habeat indifferentiam & qua ratione. part.2.tr.4.n.180.p.131

Nec motionem moraliter attrahentem, quam recentiores admittunt, nec certam præscientiam de consensu futuro arbitrij negarunt Pelagius aliique quos D. August. reprehendit. part.2.tr.4. n.195. & seqq. p.134

Quæ sit motio gratiæ efficacis, qualis & quotuplex sit, quidve operetur. part.1. tr.4.n.149.p.125 Et ad quod prædicamentum pertineat. ibid. numero 151

An

Digitized by Google

An imprimatur in intellectu simul & voluntate. ib. n. 152
An & quomodo inhæreat animæ. ibid. num. 153. & seqq.
Triplex motio præveniens distinguenda, & in quo unaquæque sit. part. 2. tr. 4. n. 609. p. 207

Motivum.

Sintne motiva quædam & invitamenta necessaria ut ad fidem Catholicam inducamur. part. 1. tract. 4. p. 243. p. 125
An motiva externa, aut miracula sufficiant, ut homo fidem divinam amplectatur. part. 1. tract. 4. n. 244. p. 125
Quæ sint motiva fidei ex Augustino. part. 1. tract. 4. n. 166. & seqq. p. 113

Motus.

Motus gratiæ prævenientis quomodo ponatur fieri ab authore concordiæ. part. 1. tr. 6. num. 174. p. 163
Motus primo primos non effici à voluntate est impossibile. part. 1. tr. 7. n. 92. p. 223
An motus primo primi sint peccata in infidelibus, & cur non in fidelibus. part. 2. tract. 3. n. 315. p. 97

Movere.

An movere seu excitare moraliter idem sit ac movens per modum legis atque doctrinæ. part. 1. tr. 7. n. 213. p. 241
Possitne Deus sine prædeterminatione voluntatem movere ad actum. part. 2. tract. 4. n. 369. & seqq. p. 170
Quomodo Deus moveat voluntatem hominis, & quomodo ipsa se moveat & ad quid. part. 2. tr. 4. n. 536. & seqq. p. 198
Quibus, quotve modis dicatur Deus movere voluntatem. part. 2. tr. 4. n. 193. & seqq. p. 133
Solus Deus potest efficaciter movere voluntatem salva illius libertate. part. 2. tr. 4. n. 456. p. 184
Quomodo & quotupliciter Deus nos moveat objective per gratiam excitantem. part. 1. tr. 7. n. 188. & seqq. p. 237
Quomodo moveat etiam formaliter seu ex parte principij actum elicientis. ibid. n. 190

N

Natura.

NAtura humana in statu præsenti indiget duplici Dei auxilio, quodnam illud sit, & quibus ex causis illo indigeat. part. 2. tr. 1. num. 20. & seqq. p. 3
Natura corporis quocumque eam opifex ducere velit eo sequitur nec resistit, anima autem sui juris vim in se habet operandi, nec ulla in re Deo, nisi velit obtemperat. part. 2. tr. 4. n. 488. p. 190
An prior natura sit negatio auxilij efficacis quam resistentia gratiæ. part. 2. tr. 3. n. 86. p. 52
In natura lapsa non sunt auxilia naturalis ordinis ad amandum Deum. part. 2. tr. 3. n. 113. p. 62

Necessarium.

Potest aliquid esse necessarium & tamen voluntarium. part. 1. tr. 2. n. 206. p. 43

Necessitas.

Necessitas habitus fidei propter certitudinem ratione demonstratur. part. 1. tr. 4. n. 218. p. 121
Necessitas auxilij gratiæ non respicit naturalitatem aut supernaturalitatem præceptorum sed defectibilitatem, & infirmitatem liberi arbitrij. part. 1. tr. 2. n. 168. & 171. p. 34. & 35
An necessitas auxilij supernaturalis, sit ad libertatem actus an potius ad ejus supernaturalitatem. part. 1. tr. 7. n. 27. p. 214
Quæ necessitas violet libertatem. part. 2. tr. 4. n. 604. & seqq. p. 206
In rebus à Deo volitis non est necessitas absoluta, sed qualem Deus vult habere. part. 2. tr. 4. n. 524. p. 196

Noë.

Noë invenit gratiam coram Domino. part. 1. tract. 1. num. 67. pag. 14

O

Obduratus.

OBduratis & excæcatis justè denegatur divinum auxilium, etiam sufficiens. part. 2. tract. 3. num. 227. pag. 81

Obedientia.

Obedientia non est ubi regnat peccatum. part. 1. tr. 1. n. 60. p. 12

Objectum.

Objectum formale actus spei est Beatitudo æterna. part. 1. tr. 1. n. 30. p. 7

Omnipotentia.

Divina omnipotentia super hominum corda, ex scripturæ testimoniis confirmatur. part. 2. tract. 4. n. 204. p. 136

Operari.

Quomodo Deus operetur tum in naturalibus, tum in liberis agentibus. part. 2. tr. 4. n. 54. & seqq. p. 198
Asserere Deum operari quia voluntas humana operatur, est gratiæ omnem efficaciam tollere. part. 2. tr. 4. n. 117. & seqq. n. 120
An velle benè operari sit ex nobis, non autem ex Deo, licet ab eo sit posse. part. 2. tr. 1. num. 32. pag. 5
An homo quod operatur intelligat? part. 1. tract. 1. n. 58. p. 12
An cum æquali auxilio, possit alter altero intensius operari, & cum inæquali uterque æque intensè. part. 2. tr. 4. n. 88. & seqq. p. 115
Et an id ipsum admittere sit gratiam efficacem negare. ibid.
Et an idem damnatum sit à Conciliis. ibid. numero 98
Deus in libero hominis arbitrio ita operatur, efficaciter, ut ipsum quocumque vult, convertat, transferat &c. salva in omnibus ejus perfecta libertate ita ut infallibiliter faciat quod Deus vult &c. part. 2. tr. 4. n. 200. p. 135
Tria in nobis Deus operatur, cogitare, velle & perficere bonum, primum scilicet sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos, & quomodo ac per quid fiant. part. 1. tract. 7. numero 355. pag. 260
Homini imputatur ad culpam quod benè non operetur quamvis non possit actu suo mereri gratiam, sine qua non potest benè operari & cur. part. 2. tr. 3. n. 76. & seqq. p. 51
Et solvuntur objectiones contrariæ. ibid. n. 79. & seqq.

Operatio.

Initium bonæ operationis esse non potest à libero arbitrio etiam habentibus habitus virtutum supernaturales. part. 2. tract. 1. num. 28. & seqq. pag. 5
Primum bonæ operationis initium non potest esse à libero arbitrio. part. 2. tr. 1. n. 28. p. 5

Digitized by Google

Opitulari.

Quod Deus ſoleat uni magis quam alteri opitulari propter moralia opera in mortali facta, aſſerunt recentiores. part.1. tract. 6. n. 181. & ſeqq. p.164

Et quo titulo velint gratiam ſic operanti moraliter, à Deo concedi. ibid. n.188. & 189. & ſeqq.

Quodque in his omnibus conveniant cum Caſſiano. ibid.n.197.p.166

Ac quod nullo modo cum illis ſenſit S.Thomas. ibid. n.197.p.166

Opitulatio.

Opitulationes divinæ gratiæ, ſunt ſtabilimenta voluntatis humanæ. part. 2. tract. 4. numero 479. pag. 187

Opus.

Debeatne aſſignari bonum opus aliquod, quod homo integer præſtare potuerit, lapſus non poſſit & quodnam illud ſit. part.1.tr.3.n 81. p.70

Opera bona ſunt à Deo ſecundum prioritatem à nobis autem ſecundum poſterioritatem & quid dicant prioritas illa & poſterioritas part.2. tract.4. n.597.p.205

Quo ſenſu opus bonum morale, dictum ſit à Theologis diſpoſitio remota ad gratiam. part. 1. tr.6. n.9.p.136

Non poteſt juſtus, bona opera ex habitibus infuſis exercere niſi amplius divinitus adjuvetur.part.2. tr.1.n.44.& ſeqq.p.8

Quod Deus bona opera noſtra diligat, convincit ex hoc ea eſſe ex ſua gratia efficaci.part.2.tr.4.n.666. p.215

Sitne omnino extra poteſtatem arbitrij liberi, agere opera meritoria. part.1.tr.6.n.375.p.191

Aſſerentes quod homines aliquando præveniant Deum per opera moralia viribus ſolius naturæ facta damnantur erroris. part.2.tr.6.n.205.& ſeq. p.168

Ex eo quod multa mala opera difficilia fiant ab homine lapſo, non infertur poſſe etiam ab eo fieri bona opera difficilia ſine aliquo Dei auxilio. p.1. tr.2.n.141.p.52

Orare.

Non orandum ut non tentemur, ſed ne intentationem inducamur. part.1.tr.3.n.55.p.66

Quod orandum ſit ad obtinenda Dei auxilia convincit etiam ſufficientia non omnibus dari. part. 2. tr.3.n.218.p.79

Teneaturne exiſtens in gratia orare ne inducatur in tentationem. part.1.tr.3.n.162.p.85

Quæ circunſtantiæ neceſſariæ ſint ad benè orandum part.1.tr.1.n.41.p.9

Oratio.

Oratio à ſummis pontificibus recitari ſolita, qua petitur efficax Dei gratia corda inflectens &c. habetur. part.2.tr.4.n.261.p.149

Orationes fidelium & Eccleſiæ, gratiæ efficaciam apertiſſimè demonſtrant. part.2.tr.4. num. 643. p.212

Dominica oratio ſola ſufficeret ad efficaciam gratiæ demonſtrandam. part.2. tract.4.n.643.p.213

Ordo.

Quid ſit ordo converſionis hominis ad Deum.p.1. tr.7.n.359.p.260

Quis ſit ordo motuum gratiæ prævenientis, ex adverſariorum mente, quinam ſint hi motus, & quomodo fiant. part. 1. tr.7. num.115. & ſeqq. pag. 226

P

Panis.

PAnem cœleſtem dari nobis quare quotidie precamur. part.1.tr.3.n.76.p.69

SS. Patres.

SS. Patres poſcentes à Deo quæ præcipit fieri prævenientem efficacem gratiam, re & facto admiſerunt. part.2. tr.4.n.475.& ſeqq. p.187

Paulus.

An D. Paulus conſenſerit in articulos fidei, eiſque aſſenſum præbuerit fide acquiſita ſcilicet ex nota Dei veracitate. part.1.tr.4 n.255. p.117

An D. Paulus ſolo viſo quod habuit de Chriſto ſit converſus. part. 2. tr.4.n.418.& ſeqq.p.178

Pax.

Promittaturne bene utenti temporalibus, pax & gloria æterna, ex mente S. Auguſtini. part. 1. tr.6.n.326.& ſeqq. p.185

Peccabilitas.

Peccabilitas quid ſit? part.1. tr.1.n.91.p.19

Peccans.

An peccans non poſſit id per quod peccat. part. 2. tr.3. n.102.p.56

An qui ſua culpa non accepit auxilium ſufficiens de novo peccet, dum ex illius defectu, incidit in peccatum. part.2.tr.3.n.289. p.93

An peccare ſit neceſſarium homini lapſo, & qua neceſſitate. part.1.tr.2.n.204.p.43

Cur homini imputetur quod peccet, ſi non habeat congruam vocationem in ſua poteſtate non benè exponunt adverſarij, ex ſua ſententia.part.2.tr.3. n.97.p.55

An ex eo quod quis mortaliter peccet, inferatur eum habere auxilium ſupernaturale ſufficiens ad non peccandum. part.2.tr.3.n.281.p.91

Homo lapſus non poteſt per totam vitam non peccare mortaliter ſine ſpeciali Dei auxilio. p.1. tr.2. n.151.p.31

An qui peccat teneatur ſtatim de admiſſo pœnitere. part.1.tr.2.n.212.& ſeqq.p.45

Peccator.

An ut peccator convertatur, neceſſarium ſit ut accipiat utrumque auxilium ſed ſufficiat ut recipiat prævenies in actu ſecundo. part.1.tr.7.n.262.& ſeqq.p.246

Et quæ ſint fundamenta ſententiæ contrariæ. ibid.

Peccatoribus obduratis ſæpè auxilium ſufficiens ſubtrahi, probatur ex ſcripturis. part.2.tr.3.n.227. & ſeqq.

An ex eo quod poſſit ſemper peccator per veram pœnitentiam reparari, inferatur dari ſemper omnibus auxilium ſupernaturale ſufficiens. part.2. tr.3.n.271.& ſeqq.p.89

Etiam maximus quilibet peccator poteſt ad Deum converti dum eſt in vita. part.2. tr.3. num. 116. pag.60

Peccatum.

Cavendum peccatum contumaci & non reſipiſcenti, ne ab angelo cuſtode deſeratur. p. 2. tr.3.n.227. p.81

Venundari ſub peccato quid ſit? part. 1. tr.1. n.57. p.12

Peccata etiam quæ impoſſibile eſt evitare, imputantur ei qui ſua culpa, potentiam amiſit ad illa vitanda. part.2.tr.3.n.290.& ſeqq.p.93

An poſſit homo in natura lapſa per eximium gratiæ adjutorium

Digitized by Google

adjutorium omnia vitare peccata. part.1.tract.1. n.87.p.18
An eo quod possit quis omnia distributivè peccata vitare, sequatur & idem posse collectivè. part.1. tr.2.n.217.p.46
Quandonam quid sit peccatum tantum, & quando pœna peccati, vel peccatum simul & pœna peccati. part.2.tr.3.n.321.p.98
An omnia in quæ incurrit homo, ex peccato volito, in primo parente, sint peccata. part.2.tr.3.n.321. p.98
An & qua ratione in peccato existens possit aliud peccatum vitare. part.1.tr.2. n.213.p.45
An ex eo quod non possit homo vitare omnia peccata, peccatum fiat illi necessarium. part.1. tr.2. n.203.p.42
Non potest homo in natura lapsa vitare per longum tempus omnia peccata sine auxilio gratiæ. part.1. tr.2.n.178.& seqq.p.136
Et an contrarium tueri sit Pelagianum aut saltem falsum ac temerarium &c. ibid. numero 179
An sua culpa in amentiam verso aut ebrio imputentur quæ sic affectus committit peccata. part.2.tr.3. n.301.p.95
Vnde inceperit peccatum tam angeli quam hominis & quo ordine patratum ac consummatum sit. p.2. tr.3.n.91.p.54
Non qui vitat peccatum infidelitatis impleat præceptum fidei. part.1.tr.4.n.75.p.98
An operetur in homine peccatum. part.1. tr.1.n.56. p.12
An non posse vitare omnia peccata præjudicet libertati arbitrij. part.1.tr.2.n.202. p.42
Quomodo consentiens peccato cuilibet mortaliter peccet etsi non possit omnia peccata vitare p.1. tr.2.n.177.p.36
Possitne alicui imputari peccatum quod vitare non potest. part.2.tr.3.n.179.p.71.& n.200.& seqq. p.75
Peccatum quodlibet vitari potest quando voluntas humilis adjuvatur. part.2.tr.3.n.183.p.71
Vnde sit ut alij reprobati sint in peccato originali, alij verò liberati. part.2.tr.3.n.92.p.54
An & quo peccato peccet qui se exponit periculo peccandi. part.1.tr.2.n.214.p.45
Quare non sit in hominis lapsi potestate vitare omnia peccata etsi unumquodque vitare possit. part.1. tr.2.n.177.p.36

Pelagianismus.

Quod Pelagianismus inducatur à recentioribus sub obtentu gratiæ efficacis, ex libertate arbitrij. p.2. tract.2.n.40.& seqq.p.19

Pelagius.

Pelagius agnovit necessarium gratiæ prævenientis auxilium, & in quo illud constituebat. part.1. tr.7.n.204.& seqq.p.239
Quomodo posuerit & intellexerit Pelagius, posse hominem lapsum sine gratiæ auxilio, omnia divina mandata servare. part.1.tract.2.num.143. p.29
Censueritne Pelagius posse nos propriis viribus gratiam mereri de condigno. part.1.tr.6.num.14. pag.137

Pelagianus.

Pelagiani ideo asserebant Deum certa lege adjuvare incipientem bonum opus, ut salutem ipsius in sua potestate relinquerent. part.1.tr.6.n.223. p.170
Pelagianorum error non consistit tantum in eo quod actus merè naturales eleventur per gratiam, sed in eo maximè quod humana voluntas præcedat divinam gratiam. part.1.tr.7.n.126. p.228
Fueritne Pelagianorum error in eo quod dicerent posse voluntatem qualicumque actu acceptare gratiam, an verò quod dicerent posse illud actu quodam pio & meritorio. part.1.tr.6.n.32.ad 44.p.140
Quod tam Pelagiani quam Semipelagiani convicti sint tribuisse initium fidei soli hominis arbitrio, quidquid verbis contra prætenderent. part.1.tr.4. n.37.& seqq. p.91
Et quibus verbis se excusarent. ibid.n.39
An & ipsi censuerint illa fidei initia quæ adstruebant fuisse utilia ad salutem. ibid. num.38. & seqq.
Ponerentne re vera Pelagiani & Semipelagiani aliquam vim & proportionem in humano arbitrio, cum gratia, ad operandum salutem. part.1.tr.6. n.32.& seqq.p.140
Pelagianorum Semipelagianorum & recentiorum doctrina de gratia comparatur & explicatur. p.2. tr.2.n.72.& seqq.p.24
Pelagianorum & Semipelagianorum errores circa potentiam aut impotentiam hominis lapsi ad assentiendum revelatis à Deo prout revelatis. p.1. tr.4.n.21.& seqq. p.89
Et quid recentiores cum prædictis consentiant eorumque errores renovent. ibid.
Vnde Pelagiani confirmarent assertum suum de potentia hominis ad credendum certo revelatis, ut revelatis. part.1.tr.4.n.25.& seqq.p.90

Perfectio.

Perfectio viæ ab omnibus per gratiam impletur. p.1. tr.1.n.61.p.13
Duplex perfectio requiritur in dilectione Dei. p.1. tr.1.n.63.p.13

Perplexitas.

Sitne perplexitas in aliquo casu admittenda. part.1. tr.2. n.116.p.25

Perseverantia.

Perseverantiæ donum ut obtineat Christianus quid agere debet. part. 1. tract. ult. num.56. & seqq. p.233
De perseverantiæ dono. part.2.tr.5.n.1.& seqq.usque ad libri finem. pag. 223. & seqq.
Duplex perseverantiæ donum distingunt recentiores & quodnam utrumque sit. part. 2. tr.5. num.27. p.227
Et quam malè. ibid.n.33.& seqq.p.228
Quodnam perseverantiæ donum admittant recentiores in confirmatis in gratia. part.2.tr.5. n.41. & seqq.p.229
Et in quo illud distinguant ab eo quod omnibus tribuunt. ibid.n.42.p.230
Et quod errent in utroque. ibid.
Perseverantia, & potentia ad perseverandum quomodo & unde homini conveniant. part.2. tract.3. n.56.p.46
An qui perseverant in bono majus habeant auxilium gratiæ quam qui cadunt, cum æquali ante gratia. part.2. tr.4.n 83. p.114
Perseverantiæ donum est inter efficacis gratiæ auxilia nobilissimum. part. 2. tract. 5. numero 1. pag. 223
Primus homo ad simpliciter perseverandum indiguit supernaturali auxilio, virtutibus infusis superaddito. part.2.tr.5.n.2.& seqq.p.223
An ad perseverandum in bono sufficiat habitus infusus. part.2.tr.5.n.14.p.225

Digitized by Google

S. Petrus.

S. Petrus permissus est cadere ne libero arbitrio videretur stare qui de se magna promiserat. part.1. tr.3.n.74.p.70

Pharao.

Pharaonem quomodo Deus excæcavit & quomodo Iudæos. part.2.tr.3 n.236.p.83

Philosophi.

An Philosophi propriè crediderint Deum omnipotentem. part.1.tr.4.n.81.p.99

Pius quintus.

Pius quintus Pontifex Rom. apertissimis verbis efficax auxilium prævenies, asserit. part.2.tr.4. n.262.p.150

Pœnitentia.

Pœnitentiæ actus an sit supernaturalis. part.1.tr.1. n.11.p.3

Possibile.

Quod possibili posito in actu nullum sequatur inconveniens quo sensu intelligendum sit. part. 1. tr.2.n.221.p.47

Possibilitas.

Sintne eadem possibilitas physica & vires eędem ad servanda mandata in statu naturæ lapsæ, ac fuerat in integra. part.1.tr.2.n.182.p.37

Quid de naturali possibilitate observationis mandatorum Dei sentiant adversatij. part.1.tr.1.n.55. & seq.p.11.& 12

Potentia.

Potentia Deo attributa in omnibus Sanctorum & Ecclesiæ precibus, gratiam Dei efficacem demonstrat. part.2.tr.4 n.659 p.214

Potentia obedientialis ad supernaturales actus est implicatoria. part.1.tr.7.n.33.p.215

Potentia ad dissentiendum stat in homine cum Deo efficaciter movente, non tamen stat ipse dissensus. part.2.tr.4.n.352.p.167

An homo gratia præveniente motus habeat potentiam ad oppositum. part.2.tr.4.n.314.p.160

An potentia alio indigens ad operandum semper sit incompleta & insufficiens. part. 2. tract. 3. n.57. & seqq.p.45

Homo lapsus habet potentiam & libertatem physicam ad non peccandum. part.1.tr.2.n.184.p.38

Per quid potentia naturalis constituatur in actu primo potens elicere actum supernaturalem. part.1. tr.7.n.77.p.221

Et per quid moveatur efficaciter ad exercitium. ibid.

Quid Magister Bannes senserit de potentia hominis naturali ad assentiendum articulis fidei revelatis. part.1 tr.4.n.142.p.109

Recentiores ut suam sententiam tueantur de potentia hominis lapsi ad vincendam quamlibet tentationem in particulari sine divino auxilio, falso ac perperam multos Patres ac doctores inducunt, quasi idipsum sentientes. part.1.tract.3.num.133. p.81

Potestas.

Sitne potestas in homine ut filius Dei fiat. part.1. tr.6.n.306 p.182

An æquè sit in nostra potestate accedere ad audiendam prædicationem fidei, ad irridendum, aut ad attendendum. part.1.tr.7.n.160.p.233

Præceptum.

An præceptum pœnitentiæ sit merè affirmatiuum. part.1.tr.2.n.215.p.45

Nullum præceptum difficile potest homo lapsus implere sine aliquo gratiæ auxilio. part.1.tract.2. n.237.p.51

Quid in præcepto dilectionis Dei præcipiatur. part.1. tr.1.n.65.p.13

An præceptum perpetuæ continentiæ possit per aliud auxilium impleri sine gratia justificante. part.1.tr.2.n.236.p.51

Cur non æquè possit homo lapsus quodcumque determinatè præceptum implere, sicut potest quodcumque singulare veniale peccatum evitare. part.1.tr.2.n.185.p.38

Dixerime S. Thomas quod possit homo lapsus sine gratiæ auxilio implere præceptum diligendi Deum super omnia quoad substantiam. part.1. tr.2.n.254.& seqq.p.53

Possitne præceptum imponi non habenti gratiam prævenientem. part.2.tr.4.n.308.& 309.p.159

An præceptum diligendi Deum includat in sua substantia ut diligatur super omnia. part.1.tr.2. n.246.p.53

Possintne ista duo concordari, quod nullum sit præceptum quod non possit observari prout occurrit, sine gratia & quod nullus possit diu in observatione præcepti difficilis perseverare, sine gratiæ auxilio. part.1.tr.2.n.234.& seqq.p.51

Sitne aut esse possit præceptum de peccatis omnibus collectivè servandis. part. 1. tr. 2. num. 210. & seqq.p.44

An ex eo quod præcepta naturalia dicantur proportionata libero arbitrio sequatur ea posse solis humanis viribus servari. part.1.tract.2.num.229. p.49

Quæ sint præcepta quæ servari non possunt sine gratiæ auxilio, etiam in particulari. part.1.tr.2. n.233.p.51

Sintne aliqua præcepta ita difficilia ut non possint etiam per breve tempus sine gratiæ auxilio servari. part.1.tr.3.n.128.p.79

Potest aliquod præceptum ita observari ut sit meritorium gloriæ, vel sic ut evitetur tantum pœna. part.1.tr.2.n.232.p.50

An præcepto pœnitentiæ teneantur etiam infideles. part.1.tr.3.n.237.q.83

Possitne homo præceptum supernaturale servare sine gratia. part.1.tr.2.n.99.& seqq.p.21

Prædefinitio.

Prædefinitionem ex scientia media, intolerabiliorem judicat Lessius, quam sit ipsa physica prædeterminatio. part.2.tr.4.n.452.p.183

An prædefinitio æterna Dei efficax admitti possit negata prædeterminatione in voluntate humana. part.2.tr.4.n.172.p.129

Prædestinatio.

Prædestinatio absoluta gratiæ Dei efficaciam convincit. part.2.tr.4.n.674.p.215

S. Augustini doctrina in materia prædestinationis & gratiæ, est ipsa Ecclesiæ doctrina. part.2.tr.2. n.63.p.23

Doctrinam S. Augustini in materia prædestinationis esse Ecclesiæ fidem asseruit Bellarminus. part.2. tr.4.n.420.p.177

Prædeterminatio.

Duplex distinguitur prædeterminatio, sicut & duplex indifferentia, & in quo utraque sit. part.2. tr.4.n.182.& seq.p.132

Debeatne prædeterminatio subjacere judicio rationis. part.2.tr.4.n.562.p.200

Possitne homo resistere prædeterminationi in sensu diviso. part.2.tr.4.n.360.p.168

Quod ait S. Prosper prædestinationem Dei sive ad bonum sive ad malum in hominibus operari, dici

Digitized by Google

dici ineptiſſime, quomodo intelligendum. part. 2. tr. 4. n. 492. & ſeq. p. 190
Quid de prædeterminanti auxilio gratiæ. part. 1. tr. 1. n. 21. p. 5
An S. Damaſcenus negarit expreſsè prædeterminationem qualem aſſerimus. part. 2. tract. 4. n. 494. p. 191

Prædicatio.

Prædicatio ad quid neceſſaria ſit ad fidem habendam. part. 1. tr. 4. n. 259. p. 128

Præmotio.

Negata præmotione efficaci ſeu prædeterminatione negatur efficaciſſimè libertas arbitrij. part. 2. tr. 4. n. 705. p. 221

Præparatio.

Præparatio ad gratiam efficacem eſt ab homine moto & excitato. part. 2. tr. 4. n. 320. p. 161

Præſcientia.

Præſcientia Dei ſeu ſcientia media nihil confert ad efficaciam aut inefficaciam gratiæ ſufficientis. part. 2. tr. 2. n. 17. & ſeqq. p. 14
Præſcientia Dei an habeat certum & determinatum objectum. part. 1. tract. ult. n. 63. p. 233
Præſcientia in quibus excedat prædeſtinationem & quid utraque ſit. part. 2. tract. 4. num. 569. & ſeq. p. 201

Prævaricator.

An cum omnes dicuntur prævaricatores, intelligendum ſit de peccato originali non de actualibus. part. 1. tr. 2. n. 157. p. 32

Principium.

An & quando diverſa principia conſtituant actum diverſæ ſpeciei. part. 1. tr. 7. n 141. & ſeq. p. 230
An in principio legis naturæ potuerint homines credere quæ proponebantur actu merè naturali, & ex ſolo concurſu generali elicito. part. 1. tr. 4. n. 12. p. 88

Privatio.

Privatio an pertineat ad generationem & quatenus part. 1. tr. 6. n. 142. p. 158

Privilegium.

Beata Virgo ſola dotata fuit privilegio, quo nullo modo peccare potuit. part. 1. tract. 1. numero 89. p. 19

Promiſſio.

Promiſſiones Dei non ſunt de noſtra voluntate ſed de ſua prædeſtinatione. part. 2. tract. 4. num. 641. p. 212
Promiſſiones Dei gratiæ illius efficaciam manifeſtiſſimè probant. part. 2. tr. 4. n. 641. p. 212

Propoſitio.

Propoſitiones nonnullæ circa gratiam efficacem fieri ſolitæ expenduntur, veræque à falſis ſecernuntur. part. 2. tr. 4. n. 166. p. 128
Propoſitiones nonnullæ ex Concilio Tridentino deductæ circa gratiæ prævenientis efficaciam expenduntur & explicantur. part. 2. tr. 4. num. 292. & ſeqq. p. 156
An & illis contrariæ admittantur à diſcipulis D. Thomæ. ibid. n. 296
Illuminatio & inſpiratio ſeu excitatio non eſt ſola præveniens gratia à Tridentino admiſſa. part. 2. tr. 4. n. 292. p. 156
Quomodo propoſitiones univerſales ſcripturarum ſalutem omnium, vocationem, redemptionem, &c. continentes ſint intelligendæ. part. 2. tract. 3. n. 251. & ſeqq. p. 84

S. Proſper.

S. Proſper efficaciſſimè gratiam ex Deo efficacem firmat. part. 2. tr. 4. n. 498. & ſeqq. p. 192
An ex S. Proſpero detur omnibus auxilium ſupernaturale ſufficiens. part. 2. tr. 3. num. 187. & ſeqq. p. 72

Providentia.

De Dei ſingulari erga hominem providentia, mens Caſſiani aperitur. part. 1. tr. 6. num. 462. & ſeqq. p. 203
Quanta ſit quamque mirabilis Dei in hominem providentia, & miſericordia. part. 2. tr. 6. n. 326. p. 185

Puer.

Pueri ſine baptiſmo decedentes etiam curantibus quantum in ſe eſt parentibus ut baptizentur, non baptizantur, quia Deus non vult, & qua ex cauſa id velit. part. 1. tr. 6. n. 298. p. 181
An ex eo quod teneatur puer ad uſum rationis perveniens, ſe convertere ad Deum, ſequatur habere illum auxilium ſupernaturale ſufficiens. part. 2. tr. 3. n. 278. p. 91

Q

Quantitas.

QVantitas gratiæ habitualis quæ peccatoris infunditur, & quantitas augmenti illius poſt juſtificationem, unde menſuretur. part. 2. tract. 4. n 92. p. 116
Quantitas cooperationis arbitrij qua homo diſponitur ad juſtificationem, vel poſt illam ad augmentum gratiæ & charitatis ex quo menſuretur. part. 2. tr. 4. n. 93. p. 116. & n. 106. p. 118
An quantitatem prævenientis gratiæ menſurent Recentiores ex quantitate conatus noſtri. part. 1. tr. 6. n. 170. p. 163

R

Ratio.

RAtionis ductum an qui ſequitur ſit certo illuminandus à Deo ubicumque degat, & juſtificandus, & quid ſit ſequi ductum rationis. part. 1. tr. 6. n. 372. & ſeqq. p. 190
An & qua ratione homo potuiſſet ſervare præcepta in ſtatu naturæ integræ, ſine auxilio ſupernaturali. part. 2. tr. 5. n. 22. p. 226
Eſt de ratione gratiæ, quod non omnibus detur. part. 2. tr. 3. n. 205. p. 77
Sitne de ratione potentiæ proximæ ut nihil ei ſuperſit addendum aut ſubtrahendum. part. 2. tr. 4. n. 307. p. 159

Recentiores.

Recentiores negantes prædeterminantem gratiam libertatem deſtruunt, quam extollere ſatagunt & Calvino conſentiunt, quem fugere ſe profitentur. part. 2. tr. 4. n. 706. p. 221
Recentiores conveniunt cum Calvino, dum dicunt gratiam prævenientem ſolam eſſe excitantem. part. 2. tr. 4. n. 330. p. 163

Quid

Digitized by Google

Quid intelligant Recentiores nomine *totius* dum asserunt facienti totum quod in se est Deum non denegare gratiam. part.1.tr.6.n.101.p.150
Quomodo Recentiores defendant posse hominem solis suis viribus omnibus revelatis assentiri tanquam revelatis, & quæ sint eorum fundamenta. part.1.tr.4.n.1.& seqq.p.86
Et de quo assensu intelligant. ibid.n.3.& 4
Quod Recentiores nullum admittant auxilium efficax gratiæ. part.2.tr.4.n.34.& seqq.p.106
Per quid contendant Recentiores, differre se à Pelagianis & Semipelagianis, dum defendunt, quod facienti quod in se est, gratia detur ex certa lege. part.1.tr.6.n.72.p.145
Iidem confutantur. ibid.n.73.& seqq.
Quod Recentiores asserant reipsa quod faciens quod in se est ex solis naturæ viribus, operatur ut oportet ad salutem. part.1.tr.6.n.140.p.157
Quod Recentiores asserentes facienti quod in se est Deum non denegare gratiam, non effugiant damnationem Conciliorum ut suam sententiam temperent. part.1.tr.6.n.148.p.159
Quod Recentiores sola voce negent id ipsum quod habent cum Pelagianis & Semipelagianis commune, circa potentiam hominis ad credendum revelatis prout revelatis. part.1.tract.4.num.35. p.91

Regula.

Regulæ fidei quas Concilium Tridentinum proponit, gratiæ prævenientis efficaciam definiunt. part.2.tr.4.n.319.& seqq.p.161
Quæ sit regula servanda ut concordent & quæ in scripturis videntur omnia ponere in libertate arbitrij creati, & ea quæ Deo operanti, trahenti, compellenti, &c. omnia tribuunt. part.2.tr.4. n.247.& seqq.p.146

Remedium.

An Deus præparaverit omnibus sufficientia remedia quibus resurgant à peccatis. part.2.tract.3.n.114. p.59

Reprobatio.

Reprobatio Esaü, an ab ipso fuerit an vero à Deo. part.2.tr.4.n.435.& seqq.p.180
An ex Apostoli mente Deus absque prævisis operibus prædestinet aut reprobet quos voluerit. part.2.tr.4.n.231.p.143

Revelatum.

Assentiri revelatis prout revelatis proprietas est intrinseca Christianæ fidei. part.1.tract.4.n.115. p.105
Non posse hominem revelata credere solis naturæ viribus, tanquam à Deo revelata probatur, tum rationibus, tum authoritate S. Thomæ. part.1. tr.4.n.69.& seqq.p.98
Docueritne Cajetanus posse hominem credere revelatis prout revelatis. part.1.tract.4.num.131. & 132.p.108
Non potest homo solis naturæ viribus assentiri omnibus revelatis tanquam à Deo revelatis, & quia revelatis. part.1.tr.4.n.21.& seqq.p.89

S

Sacramentum.

SAcramenta an præter Eucharistiam, indignè participans, peccet tantum contra Religionem. part.1.tr.2.n.128.p.26

Sacrificium.

Quæ sit sacrificij ratio, & quod illa probet gratiæ divinæ efficaciam. part.2.tr.4.n.658.p.214

Salus.

Salus prima animæ est ut sibi incipiat displicere sequens vero ut sanari desideret, & à quo sananda sit noverit. part.1.tr.5.n.9.p.131
Salus Religionis nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, & an per hæc verba statuatur initium salutis esse ex nobis. part.1.tr.6.n.445.p.201
Salutem esse in manu nostra dum sumus in via, an sit idem, quod initium salutis sit ex nobis. part.1. tr.6.n.75.p.145
Et quod id apertis conclusionibus sequatur ex assertione adversariorum. ibid.n.79.p.146
Sitne salus nostra posita in nostra potestate & quomodo. part. 1. tract. 6. numero 302. & seqq. p.182
Non datur nobis conantibus pro viribus nostris, gratia qua operemur salutem, sed ut conemur prout oportet. part.1.tr.6.n.93.p.148
An quando salus omnium, vocatio, redemptio & in scriptura enuntiatur de solis illis intelligendum sit, quibus Evangelium prædicatur. part.2. tr.3.n.250.& seqq.p.85
De nullius salute est desperandum quandiu est in hac vita. part.2.tract.3.n.141.p.64
Duplex est nostræ salutis initium, & quodnam ac in quo utrumque sit. part. 1.tract.8.num.59. p.271

Sanctus.

Sancti in gratia confirmati Christo excepto, beatissimaque Virgine, non fuerunt impeccabiles, imò de facto peccaverunt venialiter. part. 2.tract.5. n.46.p.230
Nulli Sancti, præter Beatam Virginem, immunes fuerunt à peccato veniali. part.1.tract.1.num.90. p.19

Sapientia.

Quid sit sapientiam foris prædicare, & in plateis dare vocem suam. part. 2. tract. 3. numero 254. p.86

Schola.

Quid schola Lovanienſis & Duacensis statuerint de gratia danda vel non danda facienti quod in se est. part. 1. tract. 6. numero 439. & seq. p.199

Scholasticus.

Scholastici Doctores quomodo definiant actus virtutum infusarum, tam quoad modum, quam quoad substantiam. part.1. tract.1. n.7.p.3
Scholastici doctores ponentes hominem sine gratia posse omnia mandata servare, quo sensu sint locuti. part.1.tr.2.n.144.& seqq.p.29
Scholastici à recentioribus inducti ad firmandum, Deum ex certa lege dare gratiam facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, id minimè asseruerunt, & explicatur quæ fuerit eorum mens in locis adductis. part. 1.tract. 6.n. 389. & seqq. p.193
Et quod multa quæ recensentur eis imponantur quasi ab eis dicta, quæ tamen nullus eorum dixit. ibid.n.390.& seqq.
Nullus scholasticorum doctorum asseruit posse hominem lapsum sine auxilio gratiæ resistere gravi tentationi cum his quæ ab authore *Concordiæ* requiruntur,

Digitized by Google

quiruntur & quænam hæc ſint. part.2. tract.3. n.168.p.86

Scientia.

Scientia media aut congrua vocatio nullum habent locum in converſione hominis ad Deum. part.2. tr.4.n.412.p.176

Scotus.

Tenueritne Scotus cum modernis fidei infuſæ habitum non eſſe neceſſarium ad credendum firmiter facile & diſcrete revelata prout revelata. part.1. tract.4. num.194. & ſeqq. pag. 117

Scriptura.

An ſcripturæ loca aſſerentia Deum humanam voluntatem, convertere, transferre quo vult &c. de ſola objecti propoſitione, vel alterius affectus impreſſione queant intelligi. part. 2. tr.4.n.213. p.140

Semipelagiani.

Semipelagianorum doctrina de gratia cum ea quæ recentiorum eſt, comparatur. part.2.tract.2.n 78. p.25

Sententia.

Sententia aſſerens facienti quod in ſe eſt, gratiam ex certa lege dari, non excuſatur ex eo quod dicat illam gratiam dari ex merito Chriſti, imò eo magis Pelagianum errorem tegit. part.1.tr.6. n. 216. & ſeqq. p.169

An ſententia recentiorum ſatis ſalvetur ex eo quod dicant id quod facit homo ſolis ſuis viribus non eſſe ordinis ſupernaturalis, licet aſſerant & gratiam certa lege deberi, quia faciet quod in ſe eſt. part.1.tr.6.n.144.p.158

Recentiorum ſententia aſſerentium poſſe hominem lapſum ſolis ſuis viribus cuilibet tentationi reſiſtere in particulari ſtatuit & hunc illam vincere meritorie. part.1. tract.3. num. 87. & ſeqq. pag. 72

Quod ſententia recentiorum ſtatuens gratiam dari ex certa lege facienti quod in ſe eſt, apertè ſtatuat gratiam ex merito dari, apertè explicatur, & convincitur. part.1. tract.6. num.224. & ſeqq. p.170

Quæ ſit Molinæ & ſequacium ſententia de dono perſeverantiæ, & quam aliena à vero. part.2. tr.5. n.52.p.232

Similitudo.

Sitne omnimoda ſimilitudo inter Deum utentem libero hominis arbitrio ut inſtrumento, & artificem utentem ſerra aut ſecuri ad ſecundum. part.2.tract.4. num.631. pag.211

Simultas.

An ſimultas naturæ inter gratiæ cooperationem & noſtram ſit poſſibilis. part. 1. tract.8. num. 83. pag.276

Sol.

Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt &c. part. 2. tract. 3. num. 122. pag. 61

Species.

An ſpecies intelligibiles rerum ad fidem pertinentium fiant effectivè à ſola facultate naturæ. part.1. tr.7.n.161.p.233

Debeantne ſpecies dividentes genus diſtingui realiter ab invicem, an tantum formaliter. part. 2. tract. 3. numero 113. pag. 58

Spes.

Spei actus an ſit ſupernaturalis probatur. part.1.tr.1. n.9.p.3

Spei actus attingit ipſum Deum cujus auxilio innititur. part.1. tr.1. n.30.p.7

Spiritus.

Spiritus Dei quomodo agere dicatur eos qui ſunt filij Dei, & quis ſit ille ſpiritus. part.2.tr.2.n.19. pag.3

Quid ſit ſpiritum Dei pro nobis interpellare. part.2. tr.4.n.217.p.141

Quod aliqui ſpiritui ſancto reſiſtant, manifeſtè probat gratiam aliam eſſe efficacem aliam tantum ſufficientem. part.2. tr.2. n.107.p.32

Quare dicatur ſpiritus ſanctus, in ſcripturis, facere quæ nos facimus. part.2.tract. 4. num. 218. pag.141

Quomodo ſpiritus ſanctus dicatur in ſanctis loqui, non verò eos loqui. part. 2. tract. 4. num. 217. p.141.

Stapletonius.

Stapletonius malè de divina gratia eſt locutus & ad Semipelagianos accedit. part.2.tract.4.num.614. pag.208

Status.

An homini in ſtatu naturæ lapſæ ſufficiant ea auxilia ad perſeverandum, quæ ſuffeciſſent in ſtatu naturæ integræ. part.2.tr.5. num.27. & ſeqq. p.227

An homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet ſine gratia habituali non peccare venialiter. part. 2. tr. 4. n.24.p.226

Cur ſi potuiſſet homo in ſtatu naturæ integræ ſervare præcepta quoad ſubſtantiam, ſine auxilio ſupernaturali, non potuiſſet etiam in ſtatu quo creatus erat perſeverare. part. 2. tr.5.n.25.& 26. p.227

An homo in ſtatu naturæ integræ indigebat auxilio ſupernaturali, ad exercendas virtutes naturalis ordinis. part. 2. tract.5. numero 10. & ſeqq. pag.226

Supernaturalitas.

Supernaturalitas in actibus ad quid ſit neceſſaria. p.1. tr.4.n.228.p.123

Supernaturalitas auxilij gratiæ à Deo conceſſa ponitur modo impoſſibili, à recentioribus. part.1. tr.7.n.145.p.230

Et hanc impoſſibilitatem vidit Suarez. ibid. numero 146. pag. 231

T

Talentum.

TAlentorum parabola quid exprimat. part.2.tr.4. n.109. & ſeqq.p.119

Tapertius.

Tapertij mens de gratia danda facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. part. 1. tract.6. num.417. pag.196

Ruardus Tapert gratiam prædeterminantem egregie defendit. part.2.tr.4.n.627.p.209

Docet Deum movere & applicare intellectum & voluntatem ad agendum, & uti humanis voluntatibus

Digitized by Google

bus tanquam instrumentis. part. 2. tr. 4. n. 627. & seqq. p. 210
Et contrariam sententiam apertè reprobat. ibidem.

Tempus.

Tempus est nullum in quo non egeamus divino auxilio. part. 1. tr. 3. n. 58. p. 66

Tentans.

Qui dat tentanti licentiam dat & tentato misericordiam. part. 1. tr. 3. n. 55. p. 66
Vnde sit ut è duobus æqualiter tentatis alter cadat alter verò permaneat. part. 2. tr. 4. num. 466. & seqq. p. 185
Quod Deus non patiatur nos tentari supra id quod possumus, quo sensu veniat intelligendum. part. 1. tr. 3. n. 53. & seqq. p. 65

Tentatio.

Si tentationes propriis viribus possumus superare frustra oramus ne inducamur in tentationem. p. 1. tr. 3. n. 72. p. 69
Tentatio etiam moderata & mediocris non potest ab homine sustineri sine Dei auxilio. part. 1. tr. 3. n. 77. p. 70
Tentatio quot quibusve modis dicatur gravis. part. 1. tr. 3. n. 44. p. 63
Tentationi nemo potest resistere sine Dei gratia illam perfectè, vincendo, & cum merito. part. 1. tr. 3. n. 47. p. 63
Tentationem vehementem non potest etiam justificatus superare sine auxilio gratiæ actualis. part. 1. tr. 3. n. 47. p 64
An si homo lapsus non possit sine gratiæ auxilio resistere gravi tentationi, sequatur indè depressio mysterij redemptionis. part. 1. tract. 3. num. 141. pag. 82
Ad resistendum vehementi tentationi facillimè licèt non meritoriè, requiritur magnum auxilium actualis gratiæ. part. 1. tract. 3. numero 49. pag. 64
An si non possit homo resistere tentationi gravi sine gratiæ auxilio, tanta sit impotentia in homine justo per gratiam gratum faciente, quanta est in homine peccatore sine gratia. part. 1. tr. 3. n. 145. p. 83
Quando contra tentationes dimicamus, quamvis illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa sed ex adjutorio Dei nostra provenit victoria. part. 1. tr. 3 n. 59. p. 67
Posse hominem solis suis viribus tentationibus etiam gravibus resistere tenuit Molina, quibusque fundamentis nixus fuerit. part. 1. tract. 3. n. 5. & seqq. p. 56. ad 60
Quod non possimus omnes tentationes superare non provenit ex defectu libertatis, sed ex defectu virium. part. 1. tr. 3. n. 92. p. 74
Quod præcisè petamus, cum oramus ne inducamur in tentationem. part. 2. tract. 4. num. 409. p. 175
Cur tentationem cito transeuntem possit homo suis viribus repellere prolixam verò non potest part. 1. tr. 3. num. 123. p. 78
Dupliciter potest de tentatione victoria reputari. part. 1. tr. 3. n. 50. p. 64
An si homo non possit gravi tentationi resistere sine gratiæ auxilio, sequatur hominem lapsum consentiendo non peccare, part. 1. tract. 3. n. 140. p. 82
An urgente gravi tentatione qui assensum continet, habeat se aut habere possit merè negativè. part. 1. tr. 3. n. 138. p. 82
Quæ fuerit Pelagij mens de potestate hominis lapsi ad vincendas tentationes, & quid per eum gratia Dei tentatis conferat. part. 1. tr. 3. num. 38. & seqq. p. 62
Gravibus tentationibus collectivè nemo resistit, etiam cum difficultate & sine merito, absque speciali Dei auxilio. part. 1. tract. 3. num. 51. pag. 64
Qui dicunt posse tentationes etiam graves & diuturnas ab homine vinci sine Dei auxilio, consentiunt cum Pelagio. part. 1. tract. 3. num. 38. p. 62
Qui uni tentationi resistit alteri succumbendo non propriè resistit, sed peccatum peccato ex appetitu & inclinatione vincit. part. 1. tr. 3. num. 44. pag. 63
Quibus quotve modis possit quis resistere tentationi etiam gravi. part. 1. tract. 3. num. 42. & seqq. pag. 63
Cuilibet gravi tentationi in particulari non potest homo resistere sine gratiæ auxilio. part. 1. tr. 3. n. 52. & seqq. p. 65
Potest homo in natura lapsa resistere levi tentationi solis suis viribus. part. 1. tract. 3. numero 45. pag 63
An superare gravem aliquam tentationem non tamen omnes, sit propriè tentationem vincere, & de illa victoriam referre. part. 1. tract. 3. num. 65. pag. 67
Asserentes posse ab homine lapso vinci tentationes etiam difficiles sine Dei auxilio, cum Cassiano loquuntur & pejus eo sentiunt. part. 1. tr. 3. n. 28. & seqq. p. 60
Et conferuntur ibidem utrorumque sententiæ tentationi ex objecto levi, aliquatenus tamen difficili ex suggestione dæmonis potest homo lapsus resistere cum Dei providentia naturalis ordinis. part. 1. tr. 3. n. 46. p. 63
An homo tentationem vincens solis suis viribus pro servanda lege naturæ sit martyr. part. 1. tr 3. n. 88. & seqq. p. 72
An gravis insurgens tentatio tollat homini libertatem si non posset cohibere consensum sine gratiæ auxilio. part. 1. tr. 3. n. 139. p. 82
Necessario omni tentationi subjicitur quicumque à Deo fuerit derelictus. part. 1. tract. 3. num. 79. pag. 70
An si homo in quolibet instanti, non potest suis viribus quamlibet tentationem etiam maximam superare, tunc pro illo instanti non sit liber adeoque non peccet. part. 1. tract. 3. num 92. & seqq. pag. 74
Nemo tam fortis ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Deus ei adjutor assistat. part. 1. tract. 3. num. 78. pag. 70

Testimonium.

Testimonia S. Augustini per recentiores allata, ut probent posse hominem suis solis naturalibus credere revelatis prout revelatis expenduntur, addita adversariorum argumentorum solutione. part. 1. tract. 4. à n. 162. ad 188. p. 13. & seqq.
Multa S. Augustini testimonia ab adversariis opponi solita referuntur & explanantur. part. 2. tract. 4. n. 439. & seqq. p. 180
Variis testimoniis hi actus supernaturales esse quoad substantiam probatur. part. 1. tr. 1. n. 32. 33. & seqq. pag. 7. & 8

Digitized by Google

Theologus.

Theologi cum dicunt hominem in solis naturalibus includunt sub illis auxilia extrinsecè,& qualia illa sint. part.1.tract.6.numero 459.& 460. pag.202

Theologi statuentes posse hominem se solo credere quoad substantiam actus quomodo intelligendi. part.1.tr.4.n.112.p.104

Quæ sint Theologorum sententiæ circa concessionem vel denegationem auxilij sufficientis. part.2. tract.3. num.114.p.58

S. Thomas.

S.Thomas etiam ex adversariorum sententia,influxũ prævium ex Deo efficacem in causas secundas docuit. part.2.tr.4.n.507.& seqq.p.194

S. Thomas totus est in defendenda divinæ motionis efficacia prædeterminante. part.2.tr.4. num.511. p.194

Docueritne S. Thomas motionem Dei non esse influxum in causas secundas, sed immediatè cum illis in ipsarum operationes. part.2.t.4.num.534. p.197

Quo sensu veniat intelligendus S. Thomas dum ait esse in homine naturale desiderium videndi Deum. part.1.tr.5.n.14.p.131

Thomistæ cujusdam recentioris opinationes, circa gratiam efficacem expenduntur & refelluntur, part.2.tr.4.num.119.& seqq.p.120

Senseritne S. Thomas, Deum nemini auxilium supernaturale sufficiens denegare.part.2.tr.3.n.197. & seqq.p.74

Falso tribuitur S. Thomæ quod docuerit posse hominem lapsum omnia divina mandata implere sine aliquo gratiæ auxilio. part.1.tr.2. n.145. & seqq. p.30

Quæ sit expressa sententia D. Thomæ circa gratiam operantem, ejusque effectus. part.1. tr. 8. n. 76. p.275

Quo sensu dictum sit à S. Thoma, minutissima quædam non esse à Deo prædefinita. part.2. tr.4. n.560.p.200

Docueritne S. Thomas actus nostros liberos, esse tantum à Deo præscitos non autem prædefinitos. part.2.tr.4.n.565.& seqq. p.201

Fueritne mens S. Thomæ quod Deus certa lege det gratiam facienti quod in se est ex suis naturalibus. part.1.tr.6.n.353.& seqq.p.188

Et quæ sit expressa illius mens. ibid.fusè.

Quid sit hominem facere quod in se est, ex Sancto Thoma. part. 1. tract. 6. num. 360.& seqq. pag.188

Et qua ratione det Deus gratiam sic facienti. ibid.

An S. Thomas aliquando usurparit nomen auxilij sufficientis pro efficaci. part.2. tr.3. n.6. & seqq. pag.37

Senseritne aliquando S. Thomas posse hominem diu sine auxilio gratiæ omne peccatum vitare. part.1.tr.2.n.213. & seqq.p.45

An S. Thomas mutaverit sententiam de absoluta impeccabilitate B. Virginis. part. 2. tract. 5. num. 52. pag. 232

Traho.

Quomodo verificetur quod nemo possit ad Christum ire nisi pater traxerit eum.part.2.tr.4.n.237. & seqq.p.144

An tractionem tantum congruam insinuet ille locus. ibid.n.237.& seqq. p.145

Et quis sit germanus illius intellectus ex August. ibid.n.240

Quod verè efficacem ex Deo gratiam adstruat non autem solam possibilitatem operandi datam à Deo. ibid.n.241.& seqq.

Efficacia divini auxilij homines trahentis ex Deo multis scripturæ locis firmatur. part. 2. tract. 4. num.237. & seqq. pag.144

V

Valentia.

VAlentia circa propositionẽ istam facienti quod in se est Deus non denegat gratiam quomodo eam sit interpretatus per quatuor propositiones & quomodo defendat eas Catholicus unà cum prædicta. part. 1. tract. 6. numero 43. & seqq. pag. 141

Qua etiam ratione,quibusve ex capitibus eam censuerit Pelagianam. ibid.num.46. &seqq.

Vega.

Senseritne Vega posse quemlibet viatorem secundum legem converti, benè utendo suis naturalibus. part.1.tr.6.n.415.p.196

Verbum.

Verbum *dissentire* quo sensu usurpetur à Concilio Tridentino. part. 2. tract. 4. numero 349. pag.166

Verbum *compello* cum de Dei auxilio agitur quid sonet, & an tollat arbitrij libertatem. part.2. tr.4. n.249.p.147.

Via.

An eo quod universæ viæ Domini misericordia sint & veritas, rectè colligatur dari omnibus auxilium supernaturale sufficiens. part.2. tr.3. n.273. p.70

Viator.

Perdifficile est explicare quomodo viator, fieri possit absolutè & simpliciter impeccabilis. part. 2. tract.8. num.48. & seqq. pag.231

Vires.

An sicut potest quis solis naturæ viribus habere actum falsæ fidei, possit etiam habere actum veræ fidei. part.1.tr.4.n.124.p.106

Est impossibile solis viribus naturæ assentiri omnibus articulis fidei. part.1. tract.4. numero 120. p.106

Sintne ex solis viribus naturæ omnia quæ præcedunt gratiam justificantem,in sententia Pelagianorum. part. 1. tract.6 num.487. pag.207

B. Virgo.

Beata Virgo sola omni ex parte mandata Dei implevit. part.1.tr.2.n.60.p.12

B. Virgo Maria fuit in gratia confirmata etiam in via habuit perfectam libertatem non potuit in sensu composito nec venialiter peccare, & fuit secundum quid impeccabilis. part.2. tr.5. n. 46. p.230

Fueritne B. Virgo Maria absolutè & simpliciter impeccabilis, controversia est inter Theologos. part.2.tr.5.num.46.p.231

Et quæ sint utrorumque rationes. ibid.

Virtus.

An virtus liberi arbitrij ad hoc se extendat, ut possit

Digitized by Google

sit finaliter perseverare in bono. part.2.tr.5. n.10. p.225

Quod detur virtus humilitatis probat & dari gratiam ex Deo efficacem. part.2.tr.4. numero 650. p.213

Ex eo quod sit virtus spei, convincitur dari gratia ex Deo efficax. part.2. tract. 4. numero 649. pag. 213

Politicæ etiam virtutes difficiliores haberi non possunt ab homine lapso, sine aliquo Dei auxilio. part. 1. tr.2.n.241.p.52

Actus virtutum infusarum &c. sunt quoad substantiam, & non quoad modum supernaturales. part.1.tr.1.n.34.p.8

Vis.

An & quando qui per vim & metum baptismum suscipit, verè baptizetur, & an in casu id possit sine auxilio gratiæ Dei. part. 1. tract.2.n.124. pag.26

Visio.

An gradus visionis beatificæ attendatur secundum ordinem naturæ an tantum secundum lumen gloriæ. part.2.tr.4.p.114.p.119

Vitis.

Quod Christus dicat se vitem nos vero palmites apertè efficax ex Deo auxilium demonstrat. part.2. tr.4.n.220.p.141

Vocatio.

Vocatio ex S. Augustino gratiam tum excitantem, tum prævenientem includit. part.2.tr.4.num.461. p.183

Vocatio duplex est, altera efficax, & sufficiens altera. part.2.tr.2.n.100. p.31

Vocatio congrua non est sufficiens causa efficaciæ auxilij de se tantum sufficientis. part.2.tr.2.n.17. p.14

Et in quo consistat illa congrua vocatio, ex mente adversariorum. ibid.

An vocatio gratiæ sit ubi Evangelium non est prædicatum. part.2.tr.3 n.189.p.72

Congruitas vocationis tollit certam futurorum notitiam, tollit libertatem, & possibilitatem conversionis. part. 2. tr. 2. n.90.& seqq.p.28

Tollit omnem gratiam, & omnia reducit ad vires naturalis arbitrij. part.2.tr.2.n.92. p.29

De sua vocatione congrua non consentiunt adversarij & in quo eam statuerit Lessius. part.2. tract.4. n.451. & seqq. p.183

Et sitne illa tolerabilior, quam aliorum. ibid.n.453

Est revera contra SS. Augustinum & Thomam & negat re ipsa gratiam efficacem quam videtur adstruere. ibid. n.454.& seqq.p.184

Suam de congrua vocatione sententiam ut tueantur adversarij, S. Augustino conantur affingere. part.2. tr.4. n.459. p.184

An possit defendi congrua Dei vocatio, negata prædeterminatione voluntatis. part.2.tr.4. num.172. p.129

Si vocatio divina est effectrix bonæ voluntatis & omnis vocatus eam sequitur, quomodo verum erit quod multi sint vocati pauci vero electi. part.2.tr.4. n.439.& seqq.p.180

Congruitas vocationis per scientiam mediam semper fuit damnata à S. Augustino. part.2. tract.4. n.450.p.183

Duplex vocatio distinguitur, & in quo utraque sit. part.2.tr.4. n.436. p.180

Vocationem congruam adstruentes, ut motionem ex Deo efficacem tollant, divinis literis adversantur & tollunt Dei omnipotentiam. part. 2. tract. 4. numero 201. pag. 137

An infidelibus quibus negata fuit prædicatio Evangelij, data sit vocatio gratiæ. part.2. tr.3.n.164. & seqq. p.68

An vocatio interna sit actus hominis. part.1.tract.7. n.159.p.233

An vocatio interna pendeat aliquo modo à ministris Ecclesiæ. part.1.tr.7. n.162.& seqq.p.233

Quod vocatio interna sive ad fidem sive ad pœnitentiam non pendeat à libero hominis arbitrio, contra id quod sequitur ex recentiorum doctrina. p.1. tr.7.n 147.& seqq.p.231

Et quibus id argumentis illi probare nitantur. ibid.

Quodque hæc illorum doctrina sit in terminis illa ipsa quæ damnata in Cassiano Semipelagiano. ibid.n.150.& seqq.

Quod hanc SS. Augustinus Prosper &c. apertè condemnent. ibid.n.154.& seqq. p.232

Quodque ex ea involuatur contradictio in eo quod contendunt vocationem esse Dei donum. ibid. num.158

Nec congrua vocatio est in hominis potestate nec potest ei voluntas resistere. part.2. tr.5.n.711. & 712.p.222

An S. Augustinus congruam vocationem agnoverit qualem volunt recentiores. part.2.tr.4.n.435. & seqq. p.180

Et in quo sit ex illo congrua illa vocatio. ibid. n.454.p.184

Congruitas gratiæ & vocationis, à quo sit & ex quibus. part.2.tr.4.n.447.& seqq.p.182

Triplex distinguitur congrua vocatio, & an aliqua ex his admittenda sit. part.2.tr.4.n.451.p.183

Vocatus.

Exemplo vocatorum & conversorum efficaciter ad Deum, gratiæ divinæ probant efficaciam. part.2. tr.4.n.677. p.216

An quod ex duobus similiter vocatis alter gratiam acceptet alter respuat, ex sola libertate arbitrij proveniat. part.1. tr.4.n.11. p.102

Quid sit Deum vocare eos quibus misereatur, quomodo novit eis congruere. part.2.tract.4.n.448. p.182

Quod ad consentiendum Deo vocanti, requiratur præveniens auxilium. part.1. tract.7.num.325. p.256

Quod quidam vocentur, alij reprobentur, quidam repente surgant, alij prolabantur, nemo est idoneus eorum reddere rationem. part. 1. tr.6. num. 121. p.154

Quomodo vocati, vocatione tantum communi, venire potuerint, illisque imputetur quod non venerint. part.2.tr.4.n.463.p.185

Volens.

An ex eo quod dicatur *non est volentis neque currentis* & Deus & voluntas humana statuantur causæ partiales, Deus tamen potiores partes obtineat. part.2.tr.4. n.230.p.143

Ex eo quod non sit *volentis neque currentis sed Dei miserentis*, auxilium ex Deo efficax demonstratur. part.2.tr.4.n.221.& seqq.p.142

Et quæ sit germana loci illius interpretatio ac quibus expositionibus vim illius eludere nitantur adversarij. ibid.

An de sola prædestinatione ad gloriam possit verificari. ibid.n.223

An posset similiter verificari de actione peccati, quod non sit volentis &c. ibid.n.227

An ideo dicatur non esse volentis &c. quia non sufficit

Digitized by Google

sufficit sola voluntas humana sine Dei misericordia. ibid.n.228.p.143

Volitio.

Volitio finis an & quatenus sit meritoria. part.1. tr.8.n.65.& seqq.p.172

Quod simplex volitio per modum naturæ finis sit effectus gratiæ operantis. part. 2.tr.8.num.47. & seq.p.270

Voluntas.

Voluntas etiam & ipsa operatio non sola volendi aut operandi possibilitas adjuvatur. part. 2. tr. 2. n.83.p.27

An voluntas incipiat in nobis bonum opus,& illud Dei adjutorium perficiat, & an fuerit hæc mens D. Hieronymi. part. 1. tract.6.num.442.& seqq. p.200

An ex eo quod dicatur Deus præparare voluntatem adjuvandam & adjuvare præparatam sequatur quod gratia adjuvans à præveniente distinguatur. part.1.tr.7 n.276.p.248

Sitne voluntas Patris absoluta, ut omnes quos dedit filio absolutè salventur. part.2.tr.4.num.57. & seq.p.110

Possitne voluntas creata non præmota, sed habens intimam Dei assistentiam operari,& an actus ille divino imperio,ac providentiæ subjaceret.part.1. tr.7.n.42.& seqq.p.216

An voluntas per operantem gratiam moveatur tantum passivè part.1.tr.8.n.64.p.272

Duæ sunt voluntates in Deo, & quid ac quomodo unaquæque operetur. part. 2. tract. 4. num. 496. p.191

Quam efficaciter subventum sit humanæ voluntatis infirmitati, ne deficeret. part. 1. tr. 4. num.407. p.175

An creata voluntas per hoc solum quod assumitur à Deo & subordinatur ejus voluntati, possit efficere opus supernaturale, sine firma motione aut qualitate prævia sibi inhærente. part. 1. tract. 7. n.16.& seqq.p.212

Debeatne voluntas nostra præcedere ut sic gratia sequatur juxta illud Evangelicum petite & accipietis, &c. part.1.tr.6.n.129.p.156

Voluntas unde bona sit aut mala. part.2.tr.4.n.83. p.114

An & quomodo voluntas humana, ex mente adversariorum sit causa efficaciæ auxilij sufficientis. part. 2. tract. 2. num. 3. & seqq. *totoque cap. seq.* p.12.& seqq.

Qua ratione voluntas humana moveatur à gratia præveniente. part.2.tr.4.n.25.p.105

An voluntas prædeterminata per auxilium sit potentia proxima & expedita. part.2.tract.4.n.307. p.159

An voluntas Christi Domini indiguerit adjutorio efficaciter illam movente ad sua opera. part.2. tr.4.n.209.p.139

Deus præparat voluntatem adjuvandam & adjuvat præparatam. part.2.tr.4.n.103.p.118

Voluntas non se movet ad primum velle, sed est simpliciter mota. part.1.tr.8.n.65.p.272

Deum præparare voluntatem adjuvandam & adjuvare præparatam quo sensu intelligendum sit. part.1.tr.7.n.346.& 347.p.258

An si voluntas humana poneretur operari, sine Deo efficaciter præmovente operaretur illa majori cum libertate. part. 2. tract. 4. numero 422. p.177

Opereturne voluntas eo quod Deus vult, an vero contra cooperetur illi Deus, quia illa operatur. part.2.tr.4.n.117.p.120

Inchoat Deus in homine voluntatem bonam, & adjuvat inchoatam. part. 1. tract.7.numero 287. p.250

Voluntas libera nihil meliùs agere potest, quam ut se commendet illi, qui malè agere non potest. part.2.tr.4.n.216 p.141

Duplex est voluntatis præparatio, & in quo quæque consistat. part.1.tr.7.n.348.p.259

Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa renovetur ac reformetur à Deo. part.1.tr.4.n.64.p.96

Possitne propria voluntas per se movere intellectum ut assentiatur rebus fidei. part. 1. tr. 4. num.222. p.122

Possitne cum habitu acquisito. ibid.

Quomodo dicatur Deus non expectare voluntatem nostram ut purgemur à peccato ex mente adversariorum. part.2.tr.4.n.34.& seq.p.106

Et quam falsa sit eorum explicatio. ibid.n.40

Quodque in eo sit Semipelagianorum error. ibid. n.42

Possitne voluntas facere ut immobiliter se habeat in eo quod vult, & elegit. part.2.tract.5.n.11. p.225

Voluntas divina in nullo determinari potest, à causa secunda, secus causa creata; hæc enim indiget determinari ab extrinseco. part.2. tr. 4.num.511. p.194

Non potest voluntas ferri in bonum quod latet vel quod non delectat. part. 1. tract. 7. numero 349. p.259

Voluntatis bonæ initia solis naturæ viribus habita, non tamen ad salutem incipiendam aut perficiendam sufficientia admittebant Pelagiani. part. 1. tract.4.n.40.p.92

Admittebat illa eadem eodemque modo Cassianus, nec tamen id potuit utrosque à damnatione excusare. ibid.n.41.& seqq.

Si voluntas humana non determinatur à motione divina tollitur, omnis scientia futurorum contingentium, imò & ipsa omnipotentia. part. 2. tr.4.n.170.p.129

Et qui illam negat, negat efficaciam divinæ voluntatis, divinam providentiam, &c. part.2.tr.4. n.171.p.129

Habeatne voluntas humana dominium in suos actus & quale. part. 2. tr. 4. n.548.p.199.& num.579. p.202

An pendeat à libera hominis voluntate quod accedat ad Christum. part.2.tract.4.num.55.& seqq. p.109

An voluntas possit se & habitum infusum excitare ad operandum supernaturaliter. part. 2. tract. 1. n.139.p.7

An sit infallibile voluntatem nunquam bene operaturam per auxilium sufficiens. part.2.tr.3.n.101. p.56

Voluntas Dei prima & summa causa est omnium specierum atque motionum. part. 2.tr.4.n.584. p.203

Voluntas nostra subjicitur divinæ voluntati in malis actibus materialiter, in bonis vero ut efficiens sub efficiente. part.2.tr.4.n.592.p.204

Triplici modo potest voluntas velle finem, & in quo unusquisque sit. part.1.tr.8.n.53.p.270

Vox.

Vox compelle,qua scriptura & Ecclesia vtitur sæpè, gratiam prævenientem efficacem ex Deo infert

Digitized by Google

necessario, & contra sentientium doctrinam evertit. part.2.tr.4.n.685.p.217
Voces *prædeterminatio physica*, aut *quasi physica*, etsi essent novæ, forent tamen retinendæ. part. 2. tr.4.n.175.p.130
An vox *cooperari* importet simul natura operari. part.1.tr.8.n.80.& seq.p.276

Vsus.

Bonus usus arbitrij ex Recentioribus non est effectus gratiæ, sed contra. part. 2. tract. 4. n. 8.& 9, p.101
An bonus arbitrij usus gratiam de sufficienti faciat efficacem. part.2.tr.4.n.8.& seq.p.101
Sitne bonus usus arbitrij prædestinatus à Deo an vero præscitus tantum.part.2.tr.4.n.570.& seqq. p.201
Quantum bono usui liberi arbitrij tribuatur à Recentioribus. part.1.tr.6.n.182.p.164

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google